BIBL. NAZ
Vitt. Emanuele III
165
I
18
NAPOLI

113
H
4-5

Digitized by Google

Digitized by Google

JACOBI PIGNATELLI

E CRYPTALEIS IN SALENTINIS

S. Theolog. ac J. U. Doctoris

NOVISSIMÆ CONSULTATIONES CANONICÆ.

PRÆCIPUAS CONTROVERSIAS,

Quæ ad Fidem, Eiusque Regulam ſpectant, in quibus Errores Atheorum, Infidelium, Schiſmaticorum, Hæreticorum, & aliorum Eccleſiæ Catholicæ hoſtium referuntur & refelluntur; præſertimque illas quæ circa S. Inquiſitionis Tribunal verſantur, ubi de Inquiſitoribus, eorumque Officialibus & Miniſtris, de Reis in quos jus & poteſtatem habent, deque Pœnis pro Caſuum varietate iſtis infligendis, & quàm plurima alia ad hoc Argumentum facientia, complectentes.

OPUS JURIS UTRIUSQUE CONSULTIS NON MODO, verùm etiam Theologis, imò & omnibus Fidem Chriſtianam profitentibus planè neceſſarium ac utile.

Cum Indice Consultationum ſingulis Tomis præfixo.

Altera Editio *emendatior, cui acceſſit* Index Rerum *&* Materiarum *locupletiſſimus.*

TOMUS POSTERIOR.



COLONIÆ ALLOBROGUM.

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCCXIX.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

INDEX ARGUMENTORUM CONSULTATIONUM *NOVISSIMARUM*

TOMI POSTERIORIS.

CONSVLTATIO CXXXIII.

DE Notariis S Officii, ejuſqueTheſaurariis ſive Depoſitariis, Cuſtodibus Carcerum, aliiſque miniſtris, ac de Familiaribus *Pag.* 1.

CONSULTATIO CXXXIV.

De Foro competente, ſive de Iudice quò ad Hæreticos, Maleficos, ſortilegos, ac alios de Hæreſi ſuſpectos, ubi plurium Authorum hallucinationes & errores recenſentur ac refelluntur. *Pag.* 5.

CONSULTATIO CXXXV.

An ex factis hæreticalibus poſſit quis declarari hæreticus etiam negativus? *Pag.* 8.

CONSULTATIO CXXXVI.

An & à quo tempore ſubjiciantur S. Officio committentes ſortilegia qualificata? & quid ſi non ſint qualificata, neque hæreticalia, ſed ſimplicia, ita ut nullomodo reddant ea committentes ſuſpectos de aliqua hæreſi, ut colligere herbas ſub aurora tribus diebus aſpiciendo ſolem & hujuſmodi alia? *Pag.* 10.

CONSULTATIO CXXXVII.

An committens facta hæreticalia ſine infidelitate in animo incurrat cenſuras & pœnas in apoſtatas & in hæreticos fulminatas? *Pag.* 13.

CONSVLTATIO CXXXVIII.

Quid in caſu dubio ac in aliis caſibus ad Inquiſitores ſpectantibus. *Pag.* 19.

CONSULTATIO CXXXIX.

In rebus Sancti Officii, ad quid poſſit vel non poſſit procedere Inquiſitor ſine Epiſcopo Ordinario, vel Epiſcopus ordinarius ſine Inquiſitore, ubi Paretga de Epiſcopo quò ad S. Officium, & de Reis S. Officii. *Pag.* 28.

CONSULTATIO CXL.

An & quibus remediis ac mediis unio Schiſmaticorum omnium cum Eccleſia Catholica procuranda ſit? præſertim Græcorum ac Rhutenorum, ubi de erroribus qui Græcis attribuuntur, de origine eorum ſchiſmatis, & an propter ſuos errores Græci ſint cenſendi Hæretici tantum ſchiſmatici, quinam ritus illi permiſſi & in quibus Latinis cum Græcis liceat communicare: ubi pauca de pœnis ſchiſmaticorum eorumque abſolutione & reconciliatione & remiſſione: de quamplurimis rebus aliis aliiſque nationibus Orientalibus. *Pag.* 34.

CONSULTATIO CXLI.

An, & quatenus liceat Principibus Catholicis permittere in ſuis regnis vel ditionibus libertatem publicam Religionis? & quatenus ea permiſſa fides Hæreticis ſervanda ſit. *Pag.* 42.

CONSULTATIO CXLII.

De amuletis & periaptis. Quid ea ſint? Eorum efficacitas, & ſuperſtitio. Ubi de ſactis fidelium Iconculis, vulgò *Medaglie*, & agnus Dei, de Bullis, aliiſque Ethnicorum ſuperſtitionibus. *Pag.* 45.

CONSULTATIO CXLIII.

De obligatione denunciandi Sortilegos ac de Hæreſi ſuſpectos. *Pag.* 47.

CONSULTATIO CXLIV.

De modis procedendi contra Hæreticos ac de Hæreſi ſuſpectos. *Pag.* 60.

CONSULTATIO CXLV.

De citatione S. Tribunali S. Officii. *Pag.* 74.

CONSULTATIO CXLVI.
De Comprehenſione, ſive captura reorum pro cauſis ad S.Officium pertinentibus. Pag. 80.

CONSULTATIO CXLVII.
De ultroneà reorum Comparitione, ſive de ſponte comparentibus in Tribunali S. Inquiſitionis, ac de tempore gratiæ. Pag. 83.

CONSULTATIO CXLVIII.
De ſponte confitentibus in carceribus. Pag. 87.

CONSULTATIO CXLIX.
De Confeſſione Sacramentali rei, de hæreſi inquiſiti, & in carceres conjecti, ubi Effata de Confeſſariis. Pag. 89.

CONSULTATIO CL.
De Teſtibus contra reos S. Officii, ubi effata ad rem hanc haud vulgaria. An omnes teſtes inhabiles in cauſa fidei admitti debeant? Et qui? Pag. 91.

CONSULTATIO CLI.
Quando, & ad quid teſtes inhabiles, exceptis inimicis, in S. Tribunali S. Officii admitti debeant? Pag. 102.

CONSULTATIO CLII.
Quid quantumve probent teſtes excómunicati, ſocii criminis, conſanguinei, infames, aliive inhabiles in cauſis ad S. Officium ſpectantibus. Pag. 107.

CONSULTATIO CLIII.
De Teſtibus ſingularibus in cauſis S. Officii, deq; differentia inter teſtium ſingularitates. Pag. 109.

CONSULTATIO CLIV.
De Compulſione & probatione teſtium, eorum publicatione, repetitione, & confrontatione, ac pœna in teſtificando ad falſum in cauſis S. Officii, deque aliis quæ ad rem hanc compendio & capitulatim diſceptantur. Pag. 113.

CONSULTATIO CLV.
De Reorum defenſionibus in Tribunali S. Officii. Pag. 118.

CONSULTATIO CLVI.
De Defenſione Hæretici defuncti: cur contra illum procedatur? Vbi quid de credentibus defunctis hæreticorum, deq; fautoribus ac defenſoribus etiam defunctis, quidve de apoſtatis, de præſcriptione actionis contra hæreticum defunctum, ac de confiſcatione ejus bonorum. Quomodo contra illum procedi poſſit, deque ad rem, aliis cum nonnullis parergis. Pag. 126.

CONSULTATIO CLVII.
Qualis defenſio Hæretico defuncto competat? Quinam & quomodo in ea citandi? ubi & Parerga aliquot de hęreticorum defenſione. Pag. 130.

CONSULTATIO CLVIII.
An qui ſponte ſeipſum interficit ad laudem Dei, cenſendus ſit formaliter hæreticus Pag. 133.

CONSULTATIO CLIX.
De Reorum examine in Tribunali S. Inquiſitionis. Pag. 137.

CONSULTATIO CLX.
De Indiciis, ex quibus Reus torqueri poteſt in Tribunali S. Inquiſitionis. Pag. 143.

CONSULTATIO CLXI.
De Quæſtione ſive Tortura Sortilegi, Sagæ, Hæretici, ac ſuſpecti de Hæreſi, ubi & de ea Parerga. Pag. 162.

CONSULTATIO CLXII.
De Sententia contra Hæreticos, atque alios in S. Officio inquiſitos, cum aliquot parergis ſive effatis. Pag. 179.

CONSULTATIO CLXIII.
De Degradatione, quo ad Cauſam hæreſis. Quotuplex ea ſit. De qua degradatione loquatur textus *in cap. Quoniam* 1. *de hæret. in* 6. An in degradatione activa comprehendatur Capitulum? Quid de Epiſcopo confirmato & conſecrato? An Epiſcopus facultatem degradandi poſſit delegare? Quid de Prælatis regularibus circa ſuos ſubditos? Quid de ſolo Inquiſitore? Quid ſit de forma & ſubſtantia judicii in cauſa fidei? Abbates vel Prælati, an ſint vocandi ut conjudices? Horumque convocatio an ſit de forma degradationis in Tribunali S. Inquiſitionis? Quænam perſonæ convocandæ, ut aſſiſtant degradationi? In quibus caſibus fieri debeat degradatio ex cauſa hæreſis? An ſit licitũ in electione Epiſcopi Clericũ in ſacris ex cauſa hæreſis tradere curiæ ſæculari, vel perpetuo carceri? Quinam ſint effectus degradationis? Et an aliquis degradari poſſit ſine accuſatore procedente Iudice per viam Inquiſitionis?

Ubi

Ubi alia, præſertim S. Concilii Tridentini Decretum ſuper Degradatione, ab ejus S. Congregatione explicatum & Parerga aliquot de Degradatione non vulgaria. *Pag.* 191.

CONSULTATIO CLXIV.

De Abjuratione Hæreticorum ejuſque requiſitis, cujus Parèrga alibi adducta. Ac de Purgatione Canonica, Pauca ſed inſigniora. *Pag.* 200.

CONSULTATIO CLXV.

De Relapſis in hæreſim eorumque Pœnis. *Pag.* 238.

CONSULTATIO CLXVI.

1. De Reis contumacibus S. Officii, deque modo in eos procedendi. 2. Qualis debeat eſſe contumacia, ut contumax in cauſa hæreſis damnari poſſit? 3. Qualiter abſens ſuſpectus de hæreſi & contumax ſit damnandus? 4. Et an contumax in cauſa hæreſis non ſolum intra annum, ſed anno elapſo immo poſtquam fuit damnatus ac ejus ſtatua combuſta in Tribunali S. Officii audiatur? *Pag.* 253.

CONSULTATIO CLXVII.

De judicio ac pœnis Sortilegi, Hæretici, aliorumque delinquentium contra fidem, ubi quæ in hæreticorum judiciis perpendenda, deque cautionibus contra hæreticos, aliiſque hujuſmodi. *Pag.* 265.

CONSULTATIO CLXVIII.

De Pœnis contra hæreticorum receptatores, defenſores, fautores, eiſque credentes. *Pag.* 285.

CONSULTATIO CLXIX.

De Pœnis in filiis ac nepotibus hæreticorum eiſque credentium, fautorum, receptatorum, aut defenſorum, & quid de hæreſi ſuſpectis? ac de Prælatis Regularium in cauſis ad S. Officium ſpectantibus. *Pag.* 286.

CONSULTATIO CLXX.

An pœna vivicombutii, vox eſt Tertulliani *in l.* 1. *de anima cap.* 1. *& cap.* 33. ſit hæreticis impœnitentibus infligenda, & pœna mortis, & combuſtionis cadaveris hæretici relapſi, vel negativi, ſed pœnitentis, ubi de aliis hujuſmodi, nempè de pœna ignis, capitis, & aliorum membrorum, oculorum erutionis, ſuſpenſionis, crucifixionis, lapidationis, ſubmerſionis, Beſtiarum, ferarumque laniatus, excoriationis, ſectionis per ſerram, aliorumve mortis ſuppliciorum. Ubi etiam reſpondetur eis omnibus, quæ contrà ab hæreticis afferuntur, ac præcipuè quæritur, Sint-ne Jure Cæſareo Hæretici ultimo ſupplicio afficiendi? Et quid ex Iure Canonico? ac quinam ii ſint qui igne, vel ultimo ſupplicio affici debeant? *Pag.* 287.

CONSULTATIO CLXXI.

Cur apud Catholicos Judæi tolerentur, Hæretici comburantur? *Pag.* 312.

CONSULTATIO CLXXII.

Iterum, ſed pauca, de Pœna Excommunicationis contra hæreticos, multa verò de excommunicatione contra Maleficos & alios Sortilegos. *Pag.* 315.

CONSULTATIO CLXXIII.

De Pœna irregularitatis ob ſortilegia hæreticalia, deque pœnis temporalibus in Sortilegos, in Divinos, & Mathematicos, inque eorum filios. Ubi, an liceat maleficium maleficio tollere? Delrii, aliorumq; in hoc hallucinatio, & ad id plura graviter, ſanè & probè. *Pag.* 319.

CONSULTATIO CLXXIV.

De pœna Carceris, hæreticis, maleficis, ſortilegis, aliiſque debita, ubi Effata de carceribus & carceratis S. Officii. *Pag.* 331.

CONSULTATIO CLXXV.

De Detruſione in Monaſterium, ac de ſtigmatum inuſtione. *Pag.* 337.

CONSULTATIO CLXXVI.

De Pœna Triremium, verberum, fuſtigationis, flagellorum, & hujuſmodi, quibus ea, & à quibus imponenda. *Pag.* 338.

CONSULTATIO CLXXVII.

De Pœna exilii, relegationis, ac deportationis. Quibus reis S. Officii imponenda? quænam inter exilium, deportationem, ac relegationem differentia? & quænam ſit illa exilii pœna, quam exprimit *l. quicunque* 8. 55. *idcirco C. de hæret. Manich & Samar.* Difficilis planè quæſtio. *Pag.* 341.

CONSULTATIO CLXXVIII.

De Pœna Habitus pœnitentialis, Quænam ſit & quare, ac quibus in S. Officio imponatur & cum qua obligatione? Et mulcta in tranſgreſſores? *Pag.* 356.

CONSULTATIO CLXXIX.
De Pœna ſive Pœnitentia pecuniaria in ſortilegos, ac de hæreſi ſuſpectos atque alios. A quibus imponi ac commutari poſſit. In quos uſus applicanda. Quidve hodie hac in re ſervandum ſit. *Pag.* 356.

CONSULTATIO CLXXX.
De Pœna Publicationis bonorum quâ hæretici afficiuntur, ubi multa, non abſre diſceptantur. *Pag.* 358.

CONSULTATIO CLXXXI.
An hæretici priventur Dominio, ac juriſdictione temporali, hoc eſt, an ipſi propter hæreſim aut Apoſtaſiam à fide priventur ſuis Regnis, Imperiis ac Dominiis quæ antea legitimè habebant, ita ut ſubditi eorum non teneantur amplius præſtare ipſis obſequium ac fidelitatem: ubi de Pontificis ſummi poteſtate in Principes hæreticos ex Sacris Bibliis, Conciliis, Patribus, Hiſtoricis, atque ex praxi Eccleſiæ, cum apologia pro plurimis Pontificibus & paræneſi ad Epiſcopos. *Pag.* 368.

CONSULTATIO CLXXXI.
De Pœna Jejunii & abſtinentiæ à cibis. *Pag.* 390.

CONSULTATIO CLXXXII
De Redargutione ac Reprehenſione. *Pag.* 391.

CONSULTATIO CLXXXIII.
De Pœnis in Iure Pontificio uſurpatis. *Pag.* 391.

CONSULTATIO CLXXXIV.
Speciatim de Pœna privationis Beneficiorum, & Officiorum, quibus hæretici, ac Sortilegi hæreticales privantur, ubi fuſe lateque de pœna latæ ſententiæ, tanquam de re utiliſſima in explicandis pœnis canonicis de quibus paſſim Canones & Conſtitutiones Apoſtolicæ. *Pag.* 392.

CONSULTATIO CLXXXV.
De Pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, ac Officiorum Regularium ob cauſam ad S. Officium Inquiſitionis pertinentem. *Pag.* 406.

CONSULTATIO CLXXXVI.
De Pœnitentiis ſalutaribus reorum in S. Officio pœnitentium. *Pag.* 409.

CONSULTATIO CLXXXVII.
De Pœna Talionis. *Pag.* 411.

CONSULTATIO CLXXXVIII.
De Pœna in Apoſtatas à fide Chriſtiana, & in ſchiſmaticos. *Pag.* 413.

CONSULTATIO CLXXXIX.
De Pœnis in Blaſphemos generatim. *Pag.* 418.

CONSULTATIO CXC.
De impedientibus Sanctum Inquiſitionis Officium. Quibus modis impediatur. An & quatenus ſint hæreticorum fautores? Pœnæ in eos ſtatutæ. Quæ actiones prohibeantur, quævе incurrantur pœnæ? ubi diſtinctè, explicatè, & abundanter diſceptatur de omnibus penè dixerim caſibus qui hac de re contingere poſſunt, etiam remiſſivè adducuntur pareſque aliquor de Bullis Pontificiis & clauſulis quibuſdam ad S. Officium pertinentibus, de Cruce ſignatis rebuſque aliis. *Pag.* 425.

CONSULTATIO CXCI
An libri hæretici, athei, magici, ſortilegi, ſuperſtitioſi, aſtrologici fatariorum, ſive mathematici, genethliaci, Onirocritici, chiromantici, & quomodolibet divinatorii, Thalmudici, Kabaliſtici, Rabbinici, & hujuſmodi alii, juſtè ab Eccleſia damnentur? *Pag.* 441.

CONSULTATIO CXCII.
De Libris atheis, & magicis. *Pag.* 446.

CONSULTATIO CXCIII.
De Libris Thalmudicis, Kabaliſticis, Rabinicis. *Pag.* 452.

CONSULTATIO CXCIV.
De Libris Aſtrologicis, genethliacis, onirocriticis, chiromanticis, & quoquomodo divinatoriis. *Pag.* 467.

CONSULTATIO CXCV.
De Pœnis contra legentes, retinentes, imprimentes, tranſcribentes, vel aſportantes aliunde libros hæreticos, magicos, ſuperſtitioſos & hujuſmodi alios. *Pag.* 470.

CONSULTATIO CXCVI.
An, & quibus liceat hæreticorum libros legere ac retinere & à quibus hæc licentia ſit concedenda? Ubi ad rem Effata. Et quis abſolvere poſſit legentes, retinentes, imprimentes hujuſmodi libros ab excommunicatione contra eos prolata? *Pag.* 490.

CON-

CONSULTATIO CXCVII.

An & quæ ignorantia ſpeciatim excuſet à pœnis, contra hæreticos, ac ſortilegos, alioſque reos S. Officii decretis? Hoc eſt an detur aliqua ignorantia, quæ, licet ſit conſequens, ac vincibilis excuſet ab hæreſi ac proindè à pœnis contra hæreticos latis? Ubi an errans ex ignorantia ſi moneatur ab Epiſcopo vel Inquiſitore, vel à viris doctis de ſuo errore, teneatur credere? & an proteſtatio excludat pertinaciam? *Pag.* 494.

CONSULTATIO CXCVIII.

An & quatenus Hæretici reſipiſcentes ſint ab Eccleſia recipiendi? Et an quatenuſve relapſo per Sedem Apoſtolicam ſit concedenda abſolutio ac rehabilitatio ad honores & dignitates? *Pag.* 501.

CONSULTATIO CXCIX.

De Abſolutionibus ac diſpenſationibus in S. Officio uſitatis, & ſapientiſſimo arbitrio Summi Pontificis concedendis ſummatim ac per Effata ſive Canones quæ ad formandum judicium de abjurationibus, de rebus, de pœnis, ac cenſuris ad S. Officium ſpectantibus maximoperè conducunt ex variis caſibus, ac ferè omnibus excogitatis ac probatis authoribus ſummo ſtudio conquiſita. Ubi etiam breviter diſſeritur, in quibus differant vel conveniant diſpenſatio & abſolutio & à Pœnis Eccleſiaſticis latæ ſententiæ. *Pag.* 504.

CONSULTATIO CC.

Miſcellanea per Effata, ſive Aphoriſmos, Coronidis vice, ne quid omninò deeſſe videatur. *Pag.* 514.

CONSULTATIO CCI.

Varia, & miſcellanea, ſive Paralipomena per Effata,& Aphoriſmos quaſi confuſaneam doctrinam conquirens. *Pag.* 518.

CONSULTATIO CCII.

In qua brevis Repetitio fit de modò, & ratione rectè ac ordine expediendi Cauſas S. Officii quantum cuique ſat eſt. *Pag.* 522.

FINIS.

JACOBI

JACOBI PIGNATELLI

Sacræ Theologiæ ac J. U. Doctoris,

NOVISSIMÆ CONSULTATIONES CANONICÆ.

CONSULTATIO CXXXIII.

De Notariis S. Officii, ejuſque Theſaurariis ſive Depoſitariis, Cuſtodibus Carcerum, aliiſque Miniſtris, ac de Familiaribus.

CAncellarii, ſive Notarii Tribunalis S. Officii hodie eliguntur, non ſolùm ab Epiſcopis, ſed etiam ab Inquiſitoribus, eorumque Commiſſariis ex privilegio Pii IV. incip. *paſtoralis officii* edito anno 1561. & Julii III. ubi ſtatuitur, ut Inquiſitores ac eorum Commiſſarii in quibuſvis cauſis fidei, cùm viderint expedire, autoritate Apoſtolica poſſint unum, vel plures, etiam Clericos ſæculares, vel quorumvis Ordinum Regulares in Notarios eligere, aſſumere, atque creare. Quod tradunt Pegna *p.3 direct. com.* 67. Farinac. *de heres. q.* 185 *n.* 10. Zanard *in ſum. p.* 1. *c.* 6. *qu.* 45. Symanch. *in Enchir. tit.* 19. *nu.* 2. Maſin. *in pr. S. Offic. p.* 2. *fol.* 22. & Carena *p.* 2. *tit.* 12. *§. un. n* 2. Debent tamen Inquiſitores eligere in ſuos Vicarios, & Notarios Fratres permanentes in Conventu ex decreto S. Congregationis S. Officii ſub die 28. Novembris 1592. ſuitque ita ſcriptum Inquiſitori Cremonenſi.

Quare poſſunt Regulares cujuſcunque Ordinis, exceptis Fratribus Minoribus de Obſervantia, ab Inquiſitoribus ad id munus creari, quamvis de jure communi Regulares ab hoc officio repellantur, ex *cap. ſicut, ne Cler. vel monach. & cap. ut inquiſitionis §. verum de hæret. in* 6. Tum quia non ſunt ſui juris, *cap. non dicatis* 12. *qu.* 2. *cap. ex parte de accuſ.* Et tum quia non ſe debent immiſcere in negotiis ſecularibus, ut *ex l. Deo nobis C. de Epiſc. & Cler.* Quod tamen intelligendum eſt de Notariis publicis, non autem de electis ab Epiſcopis, vel Inquiſitoribus in quibuſcunque cauſis ad S. Officium ſpectantibus, ut decrevit Julius III. & confirmavit Pius IV. ſupra relati. Immo Regulares, etiam compelli poſſunt ab Inquiſitoribus ad hujuſmodi officium exercendum, quando in ſeculo fuerunt Notarii ob ſingularem fidei favorem ex reſcripto Urbani IV. quod incipit *ſicut ex omnibus*, & Alexandri IV. quod incipit *Ne commiſſa*, ut refert Pegna *loc. cit.*

Et licet Notarii in ſua creatione jura erint fideliter officium ſuum exercere, quoties tamen Inquiſitores advocant illos ad conſcribenda acta S. Officii, denuo ab eis exigere debent juramentum de officio fideliter exercendo, ac de ſecreto omnino ſervando de his omnibus, quæ ad S. Officium pertinent, non obſtante, quod fideliter ſemel juraverint cuncta exercere, cùm primùm Notarii fuerint creati. Hoc enim eſt in cauſa fidei peculiare, & præcipitur *in Clem. I. de hæret. §. Porrò verſ. Notarii quoque*, traditque ibi Gloſ. *v. jurabunt*, ac notant Arelaten. *in tract. de hæret. notab.* 36. Campeg. *ad Zanchin. cap.* 9. *verſ. adde inſuper*, Royas *ſingul.* 141. Lucern. *Inquiſit. v. Notarius* Pegna *com.* 48. & Farinac. *de hæret. d. qu.* 185. *n.* 11. Quod juramentum tam de fidelitate, quàm de ſecreto ſervando præſtare debent ſub pœna perjurii, & excommunicationis latæ ſententiæ, ut per Caren. *d. p.* 1. *tit.* 12. *n.* 6. ac ita in praxi ſervatur.

Munus autem Notarii eſt diligenter ac fideliter acta S. Officii ſcribere, denuntiationes coram Epiſcopo, vel Inquiſitore, aut eorum Vicariis recipere, inſtrumenta, & proceſſus conficere, in teſtium, ac reorum examine tam quæ contra reos, quàm quæ in eorum defenſionem dicuntur fideliter notare, interrogationes, ac reſponſiones iiſdem verbis, quibus proferuntur, ſcribere, dum reus torquetur, quomodo quæſtiones conſtituuntur, quomodo ille reſpondet, omnia in acta referre, aliaque peragere, quæ à Notariis in ſimilibus fieri ſolent.

Salarium autem deputari ſolet Notariis ab Inquiſitoribus ex reditibus S. Officii, nec poteſt excedere taxam à S. Congregatione ſupremæ Inquiſitionis definitam. Si verò eorum ſalarium non fuerit à S. Congregatione deputatum, non debet ipſe Notarius ab Inquiſitis illud exi-

gere. Quia inquiſitiones fieri debent abſque incommodo reorum ex *auth. ut nulli judicum §. hoc inſuper collat. 9.* & tradit Pegna *in direct. p. 2. in cap. ut officium §. Verum quia n. 15.* Sed Farinacius *de hæres. d. qu. 185. n. 12.* ait Cardinalem Zabarellam *in Clem. I. §. notaris n. 1. de hæret.* arguere pro & contra, & concludere, Notarium poſſe recipere ſalarium ab inquiſitis, dummodo ab officio Inquiſitionis non fuerit ei certum ſalarium deputatum. Salarium verò incertum non debet excedere taxam decretam à ſupremo Tribunali S. Inquiſitionis.

At nihilominus tenendum eſt. Notarii S. Officii tenentur ſervire gratis, & pro ſcriptura proceſſuum nihil poſtulare poſſunt, niſi pro examinibus teſtium ad defenſionem ex decreto S. Congregationis 17. Septembris 1609. ac ita, ut nihil accipere poſſint pro ſententiis ſponte comparentium, ex eadem S. Congregatione 8. Julii 1604. Hinc cum Epiſcopus Nucerinus, miniſter olim S. Officii in Civitate Neapolitana certiorem redderet S. Congregationem Inquiſitionis, quod Notarius, & Fiſcalis nollent ampliùs inſervire, quia nullum habent ſalarium, Sanctiſſimus mandavit Datario, ut de aliquo ſimplici beneficio provideat Notarium, & Epiſcopo ſcribi juſſit, ut Fiſcali aſſignet ſcuta tria, vel quatuor quolibet menſe, ut ſub die 28. Decembris 1614. Porro extant pro Regno Neapolitano decreta à Carolo primo, ſecundo, ac tertio, Regibus Neapolitanis, pro ſuſtentatione Inquiſitorum Apoſtolicorum dicti Regni emanata, quibus uti poſſunt Miniſtri S. Inquiſitionis in illo Regno.

Notarii verò ſcribentes, vel præſtantes reis auxilium, conſilium, vel favorem in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, puniuntur pœna perpetuæ infamiæ, ac privationis officii *in can. quanquam 23. d.* quod confirmatur *in c. Excommunicamus, §. credentes, & in cap. ſicut de hæret.* & *in cap. 2. §. 1. de hæret. in 6.* ac decrevit Nicolaus Papa in ſuo reſcripto incip. *Noverit univerſitas* & tradunt Eymer. *p. 2. direct. cap. 11.* Pegna *com. 11.* atque alii quos ipſe, ac Farinac. *de hæres. q. 197. §. 3. n. 67.* citant & ſequuntur. Si tamen Notarii poſt ſuſpenſionem Officium exerceant, non efficiuntur irregulares juxta ea, quæ docent Oſt. *in cap. ſi adverſus de hæret.* ibique Anchar. *n. 3.* Butr. *n. 7.* Zabarel. *n. 4.* & Farinac. *d. §. 3. n. 84.*

Quod ſi Notarius inquiſitum in S. Officio modum occultandi veritatem doceat, vel aliquid ab illius proceſſu lateret, pœnam incurrit fautoris hæretici, ac puniendus eſt tanquam de hæreſi vehementer ſuſpectus *ex cap. accuſatus § Sacerdotes de hæret.* ubi Gloſ. *§. porro* & tradunt Eymer. *p. 2. q. 56. n. 4.* ibique Pegna *com. 81. verſ. ſecundus caſus*, Repert. Inquiſit. *v. impediens & v. pœna*, Sylveſtr. *in ſum. v. hæreticus 2. n. 16.* Decian. *in tr. cr. lib. 5. cap. 51. n. 16.* Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap. 20. v. ſuſpecti reſol. 4.*

Cui autem magis credendum ſit, Notario ne, an teſti, ſi is neget depoſuiſſe, prout ille ſcripſit? Si Teſtis fuit examinatus cum interventu Inquiſitoris, procul dubio magis credendum eſt Notario, ac ſcripturæ, quam teſti, ut per Clar. *q. 54. n. 17.* Covar. *var. reſol. cap. 13. num. 10.* Maſcard. *de probat. concl. 1049. n. 11. vol. 2.* Quod ſimiliter dicendum aſſerunt, ſi teſtis ſuo examini ſe ſubſcripſerit, & in ſubſcriptione ſuum examen ipſi lectum fuerit, ut regulariter ſervatur. Idemque eſſe, quando teſtis, neſciens ſcribere, fecit ſignum Crucis. Magis quoque Notario, quàm teſti credendum eſt, quando Notarius habuit ſcriptorem, qui ſcripſit examen, ut per Alciat. *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. 13. n. 19.* Menoch *eadem tract. præſumpt. 79. n. 16.* Bajard. *in §. falſum n. 57.* & Maſcard. *loc. cit. concl. 1084. n. 20.*

Si verò fuerint plures teſtes, qui Notario contradicerent, tunc inſpicienda eſt qualitas Notarii, ac teſtium, magiſque credendum eſt Notario, quam pluribus teſtibus, quando Notarius eſt bonæ conditionis, & famæ, teſtes autem parum idonei. Contra verò magis credendum teſtibus fide dignis, quàm Notario, qui ſit ſuſpectus, maximè ſi producatur ſcriptura cum aliquo ſpatio albo ita, ut poſt productionem ſcriptum ſit in dicto ſpatio albo, ut cum nonnullis ait Ricc. *in pr. for. Eccleſ. p. 1. reſol. 451.*

Quod verò ad S. Officii Theſaurarium, ſive Depoſitarium. Ubi S. Officium habet reditus, non ſunt ii reponendi, niſi apud Depoſitarium, ut per Caren. *d. p. 1. tit 13. §. un.* qui vel à S. Congregatione, vel ab ipſis Inquiſitoribus eſt eligendus vir probus, ac dives, ſciénſque rationes conficere ac referre, fidejubeat de ipſis redditibus fideliter ſervandis, ac perſolvendis, ſæpiuſque in anno Inquiſitori rationem ſuæ adminiſtrationis reddat, ut de ſtatu uniuſcujuſque Inquiſitionis S. Congregatio certior ſuis temporibus reddatur. Quod tradit Symanch *de Cathol. inſtit. tit. 43. de Offic. receptor.* & Caren. *loc. cit.*

Extant hac de re decreta S. Congregationis S. Officii, quæ ſunt hujuſmodi. Inquiſitores, & Commiſſarii S. Officii habeant Depoſitarios bonæ vitæ & famæ, ac facultatibus idoneos, per ipſos, & Epiſcopos eligendos, apud quos deponantur pecuniæ, quæ ratione Officii perveniunt ad manus Inquiſitorum, de quorum mandato ſemper expendetur, & ipſi Inquiſitores teneantur de dictis pecuniis reddere rationem S. Officio ſupremæ Inquiſitionis Romanæ ad beneplacitum ejus S. Congregationis, & in fine cujuſlibet anni debent computa ad dictum S. Officium mittere. Quod decretum fuit omnibus Inquiſitoribus intimatum 7. Januarii 1574.

Die tamen 10. Martii 1575. Gregorius Papa XIII. declaravit, electionem dictorum Depoſitariorum ſpectare ad Inquiſitores tantum, Ordinariis minime requiſitis.

Si autem S. Officii Depoſitarius ex pecunia fiſcali emat aliquid ſuo nomine, emptio efficitur Fiſci. Nam Fiſcus æquiparatur Eccleſiæ, pupillo, minori. Prælatus autem, tutor, & curator, emptores ſuo nomine ex bonis Eccleſiæ, pupilli, minoris, non ſibi, ſed Eccleſiæ, pupillo, minori rem emptam acquirunt, *l. rem curator, C. arbitrium tutelæ, l. ſi proponis C. de rei vendic.* Atque adeo etiam Depoſitarius qui ex pecunia S. Officii rem emit, acquirit S. Officio. Latè hac de re agunt Gregor. Lopez *p. 5. tit. 15. l. 49.* Gloſ. 2. & Peregrin. *de jur. Fiſci lib. 6. tit. 3. n. 7. et ſeq.*

Quod verò ad cuſtodes carcerum ſtatutum eſt in *cap. multorum de hæret.* ut eligantur viri diſcreti, induſtrii, ac fideles qui jurabunt coram Epiſcopo, & Inquiſitore, quod ſuum officium fideliter exequentur, & non permittent, quod aliquis loquatur captivis ſecretò & quod miniſtrabunt eis, prout per Epiſcopum, & Inquiſitorem fuerit juſſum. *Ex l. 1. C. de condit. in publ. horr. & ex l. ad Commentarie ſem C. de cuſt. reor.* regulariter debent eſſe nobiles, prudentes, fideles, ac optimè noti per integritatem meriti. Nihilque dare debent reis ex iis, quæ ab eorum conſanguineis, vel amicis mittuntur, inconſultis Inquiſitoribus, ſed quæ iis conceduntur ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, ſive ex communi, ſive ex liberalitate parentum abſque ulla fraude iis conſignent, & tradant. Et maximè obſervandum, ut fideliſſimi, ac integerrimi ſint, aliàs vix poterit veritas à reis inveſtigari, ſi de iis, quæ foris geruntur, per infidos Cuſtodes ac Miniſtros certiores reddantur. Obſervare quoque debent attente, ne carceribus mancipati apud ſe retineant limas, vel alia inſtrumenta ad infringendos carceres.

Et licet Julius Clarus adſtruat *in §. fin. quæſt. 68. verſ. Cuſtos carcerum*, quod quando is, qui aufugit è carceribus non erat detentus pro crimine capitali, Cuſtos carceris non punitur pœna capitis, ſed Judicis arbitrio juxta modum culpæ, & hanc dicat eſſe opinionem communem ex Boſſio *in tit. de carcere n. 10.* quia textus *in l. fin. ff. de cuſtod. reor. & l. carceri, & l. mili-*

tis

tis eod. probare videntur, pœnam hanc Cuſtodis eſſe arbitrariam pro modo ſuæ culpæ, non autem pro modo culpæ illius, qui è carcere aufugit.

Attamen Farinacius cum aliis, quos ipſe citat, *de carcer. qu.* 31. *n.* 2. *&* 4. ſuſtinet, dictum Cuſtodem puniendum eſſe eadem pœna, qua puniendus erat carceratus aufugiens, non autem arbitraria, dummodo fuga ſequuta ſit ex nimia negligentia ipſius Cuſtodis; Sed ſi ſequuta ſit ex leviori ſua culpa, tunc verum eſſe, quod pro modo culpæ, Judicis arbitrio ſit plectendus. Et in hoc ſenſu ait, loqui Boſſium, & omnino negat, opinionem Clari eſſe communem.

Probat ſuam ſententiam Farinacius, quia *in l. ad Commentarienſem C. de Cuſtod.* reor. expreſſe dicitur. *Ad Commentarienſem receptarum perſonarum cuſtodia, obſervans aque pertineat, nec patet hominem abjectum, atque vilem objeciendum eſſe Judici, ſi reus modo aliquo fuerit elapſus. Nam ipſum volumus hujuſmodi pœna conſumi, cui obnoxius docebitur fuiſſe, qui fugerit.* Ex quo textu patet carcerum Cuſtodam plectendum eſſe eadem pœna qua erat plectendus carceratus aufugiens pro ſuo delicto. Et ita ibi notant Bartol. & Bald. *n.* 3. tradunt que Menoch. *de arb. lib.* 2. *caſ.* 303. *n.* 2. Gomez. *var. reſol.* 3. *cap.* 10. *n.* 11. aliique. Textus autem quos pro ſe adducit Clarus, intelligendi ſunt, quando fuga ſequuta eſt non ex nimia negligentia Cuſtodis, ſed ex leviori ſua culpa. Tunc enim Judicis arbitrio pœna remittitur.

Et quidem hanc quæſtionem Valentinianus, Valens, & Gratianus Cæſares paucis concludunt *d. l. ad Commentarienſem* 4. ut Commentarienſis, ad quem receptarum perſonarum cuſtodia in carcere pertinet, eadem pœna plectatur, qua is, qui fugerit plectendus erat, nec eam evitare ex oblatione perſonæ, quam carceri præpoſuerat. Et facit, quod dictum eſt, quia dimiſiſti hominem dignum morte, anima tua pro anima illius 3. *Reg.* 20. *Can. diffiniunt* 17. *q.* 4. Unde & ille, qui cuſtodiebat D. Petrum Act. 16. vinctum, cùm putaret illum evaſiſſe, apertis inventis carceribus, metu pœnæ mortis ſe volebat interficere. Neque pœnam evadunt Cuſtodes, ſi culpa, vel dolus in illis deprehendatur *l. fin. ff. de cuſt. reor.*

Cuſtos verò carcerum, qui pretio corruptus carceratum fugere dolo permiſit, eſt ultimo ſupplicio afficiendus, etiamſi ille, qui aufugit, non eſſet pro capitali delicto carceratus. Probatur *ex d. l. fin. ff. de cuſt. reor.* & tradunt Vital. *de malef. in rubr. de carcer. cap.* 1. *n.* 7. & Jodoch. *in pr. crim. cap.* 27. *rubr. de Camerar. n.* 4. Gravior enim pœna eſt infligenda, quando pretio corruptus cuſtos carcerum carceratum dimittit, quia pecunia ſemper facit delictum magis atrox, ac pœnam inducit graviorem, *l. Cicero ff. de pœn.* At Farinacius *loc. cit. n* 8. *&* 9. exiſtimat, tunc capitis pœnam eſſe imponendum ex dicto textu, quando carceratus aufugiens capitalem pœnam merebatur. Quod eſt conſequens ad ea quæ dicta ſunt. Legatur Galg. *ad Stat. Urbis l.* 3. *c.* 86. *& lib.* 2. *c.* 2. *in gl. ſ. rubr. Judex tamen*, ubi an Cuſtos teneatur civiliter, vel criminaliter, ſi carceratus aufugiat, Rip. *de noct. temp. cap.* 74. Farinac. *d. q.* 31. *n.* 10. *& ſeq. ac per totam* Gottifred. *de reat. q.* 14. *à nu.* 1. Mauzon. *de cauſ. exeq. ampl.* 25. Porc. enim *decis. Portugal.* 69. Caſtil. *dec.* 165. Dominus verò carcerum, qui cuſtodem negligentem elegit, pro hujuſmodi carceratorum fuga ad quid, & quomodo teneatur, diſputant Doctores, apud quos videre poteris Boer. *dec.* 217. *n.* 1. *& ſeq.* & Maſtril. *dec.* 176 *n.* 8

In dubio autem carceratus ex oſtio aperto, incuria Cuſtodis, non autem per inſidias, & cum ferro, aut clavibus adulterinis aufugiſſe, præſumitur. Quamvis in dubio culpa non præſumatur *l.* 2 *ff. ſi quis caut. l. in illa ſtipulatione §. ſi cadendus ff. de verb. oblig.* Afflict. *dec* 13. *n.* 18. immo in dubio præſumatur diligentia, *cap. niſi de preb.* quilibet enim cenſendus eſt diligens in ſuo officio, niſi contrarium probetur, ut per Farinac. *d. q.* 31. *n.* 18. Hæc tamen regula fallit in carcerum Cuſtode, ut in caſu ſimili deciditur *in l. fin. verſ. ſed ſi, & verſ. Ergo ſi caſu de cuſt. reor.* & notant Patis de Put. *de ſyndic. v. Carcer. & Carceratus cap.* 3. & alii quamplures quos citat Farin. *loc. cit.* Quare ſi ex oſtio aperto carceratus aufugerit, non ſtatim creditur Cuſtodi carcerum dicenti, quod carceratus aperuerit oſtium clavibus adulterinis, vel alio ferreo inſtrumento, quia in tali dubio præſumitur ſua culpa, & negligentia aufugiſſe *ex d. l. fin. ff. de cuſt. reor.* ipſique Cuſtodi incumbit oppoſitum probare.

Verùm hæc præſumptio contra carcerum cuſtodem tollitur per aliam contrariam præſumptionem, nempe per probationem, ipſum fuiſſe ſemper diligentem, ac omnia obſervaſſe, quæ boni ac fideles Cuſtodes ſervare ſolent. Et quod toto tempore, in quo Cuſtos fuit, nullam culpam, nullumque dolum commiſerit. Hoc enim probato præſumendus eſt etiam de præſenti ſine dolo, & culpa, bonus & fidelis, quia ex ante actis præſumitur vita præſens *l.* 3. *§. penult.* ibi, *inſpecto vita ejus præcedentis actu, & l. non omnes §. à Barbaris*, ibi, *& ſi bonus miles ante æſtimatus. ff. de re milit.* traditque Bart. *in l. non ſolum §. Sed probari ff. de nov. oper. nunc.* Maſcard. *de probat. lib.* 2. *concluſ.* 864. *n.* 30. *Becc. cons.* 44. *n.* 4. *& ſeq. l.* 1. Quod intelligendum eſt, niſi in ſpecie probetur negligentia, vel culpa Cuſtodis. Quia præſumptio, & probatio ſpecialis ſemper præferenda eſt præſumptioni, & probationi in genere, juxtà Innocent. *in cap. auditis, de præſumpt.* & Farinac. *loc. citat. num.* 24

Undè in tali caſu conſulit Beccius *ubi ſuprà*, quod erunt eligendi periti, qui medio juramento deponant, ac referant, An illud oſtium, ex quo Carceratus aufugit, potuerit, cum aliquo inſtrumento, vel clavi adulterina aperiri, necne? & juxta peritorum relationem Judex arbitrari debet. Expertis enim, & in arte peritis in iis, quæ ad eorum artem pertinent, & juſtas rationes adducentibus credendum eſt, *l. ſemel. Cod. de re mili.* Bartol. *in l.* 1. *ff. de ventr. inſpic.* Becc. *loc. alleg. nu.* 18. aliique communiter.

Excuſatur autem carcerum Cuſtos à pœna ob Carcerati fugam, quando carceratus, fracto muro carcerum, aufugit, vel quando ipſe carceratus, vel ejus conſanguinei, vel amici violentiam fecerunt, cui Cuſtos reſiſtere non potuit, *ex l. item quæritur §. exercitu ff. locati.* Quia cuſtodia adverſùs vim, cui reſiſti non poteſt, parum proficit, ut notat Farinac. *eod. loco num.* 165. *& ſeqq.*

Carnaliter verò Cuſtos carcerum cognoſcens mulierem carceratam, eſt plectendus eadem pœna, qua tenetur Tutor carnaliter cognoſcens pupillam Quia eodem modo carcerum cuſtos tenetur diligenter, ac honeſtè cuſtodire mulierem carceratam, illamque illæſam ſervare, ac tutor pupillam *l.* 1. *& l. fin. Cod. de cuſt. reor.* Ideo, ſtante hac eadem ratione, debetur in utroque caſu eadem pœna, quod in crimine hæreſis certum putat Boër. *dec.* 317. *n.* 1. *& ſeqq. per text.* cum gloſſ. *in Clem.* 1. *verb. pro dicto crimine*, quam ibi ſequuntur Imola, & Doctores *de hæret.* Idque ratione juramenti, quo tutor etiam ſe adſtringit conſervare pupillam, Pœna autem tutoris rem habentis cum pupilla, eſt deportationis cum publicatione bonorum. *l. un. C. ſi quis eam cujus tutor*, ut notant Ghirland. *de pœn. omnif. coit. q.* 7. *in* 6. *fol. num.* 7. Clar. *in pr. §. fornicatio, verſ. cum pupilla*: Si tamen carcerata erat honeſtæ vitæ ac famæ. Si verò erat meretrix, & Cuſtos eam cognovit ſine vi, cenſet Boer. *d. deciſ.* 317. *nu* 6. *ac ſeqq.* non eſſe puniendum, ſi vero cum vi, aliqualiter ac levi pœna. Ac Menochius *de arbitr. caſ.* 291. *lib.* 2. ſuſtinet cuſtodem carnaliter meretricem carceratam cognoſcentem, etiam ſine vi, Judicis arbitrio eſſe puniendum. Farinacius autem *loc. cit. num.* 123. ac Menoch *ibidem* docent, ſi mulier ſit honeſtæ vitæ, eſſe illi imponendam gravio-

rem pœnam, quàm ſi extrà carcerem eam cognoviſſet, propter carceris violationem, ut puta ſi mulier eſſet Virgo, vel Vidua, Cuſtos tenebitur de ſtupro, ſi matrimonio conjuncta, de adulterio, & in utroque caſu pœna erit aggravanda propter carcerum violationem, eoque magis, ſi intervenerit vis, & ſi erat meretrix, pœna arbitraria. Refert tamen Carena *p.* 1. *tract.* 15. quendam Cuſtodem, qui Carceratam in S. Officio inhoneſtè cognoverat; ex decreto S. Congregationis & Pauli V. fuiſſe per ſeptennium triremibus addictum cum exilio perpetuo à loco delicti.

Miniſtri autem S. Officii ſunt exempti à jurisdictione curiæ ſecularis, etiam in cauſis non ſpectantibus ad S. Officium, ac pro quocumque delicto.

Non conſtat expreſsè, an ſint ſubjecti ordinariis.

Non mancipantur carceribus in Urbe, niſi facto verbo cum Sanctiſſimo, vel Aſſeſſore S. Officii.

Officiales S. Officii ſunt immunes à ſolutione Datiorum, & gabellarum.

Poſſunt conſtitui pro intereſſe Curiæ ſecularis cum aſſiſtentia tamen Vicarii S. Officii, ac dummodo non deveniatur ad aliquem actum abſque conſenſu ipſius Vicarii.

Quando indicia ſufficiunt ad inquirendum, licet non ſufficiant ad torturam, vel tormentis purgantur, poſſunt officiales in expeditionibus cauſarum accipere honoraria juxtà formam taxæ.

In Familiares autem S. Officii eligendi ſunt viri pacifici, fideles, pii, & laudabilis converſationis ac vitæ, ac ſcientes officium ſuum exercere, ut præcipit Joannes XXII *in ſua conſtitut.* quæ incipit. *Exigit ordinis noſtri religio*, & notant Symanch. *de cathol. inſtitut. tit.* 41. *n.* 15. Pegna *p.* 3. *direct. com.* 105. *verſ. quibus autem*, Zanard. *in Sum. p.* 1. *cap.* 1. *cap.* 6. *q.* 37. *&* Caren. *d. p.* 1. *tit.* 14. §. 2. *n.* 2.

Eorum numerus non eſt à jure determatus; conſtituendi verò ſunt quot ſufficiunt ad munus S. Officii juxta exigentiam locorum, ac determinationem S. Congregationis ſupremæ Inquiſitionis. Clemens autem IV. ſtatuit in *Conſtit.* incip. *Nolentes*, Inquiſitoribus ipſis diſtrictiùs inhibendo, *ut nec abutantur quomodolibet conceſſione delationis armorum, nec officiales, niſi ſibi neceſſarios habeant.* Farinacius autem *de hæres. quæſt.* 182. *num.* 95. & Caren. *loc. cit. n.* 7. exiſtimat, Inquiſitores abuti conceſſione delationis armorum, quando licentiam concedunt aliquibus, qui actu non inſerviunt S. Officio Inquiſitionis. Cenſet tamen Carena *n.* 8. in Villis cuilibet Vicario S. Officii aſſignari poſſe ad minus duos familiares, & in Caſtris majoribus etiam plures arbitrio S. Congregationis, habita ratione, quod moti fuerunt Pontifices ad hujuſmodi familiares concedendum, ut capiantur hæretici, ac de hæreſi ſuſpecti, ut defendantur Inquiſitores, aliique miniſtri S. Officio inſervientes.

Quænam arma deferre poſſunt, alibi diximus; Ait autem Pegna *p.* 3. *direct. com.* 105. *verſ. Item hoc privilegium*, quod iſti familiares deferre poſſunt arma die ac nocte, nonobſtante quacumque lege civili, vel municipali in contrarium edita, vel edenda. Immo, quicumque legem conderet, qua prohiberentur familiares Inquiſitorum arma deferre velut impeditores S. Officii, puniri poſſet juxta doctrinam Gloſſæ communiter receptæ *in cap. Statutum de hæret. in* 6. & firmant Eymer. *p.* 2. *q.* 54. Royas *ſingul.* 21. *n.* 8. *&* Farin. *loc. cit. n.* 91.

Hoc autem privilegio deferendi arma gaudent cæteri S. Officii Miniſtri, quales ſunt Conſultores, Advocati, Notarii, carcerum Cuſtodes, aliique hujuſmodi. Hi enim omnes ratione officii, inviſi eſſe ſolent male credentibus, Blaſphemis, ac ſimilibus, & propterea juſtiſſimum eſt, ut ipſi, vel eorum famuli armati incedant, præcipuè in illis partibus, quæ hæreticis, vel ſaltem de hæreſi ſuſpectis abundant. Idemque dicendum de illis qui publicè ſcribunt adverſùs hæreticos. Hi enim non ſolum S. Officii Miniſtri ſunt, ſed quod amplius eſt, fidei ſunt defenſores, qui cum multos habeant inimicos, juſtum videtur, ut hoc privilegio delationis armorum utantur, aut ſaltem, ut ad hos etiam benignitate Pontificia illud extendatur.

Sanè ſtatutum Laicorum, diſponens, ut familiares S. Inquiſitionis non gaudeant ſine conſenſu Inquiſitorum privilegio fori in aliquo delicto, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam. Quia juriſdictio, quam habent Inquiſitores in ſuos familiares eſt Eccleſiaſtica. Et eſto ſit à Principe, data fuit propter bene merita, & publicum bonum, ſcilicet propter ſervitia facta S Tribunali, & ſic effecta eſt irrevocabilis. Primò quia cum conceſſa ſit propter benemerita, ac bonum publicum, eſt privilegium remuneratorium, & ſic tranſit in vim contractus, *de quo alibi*, Surd. *conſ.* 104. *n.* 38. Grammat. *dec.* 65. *n.* 24. Oſaſch. *dec.* 139. Roland. à Vall. *conſ.* 13. *n.* 30. *vol.* 3. Bayerola *in alleg. pro juriſd. Eccleſ. p.* 1. *cap.* 30. & Regens à Ponte *conſ.* 60 *n.* 21.

Secundò quia, cum conceſſa ſit in favorem Eccleſiæ, ſicque privilegium conceſſum non ſubdito, qua de re etiam alibi, non poteſt revocari, ut per Suarez *in Reg. Angl. l.* 4. *c.* 34. *n.* 27. Tuſch. *v. libertas Eccleſiaſtica concl.* 342. Narbon. *in* 3. *p. recopil. lib.* 4. *tit.* 1 *leg.* 10. *gloſſ.* 22. *n.* 21. Paran. *in reſpon.* 2. *pro juriſd. S. Offic. n.* 149. *&* 154. & alios quos citat, & ſequitur Portocar. *in alleg. pro juriſdict. S. Inquiſ. n.* 44.

Familiaris autem, qui inquiſitum in S. Officio monet, ne capiatur, ut ſe abſcondat, vel fugiat, pœnam incurrit excommunicationis, & fautoris hæretici, ac perjurii, etiamſi id faciat non intuitu hæreſis, ſed amicitiæ, vel conſanguinitatis. Quia talis favor redundat in favorem hæreſis, & illi ex officio incumbit, ut reum capiat, quod etiam tradunt Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 24. *ſect.* 1. *n.* 3. Sanch. *lib.* 2. *in Decal. cap* 10 *n.* 5. ac plures alii, quos ſequitur Farinac. *de hæres. q.* 182. *n.* 95.

Domini verò temporales, impedientes dictos familiares, ne arma deferant, poſſunt puniri ab Inquiſitoribus, tanquam turbatores S. Officii; Quia, ut alibi probavimus, Inquiſitores retinere poſſunt familiam armatam, & ideo illam impedire præſumentes poſſunt ab ipſis Inquiſitoribus puniri ex *cap. ſtatutum, de hæret. in* 6. ibique Gloſſ. & docet Zabarel. *in Clem.* 1. *§. porro, n.* 2. *de hæret.* Sylveſter *v. hæreſis q.* 7. & cæteri.

Parerga de familiaribus S. Officii ſunt hujuſmodi: Familiares, ac ſervientes S. Officio non habent privilegium immunitatis; ita ut ſint immunes à Solutionibus impoſitionum, ac onerum.

Non ſunt cogendi ad ſervitia militaria, niſi adſit urgens neceſſitas, & non ſint actu occupati in ſervitio S. Officii.

Neque ſunt moleſtandi occaſione excubiarum.

Nec ad luſtrationem Militum.

Familiarium numerus Inquiſitionis Faventinæ eſt quinquageſimus. Anconitanæ quadrageſimus; Ariminenſis trigeſimus. Scriptumque Inquiſitoribus, nè hunc numerum excedant ſub pœna privationis Officii, vocis activæ, ac paſſivæ ipſo facto incurrenda. Ut eligant Viros aptos, bonæ famæ, eorumque nomina mittant S. Congregationi.

Non ſunt exempti à juriſdictione Epiſcopi, & Curiæ Secularis, in cauſis criminalibus, ad quos, & non ad S. Officium ſpectat punitio familiarium, quando delinquunt. Et Nuncio Apoſtolico Hiſpaniarum ſcriptum, ut agat cum Inquiſitore majore, ne permitteret duos Equites familiares S. Officii vexari à tribunali S. Officii, ut faciebat, propter homicidium ab eis commiſſum.

Cauſæ offendentium Familiares S. Officii, etiam non in odium S. Tribunalis, ſæpius fuerunt cognitæ in S. Officio, ut ſub die 19. Novembris 1626. ubi punitus fuit vulnerans mandatarium S. Officii Fanenſis 4. Maii 1627. punitus in S Officio Cremonenſi Baroncellus civitatis, quia familiarem S. Officii occidit 29. Septemb.

1595. in

1595. in S. Officio Placentino puniti duo, qui Cuſtodem carcerum S. Officii percuſſerunt. 9. & 30 Martii 1596. & 13. Septembris 1597. Vicarius Epiſcopalis Aneonitanus acriter reprehenſus, quia Fiſcalem S. Officii dictæ Civitatis carceribus tradidit abſque licentia S. Congregationis, vel ſaltem Inquiſitoris, cum Officiales S. Officii, nedum à Tribunalibus laicis, ſed etiam Eccleſiaſticis ſint honorandi, ut ſcriptum eidem Vicario 18. Januarii 1597. Alius, qui ſervum familiaris S. Officii Cremonenſis occidit, punitus in eodem S. Officio 5. Decembris 1598. In S. Officio Melitenſi, cognita cauſa illius, qui Secretarium Inquiſitoris alapa percuſſit, ac injuriis affecit. Ubi notandum, quod emiſerat juramentum pro ſcribendis litteris S. Officii 30. Julii 1599. Cauſa familiaris S. Officii Aneonitani ob homicidium fuit cognita vigore conſuetudinis in S. Officio, 1630. Cauſa Fiſcalis S. Officii Peruſini, uti Complicis ictus ſclopi, oe ejus continentia divideretur, fuit commiſſa à S. Congregatione Gubernatori, tanquam delegato, fuitque ei conceſſa omnis facultas neceſſaria, cum hac tamen conditione, ut non deveniat contra Fiſcalem ad torturam, neque ad expeditionem cauſæ, inconſulta S. Congregatione, ut ſub anno 1634.

Ratione familiaritatis non ſunt immunes à contributione tritici pro annonæ copia. Neque à ſolutione onerum cameralium. Neque à ſolutione ſupellectilium pro ſervitio Militum Sedis Apoſtolicæ. Neque ab oneribus publicis, & à foro ſeculari in criminalibus, ut præmiſimus. Neque ab exercitio officiorum publicorum, & ab interventu Conſiliorum, niſi quando actu inſerviunt S. Officio. Neque ab excubiis Civitatis, dum agitur de cauſa publica & neceſſaria ob timorem hoſtium.

Aliàs fuit dictum, Familiares alioſque parentatos S. Officii non gaudere privilegio fori, quando non ſunt Notarii actu inſervientes S. Officio, Fiſcales, & Miniſtri neceſſarii quotidiè tribunali S. Inquiſitionis.

Si Officiales Curiæ ſecularis ſunt exempti à cuſtodia portarum occaſione peſtis, ſunt etiam Officiales S. Officii.

Inquiſitores in exequendis mandatis Auditoris Cameræ contrà familiares S. Officii non debent ſe opponere.

Tenentur ſubjici examini in cauſis civilibus.

Gubernatori publicanti edictum contra Familiares S. Officii, ut teneantur deferre ſuas patentes ad tribunal laicum, debet ſignificari, ut deſiſtat, neque ſe ingerat in ſpectantibus ad S. Officium, revocet attentata, & aboleat omnia acta in hac re condita, & de exequutione certiorem reddat S. Congregatinnem, conſulatque conſcientiæ ſuæ quò ad Cenſuras, quas incurrit, à quibus ſe abſolvi faciat à Confeſſario approbato, cui ad hunc effectum danda eſt facultas neceſſaria, & opportuna.

Familiari S. Officii unius Civitatis, qui tranſtulit ſuum domicilium ad aliam, litteræ non ſuffragantur. Unde cauſa ob delationem armorum poteſt cognoſci à Curia ſeculari.

Alia alibi adduximus.

Consultatio CXXXIV.

De Foro competente, ſive de Judice quò ad Hæreticos, Maleficos, Sortilegos, ac alios de hæreſi ſuſpectos. Ubi plurium Authorum hallucinationes, & errores recenſentur, ac refelluntur.

Hanc rem ita breviter, ac perſpicuè definio. Aut maleficium, ſive ſortilegium eſt qualificatum, & ſimpliciter hæreticale, quia vel facto, vel verbis manifeſtam hæreſim ſapit, & certum eſt hujuſmodi judicium ſpectare ad Epiſcopos, & Inquiſitores privativè quò ad Judices laicos, ut fuſiùs infrà.

Aut non eſt qualificatum, neque manifeſtè hæreſim ſapiens, ut ſunt ſortilegia, philtra, unguentum armarium, id eſt medicameotum parvi lintei tincti ſanguine vulnerati, & id genus alia, tunc etiam de eo Epiſcopi, & Inquiſitores tantum cogooſcunt privativè quò ad Judices laicos, licet olim eſſet mixti fori, ut in cap. accuſatus 5. ſanè de hæret. in 6. Quia in cauſis fidei, ac fidei ſuſpicionis Judex laicus non ſe ingerit. In maleficiis enim, & ſortilegiis, etiam ſimplicibus, & oon qualificatis, adeſt, ut plurimùm, hæreſis ſuſpicio, & tacita Dæmonis invocatio. Et ideo locum amplius non habet opinio, quod crimen talis maleficii, vel ſortilegii, ſit mixti fori, ut decretum eſt in Conſtitutione Innocentii VIII. quæ incipit *ſummis deſiderantes*, & Alexandri VI. incip. *Cum acceperimus*, ac Sixti V. cujus initium. *Cœli & terra Creator*, & docent Farinac. *de hæreſ. qu.* 181. *n. ult.* Souſa *lib.* 1. *cap.* 58. *n.* 3. Careoa *p.* 2. *tit.* 12 §. 15 *n.* 140. Diana *p.* 5. *tr.* 12 *reſol.* 10 aliique paſſim. Et ita ſervatur io praxi. Quid autem dicendum ſit de puris ſuperſtitionibus, quæ nullo modo hæreſim ſapiunt, alibi dicemus.

Non obſtat, quod nullum crimen pertinet ad S. Officium, ubi hæreſim ſapiat, & ſit occaſio abjurandi, ſaltem de levi, ſimplices autem ſuperſtitiones non ſunt hujuſmodi. Id quidem concederent Moura, Salelles, ac plerique alii conantes oſtendere ſuſpenſiooem aliquam exortam ex quolibet delicto ad S. Officium quomodolibet ſpectante, pertinere ad S. Officium, inſpecta ſaltem primæva illius inſtitutiooe. Unde à ſacris Canonibus illius Judices dicuntur Inquiſitores peſtis hæreticæ pravitatis, ab aliis Cenſores fidei. Quo io ſenſu decretum fuit in cap. accuſatus, de hæret. Id ſanè & Nos concedimus. At poſtea, ut quædam enormia crimina penitùs evellantur, commiſſi ſunt à ſummis Pontificibus aliqui caſus, qui nec hæreſim formalem important, neque manifeſtam hæreſis ſuſpicionem, & aliqui etiam caſus inducentes dictam ſuſpicionem, qui noo erant in uſu, ut ſollicitatio pœnitentis ad turpia, reddendo iidem Pontifices rationem, cur ex eo ſuſpicio hæreſis oriatur, dum ajunt nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, ut illis injuriam faciant. Quod tamen non procedit in ſollicitante ad turpia mulierem, dum ei miniſtrat Euchariſtiam, aliavè Sacramenta. Quia Conſtitutio ſolùm mentionem facit de Sacrameoto pœnitentiæ; Immo ne quidem ſi ad alia delicta non carnalia ſollicitaret pœnitentes, ut notat Sanctarel *de hæres. cap.* 46. *n.* 5. *concl.* 4. Caren. *p.* 2. *titul.* 6. *num.* 5. & Dian *p.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 20. Aliique apud ipſos. Nec pœnitentes ſollicitantes includuntur.

Sic etiam in Luſitania, & aliquibus aliis Hiſpaniarum Regnis inſtantibus illorum piiſſimis Regibus Pontifices conceſſerunt Inquiſitoribus procedere contra perpetrantes crimen nefandum, quod tamen non ioducit ſuſpicionem hæreſis, quidquid dicat Moura, licet dentur plura alia crimina graviora, ut probat D. Thom. 2. 2. quæ tamen non inducunt ſuſpicionem prædictam. Nec teſte eodem Moura, in illis partibus procedient à S. Officio coorra beſtialitatem, quæ tamen eſt gravior Sodomia etiam in genere luxuriæ, ut docet D. Thom 2. 2. *q.* 154. *art.* 12. *ad* 4. Quia Conſtitutiones Pii IV. & Gregorii XV. de Confeſſoribus ſollicitantibus, non extenduntur ad beſtialitatem, cum hoc non cæperit ibi graſſari, licet gravis ſit ſupremi Tribunalis recipere juridicè eos, qui ſponte comparentes ex Hiſpaniarum regnis ſe accuſant de Sodomia, vel beſtialitate. Atque decretum remiſſionis a Sanctiſſimo ad Cardinalem Vicarium, ut cauſam expediat cum gravibus pœnitentiis ſalutaribus, niſi fuerint præventi indiciis.

Ita quoque divinationes, ſortilegia, veneficia, incantationes, aliaſque ſuperſtitiones Sixtus V. ſubjecit S. Officio, vel potiùs quò ad illa, quæ ſapiunt hæreſim manifeſtam, quæ vocatur qualificata, noviter declaravit,

& conſuetudinem innovavit, ac Urbanus VIII. confirmavit, extenditque, & quò ad ſimplicia nuviter ſubjecit. Nam ſub aſtrorum, & aliorum vana obſervatione ad futura præcognoſcendum, vel ad quemcumque alium finem, intercedere conſuevit pactum cum dæmone, nihil magis appetente, quàm hujuſmodi vanitatibus homines a Deo avertere, qui exindè facilè alliciuntur. Curioſi ad pactum expreſſum, quod importat ſuſpicionem hæreſis manifeſtam, immo & abnegationem fidei Chriſtianæ.

Ut autem id exactiùs declaretur, ſupponendum eſt tanquam certum, alia eſſe ſortilegia & divinationes, quæ ſapiunt manifeſtè hæreſim, alia nequaquam. Primi generis ſunt, quæ ſpectant ad Necromantiam, & ad alias hujuſmodi ſpecies, de quibus alibi, quas D. Thomas docuit *2.2.q.95. art.3.* exerceri cum expreſſa Dæmonis Invocatione, ſive latria, ſive dulia adoretur, ut ait Sylveſt. *lib.3. de ſtrigimag. cap.1.* ubi quod idem addit de imperativo modo, intelligendum eſt ex officio, ut exorciſtæ; aliter enim ridiculum eſt Dæmoni imperare, cui nulla poteſtas in terra comparari poteſt, ut rectè annotant Salelles poſt Dianam & alios citatos à Carena, neque obedit, niſi illis, qui ſe ipſos illi dedicarunt, vel alligaverunt ex Guglielmo Pariſienſi, & Henrico de Haſtia. In cujus ſignum imperatur miſcendo ſacrificia, ſuffumigationes, & cætera. Sic quoque baptizans campanas, vel magnatem cum intercedat abuſus ſacramenti, redditur ſuſpectus de hæreſi, quòd nimirum credat inanimata eſſe capacia baptiſmi. Secundi generis ſunt, ut deferre orationem S. Leoni attributam in qua dicitur, quod qui eam detulerit, liberabitur certè ab Inimico, vel recitare *Pater noſter*, oriente Sole, tot vicibus, vel ex voce hominis repentè audita præſagire futura, invenire deperdita.

Sapere autem, ob factum aliquod vel dictum, hæreſim eſt exprimere ejus ſimilitudinem, ſive præbere indicia, & motiva, quibus intellectus non temerè, ſed prudenter ſuſpicetur, atque judicet, hæreſim latere in mente taliter operantis, vel proferentis. Cùm autem motiva fuerint valdè vehementia, ſive probabilia, dicitur manifeſtè ſapere hæreſim. Si autem minùs probabilia, minùs manifeſtè. Si autem certò cooperiatur habeaturque evidentia, non dicitur tantùm ſapere hæreſim, ſed exploratè cognoſcere. Judicium enim eſſet temerarium, ſi indicium probabilitatem aliquam induceret. Quomodo autem ratione perſonæ factum vel dictum aliquod inducat ſuſpicionem majorem, quam verè importet, alibi dicetur.

Duplex autem circa factum vel dictum operantis poteſt attendi præſumptio, vel ſapor hæreſis. Altera quidem generalis, ac veluti tranſcendens. Altera ſpecialis. Generalis videtur reperiri in quolibet peccato mortali, opere ſive dicto conſummato: Et hoc pacto communiter Patres, & Scholaſtici exponunt dictum D. Pauli ad Titum I. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Ubi etſi Paulus litteraliter ſolùm de Infidelibus, & de actibus exterioribus agat, ex quibus evidenter colligebatur non adeſſe in mente illorum veram fidem, quam ore fictè profitebantur; Attamen D. Thomas id extendit ad omnes peccatores ex illo 1. Joan. 2. *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* In quo loco, ita inquit Cajetanus, ex cuſtodia, vel non cuſtodia mandatorum divinorum pendet noſtra notitia de interna in nobis, Luce. 1. ad Timoth. 5. *Qui non habet curam ſuorum, & maximè domeſticorum, fidem negavit.* Quod tamen D. Thomas non de fide Divina interpretatur. Non enim ita aliquid ſpeciale importet contra fidem non habere curam ſuorum, quod non competat omnibus aliis peccatis juxta illud 2. ad Timoth. 3. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem abnegantes.* Ubi non fit ſermo de infidelitate propriè, ſed ex vi operis, & peccati, ut ſic, ut ibi declarant Cajetanus, ac recentiores interpretes, alioquin quolibet peccato lethali fides amitteretur, quod eſt hæreticum ex Concilio Trident. *Seſſ. cap. 5. & Can.28.* ac docent Fr. Ægid. *ad 1. 2.q. 1. art.6. qu.10. §.5. ad 6.* Medin *ibid.* Leſſ. *lib. 1. de prud. dub. 4.* Alvarez, Vaſquez-Lotia, Araujo, aliique. Unde non audiendus eſt Moura falsò credens peccata aliqua carnis enormia ſapere hæreſim manifeſtam, quem ſequi videtur Salelles, ideoque, ajunt, reddere operantem ſuſpectum de hæreſi.

Infidelitatem autem generaliter dictam, oriri ex quolibet peccato lethali, obſervant Theologi cum D. Thoma *loc cit.* ex Philipp. 3. *Quorum Deus venter eſt:* Quod magnificaciunt in ſuggeſtis verbi Dei Præcones; Nam peccator, quantum eſt ex ſe, & ex vi operis per peccatum lethale ita conſtituit ſuum ultimum finem in creatura, ut eſſentialem quantum eſt ex ſe, à Deo tollat, abnegetque illius eſſe, quod docet D. Thom *lect.4 ad tunl. 1.* ubi ſic ait: *Qui peccat, quantum eſt de ſe, negat Deum factis, quia confitetur Deum, confitetur & ejus poteſtatem ſic quod eſt ei obediendum, Et ideo ſi non obedit peccando negat factis, quod confitetur ore.* In ſimili ſenſu Paulus ait ad Hebr. 6. *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei.* Id confirmat Cajetanus *Commeno in dictum locum Pauli ad Philip.* inquiens, *ventrem habent pro Deo, utpotè præferentes illum reliquis, quæ amantur.*

Et quidem ex doctrina D. Thomæ *p 1 q.63 art.1. ad 4 p.2.q.5.art.2.& q 77.art & 2.2.q.51.art.3.ad 2. & q.53.art.2.* ac ſæpè *alibi.* Lethaliter peccans ſaltem ratione inconſiderationis volitæ non poteſt ſe determinare voluntate ad aſſenſum peccati, quin antea intellectus practicè judicando hic & nunc, penſatis omnibus circumſtantiis proponat ſibi melius eſſe, vel moraliter dumtaxat, vel abſolutè ac ſimpliciter peccato conſenſum præbere, quam non, cum liberè relicto bono honeſto, ac vere utili anteponatur delectabile. Hoc autem judicium, ut ſic, non ſolum adverſari prudentiæ, ſed formaliter etiam fidei, ut tradit Medin. *d. art. 6.* Vaſquez *in 1.2 q 77. art. 2. diſp. 128. cap 1.* Suarez *tom.1 de relig li. 4.cap.1.* Dictamen namque fidei eſt, malum eſſe naturaliter, ac ſimpliciter hic & nunc, omnibus conſideratis circumſtantiis in peccatum conſentire.

Hinc non eſt admittenda apud Mouram de Enſalm. Sect. 3. quorumdam interpretatio Conſtitutionis Gregorii XV. contra Confeſſarios ſollicitantes, quod ſcilicet verba illa *Nos in animum inducere nequeuntes, quod ille bene ſentiat de fide, qui male utitur Sacramentis*, intelligenda ſint de hac generali præſumptione, quæ omne peccatum concomitatur, qua tanquam ratione topica motus ſit Pontifex ad ſubjiciendum ejuſmodi crimen Inquiſitoribus. Nam id videtur expreſsè adverſari tenori prædictæ conſtitutionis, ac intentioni ſummi Pontificis. Non enim eſſet ratio magis trahens ad ſubjiciendum per ſe Sacro Tribunali hoc crimen, quàm quodlibet aliud, licet etiam abſque ſuſpicione hereſis, aliqua crimina dignis de cauſis ſint ſubjecta S. Officio, etiam præventivè quò ad alios Judices Eccleſiaſticos, & Seculares, ut Sodomiæ, in quibuſdam provinciis Hiſpaniarum vel cumulativè cum Ordinariis, ut malè loquentes de Religionibus approbatis.

At quoniam ex à Nobis dictis videtur inferri fidem amitti quolibet peccato lethali, ideò D. Thomas *in eumdem locum Pauli ad Titum* hanc difficultatem proponit, ac diluit his verbis. Sed dices: *Quicumque negat Deum, eſt infidelis. Peccatores negant Deum factis. Ergo ſunt infideles.* Cui argumento ita reſpondet. Sicut habens ſcientiam in univerſali poteſt errare in particulari, ita habens fidem in univerſali, in particulari tamen agibili corrumpitur propter corruptionem affectus. 1.Timoth. §.5. *fidem negavit.*

Et quamvis Moura *cit. ſect. 3. cap. 2.* dicat, Divum

Thomam

Thomam non ſolvere argumentum, conceſſo, quod omnes peccatores neceſſariò deſcendant ad judicium præfatum, niſi fortè ex eo fides in illis non corrumpatur per accidens, quia invincibiliter ignoret hæreticum eſſe aſſentiri, & affirmare propoſitionem contentam in tali judicio. Fides autem poteſt ſubſiſtere ſine charitate. Nihilominus temerè id aſſerit Moura oſtenditque ſe non intelligere quid ſit, corrumpi fidem in particulari agibili, hoc eſt, quod practicè errat. Quo pacto Ariſtoteles ait, omnis ignorans malus, cum omne peccatum importet ignorantiam practicam, & convertitur peccans ad bonum delectabile, omiſſo honeſto ac utili practicè, & ex parte operis, non ex parte aſſenſus ſpeculativi; non quod peccans, ut falsò ſupponit Moura, invincibiliter ignoret hæreticum eſſe ſentire & affirmare propoſitionem contentam in tali judicio, ideòque fides corrumpatur tantùm per accidens. Hoc enim eſt ſupponere omnes peccatores idiotas, immo expertes omnino, ac imperitos doctrinæ chriſtianæ.

Neque ita etiam per accidens corrumperetur fides, cùm non adeſſet infidelitas, vel hæreſis illi contraria, quæ ſine judicio intellectus, ac hoc pertinacia, eſſe non poteſt. Sed quia hic & nunc devenit bono frui delectabili, non curans de bono honeſto, & rationis practicè, ignorans peccat, ſciens tamen, ac tenens ſpeculativè meliùs eſſe adhærere bono perenni ac infinito, quàm creaturæ.

Præſumptio verò ſpecialis, ſive ſapor aut ſuſpicio hæreſis oritur ex malis dictis vel factis, quæ reddunt loquentem vel operantem ſuſpectum de hæreſi. Communiter autem propoſitio ſapiens hæreſim illa dicitur, quæ prima verborum ſignificatione, & prima facie ſenſum habet hæreticum, licet pie intellecta ſenſum habere poſſit Catholicum. Illa verò ſapit manifeſtam hæreſim, quæ prima fronte præſefert saporem hæreſis manifeſtæ, ut per Symancham, Albertinum, Caſtrum, Bannes, Granadum, & alios: At Suarez *diſp* 8. *de fid.* s. inquit, eſſe illam, quæ opponitur propoſitioni, quæ ſequitur evidenter moraliter ex aliquo articulo fidei, ſive ſubſumatur altera præmiſſa de fide, ſive nota tantùm lumine naturali. Quibus addendum, dari gradus hujuſmodi ſuſpicionibus adeò, ut aliquis poſſit vocari levis, alter vehemens, cum clariùs una, quàm altera propoſitio veritati collectæ ex præmiſſa fide opponatur, & ſecundum hæc, ſunt etiam diſtinguenda diverſa genera propoſitionum, quæ levem, vel gravem ſuſpicionem hæreſis in mente latentis præſeferre poſſunt.

Qua in re advertendum, quod ex iſta ſuſpicione propoſitionis non coaleſcit factum hæreticale, ſive ſapiens hæreſim. Nam hæreſes manifeſtas involvunt facta hæreticalia, licet ex illis non ſit manifeſtum, operantem eſſe hæreticum, ut declarat Sylveſter, Barbatia, Oldradus, aliique Canoniſtæ, ſed ſuſpectum leviter, vel vehementer de hæreſi. Et in hoc valdè hallucinantur Moura, Delrius, ac plerique alii ab illo relati *cap. 2. d. ſect. 3.* Salelles, ac Torreblanca, neſcientes diſtinguere propoſitiones ſuſpectas tantùm de hæreſi, & facta hæreticalia, quæ reddunt operantes leviter, vel vehementer ſuſpectos de hæreſi manifeſta. Admittimus tamen etiam proferentes propoſitiones ſapientes hæreſim, ſcandaloſas, & malè ſonantes, piarum aurium offenſivas ſubjici Sacro Tribunali juxta gradum earum corrigendas abſque abjuratione; coguntur tamen illas retractare, vel declarare.

Facta pariter poſſunt exprimere mentem hæreſi infectam, vel generaliter, ut dicebamus, de quolibet peccato, vel ſpecialiter, prout videlicet ex hominum inſtituto inſtar verborum mentem exprimunt operantis illa hæreſi infectam, vel ex prudenti ac juridica præſumptione. Prima ſignificatio cognitu facilis eſt, habitâ notitiâ prædictæ inſtitutionis. In ſecunda eſt difficultas. Non eſt autem negandum aliqua opera ſuaptè natura juſtiſſimè fundare talem ſuſpicionem, v. g. abutens Sacramentis, vacantes Necromantiæ, ſic ordinatus in Sacris vel Religioſus profeſſus matrimonium contrahens redditur ſuſpectus de hæreſi, etiamſi tantùm in Societate Jeſu emiſerit vota ſimplicia, ut ſæpiùs declaravit Congregatio S. Officii, præcipuè ſub anno 1629. juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. adverſus oblatrantes in Religionem Societatis Jeſu. His caſibus addit Torreblanca *in epu. lib* 2 poſt Cirvelam, & Delrium, quando Judices pro locuſtis & aliis animantibus Promotori fiſcali conteſtantur litem, & deſignato illis Advocato, qui illorum defenſiones deducat, quaſi ratione ſint præditæ, ſententiam pronunciant, qua illis ſub excommunicationis pœna præcipitur agros deſerere, & extra territorium ſuum exulare, ſecus autem ſi iis maledicerent.

Hujus autem ſuſpicionis triplicem gradum, levis ſcilicet, vehementis, & violentæ hiſce verbis deſcribit Pegna *in 2. p. direct. com. 8. ac alibi*: Levis eſt, quę ſumitur ex ſignis externis operum, vel verborum ex quibus capitur conjectura, qua concludi poteſt, non quidem frequenter, ſed raro, ſeu caſu, quod talia dicens, vel faciens hæreticus ſit, ut blaſphemare frequenter. Vehemens eſt probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quę, alio non adducto, pro veritate habetur, ſigno inquam, externo operum aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens, frequenter, & ut plurimum, quod qui talia dicit, vel facit, hęreticus eſt, ut diebus prohibitis veſci carnibus, & reliqua deducta per Gloſſam *in cap. accuſatus §. ſanè de hæret.* Violenta eſt pręſumptio juris ac de jure, ſeu quędam legis diſpoſitio pręſumentis hęreſim in taliter operante, & ſuper hęreſi pręſumpta, ut ſuper hęreſi ſibi nota ſtatuentis adeo quod contra eam regulariter ac directè probatio non admittatur, quia ſcilicet ex illis factis, vel dictis ſolet concludi efficaciter, ac ferè ſemper hæreſis latens in mente operantis, vel loquentis quamvis poſſit aliquando de facto refelli ac purgari.

Quò ad modum autem procedendi ſuſpicio hæreſis violenta non diſtinguitur à ſuſpicione de vehementi, ut tradit Maſin. *in prax Crim. Caren. p. 3. tit. 12.* poſt Param. *lib. 3. q* 4 Genuenſ. *in prax cap.* 84. Ideoque ſublata eſt abjuratio ex violenta ſuſpicione, tàm in S. Officio supremę Inquiſitionis, quàm in aliis etiam Hiſpanis, ut ex Paulo Sarzia probat Carena *l. cit.* & nos *alibi.* Unde nunc omnis abjuratio eſt vel de hæreſi formali, vel de levi, aut vehementi ſuſpicione. Sicque modi iſti videntur diſtingui ſecundum majorem, vel minorem gradum probabilitatis. Quare ſi Judex ex motivis improbabilibus duceretur ad ſuſpicionem etiam levem, temerè ac injuſtè procederet. Differunt autem, quia levis fundatur in motivis remiſſe, ac vix probabilibus, & violenta in probabilibus, & efficaciſſimis moraliterque evidentibus.

Sapor itaque manifeſtus ex parte operis nihil aliud eſt, quàm opus pravum ita circumſtantiis affectum, ut præſeferat probabile motivum ſuſpicandi operantem habere in intellectu illum errorem, quem præſefert illud factum, ut exempli gratia, licitum eſſe rebaptizare puerum, vel divinationes ac ſortilegia cum expreſſa invocatione Dæmonis, aut abuſus Sacramentorum, aut certò prædicere de liberis. Quod factum involvit ſuſpicionem hæreſis negantis liberum arbitrium, & conſtituentis factum expreſsè acceptum.

Atque hinc diſtinctionem illam ſortilegii hæreticalis in hæreticalem hæreticum, & ſapiens hæreſim excogitatam à Delrio, Torreblanca, & aliis, à Salelle *tom. 1. reg.* 124. immeritò laudatam, nos tanquam ſupervacaneam novam, & falſam nulliuſque uſus refellimus. Nullus etenim Inquiſitorum, qui de hac re hactenus ſcripſerunt, de ea mentionem facit, fal-

sòque ſopponit Salelles, quod clariùs ex facto quàm ex propoſitione colligitur error intellectus, ut ſi quis inhumaniter cogat Mutuatarium ad ſolvendum uſuras, manifeſtiùs, ait, ex hac coactione cenſetur hæreticus, quàm ex propoſitione, ſi pertinaciter contendat, eſſe licitum ſumere lucrum ex mutuo, adducens ad id falsò etiam Locatum, Farinacium, & alios. Omnes ſiquidem Inquiſitores ſcribentes conveniunt ex facto hæreticali reddi dumtaxat operantem ſuſpectum de hæreſi, niſi ſit expreſſum & univocum. Ex propoſitione autem hæretica, hæreticum formalem. Unde illud præcisè, ſi aliud non emergat ex tortura circa intentionem, abjurat de levi, vel de vehementi; Si autem pravam ſuam intentionem fateatur, abjurat de formali, & pœnis hæreticorum ſubjicitur. Immo ſi convictus eſt, talem propoſitionem affirmatè, atque aſſeveranter protuliſſe, & negaverit, traditur, ut hæreticus negativus brachio ſeculari, præmiſſis cauteſis ab Eymerico, Pegna, & aliis adductis. Nec unquam apud Theologos auditum, Uſurarium extorquentem etiam dirè, ac immaniter uſuram, eſſe verè ac propriè hæreticum. Aliàs enim quiſque committens crimen enorme, eſſet hæreticus fidemque amitteret, quod ut diximus, eſt hæreſis manifeſta.

Quod autem ſit ſupervacanea, patet. Quia hæreticale tantum ſignificat factum implicare hæreſim, de qua operans redditur ſuſpectus. Hæreticus autem propriè dicitur ille, qui aſſeveranter ac pertinaciter propoſitiones expreſsè contra fidem Catholicam pronunciat, quod debet poni ut adjectivum operis, ideoque meliùs dicitur factum hæreticale, vel qualificatum. Undè apud Canoniſtas pro eodem accipitur factum hæreticale & ſapiens hęreſim propriè verèque loquendo. Quare non propriè nequè verè loquitur Salelles *loc. cit.* poſt Mouram aſſerens ad factum verè ſapiens hæreſim ſufficit, ut qui, ſimpliciter aſſerens aliquid quod eſt contra fidem, illud faciat. Vel enim loquitur de facto ſapiente hæreſim manifeſtam, & ſic eſt idem quod factum hæreticale. Vel de facto importante ſolum aliquid ſapiens hæreſim, aut errorem, & non hęreſim manifeſtam, ut contendit Moura ibidem & ſic factum non dicitur ſapere hæreſim, aut reddere ſuſpectum de hæreſi. Si enim ex prolatione non eſt hæreticus, neque ex facto erit ſuſpectus de hęreſi. Undè non coguntur abjurare facta illa committentes imò nec ea aſſeverantes, imò nec etiam affirmantes propoſitiones erroneas collectas ex una fide, & ex altera evidenti lumine naturali, licet reputentur à pluribus hæretici præſumpti, de quo Caſtropal. *in oper. mor. p.* 1. *tractat.* 4. *diſp.* 3. *cap.* 2. Sanchez *in ſum. lib.* 2. *cap.* 8. Diana *p.*4. *tr.* 8. *reſol.* 79. Caten. *p.*2. *tit.* 1. § 6. Bannes *in* 2. 2. aliique. Præterea ſi omnis qui facit aliquid, quod ſi affirmaret eſſe licitum, contra fidem pronunciaret, dicitur ſapere hęreſim à Salelles, nullus eſſet peccans, qui non eſſet ſuſpectus de hęreſi.

Denique ſupervacanea & falſa probatur hujuſmodi diſtinctio, quia ſortilegia, quæ non ſapiunt hæreſim manifeſtam, quæque abſolutè dicuntur ſimplicia, & cum pacto tantùm implicito, ut ſortilegium ad inquirendum vanè de futuris non liberis abſque alia circumſtantia implicante hæreſim manifeſtam, non debent affirmari, quod habeant ſaporem hæreſis, ut contendit idem Salelles ex Delrio, aſſerens etiam falsò Dianam, & Spinam, aliquam, dicens, ſuſpicionem probabilem, ſaltem levem de hæreſi occulta importare, quia reperiuntur hæreſes illi oppoſitæ; ſic enim omnia peccata inducerent ſuſpicionem levem de hæreſi, ſaltem occulta quam deberent peccantes abjurare, quod planè eſt improbabile.

Eodemque modo impognamus modum dicendi ejuſdem Delrii, Torreblancæ, & Mouræ, quem ſequitur Catena *d. p.*2. *tit.* 2. §.4. & Salelles *loc. cit.* quod ſcilicet ſortilegium, quod fit candelâ benedicta accensâ, aquâ ſancta, aut alio ſacramentali, eſſe hæreticalia. Sed ſi ſolum pactum tacitum interveniat, & non ordinentur ad pravum finem, non eſt cur hæreticalia dicantur, & cogantur Sortilegi abjurare de levi, aut de vehementi. Moventur, quia credere, quod res ſacræ poſſint inſervire ad tales effectus, eſt manifeſta hæreſis, & hanc ad minus ſapiunt, ait Salelles, hujuſmodi ſortilegia. Verùm id eſſet nimis durum teſte Julio Claro, Barbatia, & omnibus Inquiſitoribus, ex hoc tantùm declarare quempiam ſuſpectum de hæreſi, illumque cogere ad abjurandum. Quod ſi motivum Salelles verum eſſet, omnis quidem peccans, ut dicebamus, eſſet ſuſpectus de hæreſi, atque adeo teneretur abjurare. Et ſanè recitare tantum orationem dominicam, quia fuit aſſertum à Vetula, quod qui illam recitaret v. g. dum dicitur Miſſa, certò ſanabitur ab infirmitate, eſt abuſus. Sic quod deferens candelam benedictam accenſam inveniet theſaurum abſconditum, vel furtum. At nemo dixerit, tales declarandos eſſe ſuſpectos de hæreſi, & cogendos ad abjurandum, ne quidem de levi, ſed juxta praxim ſupremi Tribunalis. Tales expediuntur ſine abjuratione, cum gravibus pœnitentiis ſalutaribus.

Objiciet fortaſſe quiſpiam. Poteſt dari factum tam manifeſtè hæreſim latentem importans, ut operans non ſolùm reddatur ſuſpectus de hæreſi manifeſta, ſed etiam judicetur hæreticus formalis; Exempli gratia adorans Idola, aut Mahumetem, non luxuria dementatus, ut Salomon, neque ex metu, ut Marcellinus, aut ex populari conniventia, ut Seneca, ſed abſque ullo motivo extrinſeco, unde videtur convinci, quod adhæſerit hæreſi formali, quod nimirum liceat adorare Idola. Ergo illud factum dicetur hęreticum, & non hæreticale. Confirmatur id ex D. Thoma *part.*2.*q.*97. *art.*3. docente, quod ſicut voluntas hominis manifeſtatur verbo in rebus agendis, ita & manifeſtatur facto. Unuſquiſque enim eligere videtur bonum quod opere implet. Ex quo probat legem Principis abrogari per actus multiplicatos populi, quatenus Princeps virtualiter conſentit, unde & conſuetudo, quemadmodum exponit eo loco Martinez, Curiel, & alii, in quantum ſcilicet per exteriores actus multiplicatos interior voluntaris motus, & rationis conceptus efficaciſſimè declaratur. Cùm enim aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio id provenire. Et ſecundum hoc concludit D Thomas, conſuetudinem habere vim legis, legemque abolere, aſſequi legum interpretationem. Id autem, ut clarius ſolvatur, ſit.

Consultatio CXXXV.

An ex factis hæreticalibus poſſit quis declarari hæreticus, etiam negativus?

Moura *de Enſalm. ſect.* 2. *cap.*1. *n.*36. poſtquam retuliſſet centum ſupra viginti quatuor, tum hæreticos negativos, & confitentes, tum ſuſpectos de hæreſi condemnatos publicè coram Philippo III. à S. officio Luſitano, nominatim Ludovicum de la Penha, magum Eborenſem, qui Aſmodæum adoravit, fidem abnegavit, obtinuitque ab eo poteſtatem ad fœminas excantandum, ac prædicendum futura, ſubdit, quando contra prædictos proceditur ex aliquibus tantum exterius operibus magiæ, & familiares cum dæmone, ipſique poſtea examinati fatentur, ſe interius dæmonem adoraſſe, utque verum Deum habuiſſe, eo tamen animo duntaxat, ut commodum aliquod ab illo perciperet, difficillimum eſt definire, an verè in hæreſim inciderint, fidemque amiſerint, ita, ut abjurent in forma

ma,& pœnis reliquis hæreticorum ſubjiciantur. Nam difficillimum eſt definire, homioem inter nos educatum, & inſtructum, quique ſimul fateatur, ſe perſuaſum habere, dæmonem eſſe à Deo damnatum ad inferna, credere ipſum eſſe verum Deum. Maximè quia non cogitur ad id credendum, tam ex motivis intrinſecis, quæ id reddant credibile, quàm ex motivo intrinſeco utilitatis, quam tantùm intendit. Quare cùm Judices fidei teneantur ſimul advocati munere fungi, magno prius examine, magnaque prudentia opus eſt, quàm deveniant ad reum in hiſce caſibus, tanquam formaliter hæreticum condemnandum.

Duardus verò in Bulla Cœnæ *lib. 2. can. 1. q. 12. §. 5.* ſic ait, nec ſtatim, quod aliquis utitur habitu infidelium, in Foro exteriori eſt judicandus apoſtata. Quia hoc aliquando ſine peccato fieri poteſt, ut legitur de B. Sebaſtiano, qui ſub chlamyde militari Chriſti militiam agebat occultam, niſi eſſet inſtitutum aliquod determinatum ſignum ad cognoſcendum profeſſorea alicujus damnatæ ſectæ, ſic enim peccaret mortaliter ex Farinacio, Sylveſtro, & aliis. Immo in foro exteriori præſumitur apoſtata.

Paramus autem *lib. 2. de orig. S. Inquiſit. q. 9. §. 90.* tradit tranſitum ad ritum Judaicum, aut infidelium importare violentam præſumptionem hæreſis. Quod comprobat ex variis exemplis, quæ affert ex Albertino, Pegna, Zanchino, & Symancha. Et Souſa ſic advertit *in aphoriſm. lib. 1. cap. 13.* Verba & facta dubia, quæ in bonam, & malam partem poſſunt accipi, præſumuntur in bonum ſenſum dicta, & facta. Ex modo autem proferendi, aut aliis circumſtantiis probatur intentio apud Leſſium, Pegnam, Caſtropalaum, Ledeſmam, & alios. Poſſet tamen aggravari reus, ſi jam adhæſerit ſimili hæreſi.

Ipſe Albertinus *de agnoſc. propoſ. qu. 8.* putat, quod ſi quis evidenter redierit ad ritum Judaicum, convincitur de credulitate hæretica per textum *in cap contra Chriſtianos de hæret. in 6.* Et ita de hoc, & hujuſmodi caſibus concludit Catena poſt Dianam *p. 4. tr. 7. reſol. 34.* Atque in hoc ſenſu intelligendus eſt Monra, & Paramus, ac ita declarat ex Eymerico Pegna *p. 2. com. 59.* citans Panorm. *in cap. Cum te n. 29. de judic. & in cap. ad hæc num. 3. de appel. ac l. nam ludus, & l. item Mela, ff. ad leg. Aquil.* Hæc enim facta pro manifeſta probatione habentur, cùm ex illis oriantur juris præſumptiones. Juris autem præſumptiones verè ac propriè probationes dicuntur *l. fin. ff. de prob. Jaſ. in lib. 1. num. 9. C. de teſtam. mil. & l. licet Imperator num. 8. ſ. de legat. 1.*

Pro dilucida hujus rei deciſione eſt advertendum, non eſſe quæſtionem de ſpontè confitentibus facta quælibet hæreticalia. Nam iis creditur in S. Tribunali, ſicut pœnitentibus in foro interiori. Et ideò ſi dicat, commiſiſſe facta hæreticalia ſine infidelitate in intellectu, abjurant tantùm de vehementi; Si autem fateantur errori adhæſiſſe, abjurant de formali, impoſitis gravibus pœnitentiis ſalutaribus.

De præventis autem indiciis eſt difficultas, an ex factis debeant declarari hæretici ex eo, quod confiteantur factum hæreticale, pravam intentionem negando, anve tunc debeant torqueri ſuper intentione, & ſi rectam dicant habuiſſe, abjurare debeant de vehementi; ſi verò pravam de formali, ut ibidem ex Eymerico ſtatuit Pegna, & proſequitur Catena alios adducens. Sed eſſe ut hæreticum negativum condemnandum tenet Caſtropal. *tr. 4. diſp. 11.* Si autem factum ipſum negent, de quo convicti ſunt, & conſequenter etiam pravam intentionem, debent declarari hæretici negativi, ut ex Eymerico idem Pegna, Catena, & alii apud ipſos, addentes plures cautiones, & annotantes rem hanc eſſe dubiam, valdeque difficilem.

Advertendum item eſt, non eſſe difficultatem, quando facta hæreticalia commiſſa ſunt coactè, vel metu, aut ob aliquod commodum, ſed de ſponte peractis. Et de his aliqua ſunt facta, in quibus error ita exprimitur manifeſtè, ut nullo modo poſſint in bonam partem accipi, ut reditus ad ritum Judaicum cum ſolitis cæremoniis, ac promiſſionibus relatis ab Eymerico *q. 44.* & à Pegna *ibidem.* Sic idolis genua flectere, communionem ritu hæreticorum accipere, more Judæorum circumcidi, Mahometo divinum cultum exhibere, & hujuſmodi alia: Vel non ita exprimitur, ut alimoniam hæreticis præbere, eos comitari, defendere eorum perſonas, & ſimilia. Ex his quidem, licet ſuſpicio hæreſis oriatur, non tamen hæreſeos credulitas inde habetur, & idcirco in eos, qui hæc committunt, non poterit procedi, tanquàm contra hæreticos, aut hæreticorum credentes, ſed ſolum tanquàm contra ſuſpectos, cùm talia facta interdum committantur amoris, as libidinis cauſa, ſæpe precibus amicorum, aliquando pretio, ut etiam tradit Guido Fulcod. *in conſult. ad Inquiſ. qu. 9.* quem ſequitur Eymericus *quæſt. 50. numero 4.* & ejuſmodi ſunt carnium diebus vetitis, ſollicitatio ad inhoneſta in Sacramento pœnitentiæ, de quibus Catena *part. 2. tit. 1. §. 20.*

Difficultas igitur præſens verſatur in factis primi generis, & de iis aſſero primo. Committens hujuſmodi hæreticalia, ſiquis confiteatur ſe ea ſine infidelitate commiſiſſe, eſt torquendus ſuper intentione, & ſi rectam affirmet, abjurabit tantum de vehementi, ſi pravam, de formali, ac ſubjicitur pœnis hæreticorum. Ita ex Eymerico, & Pegna *loc. cit. & p. 3. com. 110.* Symanch. *de cathol. inſtit. tit. 25. num. 52.* Cantera *in quæſt. crimin. rubr. de hæret. num. 69. & ſeq.* Graſſ. *lib. 2. d. cap. 5. num. 15.* & ſervatur in praxi in ſupremo Tribunali, confirmatque Genuenſ. *in pr. cap. 68.* Farinac. *q. 179.* Catena *d. part. 2. tit. 1. §. 20* Sylveſt. & Diana & alii. Nam crimen hæreſis reſidet in intellectu, eſtque occultum. Unde S. Officium ſolet ex tormentis, & quæſtionibus explorare cognoſcere, an bene, anve male de fide ſenſerit reus, ut notavit Zanard. *in ſum. tom. 2. cap 94.* Neque huic aſſertioni opponuntur Albertinus, & Paramus locis citatis, ſed ſolùm ſentiunt cum ſequenti aſſertione.

Aſſero ſecundò. Si reus neget factum, de quo eſt convictus, & catholicum ſe profiteatur, debet condemnari ut hæreticus negativus. Atque hæc eſt Autorum, quos ſupra retuli, ſententia. Cùm enim factum ſuaptè natura damnatum, & malum ſit, atque univocum, ut ſupponimus, præſumitur mala intentione factum *l. ſi non convicii C. de injur. capit. 1. de præſumpt.* traditque Archid. *in cap. quicunque de hæret.* his verbis: *Indicia, ſive facta, quæ ad bonum retorqueri non poſſunt, nec ad aliud, niſi ad illud quod expreſſe prædicant, pro probationibus ſunt habenda,* & comprobat Concilium Narbonenſe verbis allatis poſt Eymericum à Pegna *p. 3. com. 48.* Quænam autem requirantur ad condemnandum hæreticum negativum, vide apud eoſdem Autores. Illud præcipuè requiritur, quod debeat convinci per teſtes omni exceptione majores, etiam de credulitate, exempli gratia, quod quis aſſeruerit verba, illaque credere, & credenda ab aliis eſſe; Idemque de factis dicendum eſt, obſervat Albertinus. Difficile tamen eſt, id judicare, ut cenſent Royas *de hæret. part. 1. num. 276. & ſeqq.* Pegna, Catena, & alii. Et de hujuſmodi factis Eymeric. *p. 2. q. 50.* inquit, nec refert, an quis voluntatem ſuam verbis exprimat, aut factis *l. contra ff. de legib.* Deque his Chryſoſtomus *in pſalm. 13.* ait. *Quanto facta ſunt potentiora verbis ad perſuadendum, tanto factis, quàm dictis Deum negare gravius eſt.* Sicque intelligendum plus aliquid factis demonſtrari, quàm verbis *l. ſi tamen § eo, qui ſervum C. de inſtit.* Fatendum tamen ex Ariſtotele *lib. 1. de interpret.* quem ſequuntur Paramus, & Moura ex *l. ſi non convicii C. de injur.* verba per ſe loquendo magis ſignificare mentem edentis, ac rem ſignificatam, cùm ſint ſigna formalia per ſe inſtituta ſolum ad ſigni-

gni-

gnificandum. Mens enim, ait Tiraquellus *in l. unquam* eſt radix verborum, & cor eſt Imperator linguæ, ſuntque voces notæ earum, quæ in anima ſunt paſſiones, ut annotat poſt Ariſtotelem Baldus *in cap. mand. ſub initio de reſcript.* Unde Math. 18. *Loquela tua manifeſtum te facit*, de quo Cicero *lib. 1. de legibus*, & Pegna *com. 18. in quaſt. 50. part. 2. direct.* §. *factis autem* ſic ait: Multo facilius eſt cognoſcere credentes hæreticorum ex verbis quàm ex factis. Unde initio delegatæ inquiſitionis valde dubitatum fuit ex quibus factis aliqui poſſent judicari credentes hæreticorum erroribus. Verba enim poſſunt etiam eſſe æquivoca, non ſolum ſecundum ſe, ſed etiam ex modo pronunciandi, ut ſi referendo, ſi joco, ſi ex ira, ut blaſphemans.

Advertit tamen prudenter idem Pegna, quod, licet ex his factis fictione juris præſumatur hæreſis, vel apoſtaſia, nihilominus verò cùm illa præſumptio ſit tantum præſumptio juris, poterit adverſus eam probatio in contrarium admitti ex Bartolo, Jaſone, & aliis. Poteſt enim reus ſe excuſare, quod adoraverit idola ob amorem, ut Salomon, vel ob metum ut Marcellinus, vel alia de cauſa, ſine aliquo errore intellectus; non autem ob ſolum metum, ut perperam limitat Caſtropal. *d. tr. 4. diſp. 8. pun. 10. num. 3.* Et ſufficit quælibet præſumptio, indicium aut ſemiplena probatio defenſiva ad infuſcandam Fiſci probationes, quæ eſſe debent luce meridiana clariores. Quod debet vel maximè in cauſa hæreſis obſervari, unde non ſufficeret ad ordinariam condemnationem, ut docent communiter Doctores, præſertim Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 48. numero* 8. Farinac. *qu.* 80. Immo ex Moura, Maſino, & Pegna debent Inquiſitores has defenſiones omni diligentia veritatis amore, ac zelo juſtitiæ quærere. Fateor tamen haud facile hæc perſuadentur, nec Judices debent excuſationes admittere, niſi cum quæſitiſſima animadverſione. Quis enim facile credat à volente, & non coacto hæc abſque errore intellectus fuiſſe perpetrata?

Ex quibus patet reſponſio ad rationem dubitandi, ſuperius allatam, quæ fuit occaſio hujus dubii, admittendo facta hæreticalia. Et licet hæretica dicerentur, non tamen faveret Adverſariis. Aiunt enim, præſertim Salelles, factum hæreticum eſt, quod veritati catholicæ repugnat materialiter, & hoc vocatur à Canoniſtis hæreticale, aut ſapiens hæreſim, nec alio modo facta ſunt hæreticalia, aut ſapientia hæreſim, ut liquet ex jam dictis.

CONSULTATIO CXXXVI.

An & à quo tempore ſubjiciantur S. Officio committentes ſortilegia qualificata? Et quid ſi non ſint qualificata, neque hæreticalia, ſed ſimplicia, ita, ut nullo modo reddant ea committentes ſuſpectos de aliqua hæreſi, ut colligere herbas ſub aurora, tribus diebus aſpiciendo Solem, & hujuſmodi alia?

AD primum. Eymericus *p. 1. direct. q. 42.* ſequens Oldradum, tenet, ſortilegia tantum qualificata, & quæ ſapiunt manifeſtam hæreſim, pertinere ad Inquiſitores *per textum in cap. accuſatus* §. *ſane, de hæres.* ubi ſic habetur. *Sanè cum negotium fidei, quod ſumme privilegiatum exiſtit, per occupationes, aliàs non debeat impediri, Inquiſitores peſtis hæreticæ à ſede Apoſtolica deputati, de divinationibus, aut ſortilegiis, niſi hæreſim ſapiant manifeſtè, intromittere ſe non debent, nec punire talia exercentes, ſed eos relinquere ſuis Judicibus.* Perſpicue etiam *in cap. ex tuarum de ſortileg.* ubi dicitur, quod Ulricus Presbyter cum quodam infami, ſcilicet divinatore, ut ait Gloſſa, ad ſecretum locum perrexit, non ea intentione, ut dæmonem invocaret; quaſi dicat, quia hoc reddidiſſet ejuſmodi factum hæreticale, ſed ut inſpectione aſtrolabii furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſet recuperari, quaſi dicat, quod eſt mera divinatio, vel ſimplex ſortilegium.

Hanc ſententiam ſequuti ſunt communiter Doctores ante Conſtitutionem Sixti V. licet aliqui, ut Autores Mallei, ne iſta quidem contendebant eſſe ſubjecta S. Officio, quos impugnat, & piè excuſat Sylveſt. *lib. 3. cap. 1. de ſtrigimag.* cùm hoc dixerint ex zelo procedendi contra hæreticos. Illamque tuentur Inquiſitores Hiſpani, ac Germani, ut patet ex eorum malleo, qui proinde maleficarum appellatur. Quare hodie nulla eſt difficultas, quin ſortilegia, & divinationes, quæ ſapiunt hæreſim manifeſtam ſpectent.

Ad ſecundum. Plures tenuerunt hæc non ſpectare ad Inquiſitores, dum cenſent San. Tribunali ea tantum committi, quæ ſapiunt hæreſim. Id tenet Suarez *l. 2. de ſuperſtit cap. 18. n. 11. & ſeq.* cum aliis quos allegat. Immò putat, id eſſe mixti fori, niſi reus ratione perſonæ ad Judicem tantùm Eccleſiaſticum pertineat, quo caſu puniendus eſt à Judice Eccleſiaſtico, *cap 2. de ſortil. & can. ſi quis Epiſcopus 26. q. 5.* reus eſt laicus, datur locus præventioni, ita ut à Judice, ſive laico, ſive Eccleſiaſtico præventive judicari, ac puniri poſſit. Quod comprobat Delbene *de offic. S. Inquiſ. part. 2. dub. 195. ſect. 70. numero* 4. Et hanc inquiunt eſſe ſententiam Abb. *in dic. cap 2. de ſortileg. numero 3. & 4.* Alderet. *in rubr. de hæret. numero* 13. Caſtr. *lib. 1. de juſta hæret. punit. cap. 16.* Clari *lib. 5. v. hæreſis. numero* 25. Biſfeldii *de confeſſ. malef. prælud. 14. pun.* 2. dicentis; *omiſſa tamen culpa hæreſis, vel ſuſpicionis, quæ ad aliud genus punitionis pertinet, & propterea eſt Inquiſitorum, crimen ſuperſtitionis ab unoquoque Judice juxta jus ſuum puniendum, à ſeculari per leges civiles, ab Eccleſiaſtico per leges canonicas, quæ maximè habentur in tit. de ſortileg. & 26. q. 5. & 7.*

Idem aſſerit Salelles *reg. 124. cap. 14. num. 366.* Inquiens: *Si quæ ſunt facta ſuperſtitioſa pura, & ſimplicia quæ à magia dæmoniaca non procedant, nec pactum etiam tacitum cum dæmone ſupponant, probabiliter iſta, ſecundum Suarez de relig. tom. 1. lib. 2. cap. ult. non ſunt comprehenſa ſub Conſtitutione Sixti V. nec de eis Inquiſitores cognoſcunt*, quia nec *occultè hæreſim ſapiunt, nec ad eam ullo modo tendunt, talia autem eſſe rariſſima meritò affirmat Moura ſect. 3. cap. 2. interpretans mentem Suarez, & tradit Diana p. 4. tr. 8. reſol. 107.*

At nihilominus tenendum eſt, ante Sixtum V potuiſſe procedere Inquiſitores contra committentes ſortilegia qualificata; ſed idem Sixtus, & Urbanus VIII. quod ad hæc ampliant illorum juriſdictionem, etiam quod ad caſus, in quibus antea procedere non valebant, ſicque declarant omnes recentiores, nominatim Carena, & ab ipſo allegati, ac ita demum ratione convicti fatentur Torreblanca, & Moura, ipſeque Sallelles. Implicat enim in edicto affirmare, aliquid eſſe ſuperſtitioſum abſque pacto, ſaltem implicito dæmonis juxta doctrinam D. Thomæ 2 2. *q. 25 ar.* 2. ac omnium Theologorum. Saltem enim dæmon ſe immiſcet variis inquiſitionibus futurorum, & in alia ſuperſtitioſa committentibus, quod ſufficere docet D. Thomas, aliique ad pactum implicitum. Immo Salelles ſibi contradicit, dum fatetur hæc ſortilegia ſimplicia importare ſuſpicionem hæreſis, ſaltem levem. Quod tamen non eſt admittendum, ſi de propria ſuſpicione levi loquamur; ſi enim hoc eſſet verum, procul dubio ſpectarent ad S. Officium, & aliàs abjurare deberent. Quod eſt contra praxim ſupremi Tribunalis, & aliorum, & contra Autores omnes, tractantes de cauſis S. Officii.

Et quamvis Torreblanca in epit. teneat ſententiam negativam quod ad ſimplicia experimenta, & divinationes, ibi tamen ſe retractat, & *lib. 11. jur. ſpirit. cap. 3.* etſi veris falſa immiſceat. Ait enim: Antiquitus

tus

tus ſortilegia, divinationes, maleficia, incantationes, & alia opera magica ad Inquiſitores hæreticæ pravitatis non ſpectabant, niſi probaretur ſapere hæreſim manifeſtam, ideſt, quod in ſortilegiis aliquis articulus fidei abnegetur, ſancta Crux pedibus conculcetur, Sacramentis, præſertim Euchariſtia abuteretur, dæmon in ducem ac patronum aſſumeretur, eique cultus & obedientia exhiberetur ex Conſtitutione Adriani VI. Innocentii VIII. Leonis X. & Alexandri IV. admittens contra aliàs à ſe dicta, ſacrilegia hæreticalia dici, quæ prima fronte præſe ferunt odorem & ſaporem hæreſis, vel exercentur cum aliquo dicto vel facto hæreticali, & ſubdit quod ſortilegia, quæ non ſapiunt hęreſim, puniebantur ab Epiſcopis, ac eorum Vicariis, immò & à Judice ſeculari præventivè quod ad Judicem Eccleſiaſticum, quia delictum erat mixti fori, additque hodie tamen poſt Conſtitutionem Sixti V. Inquiſitores procedunt contra omnia ſortilegia, divinationes, aliaque Artis magicæ experimenta, etiamſi hæreſim non ſapiant. Denique ſubjungit: quod cùm in nonnullis partibus Hiſpaniæ fuiſſet intermiſſum, à ſacro generalis Inquiſitionis ſupremo Conſilio fuit omnibus Inquiſitoribus ſcriptum anno 1615 ut prædictam Conſtitutionem obſervari faciant. Illud verò, quod ait, ſortilegia omnia & divinationes ſpectare ad pacta cum dæmonibus inita, & conſequenter continere apoſtaſiam à fide, & manifeſtam hæreſis ſuſpicionem, intelligendum eſt de pacto expreſſo, & ita loquuntur Autores, quos ipſe adducit. Non enim eſt admittendum, ſortilegia ſimplicia, quæ non important hæreſim manifeſtam, importare apoſtaſiam à fide.

Moura itidem *ſect. 3. cap. 1. & ſeqq.* tradit, ſuperſtitiones ſimplices non ſapere hæreſim manifeſte ac ſpecificè, ſed remotè. Quod ſi intelligatur de remota quadam ratione ob periculum incurrendi in ſuperſtitiones qualificatas, rectè loquitur. Id enim non reddit ſuſpectum de hæreſi, etiam leviter, alioquin incurreretur eadem ſuſpicio ex aliis peccatis majoris periculi. Si verò loquatur de generali ſuſpicione, non ſolum in eis, ſed in quolibet peccato datur occaſio talis ſuſpicionis. Itaque Moura in hac re nobiſcum ſentit. Quod autem addit, non eſſe in uſu apud Inquiſitores Eboracenſes contra ſimplices divinationes, ac ſuperſtitiones procedere, cùm nunquam viderit hæc tractari ſpatio decem & octo annorum, quo functus eſt munere Ordinarii in illo S. Tribunali, nullius eſt momenti. Tum quia loquimur de jure. Tum quia hæ cauſæ leves non proponuntur coram Ordinario, & Conſultoribus. Non enim ſunt de recenſitis à Clem. *multorum de hæret.* unde neque per eas abjuratio indicitur, neque tortura infertur, infertur, aut ſententia ad carceres, vel ad ſimilia pronunciatur, idque nec Inquiſitores apud nos hæc proponunt in Congregatione coram Epiſcopo, ſed ex ſe expediunt cum pœnitentiis ſalutaribus, ut ſæpe diximus.

Carena quoque *loco citato* id ipſum aſſerit, dum ait, de jure antiquo ejuſmodi ſortilegia, eſſe mixti fori, & dari locum præventioni inter Eccleſiaſticum, & ſecularem Magiſtratum; ſed nunc privativè quod ad laicos Judices. Quoniam, ait, omnia, quæ Inquiſitoribus delegantur, committuntur ratione hæreſis, vel ſuſpicione illius; indeque probat in ſimplicibus etiam divinationibus ac ſuperſtitionibus hanc ſuſpicionem intervenire, ſicut in omnibus cauſis S. Officii. Quod ſequitur Salelles poſt Mouram, fuitque aliàs improbatum. Hodie Doctores omnes recentiores, & Officiales S. Officii affirmativæ adhærent ſententiæ, & ita obſervatur in ſupremo Tribunali, & in aliis, in quibus expediuntur ſimplices ſuperſtitioſi abſque abjuratione cum debitis admonitionibus, & gravibus pœnitentiis ſalutaribus.

Ex his igitur primò aſſerendum eſt. Inquiſitores poſſunt, ac tenentur cognoſcere divinationes, & ſortilegia, quæ ſapiunt manifeſtam hæreſim *ex d. c. accuſatus*, & ex autoritate Doctorum. Idque ob præſumptionem juris. Quod ſanè poſt Conſtitutiones Sixti V. & Urbani VIII. certum omnino eſt. Nam hi Pontifices declarant, ampliant, confirmantque jus antiquum in *d. cap. accuſatus*, & in aliis ſacris Canonibus, licet non eſſent in uſu. Quod autem *d. cap. accuſatus* loquatur ſpeciatim de ſuperſtitionibus qualificatis, fatentur omnes, & textus ipſe id docet.

Secundò aſſerendum eſt. Poſt dictas Conſtitutiones poſſunt, ac debent Inquiſitores procedere contra divinationes, incantationes, & ſortilegia. Nam indiſtinctè idem Sixtus de omnibus maleficiis, ſortilegiis, divinationibus, & aliis quibuſcumque magiæ criminibus, præcipit cognoſci per Inquiſitores hæreticæ pravitatis. Et quamvis videatur ejus Conſtitutio ſpeciatim procedere contra Aſtrologos judiciarios, loquitur tamen etiam de veneficiis, aliiſque ſuperſtitionibus, ut comprobant Delatore, Carena, & alii relati à Sanchez, & obſervatur in S. Officio. Propoſita enim indefinita æquipollet univerſali. Præterea clarè loquitur Pontifex de divinationibus ac ſuperſtitionibus qualificatis, & non qualificatis, dummodo redoleant pactum implicitum cum dæmone, ſolumque excipit prædictiones naturales, quæ non appellantur divinationes ideoque omnes alias reprobat, & ſic omnia ſchemata genetliaca, & judicia de futuris hominum eventibus, etiamſi ipſi proteſtentur, ſe non certò affirmare. Probatur aſſertio ex §. 6. *ac ſeqq. dictæ Conſtitutionis* quæ ſic ait: *quod ipſi dæmones pravitate ſua, & odio in genus humanum, occultè etiam præter hominis intentionem ſe ingerant, & intrudant vanis inquiſitionibus futurorum, ut mentes hominum perniciofis vanitatibus, & fallaciis contingentium prænunciationibus implicent, & omni impietatis genere depravent. Quæ quidem ipſis cognita ſunt, non divinitate aliqua, nec vera futurorum ſcientia, ſed naturæ ſubtilioris acumine, & aliis quibuſdam modis, quos hominum obtuſior intelligentia ignorat.* Sufficit ergo, quod dæmon ſe immiſceat, quod ſolum importat neceſſariò pactum implicitum, nullam ex ſe inducens qualificationem.

Id amplius declarat Pontifex. dum divinationes omnes & alias ſuperſtitiones generaliter repetit §. 21. addens, *non ſine dæmonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione operam dare, ſeu aleis, atque ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticorum, fabarum*, &c. Quod certe ſolum importat ſuperſtitiones ſimplices, at tertii generis. Hoc ipſum confirmat dum §. 23. ſubdit, etiam expreſſa cum dæmone pactione facta. Plenius & apertiùs §. 28. inquiens: *aliis incantationibus, aut vanis, & ſuperſtitioſis obſervationibus futurorum, & occultorum hujuſmodi veritatem quærunt.* Et §. 32. *ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ.* Et §. 34. *Detectis Diaboli inſidiis, divinationum, ſortilegiorum, & variarum ſuperſtitionum omnia plena eſſe, in dies detegantur.* Et §. 49. repetit *ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, execrabiles incantationes, ac ſuperſtitiones continentur, ac in Judice interdicta ſub cenſuris ac pœnis.*

Ex quibus permanifeſtum eſt Conſtitutionem Sixti non ſolum procedere in divinatores ſimplices, ſed etiam in incantatores, & veneficos, ſortilegos, atque alios ſuperſtitioſos, quemadmodum fit in prædicto Judice. Confirmatur, quia ſubjungit, *etiamſi Inquiſitores de conſuetudine non procedebant, aut procedere non valebant.* At in ſuperſtitiones qualificatas procedebant antea Inquiſitores, ex conſuetudine, ut conſtat ex actis, & de jure etiam, quia ſapiunt hæreſim manifeſtam, ac proinde juriſdictio extenſa eſt etiam ad divinationes ſimplices. Immo Salelles *regul.* 124. cenſet multo ante id decretum fuiſſe ab Alexandro VI. in Conſtitutione, *Cum acceperimus*, & in alia incipiente. *Dudum* ſub an-

no

no 1523. apud Pegnam *in fine Directorii*, & Farinacium *de hæreſ. qu.* 182.

Tertiò aſſerendum eſt. Hæc juriſdictio non pertinet ad Inquiſitores privativè quod ad Ordinarios, etiam poſt præfatam Sixti Conſtitutionem. Nam in dubio ſemper vitanda eſt juris correctio, eoque magis, quia de jure antiquo ad Epiſcopos pertinebat cognitio harũ ſuperſtitionum ſimplicium, & non qualificatarum. Unde requireretur expreſſa derogatio quod ad hunc caſum ceù factum eſt ad favorem Inquiſitorum Hiſpaniarum.

Quartò aſſerendum eſt. Hodie ex decreto Pauli V. ſub anno 1606. Kal. Septembris hæc delicta, & quodlibet aliud ſpectans ad Inquiſitores, pertinet ad illos privativè quod ad alios Judices, præter Epiſcopum. Hoc aſſerui, ne errarent aliqui videntes, quod Sixtus cauſas prædictas committit Inquiſitoribus, & Ordinariis ac Superioribus Regularium. Nomine autem Ordinarii veniunt omnes habentes juriſdictionem Epiſcopalem. Hinc idem Paulus in Conſtitutione ſua, quæ incipit *Romanus Pontifex*, revocat omnes facultates Superioribus quorumcunque Ordinum regularium conceſſas cognoſcendi cauſas ſuorum ſubditorum ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantes, ſeveriſſimas imponens pœnas Superioribus Regularium ſe ulterius ingerentibus in hujuſmodi cauſis, eaſque illicò non deferentibus ad S. Tribunal. Unde extendenda eſt etiam ad ſortilegia non qualificata.

. Putat nihilominus Moura ibidem, quod non obſtante dicta Conſtitutione Pauli V. non ſpectent ad Inquiſitores Hiſpaniæ privativè quod ad ſuperiores Regulares hujuſmodi crimina. Tum quia mentionem illa tantum facit de hæreſi. Tum quia in his criminibus non eſt conceſſa juriſdictio privativè, etiam quod ad ſeculares Judices, ſed datur præventio. Id confirmat ex Conſtitutione Clementis VIII. de ſollicitantibus, in qua declarat crimen Confeſſoris ſollicitantis ſpectare ad Inquiſitores privativè quod ad illius ſuperiores. Unde putat etiam non eſſe privativè commiſſa quod ad Epiſcopos. Nam, inquit, Religioſi ex primævo jure magis exempti erant à juriſdictione Inquiſitorum in cauſa hæreſis, quàm ſeculares etiam Clerici, ut patet *ex direct. p. 3. q.* 28 ibique Pegna *com.* 77. Verba namque legis valent, ut ſonant. Sed non excipiunt Ordinarius, niſi expreſsè excludatur, ut patet ex communi praxi Inquiſitorum, procedentium cumulativè cum Ordinariis, uti Apoſtolicæ Sedis delegatis in cauſis Regularium ad fidem quomodolibet ſpectantibus. Additque, ſuperiores Regularium adhuc procedere in delictis præfatis mixti fori, & aliqui idem dixerunt de ſuperſtitionibus ſimplicibus, non importantibus hæreſim, vel ejus ſuſpicionem.

At Moura hìc errat. Quamvis enim Paulus V *in proœmio ſuæ Conſtitutionis, & §. 1.* juxta Conſtitutionem Pii IV. de his tantum loquatur, *in §. tamen 3. ac ſeq.* expreſsè decernit de cauſis omnibus quomodolibet ſpectantibus ad S. Officium. Quinimo prohibet ſuperioribus præfatis cognoſcere, an denuntiationes ſint, vel ne calumnioſæ. Et §. 4. ad ſe avocat cauſas omnes eorundem, jam motas, & pendentes, ad S. Officium quovis modo ſpectantes. Omnes enim ad fidem ſartam, tectamque ſervandam diriguntur, licet ſuſpicionem non importent, ut diras precari Religionibus approbatis, tranſgredi eandem Conſtitutionem Pauli V. & ſimilia. Incantationes autem omnes, divinationes, aliæque ſuperſtitiones commiſſæ ſunt S. Officio, & ſecundum plures Autores non ſolum à Sixto V. & Urbano VIII. ſed etiam ab Alexandro VI. Innocentio VI. & VIII. Julio II. & Adriano VI. apud Mouram *d. ſect. 3. cap. 5.* & à Joanne XXII. & ita communiter obſervatur.

Neque audiendus eſt Zerola *in pr. p. 2. v. Regularis*, obſervans ex Navarro Prælatos regulares de jure communi habere poteſtatem caſtigandi ſolum ſuos ſubditos in concernentibus eorum regulas, de jure autem ſpeciali ea ſolum delicta, quæ non ſunt depoſitione digna. Unde infert, illos non poſſe cognoſcere de hæreſi. Tum *ex citato cap. accuſatus.* Tum quia ex longiſſima conſuetudine reſervata eſt Epiſcopis, & Inquiſitoribus. Nam falsò id aſſeri à Zerola colligitur ex ipſa Conſtitutione Paoli V. Nec dictum *cap. accuſatus* aliquid exprimit in contrarium, docetque Joannes de Cruce *de ſtatu relig.* privilegia Regularium Mendicantium eſſe de jure communi, ſicque Zerola forſan loquutus eſt de Monachis antiquis, quorum monaſteria ſubjecta erant Ordinariis locorum, ſecus autem dicendum eſt, poſtquam Religiones Mendicantes, & Monachales fuerunt immediatè ſuſceptæ ſub immediata protectione Sedis Apoſtolicæ, exemptęque à juriſdictione ordinaria Epiſcoporum, quorum loco ſucceſſerunt earum Superiores.

Fatendum tamen eſt, quod ſicut leges canonicæ non imponunt pœnas rigoroſas, quemadmodum illas imponunt leges civiles, ita minus rigoroſas, imponunt in Regulares, ut patet de blaſphemiis apud Carenam, & alios. Mitius enim cum iis agitur, quia ſubjecerunt ſe libere jugo votorum. Unde eorum pœnæ ſunt expulſio à Religione ob graviſſimam culpam. In atrocioribus verò caſibus carcer perpetuus, nunc autem ergaſtulum, vel triremis. Et id tantum probat Zerola. Neque antea inter Regulares erat uſus torturæ, funis, & hujuſmodi, ſed torquebantur jejuniis, vigiliis, nunc autem inductus eſt uſus torturæ pro Clericis ſecularibus, & regularibus, maxime in crimine hæręſis. Verùm levius eſſe torquendos, tradunt Abb. *in cap. cum in contemplat. n. 6. de regul.* Pegna *in direct. p. 3. comm.* 110. Simanch. & alii, ac ita obſervatur in ſupremo Tribunali teſtaturque Genuenſ. *de praxi in pr. Archiep. Neapol. cap.* 55. Diaz. *in pr. crim. Can. cap.* 128. ubi Salzed. *in addit.* Cantera *q. 11. de reo*, Carena *p. tit. 1 §* 22 ubi, relata opinione Abbatis antiqui, & Abbatis Panormitani, an ad torquendos Clericos, vel Monachos, præter ſemiplenam probationem, requiratur infamia, concludit, adhærendum benigniori affirmativæ, quam ſequuntur Abbas antiquus, Simanchas, Pegna, Salzedo, Farinacius, & alii ab eo citati.

Non obſtat ex Moura, quod Conſtitutio Sixti V. eſt odioſa Inquiſitoribus, Ordinariis, & ſubditis, tum quia *d. cap. accuſatus* allevat ex parte onus plurium cauſarum, quæ ad S. Officium pertinent. Tum quia de jure tam antiquo, quàm novo ad Ordinarios ſpectabat cognitio dictarum ſuperſtitionum, non ſapientium hæreſim. Et tum quia ſubditis ſumme odioſum eſt pertrahi ad S. Officium, ut proinde Suarez dixerit, ſuperſtitiones ſimplices, & abſque expreſſa ſuſpicione hęreſis, non pertinere ad Inquiſitores. Atque adeò eſt reſtringenda ſolum ad ſuperſtitiones ſapientes hæreſim manifeſtam.

Nam reſpondeo, non eſſe odioſum inquiſitoribus ſuum munus agere ac ſummis Pontificibus obedire, eoque magis, quia per culum eſt, ne dæmon expreſsè colatur ex ſuperſtitione ſimplici cum pacto implicito, ut cum D. Thoma, Suarez, & aliis probavimus *alibi.* Et quia Inquiſitores ſunt Coadjutores Ordinariorum, & cumularivè procedunt. Unde prudentiores Epiſcopi, ut plurimum remittunt cauſas ad Inquiſitores ut teſtatur Carena *p. 1. tit. 4.* §. 5. & Simanchas Epiſcopus *tit. p. 5.* experientia doctus, fatetur comperiiſſe Vicariorum imperitia cauſas ferè ſemper ita confundi, ut nunquam veritas inveniri queat, verique fideles, & Catholici, qui deſiderant integritatem fidei, gaudent, quod ab utroque Tribunali Eccleſiaſtico procedatur, & S. Officium non commodo proprio, ſed publico procedit cum ſumma miſeratione. Cum enim pœnæ ſint graviſſimæ in jure civili contrà ſuperſtitioſos, incantatores, divinatores, ſi ſuperſtitiones ſunt ſimplices, expediuntur cum pœnitentiis ſalutaribus. Præterea cum juriſdictio inquiſitorum ſit Ordinaria quod ad utilitates juriſdictionis

ris delegatæ, ut cum Molina *de juſt. & jur. tr.* 29. alibi diximus, eſt utique ſummè privilegiata, atque adeò non eſt odioſa, ſed favorabilis, ac proinde amplianda.

Minus obſtat, quod Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* in his verbis: *Torquentes verba S. Scripturæ ad ſcurrilia, fabuloſa, vana, adulationes, ſortes, libellos etiam famoſos decernit ab Epiſcopis coerceri, arbitrariis etiam pœnis*, nullam faciat mentionem de Inquiſitoribus.

Quia S. Concilium non excludit Inquiſitores contra abutentem Sacra Scriptura, præcipuè ſi inducat ſuſpicionem hæreſis. Forſitan enim abuſus ſimplex tunc non ſpectat ad S. Officium, niſi ex Conſtitutione Alexandri VI. ut ſupponit Llamas *in* 3. *p. method. cap.* 4. *tit. de incant.* Moura *ſect.* 3. *cap.* 1. *n.* 5. Salzed. *in pr. crim. cap.* 11. uti examinans dictum locum Concilii ſic concludit; *Et quamvis ibi horum criminum punitio Epiſcopis demandetur, quando vero hæreſim ſapiunt, jure optimo Inquiſitores ad punitionem, & coercitionem illorum procedunt.* Quod proſequuntur Pegna *p.* 3. *direct. com.* 17. Catena, & alii. Dum enim punitio alicui committitur, cenſetur cumulativè, & non privativè commiſſa quod ad alios, qui eadem anteà potiebantur poteſtate. Quod non ſolùm comprobatur quando anteceſſores jure ordinario ea potiebantur, ut diximus ad favorem Epiſcoporum, ſed etiamſi ex privilegio Principis illa gauderent, cum privilegiis derogatio ſit odioſa, ut probat Joannes de Cruce, Rodriquez, Sutd. *cons.* 419 *n.* 5. & Gonzal. *ad Reg.* 8. *Gloſſ.* 36. *n.* 16. præcipuè quia juriſdictio Inquiſitorum eſt ad Univerſitatem cauſarum fidei, atque adeò eſt ordinaria. Unde idem Sixtus V. in ea Conſtitutione illud, quod Epiſcopis demandatum erat contrà libros Aſtrologiæ judiciariæ committit etiam Inquiſitoribus, ſive ſuperſtitio ſit ſimplex, ſive qualificata.

Pariter non obſtat decretum Pauli V quod refert Moura ſub initio *ſect.* 3. & ex eo Diana, & Catena. Cum enim anno 1613. certo eſſet dubia inter Ulyſſipponenſem Archiepiſcopum, & S. Tribunal, cuinam cognitio, & punitio Enſalmatorum competeret, conſulta Sanctitas ſua reſpondit in hæc verba: Servetur jus commune. In jure autem communi *d. c. accuſatus de hæret. in* 6. videntur excludi etiam Divinationes, & ſuperſtitiones qualificatæ à juriſdictione Inquiſitorum, atque adeò multo magis ſimplices.

Siquidem Paulus V. rectè reſpondit, quod ſervetur jus commune, ideſt non ſolùm *d. cap. accuſatus*, ſed etiam Conſtitutiones prædicti Sixti V. & Alexandri VI. ac ſi quæ aliæ ſunt circà ſimplices ſuperſtitiones, vel ita reſpondit ſecundum conſuetudinem Inquiſitorum Hiſpaniæ, quæ obtinet vim legis, ac privilegii, ex quo procedere poſſunt etiam privativè quod ad Ordinarios. Noluit enim ſapientiſſimus Pontifex, qui negociis Eccleſiæ per ſe ipſum aſſiduè vacabat unico verbo deſtruere Conſtitutiones ſuorum Prædeceſſorum, Conſuetudines, ac Privilegia, alioquin appoſuiſſet clauſulas derogatorias, ut fieri ſolet. Et quamvis Moura cenſeat *d. ſect.* 3. *c.* 1. Paulum accepiſſe jus commune, ut diſtinguitur contra conſuetudinem hæc tamen habet etiam vim à jure communi, unde poteſt illius nomine intelligi, aliàs faciliùs dixiſſet, ſervetur Conſuetudo, & prudentius unico verbo cuncta complexus eſt.

Consultatio CXXXVII.

An committens facta hæreticalia ſine infidelitate in animo, incurrat cenſuras, & pœnas in Apoſtatas, & in hæreticos fulminatas?

Certum eſt, hæreticos primò incurrere excommunicationis pœnam ipſo jure, *cap. ad abolendam de hæret. cap. excommunicamus eo . tit. & cap. noverit de ſent. excomm.* quæ licet ex prædictis locis non ſit reſervata, ut notat Cajet. *v. excommunicatio. c.* 1. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap* 9. *n.* 1. Navar. *cap.* 25. *n* 52. *& conſ.* 1. *de conſtit. n.* 41. *qu.* 14 tamen hodie reſervatur Papæ *in Bulla Cœnæ, can.* 1. idque ſive hæreſis ſit occulta, ſive manifeſta, dummodò tamen non ſit purè mentalis, de quo Pegna *com.* 71. *p.* 3. Torrebl. *l.* 3. *epitom.* Catena *p.* 2. *tit.* 1. §. 26 Bannes 2. 2. *q.* 18. *art.* 4 Aragonius, Arauxo, aliique, à qua excommunicatione poſſunt Inquiſitores, & Epiſcopi in foro judiciali abſolvere, quæ abſolutio prodeſt etiam in foro interiori. Nam Bulla Cœnæ prohibet abſolutionem in foro interiori præcisè, tametſi aliqui aſſerant, poſſe Epiſcopos abſolvere ab hæreſi occulta, ut Maſinus in Arſenali. Sed male. Nam poteſtas illis à S. Concilio Tridentino collata *ſeſſ.* 24. *c.* 6. *de reform.* fuit ſublata à B. Pio V. in citata Bulla Cœnæ anno 1570. ut per Catenam loco allegato, ubi referuntur pro utraque parte Autores, & nos *alibi*.

Movetur autem Maſinus, quod poſſint Inquiſitores abſolvere ab hæreſi in foro interiori poſt Gutierez, & Paramum ex Conſtitutione quadam Clementis VII. ſi enim, ait, fuit abrogata Bulla Cœnæ S. Officium privilegium jam amiſſum recuperavit, tandemque concludit, non fuiſſe abrogatum privilegium quia non fuit conceſſum hæreticis, ſed Miniſtris S. Officii ad favorem fidei. At negant alii, ut Catena ibidem, qua de re Diana *p.* 1. *tr.* 5 & Caſtropal *tr.* 5.

Incurrit quoque hæreticus etiam occultus irregularitatem ex probabiliori ſententia, quia probabile etiam videtur, quod ſolus hæreticus notorius ſit irregularis, eo quod jura, de quibus infrà, & ex quibus hæc irregularitas colligitur, loquuntur de delicto notorio, irregularitas autem ex alio capite non aſſeritur, niſi ex caſibus à jure expreſſis. Quapropter regula tradi ſolet, quod irregularitas non oritur ex ullo delicto occulto, niſi ſolum ex homicidio, mutilatione, vel violatione cenſuræ. Sicque hæreticus non ſit irregularis peculiari quadam irregularitate, ſed ſolùm generali, quatenùs ſcilicet omnia delicta gravia notoria inducunt irregularitatem, tenent Henriquez *lib.* 1. *cap.* 4. *n* 6. *& cap.* 5. *n.* 2. Gavr. *de cenſur lib.* 7. *c.* 12. *nu.* 16. Philiarc. *lib.* 4. *c.* 15. Garz. *de benef p.* 11. *cap.* 10. *n* 83. *& ſeq.* Avila *de cenſur. p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 2. Perez. *lib* 8 *ordinat tit.* 4. *lib.* 3. *p.* 1. *tr. de hæres. & ſa. v. irregularitas* cum loquitur de irregularitate ex defectu animæ. Ea quidem ratione, quia ut dictum eſt, irregularitas non aſſeritur niſi in caſibus à jure expreſſis, & jura, ex quibus colligitur hæc irregularitas, non loquuntur, niſi de notorio hæretico, ut *d. cap. ad abolendam de hæret.* illis verbis. *Quicumque manifeſtè fuit in hæreſi deprehenſus, & cap. ſaluberrimus*, 1. *q.* 3. loquitur etiam de hæretico publico, & de abjuratione ſolemni, quæ fit in ſcriptis, & *d. cap.* 2. §. *hæretici de hæret. in* 6. loquitur pariter de hæretico publico, ac de abjuratione ſolemni quæ ſimiliter fit in ſcriptis. Eodemque modo loquitur *can. nos.* 12. §. *ita Daniel* 2. *q.* 7. *& can. Presbyter de pœnit. d* 15.

At quod hæreticus, etiam occultus ſit irregularis, docent Angel. *v. irregularitas* 1. *n.* 26. *Sylveſt. eod. v. q.* 74. *& v. crimen q.* 2. *n.* 3. Lopez. *in inſtruct. tr.* 2. *p.* 2. *c.* 24. Navar. *d. cap.* 27 *n.* 205. *& cons.* 19 *de hæret.* Suarez *tom.* 5. *de cens. diſp.* 43. *ſect.* 1. *n.* 4. *& in tr. de fide diſp.* 21. *ſect.* 1. *num.* 1. Felin. *in cap. cum te de reſcript. num.* 12. *limit.* 1. Majol. *de irregul. lib.* 5. *cap.* 46. *nn* 1. *&* 2. Lambert. *de jure patr. p.* 1. *lib.* 1. *qu.* 7. Mandol. *de ſignat. grat. tit. de abſolut ab hæreſi ſub initio, & verſ. ultra abſolutionem*, Ugolin. *de irregul. cap.* 36 *n.* 1. *& ſeqq.* Valentia *tom.* 4. *diſp.* 7. *qu.* 19. *pun.* 3. *in* 3. *ſpecie irregulari.* Tolet. *in ſum. lib.* 1. *c.* 69. *nn* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8 *cap.* 4. *qu.* 13. *& cap.* 21. *qu.* 8. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *n.* 2. Mendoza. *lib.* 3. *de confirmat. Conci. Illiberitani c.* 18. *&* 29. Specul. *tit. de diſpenſat.* §. *juſta n.* 18. *verſ.* 6. Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 162. *verſ. nunc autem, & com.* 175. Felician. *de cenſur. c.* 7. *de irregul.* Ricciul. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 37. *nu.* 3. Vivald. *de irreg. n.* 71. *& ſeq.* Farinac. *de hæreſ.*

q.1. 92. num 67. Idemque ſentire videntur Armilla *v. irregularitas* 2. *num* 85. S. Antonin. *p.3. tit.* 18. *cap.* 6. *in princ.* & Ledeſma *lib.* 2. *p.* 4. *qu.* 26. *art.* 2. quatenùs aiunt, quod hæreticus ſit irregularis ea ſpecie irregularitatis, quæ oritur ex defectu animæ, at hoc haud omninò rectè: quià quotieſcumque incurritur irregularitas ratione infamiæ, Doctores citati non dicunt, incurri irregularitatem ratione illius, neq; dicunt, irregularitatem oriri ex defectu animæ. Ergo ſignum eſt, quod iſti Doctores, ſic loquendo, ſentiant, irregularitatem eſſe annexam hæreſi ſecundum ſe, ſicque hæreticum eſſe irregularem ratione hæreſis, & non ſolum ratione infamiæ.

Probatur primo hæc Sententia *ex can. nos d.* 51. *ex can convenientibus* § *fin.* 1. *q.* 7. *ex can. ſi quis omnem, ex can. ſaluberrimum* 1. *q.* 3. *ex can presbyter de pœnit. d.* 5. & *ex cap. inter ſolicitudines de purg. can. ex c.* 2. §. *hæretici de hæret. in* 6 *ex Concilio Illiberitano cap.* 51. ibi. *Ex omni hæreſi, qui ad nos fideles venerit, minimè eſt ad Clerum promovendus, vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponentur*, ex Epiſt. Cornelii Papæ apud S. Cyprianum *epiſt.* 68. & apud Euſebium *lib.* 6. *hiſt. Eccleſ cap.* 35. ibi *revertentes ab hæreſi ad fidem non ſunt ad gradus promovendi, nec debent administrare in illis jam ſuſceptis, ex epiſt.* 21. *Innocentis primi cap.* 4. *ad Epiſcop. Maced.* ibi. *Noſtra ex & Eccleſia, venientibus ab hæretico, qui tamen illic baptizati ſint, laicam tantum tribuere communionem nec ex his aliquem in clericatus honorem, vel exiguum ſubrogare*, & ex Epiſtola Pii Tertii ad Achacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ubi hoc ipſum habetur.

Atque hanc fuiſſe conſuetudinem, quod ſcilicet hæreticus ad fidem reverſus, ſine diſpenſatione non ordinaretur, & promotus in ordinibus ſuſceptis non adminiſtret, reſtatur S. Auguſtinus *in lib. de unic. baptiſm. cap.* 15. & *epiſt.* 50. *ad Bonifacium.* Et aliquando Pontifices, & Concilia diſpenſaſſe cum hæretico ad fidem reverſo, ut ordinaretur, & ſi jam eſſet promotus, ut ſuis ordinibus, & gradibus fungeretur, reſtatur idem Auguſtinus *eadem epiſt* 50. & *epiſt.* 161. tradirque Concilium Nicænum *can.* 8. ibi *Si quis voluerit venire ad Eccleſiam ex Novatianis placuit Sancto Concilio, ut ordinentur, & ſic maneant in Clero* · & teſte S. Auguſtino *eadem epiſtola* 162. Melchiades Papa in Concilio Romano Epiſcopos Donatiſtis, redeuntes ad veram fidem, profeſſus eſt ſe velle ad eamdem dignitatem, & gradum recipere. Quod etiam fecerunt Patres congregati in Concilio Carthaginenſi, ſicut habet Concilium Africanum *can.* 35 de quo etiam videri poterit Ruffinus *lib.* 10. *cap.* 28. *cum binis ſeqq.* Hieronymus *contra Lucifer.* Auguſt. *de agone Chriſt. ad finem,* & Athanaſ. *in epiſt. ad Ruffin. relata in* 7. *Synodo ſect.* 1.

Secundo ex Leone Papa *ep.* 3 *ad Epiſcopum Aquilienſem*, uti licet concedat facultatem, quod quidam hæretici reſipiſcentes ad priſtinos gradus Eccleſiaſticos redeant, prohibet tamen, ne ad majores promoveantur.

Tertio ratione. Quia irregularitas, quæ oritur ex delicto notorio ratione infamiæ ceſſat, quando infamiæ tollitur publica emendatione. At hæc irregularitas non ceſſat ex publica emendatione. Atque ideò hæc irregularitas non eſt generalis, ſed ſpecialis, & annexa ſecundum ſe crimini hæreſis.

Et quatro, quia in conſtitutione Clementis. VII. quæ incipit: *Cum ſicut* apud Pegnam inter litteras Apoſtolicas conceditur Inquiſitoribus, quod poſſint diſpenſare in irregularitate contracta ob hæreſim occultam. Ergo ſupponitur, quod irregularitas contrahatur ob crimen ipſum hæreſis.

Hinc hæreticus, vel apoſtata ità eſt irregularis, ut etiamſi redeat ad fidem catholicam, adhuc remanet irregularis, *Gloſ. in can. nos conſuetudinem d.* 12. S. *Anton. in ſum. p.* 3. *t.* 18. *cap.* 6. *in princ. Pegna in director. p.* 3. *qu.* 116. *com.* 162. *verſ. ad primum* Felin. *in d. c. p. eam te de reſcript. num.* 12. Navar. *d. cap.* 27 *num.* 105. Decian. *in tract. crim. lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 17 Majol. *de irregul. lib.* 5. *cap.* 46. *num* 1. & alii quos ſequitur Sanch. *d. lib.* 1. *moral. cap.* 25. *num.* 2. & conſtat *ex can. illud quoque d.* 50. Laym. *tr de irreg. cap.* 4. *num* 11. *in fine*, eſtque communis ſententia malè reclamantibus Pariſio *lib.* 4. *conſ.* 2. *num.* 185. & 188. ac Rolando *l.* 3. *conſ.* 63. *num.* 26. licet multi minùs rectè hoc limitent, ut reverſus ad fidem Catholicam non ſit irregularis, ſi hæreſis non fuit notoria. Id tamen non procedere in converſis etiam ab hæreſi notoria in regionibus palam infectis, uti hæreſes impunè graſſantur, cenſeo cum Navarro *conſ.* 1. *de conſtit. qu.* 14. *num.* 41. Layman *loc. cit. cap.* 4. *nu. ult.* & *lib.* 4. *tr. de fide cap.* 16. *num. ult.* §. 6. & Sanchez *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 9.

Clerici verò, ſi abjiciant hæreſim, permittuntur quidem in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, non tamen aſcendere ad Ordines majores Sylveſt. *v. irregularitas* §. 5. Ugolin. *de irregul. cap* 36. *num.* 5. Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſp.* 43. *ſect* 1. *num.* 2. Pegna *d. p.* 3. *com* 162. & *com.* 175. Majol. *de irregul. lib.* 5. *cap.* 46 *n.* 2. & patet ex *d. cap. ſaluberrimum*, ex *can. convenientibus* 1. *q.* 7. & *can. nos conſuetudinem d.* 12. & *ex can. illud d* 5. *ubi* & redditur ratio, *quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramenta ſuſcipere qui dudum fuerunt vaſa vitiorum.* Quod tamen ita intelligendum eſt, ſi priùs obtinuerint diſpenſationem. Pegna *d. p.* 3. *qu.* 114. *com.* 162. Suarez *cit. diſp.* 43. *ſect.* 1. *num.* 2. *Azor. tom.* 1. *lib.* 8 *cap.* 11. *qu.* 13. Nam ſi poſſint ante obtentam diſpenſationem in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, hæreticus non abſolutè eſſet irregularis.

Hanc eandem irregularitatem incurrunt, qui ob timorem, interiùs tamen retinent fidem, non autem illam, quæ imponitur hæreticis, & apoſtatis à fide, cum propriè non ſint hæretici, neque apoſtatæ, ut per Suarez *loc cit. ſect.* 2. *n.* 1. Majol. *ibid cap.* 34. *n.* 2. & conſtat. *ex can presbyteros d.* 50. his verbis: *Arcendi ſunt ab Ordinibus, qui ex metu Idolis immolarunt.*

Difficultas autem eſt, an ab hac irregularitate, quæ ab hæreticis occulta provenit, poſſit Epiſcopus ex decreto S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* diſpenſare? negant Suarez *d. diſp.* 43. *ſect.* 1. *n* 15. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 46. Filiuc. *tr* 20. *num.* 231. Bonac. *de irregul. diſp.* 7. *p.* 3. *pun.* 7. *num.* 12. Majol. apud Mauram *ſect.* 3 *cap.* 1. Nam inquiunt primo; revocata eſt Epiſcopis facultas abſolvendi ab hæreſi: Ergo revocata eſt iiſdem poteſtas diſpenſandi ab irregularitate indè proveniente Quia hæc irregularitas eſt acceſſoria hæreſi.

Secundo Quia *in cap.* cum illorum *de ſent. excomm.* dicitur, Epiſcopos non habere poteſtatem diſpenſandi in caſibus, in quibus eorum abſolutio eſt illis interdicta, cum majora intelligantur, prohibita illis, quibus vetita ſunt minora: Abſolutio autem minor eſt, quam diſpenſatio: Gloſ. *ibi*, & Abb. *num.* 2. Felin. *n.* 1. Atque adeò denegata Epiſcopis poteſtate abſolvendi ab hæreſi, cenſetur etiam denegata conſequenter poteſtas diſpenſandi ab irregularitate inde proveniente.

Tertio, quia Privilegium diſpenſandi, ſicut & privilegium abſolvendi, vel aliæ gratiæ, ſeu beneficia conceſſa Epiſcopis, quibus lege communi, & ordinaria non competunt, eſt præter jus, ſive ut alii loquuntur, ultra jus. Privilegium autem præter, vel ultra jus ex eo, quod juri communi derogat, ſtrictæ eſt interpretationis, ut habetur *in cap. porro* & *in cap. Sanè de privileg.* & tradunt Innoc. & Abb. *in cap. quod dilectio de conſangu.* & *affin.* Navar. *cap.* 12. *numero* 79. Sylveſt. *v. privilegium quæſt.* 3. Suarez *de legib. lib.* 8. *diſputat.* 27. *numero* 5.

Sanchez

Sanchez *lib.8. de matr. diſp. 1. numero 1.* Nam privilegium hujuſmodi, licet ſit favorabile quatenus exorbitat à jure communi, eſt odioſum, & conſequenter cum favor juris communis præfeatur favori privato, fit, quod privilegium à jure communi exorbitans, ſtrictam potius habere debeat interpretationem.

Quartò, quia licèt in d. Decreto Concilii concedatur Epiſcopo facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, non tamen conceditur facultas diſpenſandi in irregularitate, quæ provenit ex hæreſi occulta. Quia in generali conceſſione non conceditur diſpenſatio in hæreſi, quæ requirit, ut ſpecialis mentio de ipſa fiat. In illo autem decreto ſolùm conceditur facultas abſolvendi ab hæreſi occulta, & nihil dicitur de irregularitate annexa hæreſi occultæ, ac proinde Epiſcopus vigore illius decreti non poteſt diſpenſare in irregularitate, quæ provenit ex hæreſi occulta.

Idque præſertim, quia facultas conceſſa Epiſcopo abſolvendi ab hæreſi occulta, eſt in Bulla Cœnę revocata. Ergo & revocata etiam eſt facultas eidem conceſſa diſpenſandi in irregularitate, quæ provenit ab hæreſi occulta. Et quidem hanc facultatem diſpenſandi revocatam eſſe, tenent Majolus *de irregul. lib. 5. cap. 46. num. 5.* Suarez *de Diſput. 43. ſect. 1. num. 15. & in tr. de fide diſp. 21 ſect. 5 num. 2.* ac Ricciùl. *de jure perſon. lib. 5. cap 16. num. 5.*

Aſſerunt tamen Sanchez *lib. 2. moral. d. cap. 15. n. 18.* Farinac. *de hæret. q 164. num. 79.* Garz. *de benef. p. 11. cap. 10. n. 86.* Ugolin *de irregul. cap. 16. §. 5. num 1.* Vivald. *p 2. de irreg. n. 70 & 89.* Sanctarell. & alii apud Catenam *p. 2. tit. 1. §. 26.* & Satel. *tom. 3. cap. 9. regul 109. num. 70.* Probatur hac ratione, quia S. Concilium loco citato, non limitavit facultatem in irregularitatibus, ſed abſolutè dixit, Epiſcopos poſſe diſpenſare in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis ad forum contentioſum deductis. Hæc autem exceptio firmat regulam in contrarium. Præſertim cum dictum privilegium Epiſcopis conceſſum latam accipere debet interpretationem.

Non obſtant quę in contrarium adducta ſunt. Ad primum enim reſpondetur, id non argui, quia ſunt res omnino diverſæ. A diverſis enim non fit illatio juxta vulgarem *leg. Papinianus ff. de minor.* Præſertim quia minus eſt diſpenſare in irregularitate, quæ adhuc non eſt certa, ſed dubia, quam abſolvere ab hæreſi certa, & non dubia. Unde talis diſpenſatio dici non poteſt major, quam abſolutio ab hęreſi & excommunicatione; ac proinde etiamſi denegata ſit Epiſcopis facultas abſolvendi ab hæreſi non ideo infertur, quod denegata ſit eiſdem facultas diſpenſandi ab ejus irregularitate, quę dubia eſt.

Ad Secundum. Cum dicitur facultatem diſpenſandi majorem eſſe facultate abſolvendi, intelligi debet de facultate diſpenſandi, ab impedimento certo, non dubio, qualis eſt irregularitas, de qua nunc agitur. Neque diſpenſatio hujus irregularitatis eſt annexa abſolutioni excommunicationis, cum ſint facultates omninò diſtinctæ. Preterea cum S. Concilium concedat Epiſcopis facultatem abſolvendi ab hæreſi occulta, & facultatem diſpenſandi in irregularitate, quæ provenit ab hæreſi occulta, & poſtea per Bullam Cœnæ prohibeatur eis abſolutio dumtaxat, ſequitur, quod in reliquis non ſit à Concilio recedendum. Quia, ſicuti dici ſolet, illud quod non tollitur ſtare non prohibetur. Citatum autem *(cap. cum illorum de ſent. excom.* loquitur quando majus non eſt expreſsè permiſſum. Vide Garz. *de benef. p. 11. d. cap. 10. numer. 86. &* Ugolin. *de irregul. cap 16.*

Ad tertium. Communis ſententia Doctorum eſt, quod ab ea regula excipitur primò, ſi privilegium conceſſum ſit in favorem publicæ, piæ, ac religioſæ, vel alterius ſimilis cauſæ favorabilis, ſicuti eſt in hoc caſu. Qua de re Sylveſt. *cit. quæſt. 3.* & Tiraquel. *de privil. piæ cauſ. privil. 162. cap. 27. num. 7.* Ubi propterea docent, privilegium exemptionis Clericorum à juriſdictione Seculari, & Regularium à juriſdictione Ordinariorum ampliè eſſe interpretandum favore Religionis, cum ſumma ratio ſit, quæ favet religioni, ſicuti habetur *in l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. funer.* Adde, quod privilegium non uni perſonæ, ſed communitati perpetuò conceſſum, æquatur legibus corpori juris inſertis, quæ latam habent interpretationem, ſicuti docent præ cæteris Henriquez *lib. 7. cap. 12. nu. 16.* & Sanchez *lib. 8. de matr. diſp. 1. num. 3.* Excipitur ſecundò, ſi privilegium, quamvis ſit contra jus commune, motu proprio Principis, ut etiam eſt in hoc caſu, conceſſum ſit. Quia tunc ſimiliter amplam recipit interpretationem, propriumque Principis beneficium eſt, & ex certa ſcientia conceſſum cenſetur *arg. cap. ſi motu de præb. in 6.* & tradit Abb. *in cap. ult. num. ult. de translat.* Epiſcop. ac Suarez *cit. diſput. 27. num 8. lib. 8. de legib.* videtique poteſt textus *in cap. quia circa de privil. in cap. olim. de verb. ſignif. & in l. 3. ff. de conſtit. Princip.*

Ad quartum. Diſparitas eſt, quia in generali conceſſione abſolutionis facienda eſt ſpecialis mentio de hæreſi, eo quod talis ſit expreſſa intentio Romanorum Pontificum. At de diſpenſatione in irregularitate, quæ provenit ex hæreſi, non eſt ullus textus, undè id colligatur. Præſertim cum ſatis probabile videatur, quod non ſit per ſe hæreſi occultæ irregularitas annexa. Et quidquid ſit de revocatione facultatis conceſſæ Epiſcopis abſolvendi ab hæreſi occulta, de qua adhuc diſputant Doctores, ut apud Delbene *de officio S. Inquiſit. p. 1. dub. 53.* qui & ipſe partem negativam tuetur, difficiliùs conceditur Epiſcopo quod abſolvat ab hæreſi occulta, quàm quod diſpenſet in irregularitate, quæ provenit ab hæreſi occulta. Quare licet ſit revocata prior facultas, non ideo revocata etiam erit poſterior. Undè hanc facultatem diſpenſandi in hac irregularitate revocatam non eſſe tenent Vivaldus *p. 2. de irregul. n. 7. & 89.* Garzia *d. p. 11. cap 10. num. 86.* Sanch. *d. lib. 2. moral. cap. 25. num. 18.* Ugolin. *de irregul. cap. 16. § 5. num 3.* & Farinac. *de hæret. qu. 192. num 79.*

Et juxta hanc ſententiam advertunt iidem Doctores, quod licet Mandoſius *de ſignat. grat. v. abſolutio ab hæreſi in princ.* Umbert. Locatus *in judicial. Inquiſit. v. irregularitas num. 2.* Campegius *in addit. ad Zanchinum in tr. de hæret. cap. 27. v. adde ulterius,* Zechius *in ſum. tom. 1. titul. de fide cap. 11. numer. 16. &* Henriquez *lib. 14. cap. 18. num. 1.* velint poſſe quemlibet ex Inquiſitoribus, ſaltem pro foro conſcientiæ diſpenſare in hac irregularitate ex d. Bulla Clementi. VII. *cum ſicut §. vobis etiam apud Pegnam in Direct.* Verum tamen oppoſitum, quod tradit idem Pegna *p. 5. ejuſdem direct. qu. 126. com. 175.* Sanchez *d. cap 25. num. 19.* Suarez *de cenſur. diſp. 44. ſect. 1. num. 5.* & Farinac. *d. qu. 192. num. 76.* Vel quia non fuit uſu recepta, quia cenſetur revocata ab aliis poſterioribus Pontificibus. Prætereà illa fuit perſonalis, & non perpetua, ut annotat Suarez *loc. cit. num. 5.* ac denique fuit revocata à B Pio V. in quodam decreto ad Didacum Spinolam apud Pegnam ibidem, qui addit, ipſum B. Pium V. ſub anno 1576. prohibuiſſe cum reſte Sacerdote hæretico diſpenſari, quod Miſſam celebraret.

Advertunt etiam, quod in irregularitate contracta ob hæreſim vel apoſtaſiam à fide fictam, poſſit Epiſcopus diſpenſare cum Clericis presbytero inferioribus, ut in ſuſceptis ordinibus miniſtrent. At cum presbytero, ut officium Sacerdotale, & munus prædicandi exerceat, ſolus poterit diſpenſare Summus Pontifex,

ſicut & diſpenſare, ut ad Ordines promoveatur, vel ad Superiores aſcendat. Cum iis verò, qui à fide ſponte apoſtatarunt, neque ad aſcenſum ad Ordines, neque ad ſuſceptorum uſum poteſt alius, quàm Pontifex diſpenſare. Quæ omnia patent *ex d. can. presbyteros d.* 50. & tradunt Sanchez *cit. cap.* 25. *n.* 21. & Suarez. *d. diſp.* 43. *ſect.* 1 *n* 4.

Ampliant id multi Doctores, quod iſta facultas diſpenſandi Epiſcopis conceſſa dicto *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *de reform.* extendatur ad inhabilitates ad officia & beneficia & ad privationes eorumdem, quia eſt irregularitas partialis, & ita Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. *num.* 1. Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 78. Bonacin. *de clauſur. q.* 1. *pun.* 5. *n.* 5. Rodriq. *tom.* 2. *ſum. cap.* 66. *n.* 35. Ugolin. *de Simon. tab.* 4. *cap.* 6. §. 7. *n.* 2. Contraria tamen ſententia quod in hoc privilegio non contineantur inhabilitates, & privationes latæ ſententiæ communior, & verior, ac in praxi recepta, ut teſtatur Leſſius *lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 140. Suarez *de relig. tom.* 1. *tr. de Simon. cap.* 58. *num.* 11. & Bonacin *tract. de Simon. diſput.* 1. *quæſt.* 7. *punct.* 2. *diffic.* 2. *in fine* ſe ipſum retractans. Quia non ſunt propriè irregularitates neque ſuſpenſiones.

In hac difficultate, tanquam certum tenendum eſt, quod Epiſcopi, & Inquiſitores judicialiter procedentes, & in forma judicii ex obſervatione S. Romanæ ac univerſalis Inquiſitionis, ſcientibus, & conſentientibus pro tempore Summis Pontificibus, poſſunt abſolvere in utroque foro coram Notario & teſtibus à cenſuris Eccleſiaſticis hæreticos, & Apoſtatas pœnitentes, & ad gremium S. Romanæ Eccleſiæ redeuntes, ac volentes abjurare publicè, vel ſecretò, non obſtante reſervatione contenta in Bulla Cœnæ Domini. Ita ſcriptum Archiepiſcopo Biſuntino 8. Julii 1588. Archiepiſcopo Spalatenſi 8. Junii 1596. Archiepiſcopo Taurinenſi & Inquiſitori 6. & 14. Maii 1595. Quæ quidem reſervatio quo ad Ordinarios, & Inquiſitores, ſolum operatur, ut non poſſint Hæreticos hujuſmodi redire volentes ad pœnitentiam, in foro conſcientiæ tantum abſolvere, ut declaratum 9. Maii 1596. Neque poſſunt ipſi Epiſcopi ex vi decreti S. Concilii Tridentini *in cit. cap.* 6. *ſeſſ.* 24. dictos hæreticos abſolvere in foro conſcientiæ, ut etiam declaratum 21. Auguſti 1609. Eſt enim eis ſublata hæc facultas per dictam Bullam Cœnæ, ut declaravit S. Congregatio Concilii, ac Rota *coram Merlin.* 25. *Maii* 1628. & Nos *alibi*. Nec talem facultatem abſolvendi ab hæreſi habent in caſibus occultis, ut declaratum quoque 7. Junii 1617. Et hæc quidem quo ad abſolutionem.

Quo verò ad diſpenſationem in irregularitate ex hæreſi occulta, certum etiam cenſeo, non poſſe in illa Epiſcopos diſpenſare vigore dicti decreti S. Concilii Tridentini. Nam ſicuti non poſſunt abſolvere ab hæreſi etiam occulta, quia eſt reſervata in Bulla Cœnæ, in qua generaliter reſervatur hæreſis, ita etiam non poſſunt in irregularitate, quæ provenit ex hæreſi occulta. In generali quippe conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus, qualis eſt diſpenſatio in irregularitate ex hæreſi, licet occulta, quæ habet ſtrictiſſimam reſervationem. Et licet Concilium, & Bulla Cœnæ non excipiant diſpenſationem in irregularitate ex hæreſi occulta, remanet tamen excepta ex natura ſuæ reſervationis. Eoque præcipue quia hæc diſpenſatio eſt acceſſoria abſolutioni, cùm ex natura ſua cum ea conjungitur, quemadmodum ſecundum ſe hæc irregularitas conjuncta eſt cum hæreſi, etiam occulta, quia ex illa provenit, atque adeo non debet eſſe diverſa ratio in acceſſorio ac in principali, ut obſervant Alex. *cons.* 4. *num.* 5. *lib.* 1. Menoch. *cons.* 58 *in fin.* Pacian. *de probat. lib.* 2 *ſecundo, cap.* 16. *num* 69. Cravet. *cons.* 506. *num.* 3. cumque habeat locum in acceſſorio ratio finalis diſpoſitionis prohibitivæ in odium hæreſis, cujus crimen eſt ſpecialiter delegatum Inquiſitoribus adeo, ut pro ipſo inſtitutum ſit ſpeciale Tribunal, ita etiam locum habebit prohibitio, quo caſu non conſiderantur, tanquam diſparata, ſed tanquam acceſſoria & connexa, quæ eodem jure cenſentur. Unde, permanente principali, debet permanere acceſſorium, quia eſt neceſſarium pro illo, quia principale trahit in neceſſariam conſequentiam acceſſorium, *l.* 2. *ff. de juriſd. omn. Judic.* & notant Feder. *de ſen. cenſ.* 163. & 186 *ſub initio*, ac Tuſch. *lit. A. concl.* 77. *num.* 1. Imò difficilius conceditur diſpenſatio in irregularitate, etiam generali, ac non proveniente ab hæreſi, licet occulta, quàm abſolutio à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis; ut conſtat ex praxi Jubilæi, tum ſpecialis, tum generalis. Nec ſumus in irregularitate incerta, ac dubia, ſed certa, & indubitata, ut conſtat ex communi Doctorum ſententia, quos ſuprà retulimus.

De aliis pœnis in hæreticos *alibi* fusè diſſeremus. Aliæ verò impoſitæ ſunt cenſuræ ac pœnæ divinatoribus maleficis, magis, & idololatris, imo & legentibus, aut retinentibus libros divinationes, maleficia, magias, & idololatrias continentes, ut habes in Indice librorum prohibitorum, cum hac tamen diſtinctione, quod quæ fertur in Indice non eſt reſervata Summo Pontifici, ſicut illa, quæ fertur in Bulla Cœnæ contra legentes, vel retinentes libros hæreticorum, aut hæreſum.

Et ſanè Theologi communiter 2. 2. *qu.* 10. ſupponunt, quod incurrat excommunicationem latam, & alias pœnas, qui ex interna infidelitate, animo concepta deficit à recta fide, thure colat idola, dæmoni cultus latriæ vel duliæ, honores, preces adhibet, coram eo execratur fidem Chriſti, ac eum, ejuſque Sanctos contemnit, &c. Solum difficultas eſt, an illas incurrat, ſi hæc tantum externe faciat, vera fide retenta in corde, ut feciſſe Marcellinum ſub Diocletiano, & Maximiliano metu coactum referunt plures, nominatim Illeſcas *tom.* 1. *p.* 1. *hiſt. Pontif.* addens in publico Concilio reſipuiſſe, ſuamque fidem Martyrio confirmaſſe, quodque nunquam mente conſenſerit, de qua re dubitant alii apud Baronium anno 302. imo contendunt apud Acugnam, nullum Pontificem Summum extitiſſe hæreticum, de quibus nos etiam alibi. An autem ſi pœnas hæreticorum non incurrat, incidat ſaltem in alias cenſuras, aut pœnas à jure divino, aut humano civili, aut Canonico impoſitas.

Concors eſt Theologorum ac Juriſtarum ſententia, idololatriam, magica, & alia ſacta hæreticalia committentes abſque errore in intellectu, non incurrere cenſuras & pœnas hæreticorum, ideoque non abjurant de formali, ſed abſolvuntur tantum ad cautelam ab excommunicatione impoſita hæreticis. Concordant item illos incurrere alias pœnas impoſitas à Deo, vel ab homine his criminibus præcisè, prout liberè conſumantur abſque errore intellectus.

Suarez tamen *tom.* 1. *de Relig. lib.* 6. *de ſuperſt. cap.* 6. tenet, nullam cenſuram, aut pœnam eſſe impoſitam idololatris, & fortaſſe id etiam diceret de aliis factis hæreticalibus. Hoc autem falſum eſt. Nam, ut rectè annotat Bannes 2. 2. *q.* 11. *art* 4. *dub.* 2. ſpecialis excommunicatio fertur à Joanne XXII. in idololatras abſque errore intellectus, ſive ſimul deteſtentur idololatriam, ſivè quadam prava voluntate afficiantur ad talem cultum, vel ex quadam curioſitate, vel metu, vel avaritia, ut faciunt Lamiæ plures. Alibique referimus pœnas impoſitas à jure magis, hariolis, ac divinatoribus, & à Deo ſpeciatim idololatris *Levit.* 20. *Exod.* 22. Et ut annotat Eymericus *in Directi. Inquiſ. p.* 2. *q.* 93 excommunicantur illi, qui colunt dæmones, ac incurrunt pœnas hæreticorum, excepta pœna confiſcationis bonorum, qui, ut Bannes *loc. cit.* ait, ſupponuntur, non colere cum infidelitate, quamvis aſſentiant liberè pravo cultui.

Ex-

Excommunicationem itidem contra divinatores impoſuit Urbanus VIII. ac alias pœnas poſt Sixtum V. & ipſos magos, incantatores, maleficos, & hujuſmodi alios, & antè Adrianus VI. Innocentius VIII Leo X. Alexander IV. & VI. Julius II. & Gregorius XV. imponens etiam mortis pœnam maleficis, mortem inferentibus, ut legere eſt in fine Directorii, ac Mallei.

Ab ipſo etiam Ioanne XXII. fertur excommunicatio ipſo facto contra invocantes dæmones, eos alligantes in annullo, adorantes, Sacramentis abutentes, aut cum dæmone pactum ineuntes, aut rebus ſacris in divinationibus abutentes apud Direct *p. 2. qu. 43.* Unde & ex aliis adductis à Moura, & à Caſtropalao creditur fuiſſe ſufficienter promulgatam, quicquid dicat Suarez apud Mauram. Creditque Leſſius, tales eſſe excommunicatos *in can. Siquis hariolos 26. q. 5.* ubi dicitur ex decretis Gregorii XIII. *Si quis hariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut philacteriis eorum uſus fuerit, &c.* & *can. ſortes* ibidem prohibet Leo IV. ſortes divinatorias ſub anathematis interdicto. Quare Petrus Ledeſma *p. 2. ſum. cap. 6. tenet,* omnes idololatras, etiam abſque infidelitate dæmonem adorantes incurrere illam excommunicationem ipſo facto, non autem illam, quæ impoſita eſt contra hæreticos, ut etiam rectè notavit Toletus, & Moura *ſect. 3. cap. 6.* & meminit Navar. *in man. cap. 27.* Graff *lib 4. dec. cap. 18.* referens Antoninum, & Tabienam. Addunt alii quod paciſcentes cum dæmone incurrunt ipſo facto excommunicationem, latam à B. Pio V. in Bulla Cœnæ, Papæ reſervatam. Imo tradunt nonnulli apud Mouram *l. c. cit.* ſortilegos, ac dæmonum invocatores, & peculiariter illi ſacra facientes, irregularitatem incurrere, ac privationem officiorum, & beneficiorum.

Porro infames declarantur malefici, venefici, ac ſortilegi *in can. infames 6. q. 6 q. 1.* de quo plura Torrebl. *lib. 3. epit.* & nos *ſuo loco.* Navarrus autem *in man. cap. 12.* refert, eum, qui cum rebus ſacris, aut Eccleſiaſticis incantationem aliquam, aut maleficium facit, veluti aqua baptiſmali, oleo ſancto, ara conſecrata, verbis conſecrationis, &c. in pluribus diœceſibus excommunicationem incurrere, & de Eborenſi refert Moura *c. cit. ſect. 3. n. 18.* De pœnis inſuper contra eos imponendis in foro exteriori agunt Eymer *p. 2. direct. n. 4.* Azor & alii, contenditque Majolus *colloq. 4* Judæos ſpeciatim ob crimen incantationis morte plectendos, quoniam ipſi jactitant, Chriſtum mortem Crucis jure condemnaſſe propter hoc delictum, quod ſcilicet per nomen *Scem-hammephoras* ſua ediderit miracula, de quo idem Moura *ibid.* & *c. 2. & 3.* Unde etiam pro Judæis oportet conſultò examinare qualitatem delicti, ejuſque circumſtantias, ſicque, rebus agitatis, ſontes punire.

Porrò de nomine hoc *Scem-hammephoras* ſic Rabbi Moſes Ægyptius *in libro More cap. 60. p. 1.* Omnia nomina Creatoris in libris omnibus inventa, ab effectibus derivata ſunt, præter unum nomen, quod eſt nomen appropriatum Creatori altiſſimo. Et propter hoc vocatur *Scem-hammephoras,* id eſt nomen expoſitum. Vult autem dicere, quod ipſum eſt ſignificans & oſtendens Creatoris ſubſtantiam, ac ejus quidditatem oſtenſione, & ſignificatione perfecta & manifeſta in qua non eſt æquivocatio, neque mixtura, id eſt, nihil eſt, quod commune ſit Deo & Creaturæ in hoc nomine, reliqua autem ipſius glorioſa nomina ſignificant æquivoce, & cum mixtura, eo quod ſunt ab operibus ſimilibus, iis, quæ ſunt in nobis, derivata, ut etiam nomen illud, quod loco quatuor litterarum, quod eſt *Adonai,* ab hoc verbo *Adon,* quod eſt Dominus, derivatum eſt. Et inde eſt, quod Angelus quoque dictus eſt *Adonai,* ſicut dictum eſt *Gen 18 cap. 18. Adonai quæſo ſi inveni gratiam in oculis tuis.* Manifeſta is autem tibi hoc in verbo Adonai, quo nomen Creatoris pronominatur; quia magis appropriatum eſt Deo altiſſimo, quàm alia omnia nomina Creatorem notificantia. Cœtera verò ut *Daijan* Judex, & *Iſadick,* id eſt juſtus, & *Hannun,* id eſt gratioſus, vel pius & miſericors, manifeſtum eſt, quod communia ſunt atque derivata. Nominis autem quod ſcribitur quatuor litteris, *Scem-hammephoras* neſcitur derivatio nota, nec ipſum cum alio participat.

Et non eſt dubium, quin hoc nomen glorioſum, quod non profertur, neque pronunciatur, neque dicebatur, niſi in Sanctuario à Sacerdotibus Domini ſanctificatis, & ſolum in benedictione Sacerdotum, & tunc etiam à Sacerdote magno, & in die jejunii glorioſæ ſanctificationis, eſt nomen illud, in quo non eſt participatio inter Creatorem, & aliquid aliud. Breviter autem dico, quod celſitudo & excellentia hujus nominis idcirco tanta reputatur, & cavetur, ne loquatur aliquis per ipſum cautela magna & terribili, quià ſignificat Creatoris ſubſtantiam ita, quod nulla creatura communicat cum eo in ſignificatione illa. Quemadmodum aſſeverant magiſtri noſtri in perſona Dei dicentes: Nomen meum eſt unicum, vel appropriatum mihi, cœtera verò omnia Dei nomina, qualitates, & reliqua ſignificant. Cumque multiplicata fuiſſent hujuſmodi Creatoris nomina, ab ejus operibus derivata, tranſire fecerunt ſuper cor nonnullorum filiorum Adam, quod multas ipſe habeat qualitates ſecundum multitudinem operum, à quibus nomina illa derivaotur. Et eam ob rem promiſit dare hominibus intellectum, qui ab eis hujuſmodi errorem amoveret. Dixit enim Zachar. *cap. 14. In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum.* Vult dicere quod, ſicuti ipſe Dominus unus eſt, ita tunc uno duntaxat vocabitur nomine, quod ejus ſubſtantiam abſque derivatione ab aliqua actione ſignificat. Dictum eſt autem *Pirke,* id eſt capitulis Rabbi Eliezer, quod cùm adhuc mundus non eſſet creatus, erat Deus ſanctus, & benedictus, & nomen ejus tantum. Animadvertas quàm evidenter oſtendat, quod omnia hæc Dei nomina derivata ſint noviter poſt mundi creationem inventa. Et hoc quidem certum eſt, quod omnia ab aliquibus operibus in mundo inventis denominantur. Sed cum conſideras Dei eſſentiam ab omni operatione denudatam, nequaquam erit ei nomen derivatum, ſed unum tantummodo ad ejus eſſentiam deſignandam. Nullum autem eſt apud nos nomen, quod non ſit derivatum præter *Tetragrammaton,* quod eſt *Scem-hammephoras.* id eſt nomen expoſitum abſolutè. Nec aliud eſſe credas, quàm iſtud.

Neque pertranſeant cor tuum ſcribentium brevia, vanitates, & ea, quæ forte ab eis audiviſti, vel in eorum libris vaniſſimis inveniſti, delirantium nomina quædam, ab eis compoſita, & nihil pènitus ſignificantia, quæ divina nomina vocant, dicuntque, quod magna ſanctitas, atque munditia ſit ad effectum conſequendum neceſſaria, & quod poſſibile ſit homini cum hujuſmodi nominibus miracula facere. Non enim decet prudentem hominem has vanitates, atque inſanias audire, nedum credere. Nec eſt aliquod aliud nomen, quod *hammephoras,* id eſt expoſitum, vocetur niſi hoc glorioſum quatuor litterarum nomen, quod cum litteris ſuis minimè legitur. Manifeſtè autem cum expoſitione dixerunt in libro, qui dicitur *Siphre* ſuper illud *Num cap. 6. Sic benedicetis filiis Iſrael.* Sic hoc eſt, in lingua iſta Sic, id eſt, cum *Scem-hammephoras,* vel cum ejus pronunciatione. Dicebatur autem in Sanctuario, ſicut ſcriptum eſt, in Civitate verò ſecundum quod pronunciatur, hoc eſt, pro eo dicebatur *Adonai.* Dictum eſt quoque in Talmud ſuper illud *Num. cap. 6. Sic benedicetis filiis Iſrael.* Sic, id eſt, cum *Scem-hammephoras,* vel cum ejus pronunciatione. *Docet* autem quid ſit dicendum, cùm ait: Et ponite, vel nominate nomen meum unicum, ſcilicet mihi. *Ecce* expoſitum eſt ibi, quod *Scem-hammephoras* ſit nomen quatuor litterarum, & quod ipſum ſolum Crea-

Creatoris ſubſtantiam abſque mixtura & ſignificatione alia ſignificet, atque oſtendat. Ea propter dixerunt magiſtri in perſona Dei, Nomen meum eſt unicum mihi. Hæc omnia Rabbi Moſes Ben Maimon.

His autem præmiſſis, aſſero primò. Idololatræ, magi, divinatores & id genus alii abſque errore intellectus non incurrunt per ſe cenſuras, & pœnas hæreticorum, ſed tantum præſumptivè habentur ut hæretici, ac ideò abjurant de levi, vel de vehementi, de quo Directorium, Pegna, Carena *p. 2. tit. 5.* & alii. Atque hæc eſt communis Canoniſtarum ſententia, quos adducit Suarez *loc. cit.* Moura *ſect. 3. cap. 5.* & Carena *p. 2. tit. 1. §. 15.* ac Torrebl. *cap 8. lib. 13. oper. ſpirit.* licet plura commiſceat contradictoria. Et hanc etiam tradit Bannes *ubi ſupra*, Aragonius, Salonius, Arauxo, Thomas de S. Thoma, & Suarez *ibidem*, ac communiter Theologi, & Summiſtæ, Sylveſter *in ſum. v. hæreticus*, Azorius, *lib. 8. cap. 9.* Duardus *lib. 2. in Bul. Cœna can. 1. qu. 57. concl. 1. num. 12.* ac cæteri. Nam pœnæ illæ feruntur in hæreticos, vel apoſtatas. Qui autem animo non conſentiunt infidelitati, licet opere externo, malitioſè illa committant, non ſunt hæretici. Leges enim pœnales ſunt reſtringendæ ad id, quod rigor verborum permittit. Siquidem præcipua hæreſis conditio eſt, ut contra fidem intellectus erret. Neque enim hæreſis conſummatur, niſi in intellectu. Et in hoc diſtinguitur ab aliis peccatis, quæ exterius conſummantur, licet in iis etiam malitia à voluntate proveniat. Unde tales non appellantur, neque ſunt hæretici.

Non obſtat, quod in Concilio Toletano primo in aſſertione fidei plures excommunicationes feruntur ſub hac forma *ſiquis dixerit vel crediderit*. Sufficit ergo, quod una pars disjunctivæ comprobetur. Reſpondeo cum Bannes *ibidem* quod conjunctivè ſe habet dicere & credere, at melius cum Cajetano, mox citando, quod poſſint etiam incurrere cenſuras, impoſitas dicenti contra fidem voluntariè, licet non credant errori, ſicut magi, idololatræ & alii malitioſe committentes facta hæreticalia abſque infidelitate in intellectu, ut & blaſphemi hæreticales incurrunt pœnas ipſis impoſitas, etſi non aſſentiantur dictis hæreticalibus. Etenim S. Petrus verè peccavit, negando Chriſtum. Tenemur enim non ſolum corde credere ad juſtitiam, ſed & ore confiteri ad Salutem; unde Marcellinus, & Salomon colendo Idola ſine infidelitate interiori, pœnas incurrerunt à Deo impoſitas.

Aſſero ſecundo. Pœnæ peculiares à Deo impoſitæ ſunt Idololatris, magis, & hariolis in S. Scriptura, & à legibus canonicis ac civilibus. Patet ex dictis, eſtque contra Suarez quod ad idololatras, & ſermo eſt de his quatenus peccata ſunt, ac liberè aguntur.

Aſſero tertio. Idololatræ ſine infidelitate, magi, harioli, divinatores, & alii ejuſmodi incurrunt prædictas pœnas. Nam iis ſunt impoſitæ tales pœnæ, diverſæ autem hæreticis. Ergo ſuas quiſque incurret, cùm Idololatria, magia, ac cætera perfici poſſint abſque infidelitate interiori, aliàs nullus eſſet idololatra, magus aut hariolus, qui non eſt hæreticus. Hanc aſſertionem docet Cajetanus 2. 2. *art. 1. ad 7. & qu. 94. art. 1. ad 1. & qu. 95. art. 3.* quem tamen non rectè intellexerunt Bannes, Suarez, & alii *locis allegatis*, quaſi dixerit, idololatras, magos, &c. ſine infidelitate incurrere pœnas hæreticorum.

Nam primò duntaxat docet, quod ex timore thura idolis exhibens, licet non peccet peccato infidelitatis interiori, peccat tamen peccato infidelitatis exteriori, non oppoſito fidei, ſed confeſſioni illius. Quare ſubdit, licet talis non ſit hæreticus, nec idololatra ſecundum mentem, eſt tamen idololatra actu exteriori, & ſub ectus juribus Dei ac hominum contra idololatras non dicit contra hæreticos. Quia homo judicat ea, quæ extra ſunt, & Deus voluntatem conſentientem.

Contendit ſecundò Cajetanus, quod quemadmodum non excuſatur in foro conſcientiæ à furto, fornicatione, negatione fidei, ac idololatria, qui ex alieno affectu hos actus exterius committit, quia voluntariè committit actus exteriores talium peccatorum, ita non excuſatur in foro conſcientiæ ab Eccleſiaſticis cenſuris, latis contra committentes talia crimina, ut ſi eſſet lata excommunicationis ſententia contra fures, ille, qui in ſolo exteriori actu furti, conſentiendo furatus fuerit, procul dubio eſſet excommunicatus in foro conſcientiæ quia voluntarium furtum commiſit. Ita & in hoc caſu. Non enim tantùm dicitur in foro conſcientiæ fur, aut idololatra, qui ex affectu furti, aut idololatriæ furatur, vel colit idola, ſed etiam qui voluntariè exercet actum exteriorem furti, aut idololatriæ. Unde fruſtra conatur hæc ſolvere Suarez, cùm ex diverſis cenſuris ac pœnis ſupra relatis conſtet diverſitas horum criminum.

Caſtropalaus autem *tr. 4. diſp. 8. pun. 5. n. 1.* tenet cum Sanchez *lib. 2. decal. cap. 7. n. 1.* quod ſiquis coluerit dæmonem ex metu, vel avaritia, vel ex alio affectu, quia non eſt verus idololatra, non incurrit pœnam excommunicationis, latam à Joanne XXII. in citata extravaganti, quam aliqui aiunt, non eſſe uſu receptam. Cui formaliter opponitur doctrina Cajetani, & merito quidem. Nam Pontifex expreſsè procedit contra idololatras, ſortilegos hæreticales &c. abſque infidelitate, ideo concludit non incurrere omnes hæreticorum pœnas. Quod non diceret, ſi errori adhærerent.

Alphonſus verò à Caſtro *lib. 1. de juſta hæret. punit. cap. 1. & ſeqq.* poſt Sylveſtrum *lib. 1. de ſtrig. mag.* rectè concludit, blaſphemos, ſortilegos, augures, alioſque divinatores, & magos non eſſe, tanquam hæreticos cenſendos, neque ut tales puniendos, ſed tantum poſſunt vocari hæretici præſumptivè. Non tamen placent alia, quæ ibi dicit *cap. 13.* Et primò illud, quod invocare expreſsè dæmonem ad ſciendum futura, quæ poteſt per ſe manifeſtare, non ſit hæreticale, ſecus autem ſi ad præcognoſcendum ea, quæ dæmon præſcire nequit, quia, inquit, eſt aperta hæreſis, credere, quod licitum ſit, dæmones illa præſcire.

At certè etiam eſt aperta hæreſis credere, quod licitum ſit, dæmones invocare. Ergo pariter erit ſuſpectus de fide hic, ſicut ille, licet in illo caſu interveniant duæ hęreſes, in iſto autem una. Unde erit probabilis ſuſpicio, quod invocans dæmonem, credat licitum eſſe, eos expreſſe invocare. Cur enim propter unam hæreſim erit ſuſpectus de fide, & non propter aliam, cum utraque facto ipſo præbeat occaſionem rationabilem ſuſpicandi de mala intentione operantis; Eoque magis, cùm idem autor *cap. 15.* improbans Grillandum, teneat, quodlibet maleficium, quod fit per commixtionem alicujus Sacramenti, aut rei Sacramentalis reddit operantem de hæreſi ſuſpectum. Quoniam, ait, niſi ille crederet talia Sacramenta, aut Sacramentalia habere virtutem ad maleficiorum operationem, illa non adhiberet. Unde contra has dæmonum invocationes proceditur in S. Officio, tanquam contra ſuſpectas de fide.

Sed mibi maximè diſplicent, quæ ſubdit. Ait enim, *quod Inquiſitor ideò cum talem maleficum agnoverit, capere illum poteſt, non quidem propter maleficium,* (en loquitur contra Conſtitutiones Alexandri VI. Innocentii VIII. & alias antiquiores) *ſed propter Sacramentorum commixtionem, per quam ſe ſuſpectum de hæreſi reddidit, captumque illum diligenter examinabit de illius credulitate. Quod ſi ille dixerit, ſe non credere, quod Sacramenta aliquam habeant ad maleficia virtutem, ac poteſtatem, ſed ideo appoſuiſſe, ut dæmonis voluntati, qui hoc imperavit, obediret, tunc Inquiſitor non poterit illum, quamvis graviſſime peccantem, punire. Quia illi prohibitum eſt in cap. accuſatus §. ſane de hæret. in 6. ſed illius punitio ad ſolum defertur ordina-*

rium

rium. Si verò maleficus dixerit, ſe ideò Sacramenta, aut Sacramentalia in ſuo maleficio immiſcuiſſe, quia credit illa virtutem aliquam habere, tunc meritò Inquiſitor juxta cap. accuſatus poterit illum punire, non propter maleficium, ſed propter errorem fidei. A quo, ſi legitimè admonitus, diſcedere noluerit, etiamſi reſipiſcat, ut hæreticus condemnatur apud omnes, niſi fuerit spontè comparens, cuique per omnia tanquam hæreticus ab eo tractandus. Idem dicas de conculcante pedibus Crucem Domini, aut imaginem Deiparæ Virginis. Additque in fine cap. 16. *Quædam flagitia committunt malefici, propter quæ abſque Judicis Eccleſiaſtici ſententia, qui illos de hæreſi damnaret, ſola ſecularis poteſtas poteſt illos capere, & ultimo ſupplicio punire. Nam pueros noctu occidunt, aut agros, aut valetudinarios efficiunt, & alia ſimilia committunt, per quæ digni ſunt morte, etſi de illorum infidelitate, aut apoſtaſia non conſtaret.*

Nam Inquiſitor propter maleficium quodlibet, præcipuè hæreticale, etiam ante Bullam Sixti V. poterat procedere, ut patet ex citato *cap. accuſatus*, & ex conſtitutionibus relatis à Malleo, à Carena, à Salelle, ab aliis, Alexandri VI. & Innocentii VIII. quæ expreſſè contra maleficos ſtriges, ac divinatores emanarunt. Unde & divinationes, incantationes, ac ſuperſtitiones ſimplices ſubjiciebantur Inquiſitoribus; quanto magis hæreticales? Præcipuè cùm ſoleant malefici fidem Chriſti expreſsè abnegare, promittentes nunquam ad illam redire, nec aliter dæmon eorum ſceleribus vult cooperari, ut ipſe Caſtro antea notaverat.

Nullo tamen modo ad Judices ſeculares pertinent, cùm ſaltem importent ſuperſtitionem cum pacto tacito Religioni adverſam, ideoque crimen eſt ſpirituale, de quo Judex ſecularis judicare non poteſt, eoque magis ſi illi hæreſis eſſet annexa. Nec crimen ejuſque cauſa debet dividi, minuſque requiritur, quod reus fateatur pravam intentionem, ut Inquiſitor poſſit procedere contra maleficium hæreticale, aliàs de facto tantum contra hæreticum formalem poſſet procedere. Quod omni caret probabilitate, eſtque contra omnes Doctores, omneſque Canones, & praxim ſupremi Tribunalis, & aliorum tollitque abjurationem de levi, ac de vehementi, & veram intelligentiam Canoniſtarum in *d. cap. accuſatus*. Sed ſatis eſt, quod ſit redditus ſuſpectus manifeſtè de hæreſi ob factum hæreticale, ut expreſsè tradit idem *cap. accuſatus*, & declarat Directorium ac Sylveſter, aliique poſteriores ſuprà citati, & tunc debet abjurare de vehementi, vel ſaltem de levi. Quod ſi fateatur hæreſi adhæſiſſe, abjurabit de formali, & tanquam hæreticus condemnabitur. Verbum autem illud *manifeſtè* cadit ſupra ſuſpicionem, vel ſupra hæreſim ipſam manifeſtam, & claram, non autem ſupra manifeſtam pravam intentionem operantis. Sic enim ſumus extra caſum ſuſpicionis, habemuſque evidentiam facti hæreticalis, & confeſſionem adhæſionis hæreſi; ac per conſequens debet abjurare de formali. At hæc, aliaque plura, quæ in illo opere cumulavit Caſtro propter multa ejus in Rempublicam Eccleſiaſticam merita condonamus; fuit enim doctus Theologus, non autem habuit uſum rerum S. Officii, quas judicare difficile eſt ſanè, niſi experto.

Neque obſtat, quod Urbanus VIII feriat excommunicatione aſtrologos judiciarios in caſibus ab eo expreſſis, atque adeo cenſuras hæreticorum incurrant ſuſpecti de hæreſi. Nam diverſa eſt cenſura iſta ab illa, & ab alia in regulis Judicis contenta, ſi retinuerint libros magicos, &c. non tamen reſervata Papæ, ſicut illa, quæ fulminatur in Bulla Cœnæ contra hæreticos. Per accidens autem magi, & malefici quandoque puniuntur pœna capitali juxta conſtitutionem Gregorii XV. quæ debetur hæreticis relapſis, aut impœnitentibus, non quidem formaliter, ut magi, & malefici, ſed propter annexa homicidia, & damna, publicaſque profeſſiones contra fidem, & alia enormiſſima ſcelera, quæ ipſi committunt.

CONSULTATIO CXXXVIII.

Quid in caſu dubio, ac in aliis caſibus ad Inquiſitores ſpectantibus.

IN eam autem dubio an maleficium ſive ſortilegium ſuſpicionem hæreſis habeat, ſpectat poſitivè ad Judicem Eccleſiaſticum, quia cauſa eſt de objecto Eccleſiaſtico: Dubitatur namque an caſus ſit hæreticalis, vel ſuſpicionem hæreſis habeat. Ergo habet pro objecto formali hæreſim, atque adeo ſolus Judex Eccleſiaſticus poteſt hujuſmodi cauſam cognoſcere ac definire, ut per Freytum ad Roderic. *de confeſſ. Sollic. quæſt. 5. num. 39.* Caren. *d. tit. 12. num.* 140. Turrian. *in Select. p. 1. diſput. 30. cenſur. 2. dub. 5.* & Bordon. *tom. 1. cap. 18. num. 51.* Qui etiam putant opinionem aſſerentem, quod Judex laicus poteſt judicare, an aliquod delictum ſpectet, vel non ſpectet ad S. Officium, eſſe temerariam.

Unde poteſt Inquiſitor, vel Epiſcopus cogere ſub Cenſuris Judicem Laicum, ut ſibi remittat maleficum, vel quemlibet alium ſortilegum carceratum cum ſuo proceſſu, & ſcripturis, ut de maleficiis, ac ſortilegiis illum judicet puniatque. Nam ratione criminis Eccleſiaſtici petere poſſunt Judices fidei omnes maleficos, & ſortilegos, & Magiſtratus Seculares tenentur eis obedire, quia de hujuſmodi crimine nullatenus, neque directè neque indirectè cognoſcere poſſunt, aut judicare per *text. in c. ut inquiſitionis §. prohibemus de hær. in 6. &c. Conſt. B. Pii V.* Quæ habetur inter litteras Apoſtolicas pro S. Officio Inquiſitionis in fine Directorii.

Poſſunt quoque Judices ac Magiſtratus ſeculares compelli per cenſuras ab Inquiſitoribus, & locorum ordinariis ad exhibendum proceſſus, & quaslibet alias ſcripturas, quæ contra Maleficos aliquid contineant, quod cauſam fidei tangat, & Judicium Inquiſitorum juvare valeat ex argumento textus *in cap. ut commiſſi de Hæret. in 6.* & ex annotatis à Royas *ſingul. 4. §. edere*, Pegna *in lucer. Inquis. de Strig. vers.* Sed ab hac ſententia, Carena *dec. part. 2. tit. 12. num* 140. & Bordono *tom. 1. cap. 18. de Sortileg. num. 51.* Qui etiam addunt hujuſmodi remiſſionem illicò faciendam eſſe in qualibet judicii parte, tradendo proceſſum, & quæcumque alia pertinentia ad cognitionem cauſæ. Quia Judex Eccleſiaſticus omnium Dominus eſt, ut ad bonum finem cauſam conſervationis fidei, ac deſtructionis hæreſum devenire poſſit, nulluſque poteſt ſine mortali peccato juriſdictionem alienam ſibi uſurpare, ut probat D. Thom. 2. 2. *quæſt. 60. art. 6.* Navar *conſ. 2. de hæret num. 4. §. 2.*

Verùm ſi, exempli gratia, comprehenſa fuerit aliqua malefica à Magiſtratu Seculari pro infanticidio, aut alio delicto ſeculari, & dum illa interrogaretur conſtitit ſibi de hæreſi, vel de alio delicto hæreſim ſapiente, tunc, peracto judicio hæreſis, eidem Judici ſeculari reſtituenda malefica eſt, ut is aliorum criminum cœptum judicium legibus civilibus peragat. Tunc enim non dicitur propriè Curiæ ſeculari relinqui, ſed potius Judici reſtitui, qui ratione criminis ſecularis ſuper malefica illa legitimam habet juriſdictionem. Quod veriſſimum eſt, & in praxi ſervatur, *ex citata Conſtit. B. Pii V.* Quare Carcerati S. Officii non traduntur, ſive remittuntur Judici ſeculari, niſi fuerint ab ipſo habiti 29. Martii 1601. & 12. Aprilis & 30 Auguſti ejuſdem anni, & 12. Junii 1602. & 24. Januarii 1605. & 18. Decembris 1613 ac alibi ſæpius.

Undè cùm Legatus Ferrarienſis petiiſſet ſibi tradi carceratum poſt expeditam cauſam S. Officii, ut pro

delictis ad forum ſeculare ſpectantia illum puniret Sanctiſſimus dixit, id eſſe contra Stylum S. Officii, quod non remittit ſuos carceratos ad alios Judices. Unde ei ſcriptum, ut mitteret indicia, quoniam ex juſtitia punietur in S. Officio 16. Junii 1616. Quod procedit etiam ſi agatur de pœna capitali 19. Martii 1627. Quando itaque Curia Secularis petit ſibi tradi Carceratos in S. Officio poſt expeditam eorum cauſam S. Officii, ut pro delictis ad forum ſeculare ſpectantibus eos puniat, non eſt ipſi annuendum. Quando autem ſunt habiti à Judice Seculari, ſive ab alio, & ſunt ei reſtituendi, ſi pœna eis imponenda erit major impoſita à S. Officio, tunc luent pœnam Curiæ Secularis, ſecus autem ſi Minor; Cauſas enim in quibus judicavit S. Officium, nullus alius Judex judicat 4. Aprilis 1584. Aliquando tamen etiamſi habiti fuerint ab alio Judice, non reſtituuntur, ut ſub die 7. Auguſti ejuſdem anni. Regulariter tamen Carcerati, habiti à Curia Seculari, finita cauſa reſtituuntur 7. Julii 1611. De carceratis S. Officii aliàs plura.

Ex quibus conſtat, quod vice verſa Judex Secularis non poſſit Judicem Fidei compellere, ut ſibi exhibeat reos, qui ſecularia delicta commiſerunt, ut illos puniat. Quia Judici ſeculari nulla competit juriſdictio in Judicem Eccleſiaſticum. Cum verò Judex Eccleſiaſticus in ſuo Tribunali delinquentes punierit, tunc Judex ſecularis pro criminibus ad ſuum forum pertinentibus eos punire poterit, ut per Gomez *tom. 3 var. reſol. cap. 1. num.* 40. Pegna *loc. cit.* Sed eo quidem modo, quo ſuprà.

Facta verò Inquiſitori remiſſione Maleficæ, vel Sortilegi, poteſt Judex laicus ulterius in illius cauſa procedere, dummodo tamen cauſa S. Officii non impediatur, Seſſe *de inhibit. juſtit. cap* 30. §. 1. *num.* 11. Carena *part. 2. de fortil. tit.* 12. *num.* 140. Quia nihil habet commune cauſa hæreſis cum alia cauſa, non ſpectante ad S. Officium. Et quamvis B. Pius V. in adducta Conſtitutione dicat, *ſuſpenſa aliorum criminum cognitione*, nihilominus hæc verba intelligi debent de ſuſpenſione cognitionis, quæ obeſſe poteſt S. Officio, ut cum Seſſe notat Carena *loc. cit.*

Hac verò in re tenendum eſt. Carcerati in S. Officio, pendente eorum cauſa, non debent, neque poſſunt moleſtari in aliis Tribunalibus, ſed ſuperſederi debet in quibuſcumque eorum cauſis, ſivè civilibus, ſive criminalibus, donec fuerit expedita cauſa S. Officii, nec in perſona neque in rebus moleſtati, 22. Januarii 1588. & 25. Junii 1598. & 9. ac 15. Julii ejuſdem anni, & 27. Septembris ejuſdem anni; Ac ita, ut acta facta tempore eorum carcerationis revocentur 20. Januarii 1610 cauſæ enim S. Officii omnibus aliis præferuntur 19. Junii 1614. Eſt enim hæc conſuetudo vetuſtiſſima S. Officii, 27. Januarii 1616. & 18. Auguſti 1627. Nec ſunt moleſtandi, etiamſi maneant domi propriæ loco carceris, ut ſub die 4. Auguſti 1618 Poteſt tamen Judex aliquo modo providere, ne bona ipſius carcerati dilapidentur in præjudicium creditorum 5. Junii 1619. Si tamen aliquid per ipſos ſolvendum eſt pro fructibus liquidis, tenentur illud ſolvere 17. Septembris 1604.

Et juxta eamdem conſuetudinem iidem Carcerati non examinantur ad inſtantiam quorumvis Judicum. Unde acriter reprehendendi Inquiſitores & Ordinarii, qui hos Carceratos examinari permittunt à Curia ſeculari. Permittitur verò ut examinentur in alio foro, uti teſtes, nunquam verò uti rei principales, & cum aſſiſtentia Inquiſitoris. Et Inquiſitor ob aſſiſtentiam & permiſſionem examinis diſpenſatur ſuper irregularitate, quatenùs ex dicto examine ſequeretur Sententia Sanguinis 21. Auguſti 1603. & in litteris anni 1594. Permiſſumque Inquiſitori, ut cum ſua præſentia, vel ſui Vicarii permittat, quod Curia Secularis examinet ad torturam in S. Officio inquiſitum de homicidio, ſed in carceribus ſemper. Quæ licentia fuit aliàs denegata 25. Maii 1605. Cum eadem tamen licentia fuit conceſſum, quod domi detentus cauſâ S. Officii examinetur per Judices ſeculares 14. Julii 1605. Et aliàs carceratus in S. Officio examinatus fuit, uti teſtis in cauſa matrimoniali pendente in Rota cum aſsiſtentia Socii P. Commiſſarii 8. Aprilis 1609. In ſpecie tamen denegatur, quando reus eſt examinandus uti principalis 20. Maii 1609.

Reus verò condemnatus ab Inquiſitore, ad Carcerem, vel ad triremes eſt remittendus, ut a Judice laico pro aliis delictis puniatur, etiamſi pro hac remiſſione impediatur executio ſententiæ Inquiſitoris. Nam quò ad pœnam carceris etiam executioni demandatur in carcere laico, dum reus ibi à Judice detinetur. Pœna autem triremium executioni demandari poteſt, expleto judicio. Si verò à Judice laico ad mortem damnatur, morte ſolvitur omnis alia pœna à Judice Eccleſiaſtico impoſita. Neque Inquiſitor remittendo Sortilegum ad Tribunal laicum, in quo ſit condemnandus ad mortem, incurrit irregularitatem. Quia cenſetur diſpenſatus à Summo Pontifice, dum B. Pius V in præſata Conſtitutione præcipit hujuſmodi remiſſionem ad Judicem Secularem. Ita enim ait *ſuſpenſa aliorum criminum cognitione, ad eoſdem Cardinales & Inquiſitionis carceres, ibidemque ad criminis hæreſis totaliter cognitionem & expeditionem retinendos. Et poſtea ad eoſdem Officiales pro aliorum criminum expeditione remittendos, ſine mora tranſmittat.* Quod intellige ut ſuprà, quando ſcilicet reus habitus eſt à Curia Seculari.

Reus autem, qui à Judice laico reperitur apud ſe retinere in tortura Sortilegium taciturnitatis ad reticendam veritatem, non poteſt etiam de hoc crimine ab ipſo Judice judicari, neque puniri; Nam omne Sortilegium aut eſt conjunctum cum hæreſi, aut cum hæreſis ſuſpicione, ac proindè etiam quando reus reperitur in tortura, cum arcano dæmoniaco, ut tormenta ſine dolore ſuſtineat, & immobilis ac mutatus remaneat, eſt judicandus ac puniendus ab Inquiſitore privativè quo ad Judicem Secularem: Immò poſt Conſtitutionem Sixti V. Inquiſitores cognoſcunt de omnibus Sortilegiis, etiam ſimplicibus, & non manifeſtè hæreſim ſapientibus, ut tradunt Scort. *in Bull. Pontif. epit.* 58. *theor.* 158. Seſſe *tom. 4. dec.* 464. *num.* 8. & 18. ac *ſeq.* & *dec.* 466. *n.* 4. & 17. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *q.* 4. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *n.* 91. Farinac. *de hæreſ. qu.* 181. *n.* 93. Molfeſ. *in ſum p.* 1. *tr.* 11. *cap.* 7. *n.* 145. Diana *tom.* 5. *tract.* 12. *reſol.* 10. §. 1. & Carena *loc. cit. tit.* 12. §. 16 *n.* 146. & *ſeqq.*

Si autem dubitetur, an Sortilegium hæreſim ſapiat, illius cognitio etiam ad Inquiſitores ſpectat. Quia, ut dictum eſt, cauſa eſt de objecto Eccleſiaſtico, & ſolus Inquiſitor eſt ejus Judex competens ex *l. Titia ff ſol. matr.* ibique Doctores communiter, & conſtat ex jure novo Conſtitutionis Sixti V. ac teſtantur Simanch *tit.* 30. *num.* 21. Pegna *in direct. part.* 2. *com.* 63. Alagona *de confeſſ ſollic. quæſt.* 5. *num.* 13. Diana *loc. cit.* & Carena *num* 148. Inquiſitores enim Primò ſunt inſtituti adversùs Hæreticos, eorumque defenſores, ac receptatores, ut ex Conſtitutionibus, ac decretis Apoſtolicis in fine directorii Eymerici. Secundò contra ſuſpectos de hæreſi, Magos Sortilegos, Divinatores, & hujuſmodi alios, ut ex decretali Joannis XXII. Innocentii VIII. Julii II. Leonis X. Adriani VI. Tertiò contra Divinatores, Sortilegos, & Magos tantum Superſtitioſos abſque ſuſpicione hæreſis, ex citata conſtitutione Sixti V. Gregorii XV. & Urbani VIII. Sicut & circa alia plura, quæ ſuſpicionem hæreſis non inducunt ad terrorem, ac extirpationem delictorum, ut mox exemplis probabimus.

Ex quibus infertur, poſt dictam decretalem Sixti V. Non eſſe ampliùs locum illi quæſtioni, quam pertractant Carena, & alii poſt Sylveſtrum *lib.* 3. *de Strimag. pun.* 2. §. 6. & Jo. Andream, ab eo relatum

alioſ-

aliosque antiquos, utrum ſcilicet Inquiſitores poſſint judicare, an delictum ſapiat hæreſim, ut contra illud procedant, cum hodie procedere poſſint, etiamſi non ſapiat hæreſim. Nam Judex in dubio cognoſcit, an ſua ſit juriſdictio, eamque dicitur habere in dubio, *l. ſi quis ex aliena ff. de judic.* Et quamvis Sylveſter videatur contrarius, id tamen ſolum intendit, quod inquiſitor non debet procedere, ſi ſortilegium non ſapit hæreſim manifeſtè, quod verum eſt juxta terminos juris antiqui *cap. accuſatus de hæretic.*

Hinc non obſtat, quod debent ſortilegi convinci manifeſtè de hæreſi. Quod non ſequitur ex factis præciſè. Cum enim hæc facere poſſint, & ex infidelitate, & ex voluptate, non poteſt concludi, quod ea ex infidelitate faciant. Intervenit namque fallacia conſequentis ex duabus cauſis poſſibilibus, ad earum unam determinatè concludendam; nam aliàs de nullo hæretico poſſet concludi, quod ſit hæreticus, quia poſſet excuſari, protuliſſe hæreſes propter dilectam uxorem hæreticam, vel ut licentius peccet. Unde rectè notat Sylveſter, maximum eſſe diſcrimen inter eſſe, & ſapere hæreſim. Primum importat hæreſim formalem. Secundum ſaporem hæreſis, quod non ſemper eſt cum hæreſi, nec de ea abjurant formaliter, ſed habentur ut hæretici præſumptivè, ex Jo: Andrea & Sylveſtro *ibidem*. Nam Magæ regulariter fidem abnegant, pluraque magica crimina committunt, undè ſunt pluſquam Hæreticæ, ut notant Caſtro, Suarez, Sylveſter, aliique; undè ultimo ſupplicio traduntur, ſicut hæretici, relapſi, vel negativi, etiamſi pœniteant, qua pœna non afficiuntur hæretici formales pœnitentes, ſed perpetuo carcere.

Ex quo refelluntur Paramus *de orig. inquiſ. l. 3. qu. 9.* Albertin. *de agnoſcend propoſ. quæſt.* 35. *num* 18. Toreblanca, & alii, aſſerentes, convictum, vel confeſſum de facto hæreticali, vel apoſtatico, ut hæreticum eſſe puniendum, nec eſſe audiendum, ſi impiam intentionem neget, cum in malis factis malus præſumatur animus; nam contra ſentiunt communiter Doctores, nominatim Symanch. *de cath. inſti. tit.* 65. Catena *in qu ſt. crimin. tit. 1. de hæret. cap* 1. Pegna *par. 3. direct. com.* 110. *& alibi*, Farinac. *de hæreſ. quæſtio.* 179. *numero* 54. Torquentur enim hujuſmodi rei ſuper intentione, & quamvis rectam ſe habuiſſe intentionem fateantur, abjurant tamen de levi, vel de vehementi, de facto convicti, & confeſſi neque excuſantur ex eo, quod facta aliqua talia ſint, ad quæ natura proni ſunt homines. Nam comedentes carnes diebus prohibitis, Polygami, ſollicitantes ad turpia pœnitentes in ſacra confeſſione; Regulares profeſſi contrahentes matrimonium, aliive coguntur abjurare de vehementi, licet ſint delicta, ad quæ proni ſunt homines.

Non obſtat, quod Simon de Pretis *cons.* 105. conſuluit, ac judicavit quemdam ſortilegum, qui hoc ſortilegio taciturnitatis uſus fuerat eſſe per Judicem ſecularem puniendum. Quia certum eſt ejus conſilia fuiſſe typis excuſa anno 1575. atque adeò ante conſtitutionem Sixti V. quæ fuit edita anno 1586. die 9. Januarii, quare hodie per dictam Conſtitutionem, etiamſi dubitetur, an ſortilegia, divinationes, & maleficia hæreſim ſapiant, ad inquiſitores hoc judicium pertinet.

Minus officit, quod hujuſmodi ſortilegia præjudicant juriſdictioni ſeculari, ejuſque Fiſco, qui ex rei ore delicti veritatem eruere non poteſt. Nam, mediante inquiſitoris officio, infringitur ſortilegium, & reus amittit vires tacendi in tortura; & ſic non impeditur juſtitia, nec læditur officium Judicis laici, ſed potius perficitur, ut per Catenam *loc. cit. numero* 147. & Bordonum *tom. cap.* 18 *numero* 15. Præterea ex hujuſmodi ſcripto ſivè Dæmonis teſſera ſortilegium continente, apud reum reperta, poteſt Judex laicus judicium validum ſumere contra inquiſitum de delicto pro quo inquiritur, ut in hac ſpecie obſervat Anton. Faber *in ſuo Cod. Fabr. lib. 9. tit. 21. defini. 3.* An autem liceat Judici laico interrogare talem reum de cauſa, ob quam ſcriptum illud apud ſe retinebat, à quibus habuerit, quibus tradiderit, ut deveniat in cognitionem ſociorum criminis, ac reddatur validius indicium illud, magiſque graverur de delicto principali, pro quo mancipatus in carceribus ſecularibus repetitur, remittendum id eſſe determinationi ſupremi Tribunalis S. Inquiſitionis, ait Catena *part. 5. tit.* 11. §. 16. *num.* 154. At ego hanc quæſtionem ita definio. Si Carcerati in curia ſeculari de aliis interrogati, aliquid incidenter deponant, ſpectans ad S. Officium, Judices ſeculares poſſunt permittere, quod ſcribatur, ſed quamprimùm teneantur Inquiſitoribus, vel Ordinariis illud referre. Si verò dicti Carcerati dicant ex profeſſo habere aliquid deponendum, ſpectans ad S. Officium, id iidem Judices Laici ſignificare debent Miniſtris S. Officii, ſive Ordinariis, ut illorum examen ſecreto recipiatur. Ita ex decreto S. Congregationis S. Officii 24. Octobris 1601.

Licitum tamen eſt Judici laico mandare, ut corpus rei totum abradatur, & lavetur, quando ipſe Judex advertit, illum ſuſtinere tormenta ex maleficio ſine dolore. Quia licitum eſt aliquid facere, quod per ſe indifferens eſt, ut Dæmonis pactum expiret, & maleficium deſtruatur. Abradere autem, & lavare corpus eſt per ſe quid indifferens, atque adeò dum id ordinatur ad deſtruendum maleficium, quo rei uti ſolent in capillis, ac pilis, vel in corporis unctione, licitum eſt Judici laico, rei corpus abradere, & lavare, ut amittat vires, & facilius confiteatur. Neque id fit ob aliquam ſuperſtitionem, ſed ſolum, ne lateat maleficium, quod etiam tradunt Leſſ. *lib. 2. de juſt. cap.* 44. *num.* 44 *& ſeqq.* Delben. *de S. Offic. part. 2. dub.* 229. *ſect. 2. num* 26. & Bordon. *decſ.* 18 *num.* 18.

Neque vim facit, quod ait Victoria de Magia *num.* 16 ſi ad expulſionem dæmonum radantur pili, aut capilli, aut aliquid hujuſmodi fiat; eſt magia manifeſta; Nam, ut inquit Leſſius, ille loquitur de expulſione Dæmonum à corporibus humanis ad quam nihil facit tortura pilorum, non autem de reis, qui maleficiis utuntur, ut reddantur in tormentis inſenſibiles, & cogi non poſſint ad confeſſionem commiſſi delicti.

Retinens autem ſchedulam, continentem ſortilegium eſt ſuſpectus de illius uſu, & ſi neget uſum, eſt ſuſpectus de hæreſi. Prima pars probatur. Nam à communiter accidentibus ſequitur præſumptio veritatis *l. neque natales C. de probat.* Retinentes autem hujuſmodi arcana, ſolent communiter uti. Finis enim retentionis eſt uſus rei retentæ *l. certi conditio*, §. *ſi nummos ff. ſi cert. per. Tuſch. litt. A. concl.* 495 atque adeò retinens ſchedulam continentem ſortilegium, eſt de illius uſu ſuſpectus. Et ſicut retinens librum hæreticum præſumitur illum legiſſe, ac ille apud quem reperta ſunt inſtrumenta apta ad fabricandam falſam monetam præſumitur illam feciſſe, ut docent Franchus, Riccius, Giurba, & alii quos in propoſito ſequitur Catena *p. 2. tit.* 12. §. 24. *num.* 220. ita ſimiliter qui apud ſe retinet ſcripta, vel res aptas ad ſortilegia, præſumitur illis uſus, & ita obſervari in Curia Archiepiſcopali Neapolitana, teſtatur Genuens. *cap* 18. *num.* 13. *& cap.* 68. *num.* 12. & tradunt Bisfeldius *de confeſſ. malefic. & ſagar. membr. 1. concluſ.* 6. *&* Bordonus *tom.* 1. *cap.* 18. *n.* 61.

Secunda pars, quod ſcilicet ſit de hæreſi ſuſpectus, etiamſi in tortura neget uſum illius, probatur. Quia, ſicut dictum eſt ex ſola retentione libri oritur ſuſpicio hæreſis vehemens, vel levis juxta conditionem perſonæ, ac libri qualitatem, aliaſque circumſtantias ex Catena *p. 5. tit.* 10. §. 3. *& ſeq.* ita quoque dicendum de retinentibus ſchedulis ſortilegii, quod firmant Pegna *part. 2. direct. n* 67. *Genuenſ in prax. d. cap.* 68. *n.* 8. Zanard. *in ſum. divin. præcept. cap.* 64. *vers. contra ſortileg.*, Catena *tit.* 12. *n.* 145. & Bordon. *loc. cit.*

Idem etiam dicendum de faſcinatoribus veneficiis: Dari enim morbos à veneficiis alibi probabimus. Nam

Nam ut aliàs Dæmon iis cum quibus pactum iniit, perſuadet, ſi res nullius momenti, vel liminibus domus, vel lectis imponant, ſe iis effectus illos, quos cupiunt, præſtare, cum tamen omne illud Dæmonis operâ præſtetur, ita quoque idem veneficos perſuadet, ut eum cui nocere volunt torvum aſpiciant, ei malè precentur, interim viſus, voxque nihil tale præſtant, ſed omnium illorum, quæ hominibus, vel brutis accidunt malorum author dæmon eſt de quo Scaliger *exercit.* 346. malus Dæmon iſta facit, non ut hominem faceret potentiorem, ſed ut ipſum deciperet credulitate, atque ſocium haberet tùm impietatis, tum æterni exitii. Ipſe igitur agit Dæmon. Stultus ille ac vecors putat ſuis ſe verbis agere.

Talis fuit procul dubio Senex ille, cujus mentionem facit Hieronymus Vida, ut & Vetula illa, de qua Codronchius *l. 1. de morb. venef. cap.* 3. quæ mulieris nobilis ventri blandiens manum admovit quo contactu alterata fœmina nobilis fœtus motum inconſuetum ſtatim ſeoſit, & ut poſtea fœtum in fruſta comminutum ſummo cum vitæ diſcrimine ejecit. Facit ibi idem Codronchius & alterius vetulæ mentionem, quæ cum manu ventrem puerperæ tetigiſſet, puerpera ſex menſibus peractis, graviſſimos cruciatus circa ventrem inferiorem ſentire cœpit, tandemque cum alvum excernere vellet, ſpinas, oſſa, ligni fruſtula, & multa alia per ventrem inferiorem ejecit, & à torminibus liberata eſt. Et quidem negandum non eſt vocabulum faſcinationis ad actiones magicas ſæpè extendi. Unde Nicolaus Jaquerius librum ſuum contra Magos & Veneficos inſcripſit *Flagellum hæreticorum faſcinariorum* & Franciſcus Ronſſæus *epiſt.* & faſcinum pro veneficio ſumit.

Et ſanè ſigna quod attinet, antiqua eſt opinio faſcinantibus in oculis, vel utroque, vel alterutro eſſe binas pupillas, aut in uno oculo duas pupillas, in altero effigiem equi, vel canis. Quod certè de iis faſcinantibus intelligendum, qui pactum cum diabolo inivetunt, qui ſtigmatibus ejuſmodi ſua mancipia inſignire ac notare ſolet. Ut enim ea Autoribus, qui de Magis, & Veneficis ſcripſerunt patet, ſicut in aliis partibus notas quaſdam à Dæmone impreſſas Magi habent, ita non impoſſibile eſt, ut in oculis etiam eas obtineant. An verò pupillæ illæ geminę vel effigies canis, aut equi, aut Bufonis pedis, quod etiam obſervatum ſcribunt, re vera in oculo ſint, an ſaltem appareant, alii dijudicent. De ſtigmate magico Vide Raymundum de *ſtigmatiſmo*.

Quando autem ſi qui faſcino læſi ſunt ſint cognoſcendi, docet Cardanus *lib. 2. de venen. cap.* 7. ubi faſcinati indicia eſſe ſcribit colorem mutatum, oculos triſtes ac demiſſos cum lacrymis, aut nimium ſiccos, ſuſpiria, cor triſte, vigilias, inſomnia multa, maciem in toto co pore Et in primis pallēſcere ſignum faſcini & veneficii eſſe putat. Verum quis non videt, ſigna iſta etiam aliis morbis eſſe communia? Addit & hæc hiacinthum, & corallia faſcino impalleſcere, nitorem amittere, & ſi annulus digiro immittatur ex aſini ungula, fiatque is latior poſt aliquot dies, faſcino, vel veneficio affecti id eſſe indicium ſcribit. Certius ſignum eſt, ſi nulla alterius morbi indicia adſint, nec cauſa aliqua ſive externa, ſive interna, ſive ex parte matris, ſive infantis, quæ ei nocere potuerit, præceſſerit. Adſint etiam ſigna veneni, nec remedia aliquid proſint. Tunc enim de faſcinatione, ſeu potius læſione per effluvium malignum, aut veneficium ſuſpicio eſt. Itaque inquirendum quæ fœmina infantem tractaverit, vel cum eo converſata ſit: Alia dicemus, cùm de incantatione, veneficio, & magia erit ſermo.

Putant nonnulli eſſe ſuſpectos de hęreſi, omittentes ſacram confeſſionem & communionem in Paſchate, ac inſordeſcentes in excommunicatione. Quod ſanè ita explicandum eſt. Ex ſola omiſſione confeſſionis, & communionis ſecluſo contempti, & aliis circumſtantiis, non eſt aliquis ſuſpectus de hęreſi, ut per Farinac. *de hæreſ. qu.* 178. Carena *p. 2. titul* 17. §. 1. & Pegnam *in annot. ad Aymer. de Vignat. de hæret. quæſt.* 2. idque ſervatur in ſupremo Inquiſitionis Tribunali. Contemptus verò cenſurarum, etiam poſitivè, poteſt ferri in cenſuram, velut ſic, quaſi quiſpiam velit ſignificare, in Eccleſia non eſſe poteſtatem illam infligendi, aut nullius eſſe efficacię, & tunc debet procedere contra eum S. Officium, ſaltem tamquam contra ſuſpectum de fide. Vel tantum contemnit hanc cenſuram, quia exiſtimat injuſtè, ac invalidè prolatam, & tunc non procedit S. Officium. Atque ita intelligendum eſt S. Concilium Trid. *ſeſſ. cap. de reform.* atque id, quod aſſerit Carena *part. 2. tit.* 17. §. 1. & Genuenſ. *in procur. Arch. Neap.*

Quod autem ad inſordeſcentiam ut ea quæ alibi hac de re docuimus ſcrupulos omnes omnino tollant iterum firmamus cum communi Doctorum *in c. cum bono de ætat. & qual.* non ſufficere ad inſordeſcentiam perſeverare in excommunicatione per annum etiam completum, & continuum, ſed requiritur vel contemptus clavium; nec aliter in S. Officio proceditur contra tales, ut annotavit Pegna *part.* 2. *com.* 72. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 89. Zechius *in ſum part.* 1. *rubr. de fid. cap.* 11. Lazar. *de monit ſect.* 4. 9 8 & ita à Cardinali Arigonio ſcriptum fuit anno 1606. Epiſcopo Placentino. Vel inſordeſcentia proveniens ex inobedientia excommunicationis impoſitæ ab ipſo S. Officio in ſuſpectum de hæreſi, ut pariter ſcriptum fuit Epiſcopo Ferrariæ anno 1585. Ut ſi vocatus à S. Officio judicium ſubterfugiat, comparere nolens, ob contumaciam declaretur excommunicatus per textum *in cap. cum contumacia de hær. in* 6. ubi Gloſ. *in v. vehementem* avertit, quod quando ſuſpicio hæreſis eſt contra aliquem, ſi citatus ſit contumax, ſuſpicio incipit eſſe vehemens. Si verò talis contumax excommunicatus perſeveret in excommunicatione per annum, præſumptio quæ erat vehemens tranſit in violentam, quæ eſt ſufficiens ad condemnationem. Habetur id *in c. cum contumacia de hær. in* 6. *ubi* Oſt. *n.* 2. *& ſeq.* tradit ex hac perſeverantia in excommunicatione oriri præſumptionem juris & de jure, per quam hæreſis crimen ſufficienter probatur. Quod confirmant Butr. *ibidem n.* 7. *&* 11. Anania *num.* 6. Anchar. *num.* 4. Jo. Andr. *n.* 3. ac proſequuntur Pegna *part* 3. *com.* 46. Scacc. *loc. cit. cap.* 98. Farin. *de hæres. qu.* 192. Alter. *de cenſur. tom.* 1. *l.* 2. *diſp.* 8 *cap* 3. Sanctarel. *de hæres cap* 4. *dub.* 5. *concluſ.* 1. aliique communiter.

Ut tamen talis condemnetur veluti hæreticus, debet antea citari, ut purget ſe à ſuſpicione ante annum, immo & poſt annum, antequam hæreticus declaretur, debet ad judicium admitti, ut iidem Doctores tradunt. Immo etiam poſt declarationem ſtatua ejus combuſta, ut notavit Pegna *d. com.* 46. *verſ. adveniente*, Chartar. *de execut. ſent. cap.* 1. *num.* 278. & Sanctarel. *ibidem*, ubi alii. Nec verè dicendus eſt ille hæreticus, ſed veluti hæreticus. Dictio namque *veluti* non identitatem, ſed ſimilitudinem importat, ut declarant Pegna & Farinacius *loc. cit.*

Pertinet etiam ad Inquiſitores procedere contra innovantes aliquid circa canonizationem Sanctorum, aut alios ritus novos in Eccleſia inducentes, etiam in modo orandi ne prætextu pietatis oriantur in Eccleſia catholica contentiones, aut foveantur exortæ, ac ne cuilibet relinqueretur arbitrio publicas precandi formulas inſtituere, præſertim verò eas, quæ ſummorum Pontificum ſanctionibus adverſari videntur; eoque magis ſi cultum falſum, aut ſuperſtitioſum præſeferant. Quare cùm à nonnullis in Italia fuerit introductum Stellarium quoddam, ſive modus orandi inſtar Roſarii ſub titulo immaculatæ Conceptionis, ſupremum

premum Tribunal S. Officii illud gravibus pœnis prohibuit ſub Urbano VIII. ac ſub Innocentio X. cujus decretum juſſu Pontificis publicatum fuit Romæ more decretalium die 23 Novembris 1645.

Ad eoſdem etiam quæſitores fidei pertinet procedere in tranſgredientes decretales Pauli V. & Gregorii XV. poſt Sixtum IV. in extravag. Grave nimis, confirmata à S. Concilio Tridentino circa conceptionem Deiparæ, tam pro parte affirmativa, quàm negativa. Credit Moura, eſſe ſuſpectos de fide aſſerentes revelationes divinas ad favorem ſuæ opinionis. Sic enim videntur præjudicare probabilitati alterius opinionis contra decreta Pontificum. At Caſtro *de juſt. hæret. punit lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 4. per quem etiam Carena *part.* 2. *tit.* 17. tenet, quod qui de fide credent conceptionem Deiparæ immaculatam, eſſet hæreticus. Refertque idem Carena ex Portello ſupremum Inquiſitionis Luſitaniæ Tribunal, annuente Paulo V. anno 1619. damnaſſe propoſitionem illius, qui dixerat, quod, licet articulus conceptionis non eſſet de fide, erat tamen de pertinentibus ad fidem, quodque qui pro eo moreretur, eſſet verè martyr.

Neque obſtat, quod percutiens laicum, credens illum eſſe clericum, non incidit in excommunicationem can. Si quis ſuadente diabolo. Quia talis non eſt verè percuſſor clerici, ut rectè notavit Sanchez apud Carenam *loc. cit.* Cenſura autem dicti canonis afficit clerici percuſſorem. At iſte negat articulum fidei, unde fidem prorſus abnegat. Qui enim deficit in uno, factus eſt omnium reus. Supremum autem Tribunal, ad quod ſolent hujuſmodi cauſæ remitti, ab eoque expectari oraculum in tranſgreſſores prædictarum decretalium exequitur pœnas impoſitas in eiſdem Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſi ad pœnam ordinariam eos condemnat, vel earum partem, ſi ad extraordinariam, faciendo etiam è ſuggeſtu coram populo eos retractare, nunquam tamen facit aliquam hac præciſè de cauſa quempiam abjurare. Sicut nec ſi aliquis circa auxilia divinæ gratiæ alteram opinionem cenſuris afficeret contra peculiare decretum ejuſdem S. Officii. Inquiſitionis jam publicatum. Quidquid dicat Salelles, qui poſt Mouram omnes caſus ejuſdem S. Officii ſubjicit abjurationi, & uſurarios, ſimoniacos, peccantes cum conſanguineis monialibus, commatribus, ac committentes crimen nefandum, ac ſimiles ſuſpectos de fide. Secus verò ſi in utroque caſu miſcerentur hæreſes contra autoritatem Eccleſiæ, vel ejuſmodi aliæ. Tunc enim illas cogerentur abjurare de formali, & hæreticorum pœnas ſubirent. Ut ſiquis tam firmo animo hujuſmodi controverſias ſententias defenderit, ut Eccleſiæ alteram determinanti non eſſe paratas obedire; eo ipſo exiſtimaret Eccleſiam non eſſe fidei regulam infallibilem, ideoque in ſuis definitionibus poſſe errare. Quod eſt planiſſima hæreſis. Effata autem de Conceptione Deiparæ, hæc ſunt: Regulares, tractantes de hac materia, ſervare debent conſtitutiones *Sixti* IV, ac Pauli V. aliàs puniuntur. Diſputatione propugnantes, quod B. Virgo non ſolum non contraxit peccatum originale, ſed nec illum contrahendi proprium debitum habuit, non incidit in pœnas dictarum Conſtitutionem.

De ipſa concionantes, propriaſque opiniones probantes, & contrariam non confutantes, non contraveniant Conſtitutionibus Apoſtolicis. Inquiſitores circa hanc materiam in caſu contraventionis ſunt executores Conſtitutionum, & procedunt cumulativè, non privativè cum ordinariis.

Quiſque poteſt in die feſto conceptionis B. Virginis emittere ſolenne juramentum illam tenendi ac defendendi ſemper ſine peccato inſtar juramenti præſtiti à diverſis Civitatibus Hiſpaniarum.

Permittuntur typis evulgare meditationes, conciones, ſermones, ac ſimilia vulgaris idiomatis, in quibus aſſeritur conceptio B. Virginis ſine peccato originali, dummodo de contraria opinione non fiat mentio.

Gregorius XV. prohibet, ne de cætero, etiam in privatis diſputationibus, & colloquiis tractetur de opinione affirmativa conceptionis, videlicet, quod B. Virgo Maria fuerit concepta in peccato originali, non intendens tamen contrariam opinionem reprobare, eique aliquod præjudicium inferre. Juſſit etiam, quod in recitatione Officii, ac Miſſæ Conceptionis, non alio quam Conceptionis nomine quis uti poſſit, tranſgreſſores puniendo per Inquiſitores locorum pœnis in aliis ſummorum Pontificum Conſtitutionibus contentis.

Paulus V. ſub die 31. Auguſti 1617. de hac materia decretum edidit.

Concluſiones de hac re, etiam manuſcriptæ, non debent diſputari publicè, niſi prius videantur à miniſtris S. Officii, vel ab Ordinario. Inquiſitores non debent aſſentiri, ut imprimantur aſſerta miracula ad favorem Conceptionis B. Virginis, nempe quod ſit concepta ſine peccato originali. Si verò impreſſa fuerint, debent colligi exemplaria, frangi typi, & impreſſores prohiberi, ne deinceps audeant idipſum facere, tranſgreſſoreſque ſeverè puniri. Diſputationes concluſionum de hac re debent ab Inquiſitoribus ſuſpendi.

Concionatores contravenientes Conſtitutionibus Apoſtolicis hac de re editis, tenentur ſe retractare.

Alexander VII. Conſtitutione ſua data ſub die 1. Decembris 1661. Conſtitutiones, ac decreta à Romanis Pontificibus, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiæ aſſerentis, animam B. Virginis in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe, nec non & in favorem feſti, & cultus Conceptionis ejuſdem Virginis Deiparæ, ſecundum piam iſtam ſententiam exhibiti, innovavit, & ſub cenſuris ac pœnis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervare mandavit.

Effata verò de auxiliis hæc ſunt. De hac re nihil imprimi permittitur, impreſſum vero non prohibetur, quin iterum imprimatur, & concluſiones ſuper eadem materia diſputentur, dummodo tamen pars contraria non cenſuretur aut notetur

Extat de iis conſtitutio promulgata ab Urbano VIII. ſub die 6. Martii 1641. ubi multa inſigniter de eorum controverſia.

Si quis ergo aliquam opinionem de rebus fidei differentem quantumlibet firmo animo tenuerit, ac putaverit illam eſſe fidem catholicam, paratus tamen Eccleſiæ, aliud docenti, obedire, etiamſi erret materialiter, nunquam tamen hac de cauſa hæreticus dicetur, quia formaliter non errat juxta dictum Auguſtini: Errare potero, ſed hæreticus non ero.

Et quidem nihil cadit ſub fide, niſi à Deo revelatum, Eccleſia proponente ut docent Theologi cum D. Thoma. Formalis namque ratio objecti fidei eſt veritas prima per doctrinam Eccleſiæ manifeſtata. Et fides noſtra non habet autoritatem ab Angelis, neque à miraculis, ſed à revelatione Dei patris per Filium & Spiritum Sanctum, licet Angeli ea, quæ ſunt fidei noſtræ aliquibus revelaverint, ut Zachariæ, Mariæ, & Joſepho, ac etiam ad fidei robur miracula plurima patrarint. Immo ait Paulus ad Galat. *etiamſi Angelus de cælo aliter evangelizaret quàm ab Apoſtolis fuit prædicatum, non eſſet credendus.* Haud tamen negandum eſt, antequam Eccleſia decernat, poſſe quempiam tenere opinionem probabilem, quod aliquid ſit vel non ſit de fide in tali, vel tali gradu, cum circa hæc frequenter opinentur ſcholaſtici, alii-

que

que Doctores; certitudo tamen omnimoda ab Eccleſia expectanda eſt. In quo errant hæretici. Tenens autem veram opinionem, exiſtimans illam eſſe contra Eccleſiam catholicam, eſt verus & formalis hæreticus, ut tradunt poſt Patres cum D Thoma Theologi 2. 2. & Farinac. *de hæres. quæſt* 119. *num.*2. Sanchez *in ſum libro* 2. *cap.* 7. Paramus *de origine. S. Inquis. lib.* 3. *quæſt.* 2. *numero* 110 Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *caput* 5. Pegna *in Eymericum*, & Carena *part.* 2. *tit.* 1. *paragraph.* 14. aliique. Talis enim formaliter à fidei ratione recedit, credens non eſſe vera omnia ab Eccleſia definita. Immo negat in ſpecie hanc de fide, Eccleſiam nempe eſſe certam fidei regulam, quæ nec falli, nec fallere poteſt. Unde cautè legendus Caſtro, aſſerens, quod fidem catholicam tam conſtanti animo quiſque tueri teneatur, ut ſi Pontifici, aut Concilio univerſali legitime congregato, Deus contrarium docere permiſiſſet, illi credere non deberet. Id enim videtur ſapere Lutheraniſmum. Non enim quæ ſit ſcriptura canonica, aut quis veros ejus ſenſus certò nobis conſtat, niſi Eccleſia proponente. Unde non debet dividi Eccleſia proponens à fidei catholicæ, vel Evangelii revelatione. Quare ſuppoſitio implicat in adjecto. Nihil namque eſt nobis revelatum, niſi mediante Eccleſia. Unde vel ipſa ingreditur regulam formalem fidei, ſaltem ut eſt inſtrumentum, quo loquitur Spiritus Sanctus; vel eſt cauſa applicans. Hinc Auguſtinus ait: *Evangelio Matth. non crederem, niſi Eccleſia proponeret.* Quare eſt impoſſibilis caſus contradictoria involvens ſicut & iſte. Si Pontifex determinaret contra Pontificem ex cathedra, vel Concilium generale legitime congregatum contra Concilium, cuinam eſſet credendum? Supponitur enim impoſſibile, ex quo plura ſequuntur abſurda, & contradictoria. Sicut ſi daretur hypotheſis, quod Deus revelaret unum contradictorium poſt aliud, cuinam eſſet credendum? Hæc hypotheſis eſt impoſſibilis. Quia ſequeretur Deum eſſe mutabilem, & in altera parte dicere falſum, quod implicat etiam ſtando intra lumen naturæ. Abſolutè ergo, & abſque ulla hæſitatione ſtandum eſt declarationi Eccleſiæ, quam fides docet eſſe ſolam, ac infallibilem regulam, extra quam non eſt ſalus.

Inquiſitores etiam in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, Cathaloniæ, & utriuſque Siciliæ, licet non ſit in uſu apud Regnum utriuſque Siciliæ, ex conſtitutione Leonis X. referente Paramo *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8 procedunt contra uſurarios, quamvis non importet hoc crimen ſuſpicionem hæreſis. Nec admittendum quod ait Salelles *tom.* 1. *de S. Offic. lib.* 1. *reg* 50. referens falsò alios Doctores, quod ſcilicet poſſint etiam procedere contra idem crimen extra prædicta Regna, cùm in illis tantum ſit collata juriſdictio ex peculiari privilegio, in odium uſuræ, quæ in iis graſſabatur. Refutandumque omnino eſt, quod idem Autor ſubdit, quod nimirum S. Tribunal procedere deberet contra quoſcumque exercentes uſuram, quia licet aſſerant verbis, illam eſſe peccatum, tamen inhumaniter tractent eos, quibus pecunias mutuant, & de hoc ſint diffamati, cùm plus cenſentur facto, quàm verbis declarare, uſuram non eſſe peccatum. Quod planè falſum eſt, cum in corde conſummetur hæreſis, ex facto autem hæreticali redditur operans ſuſpectus, ex dicto verò aſſertivo abſolutè & formaliter hæreticus, ut conſtat ex Eymerico, Pegna & aliis. Si enim hæc doctrina eſſet vera, qui conſultò ac ſtudiosè luxuria, gula, furto peccarent, eſſent ſuſpecti de hæreſi, atque adeo ſubjicerentur S. Officio. Quod ſanè odioſum eſſet, & contra majeſtatem S. Tribunalis.

Neque Simoniaci S. Officio nunc alicubi ſubduntur, ne in prædictis quidem Regnis, quamvis reperiatur hæreſis ſimoniaca, & ſimonia ut majus crimen uſitâ, cum non adſit eadem ratio, idemque indultum, quidquid in contrarium dicat Salelles *loc. cit. reg.* 150. *numero* 189 citans Mouram *ſect.* 3. *cap.* 3. *numero* 22. & ſi iſte dicat in praxi obſervari oppoſitum in S. Tribunali. Quia, ut ipſe exiſtimat, ea gravitas non ita mentem regulariter deterret, quin præſumi poſſit delinquentem ex avaritia potius, quam ex errore delinquere, conſtatque experientia vel ſaltem ita communiter ab hominibus judicatur, horum ſcelerum patratores non ex errore, ſed vel ex avaritia, vel ex paſſione aliqua peccare; concludit tamen ex atrocibus, non autem vulgaribus oriri ſuſpicionem, quod ſuprà impugnavimus. Ac ipſo etiam aſſirmante Sodomitis in Luſitania nulla imponitur abjuratio, etiamſi pœna capitali quandoque non damnentur dignis de cauſis. Unde ceſſat utriuſque evaſio. Si enim hoc eſſet neceſſarium, ſemper cauſæ illæ ſpectarent per ſe ad S. Officium, ſaltem ut omnium opinione quod ad interrogatoria de credulitate & abjuratione, ſi aliqua excuſatione mortis pœna non damnarentur, etſi convicti & confeſſi. Quod poſſe multis modis contingere, certum eſt. Sæpe enim conſultum eſt in ſupremo Tribunali pœna capitis non damnari convictum, & confeſſum, celebraſſe miſſæ ſacrificium non ordinatum, vel quia non videbatur omnino mentis compos, vel quia, etſi præventus indiciis, è longinquo comparuit, vel quia ejus parentes, vel ſuperiores reum S. Officio denunciarunt, vel ex aliis cauſis ad miſericordiam S. Officium moventibus. Idemque dicendum de uſura, aliiſque criminibus quæ paſſim ex paſſione committuntur homo ſpeciales rationes viderentur eſſe in ſimonia, ut idcirco aliquando Romæ S. Officio ſubjecta. Ut enim Caſtro obſervat ex D. Gregorio *lib.* 1. *de juſtit. hæret. pæn. cap.* 1. aſſeriturque in juribus qui committit crimen ſimoniæ videtur male ſentire de ſanctitate Eccleſiæ ac rerum ſpiritualium, quaſi credat, ſpiritualia licitè vendi, vel ſpirituale eſſe pretio æſtimabile. Immo hæreſis dicitur à Gregorio, de quo Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 4 *cap.* 1.

At Umbertus *lib. de Simon*, rectè annotat, hæc dicta ad exagerandam immanitatem criminis quod inter maxima computatur. Et in hoc ſenſu Lorinus *Act.* 8. ex Tharaſio tradit, quod gravitas ſimoniæ tanta eſt, ut ea tolerabilior ſit hæreſis Macedonii, ac eorum qui errarunt contra ipſum Spiritum ſanctum. Refertque Suarez *loc. cit.* Chryſoſtomum *homil.* 60. *ad populum* prædicantem omnes, qui hoc crimen committunt, Simones vocari, dum prohibet, ne ullus Simon communicare audeat, ſupponens *homil.* 13. *in Marcum*, Simonem hujus criminis principem, & Patres mentionem faciunt cujuſdam hæreſis, quam ſimoniacam appellant, ut Nazianzenus *orat.* 44. *in Pentecoſten*, & Epiphanius *hæreſi* 21. Quin etiam Simonia fuit accepta pro collectione plurium hæreſium, quas tenebat ille Simon, ut Deum non eſſe Creatorem Cœli & Terræ, immo ſe Creatorem Angelorum jactitabat, & Spiritum Sanctum, quandam fœminam eſſe effutiebat, ut proinde teſte Irenæo *lib.* 1. *contra hæreſes capite vigeſimo*, & Auguſtino *lib. de hæreſ. ſub initio*, ab illo hæreſes omnes proceſſerunt, illiuſque ſectatores vocati ſunt Simoniani qui longè diverſi ſunt à Simoniacis. Gregorius tamen ſpeciatim loquitur de hæreſi Simonis, quod liceret emere, ac vendere virtutem dandi Spiritum ſanctum. Unde poſtea vox incomplexa Simoniæ derivata eſt ad proprium crimen, & ſacrilegium ſimoniacum exprimendum. Hoc itaque dicimus per ſe non reddere ſuſpectum de tali hæreſi, ſicut nec fornicari, uſuras committere, licet hæreſes extent, illis oppoſitæ. Secus autem ſi quis baptizaret magnetem ad mœcandum, abuteretur ſacramentis, ſacramentalibus, aut verbo Dei ſcripto.

Et

Et ita ſervatur in ſupremo Tribunali, & in aliis.

Comedentes carnes diebus vetitis ab Eccleſia, & ejuſmodi delinquentes ſubduntur nunc S. Officio propter novas hæreſes in hac re exortas, vel innovatas. Et quia compertum eſt ob incredulitatem plures nolle obſervare præcepta Eccleſiæ de cibis vetitis. Undè in regionibus, in quibus non oritur ita vehemens ſuſpicio mitius in his caſibus proceditur.

Vidimus quoque puniri ab inquiſitoribus ſumentes in ſacra communione plures hoſtias, ſacerdotibus omnibus exceptis, die Natali Domini, ac Dominicanis in Hiſpania, & Inſulis adjacentibus, Sardinia, & Majorica die commemorationis omnium defunctorum, punituſque fuit ſacerdos illas corrigens, ac mulieres ſumentes, etſi dixerint devotionis gratia id egiſſe. Quod proſequitur Diana *p. 4. tr.* 8. *reſol.* 96. cum Fernandez *in diſput. theol. de ſacram. tit. de Euchar. diſp.* 2. *p.* 9. Jo. de la Cruz *in direct. conſc. p.* 2. *de ſacram. Euchar. q.* 4. *concl.* 2. qui etiam loquuntur de ſumentibus majores hoſtias.

Quod ſanè dependet ex illa quæſtione, an quandiu Chriſtus præſens eſt intra corpus dignè communicantis ſub ſpeciebus ſacramentalibus gratiam aſſiduè influat? Affirmat Gabriel *lect.* 85. *in can.* Major. *in* 4. *diſt. q. q.* 1. *arg.* 5. Cajetan. *in* 3. *p. q.* 80. *ar.* 1. & Palud. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 80. *nu.* 30. aliique plures, Negant recentiores Thomiſtæ, ut Ledeſma & Suarez *in* 3. *p. to.* 3. *q.* 20. *ar.* 1. *diſp.* 6. Arauxo, & Nugn. *de Euchariſt. ſect.* 6. Victoria *in ſum nn.* 79. poſt Sotum *loc. cit. ſentent. d.* 11. *qu* 2. *ar.* 1. & D. Thomam *q.* 80. *p.* 3. *ar.* 8. multis rationibus, præſertim quia ſequeretur per ſe utilius eſſe, cœteris paribus, communicare in majori ſpecierum quantitate, ut diutius durent in ſtomacho, & ita Chriſtus majorem gratiam conferat. Undè ait Salelles ex Suarez, ſequuntur ex hoc ſuperſtitiones illæ, judicio Inquiſitorum merito punitæ in his ſacerdotibus, qui ſuis devotis plures particulas præbent.

Subdit tamen Suarez, valdè probabile eſſe, dum manent ſpecies ſacræ in corpore dignè communicantis, ſi hujus diſpoſitio augeatur, effectum gratiæ per ſacramentum acceptæ, ex opere operato etiam augeri, et in hoc ſenſu credit Suarez Cajetanum, & alios citatos fuiſſe loquutos. Additque ſubinde, opinionem illam non eſſe reprehenſione dignam. Quia certum eſt, potuiſſe Chriſtum Dominum hoc modo, & ſub hac lege inſtituere hoc ſacramentum. Quia nullam involvit repugnantiam ac indecentiam, immo ſpeciem quandam benignitatis ac pietatis præſe fert. Non conſtat autem Chriſtum non ita inſtituiſſe, neque à præfatis Authoribus probatur. Quare non fuerunt idcircò punitæ ſuptadictæ mulieres, & ſacerdos à S. Officio, ſed ex eo, quod circa tanti ſacramenti adminiſtrationem, ac ſumptionem non fuit obſervatus ritus Eccleſiæ, ex quo facilè poſſunt oriri errores, & videntur ſuſpecti, quod crederent, non adeſſe totum Chriſtum in tota hoſtia, & in qualibet ejus parte, etiam minima; tum magis addita hypocriſi, & ſimulata ſanctitate, quæ augent ſuſpiciones. Unde juſſu ſupremæ Inquiſitionis contra eas publice pronunciatum fuit in Eccleſia S. Dominici Januenſis.

Quare, licet opinio Cajetani, & aliorum ſit probabilis, qui tamen hac occaſione introduceret abuſus in Eccleſia circa adminiſtrationem, vel ſumptionem Sanctiſſimi Euchariſtiæ ſacramenti, deberet à S. Officio puniri, & ſi adeſſent in facto circumſtantiæ reddentes reum ſuſpectum de aliqua hæreſi, debent illam abjurare, non quidem ob opinionem præfatam probabilem, ut præcipuè exponitur à Suarez, Nugno, & aliis.

Inſtituentes quoque novas Religiones abſque facultate, & approbatione Sedis Apoſtolicæ ſubduntur fidei Quæſitoribus ex decreto S. Cõgregationis ſupremæ Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem coram Paulo IV. edito ſub die 16. Julii 1556. tenoris ſequentis: Prælibatus Sanctiſſimus D. N. ratificavit capturam Joannis Franciſci Raymundi Mutinenſis congregationis SS. Pauli, & Barnabæ Civitatis Mediolanenſis, & commiſit Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, ſeu R. D. Commiſſario facultatem procedendi, ſeu procedi faciendi in futurum contra quaſcunque perſonas volentes inſtituere; ſeu inſtituentes novam Religionem cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtant, & de contentis *in titulo ſeu titulis de relig. domib.* & de conſtituentibus novam Religionem, monaſteria, vel alia quæcunque loca pia, quod poſſint dicti Reverendiſſimi Domini Cardinales, ſeu dictus R. D. Commiſſarius ea revidere, & corrigere, ac omnia alia & ſingula in præmiſſis facere, quæ eis videbuntur juri conſona.

In hoc decretum multa cumulat Salelles *loc. cit. nu.* 163. Et primò ſuſpicionem erroris, ob quem Inquiſitores contra inſtitutorem alicujus Religionis procedere poſſint inde inſurgere, quod præſumatur malè ſentire de poteſtate Sedis Apoſtolicæ in prohibendo fundationem alicujus Religionis ſine facultate illius, & non eſſe juſtam, ſive legitimam talem prohibitionem. Secundo quod præſumatur intendere, ut in ea religione ſervetur aliquid, quod ſit diſſonum doctrinæ Catholicæ. At hic caſus pertinet ad S. Officium, etiamſi nulla per ſe oriatur ex ſuſpicionibus adductis a Salelles. Res enim tam gravis ſupremo omnium Tribunali debuit committi, ne errores ex ea in fidei præjudicium irreperent.

Ad Inquiſitores etiam ſpectat inquirere in revelationes, an ſint à Deo, anve ſint illuſiones dæmonis, ac in perſonas illuſas, ſi non reſipiſcant, procedere, ne ex falſis revelationibus ope dæmonis errores contra fidem inducantur, quod ſæpius uſu venit, ac firmant Torreblanca, Carena, Gravina, Salelles, & Moura *de enſalm. ſect.* 2. *cap.* 3. *num.* 19. Delatorre *in* 2. 2. *q.* 95. *ar.* 2. *diſp.* 3. ubi tradit regulas ad diſcernendum divinas revelationes à dæmoniacis de quibus & nos alibi.

Quid autem dicendum ſit de revelatione D. Gregorii de animæ Trajani liberatione legeſis apud Marſilium Honorati, Canum, Sotum, Delatorre, Baronium, Torreblancam, Joannem Diaconum, D. Thomam *in* 4. *ſententiarum*, Ægydium *de ſacram. diſp.* 11. *dub.* 8. Martinum de Roa *de purgat. cap.* 19. ac præ cœteris Cardinalem Capiſucchium *in defenſ. doctr. D. Thomæ.* De facto autem quod ad Trajani liberationem circumferuntur hoc tempore opiniones utraque parte probabiles, ac ii etiam qui adhærent parti negativæ, poſſibilem ſupponunt ſententiam affirmativam eo modo, quo declaratur à D. Thoma, & ab aliis Theologis. Ut autem magis appareat probabilitas revocationis animæ Trajani poſt tot ſecula, & illius liberationis, viſum eſt opportunum ſubjicere hæc exempla ex vetuſtis autoribus.

S. Athanaſius primus Cæſerauguſtanus Epiſcopus, S. Jacobi Apoſtoli diſcipulus, multa ſcripſit, ſed eorũ tantum fragmenta quædã extant, inter quæ hoc reperitur, quod edidit Prudentius de Sãdoval Epiſcopus Tudẽſis in hiſtoria ejuſdem Eccleſiæ, & ex eo Franciſcus Bivarius in commentariis ad chronicon Flavii Lucii Dextri ad annum 37. Verba fragmenti ſunt: Ego novi S. Petrum primum Bracarenſem Epiſcopũ, quem

antiquum Prophetam ſuſcitavit S. Jacobus Zebedæi filius, magiſter meus. Hic venerat eum duodecim tribubus miſſis à Nebuchodonozor in Hiſpaniam Hieroſolymis, duce Nabuchſardam, vel Pyrrho, Hiſpanorum Præfecto. Dictus eſt hic Propheta Samuel junior, vel Malachias Senior propter morum gravitatem & vultus pulchritudinem, Uriæ prophetæ filius. Factus Epiſcopus multos Judæorum convertit ad fidem, dicens, ſe veniſſe cum illorum majoribus, & prædicaſſe transmigratis, obiiſſe verò viginti annis poſt adventum in Hiſpaniam.

De ejusdem S. Petri ſuſcitatione per S. Jacobum legitur in Epiſtola Hugonis Epiſcopi Portugallenſis ad Mauritium Epiſcopum Bracarenſem his verbis: Sāctus Petrus, civis Bracarenſis, qui & Samuel dictus à S. Jacobo Joannis fratre Zebedæi filio ſuscitatus in Episcopum Bracarenſem conſecratus eſt. Hanc epiſtolam ex Codice perveſtuto manu ſcripto in membranas characteribus Gothicis exarato, qui extat in cœnobio S. Crucis Conimbricenſis, edidit idem Franciscus Bivarius, qui ſubductis rationibus à tempore captivitatis Babylonicæ, qua Judæi ducti ſunt in Hiſpaniam, quæ ſecundum Marianam incidit in annum 149. à quo tempore ad annum 788. Urbis conditæ, qui concurrit cum anno 37. Chriſti Domini, quo S. Jacobus Hiſpanias adiit, evincit S. Petrum jacuiſſe inter mortuos juxta Marianam ſupputationem annis 567. & juxta aliam annis 619. putatque eſſe quidem rationabiliter Uriam, quem S. Athanaſius dicit fuiſſe Prophetam patrem hujus S. Petri, eſſe eum, de quo ſcribit Hieremias *cap.* 29. Tempora enim congruunt.

De Dinocrate fratre S. Perpetuæ, qui ſeptennis in idololatria mortuus damnatus fuerat, & precibus S. Perpetuæ in martyrio exiſtentis liberatus ſcribitur. S. Auguſtinus *lib.* 1. *de anima & ejus orig. cap.* 10. hiſtoriam refert, & tantum ait, non eſſe canonicam, eam tamen non improbat.

De homine mortuo ante adventum Chriſti, & ſuſcitato per S. Georgium Martyrem, habes apud Surium *in ejus vita tom.* 2. qui erat idolorum cultor.

In actis Cathedræ S. Petri apud Mombritium legitur ſuſcitatus quidam ante annos 14. mortuus. Apud eundem in vita S. Taurini Ebroicenſis paganus reſuſcitatus dicit ſe fuiſſe in pœnis inferni.

Sigibertus Gemblacenſis *cap.* 8. *vita S. Machlovii, apud Surium tom.* 6. *Novembris* 15. ſcribit, quod S. Machlovius repertum in ſepulchro corpus, ſtaturæ giganteæ reſuſcitat, qui dixit ob infidelitatem æternos cruciatus in inferno ſuſtinuiſſe, petit baptizari, catechizatur, & baptizatur, vivit quindecim diebus, mox in Domino moritur. Quod dicit æternos cruciatus ſuſtinuiſſe intelligendum, qui futuri erant æterni.

S. Maternus per quadraginta dies mortuus jacuit, interim fuit in paradiſo terreſtri, ubi Deum non vidit, videbat tamen omnia, quæ eo tempore agebantur in mundo, Cæſarius Heiſterbacenſis *in ſpeculo exemplor. lib.* 8. *cap.* 78. qui *lib.* 7. *cap.* 16. ait, quod animæ reſuſcitandorum non vident Angelos, nequè animas, niſi ſub quadam ſimilitudine corporali.

Vidè ſimiſia de ſuſcitatione infidelium in Vita S. Alexandri Epiſcopi apud Adonem 26. Novembris, & in vita S. Antonii Colonienſis *lib.* 1. *cap.* 3. & apud Surium *tom.* 6. ubi quod iſte poſt ſententiam damnationis veniam conſequitur interceſſione S. Cæſaris abſque eo, quod ad vitam redeat. Sed de his omnibus fides ſit apud Auctores, nos verò judicium Eccleſiæ hac in re deſideramus. & interim ſententiam negativam veram eſſe cenſemus.

Porrò Inquiſitores permittere nequeunt, quod Judices laici ſecum aſſiſtant in cauſis fidei, ut alibi prolixè probavimus peculiari conſultatione.

Poſt rei autem ſententiam pronunciatam non expirat Inquiſitoris juriſdictio in eadem cauſa. Nam ex decreto Concilii Narbonenſis *cap.* 7. licet Inquiſitoribus pro illorum arbitrio ac voluntate junctis pœnitentiis addere, vel detrahere ex rationabili cauſa ex Concilio Biterrenſi *capit.* 22. Et ſinè nova cauſa poſſunt Inquiſitores aliquando augere pœnas, ſi viderint ita negotio fidei expedire. Undè annotat Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 44. *verſ. Imò & Concilium*, quod ſi ex liberatione alicujus pœnitentis damnati ad perpetuum carcerem, timeretur probabile aliquod periculum, quod in detrimentum fidei poſſet redundare, tunc ille iterum in carcerem detrudi poſſet. Atquè id vult Concilium Biterrenſe. Quod planè non eſt contemnendum, cùm quandoque hi caſus accidere poſſint. Nequè tunc injuſtè quidquam committitur, cùm cauſa Religionis ac fidei, quæ cunctis rebus præferenda eſt, hoc ita fieri poſtulet ac ſuadeat.

Si verò cauſa fidei id non poſtulet, non poteſt juſtè Inquiſitor ob alias cauſas eum, cui ſemel condonavit carceris pœnam, iterum in carcerem conjicere. Quæ autem ſint cauſæ rationabiles ad augendam, vel minuendam, vel penitus tollendam pœnitentiam, prudens Inquiſitor conſiderabit, ſpectata pœnitentium conditione, natura, humilitate. Quod verum eſt, etiamſi Inquiſitor propter oblivionem, aut alias cauſas hanc poteſtatem pœnitentiam augendi, mutandi, minuendi, ac tollendi ſibi non reſervaverit. Ita cum Eymerico Pegna.

At verò S. Congregatio S. Officii licet 17. Septembris 1507. reſcripſerit, quod Inquiſitores in ſententiis ferendis apponant clauſulam, nobis reſervamus, quia cum ab ipſis, & Vicariis Episcopalibus promulgentur, mitigatio pœnarum ambobus eſt reſervata, die tamen 5. Aprilis 1606. reſcripſit, quod Inquiſitores non commutent pœnas impoſitas reis, inconſulta S. Congregatione. Et 6. Maii 1615. ac 7. Septembris ejusdem anni, quod Inquiſitores in ſententiis ferendis non ſibi, ſed Eminentiſſimis Inquiſitoribus, & S. Congregationi facultatem commutandi pœnas reſervare debent. Non enim poſſunt ipſi ex ſe illas commutare. Quod tamen intelligo juxta reſcriptum ſub die 18. Maii 1627. nimirum, Commutatio pœnarum impoſitarum damnatis à S. Officio in ſententiis latis ab Epiſcopo, & Inquiſitore, ad utrumque ſpectat. Quod obſervandum eſt tam in proceſſu fabricato in Curia Epiſcopali, quàm in S. Officio. In cauſis autem gravibus, de quibus fuit certiorata S. Congregatio, ipſa inconſulta non commutentur, nec mitigentur, ſicuti nec ſinè ipſius licentia poteſt fieri ullo caſu commutatio in mulctam pecuniariam, cùm tales mulctæ, etiam ſine expreſſa licentia imponi non poſſint. Qua de re nos alibi etiam.

Quod verò ad juriſdictionem Inquiſitorum ſuper reos pœnitentes, dum habitum pœnitentiæ deferunt, vel dum pœnitentiam impoſitam exequuntur. Vel loquimur de reis pœnitentibus, qui violant pœnitentias injunctas ob crimen hæreſis, vel hæreſim ſapientis, aut è carceribus fugiunt; vel de iis pœnitentibus, qui alia delicta, ab hæreſi diſtincta ut homicidia, furta & ſimilia committunt. Si primo modo, communis doctorum ſententia eſt cum Eymerico *p.* 3. *direct. quæſt.* 67. ibique Pegna *com.* 146. dictos reos pœnitentes, durante pœnitentiæ tempore, ad juriſdictionem Inquiſitorum pertinere, qui procedere poſſunt contra eos violantes pœnitentias, vel è carceribus fugientes. Quia malè videntur ſentire de fide, dum non adimplent id, ad quod ſe ſolemnii juramento obligarunt.

Si ſecundo modo Oſtienſis *in ſum. titul. de for. compet.*

Reous

Berous *in cap. de his de accuſ.* Butr. *in cap. 2. de for. comp. col.* 2. ibique *Barbat. num.* 61. & alii indiſtinctè aſſerunt, hos publicè pœnitentes, etiam ſi laici ſint, ob alia delicta nec puniri, nec ad punitionem capi, neque ad ſecularem Judicem mitti, nec condemnari, etiam civiliter per Judicem ſecularem, ſed remanere in omnibus ſub juriſdictione Judicis Eccleſiaſtici, ſicut & alias Eccleſiaſticas perſonas. Moventur ex textu *in can. aliud* 11. *q.* 1. quod repetitur *in can. aliud de pœnit. d.* 1. quod eſt Leonis Papæ *ex epiſt.* 91. ad *Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap.* 8. ubi, poſtquam reprehenderat eos, qui ob ſegnitiem differunt pœnitentiam impoſitam agere, concludit in hæc verba. *Aliud quidem eſt debita juſta repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere; ſed illicitorum veniam poſtulantes oportet multis etiam à licitis abſtinere dicente Apoſtolo; multa mihi licent, ſed non omnia expediunt. Unde ſiquis pœnitens habeat cauſam, quam negligere forte non debeat, melius expedit Eccleſiaſticum, quàm forenſe judicium.*

Ex hoc infert Gratianus ibi, non propter criminalem tantùm, ſed generaliter propter quamlibet cauſam tam civilem, quàm criminalem id eſſe intelligendum, atque adeo pœnitentem expedire potius Eccleſiaſticū quàm forenſe judicium adire. Ergo laicus pœnitẽs ſubditus eſt Eccleſiaſtico judicio, & non ſeculari. Aliqui tamẽ autores ſupradictum textum intelligunt non de quolibet publico pœnitente ſolenniter, cujus meminit textus *in can. fin. d.* 50. & differt & pœnitentia publica, & privata ob certos ritus ac ceremonias, quas exercere debet, prout expendit Covar. *var. reſol lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. quia pœnitentia ſolennis jam non eſt in uſu, ſicque intelligunt Gloſſa *d. can. aliud.* Calderin. *conſ.* 7. *de judic.* & Repert. Inquiſ. *v. pœnitentiam pecuniariam.*

Veram alii ex ſupradicto textu nullo modo cenſent colligi poſſe, pœnitentes laicos ſubditos eſſe in civilibus & criminalibus eccleſiaſtico judicio, & multò minùs judicio Inquiſitorum. Primò, quia, ut ex relatis verbis conſtat, datur conſilium pœnitentis, ut Eccleſiaſticum judicium adeat potius, quàm forenſe. At hoc conſilium iis pœnitentibus convenire non poteſt. Nam vel ſunt actores, vel rei. Si actores ſint debent reum vocare apud ipſius rei Judicem, neque poſſunt in hoc variare, ut tenent ferè omnes *in d. can. aliud.* Si autem ipſe pœnitens reus ſit, neceſſariò conveniendus eſt apud ſuum Judicem, & ſic conventus non poterit judicium ſubterfugere. Atque adeo non verificari poterit, quod ipſe pœnitens eligere poterit judicium Eccleſiaſticū potius, quàm forenſe.

Dices verificari poſſe, quia pœnitens laicus & ſubditus eſt ſeculari judicio, & Eccleſiaſtico, ſi hoc eligat, eo quod dum eſt in pœnitentia, videtur eſſe pauper, miſerabiliſque perſona, ob cujus rationem ſub protectione Eccleſiæ videtur conſtitui juxta textum *in can.* 2. *& ſeq. d.* 87. ſed facile reſpondetur. Nam eſto hic pœnitens ſub paupere, miſerabilique perſona comprehendatur, adhuc conveniri non poteſt coram Eccleſiaſtico Judice laicus, niſi prius probaverit, Judicem ſecularem negligentem eſſe in adminiſtratione juſtitiæ per textum *in cap. novit de judic.* Probata autem negligentia, & remiſſione Judicis ſecularis, poterit coram Eccleſiaſtico conveniri per textum *in cap. ex tenore de for. comp. cap. ſignificantibus*, ubi gloſſa *de offic. deleg.* & tradit Covar. *pract. cap.* 6. *n.* 1.

Secundò quia multi Doctores ſentiunt, illum textum intelligi de pœnitente aliquo religioſo, qui pœnitentiæ habitum aſſumpſit, ratione cujus eſt conſtitutus Eccleſiaſtica perſona, ut tradit Simanchas *Cathol. inſtit. tit.* 47. *n.* 1. Pegna *in* 3. *p. direct. q.* 97. *com.* 146. *verſ. denique non obſtat.* De hoc enim ajunt Doctores, ſi habeat cauſam quam fortè negligere non debeat, poſſit reum laicum vocatum ad Eccleſiaſticum judicium, ſi ipſe vocatus conſentiat, ſecus ſi renuat, cùm non poſſit ratione pœnitentiæ majus privilegium habere, quàm habeat Sacerdos, qui reum laicum vocare non poteſt ad judicium Eccleſiaſticum, ipſo renuente. At ex hoc intellectu approbato à Gloſſa, Geminiano, Præpoſito, & Turrecremata nullo modo infertur, pœnitentem laicum, Eccleſiæ reconciliatum, & pœnitentiæ judicialis habitum deferentem, poſſe conveniri, vel convenire coram judice Eccleſiaſtico. Quia laicus reconciliatus non eſt perſona religioſa, neque talis habitus impoſitio illum religioſum, aut Eccleſiaſticum conſtituit. ergo ex hoc textu non infertur, hos pœnitentes judicio Inquiſitorum ſubdi. Neque videtur, ſi Eccleſiaſtici ſint pœnitentes, quare deberent Inquiſitoribus, & non Epiſcopo ſubdi tum in cauſis civilibus, tum in criminalibus.

Quapropter ut genuinam interpretationem textus habeant, neceſſario ſupponunt, loqui Pontificem Leonem de pœnitente actore, quia in illo textu datur libertas eligendi judicium, & conſilium eligendi eccleſiaſticum potius, quam forenſe; ſed actori datur liberum arbitrium eligendi judicium, aut illud omittendi, non autem reo datur optio declinandi judicium ſeculare, ſi ad illud pertineat, quia laicus eſt, vel eccleſiaſticum, ſi Eccleſiaſticus ſit, cùm nullo textu, vel ratione eximatur. Poſito igitur, loqui Pontificem de pœnitente actore, dicunt, hunc pœnitentem poſſe debita juſta repoſcere; ſed quia peccatorum veniam poſtulat, melius faciet, ſi ab hac petitione abſtineat. Nam eſto habeat cauſam, quam fortè non debeat negligere, expedit illum, ut Eccleſiaſticum judicium adeat, & non forenſe, hoc eſt, ut pœnitentiæ judicium exequatur, & judicio forenſi, hoc eſt, exactioni, ac petitioni judiciali ſive per Eccleſiaſticos Judices, ſive per ſeculares facienda ſit, non ſe immiſceat, donec tempus pœnitentiæ adimpleat. Neque novum videri debeat alicui, ut judicium Eccleſiaſticum pro judicio pœnitentiæ, ſeu pro executione pœnitentiæ injunctæ uſurpemus, ut uſurpat Covar. *pract. qq. cap.* 34. *nu.* 4.

Everſo itaque hoc fundamento, cùm nullum aliud ſit, ex quo colligi poſſit pœnitentes laicos judicio Eccleſiaſtico in civilibus, vel criminalibus ſubditos eſſe aſſerunt, nequaquam Inquiſitorum judicio ſubdi, ſed à ſuis Judicibus judicandos fore, ſicut ſi pœnitentialem habitum non deferrent. Sic docent Innoc. *in cap. ſignificantibus de offic. deleg.* Panormit *in cap.* 2. *de for. comp.* Conſule Mar. Soc. *in cap. ſiquis declarat.* 10. *n.* 13. *de for. compet.* Rojas *ſingul.* 98. Simanchas *d. tit.* 47. *rubr. de pœnit. converſ. nu.* 18. *& ſeq.* Decian. *tr. crim. lib.* 5. *cap.* 23. *nn.* 15. Covar. *d. cap.* 34. *à n.* 3. *& præcipue n.* 5. Pegna *d. q.* 97. *com.* 146. *verſ. in altera ergo quæſtionis parte.* Ratio à priori eſt. Quia Inquiſitoribus prohibita eſt cognitio aliarum cauſarum ab hæreſi, ſeu quæ hæreſim non concernunt *cap. accuſatus §. ſane de hæret. in* 6. Ex eo autem, quod cauſæ agitandæ ſint pœnitentium non efficitur eſſe cauſas hæreſis, neque hæreſim concernere, ac proinde ad Inquiſitores pertinere non poſſunt ex jure communi. Neque deeſt pro hac parte ratio congruentiæ. Si enim ii pœnitentes Inquiſitorum judicio ſubderentur, ex delicto commodū reportarent; ſiquidem conſequerentur privilegium exemptionis à propriis Judicibus, quod familiares, & officiales Inquiſitionis ob ſervitia, quæ exhibent, conſequuntur. Quod videtur abſurdum. Item daretur illis occaſio delinquendi, dum viderent ab Inquiſitoribus non eſſe ita ſevere puniendos pro ſuis exceſſibus, ac ſi propriis Judicibus ſubderentur.

Ego quidem, ſecluſo privilegio, aut legitima conſuetudine quibus ſtandum eſt ad S. favorem Officii, cẽſeo, hanc poſteriorem ſententiam eſſe veriorem, communemque opinionem, ut tales ſint ſub protectione Eccleſiæ, tanquam miſerabiles perſonæ, ſed non ſint exempti à ſeculari poteſtate.

Hoc tamen certum, quod irregulares ſunt pœniten-

tiati, à S. Officio ob hæreſim formalem confeſſam in judicio, vel extra, quia ſemel hæreticus, etiam poſt reconciliationem remanet irregularis, ut tradit Theſaur. *de pœn. Eccleſ. u. hæreſis cap.* 1. *nu.* 3. ſecus autem eſt in pœnitentiatis ob ſuſpicionem etiam vehementem de hæreſi. Quia poſt purgationem, etſi fuerint publicè pœnitentiati, non remanent irregulares. Nam per purgationem tollitur hæreſis præſumptio, ſeu ſuſpicio, & præſumpta juris infamia, Simanch. *cath. inſtit. tit.* 55. *nu.* 3. *Zanchin. de hæret. cap.* 20. *nu.* 6. Genuens. *in pr. cap.* 45. cum allegatis.

Inhabilis remanet perpetuò ad confeſſiones ſecularium audiendas quicumque ſemel abjuravit ob hæreſim formalem, non ob ſolam ſuſpicionem etiam vehementem ex decreto Pauli IV. ut refert Maiol. de *irreg. lib.* 5. *cap.* 46. *nu.* 6. *in fin.* & Genuenſ. *loc. cit. nu.* 2. & 3.

Inhabiles ſunt perpetuò Regulares ad omnia officia, & gradus ſuæ Religionis, quibus pro delictis ad S. Officium pertinentibus pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit, exceptis pœnitentiis ſalutaribus, & remanet hæc inhabilitas etiam expleto tempore pœnitentiæ, vel gratia illius obtenta, niſi expreſſe in S. Congregatione coram Sanctiſſimo, vel ab ipſo Papa rehabilitati fuerint. Et ſi contra hoc decretum promoti fuerint, promotio eſt nulla, & promoventes incurrunt ipſo facto pœnam privationis ſuorum officiorum & vocis activæ & paſſivæ, ſuper qua pœna diſpenſari non poterunt ab alio, quàm à Papa. Hæc conſtituta in decreto Urbani VIII. in S. Congregatione generalis Inquiſitionis anno 1626. feria 5. Octobris de quo alibi dictum eſt.

Si autem plures Inquiſitores pro una Provincia eligantur, poſſunt ſimul, & ſeparatim procedere contra ſortilegos, & alios hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, prout illis magis expedire viſum fuerit; ut habetur expreſſe *in cap. ut officium de hæret. in* 6. ubi redditur ratio, *ut ſic officium Inquiſitionis efficacius impleatur, & liberius res fidei tractentur, & hæretici, eorumque fautores pluribus Judicibus comprimantur.* Et docent Eymeric. *p.* 3. *direct. q.* 56. ibique Pegna *com.* 95. Panorm. *in cap. fin. de re judic.* Carter. *in tr. de hæret. num.* 94 *in fine* Farinac. *de hæret. q.* 186. *n.* 24. Molina *tr.* 5. *de juſt. diſp.* 28. *nu.* 9. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *dub.* 12. *§.* 2. *n.* 14. Qui tamen advertunt, reum ab uno Inquiſitore punitum, non poſſe ab alio puniri. Quia pro uno delicto unica pœna debetur, & non judicatur bis in id ipſum.

Ex quibus omnibus habetur, crimen hæreſis eſſe merè Eccleſiaſticum, ita, ut Iudex laicus nec contra laicum poſſit cognoſcere vel judicare, aut quoquo modo ſe ingerere *cap. ut Inquiſitionis §. prohibemus de hæret. in* 6. ac ita, ut nec ſuper facto ſit competens per textum *in c. ſecundum Apoſtolum de hæret. in* 6. & per Anchar. *in cap. tuam de ord. cogn.* Laicus enim ſolam habet executionem contra hæreticos, facta degradatione, & traditione, ac relicta ei executione, ut in *d. §. prohibemus, & in cap. cum ſecundum leges eod. tit. & libro,* & notant *in cap. ad abolendam de hæret.* Abb. *numero* 7. & 12. Marian. Socin. *num.* 9. An autem Iudex ſecularis adſtrictus exequi ſententiam Iudicis Eccleſiaſtici latam contra hæreticum, poſſit cognoſcere de juſtitia proceſſus, quidquid dicant Legiſtæ, tenendum eſt, non poſſe cognoſcere, ut probatur *in dict. §. probib.* & latè firmat reſpondetque objectus Felin. *in dict. cap. abolendum num.* 5. Abb. *in cap. ea qua numero* 14. *de ſtat. monach.* dicens Bartolum in hoc erraſſe *in l. divus ff. de cuſto. reor.* Ber. *in cap. at ſi Clerici num* 79. *de judic.* Marſil. poſt alios *in tract. de bann. v. Indice numero* 129. & nos aliàs.

CONSULTATIO CXXXIX.

In rebus S. Officii, ad quid poſſit vel non poſſit procedere Inquiſitor ſine Epiſcopo Ordinario, vel Epiſcopus Ordinarius ſine Inquiſitore; Ubi Parerga de Epiſcopo quò ad S. Officium, & de Reis S. Officii.

INquiſitores poſſunt extra Hiſpaniam ſine Epiſcopis, & Epiſcopi ſine Inquiſitoribus denunciationes contra reos S. Officii recipere, teſtes examinare, ipſos reos citare, comprehendere & in carcerem detrudere, comprehenſos in compedibus ponere, & contra illos inquirere, per textum *in Clement.* 1. *de hæret.* Et tradunt Eymeric. *p.* 3. *direct. quæſt.* 47. ibique Pegna *com* 96. Farinac. *de hæret. q.* 186. *numero* 56. Caren. *p.* 1. *tit.* 4. *§.* 2. *numero* 8. aliique communiter. In Hiſpania verò ſivè ex legitima Conſuetudine, ſive ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, Inquiſitoribus hæc juriſdictio conceſſa eſt privatè quo ad Epiſcopos, ut teſtantur Molina *tract.* 5. *de juſt. diſp.* 28. *num.* 13. *& ſeqq.* Simanch. *lib.* 8. *cap.* 18. *quæſtion* 8. & Caſtropal. *p.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. *num.* 6.

Quando autem Inquiſitor, & Epiſcopus diviſim procedunt, & diſtinctum formant proceſſum, tenentur ſibi invicem communicare proceſſum, ut ſic veritas melius eluceſcat, & ſententia ſine errore proferatur, *cap. per hoc de hæret. in* 6. Caſtropal. *loco citato num.* 7. Caren. *ibidem numero* 7. Hæc autem communicatio non ſolum eſt facienda, quando procedendum eſt ad definitivam ſententiam, ſed etiam quando unus non poteſt commodè procedere, niſi viſo alterius proceſſu, & poſtulat ſibi oſtendi; tunc enim ſemel in toto negotio copia tribuenda eſt, ut habetur in *extrav.* 1. *de hæret. inter communes,* & notat Caſtropal. ubi ſupra Eymeric. *quæſt.* 53. Pegna *com.* 10?. & Thom. Del Bene *p.* 2. *de S. Offic. dub.* 195. *ſect.* 21.

Ubi verò Epiſcopus, & Inquiſitor procedunt diviſim, unoquoque illorum ſuum proceſſum fabricante, ut ſupra vult Bonifacius VIII. *in dict. cap. per hoc,* quod alter alteri proceſſum ſuum & ſcripturas communicet. Hæc verò communicatio non eſt facienda in hoc caſu, niſi in fine Cauſæ ante ſententiam, niſi alter eorum commodè procedere non poſſit, alterius actis non viſis; tunc enim, ſemel tantum, copia eſſet tribuenda ante finem Cauſæ. Gemin *ibi numero* 4. Eymer. *quæſt.* 53 *p.* 3. ibique Pegna *com.* 502. Compeg. ad Zanchin. *cap.* 8. repert. Inquiſ. *v. communicare,* & Farinac. *quæſtion.* 169. *num.* 85.

Eſt autem per ſe neceſſaria communicatio proceſſus ante finem cauſæ, quia, cum ex textu, ſententia proferri debeat ab Epiſcopo & Inquiſitore, neceſſe eſt quod uterque videat acta, ut poſſit juſtè judicare. Non ergò in hoc caſu Epiſcopus & Inquiſitor procedunt diviſim omninò, quia ſententia debet eſſe communis. Poteſt tamen alter alteri deferre, ac ſibi invicem committere vices in quo unus ſolus nomine ſuo, & nomine alterius ſententiam perferet, ſed ſi in ſententia diſcordent negotium ad Sedem Apoſtolicam, ſive ad S. Congregationem univerſalis Inquiſitionis remitti debet Franch. *in d. cap. per hoc,* & Eymer. *p.* 3. *quæſt.* 50. ibique Pegna, Simanch. *titul.* 25. Sylveſt. *v. hæreſis* 2. *numero* 10. aliique communiter.

Alius itaque procedendi modus convenientior eſt, quique eſt in uſu, ut ſcilicet ex Epiſcopo & Inquiſitore unus tantum, ſervata præventione, inſtituatur proceſſus, & procedatur partim diviſim, ſeu particulariter, partim conjunctim juxta formam *dict. Clement.* 1. *de hæret.* ſecundum quam alter eorum tantum, ſcilicet vel Epiſcopus, vel Inquiſitor inchoat proceſſum, ſed ambo illum perficiunt.

Et primò non poteſt Epiſcopus ſine Inquiſitore, neque Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel ejus Vicario, vel Delegato Capituli, ſede vacante, reos quæſtioni ſive torturæ ſubjicere ex *Clem.* 1. *§. propter de hæret.* Unde ſi

Inquiſitor

Inquiſitor ſine Epiſcopo vel Epiſcopus ſine Inquiſitore reum torqueret, & ita reus tortus confeſſus fuerit, ipſa confeſſio ei minimè nocere debet, etiamſi fuerit ratificata, quia ipſo jure nullitet fuit data, & contra juris ordinem, ut pet Farinac. *de hæret. cit. quæſt.* 186. *n.67.& ſeqq.* Zanard. *in direct. theolog. p 2. ap.6. quæſt.41.* Locat. *in pr. Inquiſ. v. tortura n. 7. & bmis ſeqq.* Caren. *loc. alleg. n. 9.* Caſtropal. *ibid. n. 9.* Dianam *p.5. tract. 11. reſol.17 & p.5. tract.6. reſol.17.*

Unde etiam in Hiſpania Inquiſitores ſimul cum Episcopo ſententiam torturæ proferunt & quando teus torquetur, debet præſens aſſiſtere cum Inquiſitoribus etiam Epiſcopus, vel ejua Procurator, ut *in Inſtruct. Hiſpal. anno* 1484. *& in Inſtruct. Toletana anno* 1561. *nu.*48. traditque Pegna *p. 3. com. 39. nu. 151.* ubi ait, quod non modo ad pronunciandam tormenti ſententiam intervenire debēt Epiſcopus, & Inquiſitor, verùm etiam ad executionem ejus, niſi per infirmitatē aut aliam juſtam cauſam alter excuſatetur. Quod ubique videtur obſervandum, de quo etiam infrà in parergis. Nemo tamen præſens eſſe debet torturæ ptæter Judices, Tabelliones, ac Tortores, ut tradunt Simanch. *in Enchirid. cap. 52. numero* 28. Suarez de Paz. *in pr. tom. 1. cap.3. p.5. §.12. num.* 48. & Villadieg. *in polit. cap. 3. n. 325.*

Secundò non poteſt Epiſcopus ſine Inquiſitore, neque Inquiſitot ſine Episcopo contra reum ad definitivam ſententiam devenire, neque eum ad Carcerem in pœnam illius criminis damnare; pet textum *in d. Clemen. 1. de hæret.* & docent Eymeric. *quæſt.* 48. ubi Pegna, Fatinac. *d. quæſt.* 186. *numero 56. & ſeq.* Molin, *dict. diſp.* 28. *numero* 11. Sanctarel. *de hæreſ. capit. 40. dub. 2.* Souſa *in aphor. lib 1. cap. 3.* Caren. *dict. tit. 4. § 2. numero 9.* & Caſtropal. *dict. diſp. 8. pun. 13. nu. 7.* Ex qua prohibitione non ſequitur reum incluſum in carcere non tuto, non poſſe in alium tutum, imò ſtrictum ac durum mutari. Quia tunc non ad pœnam ſed ab debitam cuſtodiam mutatut, Fatinac. *ibidem numero* 7ς. Molin. *loco citato numero* 13. Caſtropal. *ſupra numero* 8. Thom. Delbene *dict. ſect.* 21. & alii.

Tertiò neque poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopi conſenſu, vel eo abſente, ſine conſenſu Vicarii vel è contra, privare reum beneficiis ac dignitatibus Eccleſiaſticis antea poſſeſſis. Quia talis privatio eſt quædam rei condemnatio, ac pœnæ impoſitio, quæ *ex dicta Clementina I.* fieri non poteſt à ſolo Inquiſitore, prohibeturque expreſſe in *cap. ut commiſſi de hæret. in* 6. ut ibi notant Gloſſa, Seminianus, & alii, quos ſequitut Farinac. *dict. quæſtion.* 186. *numero* 77. Simanch. *de Cath. inſtit. titul. 46. rubr. de pœn. n.71.* Zanchin. *tra 1. de hæret. cap.* 18. *numero* 6. Caſtropal. *loco citato numero* 10. & Delbene *dict. dub.* 195. *ſect* 24.

Quattò neque poteſt Inquiſitor ſine Epiſcopo, vel è contrà, ſuſpectum vehementer de hæreſi cogere ad abjutandum, quia hæc abjuratio eſt ignominioſa delinquenti, ejuſque conſanguineis, illumque reddit morti obnoxium ſi in crimen abjutatum incidat, & conſequenter reputari debet graviſſima pœna, ad quam reum condemnare non licet Inquiſitori ſine Epiſcopo, neque Epiſcopo ſine Inquiſitore. Et quamvis abjuratio non ſit contra reum, qua parte per illam purgat ſuſpicionem hæreſis, eſt tamen contra illum, quatenus infamem, & pœnæ relapſi ſubjectum reddit. Inſuper hæc abjuratio non indicitur, neque indici poteſt, niſi dependenter a ſententia, quia non poteſt quis cogi ad abjurandum in judicio, niſi in eo conſtet, quod ſit hæreticus, vel ſuſpectus de hæreſi, & ut talis ſit condemnandus & ex vi illius omnia bona confiſcantur, quæ omnia graviſſimæ pœnæ ſunt. Et ideo non debet Inquiſitor ſine Epiſcopo, neque Epiſcopus ſine Inquiſitore aliquem cogere ad abjurandum Simanch. *titul.1.* *numero* 26. & *in addit. ad Zanchin. cap.* 1. Et licet Campagius ad Zanchin *cap. 8. titul. l.* contrarium ſenſerit, & ejus ſententiam forſan de jure poſſe ſuſtineri dixerit Pegna *in p. 3. com.* 97. tutiorem tamen ait eſſe ſententiam, quæ docet abjurationem conjunctim ab Epiſcopo & Inquiſitore eſſe injungendam quod & tradunt Farinacius pluribus relatis *dict. quæſtio* 186. *numero* 79. Azor. *p. 1. lib. 8. capit* 18. *quæſt.* Patam. *de Orig. ſ. Inquiſit. lib 3. quæſt. 4. rubr. de exped. proceſſ. in cauſ. fid. numero* 2. Molin. *d. tr. 5. diſp.* 28. *numero* 16. Caſtropal. *ubi ſuprà numero* 16. *ac ſeqq.* Delbene *tract.* 195. *numero* 1. *& ſeqq.* & Carena *dict. part. 1. tract. 4. §. 2 numero.* 13. inquiens, certum eſſe, & uſu quotidiano receptum, hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, non ſponte comparentem minime poſſe ad abjurationem admitti ſine Epiſcopo & Inquiſitore.

Dubium tamen remanet, an id verum ſit etiam in ſponte comparentibua, nùm ſcilicet ſolus Inquiſitor ſine Epiſpopo admittere poſſit ſponte comparentes ad abjurationem? Negant Catena *loco citato numero* 14. & Palaus *ibidem numero* 17. ac Delben. *dict. dub.* 195. *ſect.* 26. Moventur, quia abjuratio eſt pœna graviſſima. Nam ſubjicit abjurantem pœnæ relapſorum & mortis in caſu relapſus. Quod etiam ſequuntur Diana *p. 5. tract. 10. reſolut. 100. & p. 4. tract. 8. reſol.* 49. Zanard *in direct. theol. p. 2. cap. 6. q.* 5. & Farinac. *de hæreſ. dict. quæſt.* 18. *numero* 79. Exiſtimat verò Molina *tract. 5. diſput.* 28. *numero* 16. quod ſi quis captus à Mauris errores Mahumetanorum ſit profeſſus, & ſpōtè ad tribunal S. Officii accedat, poſſit à ſolo Inquiſitore ſine Epiſcopo admitti ad abjurationem.

Et ſanè præfata negativa opinio magnam difficultatem incurrit. Nam abjuratio conſideratur, & ut eſt diſputatio ex natura rei neceſſaria ad reconciliationem cum Eccleſia, ſicut contritio eſt neceſſaria ad reconciliationem cum Deo. Hæreticus enim eſt incapax ut admittatur ab Eccleſia, ut fidelis pœnitens, niſi extrinſecùs deteſtetur, & abjuret errores, quos tenuit, & fidem Catholicam proteſtetut. Poteſt etiam conſiderari, ut pœna ratione illarum pœnarum, quibua abjurans manet obnoxius, ſi relabatur in hæreſim. Quod per accidens ſe habet ad abjurationem ipſam, quæ non infert ex ſe aliquod malum, ſed malum vel infamiæ, vel ſimul conſequitut tatione præteritæ hæreſis. Nam alias, ſuppoſita hæreſi, ipſa per ſe eſt actus virtutia, & eſt laudabilis ac honeſta, & honorem inferens, ſicut & in foro Dei contritio peccatorum. Sic igitur Hæretico venienti, & ſpontè comparenti abjuratio non indicitur, ut pœna, quia ſpontè comparens in S. Officio recipitur ſine pœna, illique ſolum imponuntur pœnitentiæ ſalutares. Imponitur verò abjuratio, non ut pœna, ſed ut diſpoſitio ex natura rei neceſſaria ad hoc ut reconcilietur Eccleſiæ. Sicut ergo Inquiſitor poteſt ex ſe ſolo illum ſpontè comparentem abſolvere, & Eccleſiæ reconciliare, ita poteſt ei abjurationem indicere. Undè aſſeto, poſſe Inquiſitores ferre ſententias contra ſpontè comparentes, illoſque ſine Ordinariorum interventu expedire. Il illis verò cauſis, in quibus formatur proceſſus, debent ſervare *Clem. 1. de hæret.*

Si verò de facto Epiſcopus ſine Inquiſitore, aut Inquiſitor ſine Epiſcopo hujuſmodi reũ ad abjurationem cogeret, ſic abjutantem manere ſubjectum pœnæ relapſi, ait Pegna. *p. 3. direct. q. 47. com. 97. verſ. Rurſùs dico.* Quia nullibi cautum eſt, hanc abjurationem factam coram ſolo Inquiſitore. vel ſolo Epiſcopo irritam eſſe, etiamſi cautum ſit, fieri non debere coram uno ſolo. Contrarium tamen exiſtimo probabilius cum Caſtropal. *loc. cit. nu.* 8. & Delbene *ſupra ſect.* 27. Quia *in d. Clem. 1. de hæret. §. Duro,* poſtquam Pontifex dixerat, non poſſe Inquiſitorem abſque Epiſcopo Ordinario, vel è contrà ad ſententiam contra reos procedere concludit, *Non valebit, & ſi ſecùs*

præſumptum fuerit, irritum ſit, & inane. Ex quibus verbis ſequitur, quod hæc abjurationis ſententia non reddit reum obnoxium pœnæ relapſi, qui eſt effectus legitimæ abjurationis.

Quò verò ad cauſas Lamiarum Pegna *in Lucerna Inquiſitorum er. de ſtrigis fol. 157. verſ. quod ſi quæras,* ait tutius eſſe, ac decentiùs, ut Inquiſitores perindè in cauſis Lamiarum, ac in cauſis hæreticorum procedant, & proceſſus conficiant, requiſitis Diœceſanis ſecundum juris diſpoſitionem *in cap. per hoc de hæret. in 6. extravag. Ex eo de hæret. & d. Clem. 1. eod. tit.* Nihilominus, ſi ſoli velint in hac re procedere, id quidem facere poſſunt, & quod ſoli procedêntes fecerint, ſivè condemnando, ſivè abſolvendo, id validum erit, ſicut conſtat ex conſtitutione Alexandri VI. quæ incipit *Cum acceperimus.* Et hanc ſententiam tuentur Diana *p. 5. d. tr. 10. reſol.* 100. *& p. 4. tr. 8. reſol.* 120. Carena *p. 2. tit. 12. §. 19. nu.* 170. & Del-Bene *p 2. dub. 195. ſect. 20. nu. 6.*

Solus verò Epiſcopus, vel Solus Inquiſitor non poteſt proferre ſeutentiam condemnatoriam, ſive ſententia ſit definitiva, ſive interlocutoria, & ſi ſecùs præſumptum fuerit, nullum eſt, ac irritum ipſo jure. Ita enim expreſſè decernitur *in d. Clem. 1. §. propter quod, de hæret.* & notant Eymer. *d. p. 3. q. 49.* ac ibi Pegna *& com. 40. nu. 165.* Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 3. n. 38.* aliique communiter.

De Sententia autem abſolutoria definitiva, qua reus abſolvitur ab omni pœna, vel interlocutoria, qua reus abſolvitur à tortura, vel ab alio cruciatu non immeritò dubitatur. Eymer. *p. 3. q. 43.* Pegna *ibidem com. 97.* Clar *pr. crim. §. hæreſis n. 5.* Farin. *de hæreſ. q. 186. nu. 60.* Molin. *de juſt. diſp. 28. nu.* aliique plures ſuſtinent poſſe Epiſcopum, aut ejus delegatum ſine Inquiſitore, & Inquiſitorem ſine Epiſcopo ſententiam abſolutoriam proferre. Quia recedendum non eſt à jure antiquo, niſi in quantum jus novum expreſſe illud corrigit, *l. ſancimus, C. de teſtam. l. præcipimus, de appellat. auth. de non alien. aut permut. reb. eccleſ. §. fin. cap. ad noſtram de Regular.* Indubitatum autem eſt, Epiſcopum jure antiquo ſe ſolo poſſe totum negotium fidei definire; & in jure non novo invenitur Epiſcopo, vel inquiſitori prohibitum proferre ſententiā abſolutoriam, ſed tantum condemnatoriam, ut conſtat ex dict. Clem. *l.* Ac proindè etiam jure novo poterit tam Epiſcopus, quam Inquiſitor ſolus ſententiam abſolutoriam pronunciare.

Negant alii, quia antequam Inquiſitor contra reum proferat ſententiam, debet Epiſcopus inquirere, & vice verſa Epiſcopus Inquiſitorem, & inter ſe communicare proceſſum, & examinare, an reus ſit condemnandus, anvè abſolvendus. Ergo aſſiſtentia utriuſque requiritur in actu ſententiæ, ne aliquis error cōmittatur, abſolvendo eum qui forte damnari meretur, vel condemnando, qui debeat abſolvi. Ita Anchor. *in d. Clem.* I. uterque Socinus *in rubr. ff. nu. 66. de acquir. poſſeſſ.* Simanch. de Cath. *inſtit. tit. 3. nu. 9.* aliique.

Alii inquiunt tutius eſſe in praxi, ut unus ſine altero ad abſolutoriam ſententiam non deveniat. Nam eadem ratio, ne aliquis error in ſententia committatur, ita militat in abſolvendo reum, ac in eum condemnando. Et quamvis textus de ſola ſententia condemnatoria expreſſe loquatur, tamen indirectè ac tacitè loquitur de qualibet ſententia, ob communicationem & examinationem proceſſus prærequiſitam ante ipſam ſententiam. Et ita ſuſtinent Simanch. de *cath. inſtit. tit. de abſol. n. 2.* Royas *ſingul. 27. nu. 7. locat. q. 29.* Carret. *tr. de hæret. n.* 72. Zecch. *in ſum. p. 1. tit. de fide cap. 11 rubr. de hæreſ. nu.* 14. Azor. *d. p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 16.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 4. nu. 29. in fine* Caren. *p. 1. tit. 4. §. 2. nu.* 10. & Farinac *d.* 186. *nu.* 87. ubi hanc ſententiam vocat tutiorem, æquiorem, & maturiorem.

Ego negativam amplector. Nam licet de ſententia abſolutoria hoc ſit controverſum, cum ſcilicet ex proceſſu non conſtat de delicto contra reum, & multi exiſtiment quod in rigore juris, poſſint Soli ſententiā abſolutoriam ferre, quod tamen alii negant, ut videre eſt apud Farinac *d. q. 186. nu. 69.* tamen conſiderari debet, quod etſi *in d. Clem.* I. expreſſè videatur eſſe ſermo de Sola ſententia condemnatoriā illis verbis *aut ad ſententiam procedere contra reos,* tamen *in cap. per hoc de hæret. in ſexto* abſolutè decernitur, quod per Utrumque ſententia proferatur. Unde hanc partem nedū exiſtimo tutiorem, ſed de jure veriorem. Quia non eſt dicendum, quod in hoc per *d. Clem.* I. ſit correctum *d. cap per hoc de hæret. in 6.* Nam jura ad concordiam reduci debent, ſi contrarietas non ſit expreſſa. Clemens autem Quintus, dum dixit, *in dicta Clem.* I. *procedere contra reos,* reſpexit ad id, quod frequentius contingit. Rarius enim in S. Officio rei abſolvuntur, quia nec Inquiſitores procedunt contra denunciatos de hæreſi, niſi Fiſci intentione multùm fundata & probata; Unde rarius eſt, ut dicebam, quod reos inquiſitos abſolutione dignos inveniant. Sed Bonifacius VIII. *in d. cap. per hoc* abſolutè, & indiſtinctè vult, quod niſi alter alteri deferat, & ſuas vices committat, ſententia per utrumque ferri debeat. Quare ex vi juris *d. cap. per hoc* ſententia conjunctim proferri debet, quod intelligendum eſt de ſententia non ſolum definitiva, ſed etiam habente vim definitivæ, per quam reus abſolvitur à tortura, vel ab alia pœna; Quia ex *Clem.* I. judicium de inferenda tortura conjunctim haberi debet, & ſic non poteſt alter a tortura reum abſolvere, niſi conjunctim viſis meritis cauſæ, & viſo, an ſit locus torturæ, neque in hoc alterius ſententia prævalet, ſed ſi diſcordent, negotium ad ſupremum Tribunal referri debet, ut *in d. cap.* hoc ſtatuitur.

Et quia, cum etiam in ſententia abſolutoria ſit eadem ratio, adeſt etiam eadem lex non per extenſionem ſed per comprehenſionem juxta *l. his ſolis, verſ. ſit etiam caute Cod. de revoc. donat. & l. item veniunt §. aut Senatus ff. de petit. hæred.* & notant Surd. *dec. 276. nu.* 8. Panormit. *in cap. fin. nu.* 10. *de reſcript.* Monoch. *conſ.* 11. *nu.* 10. *&* 19. aliique communiter. Sicut enim quæ participant eamdem rationem formalem objecti, pertinent ad objectum ejuſdem potentiæ, ſive facultatis comprehenſivæ contenta ſub ipſo tam in naturalibus, quàm in ſupernaturalibus; unde omnes colores comprehenduntur ſub objecto potentiæ viſivæ, quia omnes participant rationem coloris, ita etiam quæ participant eamdem rationem, comprehenduntur omnia ſub conceſſione, vel prohibitione, quæ circà talem rationem verſatur.

In Hiſpania verò uſu receptum eſt, ut Inquiſitores ſine epiſcopo abſolutoriam ſententiam ferant, ut teſtantur Paramus *d. lib. 3. q. 4. n.* 1. & Molina *d. diſput.* 28. *nu.* 15. ac alii.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus Epiſcopus ſine Inquiſitore & Inquiſitor ſine Epiſcopo procedere poſſunt tàm ad torturam, quàm ad definitivam ſententiam; iique ſunt, quando alter ipſorum eſt abſens à diœceſi, vel intra octo dies non vult convenire. Ita ſtatuitur *in d. Clement.* I. Et tradunt Eymer *p. 3. q. 49.* ubi Pegna, Souſa *in aphor. lib. 1. cap. 3. nu. 8. &* 10. Caſtropal. *loc. cit. nu. 11. & ſeqq.* & Caren. *ibid. nu.* 15. Nam antequā ad torturam, vel ad definitivam ſententiam deveniatur, tenetur unus alterum requirere, ut proceſſus inter ſe communicent, & poſt requiſitionem requirens expectare debet requiſitum, per octo dies, quibus elapſis ſi requiſitus non conveniat, vel ſubſtitutum, conſilium, vel aſſenſum non mittat, tunc requirens ad expeditionē cauſæ poterit procedere ſolus, ut *in dicta Clement.* I. *§. propter,* & per Farinacium qui plures allegat *nu.* 98. & Carenam *ibidem nu.* 16.

Solus etiam Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor poteſt

mitigare, vel commutare pœnam delinquenti impoſitam in S. Officio, conſentiente tamen Epiſcopo,& Inquiſitore, per *cap. ut commiſſi de hæret. in ſexto*, & ita fuiſſe mandatum ab Urbano VIII. referunt Bariola *in aphor. litt. P. v. Pœna §. 15.* Diana *p. 5. tr. 12. reſol. 37. nu. 3. & p. 4. tr. 7. reſol. 37. num. 3.* Nam aliàs fruſtra utriuſque Autoritas in pœnarum impoſitione requireretur, ſi quilibet poſſet illas commutare, ac relaxare, dareturque occaſio fraudi, cum quilibet conſentire poſſet condemnationi ſub prætextu, quod ſtatim eam revocare, aut commutare poterit, nihilque in hac parte firmum eſſet. Ita Farinac. *d. quæſt. 186. n. 70.* & quamplures quos ipſe citat. Quod ſanè intelligendum juxta ea, quæ alibi diximus. In Hiſpania vero ex peculiari privilegio ſummi Pontificis, ſolus Inquiſitor habet poteſtatem minuendi, ac relaxandi pœnas his delinquentibus impoſitas, ut teſtatur Royas *ſingul. 155. n. 5. & p. 2. de hæret. n. 210. & 282.* Diana *loc. cit.* ac Delbene *d. p. 2. dub. 195 ſect. 29.*

Fallit tamen id, ſi alicubi conſuetudo legitima præſcripſit, ut alter poſſit ſolus ſententiam abſolutoriam proferre, ut per Simanch. *tit. 3. nu. 9.* in Hiſpania uſu receptum eſſe, ut Inquiſitores ſine Epiſcopo abſolutoriam ſententiam ferant, teſtantur Paran. *de Orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 4. n. 1.* ex quo Carena idem ait *loc. cit. nu. 51.* At certum eſſe quod non poſſit Inquiſitor ſine Epiſcopo, neque Epiſcopus ſine Inquiſitore ferre ſentententiam abſolutoriã, quia hoc prohibetur in inſtructionibus datis particularibus Inquiſitoribus, quas ipſi obſervare tenentur quia juxta illas juriſdictio ab Inquiſitore generali conceditur, tradunt Simanch. *de Cath. Inſt. d. tit. 3. rubr. de abſol. n. 9. & in Enchir. tit 11. nu. 2.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 13. n. 19.* ac Delbene *dub. 195. ſect. 28 nu. 14.* qui ex Simancha refert, in Inquiſitoribus Hiſpanis Inquiſitorem ſolum ſine Epiſcopo non poſſe ſententiam abſolutoriam, etiam interlocutoriam à tortura proferre. Qualis revera ſit praxis hac de re in Hiſpanis mihi non conſtat, ideo illam relinquo in ſuo ſtatu.

Quod ſi Epiſcopus, & Inquiſitor diſſentiant in iis ad quæ ambo concurrere debent, conſulendus eſt Summus Pontifex, vel cauſa ad ſummum Inquiſitionis tribunal eſt remittenda, ut *in d. cap. per hoc de hæret. in 6.* Idque ſervãdum eſt non ſolum in reum condemnaodo, vel abſolvendo, ſed etiam quotiès in aliis actibus, non ita gravibus & ardois, Epiſcopus, & Inquiſitor diſſentiunt, ut per Royam *tr. de hæret. p. 1. nu. 437.* Pegnam, *in direct. p. 3. com. 99.* Iozat. *in pr. Inquis. n. Tortura §. ſed pœna.* Molin. *d. tr. 5. diſp. 28. n. 14.* Farinac. *q. 188.* Delben. *d. p. 2. dub. 195. ſect. 30. nu. 5.* Quia cum *ex d. Clem. I.* non ſolum ad ſententiam definitivam, ſed etiam ad interlocutoriam torturæ, vel carceris durioris in pœnam ambo concurrere teneantur, conſequens eſt, quod ſi in aliquo ex his diſſentiant Epiſcopus & Inquiſitor, talis etiam cauſa ad Sum̃um Pontificem remittenda ſit, & ad ſupremum Tribunal. In Hiſpaniarum verò locis ex ſpeciali Summi Pontificis privilegio Inquiſitori generali, ejuſque Senatui hæc res omni ex parte permittitur, ut per Simanch. *tit. 15. nu. 5. & tit. 60. cap. 10.*

Admonet verò Pegna *loc cit.* procurandum omninò eſſe, ut inter ſe conveniat Epiſcopus & Inquiſitor; quod facilè eveniret, ſi diligenter juri dent operam, ut intelligant quid cuique caſui & negotio ſecundùm regulam juris conveniat. Nam ex Judicum diſſenſiooe ingentia ſolent oriri incommoda. Sed in hoc caſu præcipuum incommodum vergit in præjudicium Reorum, qui non detinerentur tanto tempore in carceribus, ſi Judices conſentirent. Undè graviſſimè peccant, qui vel ob negligentiam ſtudendi, vel ob inſcitiam, aliaſve cauſas præbent occaſionem, ne in ferendis ſententiis inter ſe conveniant. Cauſa quidem fidei gravis eſt, & Judices poſtulat diligentiſſimos.

Regula autem de Epiſcopis intelligitur etiam de Prælatis diœceſanis habentibus juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, territorium ſcilicet ac juriſdictionem, tam in Clericos, quam in laicos ab Epiſcopis independentem. Unde vigore *d. cap. per hoc de hæret. in ſexto* etiam Prælati regulares poterant olim ſuos ſubditos judicare etiã in negotio fidei. Immo ex eorum privilegiis facultas illis competebat, etiam privativè quo ad Epiſcopos & Inquiſitores, ut fatetur Pius Quartus in conſtit. *Paſtoris æterni*, ubi hanc privativam abſtulit, & voluit, quod Inquiſitores in negotio fidei poſſint procedere contra quoſcumque Religioſos, & exemptos, dummodo tamen ab eorum ſuperioribus non eſſent præventi. At deindè Paulus Quintus *in conſtit. Romanus Pontifex*, abrogatis omnibus privilegiis, prohibuit omnibus Religioſorum ſuperioribus, ne in hujuſmodi cauſis ſe ingerant, voluitque eas ſolùm ab Inquiſitoribus, aut ab Ordinariis cognoſci poſſe. Unde nunc Prælati Regulares de ſubditis hæreticis, vel de hæreſi ſuſpectis cognoſcere non poſſunt, nec illos citare aut contra illos inquirere ac procedere. Extat & alia Conſtitutio Alexandri VII. quæ incipit, *licet alias* emiſſa in Congregatione generali S. officii ſub die 8. Junii 1660. in qua de obligatione denũntiandi Religioſos de hæreſi ſuſpectos, S. Officio plura decernuntur, & præfata Pauli quinti Conſtitutio confirmatur. Itaque nunc ſoli Inquiſitores, & Ordinarii ſive ſint Epiſcopi, ſive Prælati inferiores habentes proprium territorium ſeparatum ac exemptum, & in eo juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercentes cognoſcere poſſunt Cauſas ad S. Officium pertinentes.

Quod autem Abbas, vel Prælatus habens territorium exemptum ac juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ſi ſit Religioſus, quod non poſſit cognoſcere cauſas fidei Religioſorum ſibi ſubditorum, & à fortiori non Religioſorum ſive ſervorum, ſive familiarium, ſive vaſſallorum quomodolibet exemptorum, tenet Salell. *lib. 2. cap. 24. nu. 43.* Quod ſanè quò ad Religioſos cenſeo certum eſſe ex vi Conſtitutionis Pauli V. & Alexandri VII. Sed quò ad non Religioſos, ſivè quoad ſeculares, ſi hujuſmodi Abbates, ut exercentes juriſdictionem Epiſcopalem in ſeculares Clericos, vel Laicos habent aliàs facultatem delegatam cognoſcendi de cauſa hæreſis contra exemptos, ſicut habens ex vi *cap. ad abolendam in fine de hæret.* Quia ibi nomine Epiſcoporum veniunt neceſſariò illi, qui in territorio ſeparato, & à juriſdictione Epiſcoporum ſejuncto, exercent juriſdictionem Epiſcopalem, alioqui in illis territoriis non eſſet, qui cauſas fidei judicaret juxta *d. cap. ad abolendam*, & non apparet, quomodo non poſſint iſti Abbates cauſas fidei circa ejuſmodi ſeculares cognoſcere, ſicut ante dictam Conſtitutionem Pauli V. & Alexandri VII. poterant, quia illæ Conſtitutiones expreſſim loquuntur de ſolis Religioſis.

Sede autem Epiſcopali vacante, hæc Ordinarii juriſdictio, remanet in Capitulo, quod illam exercet per Vicarium à ſe inſtitutum *d. Clem. 1. §. propter de hæret. & d. cap. ad abolendam* ubi *Gloſſ. n. Clerici. Oſt. n. 2. & 4.* Panorm *n. 1.* Henric. *n. 4.* Butr. *nu. 2.* & alii quos ſequitur Farinac. *de hæret. q. 186. n. 177.* Simanch. *tit. 25. num 6.* Decian. *lib. 5. cap. 21. nu. 13.* Gundiſal. *q. 7. nu. 8.* Caren. *p. 1. tit. 6. nu. 10.* ac Delbẽne *dub. 195. ſect. 18. nu. 10.* Vacat autem ſedes & ſuccedit capitulum in juriſdictione Epiſcopi, non ſolum poſt Epiſcopi mortem, donec novus Epiſcopus diœceſim gubernare incipiat, ſed etiam Epiſcopus reperiretur captivus Gloſſa *in d. Clem. I. de hæret. v. ſede vacante* ibique Imol. *n. 8.* Vitalin. *nu. 175.* Decian. *d. n. 13.* Farinac. *ibid. cn. 179.* Salell. *lib. 2. cap. 23.* Delbene *d. ſect. 18. nu. 11.* Qood ſanè intelligendum eſt, ſi Epiſcopus ſit captus à Paganis, vel ſchiſmaticis, non verò ſi ex alia cauſa adſit, etiamſi captus à fidelibus non ſchiſmaticis, ſive hæreticis, juxta notata in *cap. grandi de ſuppl. negl. Prælat. in 6.* Tunc

enim Epiſcopus per Vicarium à ſe deputatum diœceſim regit, vel per Vicarium à ſede Apoſtolica miſſum, ſicut regulariter fit, quando Epiſcopi ob aliquod crimen detinentur carceribus mancipati, vel in aliquo monaſterio incluſi, donec illorum cauſa terminetur. Addit Salell. *d. n.* 23. caſum amentiæ Epiſcopi.

Capitulum autem, Sede vacante, non ſuccedere niſi in juriſdictione ordinaria Epiſcopi, non verò in delegata tenent Jo: Andr. *in d. cap. ad abolendam nu.* 15. *de heret. in* 6. ubi Butr. *nu.* 28. Panorm. *n.* 17. & alii quos ſequitur Farinac. *loc. cit. num.* 182. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol* 33. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 12. *§.* 2. *nu.* 6. Caren. *tit.* 6. *num.* 6. *p.* 1. Salell. *lib.* . *cap.* 3. *num.* 35. Delbene *dub.* 195. *ſect.* 18. *nu.* 2. Unde capitulum, ſede vacante, non poteſt cognoſcere de hæreſi exemptorum, cum hæc cognitio non competat Epiſcopo jure ordinario ſed delegato. Contrarium tamen tenent aliqui, ac præ cæteris Quaranta *in Sum. Bull.* cujus opinionem ſervatam fuiſſe Cremonæ, aſſerit Carena *d. tit.* 6. *num.* 13. ſed forſan id factum fuit ex ſpeciali autoritate Sedis Apoſtolicæ, vel nemine reclamante.

Legatos verò à Latere, qui vices Summi Pontificis pleniſſimè gerunt, undè juriſdictictionem ſuper Inquiſitores habere videntur ex Conſtitutione Urbani IV. cujus tenorem refert Locat. *v. legatus*, & Gundiſal. *de heret. q.* 7. *nu.* 8. eſſe Judices competentes in cauſa hæreſis, videtur colligi *ex cap. ut commiſſi de heret. in* 6. At nihilominus ii non ſolent ſe immittere in officium S. Inquiſitionis, niſi ex ſpeciali Commiſſione Summi Pontificis, vel Tribunalis univerſalis Inquiſitionis, ut per Farinac. *q.* 186. *num.* 4. Delben. *dubit.* 191. *ſect.* 8. *num.* 2. Salel. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 13. & Caſtropal. *loc. cit. ſect.* 13. *§.* 2. *num.* 1.

Porrò ſupradictis Ordinariis nullum infertur præjudicium in juriſdictione cognoſcendi cauſas fidei per legationem Inquiſitorum, quæ tamen ſit facta generaliter, ut in textu *d. cap.* per hoc diſponitur. Nam ſi aliàs alicui committitur certa cauſa, vel contra certas perſonas, hæc ſpecialis Commiſſio non cumulativè, ſed privatè facta intelligitur, etiam quò ad Inquiſitores Gloſſ. *in d. cap. per ho* , *v. generaliter* Archid. *ſub ini io*, Gemin. *num.* 1. Franch. *num.* 3. Anchar. *in d. Clem I. num.* 9. *de heret.* Imol. *nu.* 4. Vitalin. *num.* 12. Zabar. *num.* 4. Farinac. *q.* 196. *num.* 19. ac Delben. *dub.* 195. *ſect.* 20. *num.* 2. Quod autem Commiſſarius ſpecialis poſſit compellere Inquiſitores generaliter datos ad exhibendum ſibi proceſſus, & ſcripturas vigore *d. cap. ut commiſſi*, advertit Pegn. *p.* 3. *com.* 95. Quamvis modeſtius ſit, ut hoc faciat ſuperiori autoritate, ſi hæc facultas non ſit ipſi expreſſè conceſſa.

Quò verò ad Vicarios generales Epiſcoporum advertendum eſt, quod ex vi Commiſſionis generalis non poſſunt cauſas fidei cognoſcere, & Capitulum ſede vacante non poteſt per ſe ipſum has cauſas cognoſcere, ſed ad hoc debet deputare Vicarium *d. Clem. §. propter de heret.* Non enim eſſet facile in his cauſis ſervare ſecretum, ſi à toto Canonicorum Capitulo cognoſcerentur, & non niſi longiori tempore cognoſcerentur. Et nihilominus ſicut Vicarius Epiſcopi, ita & iſte Vicarius ex vi generalis mandati non habet facultatem cognoſcendi de hæreſi, niſi ſibi expreſſè id fuerit commiſſum, Imol. *in d. Clem. I. de heret. num.* 19. Locat. *ver. Epiſcopus n.* 6. Repert. *u. cognoſcere*, Gundiſal. *d. q.* 7. *n.* 14. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 21. *nu.* 7. Farinac. *d q* 186. *num.* 13. ac Delben. *d. num.* 14. Quid autem poſſit, vel non poſſit facere Vicarius generalis Epiſcopi colligi poteſt *ex cap. cum in generali de Offic. Vic. in* 6. & *ex cap. licet eod. tit. ac lib.* ubi Doctores adſtruunt, quod ſi in mandato conceDatur facultas circà aliquod ſpeciale cum Clauſula; *& omnia alia facere, quæ non poſſumus, etiamſi exigerent mandatum ſpeciale*, tunc Vicario etiam ſpecialia commiſſa intelliguntur, ac ita ut in hoc caſu Vicarius poſſit etiam cognoſcere cauſas fidei, advertit Locat *d. num.* 6. & ex eo Farinac. *d. num.* 13, & Salel. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 17.

Quamvis verò attento *d. cap. ad abolendam* Epiſcopus non poſſit cauſas fidei ſine conſilio Capituli cognoſcere, attamen conſuetudine Epiſcopi præſcripſerunt, ut has, aliaſque cauſas criminales per ſe ipſos inconſulto Capitulo, cognoſcant, ac definiant, ut per Farinac. *d. q.* 168. *numer.* 14. *& ſeqq.*

Poſſunt denique Inquiſitores compellere cenſuris Judices laicos negligentes exequi ſententiam latam contra ſortilegum hæreticum, ut eam executioni mandent. Tum quia Judices laici ſunt meri executores dictæ ſententiæ, & tenentur juxta leges ſtatim illam exequi. Tum quia jura tribuunt Inquiſitoribus juriſdictionem puniendi fautores hæreticorum. Judices autem non punientes pœna mortis hæreticos, habentur tanquam illorum fautores. Et tùm quia Alexander IV. *in ſua conſtit.* quæ incipit *ad evitandam* tribuit pleniſſimam poteſtatem Inquiſitoribus in Magiſtratus negligentes, aut differentes exequi ſententias latas in hæreticos, & præcipitur *in cap. ut inquiſitionis §. prohibemus de heret. in* 6. ac tennet Eymer. *in direct. q.* 36. ibique Pegna. *p.* 3. *com.* 85. Cened. *ad decret. Collect.* 55. *numer.* 2. Diana *p.* 5. *tr.* 10. *reſol.* 17. *& p.* 1. *tr.* 2. *reſol.* 135. *aliàs* 134. Comenſ. *in Lucerna v. executio §.* 7. *verſ. imo Inquiſitor.* Quod ſi contra *d. cap. ut inquiſitionis* fecerint, ipſi, & ii, qui ſcienter in tali contraventione dederint auxilium, conſilium, vel favorem excommunicationis noverint ſe mucrone percuſſos, quæ eſt latæ ſententiæ ut notat Tiraquell. *in l. ſi unquam num.* 71. *v. revertantur. Cod. de revoc. donat.* Et ſi per annum eam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, ex tunc veluti hæretici condemnantur.

Quod ampliatur, ut non excuſetur Judex volens cognoſcere de cauſa hæreſis, vel differens animadvertere in reum ſibi traditum à S. Officio per proteſtationem, quam facit Inquiſitor dicens *ut Iudex Laicus miſericorditer ſe cum eo gerat. &c.* Quia Eccleſia proteſtationem facit ſui affectus, id eſt, ſi fieri poſſit, & niſi aliter conveniret. Ita Lorca 2. 2. *D. Thom. q.* 11. *ar.* 4. *diſp.* 49. *numer.* 9.

Non obſtat, quod ait Anguianus de *legib. lib.* 3. *contr.* 31. *num.* 42. Quòd ſi Inquiſitores procedere poſſent adverſus tales Judices, ſequeretur abſurdum, nempè, quod incurrerent irregularitatem. Nam Reſpondeo cum Pegna *d. Com.* 85. quod Inquiſitor in hoc caſu non præcipit Judici ſeculari, ut pœnam combuſtionis, aut mortis imponat, ſed ſub pœna excommunicationis jubet, vel ut ſententiam à ſe latam executioni mandet, qui modus præcipiendi continetur in reſcripto Alexandri IV. quod incipit *ad audientiam* & Leoni. X. quod incipit, *Honeſtis petentium votis.* Vel ut ſervet Conſtitutiones, ac leges contra hæreticos editas. Qui modus præſcribitur ab Innocentio IV. in Extravag. *Ad extirpanda §. Damnatos verò.* Et hi modi ſufficiunt ad evitandam irregularitatem, ut *ex cap. Epiſcopus nè Cleric. vel Monach. in* 6. Et ita etiam cenſent Cened. *in pr. q.* 15. *num.* 5. Henriquez. *lib.* 14 *cap.* 12. *num.* 5. *in gloſſ. litt. D.* Avila *de Cenſur. p.* 7. *Diſp.* 5. *ſect.* 2. *dub.* 2. Medina *in ſum. lib.* 1. *cap.* 11. §. 10. *reg.* 4. Sanctarel. *de heret. cap.* 26. *dub.* 1. *numer.* 8. Diana. *loc. cit.* Imo Lorca *d. numer.* 9. ait quod Paulus IV. &

Pius

Pius V. motu proprio decreverunt, tam inquiſitores, quam quoſcumque miniſtros, & Conſultores ab omni irregularitate immunes eſſe quomodocumque ad condemnationem hæreticorum concurrant. Undè Cardinales, cœterive Officiales ſuffragium dantes in cauſis S. Officii, etiamſi interveniat pœna ſanguinis irregularitatem non incurrunt, ut decretum 28. Aprilis 1557. Et quatenus opus ſit Sanctiſſimus diſpenſavit in tortura danda 28. Octobris ejuſdem anni. Idem decrevit B. Pius V. die 9. Octobris 1567.

Parerga autem, ſive effata de Epiſcopis, quò ad Officium S. Inquiſitionis, hæc habeo quæ ſuperiùs dictis, ac iis, quæ de inquiſitoribus protuli, ſubjicio & ſine invidia communico.

Epiſcopus, ejuſque Vicarii poſſunt edicta de libris prohibitis publicare, Catalogos librorum prohibitorum conficere, illoſque recipere, & auferre in viſitatione, ac in diœceſi colligere, ſed collectos tenentur tradere Inquiſitori, qui illos corrigi, vel comburi faciat.

Epiſcopus, ſi vult eſſe præſens torturæ inferendæ carceratis in S. Officio, accedere debet ad S. Officium; non enim rei torquendi duci debent à carceribus S. Officii ad palatium, vel ad carceres Epiſcopi.

Epiſcopi curent, quod ſcripturæ S. Officii, quæ fiunt in ſuis tribunalibus, aſſerventur in Archivio particulari, & diligenter cuſtodiantur, ne Notarii illas extrahant.

Epiſcopi cauſas ſuper veritate miraculorum cognoſcunt cum interventu Inquiſitorum.

Epiſcopi per ipſos, & non per vicarios foraneos agitent cauſas S. Officii, & per ſe ipſos, non autem per Notarios ſumant informationes.

Epiſcopi non impediuntur à S. Officio, quin reſervent ſibi caſum exercentium artem magicam, & abutentium ſacramento Euchariſtiæ.

Epiſcopi & non Inquiſitores concedunt licentiam imprimendi Indulgentias ſive illarum ſummaria, aut brevia Apoſtolica.

Epiſcopi non ſe inſcribant, ſive ſubſcribant Inquiſitores in edictis, vel aliis actibus S. Officii, & edicta S. Officii conjunctim cum Inquiſitore publicent.

Epiſcopi debent mittere ad ſupremum Inquiſitionis Tribunal ſententias à ſe latas in cauſis pertinentibus ad S. Officium.

Epiſcopi ſi juxta Clementinam *Multorum de heret*, requiſiti noluerint cauſis intereſſe, neque ſuos Vicarios mittere, expediant illas Inquiſitores, vel eorum Vicarii. In inferenda verò tortura, adhibeant aliquem ex ſuis Conſultoribus juris peritum

Epiſcopi cognoſcunt de veritate vel falſitate Indulgentiarum.

Epiſcopi poſſunt in viſitatione ſancire edicta de revelandis hæreticis, vel ſuſpectis de hæreſi.

Epiſcopi in publicatione edicti contra hæreticos retinentes libros, damnatos, exercentes incantationes, & artes magicas, ac committentes crimina ad S. Officium ſpectantia, debent ſervare conſuetudinem.

Epiſcopi in cauſis S. Officii tenentur ſervare ſecretum juxta cap. ſtatuta *§. fin. de heret. in 6.*

Epiſcopi abjurant juxta qualitatem facti coram ſummo Pontifice.

Epiſcopo Græco non permittitur exercere Pontificalia in diœceſibus Italiæ, niſi de ſpeciali licentia ſedis Apoſtolicæ, facto priùs verbo in S. Congregatione S. Officii coram Sanctiſſimo. Et ita ſcriptum omnibus Epiſcopis Regni Neapolitani.

Epiſcopi debent vereri Inquiſitores, ac Officiales S. Officii, quod, ſi ſecùs fecerint, monendi, vel citandi, ut accedant ad Urbem, & perſonaliter compareant.

Epiſcopus nequit impediri ab Inquiſitore, ne ſua edicta & indulgentias imprimere faciat ſine ejus licentia.

Epiſcopus monens Inquiſitorem, ne permittat familiares S. Officii deferre arma conſueta, alioquin illos, ipſumque Inquiſitorem puniet, eſt graviter reprehendendus.

Epiſcopi non poſſunt retinere neque permittere, ut retineantur libri omninò prohibiti, qui non admittunt correctionem, ſed poſſunt hujuſmodi libros accipere, & intra terminum competentem tradere Inquiſitori ut de communi conſenſu poſtea comburantur. Quò verò ad libros emendabiles, habent autoritatem cumulativè cum Inquiſitoribus deputandi viros idoneos, qui illos corrigant, & ſic correctos permittant legi, ac retineri.

Epiſcopi poſſunt legere libros prohibitos, ad effectum corrigendi, & quos repererint correctionis incapaces, comburere tenentur, qui verò poſſunt expurgari expurgent, & ſic expurgatos retineant.

Epiſcopi eorumque Vicarii habent ſolummodo autoritatem recipiendi libros prohibitos ab iis, qui illos tradunt, non tamen poſſunt illos apud ſe retinere apud Inquiſitores, vel eorum Vicarios. Nam licet Epiſcopus poſſit Indicem librorum prohibitorum publicare, ut inquiſitor, ac libros ex profeſſo de Religione tractantes retinere, neque eos, qui ſunt omnino prohibiti, qui ei traditi debent tradi Inquiſitoribus, vel eorum Vicariis, ut comburantur. Libri verò, qui ſecundùm Indicem poſſunt corrigi, & expurgari, Epiſcopus & Inquiſitor illorum correctionem facere, vel committere poſſunt, & ita correctos permittere. Epiſcopi enim non habent Autoritatem tenendi ac legendi libros omnino prohibitos ad effectum recognoſcendi an permitti poſſint. Nam ſi ſunt omnino prohibiti, tenentur eos tradere Inquiſitoribus.

Epiſcopi & Inquiſitores non poſſunt concedere libros hæreticorum de Religione ex profeſſò tractantes, neque alios libros juxta regulas Indicis omnino prohibitos, ac penitus damnatos. Si tamen hujuſmodi libri ad eorum tribunalia deferantur, illos accipere debent, ut inſpecta eorum qualitate de conſenſu Inquiſitoris comburere faciant. Quò verò ad alios libros, qui *juxta §. 2. de prohibitione librorum ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus* permitti poſſunt, ſervetur diſpoſitio dicti §. Quò verò ad libros differentes de controverſiia inter Catholicos & hæreticos noſtri temporis, Epiſcopi & Inquiſitores antequam illos concedant, reddere debent certiorem S. Congregationem univerſalis Inquiſitionis, de titulo libri, & de qualitate Petentis.

Epiſcopi poſſunt non ſolum citare, ſed etiam procedere in cauſis S. Officii juxta Clementinam primam de hæreticis, & publicare edicta in iis, quæ pertinent ad ſuas Curias.

Epiſcopus, vel ejus Vicarius poteſt ac debet opponere, vel dicere de nullitatibus proceſſuum, quos Inquiſitores conficiunt, & è contra.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare cum illegitimis, niſi ad Ordines minores, & ad unum beneficium ſimplex tantum.

Ordinarii debent conſtituere Vicarium, qui aſſiſtat expeditionibus Cauſarum ſuorum Diœceſanorum, quæ fiunt ab Inquiſitoribus, ubi ipſi Epiſcopi non reſidente

dent, quia eſt alia Civitas juriſdictioni Inquiſitoris ſubjecta, aliàs idem Inquiſitor illas abſque eorum interventu expedire poterit.

Ordinarii circa introductionem librorum, eorumque extractionem, quam facultatem habeant alibi dicetur.

Ordinarii poſſunt intervenire expeditionibus cauſarum, quæ fiunt ab Inquiſitoribus, licet illi per litteras S. Congregationis habeant illarum reſolutiones dummodo tamen Inquiſitoribus aliter non demandetur.

Ordinarius in edicto rerum ad S. Officium ſpectantium, ponat alternativam, & faciat mentionem de Inquiſitore, & vice verſa Inquiſitor faciat mentionem de Epiſcopo, videlicet, ut Confeſſarii obligent Pœnitentes in caſibus S. Officii adire vel Epiſcopum vel Inquiſitorem.

Ordinarii viſitent bibliothecas, ſed libri prohibiti aſſervari debent apud Inquiſitores. Poſſunt tamen præcipere Bibliopolis, ut ſibi tradant indicem librorum venalium, ut illum ſubſcribant, utque jurent fideliter ſuum munus exercere.

Ordinarius poteſt hæreticos in ſua Curia inquiſitos, & ad fidem Catholicam redire volentes, ſervatis ſervandis, judicialiter expedire. Vigore autem facultatis ſibi conceſſæ abſolvendi ab hæreſi, non poteſt relapſos, illos ſcilicet, qui in hæreſes, quas abjurarunt reincidunt, abſolvere, ſed debent conſulere ſacram Congregationem.

Ordinarii provideant ne Infideles medeantur Chriſtianos, ne frequentent domos Chriſtianorum, præcipuè mulierum, nevè mulieres inhoneſtæ retineant ſervos infideles.

Ordinarius in ſua diœceſi auctoritate ordinaria publicat edictum S. Officii juxta formam edicti publicati ab Inquiſitoribus juſſu S. Congregationis.

Ordinarius procedit contra Excommunicatos non curantes abſolutionem, & ea non obſtante, aſſiduè celebrantes. Quod intellige juxta aliàs dicta de inſordeſcentibus in excommunicatione.

Ordinarii non autem Inquiſitores procedunt contra Judæos habentes commercium carnale cum mulieribus Chriſtianis. Aliquando tamen procedit Inquiſitor cum ordinario, qua de re vide etiam quæ alibi diximus.

Ordinarius poteſt publicare, quemadmodum & Inquiſitor, Bullas Apoſtolicas pertinentes ad S. Officium, niſi ſit data certa forma. Et conjunctim, vel ſeparatim poſſunt publicare edictum generale S. Officii.

Ordinarii in cauſis fidei poſſunt procedere contra quoſcumque Regulares exemptos à ſua juriſdictione. Et inquiſitor hujuſmodi cauſas agitans debet cum ipſis ordinariis illas communicare.

Ordinariorum munus eſt ſubminiſtrare alimenta pauperibus detruſis in carceres S. Officii, ubi officium nullos habet reditus.

Ordinarii prohibent Cauponibus, & Hoſpitibus nè hoſpitio exceptis miniſtrent cibos vetitos, & contra eos procedunt.

Ordinarii procedunt contra Parochos, facientes fidem de receptione ſacramentorum in Paſchate iis, qui ea non receperunt.

Ordinarii puniunt ſimplices ſuperſtitiones.

Ordinarii in cauſis polygamiæ, & in aliis ſpectantibus ad S. Officium procedant ſimul cum Inquiſitoribus, cum hoc idem, juxta Clementin. *multorum de hæret.* teneantur ſervare Inquiſitores.

Ordinarii non permittant in ſuis diœceſibus quæſtores eleemoſynarum prætextu quod ſint converſi ad fidem Catholicam.

Ordinarii, non autem S. Officium, procedunt contra Confeſſarios petentes ac recipientes pecunias à Pœnitentibus pro communicatione votorum, illaſque in rem ſuam vertentes.

Ordinarii, non autem S. Officium, providere debent, ne Judæi retineant res venales ad Religionem Chriſtianam pertinentes, nimirum Cruces, Imagines Sanctorum, & hujuſmodi alia, & procedere contra Judæos, qui hæc pignotatitia recipiunt.

Ordinarii viſitant Oratoria Cruceſignatorum, & cum Inquiſitoribus rationes ſubducere, & conſolidare debent, niſi conſtiterit de contraria conſuetudine.

Ordinarii poſſunt ſua ordinaria auctoritate depotare aliquos, qui libros imprimendos, ac introducendos recognoſcant, ac impreſſoribus præcipere, ne abſque ſua, vel deputatorum licentia quidquam imprimant, nevè libros manuſcriptos divulgent.

Ordinarii procedunt contra Regulares publicantes Indulgentias ſine ſuo permiſſu, vel excedentes modū in illis publicandis, vel earum Bullas adulterantes aut corrumpentes.

Ordinarii procedunt contra Blaſphemos non hæreticales.

Ordinarii approbantes confeſſarios, illis injungant obſervationem conſtitutionis contra ſollicitantes, ne alias incidant in illius pœnas.

Ordinarii procedunt contra non confitentes in Paſchate.

Epiſcopus, qui malè ſe gerit in cauſis S. Officii, vel omittendo contra delinquentes vel procedendo contra innocentes odio, amore, commodo, aut alia cauſa præter alias pœnas pro qualitate delicti, excommunicationem incurrit, & per triennium ſuſpenditur ab officio Epiſcopatus per textum *in Clem. I. de hæret. §. Verum quia nimis eſt.* Alia apud alios.

CONSULTATIO CXL.

An, & quibus remediis, ac mediis unio ſchiſmaticorum omnium cum Eccleſia Catholica procuranda ſit? Præſertim Græcorum, ac Ruthenorum, ubi de erroribus, qui Græcis attribuuntur, de origine eorum ſchiſmatis. Et an propter ſuos errores Græci ſint cenſendi hæretici, an tantum ſchiſmatici? Quinam ritus illis permiſſi, & in quibus Latinus cum Græcis liceat communicare. Ubi pauca de pœnis ſchiſmaticorum, eorumque abſolutione, & reconciliatione, & remiſſione, de quam plurimis rebus aliis, aliiſque nationibus orientalibus.

NEgari planè non poteſt, quin Eccleſia Latina Græcæ & aliis Orientis Provinciis ubi ſchiſma graſſatur, plurimum debeat, cum ab eis pretioſiſſima bona antequam ſcinderetur, receperit. Floruerunt quippe ibi Patres ſanctitate ac doctrina celeberrimi, quorum monumentis erudimur, & ad pietatem incendimur. Quis ergo non videat, dolendum eſſe quod pars Eccleſiæ nobilium germinum productrix ſe à Summorum Pontificum obedientia ſubtraxerit! Eoque dolore unà cum gratitudinis ſtimulo ad ſchiſmaticorum reductionem non excitetur.

Clariſſima item Concilia in Eccleſia Græca, & orientali celebrata ſunt, & profecto pios animos inſime movet diviſio ejus partis; in qua unio tot ſanctorum facta, & ad commune totius Orbis bonum derivata fuit.

Ipſa etiam gentis ruditas ſumma commiſeratione digna eſt, præſertim ſi cùm vitiorum colluvie conjungatur. Et quidem eo amplius adjuvanda eſſet quo ſaluti propinquior eſt, cum minus quàm infideles à Chriſtò recedat. Ordo enim divinæ charitatis expoſcit, ut

eo plus dilectionis impendatur quo quis nobis conjunctior eſt.

Notumque eſt ex ſchiſmaticis aliquos hoc etiam ſeculo miſiſſe Legatos, qui ſummis Pontificibus obedientiæ obſequium redderent pro his, qui Romam venire nequibant. Et licet poſtea ad vomitum redierint, fortaſſe non prorſus tota defectionis cauſa in eorum fragilitatem refundenda eſt, cum probabile ſit, multos ex ipſis in Eccleſiæ obedientia fuiſſe perſeveraturos, ſi miniſtros Latinos nacti fuiſſent.

At quidem dum ſtetit in Oriente ſincerior fides, atque ſimplicitas ingens fuit Græciæ ſplendor, tum ob Chriſtiani Orbis Imperium, quod aliquando in ea floruit, ob diſciplinas ferè omnes, quæ à Græcis ad omnes ferè alias nationes promanarunt. At ubi Græci in ſuperbiam elati Romanam Sedem omnium Eccleſiarum matrem aſpernari cœperunt, divinitus factum eſt, ut & Imperii ſplendorem, & quod majus eſt, in varios errores prolapſi orthodoxam fidem amitterent.

Pertentatum igitur fuit ab Eccleſia Latina, tam in Synodis generalibus, quàm aliis modis, ut tanta atque adeo præcipua Reipublicæ Chriſtianæ portio veterum Patrum ſuorum veſtigia terens, ita nobiſcum modò ſentiret, quemadmodum Apoſtolorum ſeculis una erat, atque conſentiens. At cum quaterdecies ſuos Græcia errores agnoverit, adhuc ſuper cordibus eorum manet velamen, ut id, quo ſæpe convicti ſunt, ut judicio ſuo condemnati, confiteri jam nolint. Talis eſt ſchiſmatici natura & conditio. Nam cùm pietatis ſpeciem præſeferat, eaque contentus ſit, quo etiam fuco noſtri temporis hæretici populos deceperunt, caputque, à quo vitæ ſpiritualis ſenſum, & morum accipiat, non habeat, vix rationis ullius vim extrinſecus admittit, & ſi quid, veritate cogente, admittit, hoc vix diu retinet. Et quamvis nullum fuerit ſeculum, in quo non plura, & maxima Romana Eccleſia contulerit beneficia in Græcos & Orientales, ut latiſſimè ac ſatis eleganter Thomas Bozius *lib. 5. de ſignis Eccleſiæ. cap. 4. & 5.* recenſet, id tamen inficiari non poſſumus, non omnem fuiſſe adhibitam diligentiam, ut res incepta ad optatum finem perduceretur. Nam ſi cùm primum abſoluta Florentina Synodo, libelli ea de re pro populi captu, & communi lingua per Orientem ſemel atque iterum fuiſſent ſparſi, illarum ſaluti aliter eſſet conſultum, fœcundioremque ſegetem habuiſſet Eccleſia, quæ, ut ita dicam, non poteſt conſolari quia non eſt.

Sed & præter Eugenium Quartum, ſi Innocentius tertius, Gregorius decimus, Alexander ſextus, aliique Pontifices hoc negotium aggreſſi, non ſolum Synodorum convocatione, vel unius hominis, epiſtolæve miſſione contenti fuiſſent, ſed rem hanc ſedulo Apoſtolorum more urſiſſent, forſan Eccleſia ſuo fœtu non eſſet orbata, & tam inſignes nationes ad priſtinam gloriam rediſſent. Quandoquidem Græcorum ſchiſmati, ac veſtigiis non contemnenda mundi pars inhæret. Hujus enim ſectæ, & religionis ſunt Moſcovitæ, Rhuteni, & aliæ nationes, latiſſimè namque patent eorum ritus ac fines. Nam ab ortu ſolis gaudent Conſtantinopolitano, ac aliis tribus Patriarcharibus, A Septentrione univerſo Moſcoviæ Patriarcharu, & Lituaniæ parte, hoc eſt alba Ruſſia, & rubra. A Meridie Cypro, & Creta, in qua quatuordecim millia pagorum numerantur, occupantque alias quamplurimas gentes, præcipuè verò Georgianos, quos Iberos appellant Coſmographi, qui omnes, exceptis paucis, qui Romanam Eccleſiam venerantur, ut matrem, eiſdem errorum tenebris implicantur.

Præcipui Græcorum errores, qui illis à Concilio Florentino, & aliis imputantur, quinarium numerum non excedunt.

Primò negant Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio.

Secundò aſſerunt Sacramentum Euchariſtiæ confici non poſſe in azymo pane, ſed præciſe in fermentato, adeoque tenaciter inhærent his duobus erroribus, ut inter alia perverſa dogmata, propter quæ ab Eccleſia Romana decivere, hæc duo omninò præcipua, & veluti totius diſſenſionis capita fuerint.

Tertiò docent, nullum eſſe purgatorium locum, in quo animæ corporibus emigrantes purgentur à ſordibus, quas in corpore contraxerant, antequam in æterna tabernacula recipiantur, & ex conſequenti nihil prodeſſe defunctis ſacrificia, eleemoſynas, & hujusmodi opera pia, quæ à vivis, pro illis offeruntur.

Quartò. Quod Sancti poſt hanc vitam antè diem Judicii Deum facie ad faciem non videant, neque ejus viſione fruantur, nec peccatores ante eandem diem inferni ſuppliciis afficiantur.

Quintò errant negantes, Summum Pontificem Romanæ Sedis Apoſtolicæ caput eſſe totius Eccleſiæ ac B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem. Concedunt ipſi, quinque eſſe totius Eccleſiæ primarios ac præcipuos Patriarchas, Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, & inter hos quidem Romanum Ordinis ac dignitatis primatum habere ita, ut in Conciliis, & aliis Conventibus primum locum in ſedendo, ſententiam dicendo, ſuffragium ferendo, & ſubſcribendo tenere debeat, ſic tamen, ut nihil juris & poteſtatis in alios quatuor, præcipuè verò Conſtantinopolitanum habeat. Guido Carmelita, & poſt ipſum Prateolus *de ſectis hæreticorum v. Græci* multos alios errores Græcis attribuunt, licet Lucianus natione Cyprius, Ordiniſque Prædicatorum Theologus *apud Poſſevinum tom. 1. Biblioth. lib. 5. capit. 8.* magnam prædictorum errorum partem fuiſſe Græcis impoſitam contendat.

Ex mente igitur prædictorum Autorum errant Græci primò affirmantes ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum contra illud Chriſti Matth. 5. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidium, adulterium, fornicationes, furta, &c.* Quamvis Lucianus, ut ſupra, excuſet Græcos ab hoc errore.

Secundò errant, cùm dicunt eos, qui ſunt aliquibus peccatis implicati, cùm Euchariſtiam ſuſcipiunt non recipere corpus Domini contra illud Apoſtoli. *Quicunque manducaverit panem, & biberit calicem Domini indigne*, &c. Quibus verbis ſatis oſtenditur, quod peccatores vere illud ſumant, licet indigne, & quod judicium accipiunt, non dijudicantes corpus Domini, licet Lucianus falsò hunc errorem Græcis imponi affirmet.

Tertiò primas nuptias admittunt, ſecundas damnant, in quo clarè Evangelio contradicunt Matth. 10. & 9. Si enim alter conjugum mortuus ſit, alter ſolutus eſt, ut iterum poſſit nubere. Sed Lucianus negat damnari ſecundas nuptias à Græcis; fatetur tamen ſolere Græcos Sacerdotes in primis benedicere, ſed non in ſecundis.

Quartò docent nuptiarum fœdus poſſe pro conjugum arbitrio diſſolvi, & fieri divortium. Lucianus tamen apud Poſſevinum, ut ſupra, affirmat, nunquam inter Græcos permiſſum fuiſſe divortium quo liceret novas quærere nuptias.

Quintò errant, affirmantes Latinos contra Apoſtolorum præceptum non ſervare abſtinentiam à ſanguine, & ſuffocato. non advertentes illud Apoſtolorum decretum contra idolorum cultores latum fuiſſe, qui immolatum, & idolatitum edebant.

Quare

Quarè tantum illud ſervandum erit, ſicut & à Catholicis ſervatur ubicunque inter gentes, quæ idola colunt, immolatitia ſunt. Porro illo Apoſtolorum decreto tantum immolatitia, & non alia prohiberi docent graviſſimi Orientalium Patres. Cyrillus Hieroſolymitanus *in 4. Cathec.* Gregorius Nazianzenus *ſerm. in Sanctum Paſcha*, Juſtinus Martyr *quæſt.* 45. Origenes *lib. 8. contra* Celſum & alii.

Sexto aſſerunt, Euchariſtiæ Sacramentum in die Cœnæ Domini confectum, eſſe excellentioris virtutis, & efficaciæ, quam alio quolibet die confectum. Hunc tamen errorem falsò imponi Græcis Lucianus quoque defendit.

Septimò errant, cùm Sacramentum Extremæ unctionis infirmis quandoque ad corporis quoque ſalutem prodeſſe negant. Id enim apertè pugnat contra illud Jacobi, qui de hoc ſacramento loquens ait: *Et oratio fidei ſalvabit*, vel, ut textus græcus habet, *ſanabit infirmum.*

Octavo, affirmare etiam Græcos refert Prateolus non eſſe peccatum dare aliquid ad uſuram, contra illud Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Et quod deterius eſt, non eſſe neceſſariam rei furto ſublatæ reſtitutionem, ut quis poſſit aſſequi vitam æternam, non animadvertentes, non tolli peccatum, niſi reſtituatur ablatum. *Si quid aliquem defraudavi*, inquit Zachæus Luc. 19. *reddo quadruplum.* Hanc tamen eſſe calumniam apertam in Græcos, docet Lucianus. Nam apud illos aſſerit, hæc verè peccata cenſeri, atque ab eorum Sacerdotibus adigi pœnitentes, ut reddant, quod debent.

Nono, mortua Sacerdotis uxore, credunt Sacerdotem non amplius eſſe Sacerdotem, quaſi ab uxore, & non à Chriſto per Epiſcopum ſacerdotium ſuſcepiſſet, vel character Sacerdotalis eſſet delebilis. Hunc tamen errorem Lucianus Græcis imponi, apertiſſimè docet.

Decimò errant exiſtimantes, non licere Chriſti imaginem ſculpi, ſed tantum depingi, non animadvertentes ſculptilia à Deo fuiſſe prohibita, ut Judæorum animos pronos ad idololatriam, ab eadem averteret. Orta verò jam Evangelii luce, ſecluſoque idololatriæ periculo, licet hominibus Dei, Sanctorumque aliorum memoriam omnibus piis modis, ſive per imagines depictas, ſive ſculptas excitare, & ad mentem revocare. Atqui hi ſunt errores, qui Græcis ſolent attribui.

Adverſus eorum errores ſcripſerunt in primis ipſius Eccleſiæ Græcæ viri doctiſſimi, Emanuel Calera, Patriacha Conſtantinopolitanus, Georgius Proroſingilus, Theodorus Gaza, Georgius Trapezuntius, Beſſarion Cardinalis Nicenus, qui & poſtea fuit Patriarcha Conſtantinopolitanus, & præcipuè Georgius Scholarius, deinde vocatus Gennadius, cum Patriarcha Conſtantinopolitanus nominaretur, qui cùm Synodo Florentinæ cum aliis Græcis adfuiſſet, ubi omnes de ſuis erroribus convicti ad Eccleſiæ unitatem redacti ſunt, poſtea verò retrorſum abientes omnes ad vomitum reverſi ſunt, eleganter eorum errores confutavit, eorumque calumniis contra Eccleſiam Latinam objectis, doctè ac piè reſpondit, cujus opera verſa in Latinam linguam habentur *tom. 4. Bibliotheca Sanctorum Patrum.*

Ex Latinis verò D. Anſelmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis *in opuſc. de azymo*, Rabanus Maurus *de inſtitut. Clericor. libro primo cap. 31. de ſacram. corporis, & ſanguinis* Domini, Hugo Etherianus *adverſus errores Græcorum ad Alexandrum tertium Pontificem maximum libris tribus, qui habentur tom. 9. Biblioth. ſanct. Patr.* & Chryſolanus Mediolanenſis Archiepiſcopus *de ſpiritu ſancto* D. Thomas *opuſc. 1. & 2. & contra Græcorum errores*, ac omnes ejus Expoſitores *in 1. part. in quæſtione celeberrima, ac diviniſſima de proceſſione Spiritus Sancti*, Cardinalis Turrecremata *in expoſitione decreti de unione facta in Synodo Florentina* & noviſſimè, licet breviter, Antonius Poſſevinus *in ſua Moſcovia*, Azor inter Theologos morales Societatis Jeſu, tempore, eruditione, perſpicuitate primus *tom. 2. inſtit. lib. 4. cap.* 14. & potiſſimum, ut alios omittam, ſacra Synodus Florentina ubi Patres doctiſſimè Græcorum errores confutarunt, eoſque ad pœnitentiam & obedientiam Eccleſiæ Romanæ præſtandam perſuaſerunt, factaque unionis Bulla ab Eugenio quarto, Græci diſceſſere, cùm tamen neque ab ipſis, neque à Latinis tunc fuiſſent apud Græcorum nationes, neq; Concilii Florentini decreta, nec unionis Bulla publicata. Quod cauſa fuit, ut Græci, ſicut & antea, in ſuis erroribus permanerent.

Lugendum illud ſchiſma, & omnibus ſeculis deplorandum, quod florentiſſimas Orientis Eccleſias à capite ſuo avulſit, non in aliam cauſam conjiciendum eſſe, aſſerit Petrus de Marca *tom. 1. de concord. Sacerdotii & Imperii cap. 1. numero quarto* quàm in contentionem, quæ ob diœceſes malo more uſurpatas exarſit. Non enim in eam hæreſim, quæ de proceſſione Sancti Spiritus dimicantes Eccleſias poſtea colliſit, referenda eſt hujus diſſidii cauſa, ſed in eam, de qua dixi, diœceſeon uſurpationem, unde nata eſt Græculis occaſio de ſummis Chriſtianæ Religionis capitibus, & certis quibuſdam diſciplinæ articulis litis movendæ adverſus Romanam Eccleſiam, ut ſucceſſionem ſuam neceſſariam omnibus comprobaret. Id confixit de Marca, ut cauſæ ſuæ faveret.

At ego dicam breviter de origine ſchiſmatis Græcorum. Dum Orthodoxa fides in Oriente vigebat, Græci primatum viſibilis hujus, ac militantis Eccleſiæ Petro Apoſtolo, ejuſque ſucceſſoribus fuiſſe à Chriſto Domino collatum, facile credebant, & confitebantur, ut latius probat Bellarminus *lib. 2. de Rom. Pontif. in controverſia de ſummo Pontifice.* Quare in Conciliorum confirmatione neceſſariam Romani Pontificis auctoritatem agnoſcebant, & cum vel ab hæreticis, vel ab ipſis Imperatoribus Patriarchæ, ſive Epiſcopi aliqua afficiebantur injuria, ad Romanam Sedem, ut defenderentur, confugiebant.

Quinimo ex toto Orbe terrarum ad eandem, veluti ad Petri Sedem. Epiſcopi de rebus fidei, aliiſque graviſſimis quæſtionibus ſcribebant, atque ad ejuſdem Pontificis Maximi juſſa vel cogebant Concilia, vel coacta petebant, ut confirmarentur. At cùm Conſtantinus Magnus Imperii ſui Sede Bizantium translata, Romam Chriſti Vicario ceſſiſſet, Græci tertenì Imperatoris præſentia inflati anno Domini 381. Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui antea nec Patriarchatus munere fungebatur, tribus Orientis Patriachis anteponere, & ſecundum à Romano Pontifice facere voluerunt, ſicut ex Concilii Conſtantinopolitani can. 3. patet his verbis: *Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat prioris honoris partes poſt Romanum Epiſcopum eo, quod Conſtantinopolis ſit nova Roma.*

Hunc Canonem Damaſus Papa in Concilio Romano reprobavit, quippè qui ex mera editus ambitione ſedibus Patriarchalibus ab antiquo inſtitutis, & Nicena Synodo confirmatis præjudicabat, novamque invehebat autoritatem, quæ Imperatorum poteſtate fulfolta, ſe adverſus Eccleſiæ Romanæ primatum, à Chriſto in perſona Petri conſtitutum, in-

ſolentius

ſolentius erigeret. Quod poſterioribus ſeculis effectum eſt, unde hæreſes, & exitialia ſchiſmata emerſerunt toto Oriente. Conatum eundem ambitioſum Græci renovarunt in Synodo Chalcedonenſi, ſed eum fecit irritum Leo Magnus *ep. 51. ad Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & Ep. 52. ad Marcianum Auguſtum, & ep. 53. ad Pulcheriam Auguſtam*, ubi hunc Canonem tertium ſic deſignat: *Fruſtra quorundam Epiſcoporum proferentur conſenſus, cui tot annorum ſeries negavit effectum.* Deinde Juſtiniani Imperatoris prodiit *novella* 130. græcæ huic vanitati adſtipulans: *Sancimus* inquit, *ſecundum ipſorum fines ſanctiſſimum veteris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum; Beatiſſimum verò Archiepiſcopum Conſtantinopolis novæ Romæ ſecundum ordinem obtinere poſt Sanctiſſimum Apoſtolicum Thronum veteris Romæ.* Quam novellam inſeruerunt Græci *lib. 5. Baſilicon cap. 3.* Sed illud laicæ poteſtatis edictum non alio fulcro ſubniti potuit, quàm Synodorum decretis à ſupremo univerſalis Eccleſiæ capite reprobaris. Pſeudo ſynodus Trullana ſub altero Juſtiniano his ſimilem edidit Canonem ſecundum.

His verò ſanctiſſimi Pontifices refragati ſunt, Damaſus, Leo Magnus, & Gregorius etiam Magnus *lib. 6. ep. 31. Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum*, Nicolaus primus *ep. ad Michaelem Imperatorem*, quæ incipit: *Propoſueramus*, & Leo Papa nonus *ep. ad alterum Michaelem Imperatorem.*

Neque hoc quidem contenti anno Domini 451. eundem Conſtantinopolitanum Epiſcopũ Romano Pontifici parem efficere conati ſunt, ex *act. 16. Chalcedonenſis Synodi* conſtat. Prope verò annum 600. Epiſcopum Conſtantinopolitanum Oecumenicum, id eſt Orbis terræ Epiſcopum, ſive univerſalem Paſtorem auſi ſunt nominare. Ac denique anno 1054. ut ſuperbia aſcendit ſemper, apertum ſchiſma prodire cœpit adeo, ut ſolum antea ſemina jacta viderentur. Imperante enim illa tempeſtate Conſtantino Monomacho, Patriarcha Conſtantinopolitanus nomine Michael, cupiens re ipſa univerſalis fieri Patriacha, cujus dignitatis nomen jam dudum ſibi uſurpaverant ejus prædeceſſores, proclamare cœpit, Romanum Pontificem, omneſque alios Latinos eſſe excommunicatos ob hanc cauſam, quia Spiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere aſſererent, & contra decretum Concilii Niceni in Symbolo illud *Filioque* addidiſſent. Romano autem Pontifice de prima Sede ejecto, ad ſe primam Sedem jure pertinere, quia poſt Romanum primus eſſet, aiebat.

Epiſcopis tandem Conſtantinopoleos gradus ille dignitatis ſecundus Romanum Pontificem indultus à legitima poteſtate fuit decreto Innocentii tertii in generali Concilio Lateranenſi, quod refertur *cap. antiqua de privil.* Sane ipſe Conſtãtinopolis Epiſcopus pluribus ſeculis nihil amplius, quàm ſuffraganeus extitit Metropolitani Heracleæ Epiſcopi, quod ultro teſtatur ſchiſmaticus Balſamon, ſcribens in Synodum Conſtantinopolitanam primam.

Hæc fuerunt Græcorum ſchiſmatis ſemina. Sed quia excœcati fumo ſuperbiæ ordinem à Chriſto inſtitutum, & honorem, Petri ſucceſſoribus debitum, accipere, perturbare conati ſunt, ipſi potius perturbati, atque confuſi ſunt, Turcarum mancipia effecti, bonis literis ac libris, corporibuſque Sanctorum Patrum ipſis ademptis, & ad unam veram Romanam Eccleſiam translatis. Qui plura deſiderat de Græcorum ſchiſmatis origine, legat Azorium *tom. 2. lib. 4. cap. 18.*

Ad Græcorum autem errores convincendum, inter alia nullum forſan inveniemus efficacius argumentum, quàm ſi in medium producamus Bullam unionis inter ipſos & Latinos in Concilio Florentino ſub Eugenio Papa IV. celebrato, ubi annò ſalutis 1438. Joannes Palæologus, ipſorum Imperator, Patriarcha Conſtantinopolitanus, cæteri ex omni Græcia viri graviſſimi Latinis dexteram dedere, ubi retractatis, ſivè correctis ſententiis, & erroribus Primatum Romani Pontificis inter alia in eo Concilio agnoverunt, non vi coacti, non muneribus allecti, non numerò ſuffragiorum à Latinis victi, aut ſuperati, ſed ſua ſponte, & voluntate ducti, neque alio modo oppreſſi, (erant enim ipſi ſub protectione proprii Imperatoris, nempe Palæologi, qui prædicto Concilio adfuit) ſequentes articulos in Bulla unionis relatos ſimul cum Eccleſia Catholica confeſſi ſunt. Et, ne quis ſuſpicetur tantum in Latinorum hiſtoriis, aut libris id conſcriptum haberi, legat hiſtorias Græcorum, præcipue Georgium Pachimerium *libr. 5. hiſt.* ubi refert capita pacis Græcorum cum Latinis. Videndus etiam Leonicus Chalcondilas *rerum Turcicarum libro primo* & Jacobus Navarchus Ondiſchotarus *in epiſtola Aſiatica*, qui omnes unionis factæ in dicto Concilio meminere, ut latius refert Azor. *dict. tom. 2. lib. 4. cap. 15.*

Inſuper adde hanc Græcorum confeſſionem non ſubitò, non verbo tantum factum eſſe; ſed potius poſt diuturnam deliberationem & ſingulorum ſubſcriptionibus adjunctis, uno excepto Epiſcopo Marco Epheſino, & ſigillo Imperatoris fuiſſe confirmatam. Aderant quoque Vicarii trium Patriarcharum, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, ac denique Legati Patriarchæ Armenorum ſupervenerunt, & cum Eccleſia Catholica ſe ſe conjunxerunt, & ab Eugenio Papa fidei regulam acceperunt quia confeſſi ſunt, ſe tenere quicquid tenet, ac docet Romana Eccleſia. Litteræ autem unionis habentur in fine ſeſſionis ultimæ Concilii Florentini, & leguntur apud Quarantam *in ſum. Bullar. v. Græci*, alioſque paſſim.

Porrò propter ſupradictos errores Græci ab Eccleſia Romana ſunt ſeparati, & ſchiſmate diviſi. Nam, ut D. Antoninus *3. hiſt. titul. 22. cap. 13. §. 1. & 2.* ſcribit, præcipuas Orientis Eccleſias, & maxime Conſtantinopolitanam duodecies ab Eccleſiæ Romanæ Sede ac poteſtate ſe ipſas ſubtraxiſſe. Et certè publicè & aperte tertio Græci ad Eccleſiæ Romanæ unitatem rediere, ſcilicet in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, in Lugdunenſi ſub Gregorio decimo, in Florentino quarto. Poſtea verò ad ſchiſma reverſi, ac proinde excommunicati permanſere excommunicatione majori, quâ omnes ſchiſmatici in Bulla Cœnæ domini feriuntur. Et ideo ab Eccleſia latina & Catholica diviſi in ſtatu damnationis æternæ verſantur. Nam ut rectè ait Auguſtinus de fide ad Petrum capit. 38. *Firmiſſime tene & nullatenus dubites, non ſolum omnes Paganos, ſed etiam omnes Judæos, hæreticos atque ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Et *capite* 39. iterum ait: *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, vel ſchiſmaticum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, etiam ſi proximè nomine vitam fuderit, non poſſe ſalvari.*

Præcipua tamen difficultas eſt, an Græci non ſolum ſchiſmatici, ſed hæretici ſint cenſendi? Nam D. Thomas *in opuſc. 1 cap. 32.* aſſerit, *non minus ſolvi Jeſum ab his, qui Spiritum Sanctum aſſerunt à Patre & Filio non procedere quam ſolvi tentatum ſit ab Ario & Macedonio, Neſtorio, & ejuſmodi aliis.*

Qui autem ſolvit Jeſum non ſolum eſt hæreticus, ut ipſe D. Thomas ex Joanne Apoſtolo docet, ſed & Antichriſtus. Atque adeo Græci non ſolum ſchiſmatici, ſed etiam hæretici judicandi ſunt.

Hoc tamen minime obſtante, alii opinantur, Græcoa eſſe tantum ſchiſmaticos. Ita ex multis docet Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 20. quæſt.* 10. Unde merito ab Eccleſia Catholica non hæretici, ſed ſchiſmatici cenſentur, appellanturque. Quod apertè inſinuat D. Bernardus *in epiſt. ad Eugenium lib. 3. Ego addo*, inquit, *de pertinacia Græcorum, qui nobiſcum ſunt, & non ſunt. Iuncti fide pace diviſi, quanquam & in fide ipſa claudicaverint à rectis ſemitis.* Idem luculenter tenet D. Thomas *opuſc.* 2. ubi docet Patres Græcos in catholico ſenſu eſſe exponendos. Ratio autem eſt, quia ut docet Azor. in prædictis fidei articulis, de quibus Græci accuſantur ab aliquibus, ut hæretici, potius nomine quàm re ab Eccleſia Romana diſſident. In primis inficiantur illi ſpiritum Sanctum à Patre, Filioque procedere, ut *in Bulla unionis Eugenii IV.* dicitur, exiſtimantes Latinos ſentire à Patre, Filioque procedere, tanquam à duobus principiis, cùm tamen Latina doceat Eccleſia, procedere à duabus perſonis, tanquam ab uno Principio, & ſpiratore. Quare Græci, ut unum principium ſignificent, dicunt Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere ab omni æternitate. Nec diffitentur omninò Romanum Pontificem, Petri ſucceſſorem in Eccleſia Primatum à Chriſto Domino accepiſſe: ſed nihilominus dicunt, totam Eccleſiam in generali Synodo coacta, majorem poteſtatem habere in rebus fidei & cœteris, quæ ad generalem Eccleſiæ ſtatum pertinent, definiendis. Quæ fuit etiam ſententia Ioannis Gerſonis, & Pariſienſium Theologorum, nondum ab Eccleſia, tanquam hæretica, generali decreto damnata.

Præterea Græci purgatorium ignem non prorſus è medio tollunt, ut ipſi clarè fatentur ſeſſione ultima Concilii Florentini; immo affirmant, ſe perpetuò purgatorium agnoviſſe (verè enim ſacrificia, & preces offerunt Deo pro mortuis, non beatis certè, neque damnatis ad inferos. Quod planè eſſet abſurdum, ac impium. Ergo pro his, qui cum fide, ac pietate hinc diſceſſerunt, ſed nondum plene pœnas peccatorum debitas perſolverunt) ſed ſolum inficiari videntur certam ignis corporei pœnam, de quo nihil eſt de fide determinatum ab Eccleſia, ut optime docet Bellarminus *lib. 2. de purgat. cap.* 10. Quicquid autem ſit de his, atque aliis fidei articulis, in quibus multi Græci aliique Orientales mala fide errant, & proinde hæretici ſint, Græcos tamen non hæreticos, ſed ſchiſmaticos appellamus. Quia morem loquendi priſtinum retinemus.

Quod vero ad communionem Latinorum cum Græcis extat Bulla Innocentii IV. ſive litteræ ad Epiſcopum Tuſculanum, Apoſtolicæ Sedis Legatum in regno Cypri in regeſto Bullarum ejus Pontificatus anno undecimo apud Bibliothecam Vaticanam ſuper ritibus Græcorum qui tolerati, vel non tolerari poſſunt. Ego ex hac Bulla præcipua capita decerpſi.

Primum. *Græci ejuſdem regni in unctionibus, quæ circa baptiſma fiunt, morem Eccleſiæ Romanæ teneant, & obſervent.*

Secundum. *Ritus, ſeu conſuetudo, quam habere dicuntur ungendi per totum baptizandorum corpora, ſi tolli ſine ſcandalo, vel removeri non poteſt, cùm ſive fiat, ſive non, quantum ad baptiſmi efficaciam, vel effectum non multum referat, toleretur.*

Tertium. *Nec refert etiam, utrum in frigida, vel calida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in utraque baptiſmum habere, aſſeverare dicantur.*

Quartum. *Soli Epiſcopi conſignent chriſmate in frontibus baptizatos, quia hujus unctio non debet, niſi per Epiſcopos exhiberi. Quoniam ſoli Apoſtoli, quorum vices gerunt Epiſcopi, per manus impoſitionem, quam Confirmatio, vel frontis chriſmatio repræſentat, Spiritum Sanctum tribuiſſe leguntur.*

Quintum. *Singuli quoque Epiſcopi in ſuis Eccleſiis in die Cœnæ Domini poſſunt ſecundum formam Eccleſiæ chriſma conficere ex Balſamo quidem, & oleo olivarum. Nam Spiritus Sancti donum in chriſmatis unctione confertur, & columba utique quæ ipſum deſignat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retuliſſe. Sed ſi ſuum antiquum ritum in hoc Græci potius ſervare voluerint, videlicet, quod Patriarcha unà cum Archiepiſcopis & Epiſcopis ejus ſuffraganeis, & Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis ſimul chriſma conficiant, in tali eorum conſuetudine tolerentur.*

Sextum. *Nullus per Sacerdotes, vel Confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ unctio aliqua ſolummodo injungatur.*

Septimum. *Infirmis verò juxta verbum Iacobi Apoſtoli unctio exhibeatur extrema.*

Octavum. *In appoſitione aquæ ſive frigidæ, ſive calidæ vel tepidæ altaris ſacrificio, ſuam, ſi volunt, conſuetudinem Græci ſequantur, dummodo credant, & aſſerant, quod ſervata Canonis forma conficiatur pariter de utraque.*

Nonum. *Euchariſtiam in die Cœnæ Domini conſecratam uſque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipſos communicent, non reſervent. Liceat tamen eis pro infirmis ipſis Corpus Chriſti conficere, ac per quindecim dies, & non longioris temporis ſpatio, conſervare, ne per diutinam ipſius reſervationem, alteratis forſitan ſpeciebus, reddatur minus habile ad ſumendum, licet veritas & efficacia ſemper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate, ſeu volubilitate temporis evaneſcat.*

Decimum. *In celebratione ſolemnium, & aliarum Miſſarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione, vel conſecratione formam verborum à Domino expreſſam, & traditam obſervent, & celebrando non tranſgrediantur horam nonam, ſuam ſequi conſuetudinem permittantur.*

Decimum primum. *Sacerdotes dicant horas Canonicas more ſuo, ſed Miſſam celebrare priuſquam officium matutinale compleverint non præſumant.*

Decimum ſecundum. *Promovendi ad ſacerdotium & presbyteri, qui præficiendi fuerint Eccleſiarum regimini, examinentur antea diligenter, ſi præcipue de horis Canonicis, & Miſſarum officiis ſecundum diſtinctionem temporum exequendis, ſint ſufficienter inſtructi, ut ad hæc nonniſi ſi digni, & idonei admittantur.*

Decimum tertium. *Unuſquiſque ſacerdos in aureo, vel argenteo ſolum, aut ſaltem ſtanneo calice ſacrificet habens corporale de lino candidum, & nitidum, & altare mundis veſtimentis opertum, vel decentibus paramentis.*

Decimum quartum. *Mulieres ſervire ad altare non audeant, ſed ab illius miniſterio repellantur omnino.*

Decimum quintum. *De jejunio dici Sabbati quadrageſimali tempore, quanquam honeſtius, & ſalubrius Græci agerent, ſi ſic toto illo tempore abſtinerent, ut nec uno die inſtitutum jejunium violarent, teneant, & ſervent pro libito morem ſuum.*

Decimum ſextum. *Sacerdotes conjugati, & alii quibus Parochiarum cura, vel Eccleſiarum parochialium regimen per Epiſcopos ſuos committitur, licite, ac libere poſſint parochianorum ſuorum confeſſiones audire, ipſiſque pœnitentiam injungere pro peccatis. Quia cui licet, vel conceditur quod eſt majus, competit nimirum, nec negari convenit, quod eſt minus. Liberum tamen ſit ipſis Epiſcopis viros alios idoneos coadjutores, & cooperatores habere in audiendis confeſſionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum.*

Decimum

Decimum ſeptimum. *Ipſiſque in his per eorum diœceſes abſque ſacerdotum ipſorum præjudicio, & gravamine vices ſuas cum propter occupationes multiplices, & occaſiones varias poſſit contingere, quod nequeant per eaſdem diœceſes officium ſuum exequi per ſe ipſos.*

Decimum octavum. *De fornicatione, quam ſolutus cum ſoluta committit, quin ſit mortale peccatum, non eſt aliquatenus ambigendum, cum tam fornicarios, quam adulteros à Regno Dei Apoſtolus aſſerat alienos.*

Decimum nonum. *Volumus & expreſſe præcipimus, quod Epiſcopi græci ſeptem ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cùm hucuſque tres de minoribus circa ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen, qui jam ſunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem in ſic ſuſceptis ordinibus tolerentur.*

Vigeſimum. *Quia ſecundum Apoſtolum mulier, mortuo viro, ab ipſius eſt lege ſoluta, ut nubendi, cui vult in Domino liberam habeat facultatem, ſecundas & tertias, ac ulteriores etiam nuptias non reprehendant aliquatenus, nec condemnent, ſed potius illas approbent inter perſonas quæ alias licitè ad invicem matrimonio jungi poſſunt.*

Vigeſimum primum. *Secundo nubentes presbyteri nullatenus benedicant.*

Vigeſimum ſecundum. *Quoniam apud eos conſueverunt contrahi matrimonia inter perſonas contingentes ſe juxta eorum computationem octavo gradu, qui ſecundum computationem, ac diſtinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur, ne id præſumatur deinceps, firmiter prohibemus, diſtrictè præcipientes, ut cum in ulterioribus gradibus licitè matrimonia contrahantur, in prædicto quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu copulari ulterius non præſumant, ſtatutum in hoc generalis Concilii obſervantes. Illos tamen, qui jam in gradu hujuſmodi contraxerunt, diſpenſatione permittimus in ſic contracto matrimonio remanere.*

Vigeſimum tertium. *Cùm veritas in Evangelio aſſerat, quod ſi quis in Spiritum Sanctum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſeculo, neque in futuro dimittetur ei, per quod datur intelligi quaſdam culpas in præſenti, quaſdam verò in futuro poſſe ſeculo relaxari, & Apoſtolus dicat, quod uniuſcujuſque opus quale ſit ignis probabit, & cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem, & ipſi Græci verè, ac indubitanter credere & affirmare dicantur, animas illorum, qui ſuſcepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui ſine mortali peccato cum venialibus tamen, & minutis decedunt, purgari poſt mortem, & poſſe ſuffragiis Eccleſiæ adjuvari. Nos quia locum purgationis hujuſmodi dicunt non fuiſſe ſibi ab eorum Doctoribus certo ac proprio nomine indicatum, illud quidem juxta traditiones & auctoritates Sanctorum Patrum purgatorium nominantes, volumus, quod de cætero apud iſtos iſto nomine appelletur; illo enim tranſitorio igne peccata utique, non tamen criminalia, ſeu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remiſſa, ſed parva, & minuta purgantur, quæ poſt mortem etiam gravant, ſi in vita non fuerint relaxata.*

Vigeſimum quartum. *Si quis abſque pœnitentia in peccato mortali decidit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.*

Vigeſimum quintum. *Animæ parvulorum poſt baptiſmi Lavacrum, & adultorum etiam in charitate decedentium, qui nec peccato, neque ad ſatisfactionem aliquam pro ipſo tenentur, ad patriam protinus tranſvolant ſempiternam.*

Vigeſimum ſextum. *Ordinationes demum, & inſtituta regularia ſanctorum Patrum de vita, & ſtatu Monachorum præcipimus ab Abbatibus, & Monachis græcis inviolabiliter obſervari.*

Extat etiam Bulla Clementis Papæ VIII. de communione Latinorum cum Græcis, qui omni ſtudio erga univerſam Eccleſiam, & præcipuè erga Græcos ferebatur, ne qua Deo in adminiſtrandis Sacramentis injuria fieret, ipſi autem Græci ſalutem inde conſequerentur. Undè per brevem ad Latinos Epiſcopos, in quorum diœceſibus græco ritu viventes degunt, evulgari juſſit, cujus ſummam affert Poſſevinus *tom. 1. Apparat. ſacr in addit v. Græci, Eſtque hujuſmodi.*

Presbyteri Græci baptizatos chriſmate in fronte non conſignent, & ideo ab ipſis in ordine baptiſmi apud eorum Euchologiom prætermittantur quæ ſequuntur poſt illa verba ϗ μετὰ τοποχὴν &c. & poſt Orationem &c. (ubi habetur forma hujus conſignationis) uſque ad verba: *poſtea facit ſacerdos figuram circuli, &c.*

Epiſcopi Latini infantes, ſive alios baptizatos à Presbyteris græcis de facto chriſmate in fronte conſignatos confirment, & tutius videtur, ut cum cautela, & ſub conditione id faciant, videlicet: *N. Si es confirmatus, ego te non confirmo, ſed ſi non es confirmatus, ego conſigno te ſigno Crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti;* præſertim verò cum veriſimiliter dubitari poteſt, quod ab Epiſcopis Græcis fuerint baptizati.

Sanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod pro infirmis aſſervatur, ſingulis octo diebus, vel ſaltem quindecim renovetur. Non aſſervetur idem ſacramentum toto anno. Si tamen aſſervatum fuerit, ſaltem in fine anni ſumatur

Tollatur abuſus fundendi, vel etiam miſcendi ſacro oleo, ac iterum coquendi, vel alias exſiccandi ſpecies ſacramenti Sacræ Euchariſtiæ feria quinta Cœnæ Domini, ut deinde illud aſſervent.

Si Græci velint accipere altaria portatilia ab Epiſcopis Latinis conſecrata, bene erit, ſin minus tolerentur eorum thioni, ſivè throni, ſuper altaria lapidea ponendi cùm celebrent.

Corporalia uti Latini habeant, niſi thionis etiam pro corporalibus utantur.

In caſu neceſſitatis presbyteri Græci Catholici poſſint Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.

Tollendus abuſus ubi eſt, vir, atque uxor ſimul & eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

Aqua ex ritu Græco in die Epiphaniæ, vel primo die menſis benedicta conſervetur in Eccleſia, ac illa fideles aſpergantur.

Non ſunt cogendi Presbyteri græci olea ſancta præter chriſma, ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere, cùm hujuſmodi olea ab iis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ſeu benedicantur. Chriſma autem, quod nonniſi ab Epiſcopo, etiam juxta eorum ritum, benedici poteſt, cogantur accipere. Prohibeantur verò ab Epiſcopis græcis externis, ſchiſmaticis, ſeu Sanctæ Romanæ communionem non habentibus, illud accipere, vel eo uti.

Ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, aliàs ritè ordinatis ſervata debita forma, recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem.

Proinde ipſi ordinati ab Epiſcopis ſchiſmaticis, correcti, vel emendati, reconciliandi ſunt & abſolvendi cum pœnitentiis ſalutaribus, dūmodo errores, vel ſaltem ſchiſma Ordinatoriis abjurent in judicio, vel publicè, vel ſecretò pro qualitate facti. In Ordinibus autem per eos alias ritè ſuſceptis, miniſtrare non permittuntur, niſi cū ipſis ſuper irregularitate hujuſmodi

occaſione aontracta, auctoritate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fuerit diſpenſatum.

Non ſunt admittendi Epiſcopi ſchiſmatici, ſive pro Ordinibus, ſive pro aliis Sacramentis conferendis, ſed detinendi quoad Sancta Sedes Apoſtolica deſuper conſulatur, & reſponſum habeatur.

Græci ſine litteris dimiſſoriis Epiſcopi Latini diœceſani ad ſacros Ordinca promoti, ſuſpenſi ſunt, & ſi ſuſpenſi in ſuis Ordinibus miniſtraverint, efficiuntur irregulares, ſicut & Latini.

Super hujuſmodi autem, & ſimilibus irregularitatibus diſpenſandi facultatem à Sancta Sede Apoſtolica obtinere oportet.

Si Epiſcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à presbytero græco in baptiſmo chriſmate in fronte facto fuerit conſignatus, debet illum antea confirmare, ſaltem ſub conditione, videlicet: N. *Si es confirmatus &c.* ut ſupra. Presbyreri vidui, ſive uxoribus orbati, habitum ferant diverſum ab aliis.

Curent Ordinarii Locorum, ut decretum ſacri generalis Concilii Tridentini de reformatione matrimonii vertatur in linguam Græcam vulgarem, & in locis, ac parochiis Græcorum, & Albanenſium evulgetur, ac publicetur.

Matrimonia inter conjuges græcos dirimi, ſeu divortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & ſi qua de facto præceſſerunt, nulla & irrita declarentur

Maritus Latinus uxoris Græcæ titum non ſequatur.

Latina uxor non ſequatur titum mariti Græci.

Græca vero uxor ſequatur ritum mariti Latini.

Quod ſi id fieri non poſſit, quiſque conjugum in ſuo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

Proles ſequatur patris titum, niſi prævaluerit mater Latina.

Presbyter græcus conjugatus ante ſacrum ſacrificium, ſeu Sanctam Miſsam celebrandam, vel per hebdomadam, & per triduum abſtineat ab uxore.

Circa alia dogmata Græcorum.

Græci credere tenentur, etiam à Filio Spiritum Sanctum procedere, ſed non tenentur pronunciare, niſi ſubeſſet ſcandalum, præſertim ſi degant inter Latinos, aut neceſſitas poſtularet confitendi fidem catholicam, quia tunc oportet etiam pronunciare.

Nunquam Monachis græcis, ſeu Calogeris animarum cura committatur, niſi ex neceſſitate, vel alia juſta cauſa.

Presbyteri ſeculares græci, abjuratis ſchiſmate & erroribus, atque in fide catholica bene inſtructi, in parochialibus, ſeu Curatis Eccleſiis Græcorum inſtitui poſſunt.

Tolerandus eſt apud Græcos uſus carnium die Sabbati, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt, in locis tamen ipſorum, & inter eos tantum.

Item tolerandus eſt, ut ad jejunium eodem die Sabbati in quadrageſima, excepto uno ſabbato ſancto, ex antiqua traditione non teneantur, ſed duntaxat ad abſtinentiam.

In jejuniis biduariis, vel triduariis, vel aliàs à diœceſanis, vel Jubileis à ſummo Pontifice Romano indicatis, dies Sabbati in eis comprehenſus, vel præſcriptus, in alium diem pro plebibus græcis, ab ipſis diœceſanis Apoſtolica autoritate ſanctiſſimi Domini noſtri Clementis divina providentia Papæ VIII. permittitur commutari.

Si ipſi Græci ad obſervationem jejuniorum, & vigiliarum Latinæ Eccleſiæ induci poſſent, optimum eſſet, ſed non cogantur, cùm ipſi qualibet hebdomada, & feria quarta & feria ſexta jejunent.

Græci exiſtentes inter Latinos, dies feſtos de præcepto ejuſdem Eccleſiæ Latinæ ſervare tenentur.

Inſuper idem Sanctiſſimus D. noſter conſtituit Romæ, habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos Epiſcopis Latinis Italiæ, & Inſularum adjacentium ſubjectos, ab Epiſcopo Græco ordinari volentes, cum illorum dimiſſoriis, ad id tantum concedendis, ritu græco ordinet.

Item mandavit, ut ad majorem inſtructionem Dominorum Epiſcoporum Latinorum imprimantur cum hac ipſa decretales, ſeu litteræ quædam Apoſtolicæ ad Græcorum ritus pertinentes, ac etiam profeſſio orthodoxæ fidei, à Græcis, qui ad veritatem S. Romanæ Eccleſiæ veniunt, facienda.

Ita Sanctitas ſua ex ſententia Congregationis ſuper reformatione Græcorum decrevit, & declaravit, ac fieri mandavit. Romæ in Palatio Montis Quirinalis apud S. Marcum die 31. menſis Auguſti anno Domini 1595. Pontificatus ſui anno quarto.

Conſtat ex ſupradictis omnes ſchiſmaticos aſtrictos eſſe majoris excommunicationia vinculo. Hæc autem excommunicato lata non erat contra ſchiſmaticos aliquo jute antiquo, ut obſervat Abb. *in rubr. de ſchiſmat. numero* 2. Alii verò contendunt ſchiſmaticos etiam olim fuiſſe jure communi excommunicatos. Nam *cap.* 1. *&* 2. *de ſchiſm.* præcipiuntur vitari. Cœterum, quicquid ſit de hac re hodie omnes ſchiſmatici Conſtitutione Pontificia, qua in Cœna Domini promulgatur, ſunt majotis excommunicationis pœna ligati.

Quare dubitatur, an ſchiſmaticus ſit in univerſum vitandus à nobis, præſertim in divinis, ſcilicet in Sacramentis recipiendis, & aliis miniſteriis divinis exercendis?

Reſpondeo. Schismatici eo ipſo, quo excommunicati ſunt, non ſunt à nobis vitandi. Quia ob Conſtitutionem in Concilio Conſtantienſi à Martino V. editam uſu jam receptum eſt, duo tantum excommunicationum genera eſſe evitanda, nempe nominatim excommunicatum, & notorium Clerici percuſſorem. Quare cum ſchiſmaticis, qui non ſunt publicè ac nominatim excommunicati, licet communicare, non ſecus ac ſi non eſſent excommunicati, tam in humania, quam in divinis tebus, ac latius mox dicemua, cum de communicatione cum hæreticis erit ſermo. Quæ omnia procedunt etiam à fortiori in ſchiſmaticis.

Ex quo infertur, Catholicum poſſe intereſſe Miſſæ ſacrificiis, quæ faciunt & offerunt Græci, Armani, Rutheni, aliique ſchiſmatici, & præceptum divinum de audienda Miſſa adimplere prædictorum Miſſam audientem. Ita aperte colligitur ex jam dictis, ac docet Azot. *tom. 2. d. lib. 8. cap.* 11. Nam titus etiam græci in te divina, & ſacrificiis faciendis ſunt catholici, à Sanctis patribus traditi, Baſilio nempe, Chryſoſtomo, & aliis, ac proindè qui græca ſacra audiunt, ſuo Officio, & Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt. Siquidem Græci legitimo ſuo titu ac inſtituto Sacris operantur, & Eccleſiæ præceptum non eſt, ut rem divinam audiamus hoc, vel illo ritu, ſed ſimpliciter, ut diebus Dominicia, ac feſtis rem ſactam audiamus; & cùm ex altera parte non teneatur vitare ſchismaticos, niſi nominatim ſint excommunicati, aut aliàs ſcandalum oriatur, fit, virum Latinum poſſe intereſſe ſacrificiis Græcorum, & ſchiſmaticorum.

Major difficultas eſt, an à Sacerdote, vel Epiacopo ſchiſmatico poſſit qois ſacramenta tecipere? Pro parte affirmativa facit extravagans Martini V. Ad evitanda, in citato Concilio Conſtantienſi emanata, quod ſine ullo diſcrimine excommunicatos non denunciatoa docet non eſſe vitandos, ac ſi excommunicati non eſſent. Idque docent plures Aucto-

re ſaddducendi, ubi de communione cum hæreticis agemus.

Pro contraria verò parte facit primò quod iſti ſchiſmatici, in quantum non excommunicati nominatim, non ſint vitandi; in quantum ſchiſmatici ſunt ſeparati à comunione à jure Canonico, ac privati juriſdictione, ut conſtat *ex citato cap. 1. & 2. de ſchiſmat.* & *can ordinationes q. q.* Deinde quia Clemens VIII. in Bulla citata oppoſitam apertè docet ſententiam: Ordinati inquit, ab Epiſcopis ſchiſmaticis, aliàs rite ordinatis, ſervata debita forma recipiunt quidem ordinem, ſed non executionem, ac inſuper prohibentur in prædictis ordinibus miniſtrare ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.

Nec erat ſufficiens ſolutio, ſi quis dicat, loqui Pontificem de ordinato, qui non ſit, ſubditus Epiſcopi. Nam illa verba, *aliis rite ordinatis*, hoc etiam includunt. Idque confirmatur, quia in eadem Bulla de Sacramento Pœnitentiæ dicitur, in caſu neceſſitatis presbyteros Græcos Catholicos, poſſe Latinos abſolvere. Ubi per particulam ilam, *catholici*, videntur excludi ſchiſmatici, etiam in caſu neceſſitatis. Nam eo ipſo quod ſchiſmatici, ſunt, carent juriſdictione, ut dicemus de hæreticis.

An autem Sacerdos Græcus agens inter Latinos, teneatur ſe tam Latinorum ritui, quàm propriæ conſuetudini conformare, & è contra de Latino inter Græcos;

Reſpondeo. Si loquamur de ritu, tam in celebratione Miſſarum, quàm in aliis divinis officiis, B. Pius V. prohibuit, ne Sacerdos Græcus Latino ritu, neque è contra Latinus ritu Græco celebrarent. Immò & Concilium Florentinum in litteris unionis ſimpliciter ait, unumquemque Sacerdotem debere conficere in fermentato, vel azymo juxta ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem. Quod accipiendum puto de Sacerdotibus Latinis & Græcis quando in eodem territorio ſunt conjuncti, vel de Sacerdotibus Græcis per Latinam Eccleſiam peregrinantibus, vel de Latinis per Græciam iter facientibus. Si tamen domicilium habeant vel Latini inter Græcos, vel Græci inter Latinos, tunc merito poteſt eſſe quæſtio, an teneantur ſe conformare ritui Eccleſiæ illius, in qua habent domicilium Nam Latinus qui habet domicilium in Eccleſia Græca, cenſetur jam Græcus, & è contra Græcus in Eccleſia Latina Præterea *in can. ille d. 12.* dicitur teneri unumquemque ſe conformare conſuetudini Eccleſiæ, in qua actu exiſtit.

His rationibus motus Suarez *tom. 3 diſp. 44. ſect. 3.* tenet partem affirmativam. Sed contraria ſententia probabiliter videtur. Nam Concilium Florentinum, & Conſtitutio B. Pii V. abſolute præcipiunt unicuique Sacerdotum Græcorum, & Latinorum ſervare propriæ Eccleſiæ ritum ſine ulla limitatione, & ob id non tenetur ſe conformare, quantum ad ritum Eccleſiæ illius, in qua actu habitat. In aliis verò tenebitur conſuetudines ac præcepta Eccleſiæ obſervare.

Ex quibus colligo, ſacerdotem, Latinum degentem inter Armenos, Abyſſinos, vel alios ſchiſmaticos, quorum ritus in celebrando ſit approbatus ab Eccleſia poſſe illorum ritui ſe conformare, maxime quando habet domicilium. Quia Concilium Florentinum & Conſtitutio B. Pii ſolum loquntur de Sacerdote Græco inter Latinos, & de Latino inter Græcos, & ita non debent extendi ad alias nationes.

Colligo item quod ſeculares, domicilium habentes in Eccceleſia Græca, vel alia ſchiſmaticorum, quales ſunt nunc Luſitani multi in interiori Æthyopia, poſſe conſoetudinibus ſe accommodare, ac debere, præcipuè ſi ſit ſcandalum niſi aliàs vellent ipſi in omnibus Latino ritu vivere, habeantque miniſtros Eccleſiæ Latinæ, Nam tunc certum eſt, nullatenus teneri.

Pro his tamen, ac ſimilibus dubiis degentes inter alios chiſmaticos à Græcis, cum quibus jam ex praxi conſtat; qualiter quis ſe gerere debeat, & ſciant quid ab ipſis præſtandum ſit, tam in jejuniorum, dierumque feſtorum obſervatione, quam in eorum ritibus approbandis, vel reprobandis, oporteret, ut Sedem Apoſtolicam conſulerent.

De Græcis, Rhutenis, & Armenis vide ſparſim quæ à nobis dicta ſunt in aliis Tomis.

De Schiſmaticorum pœnis, quas Deus juſtiſſimè ab eis interdum ſolet repetere, non eſt neceſſe in præſenti dicere, cùm ſuo loco de illis agemus. Extant in ſcripturis aliquot earum exempla, ut *Num. 6.* ubi legimus Dathan, & Abiran propter pecatum ſchiſmatis fuiſſe abſorptos á dehiſcente terra; & conſtat ex libris Regum, quantis cladibus affectæ fuerint undecim tribus Iſrael eo, quod à domo David deceſſionem fecerint.

De aliis verò pœnis, quibus vel ipſo facto, vel per ſententiam Judicis poſſunt affici Schiſmatici, quædam ſunt certa apud Doctores, quædam controverſa.

Primò certum eſt, eos non ita puniri, ut vel amittant ipſo facto, vel poſſint amittere ſpiritualem aliquá poteſtatem, conſiſtentiam in ſpiritualis charactere Baptiſmi, vel confirmationis, vel Ordinis. Nam hæc indelebilis eſt, ut docet D. Thomas 2.2. *qu. 39. art. 3.* & cum eo Theologi omnes, & confirmat Turrecrem *lib. 4. ſum. p. 1. cap. 7.* ac Sylveſt. *v. ſchiſmatici*, patetque ex Urbano Papa *in d. can. ordinationes q. q. 1.* qui ordinatos ab Epiſcopis ſchiſmaticis cenſet, vere fuiſſe ordinatos, & ex D. Auguſtino *lib. 6. de baptiſm. contra Donatiſtas cap. 5.* ubi ait; *Poteſt Sacramentum tradere ſeparatus, ſicut habere.*

Secundo certum eſt, privari tamen ipſo facto ſchiſmaticos facultate utendi rectè, ac legitimè ejuſmodi poteſtate characteris, ſeu privari ejuſmodi poteſtate quoad ejus effectum, quoad uſum nimirum legitimum, ut ait D. Thomas *dict. articul. 3.* Non enim poſſunt ſchiſmatici rectè, & abſque peccato uti ejuſmodi poteſtate. Quo ſenſu aſſerit, idem D. Thomas, & Turrecrementa *locis citatis* debere intelligi quædam Patrum, ac Pontificum teſtimonia, quibus judicari videtur, amitti per ſchiſma poteſtatem, etiam Ordinis, ſive conſecrationis. Oportet enim id intelligi quoad uſum legitimum, ut quando Patres Concilii Lateranenſis ſub Innocentio Tertio *cap. 1. extravag. de ſchiſmat.* aiunt: *Ordinationes ab octaviano, & Guidone hæreſiarchis factas, irritas eſſe cenſemus.* Quod etiam inquit Urbanus *in cit. can. ordinationes q. q. 1.* Debet enim intelligi quoad executionem earum legitimam, ut ibi etiam exponit Gloſſa, addens, niſi cum eis fuerit diſpenſatum, vel niſi Ordinatus probare poſſet, neſciviſſe ſe fuiſſe ſchiſmaticum eum Epiſcopum, à quo accepit ordinem, aut habuiſſe legitimam diſpenſationem accipiendi Ordines à ſchiſmatico, ut ait Innocentius tertius *in cap. paternitate de ſchiſmat.*

Tertiò certum eſt, propter Excommunicationem, quam ſupra ſchiſmaticos diximus incurrere, ſi ab ea non reſipiciant, poſſe ulterius puniri, nimirum per cenſuram depoſitionis, ut patet *ex can. in nomine. Domini diſt. 23.* & notat ubi ſupra Turrecremata. Et ſi nec per depoſitionem emendentur, pœnis etiam corporalibus auxilio brachii ſecularis, ut fieri jubet Pelagius Papa *in can. de Liguribus 23. q. 5.* docet D. Thomas ibidem *articul. 4. ad 3.* atque etiam poſſunt privari à Pontifice dignitate ac poteſtate temporali.

Certum eſt quartò, ſchiſmaticum præter pœnas prædictas, alias etiam incurrere. Eſt enim irregularis ita, ut etiamſi Eccleſiæ per abſolutionem, ac veram

pœnitentiam fuerit reconciliatus ad beneficia & ordines promoveri non poteſt ſine Pontificis diſpenſatione; ut colligi videtur *ex cap. quia diligentia de elect.* ubi Oſtienſis, Abbas, & Io. Andreas idem cenſent. Hanc verò irregularitatem non contrahi à ſchiſmatico occulto, ſed tantum manifeſto, quidam affirmant. Alii verò contra docent, etiam ab occulto contrahi: Sed probabilior videtur prima ſententia, ut diſertè oſtendit Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 15. *punct.* 3. & nos *ſuo loco.*

An autem ſchiſmatici Presbyteri, ac Epiſcopi careant Ordinis poteſtate, an tantum juriſdictione? Repondet D. Thomas *cit. art.* 3. ſchiſmaticos juriſdictione carere: *Non poſſunt*, inquit, *abſolvere*, *nec excommunicare*, *neque indulgentias concedere.* Et ita nequeunt eadem ratione eligere, beneficia conferre, Leges, ſivè Conſtitutiones condere. Unde, ſi quos abſolvant, vel eligant, abſolutio, ſivè electio recta non eſt, ac proinde iteranda. Habero tamen, ait D. Thomas, poteſtatem ſacram Ordinis, Quare Epiſcopus ſchiſmaticus verè conficit, & conſecrat Euchariſtiam, verè confirmat, vere ordinat, cum aliquos ad Eccleſiaſticos ordines eligit, ac promovet, ab eo verè Ordinis characterem recipiunt, non tamen ordinis uſum, & functionem. Quia ſunt ipſo jure ſuſpenſi, ſi ſcienter à ſchiſmatico Epiſcopo ordinentur. Pari, aut ſimili ratione, ſi Epiſcopus ſchiſmaticus altaria, vaſa, aut templa conſecrat ratum eſt, quod facit, quia hæc ſunt ordinis, non juriſdictionis, quamvis Epiſcopo ex Eccleſiæ auctoritate conveniant.

Sed an pœna, qua ſchiſmatici juriſdictione privantur, locum habeat generatim in omnibus ſchiſmaticis? Quidam aiunt, hanc pœnam locum habuiſſe ante Concilium Conſtantienſe in omnibus manifeſtis & notoriis ſchiſmaticis, non occultis, modò verò poſt illud ſolum locum habere in iis, qui ſunt expreſſim, ac nominatim denunciati aut manifeſti percuſſores clericorum. Aliis probabilius videtur univerſim ſchiſmaticos, quatenus tales ſunt juriſdictione Eccleſiaſtica privatos eſſe eo, quod ſunt extra Eccleſiam, quia ipſi ſe ab Eccleſia diviſerunt. Ego tamen ita reſpondeo. Si ſchiſmaticus ſit toleratus, & communi errore populi habitus pro legitimo, non dubium, quin omnes actus juriſdictionem alias requirentes, ſint validi ut infra dicemus etiam de hæreticis. Si vero Presbyter, vel Epiſcopus ſit manifeſtus ſchiſmaticus, tunc aliqui dicunt non valere geſta per ipſum, illa, inquam, quæ requirunt juriſdictionem. Aliis vero placet, valere omnia in caſu, quo ſchiſmaticus, non ſit nominatim excommunicatus, vel manifeſtus clerici percuſſor. At verior, & ſecurior eſt prime ſententia.

Qui verò ad Ordines ſacros, vel minores, vel Tonſuram, vel conſecrationem Epiſcopalem, vel Eccleſiaſtica beneficia ſpontè recipit ab Epiſcopo ab Eccleſia non tolerato, nempe hæretico, vel ſchiſmatico, vel ſimoniaco, vel excommunicato, vel ſuſpenſo, vel interdicto, vel irregulari quando eſt vitandus, ſive non toleratus ab Eccleſia, ſciens talem eſſe, manet eo ipſo ſuſpenſus ab executione ordinis ſic ſuſcepti, & privatur illis beneficiis. Ita colligitur. *ex cap.* 2. *de ſchiſmat. cap.* 2. *de ordinat. ab Epiſc. qui renunc. can. Daibertum* 1. *q.* 7. *& ex Bulla Clementis VIII.* ſuperius adducta. Suarez *diſp.* 31. *ſect.* 1. *n.* 61. 64. *& ſeq.* Coninck *diſp.* 15. *dub.* 5. Filiuc. *tr.* 17. *n.* 80. Sayt. *lib.* 4. *de cenſ. cap.* 14. *num.* 1. qui plurimos allegat. Si tamen promotus ignoravit omnino vitium ordinantis, tunc non eſt propriè ſuſpenſus, neque irregularis, ſed impropriè, quatenus ante diſpenſationem peccat miniſtrando in ſuſceptis, Suarez. *num.* 62. & Coninck *nu.* 34. ſi autem mala fide ſcienter, ſolus Papa cum eo diſpenſare poteſt, niſi ſit Regularis profeſſus. Si vero ex ignorantia craſſa, vel ſupina, poterit ejus Epiſcopus diſpenſare *ex d. cap.* 2. *de ordinat. ab Epiſc. & cap.* 2. *de ſchiſm.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 68. *num.* 5. Sayr. *num.* 2. Diaz. *in prax. cap.* 28. *in fin.* Sanchez. *opuſc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *num* 44. *& ſeq.*

De Epiſcopo tamen conſecrato ab Epiſcopo non tolerato dubia eſt quæſtio, an, ſtante ignorantia, ſaltem inculpata conſecrati; poſſit ipſe à ſuo Metropolitano, vel Patriarcha diſpenſari? Affirmat Suarez *nu.* 65. ac Filiucius *nu.* 81. ſed contrarium eſt tenendum. Quia diſpenſare cum Epiſcopo pro foro externo eſt de majoribus negociis, ideo reſervatur Papæ, Oſtienſis & alii bene multi, quos ſequitur Henrich. Boich. *in cap. conſulationi de temp. ordin.* ac plures, quos refert ac ſequitur Sayr. *d. cap.* 14. *num.* 2.

Dicitur autem Epiſcopus vitandus, ſive non toleratus ab Eccleſia, ſi erat vel notorius Clerici percuſſor, vel denunciatus nominatim de ſupradictis cenſuris, ſive criminibus, ut hæreſi, vel ſchiſmate, vel ſimonia, &c, Suarez *num.* 64. Sanch, *loc. cit num.* 42. cum magis communi de quo alibi,

Si tamen ordinatus ab Epiſcopo, ut ſupra non tolerato, ordines recipiat metu gravi, ſcilicet cadente in conſtantem virum, non incurrit ſuſpenſionem propriè dictam, ſed impropriam, ſicut qui bona fide ordinatus eſt, Suarez *n.* 62. Coninck *num.* 34. Filiuc. *num.* 80 Sanchez *num.* 48 & ſic poteſt ab Epiſcopo ſuo diſpenſari, Sanchez *num.* 44. *&* 45. Tamen ſi Ordinatus ab hæretico, vel ſchiſmatico metu gravi poſt ordinationem per menſe integrum communicaverit cum ordinante in divinis, tunc incurrit ſuſpenſionem, quia præſumitur metus purgatus, & ipſe præſumitur credens, & fautor hæreticorum. Secus ſi ſtatim eorum ſectæ abrenunciavit, & ad catholicam rediit Eccleſiam *can. conſtat. multos* 1. *qu* 1. Maiol. *lib.* 4. *cap.* 22. *num.* 4 Sayr. *d. cap.* 14. *num.* 5.

Quà autem ratione ſchiſmatici ſint abſolvendi, & reconciliandi cum Eccleſia, dicemus infra cum de abſolutione hæreticorum dixerimus. Tum quia ſchiſmatici majori ex parte hæretici ſunt. Tum etiam quia, etſi ſchiſmatici tantum inveniantur, eorum tamen abſolutio reſervata eſt etiam Sedi Apoſtolicæ, ut patet ex Bulla Cœnæ Domini.

Id tamen eſt animadvertendum, quod quamvis ſchiſmaticorum abſolutio ſit reſervata, ſicut & hæreticorum, in eorum tamen abſolutione non ſunt tot, tantæque Circumſtantiæ obſervandæ, ſicut in abſolutione hæreticorum. Oportebit tamen primò, ut antequam abſolutionis beneficium accipiant, publicè, vel privatè fidei profeſſionem juxta formulam à ſede Apoſtolica juſſu Gregorii XIII. editam, faciant.

de Ruteneorum autem religione, ac unione cum Sede Apoſtolica, de unione totius Orientalis Eccleſiæ cum Eccleſia Catholica procuranda, de origine ſchiſmatum Orientalium, de Neſtorianorum Natione, eorumque erroribus, de Natione Chaldea Aſſyria, de erroribus, ac ritibus Eccleſiæ Alexandrinæ, & Nationis Cophtæ, de Natione, erroribus, ritibuſque Abyſſinorum, ac methodo illis juvandi, de Natione Jacobitica, ac de eorum erroribus, de Natione Armena, eorumque erroribus, ac ritibus, de Georgianis, alio nomine Iberis, ac eorum erroribus, de Maronitarum natione, deque aliis alibi diſceptabimus, annuente Deo.

CONSULTATIO CXLI.

An & quatenus liceat Principibus Catholicis permittere in ſuis Regnis, vel ditionibus libertatem

tatem publicam Religionis? Et quatenus; ea permiſſa, fides hæreticis ſervanda ſit.

ASſerunt Politici, inquiunt enim non eam cedere in præjudicium Catholicæ Religionis, quia liberum ejus exercitium permittitur. Atque hoc præclarum illud remedium eſſe aiunt, quo Eccleſiæ lancinata viſcera, & fides Catholica indirectè devaſtata, ſe ſanare gloriantur.

Verum iſta Religionis libertas nihil facit ad detergendas fœdas ſacrilegiorum labes, quæ ex conculcatis Eccleſiæ ſacris, exterminatoque Religionis cultu naſcuntur. Nam periculum illud, vel potius malum præſentiſſimum, quod infirmis ex hæreticis præfectis ſibi dominantibus proficiſcitur. non ex eo tantum fluit, quod libertatem Religionis auferant, quamvis, quicquid ipſi polliceri videantur ſie & iſtud unum iſtius noxæ caput, ut mox oſtenſuri ſumus, ſed inde potius quod dominantium autoritas quibus homines propter maximum bene, maleque faciendi poteſtatem placere volunt, maximam habeat vim ad imbecillium traductionem in eorum, quos colunt, fidem, ſicut in Germania perſpicuum eſt. Non enim ideo tantum Principes hæretici periculoſi, aut pernicioſi ſunt, quod homines ad mutandam fidem cogant; hoc enim ſæpe cavent; ſed quod hoc ipſum verbis, factiſque efficaciſſime, & ipſa ſui exempli autoritate ſuadeant, & plerumque perſuadeant. Denique quod ſub eorum imperio ſemper publica errorum impietas, quam ipſi profitentur, publice doceatur, impuneque teneatur.

Ex quo fit, ut ſimpliciores, atque infirmi dijudicandis erroribus in idonei, eo facilius ſubducantur, quod ſuis principibus eos probari, & placere ſentiunt, quibus hoc placet, quod ipſi probant. Quibus ex cauſis veriſſimam illam ſententiam pronunciavit, Sapiena Eccleſ. 10. Secundum Judicem populi, ſic & miniſtri ejus, & qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantea in ea & alio in loco præclariſſimè Proverb. 19. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii*. qualia ſunt omnium maxime verba perfidiæ, *omnes miniſtros babet impios*. Contra ubicumque Catholici principes regunt, fides maxima ex parte conſervata eſt; ubi hæretici, eradicata.

Deinde libertaa iſta publica Religionis de cujus procuratione ſibi nonnulli Principes blandiuntur, nec ipſas Religionis injurias, quas effugere nituntur, abſtergere poteſt. Revera enim iſta ſpecioſa libertatia adductæ pompa nihil aliud faciunt, niſi quod vulnus vulnere medicando ſacrilegium hæreticorum, indirectè ſibi imputatum directa purgant Religionis injuria, Quod non eſt tollere, ſed mutare malum. Non enim ſeſe iſta beneficii impertitione innocentes probant, ſed directius, apertiuſque culpæ reos.

Hoc ut perſpicuè percipiatur, ſciendum libertatem Religionis publicæ hoc eſt credendi, colendique Deum quocunque ritu publico ſive catholico, ſive hæretico, non eſſe expetendum aliquod bonum, ſed ingens malum, quod nullo pacto in Rempublicam, niſi graviorum calamitatum impendentium metu, admitti poteſt, Id omnes Theologi uno conſenſu cum D. Thomu docent 2. 2. *q.* 10. *ar.* 11. *Aliorum*, ait *præter Judæos infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non ſunt æqualiter tolerandi: niſi forte ad aliquod malum vitandum*, ſcandalum, diſſidium, impedimentum ſalutis hæreticorum, ut ibidem Sanctus Doctor tradit.

Et quis uſquè adeò tenebris immerſus eſt, qui non ſtatim videat graviſſimorum ſcelerum licentiam non poſſe à Reipublicæ moderatoribus permitti, niſi quando non poteſt amplius ſine gravioribua malis, aut ipſius forte Reipublicæ occaſu, mali pervicacia remedium ſuperante, coerceri? Non enim Principes Rebuspublicis præfecti ſunt, ut quicquid geratur etiam circa Religionem, indifferenter ferant, ſed in primis, ut ſcelera compeſcant, quibus Deus offenditur, boni affliguntur, & Reſpublica perturbarur. Qua de cauſa Apoſtolus dicit Rom. 13. *ſi malum feceris, time. Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram, ei qui malum agit*. Et Auguſtinus epiſt. 50. *Quomodo Reges Domino ſerviunt in timore, ſicut pſalmus præcepit, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo, atque plectendo*; Crimen autem hæreſeos omnia ſcelera contra homines commiſſa, furta, adulteria, latrocinia, & ſiquid aliud ſanæ doctrinæ adverſantur, tantò gravitate, impietate ſuperat, quanto eſt homine Deus major, humanis divina potiora. Nam & fidem Deo abrogat, eumque tacitè mendacem facit, & omnis ſalutis baſim Ex hominum pectoribus eruit, in proximos ut cancer ſerpit, concordiam rumpit, & civilem Reipublicæ ſtatum rebellione perturbat.

Undè fit, ut Sancti Patres, hæreticos Judæis, Paganiſque deteriores eſſe ſtatuant, imò dæmonibus pares, & ſubinde magis pervicaces, & execrabiles. Crimen ipſum nonnunquam Idololatriæ æquat, aut potius præfert Auguſtinus Epiſt. 48. *Horum impietas etiam Idololatriam forſan ſuperat*. Tanta eſt eorum adverſua Dei veritatem Contumacia, adverſus hominum ſaltem conjuratio. Quam ob cauſam non aliud Scripturæ Sacræ novi, veteriſque teſtamenti *ad Tit.* 3. *v.* 10. 2. *Timoth.* 3. *v.* 5. *Deuter.* 18. *v.* 20. & alibi, Patres, Canones, civileſque Sanctiones contra iſtos fidei Deo datæ deſertorea fidelibus clamant, Cavete, Fugite Interficite, Lapidate. De quibus, tanquam in promptu poſitis non eſt hic latius diſſerendi locus.

Hujus igitur tam nefarii, publicoque pernicioſi criminis licentia nullo pacto indulgeri poteſt, niſi graviſſimorum malorum alioquin Reipublicæ impendentium metus extorqueat. Quamobrem etiam nullum eſt nunc in Orbe Chriſtiano Regnum, aut Reſpublica in quam peſtis illa à Catholico Principe intromiſſa ſit, niſi ut è graviſſimia bellorum tumultibus, quos hæreſis conflaverat, reſpirare poſſet, & ab interitu ex cladibus illia imminente præſervari. In tali enim caſu id minus malum non eligitur præciſè, ut malum quoddam eſt, ſed ut medium utile ad evitandum majus malum, ac proindè eligitur ſub ratione boni utilis. Ita D. Thomas *loc. cit.* ubi ex hoc principio probat, ritus gentilium, & hæreticorum tolerari poſſe ad majus malum evitandum, Caiet. *Ibidem*, Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 10. *pun.* 7. Molina *tr.* 2. *de juſt. & jur. diſp.* 335. aliique plures. Multa in eandem ſententiam ſcribit D. Gregorius *apud Gratianum can. nervi d.* 13.

Cùm igitur hæc doctrina planiſſima, certiſſimaque ſit, & inter Catholicos extra controverſiam, de qua ſoli hæretici conqueruntur, dementiæ ſimilia videtur ſententia, qua quis putet, hæreſeos credendæ, prædicandæque publicam poteſtatem á Chriſtiano Principe non ſolum libere permitti poſſe in locis jam infectis, ad quæ ut cancer ſerpit, ſed etiam alia loca ab illa peſte prorſus immunia, à quibus hactenus excluſa fuit; & ſine difficultate porro excludi poteſt, diffundendo ejus veneno, conſilio pecuniarum largitionibus, armiſque poſſe aperiri. Cur enim non dicamua & adulteriis, & latrociniis & ſacrilegiis, cæteriſque ſceleribus, etiam cùm impediri facile poſſunt, graſſaudi licentiam non modò indulgeri, ſed etiam magnis conatibus poſſe procurari? Quod ſi ergo hoc ſapere eſt deſipere, & om-

nium hæreticorum ſeditiones pro inducenda docendarum hæreſium libertate à ſuſcepti ſceleris labe purgare, . indubitatum eſſe debet, non ſolum illicitum, ſed graviſſimam eſſe Religionis, juſtitiæque, læſæ maculam, qua hæreſis prædicandæ, credendæque libertas Reipublicæ non laboranti permittitur, vel obtruditur.

Contra quam licentiam, licet longè minorem, Spiritus Dei in ſcriptura clamat Apocal. 2. *Habeo adverſum te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Baal.* &c. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Nam eſſe vel in ſola illa permiſſione peccatum, expreſsè dicit ibidem: *Habeo adverſum te pauca, quia permitis mulierem Jeſzabel, qua ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos.* 15. Hinc S. Gregorius Pontifex *epiſt 32. lib. 3. Hi igitur quos & fidei noſtra integritas, & legum damnat diſtrictio, non leve peccatum eſt, ſi veſtris inveniant temporibus licentiam reſerpendi.* Et Gregorius Nazianzenus *ad Nectar. orat. 46. Quod autem ex omnibus Eccleſiaſticis calamitatibus acerbiſſimum, Apollinariſtarum licentia eſt, quos haud ſcio quonam modo pietas tua conventuum, aque ac nos, habendorum auctoritatem ſibi arrogaſſe, atque uſurpaſſe, paſſa fuerit.*

Quid enim eſt libertas illa Religionis, quæ jactatur, niſi libertas hæreſis, ſacrilegii, blaſphemiæ, ſcelerum inquam, divina, humanaque lege damnatorum, quæ in Catholicas urbes introducta eſt. Quid eſt niſi libertas errandi, atque pereundi; Quam ita commendat Auguſtinus, ut dicat epiſt. 166. *Qua eſt enim pejor mors anima, quàm libertas erroris.* Quid enim facit quiſquis in catholicam civitatem hæreſis exercitium, jam diù inde proſcriptum damnatumque vi armata ſub prætextu publicæ libertatis adducit, niſi quod Romanam tacitè damnat fidem? Audiamus non mea, ſed doctiſſimi Nazianzeni verba *loco citato: Proinde ſi iis, qui talia ſentiunt, cœtus habere licet, illud velim cogitet, atque expendat tua in Chriſto illuſtris prudentia, quod cum nobis cum eorum dogmatibus non conveniat, cœtus habendi poteſtatem illis factam eſſe, nihil aliud eſt quàm eorum doctrinam noſtra veriorem exiſtimare. Nam ſi illis, ut & piè ſentientibus, ea, qua ſentiunt docere, libereque promulgare permittitur, quis non videt Eccleſia doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus ſtante? Neque enim rerum natura fert, duas de eadem re contrarias doctrinas veras eſſe.* Audiamus Ambroſium cùm Gentiles per imperatorem aram deorum & ſuperſtitionem reſtituendam poſcerent, acerbius in ſimili cauſa ſtomachantem epiſt. 11. *Quod ſi aliqui nomine Chriſtiano tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina caſſa non fallant, Quis hoc ſuadet, ſacrificat, & quiſquis hoc ſtatuit.* Et inferius Nazianzeni ratione & pene verbis Imperatorem premens: *Si volens acquieviſti, damnaſti fidem meam. Si invitus ceſſiſti prodidiſti tuam.*

Quid enim intereſt, cultus Paganiſmi, an Calviniſmi publicè unde excluſus eſt reducatur? Uno tantum, quod ille poſt incarnatum in mundo Deum, vel nullos omnino Chriſtianos, vel pauciſſimos, propter evidentiam abſurditatis, decipit; hic innumeros. Ille ab omnibus irritus deſpuitur; huic applauditur. Illius redargutio. & fuga judicio quoque populari facilis, hic fallit fatigatque eruditos. Ille reddita ratione unius veri Dei, non difficulter exuitur, hic pertinaciſſimè ipſis animi medullis hæret. Ex quo conſequenter fit, ut conatus ad inferendos in Catholicas Civitates hæreticos, cum hæreſeos prædicandæ libertate, tanto deterior ſit favore Paganorum, quanto hæreſis eſt ſeducendis Chriſtianis periculoſior, ſeductiſque pernicioſior. Laudem igitur hi Principes promerentur beneficentiæ Juliani in Catholicos parem, qui cum Chriſtianam Eccleſiam peſſundare meditaretur, Marcellin. *lib. 22. nu. 7. diſſendentis Chriſtianorum Antiſtites monebat, ut civilibus diſcordiis conſopitis quiſque nullo vetante, Religioni ſua ſerviret intrepidus.* Religionis enim diſſidium, hæreſiſque prædicandæ libertatem, animarum, Eccleſiæque venenum præſentiſſimum eſſe noverat,

Sed aliud eſt in hac Religionis libertate, quod religioſi animi non minus moleſtè ferunt, neque minorem fortaſſe Religionis contemptum ſpirat. Nam Catholicorum cœtus per hanc ipſam libertatis obtruſæ legem a vitis Templis ſuis migrare coguntur, ut hæreticis concionibus, novorumque rituum ſacrilegiis detur locus. Exiguum hoc eſt, ſcio, politicæ, novæque pietati, ſed priſcæ, catholicæ, ac Chriſtianæ quovis tormento terribilius. Iſte ſenſus fuit S. Joannis Chryſoſtomi, Sanctiſſimi, doctiſſimique Præſulis. Cum enim ab Arcadio Gainæ res novas, tyrannidemque molientis terrore perculſo peteretur, ut illi tanquam hæretico Ædes una cederet, in qua Ariana ſacra Gainas cum ſua ſexta frequentaret, reſpondit ei generoſè Chryſoſtomus apud Theod. *lib. 5. hiſt. cap. 32. ne iſtud ei pollicearis, Imperator, neque Sanctum dari canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, ut qui Deum Verbum ſancte, auguſtèque laudibus celebrant, expellantur è ſacro Templo, idemque tribuatur his, qui contra Deum loquuntur blaſphemias.* Sed an Imperator criminis immunis, ſi iſtud vel faceret, vel pateretur? Audiamus Sozomenum *lib. 8. hiſt. cap. 4. Conſulebat, ſatius eſſe Imperio cedere, quam prodere domum Dei, & à Religione deficere.*

Ambroſii perinde Sancti, atque eruditi adhuc ferventior fuit erga Templorum ſuorum cuſtodiam fides. Nam cùm Baſilicam Imperator ad colligendos hæreticorum Cœtus tradi juſſiſſet, quanta fiducia impietatem deteſtatus eſt? Quanta generoſitate imperium detrectavit in Conc. de Baſilica non tradenda? *Si ille*, Naboth, *vineam non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam Chriſti! Abſit à me, ut tradam Chriſti hæreditatem. Si patrum hæreditatem non tradidit, Ego tradam Chriſti hæreditatem!* Et reſponſi ſui reddens rationem: *Reſpondi*, inquit, *ego, quod Sacerdotis eſt; quod Imperatoris eſt, faciat Imperator. Prius eſt, ut animam mihi, quàm fidem auferat.* Et plenius in Epiſtolis ſuis Epiſt. 14. ad Marcellin. Soror *Advertitis quid jubeatur, cum mandatur; Trade Baſilicam, hoc eſt, dic aliquod verbum in Deum*, id eſt blaſphema, *& morere. Nec ſolum dic adverſum Deum, ſed etiam, Facta verſus Deum.* Et Calligono propter imperialis mandati deſpectum, caput ei auferendum minitante: *Utinam*, inquit, ibidem, *permittat tibi, ut impleas, quod minaris. Ego enim patiar, quod Epiſcopi. Tu facies, quod Spadonis.* Martyrem utique in hujuſmodi cauſa Dei. *Scio enim*, adjicit in eadem Concione, *quia quicquid paſſus fuero, pro Chriſto patiar.*

Quantus in eadem calamitatis interminatione populi luctus! quantus fletus! Fidei Chriſtianæ ſummam agi in iſta cauſa putaviſſes. Itaque S. Auguſtinus Doctorum Eccleſiæ coryphæus cùm oſtendere vellet impietatis magnitudinem, quæ in hujuſmodi Templorum Chriſtianorum traditione continetur, proprium eorum, qui Chriſtianæ pacis inimici ſunt, adeoque Apoſtatarum hoc facinus eſſe tradit, *Conſtantinus* inquit *lib. 2.* contra Petil. *cap. 92. vobis*; Donatiſtis, *Baſilicas juſſit auferri. Julianus reſtituit. Quid horum Chriſtiana paci conveniat, vultis noſſe? Illud fecit qui crediderat in Chriſtum. Hoc fecit qui dimiſerat Chriſtum.*

Sic itaque firmum. Libertas fidei, ac Religionis planè illicita eſt, & Chriſtianæ doctrinæ contraria. Hoc patet ex Evangelio, in quo multa ſunt, ex quibus conſtat, Chriſtum unam fidem mandaſſe, variam ac multiplicem prohibuiſſe. Primo voluit unam

tantum

unum eſſe Eccleſiam, unum ovile, unum paſtorem, unum baptiſmum. Hæc autem ſine unitate fidei conſiſtere non poſſunt. Deinde voluit diſcipulos ſuos attendere à falſis prophetis. At in multiplici religione neceſſe eſt, alios eſſe veros, alios falſos prophetas. Ergo ſi excludendi ſunt, fides una retinenda eſt, varia explodenda. Poſtremo voluit Eccleſiam ſuam eſſe perpetuam, cui omnes inferorum poteſtates reſiſtere non poſſint. At perpetua eſſe non poteſt, ſi una omnium fides non ſit. Quod ipſe teſtatur Lucæ 11. 17. *Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur.* Apoſtoli diſertis verbis id confirmant Rom. 16. v. 17. *Rogo autem vos fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis.* Galat. 1. *verſ.* 8. *Licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* 1. Cor. 14. *v.* 23. *Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis.* Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides unum baptiſma.* Hebr. 13. v. 9. *Doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.* Vides quam ſerio, quam ſolicitè, & graviter hortetur Apoſtolus, ut unitatem fidei retineamus. Quod non faceret, ſi libertas indulgeri poſſet.

Hæc item ipſa libertas Reipublicæ noxia, & periculoſa eſt, non modo quoad ſalutem animarum, ſed etiam quoad pacem, & tranquillitatem politicam, quæ ſine veritate fidei conſervari nequit. Hoc teſtatur Chriſtus, cùm ait: *Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Hoc teſtantur omnes autores ſacri & profani, Chriſtiani, & Gentiles. Inter cæteros egregie tractat hoc argumentum Juſtus Lipſius *in lib. contra dialogiſtam de una Religione.*

Undè hæc libertas Religionis non debet præcipi, approbari, aut introduci ab ullo Principe, aut Magiſtratu catholico, ſed omnibus modis, quantum commode fieri poteſt, impediri, ac profligari. Primo, quia contraria eſt divino præcepto. Secundo, quia turbat pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Hinc in Eccleſia toties coacta Concilia, ut unitas fidei ſervaretur, libertas, & varietas impediretur. Hinc optimorum Imperatorum ſeveriſſimæ illæ leges *L. nullus C. de ſum. Trinit. & ſid. cath. Nullus hæreticis miniſteriorum locus, nulla ad exercendam animi obſtinatioris clementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiamſi quod ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito ab hujuſmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turba. Unius & ſummi Dei nomen ubique celebretur. Nicenæ fidei dudum à majoribus tradita, & divinæ religionis teſtimonio, atque aſſertione firmata obſervantia ſemper manſura teneat.* Et infra: *Si quid eruptio factioſa tentaverit, ab ipſis etiam urbium mœnibus exterminato furore, propelli jubemus, ut cunctis orthodoxis Epiſcopis, qui Nicenam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe reddantur.* Et *l. cunctis C. de hæret. & Manich. Cuncti hæretici procul dubio noverint, omnia loca ſibi adimenda eſſe.*

Nec diſſimilium Imperatorum facta. Conſtantinus Magnus damnatum Arium una cum Euſebio, & Theognide in exilium miſit, & omnibus exilium minatus eſt, qui Niceno Concilio non acquieſcerent. Jovinianus à militibus Imperator poſtulatus, tum demum oblatum Imperium ſe ſuſcepturum affirmabat, ubi omnes, qui ipſi, atque Imperio Romano militarent, unius Chriſtianæ fidei profeſſores ſe eſſe velle teſtarentur, ratus nimirum, quod res eſt, cum diverſa Religione Imperii vires ſatis firmas eſſe non poſſe. Omitto Theodoſios, Martianum, Juſtinianum, Aurelianum, Gratianum, Juſtinum, Carolum Magnum, alios ſimiles, quorum hiſtoriæ non ſunt. Conſule Baronium, & alios. Quid dicam de Leone Papa qui *Epiſt.* 76. objurgat Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, quod Catholicis permixtos ſinat vivere eos, qui aliam, quam unam Catholicam profitentur Religionem? Quid de D. Auguſtino qui *Epiſt.* 29. Olympium Comitem exhortatur, ut Imperatoris leges in Donatiſtas hæreticos conſtitutas evulget, non aliam ob cauſam, quam quod putaret cum una fide Catholica, diverſas ſectas ſociari non poſſe, nec debere?

Si verò Princeps, vel Magiſtratus Catholicus paciſcatur cum hæreticis de toleranda libertate Religionis, quam ſine majori detrimento impedire non poteſt, ſine dubio fides ſervanda eſt. Nam fides ſervari debet in omni pacto licito, & honeſto. Licitum autem & honeſtum eſt tolerare libertatem Religionis ad majus malum evitandum, & de ea toleranda licite & honeſte paciſci poteſt Princeps Catholicus. Atque adeo ſi paciſcitur, fidem ſervare debet.

CONSULTATIO CXLII.

De Amuletis, & periaptis. Quid ea ſint? Eorum efficacitas, & ſuperſtitio. Viì de ſacris fidelium Iconculis, vulgo Medaglie, *& Agnus Dei. De Bullis, aliiſque Ethnicorum ſuperſtitionibus.*

INſigne fuit priſcorum Triumphantium Romanorum, quam in triumpho præſeferebant, Bullam ſupra pectus deferre, incluſis intra eam remediis, quæ crederent adverſus invidiam. Hinc deductus mos, ut Prætexta ſimul, & Bulla quæ Magiſtratuum erant, etiam in uſum ingenuorum puerorum uſurparentur ad omen, & vota conciliandæ virtutis. Tarquinii Priſci filius eo quod ſe in bello viriliter geſſiſſet, primus hac aurea Bulla donatus eſt, & toga prætexta, Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 6. erat in Bulla expreſſa cordis figura, qua ſic noſcerent ſe homines eſſe, ſi corde præſtarent, ut refert idem Macrobius, & Pierius Valerianus *in hieroglyph. lib.* 41. *cap.* 1. *cum trib. ſeqq.* Mos quoque fuit apud Ethnicos collo infantium apponendi metalla, re turpicula in virilis membri formam expreſſa ad avertendas faſcinationes, ut refert Varro *lib.* 6. *de ling. Lat.* Figura Bullæ rotunda erat, ceu in aqua ſunt guttæ, quæ orbiculantur, vel id, quod in torquibus pendet Bullæ vel cordis in modum. Ab ea forma poſt ſignaturam proviſio à noſtris Bulla nuncupatur, nempe ſcriptura in membrana plumbo, auro, vel argento, funiculis pendente inſignita. Et quia cœleſtis Agni effigies in Bullarum morem efformantur, hinc factum, ut hoc nomine cenſeantur, quemadmodum & icunculæ æneæ, aureæ, argenteæ ob eandem cauſam, vulgo *Medaglie* appellatæ.

Chriſti autem fidelibus in primitiva Eccleſia mutata ſuperſtitione de Cordis figura, ſive alterius rei, in veram Religionem ex cereo paſchali, ſacro chriſmate delibuto, ac benedictione ſanctificata, eo quod Agni Chriſti imago in eo haberetur expreſſa *Agnus* Dei dici conſuevit, quos Agnus Dei recens baptizati ſuſpenſos ferrent ad collum, ut Chriſti exemplo diſcerent eſſe mites, & humiles corde, Baron. *in an.* 58.

Conſueverunt quoque priſci illi fideles deferre ſacroſancta Evangelia, ut ex actis Virginis & Martyris Cœciliæ apud Surium, quæ ſemper in pectore Evangelium deferebat. Ac etiam Apoſtolorum temporibus id uſurpatum apparet ex actis Andreæ Apoſtoli, quam eandem ſuo tempore conſuetudinem in frequẽti uſu fuiſſe dum mulieres collo appenderent Evangelia, teſtatur Chryſoſtomus apud Baronium *an* 232. & de Evangeliis inquit Iſidorus Peluſiota lib. 11. *quemadmodum nunc mulieres Evangelia parva*, hoc eſt deferunt. De his Evangeliis parvis meminit etiam Gretſerus

lib. 3.

lib. 3. comment. Europalat. cap. 7. n. 7. §. 2. Ubi cenſet dici parva, cùm in iis continentur Initium Evangelii S. Joannis, vel aliud parvum Evangelium ad differentiam totius corporis Evangelici quatuor Evangeliſtarum. De ſimilibus Bullis D. Gregorius Magnus gratulatoriam mittens Epiſtolam, quæ eſt *7. lib. 12.* ad Theodolindam, Longobardorum Reginam, eo quod illa filio aucta eſſet, tranſmiſit quoque unam ex iis infantulo, ut ejus collo appenderet, nempè Crucem cum ligno ſanctiſſimæ Crucis Domini, & lectionem Sancti Evangelii theca Perſica incluſam, ut etiam refert Baron. *ad an 604. & Epiſt. 6. lib. 5.* ad Childebertum, Francorum Regem mittit claves S. Petri in quibus de vinculis catenarum ejuſdem incluſum erat, quæ collo ejus ſuſpenſæ à malis illum tuerentur. Miracula ſæpè confirmaruot pium fidelium uſum. Duo refert Gregórius Turonenſis ex miraculis S. Martini *lib. 1. cap. 2.*

Hæc quamvis magnam excitent pietatem Erga Deum, Sanctus tamen Joannes Chryſoſtomus *hom. 21. ad popul. Antioch.* invehitur contra eos, qui auxilium implorant à ſortilegis anulis prætextu ſacrorum verborũ, nec non contra illos qui circa caput, & brachia deferebant imaginem Magni Alexandri, ac Sanctiſſimæ Crucis propter bonos eventus. Sicuti & eos reprehendit, qui relictis Sanctorum nominibus ſuis filiis in baptiſmo nomina imponebant aliquorum, qui ad ſenectam decrepitam pervenerant, aliisque ſuperſtitionibus utebantur. Eadem ferè habet *hom. 13. in Epiſt. ad Corinth. cap. 4.* Hinc Conſtantinus Imperator contra illos, qui amuleta ſuperſtitioſa collo deferrent ad remedia Quartanæ ſive alterius morbi, juſſit ſeveriſſimè agi apud Ammianum *lib. 19. propè finem*, & Baronium *ad an.* 358. Similes pravos uſus corrigit D. Auguſtinus *ſerm. de temp. 215. ac de divers. 125.* refertque Baron. *ad an.* 4.8.

Amuleta igitur, quæ phylacteria vocant, hoc eſt conſervatoria, & periapta multis pœnis prohibentur etiam à Sacris Canonibus, maximè in Clericos, *Can. ſiquis*, & *can. non oportet 26. q. 5.* ubi Concilium Laodicenſe ſic ait: *Non oportet Sacris Officiis deditos facere phylacteria, quæ animarum ſuarum vincula probantur. Hos autem, qui talibus rebus utuntur, prohiberi ab Eccleſia juſſimus.* Poſſunt autem amuleta collo appendi, ut lapides, qui creduntur naturalem vim habere contra aliquam infirmitatem. Vel poſſunt appendi verba ſacræ Scripturæ ſine tamen characteribus, ſine aliqua inſcriptione vana & ſuperſtitioſa, ut ſiquis ad Ortum Solis oſtenderit infirmo hanc, vel illam imaginem, ſanabitur. Vel qui defert orationem, quam falſo adſcribunt S. Leoni Papæ, non poterit interfici ab inimicis

Uti autem amuletis habentibus vim naturalem, non eſt illicitum. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 56. art. 4. in corp.* Poſſumus namque licitè applicare activa naturalia ſuis paſſivis. Sic poſſunt collo appendi amuleta ſuccini, aut alterius materiæ contra morbos, quæ ideo amuleta, amolimina, ſervatoria, & apud Græcos Averruncatoria. Judæi quoque ſua phylacteria deferebant, iis credentes præſervari à malis exterioribus, ut & nunc multi credunt deferentes Orationem S. Leonis, vel aliam, quaſi Deus promiſerit illam deferentibus tutelam à quovis extrinſeco malo. Quod falſum eſt, nec ullis innititur ſcripturæ teſtimoniis, aut Pontificum decretis, vel Eccleſiæ traditioni. Undè apocrypha, & vana cenſenda ſunt, ut communiter Doctores,

Itaqoe nulla vox, nulla ſcriptura reperitur, præter verba, quæ pertinent ad ſacramẽtorum formas; & aliqoa forſan ſacramentalia, quæ efficacitatem habeant ad prædictos effectus certò ac infallibiliter producendum. Quod intelligitur non ſolum de efficacitate phyſica, qualem habent Sacramenta novæ Legis ad gratiam producendam, ſed etiam de morali, qua Deus ad præſentiam ſacramentorum veteris Legis gratiam conferebat. Nam efficacitas ſupernaturalis infallibilis deberet inniti aliquo fundamento. Nullum autem, ut dictum eſt, reperitur.

Qui verò utuntur verbis aut ſcripturis Sacris, (exceptis verbis Sacramentorum, & ſacramentalium), ſive quibuſdam aliis rebus, aut ligaturis, credentes, illas efficacitatem infallibilem obtinere ad effectus quoſdam, ſivè ſpirituales, ſivè corporales, ſemper ſunt ſuperſtitioſi. Hanc regulam docet D. Thomas. Nam dictis verbis, aut rebus non utuntur, tanquam cauſis, quia virtutem naturalem, aut ſupernaturalem non habent illos effectus: Neque tanquam ſignis à Deo inſtitutis, quod pertinet ad cauſalitatem moralem, qua carere probatum eſt. Obſervationes igitur ſub hac exiſtimatione referendæ ſunt ad ſignificationes per pacta dæmoniaca ſivè tacita, ſivè expreſſa. Confirmat id textus *in can. non mirum 26. q. 5.* ex Iſidoro *lib. 8. etymol cap. 9.* ex Burch. *lib. 10. cap 42.* & ex dictis Auguſtinus Juo *p. 10. cap. 69*, his verbis: *Ad hæc pertinent ligatura execrabilium remediorum, quæ ars condemnat Medicorum, ſeu in præcantationibus, ſeu in characteribus ſuſpendendis, atque ligandis, in quibus omnibus ars dæmonum eſt quadam peſtifera ſocietate hominum, & Angelorum malorum exorta.* Et Auguſtinus *tr. 7. in Joan.* ubi ſic ait: *Fingunt ſpiritus maligni umbras quaſdam honoris ſibimetipſis, ut ſic decipiant eos, qui ſequuntur Chriſtum uſque adeo fratres mei, ut illi ipſi, qui ſeducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici miſceant præcantationibus ſuis nomen Chriſti, quia jam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, ut dent venenum, addant mellis aliquantum.* Chryſoſtomus *d. hom. 25. ad Popul. Antiochen. Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus, & ligaturis utuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti, vel pedibus? Dic mihi, hæc ne ſunt ſpes noſtra, ut poſt crucem, & mortem Domini in Gentilis Regis imagine ſpem ſalutis habeamus?* Concilium Turonenſe ſub Carolo Magno *cap. 24.* ut ipſe Carolus poſt Conſtantinum idipſum condemnarunt, & Zacharias Papa, qui, ut diximus, condemnavit orationes Aldeberti, & Clementis, hæreticorum Germaniæ, qui nomina ignota Angelorũ invocabant. Tria quippe ſolum nomina Angelorum in ſacra ſcriptura referuntur. Et licet nomen Vriel legatur *in 4. Eſdra*, hic tamen liber inter Canonicos non recenſetur ab Eccleſia in quo etiam habetur nomẽ Jeremiel, quod reprobatur communiter. Et quamvis nomen Michaelis, & Sabaoth, quod Deo convenit, in ea Oratione inſerantur; quia verò cum nominibus dæmonum, vel ſuſpectis immiſcentur, ideò reprobanda ſunt.

Non tamen improbandæ ſunt delationes reliqoiarũ Sanctorum, Agni paſchalis, evangelii S. Joannis Pſalmorum, aliarumque ſacrarum Scripturarum cũ ſpe liberationis à malis, à Deo ſupernaturaliter obtinenda, ſi ei placuerit; ſed non quaſi ex pacto cũ Deo inito, ut neceſſario gratias conferat. Ita D. Thomas 2. 2. *q. 96. ar. 4.* ibique Cajetanus, Delatorre, alii, & ſequuntur Sylveſter, Bellarminus, ac Delrius; cæterique contra Cirvelum *lib. de ſuperſt. cap. 4. p. 3.* qui, licet tueatur adverſus hæreticos, Sanctorum reliquias in templis honorificè colendas, non tamen vult à privatis deferri. Probatur aſſertio. Quoniam in uſu iſtarum vocum, ſive ſacrarum rerum delatione, Deo reverentia, & cultus exhibetur, ſupplicaturque formaliter, vel virtualiter pro adipiſcendis bonis, & evitandis malis.

Comprobatur pluribus exemplis. Sanctus Antoninus, qui, referente Surio *to. 3. fol. 34.* ut dæmones infeſtantes expelleret, quaſdam membranulas, in quibus preces ad Deiparam erant conſcriptæ, ante imaginem ejuſdem Virginis affigi juſſit, ſicqoe ceſſarunt dæmonum infeſtationes. Beata Helena clavum Chriſti galeæ

Conſtantini

Conſtantini impoſuit. Alia referuntur de catenis S. Petri, de quibus modò dictum eſt. Neque ideo reprehendendi non ſunt, qui reliquias ad collum deferunt, ut Sancti exiſtimentur eo modo, quo phylacteria Phariſæi deferebant, quod redarguit Chryſoſtomus *homil.* 34. *in Matth.* & qui non à Deo gratias deſideratas expectant, ſed ab ipſa materia, vel forma ſacræ Scripturæ, ut quod Evangelium D. Joannis in charta virginea, vel characteribus miniatis conſcribatur. Hæc namque ſuperſtitioſa ſunt. His accedit teſtimonium Martini Papæ in can. non licet Chriſtianis 26. *q.* 5. cujus verba alibi retulimus, & Auguſtini *lib.* 2. *cap.* 20. *de doctr. Chriſt.* Legendus omnino.

Pariter ſuperſtitioſum eſt per certa jejunia, & quaſdam orationes, in quibuſdam libellis à B. Pio V. damnatas, quærere, ac expectare indulgentias non conceſſas, aliaque vanè optata, ut videre Deiparam horâ mortis, vel Sanctam Urſulam, qua de re alibi. Quam autem ridicule decipiat dæmon utentes ſuperſtitioſis Orationibus Sanctorum, refert Georgius Pictorius feſtivum hoc exemplum *in Iſagog. de dæmon. ſublunar.* ex Abbate Spanhemenſi: *Subulcus quidam fuit, qui in baculo paſtorali ſchedulam nomine divi Blaſii inſcriptam deferebat, cujus baculi potentia porcos ſuos à lupis ſecuros exiſtimabat, ideo illos ſolos in agris paſcendos deſerebat. Quandoque autem contigit, paſtore abſente, quendam prætereuntem, dæmonem inſpexiſſe, illos cuſtodientem, & illum interrogans, quid illic cuſtodiret, qui hominum ſalutis perſecutor eſt ſæviſſimus? Reſpondit: Porcos cuſtodio. At inſtat denuo pertranſiens: Cujus juſſu? Dæmon reſpondit: Stulti paſtoris confidentia, qui ſchedulam quandam ſuo baculo incluſit, cui divinam adſcribit virtutem, at inde quod Sancti Blaſii nomine eſt inſcripta, & illam porcos ſuos à lupis tutari adverſus inclinationem ſuam exiſtimat, mihi ideo falſa ſuperſtitione adhærens. Ubi cum per me fuiſſet vocatus, & non comparuiſſet, me Sancti Blaſii vice huc cuſtodiendum tranſtuli. Ut enim ſemper Dei, & Sanctorum vices gero, ita & nunc gaudenter pro ſuo Sancto Blaſio illi porcos cuſtodio, ut ſtultum hominem in ſua vana confidentia corroborem, & obtineam, ut talem ſchedulam pluris quàm Deum faciat.*

Narrant in hiſtoriis Francorum, cùm jampridem hæreticorum examina in Galliam irrupiſſent, & Duce Ghiſio ſtrenue fuiſſent debellata, collo cæſorum fere omnium appenſa fuerunt reperta ejuſmodi ſchediaſmata. Sic enim dæmon ſinit ſuos occidi quando in ſtatu pejori animæ verſantur.

Retinet itam juſtis ac piis de cauſis voces aliquas, ut Kirieleiſon, Alleuja, quæ non ſunt ignotæ, cùm illa ſit græca, iſta hebræa, de quibus Durantus *lib.* 2. *de ritib. Eccleſ. cap.* 13. Alias vero voces barbaras, & ignotas rejicit; jure enim ſuſpectæ ſunt de ſuperſtitione, maxime vox Ananiſapta. Quare omnino rejicienda, ſicut & Felix ejus laudator cum, ſuis libris, ut ex Indice librorum. Imò Delrius *lib.* 3. *magic. p.* 2. *q.* 4. *ſect.* 8. exiſtimat vocem illam ex Chaldæo, & Hebræo coaleſcere ac ſignificare dæmonem, præſidentem divinationi, ac ſanitatibus, idcirco per illam, ac ejus delationem dæmonem eundem implorari. Quænam autem ſint amuleta ſuperſtitioſa, & à fidelibus vitanda, vide quoq; apud eundem Delrium *lib.* 1. *cap.* 4. *q.* 4.

CONSULTATIO CXLIII.

De Obligatione Denunciandi Sortilegos, ac de Hæreſi ſuſpectos

Denunciatio judicialis, qua frequentiſſimè proceditur in S. Officio, eſt mera Criminis manifeſtatio qua denunciator crimen ſui proximi Inquiſitori, ſive Superiori Prælato, tanquam Judici denunciat, ut ille ex officio faciat quod ſecundum jus ei videbitur. Ita colligitur *ex cap.* 2. *&* 3. *& cap. ſuper his de accuſat. & cap. novit de Judic.* & docent Hoſt. *in Sum. tit. de denunc.* §. 1. *Pegn. p.* 3. *direct. com.* 15. *Clar. in prax. crim.* §. *fin. quæſt.* 7. aliique communiter.

Denunciator differt ab accuſatore. Nam accuſator tenetur probare crimen alteri objectum, vel impoſitum, & ſi illud non probet, plectendus eſt pœnâ talionis, ideſt eadem quam ipſe alteri per calumniam inferre intendebat, ut *in l. ult. Cod. de accuſat. & in l. ult. Cod. de Calumniat.* & docent D. Thomas 2. 2. *qu.* 68. *art.* 4. aliique. Etenim Talionis pœna eſt, qua æquali modo patitur, quo quis nocuit, ut ratio à relatione talis ad æquale deduci videatur. De ea *in Exod. cap.* 21. & *in Levit. cap.* 24. & *in Deuteron. cap.* 19. cujus ſtatuti ſeveritatem Legiſlator Evangelicus correxit *Matth.* 5. Adſtipulantur & jura pontificia *can. hæc autem vita* 23. *q.* 4. *can. quod debetur* 24. *q.* 1. *can. ſex differentiæ* 23. *qu.* 3. Meminit & hujus pœnæ D. Joannes *in Apocal. cap.* 13. *in Lege* 12. Tabularum etiam talionis pœna recepta, quæ explicatur apud Aulum Gellium *lib* 1. *cap.* 1. Meminit iſtius legis, & Cicero *in legibus*, & D. Auguſtinus *lib.* 21. *de Civit. cap.* 11. Sunt & caſus jure civili expreſſi in quibus ſimilitudo ſupplicii talionem inducit, ut in illis, qui falſis accuſationibus innocentium vitam calumniantur. *L. fin. C. ſi de accuſat. l. fin. Cod. de calumniat.* & prævaricantur *l. ab Imperatore ff. de prævaricat.* Et in caſibus tituli *ff. Quod quiſque juris &c.* Hodiè tamen pœnam illam ſimilitudinis ſupplicii conſuetudine in deſuetudinem abiiſſe, & ſecundum qualitatem & dignitatem perſonarum, & arbitrio Judicis eſſe ſtatuendam, tradunt Albericus *in l. fin. Cod. de accuſat.* Bald. *in addit. ad Specul. tit. de concept. libel. verſ. de conſuetud.* Speculator *de accuſat.* §. 1. *verſ. nec mirum* Bartol. *in l. libellorum* §. *item ſubſcribere de accuſat.* Nam & jura eò declinare expreſſè videntur ferè in omnibus, & paucis admodum excluſis, ut periſtaſes criminis, perſonarum & rerum pœnas vel augeant, vel minuant. Imo & jure civili *l.* 3. *ff. ad S. C. Turpill.* Et Pontificio *can. quod debetur* 24. *qu.* 1. *cap.* 1. *&* 2. *de Calumniat.* alia pœna quam ſimilitudo ſupplicii calumniatoribus impoſita reperitur. Apud Thurios etiam Lex Charundæ alia lege emendata erat, *ſi quis cui oculum eruerit, oculum reo pariter eruito.* Emendata autem, quia Monoculus conqueſtus, quod ſibi eruto uno oculo ſuo tantum quo videbat, unus reo erutus, & ſic non juſta eſſe pœna, ut Author Diodorus Siculus *lib.* 12. Cæterùm & Lex 12. tabularum, & divina repaſſionem non intelligunt, ut Ariſtoteles quinto *Ethic. ad Nicom. c.* 5. ſed repaſſionem, hoc eſt pœnam æqualem, ideſt, condignam crimini ſecundùm proportionem geometricam, non arithmeticam. Sic enim ſupplicia dicuntur æqualia peccato, ſi legitimam habent delicti & perſonarum conſiderationem, & id innuere Moſes videtur Deuter. *cap.* 25. *pro menſura peccati erit & plagarum modus.* Sic in jure pontificio *cap. ex literis de Conſtit.* Commenſurandam pœnam delicto, ut & in jure civili *l. reſpiciendum ff. de pœn.* & notat Bartol. *in l. reſcriptum* 6. *ff. de his, qui ut indign.* Hinc dicta pœna talionis accuſatori impoſita, nequidem in S. Tribunali Inquiſitionis eſt in uſu, etiamſi accuſator ad eam ſe ſcripto obligaret, ſed ſi per calumniam ad accuſandum acceſſerit, Judicis arbitrio puniendus eſt, Pegna *p.* 3. *direct. com.* 14. Farinac. *de hæreſi qu.* 185. *numer.* 33. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 2. *numer.* 2. *&* 3. Souſa *in aphor. lib.* 2.

lib. 2. *cap.* 2. *numer.* 4. Carena *par.* 3. *tit.* 1. *ſ.* 1. *numer.* 7. *& ſeqq.* Delbene *de Offic. Inquiſit. p.* 1. *dub.* 131. *pet.* 7.

Denunciator autem non habet onus probandi crimen, ſed ſolum illud aperiendi Judici, ut ex officio ad ulteriorem inquiſitionem moveri poſſit, ut per Eymetic. *part.* 3. *direct. de ſecundo modo proced. in cauſ. fid. per denunciat. numer.* 68. ac ibi Pegna *com.* 15. *verſ. his peractis*, Farinac. *d. quaſt.* 185. *numer.* 71. aliique communiter. Notandum autem eſt, quod denunciator, quamvis probare non teneatur quod contra alterum denunciavit, ſi tamen convincatur falsò denunciaſſe, tanquam calumniator arbitrio etiam Inquiſitoris puniendus eſt, ut per Simanch. *in Cath. inſtit. tit.* 19. *rubr. de denunc. numer.* 17. *& tit.* 64. *rubr. de teſtib. numer.* 55. Pegn. *com.* 40. *verſ. adhac.* Caſtropal. *pun.* 3. *numer.* 1. & alios. Quia ex ſola ipſa denunciatione, ſi falſum deponat, graviſſimè lædit denunciatum, cum aperiat vim Judici inquirendi adverſus illum, & ideo puniri debet, ut calumniator.

Differt autem denunciatio judicialis, à denunciatione Charitativa, & Canonica. Primò quia denunciatio juridica per ſe ac directè procedit ex motivo juſtitiæ vindicativæ, & fit Superiori, tanquam Judici. Finis verò denunciationis Charitativæ, eſt emendatio Perſonæ delinquentis, & directè procedit ex motivo Charitatis ad Superiorem tanquam ad Patrem.

Secundò, quia judicialiter denuncians, debet de jure communi nomen ſuum in denunciatione ſubſcribere, & poſtea vocatus coram Judice, tenetur comparere, ut veritatem teſtificet, & Reus convincatur. Denuncians autem denunciatione Charitativa non tenetur ſe ſuſcribere. Imo Prælatus non poteſt illum manifeſtare, niſi neceſſitas poſtulet, ad finem Correctionis obtinendæ.

Tertiò. In denunciatione judiciali quia debet indicia oſtendere, quia ſine ſufficientibus criminis indiciis, non poteſt Prælatus ad aliquam rei punitionem procedere. In denunciatione autem Charitativa quis non tenetur ſufficientia criminis indicia oſtendere, quia, exempli gratia, ſolus vidit vel audivit illius crimen.

Quartò, quia denunciatio judicialis directè tendit, ut reus per teſtes convictus, vel confeſſus in publicam ſui notitiam & pœnam deducatur. At in denunciatione charitativa Prælatus non debet crimen rei occultum alua manifeſtare, ſi ſolus illud emendare poterit, ſecus verò ſi non poterit. Tunc enim manifeſtare debebit alteri, ac etiam duobus, ac pluribus, ſi ad criminis emendationem neceſſe fuerit. Atque ita obſervat Delbene *de Offic. Inquiſit. part.* 1. *du.* 181. *petit.* 8.

Tenetur autem quis denunciare Epiſcopo, vel Inquiſitori primò maleficum, & quemcumque ſortilegum hæreticum ſub pœna peccati mortalis, & excommunicationis, ut ex conſtitutione Gregorii VIII. quæ incipit: *Excommunicamus.* Et Innocentii IV. cujus initium eſt, *Noverit.* Quia crimen hæreſis cum tendat in perniciem Reipublicæ, jure naturali quilibet tenetur illud denunciare, ut bono Reipublicæ ſuccurratur, ut notant Simanch. *de Cathol. inſtit. tit.* 19. *numer.* 5. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 9. *numr.* 1. Genuenſ. *in prax. cap.* 18. *numer.* 1. Carena *part.* 2. *titul.* 9. *ſ.* 1. & alii communiter.

Deindè Sortilegos & omnes alios de hæreſi ſuſpectos, ut *ex leg. quicumque C. de Maleſ. & Mathem.* ubi habetur; *Quicumque Maleficiorum labe pollutum audierit, deprehenderit occupaverit illicò ad publicum pertrahat, & Iudicum oculis communis hoſtem Salutis oſtendat*, & docent Farinac. *de hæreſ. quaſt.* 197. *num.* 35. Mart. Delrio *diſq. magic lib.* 5 *ſect.* 4. *verſ.* 6. Carena *loc. cit. ſ.* 2. Et alii quos ipſe citat.

Poſtremò etiam levitèr de hæreſi ſuſpectos. Nam licet Genuenſis *eo loco num.* 10. Lazar. *de Blaſphem. quaſt.* 12. *numer.* 32. Alphonſ. à Caſtro *de juſt. hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 25. Sanctarel. *ibid. dub. un. num.* 16. opinetur ſolos de hæreſi vehementer ſuſpectos eſſe denunciandos, non autem leviter ſuſpectos, tamen Carena ubi ſupra *ſ.* 2. *num.* 8. teſtatur, contrarium tenendum eſſe ſtantibus edictis Inquiſitorum, quæ loquuntur generalitèr & ſine diſtinctione de ſuſpectis de hæreſi. Unde etiam videntur generaliter ac ſine diſtinctione intelligenda. Maximè cum ſuſpicio levis in hoc crimine habeatur pro legitima ad effectum ſaltem cogendi taliter ſuſpectum ad abjurandum de levi, juxta textum in *cap. accuſatus de hæret. in* 6. Et hæc eſt praxis Sancti Officii, à qua certè nefas eſt recedere, ac ita docent Eymeric. *in direct. p.* 2. *q.* 55. *num.* 9. *& ſeq.* ibique Pegna *com.* 8. *verſ. & ubi quis*, *& p.* 3. *q.* 87. *com.* 136. *verſ. nec refert*, Simanch. *ſupra tit.* 1. *de abjurat. num.* 18. *& ſeq.* Farinac. *d. q.* 187. *num.* 31. Decian. *tr. crim. lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 2. Scacc. *de judic. cap.* 59. *num.* 10. *&* 11. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 4. *pun.* 18. ac demum Alexander VII. die 8. Julii 1660. in conſtit. quæ incipit *licet alias* decrevit expreſſè non ſolum hæreticos, ſed etiam de hæreſi quomodocumque etiam leviter ſuſpectos eſſe denunciandos Inquiſitoribus, vel locorum ordinariis, & omnes contrafacientes Sanctitas ſua voluit, ac declaravit ſubjacere omnibus cenſuris in conſtitutione Pauli V. prima Septembris 1606. emanata quæ incipit *Romanus Pontifex* expreſſis. Nec non privationis quarumcumque dignitatum, ſeu Officiorum, ac vocis activæ & paſſivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis, aliiſque Sanctitatis ſuæ, ac ſucceſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem ſibi ipſi, & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantùm expreſſè reſervavit.

Ac ita, ut quiſque teneatur denunciare Maleficum, & quemcumque ſortilegum de hæreſi ſaltem ſuſpectum, etiamſi illius crimen probare non valeat. Non deſunt tamen Doctores contrarium ſentientes quos refert Diana *part.* 5. *tr.* 9. *reſol.* 1. *& p.* 5. *tr.* 4. *reſol.* 1. quia denunciator ex *lege Divus*, *& ex leg. ab accuſatore ff. Senatus conſult.* tenetur ſuam denunciationem probare, quia ut obſervat Leſſius *lib.* 2. *de juſt. cap.* 29. *dub.* 13 *num.* 111. Quando crimen probari non poteſt, videtur peccari contra juſtitiam, ſi revelетur; exponitur enim reus manifeſto periculo infamiæ.

At hæc opinio deſtruit tribunal S. Officii, eſtque contra ejus communem praxim, atque adeo rejicienda. Quod etiam annotarunt Diana *ibidem reſol.* 2. *num.* 10. *& part.* 7. *tract.* 12. *miſcell.* 3. *reſol.* 21. *alias* 19. Trullench. *in decalog. tom. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 12. *num.* 20. Cardinal. de Logo *de juſt. tom.* 2. *diſp.* 38. *num.* 24. & antea Eymeric. *in direct. p.* 3. *rubr. de ſecundo modo proced. in cauſ. fid. per denunciat. num.* 68. Tum quia ſimplex denunciatio ſufficit Inquiſitoribus, ut ipſi inquirere poſſint delictum, & ſi denunciator probare illud non valeat quia per talem denunciationem, & forſan per alias denunciationes, ac revelationes delictum probabitur, & de remedio providebitur. Tum etiam quia Denunciator in hoc ſac. Tribunali ex generali conſuetudine habetur pro teſte quidquid dicat Scaccia *de Iudic. cap.* 55. *num.* 3. ex quo ſequitur neceſſario, quod denunciare tenetur, etiamſi alios Teſtes non poſſet adducere. Nam ideo ipſe pro teſte deſervit, ad probandum crimen commiſſum,

&

& ejus officium non conſiſtit in inquirendis aliis teſtibus, qui ſuam teſtificationem confirment, ſed ut purè ac ſincerè Veritatem detegat, ut ex *l. 3. §. 1. ff. de teſtib.* Et tum quia in Conſtitutionibus Pii IV. & Gregorii XV. præcipitur, Confeſſarios ſollicitantes eſſe denunciandos. & tamen Pœnitentes non poſſunt tale delictum probare. Et licet ex denuntiatione ſequi poſſit ſortilegi, ſeu rei infamia, præponderat tamen publica utilitas, ne dum unius fama conſervatur, nonnulli detrimentum ſentiant, contra *Can. ſed illud v. quæ eſt iſta d. 45.* his verbis. *Quæ eſt iſta bonitas, quæ eſt iſta miſericordia; Uni parcere, & omnes in diſcrimen adducere?* Hoc etiam tuentur Homobon. *de Exam. Eccleſ. p. 1. tr. 7. cap. 2. q. 14. & p. 2. tr. 11. cap. 4. q. 4. reſol. 4.* Zanard. *in direct. confeſ. p. 3. cap. 31.* Nald. *in ſum. v. Hæreſis num. 6.* Peyrin. *tom. 2. in Conſtit. 9. Pauli V. §. 2. num. 25.* ac plures alii, quos ſequitur Diana *p. 3. tr. 9. reſol. 1. num 3. & p. 1. tr. 4. reſol. 1.* damnavitque Alexander VII. opinionem contrariam die 24. Septembris, dum inter alias propoſitiones damnavit ſequentem: *Quamvis evidenter tibi conſtet, Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.*

Quando autem agitur charitativa, ſive Canonica vel Evangelica denunciatione, ſi firmiter ſperatur emendatio Delinquentis, præmittenda eſt correctio. Quia præceptum correctionis fraternæ obligat jure naturali ac divino, quando ſperatur emendatio, ut docent Fagundez *de præcept. Eccleſ. tr. 2. lib. 4. cap 3, num. 31.* Peyrin. *tom. 2. in Conſtit. 4. Gregorii XIV. §. 9. numero 26. & in d. conſtit. Pauli V. §. 2. numero 26. & ſeq.* ac cæteri, Si verò Judiciali, quæ fieri debet inquiſitoribus, idem Alexander VII. in ſua Conſtitutione pro Regularibus edita die 8. Julii 1660. incip. *Licet alias* declaravit, *etiamſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit. omnino teneri, & obligatos eſſe accedere ad denunciandum Ordinariis, vel Inquiſitoribus Locorum quoſcunque etiam Confratres, ac Superiores, etiam primarios ſuos ejuſdem Ordinis, & Religionis, quos noverint, eſſe de Fide quomodolibet, etiam leviter ſuſpectos? At præterea eoſdem debere omnes, & quoſcumque etiam alios a ſe conſilium, ut ſupra petentes, movere, & obligare ad denunciandum, nec poſſe illos à denunciando ſub dictæ fraternæ Correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare. Et prædictos omnes tam Superiores, quam ſubditos contrafacientes, Sanctitas ſua voluit, & declaravit ſubjacere omnibus Cenſuris in dicta Conſtitutione Pauli V, expreſſis, nec non privationis quarumcumque Dignitatum, ſeu Prælaturarum, ſeu Officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ, & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipſo facto, & abſque ulla declaratione incurrendis, aliiſque ſanctitatis ſuæ, ac ſucceſſorum arbitrio infligendis pœnis, quarum relaxationem, ſuſpenſionem, abſolutionem, vel diſpenſationem ſanctitas ſua ſibi ipſi, ac Succeſſoribus ſuis Romanis Pontificibus tantum expreſſe reſervavit.*

Hiſce tamen verbis non præcipitur correctionem non fieri, ſed quod, licet ſit facta, non idcircò, denunciatio omittatur, quia ſic expedit bono Catholicæ Religionis, & communi. Nam finis præcipuus denunciationis judicialis non eſt ſola emendatio Fratris, ſed publica correctio, & ſecuritas aliorum Fidelium ad quem finem ſola ſecreta monitio nunquam eſt medium ſufficiens. Illam utique irridebit, qui totam contemnit Eccleſiam, & quem non terrent tot fulmina excommunicationum, ac pœnarum, nullatenus ſperatur pro futura privati hominis correctio.

Et quanquam nonnulli Doctores doceant, non eſſe denunciandum ſortilegum, vel quemlibet alium de hæreſi ſuſpectum, ſi credatur emendatus. Quia finis denunciationis eſt illius emendatio, ac proindè cum ſit emendatus, ceſſat obligatio illum denunciandi. Ita ſentiunt præ aliis Sotus *lib. 3. de juſt. quæſt. 5.* Freitas *de confeſ. ſollic. quæſt. 3. num. 34.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 9. pun. 10. num. 1.*

Id tamen limitandum eſt primò, ſi crimen ſit emendatum, & fuit occultum, & nulla illius præceſſit infamia, neque recidivum prudentis arbitrio timeri poſſit. Secundò niſi à judice interrogatus fueris juridice. Tunc enim, ut teſtis, teneris verum reſpondere, ſi criminis illius præceſſit infamia, vel probatio aliqua in Judicio. Secus autem ſi crimen ſit omnino occultum, & emendatum. Tum enim non teneris dicere. Quia Judex non procedit juridice. Tertiò. Niſi ex mandato Inquiſitoris aliud non conſtet. Ipſi enim ad punitionem delicti commiſſi, & in aliorum exemplum, & coercitionem imperare poſſunt. ut delicta jam emendata ſibi manifeſtentur. Quia denunciatio, & Inquiſitio contra hujuſmodi delinquentes judicialiter fieri debet, nec ſolum inſtituitur ad emendationem delinquentis, ſed etiam ad pœnam, ut tam ipſi, quàm cæteri formidine pœnæ à tali crimine in poſterum retrahantur; Qua de re etiam in Conſult. de abuſu Sacramenti pœnitentiæ.

Ad cognoſcendum autem quando quis cenſeatur emendatus, id eſt obſervandum. Si agitur de formali hæretico, difficillimè exiſtimari poteſt verè emendatus; ſemper enim juſtè ac rationabiliter dubitare poſſumus, an revera ſit emendatus. Sunt namque hæretici admodum ſubdoli, ut conceptam ſemel hæreſim, difficillimè detegentur, ac deſerant. Et ideò, quamvis emendari videantur, denunciandi ſunt ſemper Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis.

Si verò agitur de iis, qui ſunt de hæreſi tantum ſuſpecti diſcrepant Doctores. Nam aliqui exiſtimant, confeſſionem Sacramentalem probare aliquem eſſe emendatum, alii putant, quod poſſit præſumi emendatum, ſi talis delinquens conſequutus fuerit Jubileum. Quamplures cenſent, quod ſi multi ſint anni elapſi poſt commiſſum crimen, & credatur veriſimiliter delinquentem eſſe emendatum, non erit ipſe denunciandus. Communis ferè ſententia tres annos exigit ad emendationem delinquentis præſumendam. Ego tamen cenſeo, hoc tempus arbitrio prudentis viri remittendum eſſe, qui perpenſa qualitate perſonæ, id totum maturè judicabit. Hoc certum non cadere facilius eſt, quam poſt caſum reſurgere, Ac is poteſt videri ſatis emendatus, qui in odium eorum, in quibus erraverat, ipſe converſus eſt. Quare ſemper denunciandus eſt.

In dubio verò, an delinquens ſit emendatus, vel recidivus, eſt omninò denunciandus, maximè, ſi crimen eſt aliis nociturum, ut ſunt maleficia ſuperſtitioſa. Quia multi emendationem fingunt, cum revera emendati non ſint. In dubio quippe magis conſulendum eſt bono publico, vel bono innocentis, cujus melior eſt conditio, quam bono privati, & nocentis, ut per Petrum Navarram *de reſtit. cap. 4. à verſ. 186.* Sayrum *lib. 11. cap. 4. num. 5.* & Fagundez. *in 2. præcep. Eccleſ. lib. 6. cap. 4. num. 17.*

Filius verò tenetur denunciare Patrem, & Matrem, & Pater & Mater, Filium, & Uxor Virum, & Vir Uxorem, & Frater Fratrem de commiſſo maleficio, de hæreſi, ac de hæreſis ſuſpicione. De Filio id probatur, tum *ex cap. 13. Deuteron.* ubi annotat

Cajetanus, quod non ſit mentio de filio in ordine ad patrem, vel quia non præſumitur ejuſmodi ſcelus ſuaſionis in patre in ordine ad filium, vel quia in Lege non miſerendi filio includitur etiam Lex non miſerendi patri. Et quamvis magis ſit obligatus filius patri, quam pater filio, magis tamen pater diligit filium, quam filius patrem. Et ideo dum textus, ille præcipit, non eſſe miſerendum filio hæretico, ſeù idololatræ à patre, ſimiliter non eſt miſerendum in eodem crimine patri à filio. Et valet conſequentia, dum plus amat filium pater, quam patrem filius. Tum ex *Matth*. 10. *v*. 30. ubi Chriſtus Dominus ait: *Qui honorat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus*. Tum quia quilibet magis obedire debet Deo, quam Parentibus *cap. relatum de ſent. excom. & can. quiſque metu* 9. *q*. 3. & tum quia poteſt filius impune occidere patrem hoſtem Patriæ, vel Reipublicæ *l. minime ff. de relig. & ſumpt. funer.* Ergò multò magis poterit denunciare patrem hæreticum hoſtem Dei, Fidei Chriſtianæ, bonique communis. Atque ita docent Pegna *in direct*, *p*. 2. *cap*. 14. *com*. 15. *ſub. litt. B*. Param. *de orig. S. offic. lib*. 3. *q* 8. *num*. 38. Suarez. *de fide diſp*. 20. *ſect*. 4. *num*. 21. Zech, *de caſib. reſer. cap*. 2. *num* 2. Farinac. *de hæres. q*. 197. *num*. 40 Sanctarel. *eodem argum. cap*. 9. *num*. 14. Caren. *p*. 2. *tit*. 9. §. 3. *num*. 10. Diana *p*. 5. *tr*. 9. *reſol*. 9. & alii.

Ex quibus reſpondetur Abulenſi *in d. Cap*. 13. *Deuter*. & Simanch *de inſtit. cath. tit* 29. *num*. 35. dum aſſerunt quod filius naturali jure tenetur ſemper colere, ac revereri Parentes, atque adeo non poteſt illos accuſare, vel denunciare, Ac opinioni Alenſis *p*. 3. *q*. 23. *membr*. 4. *art*. 2. *in fine*, Lupi *in cap. per veſtras de donat. inter vir. & uxor. num*. 75. & Caſtri *lib*. 2. *de juſt. pun. hæret. cap. ult*. qui demum affirmant, filium tunc teneri patrem idololatram, aut hæreticum occultum denunciare quando pater alios falſa doctrina corrumpit, aut à vera Dei religione ſtudet avertere, non tamen quando ſibi ſoli nocet ea ducti ratione, quia citata Lex *Deuter* 13. conſtituit, ut pater prodat filium impium, idololatriam ſuadentem aliis. Ergo eadem ratione filius patrem debet prodere, quando alios à fide avertit. Nam idem jus eſt filii in patrem, quod eſt patris in filium. Tuncque præſumere etiam debet filius, patrem non ſolum ſibi, ſed aliis nociturum, quia hæreſis ſerpit, ut cancer, ſicut admonet D. Paulus *ad Timoth*. 2. eſt peſtis, ac lues fidei. Cyprian. *de unit. Eccleſ*. Auguſtin. *Epiſt*. 56. Vincent. Lerinenſis *in commonit*. ac peſtiferum venenum, ut notat Azor. *p*. 3. *lib*. 2. *cap*. 2. *q*. 13. & Doctores communiter. Unde hæreticos Aſpides appellant Epiphan. *hæres*. 30. Bærones *hæres*. 40. Baſiliſcos Ignatius *Ep. ad Antiochen*. Canes Rabidos *idem ibidem*. Cantharides Epiph. *hæres*. 79. Colubres Caſſianus 7. *de incarn. cap* 2. Dracones S. Ignat. *ſupra* Hydras Ambroſ. 5. *de fide cap*. 4. Epiph. *hær*. 30. Scorpiones Tertul. *in Scorp*. Epiph. *hæres*. 31. & 58. Viperas Epiph. *hær*. 28.

Nec filius Patrem denuncians privatur bonis paternis, neque punitur pœnis à jure ſtatutis in filios ac nepotes hæreticorum, neque infamiam incurrit, imò potius honore afficitur, ut per Caſtr. *loc. tit. cap*. 26. Royas *ſing*. 3. *num*. 30. Pegnam, & Carenam *locis allegatis*.

Et propter eaſdem rationes tenetur pater denunciare filium. Lex enim Deuter, *cit. cap*. 13. decernit, ut pater non occultet filium veræ Fidei contemptorem, Ac ità docent Cajetanus *ibidem*, Pegna *d. com*. 15. Caſtr. *d. cap. ult*. Royas *d. ſing*. 3. *num*. 29. *& ſeq. & ſing*. 12. *num*. 1. Zechius. *in Sum. tit. de fide rubr. de hæreſi, cap*. 9. *num*. 12. Suarez *d. num*. 21 & Farinac. *d. q*. 197. *num*. 4.

De uxore autem, ac viro ſunt qui negant. Quia ſunt duo in carne una & reputantur una eademque perſona. Undè ſicut nemo tenetur denuntiare ſeipſum, ut alibi probabitur, ita neque tenetur uxor, ac vir inter ſe ſic conjuncti alterutrum denunciare, Ita opinari videntur Cantera *in quæſt crimin. rubr. de hæret. cap*. 1. *num*. 22. Riccius. *p*. 3. *dec*. 279. *num*. 8. Joannes Valerus *de differ. utriuſque fori. v. hæreſis num*. 4.

At verius eſt id locum habere in aliis criminibus, ac delictis, non autem in hæreſi, quapropter etiamſi maritus non dogmatizaret, adhuc eſſe ab uxore denunciandus, & ſimiliter uxor à viro, ut docent Suarez *de fid. d. diſp*. 20. *ſect*. 4. *num*. 22. Farinacc. *de hæres. d. q*. 197. *num*. 4. Maſcard. *de probat. concluſ*. 357. Bonacin. *tom*. 1. *tr. de onere denunc. diſp*. 6. *pun*. 1. §. 3. *num*. 6. Sanctarell. *de hæres. cap*. 9. *num*. 15. Diana. *p*. 5. *tr*. 9. *reſol*. 8. *& p*. 1. *tr* 4. *reſol*. 5. Bordon. *tom*. 1. *cap*. 31. *num*. 14. Delbene *de Offic. Inquiſ. p*. 1. *dub*. 19. *num*. 17. Carena *p*. 2. *tit*. 9. §. 3. *num*. 10. & alii, quos ipſi citant. Nam *hæreſis*, ut ait Felix Papa, *Ep*. 1. *ad Paternum* Epiſcopum, *eſt nimis impia, Evangelicæ veritatis inimica, & Chriſtianæ Religionis fundamenta conatur convellere, & quoſcumque rapit ad ſe, non ſolum in hoc vitium, ſed in alia multa ruere facit*. Et Chriſtus dixit Diſcipulis ſuis *Matth*. 19. *v*. 29. *& Luca* 18, *v. item*. 29. *Qui reliquerit Domum, vel Fratres, aut Sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut Uxorem, aut Filios propter Nomen meum, Vitam æternam poſſidebit*. Quandoquidem Serpens Evam ſeduxit, Eva ſuum Virum. Et ut Vermis in ligno, ſic virum perdit improba mulier. *Proverb*. 5. uxoriſque crimen celans, turpitudinis eſt patronus, Chryſoſtom. Leonid. 33. *in Matth*. Nec matrimonium eſt vinculum iniquitatis. Vir & Uxor ſunt quidem una Caro, ſed in Chriſto, & in Eccleſia: Hæretici autem non ſunt in Chriſto, neque in Eccleſia.

Et quidem in hoc crimine Læſæ Majeſtatis Divinæ puniendo, inſtar humanæ ob ejus atrocitatem omnes fere perſonæ in accuſationem, & teſtimonium admittuntur, ut detegatur citius & facilius, & ut celerius vindicetur, nulla pietatis, vel ſexus, vel conditionis inhibita diſtinctione, Modeſt. *in l. famoſi* 7. *& l. ſeq. ff. ad leg. Jul. majeſt. arg. l. mulierem* 11. *ff. de accuſ*. Et proinde Filii adverſus Patrem accuſatio in jus admittitur, & adverſus Dominum ſervi. Quare Filii Sereni, qui Tiberio paravetar inſidias, accuſationes receptæ ſunt. Corn. Tacit. *lib*. 4. *Annal*. & Sciſmas filius Datamis maximus natu à Patre deſcivit, & ad regem Artaxerxem tranſiit, & de defectione Patris detulit. Æmil. Prob. *in vita Datamus* Familiares quoque, Domeſtici in aliis criminibus ſi deferant, puniendi, in hoc admittuntur *l. penult. C. qui accuſ. non poſ*. Fulvia Lucii Catilinæ conjurationem detexit. Pap. *l. in quæſtionibus ff. ad Leg. Jul. majeſt*. Socii quoque criminum admittuntur, ſi antequam cognita ſit conjuratio, eam primi detegant, quinimo & ſe, & alios detegentes, veniam accipiunt *l. quiſquis. §. fin. C. eodem*. Sed ſi non probaverint detectum crimen, quæſtioni ſubjiciuntur, ut palam fiat, qua mente, quove impellente accuſaverint, neque adverſus ſtatutam in hoc caſu quæſtionem, dignitatem, vel Privilegium objicere poſſunt *l*. 3. *& 4. eodem* Siquidem hæc vindicta exigit ſolertiam, & celeritatem, nè ſi detegatur hæreticis, vel conſpirantibus judicium aufugiant, vel perniciem accelerent,

Non denuncians autem hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi quando tenetur, aliqui opinantur, quod incurrit ſuſpicionem violentam de hæreſi, ut refert

Care-

Carena *d. p. 2. tit. 9. §. 9. n. 43.* Quam opinionem nimis rigoroſam ipſe exiſtimat cum Pegna, Simancha, & Roya. Poſſet tamen id locum habere quando præter non denunciationẽ nimia familiaritas adeſſet inter hæreticum, & non denunciantem. Tunc enim contra non denunciantem oriri poterit ſuſpicio, ſeu præſumptio violenta. Quod aſſerunt Alphonſus Alvarez *in Theſaur. Chriſt. Relig. tit. de hæret. n. 9.* & Royas alios allegans *ſingul. 5. n. 18.* At Zechius *in ſum. rom. 1. tit. de fide rubr. de hæret. cap. 9. num. 5.* putat ſuſpicionem hanc eſſe vehementem. Quod tunc locum ſibi vindicare affirmat Pegna *in direct. p. 2. com. 81. litt. D.* Quando nulla adeſt cauſa non revelandi, vel ſi in Iudicio interrogatus eum ſcienter celaret juxta Doctrinam Zanchini *de hæret. cap. 5. num. 4.*

Ego vero puto cum Carena *loco cit. n. 44.* & Duardo in Bulla Cœnæ *lib. 2. can. 1. q. 33. concl. 1. n. 17.* hujuſmodi nõ denunciantes regulariter eſſe tantũ ſuſpectos de levi, quia ut plurimum denunciare omittunt non in defenſionem hæreſis, ſed ex Amicitia, vel alia de cauſa. Et ita etiam ait Bordon. *tom. 1. de denunciand. cap. 31. n. 23.* Qui etiam idem affirmant de Filio, & Uxore, eo quod terribilitas Patris, vel viri à denunciationis obligatione excuſaret. Id, quod in ſpecie docent Pegna *d. p. 2. com. 78. vers. at non videtur*, Scaccia *de Judic. lib. 1. cap. 56. n. 4.* Farinac. *d. q. 197. n. 53.* Unde ſi quis omitteret denunciare ob metum cadentem in conſtantẽ virum nullo modo eſſet de hæreſi ſuſpectus, ut per Sanctarel. *de hæret. cap. 9. n. 16.* Farinac. *ibid* & Carenam *n. 45.* Et excuſatur quiſpiam à denunciatione ſi metus ſit cadens in conſtantem virum cum probabili periculo mortis, vel infamiæ, vel alterius damni gravis proprii. Quia ſecundum communem ſententiam metus cadens in Cõſtantem virum excuſat ab obſervatione Legis poſitivæ, & humanæ, ut docent D. Thom. *2. 2. q. 147. ar. 3. ad 2.* Sot. *lib. 7. de juſt. q. 2. ar. 1. ad 2.* Sylveſt. *v. metus q. 7.* Sanctarel. *d. n. 16.* Homobon. *de Caſib. reſer. p. 2. num. 1.* Peyrin. *tom. 2. Conſtit. 4. Gregorii XV. §. 9. n. 28.* & Diana *p. 5. tr. 9. reſol. 12. & p. 1. tr. 4. reſol. 7.* Id autem aliaque hujuſmodi intelligenda ſunt juxta diſtinctionem, quam tradidi in memorata conſult. de abuſu Sacramenti Pœnitentiæ, quod ſcilicet non teneatur hic denunciare ex Jure poſitivo, ſecus ex Jure Divino.

Idemque dicendum, ſi quis nõ ſuum grave damnum, ſed filiorum timeret. Quia pater, & filii cenſentur una Perſona *l. ul. C. de impub.* & ſimiliter ſi Filius timeret grave damnum Patris, vel Matris, ob eandẽ rationem, ut expreſſe docent Oſtien. *in cap. Cum bonum de ſponſali.* Ibique Innoc. *num 1.* Butr. *num. 10.* Joan Andr. *n. 2.* Anchar. *n. 20.* traditque Sanch. *de Matr. lib. 4. diſp. 4. n. 5.* cum aliis, quos ipſe adducit. Vel ſi Uxor timeret grave damnum ſui Viri, vel Vir ſuæ Uxoris. Quia Vir, & Uxor ſunt una Caro, ut per D Thom. *in 4. dec. 29, q. un. ar. 2. ad 2.* D. Antonin. *3. p. tit. 1. cap. 7.* & alii apud Sanch. *loc. cit. n. 3.* ac Diana *d. reſol. 1. 2. & 7.* Vel ſi timeatur grave damnum Fratris, vel alterius Conſanguinei, cum ſit à Natura inſitus amor inter Fratres, & Conſanguineos, tanquam ex eodem ſanguine derivatos, ut probat Sanchez *ibidem num. 8.* Vel ſi timeatur grave damnum Perſonæ affinis ex matrimonio, nã hujuſmodi Affines ſunt veluti proprii conſanguinei, cum ſint conſanguinei alterius Conjugis, & Conjuges ſint veluti una Caro, ut per Menoh. *de arbitr. lib. 2. Cent. 2. cas. 135. n. 18.* Præpoſit. *in cap. fin. de appel. & Sanch. n. 11.* Vel ſi malum grave eſſet comminatum alicui arctiſſimo vinculo amicitiæ cunjuncto: nam ut inquit Ariſtoteles *lib. 9. Eth. cap. 4.* Amicus ſe debet habere ad Amicum, tanquam ad ſe ipſum, quia Amicus eſt alter ipſe. Et D. Auguſt. *lib. 4. Confeſ. cap. 6.* & Horat. *lib. 1. od. 3.* vocant Amicum dimidium animæ Amici, idemque Ariſtoteles *2. rethor. cap. 4.* Amicos eſſe animam unam in duobus Corporibus habitantem, & Hyeronimus *in Matth.* ſit Amicus eadem Anima, & juxta Valmax *lib. 4.* Amicitiæ vinculum nulla ex parte ſanguinis Viribus inferius eſt. Cur autem amicitiæ affectio tantam vim habeat, illud in cauſa, quod conſilio & voluntate ſuſcepta eſt. Nam quæ à voluntate non pendent, in naturali ſunt affectione devincta. Voluntaria verò arctiore vinculo ſunt adſtricta, quod rationis, & voluntatis facultas Animæ natura ſuperior eſt, & uni, omnia ad unum redigenti, propinquior.

Verùm quamvis fatear ex amore non ficto, & efficaci id conſequatur, tamen ea beneficentia non eſt Amicitiæ interna & eſſentialis ex Amicitiæ definitione, quam ex Tullio refert, & laudat Auguſtinus *Epiſt. 155.* in hæc verba. *Amicitia eſt rerum humanarum, & Divinarum cum benevolentia, & charitate conſenſio.* Ex qua definitione infert Auguſtinus amicitiam fideli, cujuſmodi ipſe erat, cum infideli, qualis ad eam diem fuerat Marcian. ad quem eam Epiſtolam dirigit, intercedere vere, ac proprie non poſſe, quod deſit utrinque communis rei in omnibus præcipue, nempe Dei, ac veræ pietatis, & Religionis, quam fontem amicitiæ vocat Philo *lib. de fortitudine.* Et quod Ariſtoteles *8. Eth. cap. 3.* nec ſemel alias, ſimpliciter Amicitiam inter improbos videtur agnoſcere, intellige in ſpeciem, nam reipſa inter improbos non poteſt eſſe vera Amicitia, cum jucundo tantùm, aut utili, & quidem contra rationem nitatur. Plato ſane, ut eſt apud Apuleium *lib. de Philoſophia*, amicitias voluptate nixas, quæ eſt magna pars amicitiarum inter improbos, vocavit *calamitates Animarum*, negavitque eſſe Amicitias, Stoicis item frequens eſt, nomen ac decus amicitiæ hujuſmodi fœderationibus abrogare, ut late refert Lipſius *3. manud. diſſ. 16.* quod confirmat Diu Chryſoſtomus *orat. 74.*

Non ſic bonorum amicitiæ, fundamento virtutis ſubnixæ. Audi Ariſtotelem *capite illo 3. Bonorum verò, & eorum, qui in virtute ſunt ſimiles amicitia perfecta demum eſt. Hi enim mutuo ſibi bona ſimiliter volunt, quatenus ſunt boni, boni autem ſunt per ſe. At qui amicis bona volunt ipſorum cauſa, maxime amici ſunt, quippe cùm per ſe ita ſe ſe habeant & non ex accidenti. Unde horum amicitia præcipuè permanet quoad boni fuerint Virtus verò ſtabilis res eſt, eſtque uterque abſolute bonus,* & *Amicus. Nam boni, & abſolutè, & ſibi mutuo boni ſunt.*

Prætereà quod ex Catilina tradit D. Hyeronymus *in apolog. adverſus Ruffi.* amicitiam maxime fovet, ac firmat, unum credere ac ſentire, & quod inde ſequitur idem velle ac nolle. Inculcat hoc fundandæ amicitiæ medium idem Hieronymus *Ep. 8.* tamquam ſententiam ſecularem, id eſt ab externo ſcriptore Saluſtio proditam, ex quo etiam eam refert S. Auguſtinus. *ſer. 46. de temp.* & Sidonius *l. 5, Epiſt. 3.* & fuiſſe prudentiſſimorum Virorum ſententiam obſervat etiam Caſſianus *collat. 16. cap. 28.* Quod Muſonius *lib. de Nuptiarum ſcopo* egregiè oſtendit. *Quomodo*, inquit, *concordes inter ſe fuerint homines improbi? vel quo pacto bonus cum malo conſentiet? Nihilo certè magis, quam ligno recto cum incurvo aut duobus curvis inter ſe conveniet. Nam curvum; ſimili ſuo adaptari non poteſt, è contrario nempe recto longe minus. Itaque malus etiam malo nec amicus eſſe, neque conſentire poteſt, & multo minus homini bono. Et ſicuti ait Apoſtolus ad Corinth. cap. 6. v. 12. Quæ participatio Juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras. Quæ autem conjunctio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fidelis cum infideli? Quis autem conſenſus Templi Dei cum Idolis?*

Multæ quidem amicitiæ, ut per ſe patet, vitioſæ ac inhoneſtiſſimæ ſunt, veræque amicitiæ nomine indignæ

juxta illud Petri Bleſenſis *lib. de amicitia cap. 5. Amicitia oritur conſervatur, atque perficitur inter eos dumtaxat, qui ſobrii, piè, & juſtè vivunt in hoc ſæculo, nihil inhoneſtum volentes petere, aut præſtare, nihil agere, ſeu conſulere, aut conſentire, quod diſplicere Deo, vel in Animæ diſcrimen, vel in commune incommodum ſentiunt redundare. Erubeſcant nomen veræ Amicitiæ profiteri, qui eam aſſenſu vitiorum, & conniventia contaminant, & honeſtatis vocabulo abutentes, mutua gloriam Amicitiæ, ſibi ſacrilega præſumptione uſurpant.* Porro *qui non amat, amicus non eſt. Ille autem non amat, qui amat iniquitatem. Imò illam procul dubio odit animam, cujus amat iniquitatem, & ita neque alterius amat animam neque ſuam.* Quod ſumpſit ex D. Ambroſio 3. *offic. c.* 16. & ex D. Auguſtino *lib. de Amicitia cap.* 2.

Sed demus tandem inter eos intercedere poſſe veram amicitiam, neque enim novum eſt, ut virtutes habeant vitia affinia, & ejuſdem nominis tenentur tamen adhibere correctionem, quod quidem in hac re omnibus ſupra enumeratis utile, ac neceſſarium eſt. Non enim cum amicitia vel conſangninitate pugnat amicorum, & conſanguineorum correctio, quamvis externa ſpecie videatur offenſionis aliquid, & acerbitatis præferre. Quod præclarè his verbis tradit Div Chriſoſt. *orat.* 78. *in fine*, agens de Philoſopho: *eſt unicuique benevolentior, quàm Pater, quàm Fratres, quàm Amici. Quin etiam ſuis Civibus, & Amicis, & conſanguineis reverentiam quidem exhibet, ſed nihil abſcondit, ſed tanto magis, quanto Familiatiores, ſibi, atque neceſſariores ducit. Et quantum fieri poteſt, intendit ſermones, vehementioremque admenitionem, adhortationemque & ſibi. & illis affert. Neque enim Medicus, cui ſit neceſſe Patrem, aut Matrem, aut Liberos curare ægrotantes, aut etiam ſe ipſum propter aliorum Medicorum penuriam, atque abſentiam, ſecare, aut urere eo quod Liberos amet, & Patrem, Matremque revereatur hebetiore ſecabit ferro, neque tipidiori igne uret, ſed contra quantum fieri poteſt valenti, at vigenti:* Et mox in eandem ſententiam: *Corrupto enim, & ægrotante corpore, multo pejor eſt Anima corrupta. Hic morbus, atque hæc affectio difficilior eſt, quam Herculis, multoque majore, atque clariore indiget incendio. Ad cujus medelam, atque liberationem abſque excuſatione hortari convenit & Patrem, & Filium, & Cognatum, & alienum, & Civem, hoſpitemque.*

Quomodo autem unuquiſque abſtringatur Legibus charitatis ad correctionem exhibendam, egregiè tradit D. Chriſoſtomus *hom.* 24. *in Geneſ.* agens de Lothi in hoſpites chatitate. Idem *tom.* 5. *ſerm.* 13. qui eſt de ferenda reprehenſione, & *homil.* 44. in 1. *ad Cor.* ubi excuſationes quaſdam, quas in contrarium refert *vocat ſtultas Voces & Ferarum, imò verò Demonum potius*, Deque ejuſdem admittendæ neceſſitate diſputat præclare Gregorius Niſſenus *orat. de ferend. reprehens.* & Clemens Alexandrinus 1. *pedagog, cap.* 9. Obſervans ex Platone, eum, qui deterior effectus eſt in eam voraginem idcitcò prolapſum, quod correctiones primo adhibitas flocci ſecerit. Luculenter quoque in hanc rem Dio *orat.* 32. At ego nihil uſpiam luculentius in hanc ſententiam legere memini, quam apud Galenum *lib. de curandis: cognoſcendiſque Animi affectibus.* Eo remitto Lectorem.

Ut autem facilius admittatur neceſſarium ægro pharmacum, legi poſſunt nonnulla de correctionis Amico impendendæ ratione, ac forma, quod ob aſperitatem aliquam hujus remedii multum depoſcat prudentiá, & indè plerumque pendeat correctionis admiſſio, vel rejectio apud Auguſt. *lib. de amicitia cap.* 17. & Ambroſium 3. *Offic. cap.* 16. Poleſenſem *lib. item de amicit. cap.* 11. quod opus alii Caſſiodoro adſcribunt, ubi rectè ſubjicit non prorſus ſeper ablegandam à correctione diſſimulationem, ut oportuna ſit, & fructum ſuum conſequatur. Quarè ſuma prudentia in correctionis adhibendæ circumſtantiis obſervandis tenenda eſt, quam item depoſcit S. Auguſtinus *Ep.* 64. negans, *aſpere, duriter, imperioſo modo* corrigendum, qui delinquit, ſed cum mititate, & charitate. Neque tamen idcirco laxam, & enervem correctionem poſtulat. Suffragatur D. Chryſoſtomus latè in hanc rem diſputans, & corrigendi formam præſcribens *d. homil.* 44. *in* 1. *ad Cor.* Itemque initio Homiliæ *de nomine Abram*, aſperitatem dulcedini admiſtam in hoc erga lapſos officio cōmendans, ajenſque admonitionem imiſericordem eſſe torturam quādam, ſicutè contra admonitio tantum mellita, aeris mera verberatio eſt. Itaque concludit intermiſcendam, aut prudenter ſubjiciendam aſperitati lenitatem juxta, Monitum Apoſtoli, *Argue, obſecra, increpata*. Neq; enim hoc ſemper ſolum agere oportet, neque ſemper illud ſolum, ſed utrumque alternis vicibus, quo major inde ſequatur utilitas. Nam ſi ſemper argueremus, impudentiores illi fierent. Si ſemper obſecraremus ignaviores redderentur. Quapropter, & Medici non ſolum ſecant, ſed & vulnera obligant. Neq; ſemper amara, ſed nunquam, & levia pharmaca infundunt, ut per priora purificētur ſanies, & putredo, per poſteriora autem mitigetur dolor Et idcirco ut alibi inquit Paulus, Fratres, ſi præocupatus fuerit homo iu aliquo delicto, *Vos, qui ſpirituales eſtis, corripite illum.* Singula hujus loci verba, magnis in hanc rem Sacramentis facta eſſe, accuratè monſtrat, quod tamen tantæ ſit operæ in negotio adeò lubrico omnia exactè ſervare, & nulla ex parte deficere, merito condonandum eſt, ſi quando intentus in Amici curationem amicus zelus aliquantiſper prætergrediatur debitos fines, & ſecanti alienum defectum incaute ferrum excidat è manubrio juxta pulchram ad id D. Gregorii allegoriam *lib,* 10. *moral. cap.* 9. & Bleſſenſi *Epiſtolam* 24. inter Ethnicos, verò circa correctionis formam præclarè philoſophatur Themiſtius *orat.* 3:

Quamvis autem amica correctio inculcanda crebro ſit juxta illud Senecæ *ep.* 27 *in fine. Nunquam nimis dicitur, quod nunquam ſatis dicitur.* Quibuſdam remedia monſtranda, quibusdam inculcanda ſunt. Quò item ſpectat gravis omnino S. Chriſoſtomi admonitio *homil.* 41 *in Geneſ* ut nunquam fatigemur in impēdenda correctione, & ſimilis, quam ad idem inſtitutum texit Nazianzenus *orat.* 26. *n.* 53. Tamen rectè idem Seneca *lib.* 5. *de beneſic. cap.* 22. ſtatuit, ſi ſpes fructus ex correctionis uſu non alluceat, dimittendam eſſe. Idem *ait ep.* 29. Quandiu tamen homo eſt ſanabilis, non eſt patiendus perire admonitione ſublata, ut idem Seneca *d. lib.* 5. *de benef. capite illo* 22. benè notat, & pulchrè confirmat D. Auguſtinus *Epiſt.* 50. Fruſtra, verò, ac perversè obtendi metum diſplicendi, & inurendū ex amica correctione dolorem, rectè tradit Div Chryſoſtomus *orat.* 33. arguens Philoſophos loquentes placentia, à quibus longè abfuiſſe Socratem docet. Neque eſt hæc ſeveritas, ſed charitas. & pietas. *Quid enim*, inquit S. Auguſtinus, *ſer.* 15. *de Verb. Dom. tam pius, quam medicus ferens ferramentum? Plorat ſecandus, & ſecatur, plorat urendus & uritur. Sævit in vulnus, ut homo ſanetur; non eſt illa crudelitas. Abſit, ut ſævitia Medici dicatur; quia ſi vulnus palpetur, homo perditur.* Pulchrè idem Auguſtinus *tr.* 7. *in Joan.* ubi concludit, Amor ſævit, Charitas ſævit. Sævit, quomodo? ſine felle, *more columbino, non corvino* At de his actenus. Cum in aliis criminibus ſervari poſſunt, ac debent: At Tu mi Lector in criminibus ad S. Officium ſpectantibus, tene mordicus, quod ſupradixi de correctione fraterna.

Omittens verò denunciare ſuſpectos de hæreſi non incurrit hæreſis ſuſpicionem, quamvis puniri poſſit pœnis ſtatutis in edictis Inquiſitorum. Quia præſumptio non oritur ex præſumptione, neq; ſuſpicio ex ſuſpicione, ut per Carenam *n.* 46. & Bordonū *ubi ſupra n.* 24

Deniq; excuſatur à denunciatione, qui timet probabiliter honoris jacturam, vel infamiam Juris, aut facti, cui nō facile occuri poſſit. Quia gravior eſt jactura honoris ipſa morte, & timor Infamiæ æquiparatur metui mortis

l. juſta

l. juſta ff. de manum. vind. Sanchez *de Matr. d. lib.4.diſp. 5. nu.* 11. Acugna *q.* 19. *n.* 9. *&* 10. Peyrin. *tom.* 2. *in Conſtit.* 4. *Gregorii XV.* *§.* 8. *alias* 9. *n.* 29. *& ſeq* Cavendum tamen eſt, ne trepidetur timore ubi non eſt timor, & ſuadendum non eſt alicui, eſſe inhoneſtum cõparere coram Inquiſitoribus pro Catholicæ fidei defenſione ad denunciandum ejuſmodi delinquentes.

Tenemur autem denunciare hujuſmodi delinquentes, etiamſi poſt patratum delictum ſtatim pœnituerint. Nã hujuſmodi pœnitentia non tollit obligationem ex parte ejus, qui denuntiare tenetur, neq; in delictis ſpectatur voluntas perſeverandi in illis, aut ſubita retractio, ſed voluntas deliberata in illis agendis. Et Conſtitutio, ac edicta Inquiſitorum ſimpliciter obligant ad denunciandum, nec excipiunt hunc caſum, alias denunciatio nunquam locum haberet, quia omnes delinquentes poſt crimen commiſſum pœnitentiæ ſignum ſtatim exhiberent ad evitandum periculum denunciationis, & ſequentes pœnas. Quod etiam tradunt Bonac. *p.* 3. *de denunc. n.* 9. Trimanch. *diſp.* 12. *pet.* 1. *nu.* 28. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 31. *n.* 9. aliique.

Si verò delinquens fuit denunciatus ab alio de eodem crimine, & pœna debita delicto, fuit punitus, non eſt amplius denunciandus. Quia nemo judicatur bis in idipſum, *can. ſunt* 24. *d.* 3. *de pœnit.*, ſi autem denunciatus non fuit per ſententiam judicatus, ſciens, illius delictum, tenetur illum denunciare, ut judicium poſſit ſortiri ſuum effectum. Ita Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 92. Simanch. *de Cath. Inſtit. tit.* 18. *num.* 12. & alii.

Similiter ſi reus condemnatus fuit in pœnam extraordinariam ob defectum probationis, ſciens ejus delictum, tenetur denunciare, ut judicium debitum ſortiatur effectum. Nam ut ait Souſa *aphor. inquiſ. lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 8. condemnatus propter hæreſim aut ob illius ſuſpicionem in pœnam extraordinariam defectu probationis, ſi plena probatio ſupervenerit puniri debet pœna ordinaria, dummodo prima pœna adimpleta non fuerit; ſi autem adimpleta fuerit, compenſetur in ſecunda.

Si autem reus crimen commiſerit etiam quatuor, aut quinque, & à duobus, vel tribus denunciatus fuerit, ſciens eum fuiſſe ab his denunciatum, non tenetur ipſe denunciare, quia talis reus plenè condemnari & puniri poteſt. Secus verò dicendum de ſollicitantibus in cõfeſſione Nam ſingulæ perſonæ ſollicitatæ neceſſario ſemper tenentur denuntiare, non obſtante aliorum denuntiatione. Quia ſicut augentur ſollicitationes, ita & pœna ſollicitantium, ut notat Bordonus *loc. cit. n.* 10. Inſuper non tenetur quis denuntiare reum de crimine jam denunciato, quando ille in tortura non confeſſus fuit abſolutus; quia tunc ſine dubio indicia per torturam fuerunt purgata, & ſublata; nullam que vim habent, & propterea cunjungi non poſſunt cum aliis indiciis, aut probationibus ſupervenientibus, ut per Farinac. *in addit. poſt lib.* 3. *conſ. q.* 4. *n.* 26. qui affirmat ſic in facto judicaſſe, & judicatum communiter vidiſſe; ſecus vero ait, ſi tortura non fuit illata, & reus fuit abſolutus ex eo quod quæ in judicium contra ipſum deducta erant, non ſufficiebant ad condemnandum. Tunc imperfecta probatio primæ Inſtantiæ cunjungitur cum ſuperveniente probatione ſecundum veram, communem, ac uſu receptam ſententiam, & conſequenter ſciens illius rei delictum tenetur illud denunciare.

An autem accuſatio reiterari poſſit? Et an, ſaltem ab alio accuſatio de eodem delicto renovari poſſit; Reſpondeo ad primũ de Jure Civili non poteſt accuſatio reiterari ab eodem Accuſatore *ex l. ſi cui §. iiſdem de acc. & l. licet §. ult. ff. Nautæ, Caupones &c.* & tradunt communiter, præſertim Clar. *in prin. & §. ult. q.* 57. *n. &* 5. Tiber. *tom.* 1. *lib* 3. *c.* 30. Thom. Vallaſeo *tom.* 1. *llegat. Var.* 60. *nu.* 2. Quod etiam, & à fortiori ſecundum jus Canonicum, *Can. veniam §. ult.* 35. *q.* 9. *& cap. de his de accuſ.* ubi Gloſ. *v. replicari* Auguſt. *v. accuſatio num.* 7. *q.* 10. Sanch *lib.* 6. *conſil. Moral. cap.* 2. *dub.* 28. *num.* 2.

Unde neque ſecundum conſcientiam reiterari poteſt accuſatio ab eodem Accuſatore. Quia cum accuſatio ſit delatio Criminis in ordine ad vindictam, eſt pars quædam Judicii ſeu prima inchoatio ipſius, & ideo in tantum poteſt Accuſator accuſare, in quantum poteſt intendere juſtam vindictam & inchoare judicium. Ex quo fit quod ſtatim atque accuſavit, extinguatur facultas hujuſmodi accuſandi, quia jam ad ipſum non pertinet amplius de vindicta, cum cauſa ſit facta publici Juris, cui non poteſt ſe immiſcere, atq; quantum ad ipſum pertinebat tranſtulit ad publicum Judicium.

Quod quidem non ſolum verum eſt quando ſententia Judicis eſt ſequuta, quia non debet idem bis de eodem judicari. Quia ſi eſt condemnatoria, jam habuit locum vindicta propter quam ſolam licita eſt accuſatio. Si vero abſolutoria jam eſt purgatum delictum, & ideo ipſo ceſſante, non poteſt locum habere accuſatio, ſed etiam locum haber quando Judex non eſt proſequutus cauſam inceptam per accuſationẽ. Nam tunc præſumendum eſt pro Judice, quod nimirum, ſervatis terminis Juſtitiæ, non potuerit cauſam proſequi.

Si vero conſtet de prævaricatione Judicis, tunc poteſt Accuſator reiterare accuſationem apud alium Judicem, quia prior accuſatio, cum non habuerit ſuum effectum, habetur pro non facta, Et cum Judex abuſus ſit accuſatione, accuſator reſtituitur in integrũ, quia ex malitia Iudicis nec ipſe debet privari effectu, ad quem habet jus non communitas commodo, quod ipſi provenit ex vindicta delictorum, mediante accuſatione, *arg. l.* 3. *ff de prevar.* Nec quo ad forum Conſcientiæ requiritur, quod poſſit docere de prævaricatione Iudicis, ſed ſufficit, quod ſibi de ipſa conſtet. Quod ad forum tamen externum teneretur de ipſa docere.

Hinc à fortiori, ſi ſententiâ ſequutâ delictum condemnatum ſit, multo minus licet reiterare accuſationem, ut adnotat etiam Gloſſa citata. Quia crimina ſemel dimiſſa, iterum in ultionem Divina Clementia venire non patitur *can. Divina clementia de punit. d.* 4. & *can. ſi illic.* 25. *q.* 4. Tunc enim accuſatio eſſet onoroſa, & non poſſet ordinari ad ſuum finem, nempè ad vindictam.

Et ad ſecundum reſpondeo: Regulariter neque ab alio renovari poteſt accuſatio de eodem crimine numero. Nam militat adhuc reſpectu ipſius eadem ratio; quia neque ipſe ordinare poteſt accuſationem ad publicam vindictam, cum non habeat amplius locum; & proindè accuſatio, quæ eſt pars Judicii, tranſit in meram injuriam.

Aliquando tamen poteſt renovari. Et primo quando primus Accuſator prævaricatus eſt, ut docent Gloſſa *in d. cap. de his accuſat. v. replicari*, Sylveſt. *v. accuſatio num.* 7. *q.* 7. & habetur *ex l.* 3. *ff. de prevaric.* & *l. Si quis homicidii C. de accuſ.* Quando enim Accuſator, prævaricatur, tunc quia celat ex parte ipſius accuſatio res reſtituitur in integrum & accuſatio habetur tanquam non facta, unde poteſt alter ſuccedere in locum primi Accuſatoris, & proſequi accuſationem eam innovando, quia ſemper de ſe eſt licita uſque ad ſui complementum, tãquam ordinata ad juſtam vindictam neceſſaria pro bono Communitatis. In foro tamen externo neceſſe eſt, quod doceat. primum accuſatorem fuiſſe prævaricatum. Unde ut in foro externo licita ſit accuſationis innovatio, neceſſe eſt, quod ſecundus Accuſator non ſolum ſciat primum prævaricatum fuiſſe, ſed etiam doceat, quod ſi prævaricatus. Quia ſicut non poteſt quis juſte, ac licite accuſare, quando non poteſt probare, ita nec poteſt licitè renovare accuſationem, quando non poteſt prævaricationem oſtendere, quia ſolum ſtante prævaricatione eſt licita renovatio, ac proindè prævaricatio debet conſtare ut conſtet de Juſtitia renovationis.

Secundò eſt licita renovatio accuſationis, quando

renovans ignorat fuiſſe conſtitutam ab alio *ex l. l. ſi cui ſ. iiſdem ff. de accus.* & docet Gloſſa, & Sylveſter. *loc. cit.* At in hoc caſu non eſt innovatio accuſationis formaliter, ſed tantum materialiter, quia ſtante ignorantia, accuſatio inſtituta reſpectu Accuſantis ſe habet, ut prima, & ideo ignorantia excuſat, non autem facit licitam iterationem accuſationis, quæ de ſe illicita eſt.

Nec poteſt in Conſcientia Judex in tali caſu admittere innovationem accuſationis, ſi ſciat eſſe accuſationem renovatam. Quia talis renovatio ex objecto eſt mala, nec poteſt ordinari ad rectum finem ab ipſo Judice. Et ſicut non poteſt quis renovare accuſationem, quam ſcit jam factam, ita nec Judex illam admittere, quando ſcit, eſſe renovationem accuſationis.

Quod verò ad Imperatorem. Reges, & Cardinales, Carena *part. 2. tit. 9. ſ. 7. numer.* 26 Pacamus *de orig. 5. Inquiſ. lib. 5. quaſt. 5. num. 23. & ſeq.* exiſtimant exemptos non eſſe ab hujuſmodi obligatione, & referunt, quod Imperator Carolus V. juſſit. Joannam ipſius Filiam ab Inquiſitoribus vocari, ut coram ipſis de nonnullis ad fidem ſpectantibus contra quędam, nulla interpoſita, mora, deponeret, ne excommunicationem incurreret, & ſtatim Sereniſſima Joanna depoſuit coram Archiepiſcopo Hiſpalenſi & D. Fernando Valdes tunc Generali Inquiſitore.

At Bardonus *tom 1. cap. 30. de edict. Inquiſ, quaſt.* 60. *num.* 13. ſuſtinet neque Imperatorem, neque Reges, neque Cardinales eſſe edictis Inquiſitorum ſubjectos, quia habent Privilegia, ne ſubjiciantur Conſtitutionibus Pontificus, niſi nominatim exprimantur, ideoque in Conſtitutionibus ſpectantibus ad S. Officium Inquiſitionis, niſi expreſſe nominentur, dicendum eos exemptos eſſe ab obligatione denunciandi, etiam Idololatras & hæreticos.

Ego verò cenſeo non teneri ex vi Conſtitutionum vel edictorum, ſed ex vi ſuæ Dignitatis, qua obſtringuntur cum Juramento defendere fidem catholicam. Alios verò Comites, Marchiones, Duces, Principes, certum eſt teneri ad denunciandum, ſicut & omnes alios tam Nobiles, quam Ignobiles, ac omnes utriuſque ſexus fideles. Pueri verò non niſi poſt annum decimum quartum Juriſdictioni Inquiſitorum ſubjiciuntur, quia tunc plenum rationis uſum habere poſſunt in hac re magni momenti,

Ac ita quidem, ut etiam iis, qui ſunt exempti à Juriſdictione Inquiſitorum, & Epiſcoporum, ſicuti ſunt Archiepiſcopi, Cardinales, Patriarchæ, Nuncii Apoſtolici, & Epiſcopi etiam Titulares, ut per Suarez *de fid. diſp. 4. ſec. 4. num.* 25. Molin. *tom. 5. de juſt. tr. 5. diſp. 27. num.* 19. Simanch. *de Cat. Inſtit. tit. 25. n. 11. & ſeq.* Caſtropal. *par. 1. tr. 4. diſp. 3. pun. 4. n. 18. & 19.* & habetur expreſſe *in cap. Inquiſitores de hæret. in* 6. omnes Officiales Papæ quorum Officium circa negotia Sedis Apoſtolicæ verſatur, ut notant Eymeric. *in direct. par. 3. quaſt.* 26. ibique Pegna *com.* 75. ex Conſtitutione Joannis XXII. denunciandi ſint, ſi horum aliquis ſit hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, quamvis à locorum Ordinariis, & ab Inquiſitoribus judicari non poſſit, ac ſi ab ipſorum juriſdictione exemptus non eſſet. Tum quia talis denunciatio eſt remedium efficax ad impediendum damnum, quod ab hæreſi provenire poteſt. Tum quia ipſi remittent denunciationem ad Sedem Apoſtolicam, quæ ſi firma ſibi videatur, vires ſuas alicui committit inquirendi, ac procedendi contra reum exemptum. Et tum quia Inquiſitores, ac Locorum Ordinarii poteſtatem habent recipiendi depoſitionem Teſtium, ſi qui ſint, qui velint deponere, ut colligitur ex *d. cap. Inquiſitores.* Ergo denuncians, ſaltem vicem Teſtis ſubire poteſt denunciando delictum exempti, & ideo eſt obligatus denunciare, quia Inquiſitor, vel Loci Ordinarius ex denunciatione cauſam inchoare poteſt, etiam ſi illam non poſſit terminare.

Sciens autem ſub ſigillo ſecreti naturalis aliquem eſſe quovis modo hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi, tenetur illum denunciare. Secretum enim naturale cùm reſpiciat bonum Proximi in multis caſibus, in quibus ſecretum vergit in Proximi detrimentó temporale, vel Spirituale, vel in damnum publicum, & commune non obligat, cum Lex naturalis dictet, quod ſicut nolumus ab aliis noceri, ita nec aliis noceamus. Ita in ſpecie Suarez *de fide diſp. 20. ſeſc. 4. nu.* 17. Pegna *par. 2 com.* 18. Farin. *de hæres. d. quaſt. 197. num.* 50. Freitas *in addit. ad tract. de Confer. ſolic. quaſt. 22. num.* 26. Royas *ſing. 3. numer. 23. & ſeq.* Lazar. *de monitor. ſect. 2. quaſt. 16. numero* 6. Bonae. *diſp. 2. qu. 6. part. 1. num.* 7. & Diana *par. 5. tr. 9. reſol. 66. & par. 1. tr. 4. reſol. 24. & alibi,* Delbene *de Offic. Inquis. par. 1. dub. 23. num.* 1. Caſtropal. *par. 1. tr 4. diſp. 9. pun. 10. num.* 5. ex doctrina enim D. Thomæ 2. 2. *q.* 70 *ar.* 2. quem omnes ſequuntur, quilibet, quæ ſibi ſub ſecreto commiſſa ſunt, ſi vergant in damnum publicum, vel etiam Innocentis particularis, tenetur illa revelare. Omnis autem hæreticus, ſive de hæreſi ſuſpectus, quamplurimum vergit in damnum publicum, & privatum, atque adeo eſt denunciandus. Quia lex quæ talem denunciationem præcipit, tanquam fortior, & majoris momenti præferenda eſt legi de ſervando ſecreto naturali.

At ita quidem, ut qui etiam cum juramento promiſit ſervari hujus criminis ſecretum, tenetur quoque illud denunciare per Textum *in cap. non eſt obligatorium de reg. jur. in* 6. non poteſt enim aliquis ſe obligare ad ſervandum ſecretum in detrimentum Catholicæ Fidei, ac Boni Communis cum talis obligatio ſit de re illicita, & contra Jus naturale, & ideo juramentum de non revelando hujusmodi Crimen eſt illicitum, ac irritum, ac proinde non excuſat juratorem à denunciando Ita docent Pegna *in direct. par. 2. com.* 18. Suarez *loc. cit. nu. 16. & 17.* aliique, quos ſequitur Diana *d. par. 5. tr. 9. reſolut. 68. nu 2. & part. 9. tr. 8. Miſcel. 3. reſol.* 46. & in genere tradunt Invoc. *in cap. Qualiter. 1. de accuſ.* Panorm. *in cap. dilectus exces.* Præl. ac Menoch. *de arb. caſ. 315. numer. 4. & de præſumpt. quaſt. 89. numer.* 10. Farinac. *tom. 1. par. cr. q. 51. numer.* 115. Delrius *tom. 3. diſp. mag. libro 6. cap. 1. ſect.* 2. Sayr. *in clau. reg. lib. 12. cap. 14. numer.* 29. Corrad. *in reſp. caſ. conſc. par. quaſt.* 139. Coſta *in tr. de fact. ſcient. & ignor. cent. 2. diſt. 55. numer. 6. tom. 1.* poſt Navar. *in can. ſacerdos de pœnit. dec. 6. numer.* 14. Decian. *tr. cr. tom. 2. libr. 7. cap. 17. num.* 23. Quod intellige ſemper, prævia abſolutione à juramento, ut per Caroc. *tr. de revel. confor. quaſt.* 21. ex Aufrenio ad Tolos. *deciſ.* 240. & ex Menochio *loc. cit.* Præcipuè ſi id in Judicio petatur. Quia fides ſecreti naturalis, ac juramenti non habet vim obligandi contra Jus, nec præjudicium parat judicii, quia poſſit compellere ſubditos, quando neceſſum fuerit,

Secus autem dicendum eſt de ſecreto confeſſionis Sacramentalis. Nam ejus oblatio eſt à Deo, non ſolum ut Auctore Naturæ ſed ut Auctore Gratiæ per Sacramentum Pœnitentiæ. Et ideo nè fiat injuria Sacramento, ita obligat, ut in ullo caſu, ne quidem pro tuenda fide totius orbis, licitum eſt revelare ſecretum Confeſſionis Sacramentalis, ut docent communiter Theologi, nominatim D. Thomas *in. 4. diſt. 21. quaſt. 3. ar. 1.* Sotus *ibid. diſt. 18. quaſt. 4. ar. 5. & de rat. leg. ſecr. membr 3. quaſt.* 4. ubi quod nec Papa, neque tota Eccleſia poteſt diſpenſare, ut reveletur Sigillum confeſſionis, Alex. *part. 4. quaſtio 29. numer. 2. & quaſt. 78. per totum* Scot. *in 4. diſt. 21. quaſt. 2. ad 2.* Suar. *deciſ. diſp. 20. ſect. 4. numero 16. & tom. 4. de pœnis. diſp. 33. ſect. 1.* Henriques *lib. 2.*

de

de pœnit. cap. 19. *à numer.* 3. Fagund. *in* 2. *precept. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 1. *numer.* 5. & proindè Confeſſarius ſciens, in Confeſſione Sacramentali aliquem eſſe hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, numquam tenetur, imò, nec poteſt illum denunciare, ut probat Carena *par.* 2. *tit.* 9. *§.* 5. *num.* 20. Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 42. *numer.* 14. *& in rubr. de abſolut. tit.* 3. *numer.* 5. & Farinac. *de hæreſi d. quæſt.* 197. *num.* 48. Quia fieret injuria Sacramento; fieret enim odioſum pœnitentibus, qui juſtè ab eo detraherentur, & quia obligatio ſervandi hoc ſigillum eſt Præceptum Divinum connaturale ipſi Sacramento. Unde ſicut poſito Præcepto percipiendi hoc Sacramentum cum debita diſpoſitione in nullo vitæ caſu licitum eſt indignè illud ſuſcipere, ita in nullo vitæ caſu licitum eſt frangere præceptum ejus Sigilli.

Adnotandum autem eſt cum Genuenſi *in prax. cap.* 58. *num.* 16. & aliis, quos ipſe citat, & cum Carena *loc. alleg.* quod ſi hæreticus accederet ad confeſſarium, non animo confitendi peccata, ſed illum pervertendi, ac inducendi ad hæreſim, tunc talis Confeſſarius teneretur hunc hæreticum denunciare, quia hic modus confitendi non eſt Sacramentalis Confeſſio, ſed occultus modus dogmatizandi de qua re nos alibi.

Qui verò crimen ſortilegii, vel alterius de hæreſi ſuſpecti, novit ex conſultatione ſecreta extra Confeſſionem ſacramentalem, ſed ordinata ad ipſam confeſſionem, non tenetur denunciare, ſi dicta Conſultatio verè ſit ordinata ad intelligendam veritatem, & cavendum peccatum, vel ad alium bonum finem. Nam etſi non inducat obligationē ſigilli Confeſſionis Sacramentalis, cum talis conſultatio non ſit ſacramentalis confeſſio, tamen eſt tanquam ſigillum confeſſionis ſervandum ut adeo, raro, vel numquam hoc crimen per conſultationem ſcitum eſt denunciandum, ut docent Suarez *tom.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 6. *c.* 10. *n.* 28. *& ſeq.* Sanch. *in decal. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 57. Caſtropal. *p.* 3 *tr.* 16. *diſp.* 5. *pun.* 7. *num.* 11. Delbene *de Offic. Inquis. part.* 2. *dub.* 198. *ſect.* 25. *per.* 2. Pellizar. *tom.* 1. *tr.* 4. *cap.* 5. *ſect.* 5. *ſubſect.* 5. *num.* 289. Quia cum conſultatio ſecreta ex natura ſit ſumme neceſſaria bono Animarum, quod omnibus aliis eſt præferendum, ideo, ne reddatur nimis oneroſa ad bonum Genĕris humani ſpectat, ut ejus ſecretum regulariter ſervetur, quamvis non obliget in omni caſu, & ſine ulla exceptione, ſicut obligat ſigillum confeſſionis ſacramentalis. Et quia hujuſmodi detectio ordinatur ad cōfeſſionem Sacramentalem. Unde ſicut, qui invenit chartam, in qua quis ſcripſit peccata ſua, ut ea fateretur, tenetur, præciſa obligatione ſigilli, quaſi ſacramentalis, ea peccata tegere, eo, quod ſcriptio illa ad Confeſſionem Sacramentalem erat ordinata, ita & conſultatio, dum ordinatur ad Confeſſionem Sacramentalem, eſt omnino tegenda, & numquam crimen detectum denunciandum, niſi delictum ſub eo ſecreto commiſſum, urgeret in damnum Communitatis futurum. Tunc enim eſſet denunciandum quia ad evertendum damnum futurum neceſſaria eſt denunciatio, ne ſequatur, ut per citatos Doctores locis allegatis.

Neque Advocatus, nequè Medicus, nec quilibet Doctus, aut valde Amicus, quibus Delinquens ſuum delictum ſub ſigillo ſecreti aperuit, conſilium, vel auxilium petens, debent illum denunciare, etiamſi contra delinquentem urgeat Infamia, vel ſemiplena probatio ſui criminis Ita Navar. *cap.* 25. *num* 46. Molina *de Juſt. tr.* 4. *diſp.* 5. *numer.* 3. Cordub. *lib.* 1. *quæſt.* 33. *dub.* 2. Petrus Navarra *de reſtit. lib.* 2. *cap.* 4. *numer.* 122. Delbene *loc. citat.* Nam vergeret in damnum Communitatis, ſi delinquens alteri bona fide patefaciens ſuum crimen, petens conſilium, vel auxilium talis petitio ei eſſet nocitura. Unuſquiſque enim retraheretur à conſilio petendo. Quod eſſet publicum, & commune damnum, & tale peccatum ſecreto retinendi, ſive expreſſum, ſive tacitum, eſt jure naturali ſervandum, alioquin hominibus intercluderetur in ſua neceſſitate omne juſtum ſolamen, & remedium. Si verò ex ſecreti obſervatione ſequeretur aliquod damnum publicum, prout ſequitur ex non revelatione horum Criminum, ac delinquentium, vel privatum Innocentis & ad illud advertendum eſſet neceſſaria criminis denunciatio, tunc ipſa denunciatio eſt facienda, quia bonum publicum, vel Innocentis præferendum eſt privato, & delinquentis.

Similiter qui litteras delinquentis aperiendo, vel aliquem per vim, & metum ad revelandum compellendo, criminis illius notitiam accepit, tenetur illum denunciare, ſi crimen vergit in damnum publicum, vel Innocentis ob dictam rationem. Si verò criminis denunciatio ſit tantum in damnum delinquentis non poteſt illum denunciare, ſed tenetur crimen illius operire, etiam Judici, legitimè interroganti. Quia qui per injuriam alterius notitiam ſecreti criminis habet non poteſt illud patefacere, nec denunciare. Non minus enim ex delicto, quam ex voluntario pacto contrahitur obligatio tegendi ſecreti. Imò qui aperiendo litteras, vel per vim, & metum aliquam compellit revelare alterius ſecretum, ut contra Delinquentem denunciare poſſit, obligatus ex Juſtitia ad reſarciendum illius damnum, ut docent Molina *d. diſp.* 5. *num* 5. & alii, quos adducit, ac Delbene, *ubi ſupra num.* 5.

Sciens autem ex aliorum auditu, quempiam eſſe magum, vel ſortilegum, vel quomodolibet de hæreſi ſuſpectum, ſi hoc audivit ab aliquo fide digno, tenetur illum denunciare, ut per Doctores, quos ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 69. *&* *par.* 4. *tr.* 5. *reſol.* 28. *numer.* 1. Si verò id audiverit à Perſona fide non digna, non tenetur illam denunciare, ut docent Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 43. *dub.* 2. *§.* 16. Gutier. *canon. quæſt. lib.* 1. *cap.* 11. *numer.* 71. Sanctarel, *de hæres. cap.* 9. *numer.* 16. Carena *d par.* 2. *tit.* 9. *§.* 7. *numer.* 31. ac Diana *loc. citat. numer.* 2. ita; ut *Rodrig. in quæſt. regal. tom.* 2. *quæſt.* 6. *ar.* 7. dicat hoc adeo eſſe verum ut procedat, etiamſi ſub pœna excommunicationis denunciatio præcipiatur. Nam ſi illis fidem dederit, æſtimabitur etiam ipſe à Prudentibus vir levis, & facilis in credendo, non abſque ſui dedecore, & reus exponeretur periculo injuſtæ pœnæ ac infamiæ. Quod etiam tradunt Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 6. *numer.* 50. Portel. *in addit. ad dub. regul. v. Sollicitare Fœminas num.* 22. Fagundez *in* 2. *Eccleſ. precept. libro.* 4. *cap.* 3. *numer.* 81. Homobon. *in Conſultat. moral. tom.* 1. *par.* 4. *reſp.* 51.

Contrarium tamen docent Thomas à Jeſu *lib. de viſit. tr.* 1. *cap.* 15. *num.* 11. Spathar. *in prax. de modo corrig. Regul. tr.* 5. *cap.* 11. *numer.* 4. Diana *loc. citat. numer.* 3. qui aſſerunt ſupradictam Doctrinam non habere locum in caſibus pertinentibus ad S. Officium, in quibus tenentur omnes denunciare quæ audiverint à quibuſcumque. Quia non pertinet ad ipſos diſcernere, an à Viris bonæ famæ, ſive levis fidei audiverint, cum hoc Judicium pertineat ad Inquiſitores, & ad locorum Ordinarios, in quorum edictis abſolutè, & ſine ulla diſtinctione præcipitur ſub excommunicatione, ut ſi quis ſciverit, vel audiverit delicta in eorum edictis contenta, ipſis denunciet *ei quia ex cap. in fidei favorem de hæret. in* 6. in S. Officio contra res admittuntur Teſtes alias inhabiles, ut excommunicati, criminoſi, infames, perjuri, & hujuſmodi alii, cum crimen hæreſis, vel hæreſim ſapiens ſit ita pernicioſum Reipublicæ, ut,

meritoin in ejus deteſtationem tales Teſtes admittantur, ut ſic delictum poſſint puniri & facilius extirpari.

Uttaque Sententia probabilis eſt. Ego autem arbitror, ſi quis id audiverit, certo ſciat dicentem eſſe mendacem hominem, cui ne verum quidem dicenti credere ſolemus, non tenetur denunciare, alioquin S. Officium redderetur ſibi nimis onerosum odioſum, præſertim ſi is à quo id audivit præſe ferat odium. Is enim protinus ſibi fidem abrogat, etiam in cauſa juſtiſſima. Si verò dubitet, an idem, à quo audiverit, ſit fide dignus, tenetur denunciare, cum etiam in dubio, concernenre Sanctum Officium ad ipſum recurrendum ſit, ad quod pertinet declarare, an tales ſint fide digni juxta *cap. per venerabilem v. rationibus, qui filii ſiut legit.* & *Clem. 2. de Teſtib.* Dubitans enim æquiparatur ignoranti *l, manifeſtiſſimè §. ſiu autem dubius C. de ſure.* Jas. *in l. quandiu. nu. 2. C. qui admittit*, Decian. *conſ. 39. numer.* 21 *vol.* 2. Bald. *cons.* 298. *in fin. lib.* 1. Becc. *conſ.* 111. *numer.* 11. Surdus *conſ.* 349. *nu.* 18. 1. Neque coim dubitans ſcit id, de quo dubitat. Si enim ſciret, excluderetur dubium. Si autem neſcit ignorat, & proinde dubitans habet neceſſariò annexam ignotontiam de eo. de quo dubitat.

Non tamen tenetur delinquens in caſibus ad Sanctum Officium pertinentibus denunciare ſeipſum. Nam ex, *can. aliquando de pænitent. d.* 1. nemo tnenetur ſe ipſum prodere, ex D. Chryſoſtomo *homil.* 31. *ad Hebr.* & *Homil.* 41. *ad Popul.* Quod etiam docent. Simanch. *de Cath. inſtit. tie.* 42. *nu.* 4. *mero.* 13. Suarez *de fid. d. diſp.* 20. *ſect. num.* 18. Sanctarel. *de hares. de. cap.* 9. *n.* 18. Molfes. *in ſum. par.* 1. *tr.* 7. *cap.* 24. *num.* 24. & quamplures alii, quos ſequitur Diana *par.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 8. nemo enim cogitur agere contra ſe ipſum. Eſſet enim obligatio valde repugnans naturæ. Quod Suarea *loc. cit.* extendit, ut locum habeat, etiamſi hæreticus occultus generaliter interrogetur. Non enim tenetur, etiam tunc, ſe prodere, quia non interrogatur, ut reus, ſed ut Teſtis, ſeu Denunciator. Et videri etiam poſſunt Cajet. 2, 2. *quæſt.* 70. *ar.* 1. Sot. *relect. de ſecrt membr.* 2. *quæſt.* & Simanch. *ibidem.*

Tutius tamen ſemper erit hos delinquentes magnoperè monere, ut ſpontè compareant & judicialiter confiteantur Crimina ſua coram Inquiſitore, vel loci Ordinario, Notario eorum Confeſſionem recipiente, quia mitius agitur cum ſpontè comparentibus, quam cum ab aliis denunciaris *can. presbyterum d.* 50. Glos. *in cap. de hoc. v. in jure de Simon.* ubi Oſtien & Panorm *numer.* 6. traditque Eymeric. *par.* 3. *de Sponte. compar. numer.* 60. ubique Pegna *com.* 12. *n.* 58. *litter G.*

Et in his caſibus ipſi delinquentes non denunciando ſeipſos, non tenentur denunciare complices. Quia ſicut qui non tenetur denunciare ſeipſum, ita neque complices. Nam moraliter loquendo, non poteſt quis manifeſtare ſocios ſui criminis, ſine periculo ſuæ infamiæ, ut docet Suarez *de diſp.* 20. *ſect.* 4. *numer.* 18. citans pegnam. & Simancham, & tradit Megala *par. lib.* 1. *capit.* 5. *num.* 30. Pottel. *in addit. ad dub. regular. v. Denunciatio n.* 10. ac diana *c.* *p.* 1. *tr.* 4. *reſol.* 9.

Excipio tamen caſum conſentientis ſollicitationi factæ in Confeſſione, vel in Confeſſionario. In hoc enim caſu fœmina conſentiens ſollicitationi ſibi factæ, tenetur denunciare confeſſarium ſollicirantem, noo manifeſtando proprium conſenſum. Er in caſu, quo ſuum conſenſum manifeſtaret, non eſt id ſcribendum in actis, neque ſuper hoc poteſt ab Epiſcopo, vel Inquiſitore interrogari, ut decrevit S. Congregatio S. Officii, facto verbo cum ſanctiſſimo die 25. Julii 1624. ut teſtatur per litteras Cardinalis Mellinus Cardinali Federico Borromæo Archiepiſcopn Mediolanenſi, & refertur à Diana *loc. citat. reſol.* 64. ac docent Acugna *in tr. de confeſ. ſollic. quæſt.* 10. *numer.* 10. Bonac *in tr. tra. var. diſp.* 6. *pun.* 3. *num.* 10. Peyrin. *tom.* 2. *in Conſti,* 4. *Gregorii XV.* §. 3. *num.* 11. Sanctarel. *de haret. capit.* 44. *dub. un. numer.* 12. & nos *alibi* de qua re fusè in Conſultatione de abuſu Sacramenti pœnitentiæ.

Mulieres autem ac perſonæ ſimiles quæ ex ſimplicitate, & ignorantia committunt ſortilegium hæreticale prius monendæ ſunt; nam ignorantia, etiam craſſa, excuſat à peccato hæreſis. Talis enim ignorans, ſi corrigi paratus eſt, non poteſt dici habere pertinaciam, quæ eſt ad hæreſim neceſſatia, ut per Alphonſum de Caſtro *de juſt. haret. punit. lib.* 1. *cap.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 17. Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 10. & *ſeq.* Sanctarel. *de hæres. cap.* 1. *dub.* 5. *numer.* 20. & 21. qui idem dicendum tradit de ignotantia affectata *numer.* 22. & *ſeq.* niſi adſit contemptus Eccleſiæ. Quod etiam aſſerunt Azor. *par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *quæſt.* 9. *lib.* 8. *quæſt.* 4. & *cap.* 9 *quæſt.* 8. Aragon. 2. 2. *quæſt.* 11. *ar.* 1. Coninch. *diſp.* 18. *dub.* 7. *concl.* 4. & 5. Suarez *de fide. diſp.* 19. *ſect.* 3. *à num.* 3. & Farinac. *de hæret. d. q.* 179. *num.* 29. & *ſeq.* Si autem ſe correxerit, abſtinendum eſt à denunciatione. Si autem non ſe emendaverit, erit denunciandus, ut per Genuens. *in pr. cap.* 18. *num.* 4. Caren. *par.* 2. *tit.* 9. §. 7. *numer.* 32. & Caſtropal *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pr.* 1. *num.* 6. ſed hac de re vide quæ dixi *in d. Conſult. de abuſu Sacramenti pænitentia,* ubi contrarium tradidi. Extat enim decretum S. Congregationis editum 3. Februatii 1624. tenoris ſequentis; Hæreticos, vel ſuſpectos de hæreſi ſcientes, & recuſantes denunciare, licet moniti, non poſſunt abſolvi à Confeſſatiis, quamvis dicant illos correxiſſe, vel eſſe dubios, an ita ſit. Ita S. Congregatio. Et quidem non pertinet ad ipſos id judicare, ſed ſolum parere edictis S. Officii, quæ jubent denunciare hujuſmodi reos,

Qui verò malum nomen maleficii habens, & ad quem plures concurrunt pro maleficiis, ſed revera non apparet ipſum eſſe maleficum, ſed tantum ſimplices ſuperſtitiones facere, eſt denunciandus. Quia dum nomen malefici habet, & plures ad eum pro maleficiis concurrunt, gravi infamia laborat, quod ſit de hæreſi ſuſpectus, & grave ſcandalum in cauſa fidei cum ſuis ſimplicibus ſuperſtitionibus populo tribuit; ac ideo eſt S. Officio denunciandus, à quo vel indici poteſt purgatio canonica ad delendam ſuſpicionem criminis, vel juxta ejus diffamationem inquiri ac procedi. Sola enim diffamatio ſufficit ad inquirendum & procedendum in crimine hæreſis, ut per Zabarel. *in Clem.* 1. §. *verum* 2. *de haret. nu.* 5. Jo. Monach. *in cap. ut officium eod. tit. in.* 6. Zanchin. *de haret. cap.* 11. *num.* 3. Repert. Inquis. *v. accuſatio*, Delbene *de Offic. Inquis. par.* 2. *dub.* 171. *pet.* 8. *num.* 5. Et purgatio canonica ſimiliter indici poteſt propter ſolam diffamationem, vel ſuſpicionem, ex qua oriatur ſcandalum *ex cap. tua de cohab. Cler. & mul. cap. ex parte de Offic. Ordin. & cap. inter ſollicitudines vers. antecedenter de purg. canon.*

Is autem qui per impotentiam, vel per ignorantiam edicti Inquiſitoris non denunciavit delinquentē intra terminum præfixum, tenetur poſtea edicti conſcius, & à juſtis impedimentis expeditus, vel intra eundem terminum præfixum reum denunciare. Quia terminus ille imponitur, ne plus differatur denunciatio, non autem ut ejus obligatio extinguatur. Et denunciare tenetur termino elapſo, non ſtatim ſed quamprimum commode poteſt, ſublata ignorantia, vel alia juſta excuſationis cauſa. ita, ut toties ille incurrat excommunicationem, quoties poteſt commode denunciare, & non denunciat, quia toties peccat contra præceptum Superioris, latum ſub excommunications

catione. Excommunicatio autem toties incurritur, quoties violatur præceptum, ſub excommunicatione latam, ſentit Bonacina tom. 1. de oblig. denunc. diſp. 6. pun. 2. §. 4. ſed tenetur denunciare intra æqualem terminum, ſeu intra eoſdem alios dies, quos edictum præfixerat. Quia iſte non debet eſſe pejoris conditionis, quàm cœteri, qui notitiam editi habuerunt, & illud exequi poterant, ut docent Acugna tr. de confes. ſollic. quæſt. 21. num. 4. Sancius in ſelect. diſp. 11. numer. 59. Suarez de cenſur. diſp. 20. ſect. 1. num. 14. Filiuc. tom. 2. tr. 14. cap. 2. num. 42. Villalob. in ſum. tom. 1. tr. 17. diff. 18. numer. 4. Diana. par. 5. tr. 9. reſol. 18. & 19. ex par. 3. tr. 5. miſcel. 1. reſol 96. alias 95. & ex par. 4. tr. 5. reſol. 26. Quibus adſtipulor, niſi periculum ſit in mora. Et nõ denuncians tempore præſcripto, unam tantum excommunicationem incurrit, manetque in eadem donec denunciando obediat edicto, ut firmant Navar. cap. 17 nu. 134. Graff. p. 1. deciſ. lib. 4. cap. 10. Lazar. de monitor. ſect. 2. quæſt. 4. nu. 8. Suarez & Filiuccius locis citatis.

An autem teneatur quis prævenire tempus denunciationis, ſi timet impedimentum in tempore, præſcripto in edicto Inquiſitorum? Sancius loc. alleg. nu. 60. ſic ait, probabile eſſe non conſtringi prævenire denunciationem ante impletionem termini deſignati per edictum Inquiſitorum. Quia lex non obligat denunciare, niſi intra illum terminum, nec conſtringit prævenire in aliquo caſu denunciationem, eo modo, quo non tenetur quis prævenire tempus annuæ confeſſionis, & communionis, aut recitandi officium divinum ante terminum deſignatum per leges, quamvis ſciat, ſe eſſe reddendum impotentem ad implendas leges. Ita Sancius. Quod etiam tenent Suarez. diſp. 70. de ſacram. ſect. 2. dub. 3. Coninch. de ſacram. q. 80. ar. 11. dub. 4. nu. 108. Azor. p. 1 lib. 7. cap. 14. q. 13. Pitigian. in 4. d. 9. q. 3. ar. 9. Reginal. l. 29. n. 76. Filiuc. tr. 4. cap. 2. q. 9. n. 59. Molfes. p. 1. tr. 3. cap. 8. n. 28. Bonac. diſp. 4. de ſacram. q. 7. de Euchar. pun. 2. nu. 15. Averſa q. 8. de Euch. ſect. 3. ver. quinto.

At Diana p. 5. tr. 9. reſol. 21. n. 2. ex p. 4. tr. 5. reſol. 29. n. 2. ſuſtinet, quod qui prævidet impedimentum denunciandi intra terminum præſcriptum, tenetur prævenire denunciationem. Quia Suarez tom. 4. in 3. p. diſp. 36. ſect. 5. n. 5. Fagundez tr. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 3. Laiman. lib. 5. tr. 6. cap. 3. n. 9. Sylvius in 3. p. q. 80. ar. 11. Offic. 2. Nugnum addo diff. 2. Mercetum notab. 6. Ochagavium. de Sacram. tr. 2. de Euch q. 15. nu. 5. Vaſquez 3. p. q. 90. ar. 3. dub. 2. nu. 13 docent, teneri prævenire tempus confeſſionis, & communionis illum, qui prævidet impedimentum futurum quando confiteri, & communicare obligatur. Et ſimiliter qui in die feſto prævidet, ſe non poſſe audire Sacrum hora nona, tenetur anticipare tẽpus, & ſacrũ audire hora tertia. Trado cõparationem. Præceptũ communionis exempli gratia obligat toto anno quoad ſubſtantiam. Ergo quando non poteſt impleri in una parte anni, debet impleri in alia, & ideo debet anticipari quando prævidetur ſuperventurum impedimentum.

Sed contra. Non tenetur quis anticipare ex vi præcepti de communione, neque ex vi alterius præcepti, quia nõ datur præceptũ de anticipanda adimpletione alterius præcepti. Nam præceptum v. g. Euchariſtiæ, licet ſit divinum quoad ſubſtantiam, non tamen obligat, niſi ſecundum determinationem Eccleſiæ. Ergo cùm ſit determinatum, ut ejus obligatio incipiat tẽpore Paſchatis, ante tale tempus nullam pariet obligationem, qua quis teneatur anticipare adimpletioné.

Ad fundamentum primæ ſentẽtiæ reſpondetur, præceptum communionis obligare ſecundum determinationem Eccleſiæ ita, ut non obligat ſecundum ſuam vim ſubſtantialem, niſi ut ſtat ſub determinatione Eccleſiæ, & ideo non incipit obligare, niſi adveniente Paſchate. Unde ſolum fit, quod quando non poteſt impleri in una parte anni, debet impleri in alia, in qua item obligat.

Ad confirmationem negatur conſequens, cùm ſit diſpar ratio. Siquidem toto mane urget obligatio audiendi Sacrum, & in tantum poteſt differri adimpletio, in quantum poterit impleri tempore ſubſequenti. Sed ante Paſcha non urget obligatio.

Et nihilominus certum eſſe cenſeo teneri quemlibet in ſupradicto caſu prævenire denunciationem ante terminum in edicto Inquiſitorum præfixum. Unde ſiquis prævideat, non poſſe denunciare intra illos duodecim, dies qui jam ſuperveniſſent, tenetur denunciare in primis diebus, ſi poteſt, nec debet expectare impedimentum. Quia de præſenti urget obligatio denunciandi, ac proinde eſt in poſſeſſione. Et ideo ſi expectaretur impedimentum, fraudaretur præceptum. Nec dici poteſt, quod expectare impedimentum superventurum, ſit ſe ſubtrahere obligationi, quando non ſupervenit, aut ſi ſupervenit, requirit pro ſ[illegible] actum, qui habet tractum temporis, ut [illegible] nium, quia nondum eſt plenè in poſſeſſione, cùm non poſſit habere actum, niſi in virtute totius tractus temporis. At non poteſt quis ſe ſubtrahere obligationi, quando jam tota ſupervenit, & actus ſecundum ſe totum exhiberi poteſt.

Denunciationis autem hujuſmodi ſunt neceſſariò facienda Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis antè confeſſionem Sacramentalem, & intra terminum præfixũ ante incurſam excommunicationem. Ita præcipitur nõ ſolum in edicto Inquiſitorum, ſed etiam in Conſtitutione Gregorii XV. contra Confeſſarios ſollicitantes edita 30. Auguſti 1622. quæ incipit Univerſi & ita firmant Zanard. in ſum p. 2. prac. 2. cap. 11. in fin. Avila de cenſur. p. 2. c. 7. d. 7. in fine Lazar. de blaſph. q. 2. n 79. Carena p. 2. tit 9. §. 10. nu. 48. & Diana p. 5. tr. 9. reſol. 22. ex p. 1. tr. 4. reſol. 27. Nam, ſi pœnitens prius obtineret abſolutionem, facillime omitteret denunciationem. Si verò neceſſitas confeſſionis, vel communionis urgeret, & pœnitens ſit timoratæ conſcientiæ, ac promittat quam citius denunciare, poteſt Confeſſarius ante denunciationem illum abſolvere, ut ſentiunt Zanard. loc. c. Rodriq. in ſum t. 2. c. 34. n. 6. Peyrin. t. 2. in Conſtit. 4. Gregorio XV. §. 9 n. 24. Sanctarel. de hæres c. 9. dub. nu. in. 16. in fine, Navarrus, & alii, quos ſequitur Diana ubi ſupra Caren. ibid. ac Delbene t. 2. de Offic. Inquiſ dub. 237. ſect. 13. per. 6. Tunc enim urget præceptum cõfeſſionis, vel communionis. Ergo eſt adimplendum eo modo, quo poteſt. Præſertim quando longo tempore eſſet differenda confeſſio, vel communio. Præceptum enim denunciandi non videtur obligare cum tam gravi incommodo quando adhuc ſupereſt tempus denunciandi intra terminum præfixum. Eſt autem grave incommodum privari longo tempore ſacramento Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, præcipuè quia poteſt timere ne superveniat aliquod accidens, quod impediat confeſſionem, vel communionem quando eſſet neceſſaria, & quia non poſſet quis eſſe paratus ad mortem. Poterit igitur confeſſarius in hoc caſu fidem hujuſmodi pœnitenti adhibere. Utrumque enim in vitium & omnibus credere, & nulli.

Quanquam edictum circa denunciationes ab Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis ex negligentia vel alia de cauſa non publicetur, tenetur tamen quiſque ſub pœna excõmunicationis denunciare delinquentes. Quoniam obligatio denunciandi hæreticũ, vel de hæreſi ſuſpectum ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cujus abſolutio majoris Pontificii, & ipſi S. Congregationi reſervatur, eſt perpetua, ut conſtat ex decreto, ſivè præcepto S. Congregationis S. Officii edicto ſub die 3 Januarii 1623. Idemque præcipitur ſub excommunicatione, & aliis pœnis ab Alexandro VII. in ſua Conſtitutione incipiente, licet aliàs edita ſub die 8. Julii 1660. & expreſſe tenent Soarez de fide diſp. 20. ſect. 4. n. 11. Portel. in dub. regul. v. denunciatio n. 5. Carena p. 2. tit. 9. § 7. n. 34. Fagund in 2. prac. Eccleſ. l. 4. c. 3. n. 31. Peyrin. t. 2. in Cõſtit. 9. Pauli V. §. 2. n. 27. Diana p. 5. tr. 9. reſol. 24. ex p. 4. tr. 4. reſol. 41. Idque contra Freytam de confeſ. ſollic. q. 21. num. 44. & 58. qui aſſerit, fœminam non denun-

denunciantem Confeſſarium ſollicitantem, ſi edictum non publicetur, peccare quidem mortaliter, ſed non incurrere excommunicationē. At minus rectè. Etenim incurrit etiam excommunicationem, quia etiam Confeſſarii ſollicitantes ſunt de hæreſi ſuſpecti, ut probant Genuen. *in pr. c. 66. numero 2.* Acugna *de confeſſ. ſollic. q. 2. n. 20.* Caſtropal. *p. 4. tr. 4. diſp. 9. pun. 6. nu. 1.* Peytinis & Diana *locis citatis.*

Qui autem non denunciavit, & excommunicationem incurrit etiam, ſi promittat illico denunciare, non poteſt abſolvi, ne quidem virtute Bullæ Cruciatæ, ut per Sancium *in ſelect. diſp. 11. num. 62.* Avil. *de cenſur. p. 2. c. 7. dub. 7. in fine,* Trulench. *in Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 9. n. 11.* Dian. *d. p. 5. tr. 9. reſol. 23. num. 1. ex p. 4. tr. 5. reſol. 35. n. 1.* Non enim in re tam gravi facile adhibenda eſt fides promittenti denunciare. Hinc rejicienda eſt ſententia Lucii *in ſum. cap. 24. num. 11.* & Freitæ *tr. de confeſ. ſollic. q. 21. n. 25.* aſſerentium, fœminam ſollicitatam abſolvi poſſe virtute hujus Bullæ ab excommunicatione, quam contraxit propter omiſſam denunciationem, dummodo cogatur à Confeſſario denunciare Inquiſitoribus, ſicut retinens rem alienam poteſt abſolvi cum propoſito reſtituendi omnino rejicienda eſt. Nam, ſuppoſita excommunicatione, à peccatis nemo abſolvi poteſt, niſi prius a cenſura ſit abſolutus. A cenſura autem illa nequit abſolvi per hanc Bullam, niſi prius ſatisfacta parte, ſcilicet Inquiſitoribus. Sicut non eſt abſolvendus excommunicatus ob concubinam, niſi illam è domo prius ejiciat, nec ſufficit, quod proponat illam expellere, ut rectè docent Suarez *de cenſur. diſp. 7. ſect. 1. num. 45.* Gutiet. *in quæſt. canon. lib. 1. cap. 5. n. 30. & ſeq.* ac Sotus *in 4. d. 22. q. 2. & 3.* aliique benè multi.

Qui ex officio, vel ex ſpeciali præcepto denunciare tenetur, & non denunciat ſortilegum, hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, & ipſe eſt de hæreſi ſuſpectus, & ut hæretici fautor exiſtimandus, ac puniendus. Nam, ſicut qui teſtimonium contra hæreticum ferre nolit, aut veritatem occultat, aut diminutè manifeſtat, cùm ad veritatem dicendam ab Inquiſitore adſtringitur, fautor illius hæretici, & ut de hæreſi ſuſpectus puniendus, cenſetur, ut notat Sous *in aphor. Inquiſ. lib. 1. cap. 25 num. 6. & binis ſeqq.* ac Pegna *p. 2. direct. com. 78. vers. Ergo privati,* & tradunt Doctores communiter; ita qui ex officio, vel ex ſpeciali præcepto denunciare tenetur hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, & illum non denunciat, eſt etiam & ipſe fautor hæretici, & ut de hæreſi ſuſpectus puniendus. Ait enim Damaſus Papa *in can. qui poteſt 23. q. 3. impietati ſavet, qui poteſt perturbare perverſos, & non facit.* Et ita etiam docent Suarez *de fide diſp. 24. ſect. 1. nu. 6.* Sanch. *in decal. lib 2 cap. 10. n. 15.* Megal. *p. 3 lib. 3. cap. 1. q. 2. n. 31.* pluresque alii, quos ipſi citant.

Dixi, qui ex officio, vel ex ſpeciali præcepto denunciare tenetur. Nam, ut obſervat etiam Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp 3. pun. 5. num. 7* communis ſententia eſt, te non eſſe fautorem hæretici, niſi adverſus juſtitiam, & obligationem officii pecces, ut per Simancham *tit 15. n. 13.* Pegnam. *loc. cit.* Sanchez *d. cap. 10. nu. 15.* Suarez *ibidem,* & Farinacium innumeros referentem *de hæreſ. q. 182. n. 27* Ceſſante quippè obligatione juſtitiæ tibi imputari non poteſt, hæreticum non corrigi, cùm tua non interſit, illum corrigere. At, ſi ex juſtitia obligatus ſis, hæreticum capere vel denunciare, quæ obligatio oriri poteſt, vel ex officio, vel ex ſpeciali Inquiſitoris mandato, tunc fautor hæretici dicendus es. Concludit tandem Palaus, non eſſe fautores hæreticorum ſingulares perſonas, quibus ex officio non incumbit fidei favere, ac hæreſim extirpare, ut docet Eymeric. *p 2. q. 53. nu. 3.* & Farinac. *qu. 185. §. 2. n. 36.*

Pegna verò *d. p 2 d. com. 78. verſ. At non videtur,* hæc prudentiſſimè ſubdit: Quandoque vel metu, vel oblivione, vel alia probabili cauſa contingere poteſt, ut quis abſque fautoriæ ſuſpicione, denunciationem omittat. Nam quid ſi exempli gratia ſola uxor ſciat, maritum diebus prohibitis veſci carnibus, aut alia hæreticalia committere, eumque cognoſcat terribilem, qui facile eam interimeret, aut malè tractaret, ſi illum denunciaret? Diceſne hanc eſſe fautricem? Ego plane ratione metus putarem excuſandam. In cœteris idem eſt judicium, plurimumque ſunt ſingulæ circumſtantiæ conſiderandæ. Hæc dicimus, ut moneamus ex omiſſione denunciationis, hæreticorum fautorem non debere quenquam facile cenſeri, nec de hæreſi ſuſpectum haberi. Ita Pegna.

Porrò ſuſpicio hæreſis illa dicitur levis, quæ oritur ex levibus indiciis, ſivè conjecturis, ut ex *cap. accuſatus de hæret. in 6.* Suſpicio autem vehemens illa eſt, quæ oritur ex vehementibus conjecturis, argumentis, ac indiciis, & non tollitur, niſi vehementibus defenſionibus, ut ex eodem *cap. accuſatus,* ſuſpicio tandem violenta ea eſt, quæ ex violentis, & convincentibus conjecturis oritur, ita ut violenter, cogatque Judicem ad credendum, nec tergiverſatione refellatur, ut ex *cit. cap. accuſatus,* & *ex cap. cum contumacia de hæret. in 6.* & tradunt Eymeric. *d. par. 2. quæſt. 46. n. 2. & 3. ibique* Pegna *com. 80.* Carena *par. 3. tit. 12. §. 3. n. 4.* Farinac *q. 188. n. 23.* aliique communiter.

Ille autem leviter de hæreſi ſuſpectus præſumitur qui frequenter pejerat, vel vitam agit depravatam, vel blaſphemando verba hæreticalia non frequenter, ſed rarò evomit, ut inquit Eymeric. *d. p. 2. q. 21. num 6.* Vel Sacramenta miniſtrat in malo ſtatu, vel ſine juriſdictione ac poteſtate, vel bis repetit Sacramentum non repetendum, vel ſecundas nuptias contrahit, vivente priori conjuge, vel per annum exiſtit in excommunicatione extra cauſam fidei, vel in Sacramento confeſſionis ad turpia pœnitentem ſollicitavit, vel alia hujusmodi commiſit.

Vehementer verò de hæreſi ſuſpectus eſt, qui ex verbis, vel factis efficaciter hæreſim concludentibus arguitur, quod ſit hæreticus. Ut ſi quis in verba hæreticalia blaſphemando non rarò, ſed frequenter ac pluries prorumperet. Vel diebus prohibitis abſque neceſſitate, & ſuperioris facultate carnibus veſceretur, aut diceret propoſitiones, fidei contrarias, quæ explicitè, ſcire debet, quamvis hæc interdum ex ingluvie, & guloſitate, ab ignorantia ſine ullo mentis errore prodire poſſint. Vel ſi quis vocatus ad reſpondendum de fide, & intra terminum præfixum abſque cauſa non comparcat ut *ex c. cum contumacia de hæret in 6.* Vel qui ſciente directè, vel indirectè Inquiſitionis Officium impediret, ut ex *cap. Ut inquiſitionis negotium §. ult. eod. tit. pariter in 6.* Quia reputatur hæreticorum fautor ac defenſor. Vel qui impedientibus, Inquiſitionibus Officium præſtaret ſcienter conſilium, auxilium, & favorem ob eandem rationem, quia faveret hæreſi, ut habetur *in d. cap. Ut inquiſitionis.* Vel ſi hæreticos ab Inquiſitoribus citatos, & eorum Credentes inſtrueret, quomodo veritatem celare poſſint, vel falſum deponere, ut ex *cap. accuſatus §. fin. de hæret. in 6.* vel qui faveret, defenderet, aut reciperet hæreticum, quia hæreticus eſt, non quia ſibi eſt conſanguineus, vel amicus, *ex cap. excommunicamus 1. §. Credentes eodem tit.* Vel qui cum hæreticis ſpecialiſſimam contraheret amicitiam, & familiaritatem juxta *cap. inter ſolicitudines de purgat. Canon.* vel qui in cauſa fidei convictus dixiſſe in Judicio falſum revocaret, quod antea fuerat confeſſus, ut colligitur. *ex cap. litteras de præſumpt.* Vel tandem qui in partibus ultramarinis abſque Superiorum licentia commorantes detrahunt Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſtitutionibus, aliaque à fide devia in ſuis ſermonibus, & ſecretis colloquiis eructare non verentur, ut *ex extravag. Joannis XXII. ad noſtram de regular.* ſupradicti omnes, tanquam de hæreſi vehementer ſuſpecti habendi ſunt ex Eymerico *q. 56.* Caſtropalao *d. p. 1. tr. 4. diſp. 7. num. 1.* Delbene *p. 1. dub. 166. n. 3.* atque ex aliis.

Vio-

Violenter autem de hæreſi ſunt ſuſpecti, qui verbis, vel factis coarctant Judicem ad credendum, quod ſint hæretici. Ut ſi quis tranſit, vel redit ad ritus Judæorum vel Saracenorum, aut aliorum Infidelium *c. cont. Chriſtianos de hæret. in 6.* Aut ſi quis in cauſa fidei excommunicatus per annum excommunicatione animo pertinaci inſorduerit, elapſo enim anno, ut hæreticus condemnatur. *cap. cum contumacia eod. tit. in 6.* Aut ſi quis non fateatur crimen poſtquam eſt convictus, nec conſenſit abjurare. Tunc enim eſt, ut hæreticus impœnitens condemnandus *ex cap. ad abolendam eod. tit.* aut ſiquis poſt abjuratam hæreſim, de qua convictus fuerat, in eandem relabitur, vel poſtea cum hæreticis communicat, eos viſitando, receptando, deducendo, aſſociando, munera eis donando, vel domi mittendo *d. caput. accuſatus §. ille quoque de hæret. in 6.* Aut qui cum eſſent ſanæ mentis in corporis infirmitate, & morbo conſtituti petierunt hæreticos ſe conſolaturos, ut hæretici habentur ex *cap. filis eod. tit. in 6.* Vel qui de hæreſi ſuſpecti, vel diffamati, ac morti propinqui petierunt eosdem hæreticos conſolantes, quamvis poſt perditam loquelam, vel mentem amiſſam eam conſolationem, ſeu veritus deſolationem receperint, *ut ex d. cap. filii.* Ac ita ex Pegna *p. 3. direct. com. 24.* ex Doctoribus apud Farinac. *d. q. 187. à n. 13.* & ex aliis.

Omittentes verò denunciare, qui denunciare tenentur, incurrunt primò pœnam excommunicationis ex Gregorii IX. extravaganti, ibi *excommunicationis ſententia procellatur.* Ex quibus verbis, licet excommunicatio non ſit ipſo facto lata, ſed per ſententiam ferendam, ex edictis tamen ſancti Officii hæc excommunicatio eſt ipſo facto laſa, ſivè latæ ſententiæ, ac reſervata, ita, ut denunciare omittens ab ea non poſſit abſolvi, donec denunciet, ut per Caren. *p. 2. tit. 9. n. 25.* Caſtropal. *deciſ. p. 1. tr. 4. diſp. 2. pun. 4. nu. 21.* Delbene *d. par. 1. Dub. 25. n. 1.* Secundò redduntur de hæreſi ſuſpecti, ſi nulla rationabili cauſa excuſari poſſint, vel in Judicio interrogati, ſcienter veritatem occultarunt, ut ſupra diximus. Tertiò puniuntur pœna Fautoris hæreticorum ut etiam dictum eſt ſupra, & docet Pegna *p. 2. direct. q. 55. com. 78. verſ. poſtremo*, dummodo nulla probabili cauſa excuſetur.

Hujuſmodi autem denunciatio eſt neceſſariò facienda in ſcriptis cum expreſſione nominis Denunciantis, ac illius ſubſcriptione, ſi ſciat ſcribere, vel ſaltem verbis, quæ à Notario ſtatim ſcribentur, & non denuncians hoc modo, non poteſt à confeſſario abſolvi, ut per Gennen. *in pr. cap. 18. nu. 2.* & Carenam *p. 2. tit. 9. n. 27.* qui etiam ajunt, quod denunciationes non ſolent recipi, niſi denuncians cum juramento examinetur. Hinc Eymericus *p. 3. direct.* agens de ſecundo modo procedendi in Cauſis fidei per denunciationem, inter cætera docet, quod Inquiſitor jurare facit ad quatuor Dei Evangelia ipſum denunciantem de veritate dicenda ſuper denunciatis. Præſtito autem juramento, interrogabit eum, undè ſcit eſſe vera, quæ denunciavit, & ſi vidit, vel audivit. Si dicat ſe vidiſſe, interrogabit eum undè vidit, & quando, & quoties & per quem modum, & qui erant præſentes. Si dicat, quod non vidit, ſed audivit, interrogabit Inquiſitor, à quibus audivit, & ubi, & quando, & quoties eſt per quem modum, & quibus præſentibus audivit, formando articulos de quolibet prædictorum ſingulariter, ac diviſim. Poſtremò injungitur ei juramentum tenendi ſecretum quicquid ibi dixit, vel ab Inquiſitore ei dictum fuit. His peractis nullæ ſunt amplius denunciantium partes, ſed judici totum relinquitur, ut ipſe inquirat de delicto, aut delinquente.

De illo autem, qui ſuam denunciationem nolit ſubſcribere, aliqui Doctores, quos ſequitur Paramus, *de Orig. Inquis. lib. 3. quæſt. 6. nu. 93.* reſpondent cum diſtinctione. Aut enim in denunciatione ſunt nominati Teſtes, aut non. Si primo modo, ejus denunciatio eſt alicujus momenti æſtimanda. Quia Inquiſitor poteſt ad illorum Teſtium examinationem procedere. Nam, ſi inquiſitor, ut docent Farinac. *de hæres. q. 185. num. 20. & qu. 12. num. 39. lib. 1. prax.* Caſtropal. *d. par. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 2. nu. 7.* Clarus *in pr. q. 14. verſ. Ulterius dixi.* Decian. *tr. crim. lib. 3 cap. 25. nu. 7.* & alii, poteſt procedere ad examinationem Teſtium, quos denunciavit inimicus, multo magis poterit procedere ad examinandos Teſtes, quos denunciavit Perſona non ſuſpecta, qualis eſt Denunciator incognitus, & occultus.

Hæc tamen Sententia communiter reprobatur à Doctoribus, quos refert, ac ſequitur Farinac. *d. q. 185. num. 68.* Quia nominatio illa Teſtium, cum procedat à Perſona incognita, non eſt Authentica, ſed potius ſuſpecta, & proindè non debet ſola Judici ſufficere, ut ex illa ſpe ſpecialem faciat Inquiſitionem, quæ de ſe prærequirit infamationem. Et ita ſervatur in Tribunali Romano Sanctæ Inquiſitionis. Ideoque dicendum, quod ſive denunciatos Teſtes nominet, ſive non, dum proprio nomine ſe non ſubſcripſit, ejus denunciatio; tanquam nullius momenti repelli debet. Quia præſumitur falſa, & alia daretur improbis occaſio probos viros infamandi. Ita Farinac *loc. cit.* Simanch. *in Enchir. tit. 22. rubr. de Inquiſit. Ord. nu. 8.* Delbene *p. 1. dub. 183. num 11. & ſeq.* Caſtropal. *d. tr. 4. diſp. 8. pun 3. num. 4.* & Diana *p. 5. tr. 10. reſol. 44. ex p. 4. tr. 8. reſol. 41.*

Poteſt vero denunciatio fieri verbo, vel ſcripto, prout denuncianti magis placuerit, ut tradunt Eymeric. *d. p. 3.* ibique Pegna *com 15* Clar. *in pr. §. fin. qu. 7. verſ. Ulterius quæro*, Farin. *de hæres q. 197. §. 2. nu. 67.* Suarez. *de fide diſp. 20. ſect. 4. num. 3.* Nec requiritur, ut denunciatio fiat coram Teſtibus, ſed ſatis eſt, ſi Inquiſitor per ſuum ſecretarium illam recipiat.

Verum ſi denunciatio fiat per Epiſtolam, neceſſario denuncians nomen ſuum ſubſcribere debet, alioquin non poſſit Inquiſitor procedere ad inquirendum, aut ad examinandum Teſtes, etiamſi in Epiſtola Teſtes aliqui nominati fuerint, quia illa denunciatio eſt nullius effectus, eſtque reputanda, ac ſi facta non eſſet, ne detur, ut dixi, occaſio infamandis, nam ſola examinatio Teſtium, & inquiſitio circa talem Perſonam eſt quædam illius infamatio, ut per Farinac. *d. q. 185.* Simanch. & Caſtropal. *loc. cit.* & Zech. *in ſum. p. 1. tit. de fide rubr. de hæres cap. 11. nu. 12.* & Param. *de Orig. Inquis. libro 3. quæſt. 6. numer. 91.* & alios.

Forma autem denunciationis, & praxis, quam Inquiſitores ſervare docent in illa recipienda ponitur ab Eymerico *p. 3. direct. num. 68.* ubi & Pegna *com. 13.* Facta autem denunciatione Inquiſitor procedit non ad Inſtantiam Partis, ſed ex Officio examinando Teſtes, quos denunciator allegavit, vel alios, ex quibus Veritas innoteſci poſſit. Et ſi Denunciator Teſtes alios non nominavit, ſed ſolum ipſe de Viſu depoſuit, non debet Inquiſitor ſtatim ad ſpecialem Inquiſitionem procedere, ſi denunciatus ſit nobilis, religioſus, aut alias non ſuſpectus ob gravem infamiam, quæ indè oriri poſſet, ſed matura deliberatione dictum Denunciantis expendere debet.

Quod ſi Denunciator convincatur falſum denunciaſſe; puniendus eſt Arbitrio Inquiſitoris tanquam Calumniator; nam ex ſola ipſa denunciatione ſi falſum deponat, graviſſimè lædit denunciatum. Aperit enim viam Inquiſitori ad inquirendum contra illum, ut proindè merito puniri debeat, ut Calumniator. Quod tradit Pegna *p. 3. com. 40. ver. Ad hæc.* Et tanquam Teſtis falſus, quia dum ipſe aſſumitur in Teſtem contra reum & generali conſuetudine Inquiſitionis, tanquam Teſtis falſus puniendus eſt, ut per Caren. *p. 3. tit. 1. §. 3. n. 20.* & Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 3. n. 1. cæterum.*

Cæte-

Cæterum obligatio denunciandi idololatram, aut hæreticum, nunquam ceſſat, quare licet clarus *q.* 51. & Farinac. *in pr. q.* 10. aliique doceant, delicta commiſſa præſcribi ſpatio viginti annorum, ita ut Judex non poſſit procedere ulterius contra bujuſmodi delinquentes, id tamen locum non habet in Crimine Idololotriæ, vel hæreſis, cum nunquam in favorem Delinquentis præſcribatur, adeo ut contra eum procedi non poſſit. Nam etiam poſt mortem contra ipſum proceditur, & excommunicatus declaratur, ab Eccleſiæ ſepultura ejicitur, & ejus bona confiſçantur, ut *ex can. ſanc.* 6. 24. *q.* 2. & colligitur *ex cap. fin. de præſcript.* Unde Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 22. *numer.* 40. probat filios hæretici, qui putabatur Catholicus, non præſcribere bona paterna, niſi ſpatio quadraginta annorum. Quia cum delictum hæreſis ſemper ſerpat contra Catholicam fidem, Juris ratio ſemper viget procedendi contra hæreticum etiam defunctum, atque adeò nunquam ceſſat obligatio denunciandi illius crimen.

Quod verò ad ſuſpectum de Idololatria, vel de hæreſi, communis opinio eſt, poſt ejus mortem non eſſe amplius denunciandum, quia poſt mortem non eſt inquirendum de ſtatu vitæ illius, qui nec corripi, neque puniri poteſt, neque ut Idololatra vel hæreticus damnari. Ante mortem verò ſemper eſt denunciandus.

Paterga. Denunciatores in Sancto Officio habentur in numero Teſtium.

Electo Generali ſui Ordinis, denunciato in Sancto Officio, ſignificatur, mentem Sanctitatis ſuæ eſſe, ut abſtineat illa vice à Generalatu.

Denunciationes incerti Autoris regulariter non attenduntur in Sancto Officio. In rebus tamen gravibus aliquando ſumuntur informationes. In Sancto Officio non proceditur per denunciationem Secreti denunciatoris, neque pervenit ad aures.

Denunciationes fieri poſſunt tam coram Ordinario, quam coram Inquiſitore. Et uterque poteſt abſolvere ab excommunicatione non denunciantes.

Non Denunciantes in Sancto Officio hæreticos, maleficos &c. poſſunt ſemel abſolvi à peccatis, dummodo danunciare promittant, & in civitate non ſint publicata edicta S. Officii, in quibus ſit appoſita excommunicatio ipſo facto incurrenda. Quia tunc, nec ab excommunicatione, neque à peccatis abſolvi poſſunt niſi prius hæreticos denuncient.

Scientes & recuſantes denunciare hæreticos, vel ſuſpectos de hæreſi, licet monitos, non poſſunt abſolvi à Confeſſariis, quamvis dicant ſe illos correxiſſe.

Tam Epiſcopus, quam Inquiſitor poteſt abſolvere ab excommunicatione non denunciantes.

CONSULTATIO CXLIV.

De Modis procedendi contra Hæreticos ac de Hæreſi Suſpectos.

Contra Hæreticos, Sortilegos, & Magos poteſt Inquiſitor procedere ſummariè, ac de plano, & abſque Judicii ſtrapitu, & figura, ita decernitur *in cap. ſtatutum de hæret. in* 6. & in conſtitutione Alexandri IV. quæ incipit, *Cupientes*, edits anno 1251. & ex alia Urbani IV. edita 1262. cujus initium eſt, *licet ex omnibus*, quas refert Pegna poſt Directorium, & docent Royas *Singul.* 245. *numer.* 3. Scaccia *de indic. cap.* 52. *n.* 2. *&* 3. aliiſque communiter.

Non obſtat Decianus *tr. crim. lib.* 5. *cap.* 34. *nu.* 9. ubi ait, hoc privilegium intelligendum eſſe Inquiſitoribus conceſſum, quod ad cauſas leves & non præjudiciales, non autem in præjudicialibus, & in illis, quæ infamiam inferunt, ut ſupradictæ. Præcipuè quia *cap. ut Officium* §. 1. *de hæret. in* 6. dicitur: *In Crimine hæreſis procedendum eſſe juxta canonicas ſanctione, & in* §. *ſi vero juxta formam Eccleſiæ.*

Nam Textus ſupradicti ſine ulla limitatione ſanciunt, Inquiſitores in Cauſis hæreticæ praviratis procedi poſſe ſimpliciter, ſummariè, ac de planè. Cum igitur ita procedant ex conſtitutione Sedis Apoſtolicæ, procedetur juxta canonicas Sanctiones, & juxta formam Eccleſiæ.

Quid autem importet procedera ſummariè, ſimpliciter, ac de plano, abſque ſtrepitu & figura Judicii ſtatutum ac declaratum fuit a Clemenre V. in Concilio Viennenſi ſub anno 1307. *cap.* 2. per hæc verba: *Sæpe contingit, quod cauſas committimus, & in earum aliquibus ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura Judicis mandamus. De quorum verborum ſignificatione à multis contenditur, & qualiter procedi debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujuſmodi, quantum nobis eſt poſſibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus, ut Judex, cui taliter cauſam committimus, neceſſario libellum non exigat, litis conteſtationem non poſtulet, tempore etiam feriarum, ob neceſſitates hominum indultarum à jure; procedere valeat, amputet delationum materiam, litem quantum poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes, & jurgia, Teſtiumque multitudinem ſuperfluam refrenando. Non ſic tamen Judex litem abbreviet, quin probationes neceſſaria, & defenſiones legitimè omittantur. Citationem verò, ac proteſtationem juramenti de calumnia, vel malitia, ſive de Veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commiſſionem hujuſmodi, intelligimus non excludi*, & refertur *in Clem ſæpe contingit de verb. ſignif.*

Quibus ex verbis clarè patet, integra remanere, quæ ſunt juris naturalis. Nam probationes neceſſariæ ad veritatem indagandam omitti non debent, ac citatio Partium, illarumque defenſiones, legitimè conceduntur, necnon expoſtulatur juramentum Calumniæ Veritatis, & malitiæ: Quod etiam obſervant Farinac. *de hæreſi q.* 185 *num.* 14. *& ſeq.* Souſa *in Ar[illegible] lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 2. *&* 3. Carena *p.* 3 *ti.* 1. *num.* 2.

Tripliciter autem in Judicio contra ſupradictos procedi poteſt. Vel Denunciatione, de qua jam dictum eſt, vel accuſatione vel inquiſitione. Proceditur accuſatione, quando quis aſſumit ſibi onus probandi, quæ contra reum opponit. Inquiſitione, quando judex non ad alicujus inſtantiam, ſed ex Officio procedit ad commiſſi criminis autorem inveſtigandum. Primum de accuſatione, deinde Inquiſitione diſquiremus.

Modus autem procedendi per viam accuſationis eſt in Sancto Officio Inquiſitionis conſuetudine abrogatus, & loco accuſationis eſt conſtitutus Miniſter fiſcalis, qui non ſe ſubſcribit ad pœnam talionis, aut ad alias, quas falſi accuſatores pati ſolent, ſed jurat ſe accuſare non ex malitia; ſed ex neceſſitata Officii, & ob bonum publicum compulſus. Si tamen quis hoc non obſtante, Officium accuſatoris inſtet, ac velit pœni ſubjici, Inquiſitor debet illum accipere, ita tamen, ut accuſationem proponat in ſcriptis juxta Textum *in can. l.* 1. *quæſt.* 8. ubi habetur, *Accuſatorum Perſonna nunquam recipiantur ſine ſcripto.* & *cap. ſuper his de accuſat.* Quoniam ait Textus, ad depoſitionem inſtituitur accuſatio, ſed ad correctionem eſt denunciatio facienda. Sufficit autem, ſi boc ſcriptum fiat à Notario, propoſita expoſtulationa ab Accuſatore coram Judice. Nec eſt neceſſarium, ut Accuſator ſe inſcribat ad pœnam talionis, neque ad id eſt compellendus, ſed ſi in probarione defecerit, acriter coercendus eſt, arbitrio Inquiſitoris, non taman puniendus pœna Talionis. *l. in pravitatis ff. ad Turpil.* Glos *in cap. tua v. effectum de procur.* ut per Pegnam *par.* 3. *com.* 14. *vers. ubi autem*, Conar. *lib.* 1. *var. cap.* 9. *numer.* 1. Royas *ſingul.* 6. *nu.* 6. Caſtropal *par.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 2. *num.* 1. & Caren. *par.* 3. *tit.* 1. *nu.* 2.

Libellus autem accuſationis hebet perſonarum, delicti temporis & loci expreſſionem pro formula, que de re inferius. Quantum autem bæc edferent opis in conſiderendis criminibus, alii docent, ut tantùm ne ſubſcriptione quædam monere neceſſarium ducam. Itaque ſubſcriptio libelli habet expreſſam quandam approbationem eorum quæ ſcripte ſunt *l. ſi quis ex argentarius §. 1. ff. de eod. & §. 2. de empe.* apud Juſtin. *§. ſedee ſi quis, aut mutat inſtrumentum de inſtram. fid. & caut.* ſicut quando Dominus ſervi chitogrepho ſe ſubſcripſit, tenetur actione, quod juſſu *l. 2. §. ſed & ſi ſervi ff. quod juſſu.* & ſi quis alienetionem rei ſuæ ab alio factam ſubſcripſerit ſua manu, videtur approbare, & ſuo juri renunciare. *l. fidejuſſor §. Pater ff. de pignor.* eſtqua ſubſcribere, ſubſignere idem ſentire, retum habere, confirmare, ut & Budæus docet *in l. minor, in annot prior.* Quibus eccuſare interdicitur nec libello accuſationis ſubſcribere conceditur. Ita Cicero *de Divinat* cum de Gebinii eccuſatione quæreretur, pronuncietum eſt, ut quæſtori & Cæcilio nec ſubſiſtendi quidem facultas conceſſe eſſet, Per accuſatorii Libelli ſubſcriptionem ſubſcribens ſe obligare creditur ad probanda illata crimina. *Exiſtimo enim*, inquit Demoſtenes adverſus Midian, *tantum eſſe accuſatoris, ut crimen probet, rei, ut etiam deprecetur.* Et turſum alibi contre Eubulidem ſub initio: *Cum nemini liceat etiamſi obnoxium quoque conſtituerit, per ea nocere cuiquam, qua ſe audiviſſe dicit, quis convenit et vos habere fidem, qui nullo ſuo pericalo nos criminatur.*

Hæc ſpecies aceuſetionis in judicium deletæ, propriè accuſatio ſolemnis dicitur quæ eſt delatio, et perſecutio uſque ad ſententiam criminis facta coram Judice per libellum, colligitur *ex l. un. C de famos. libell. l. qui cum natu major 14. §. accuſaſſe ff. de bon liber* verbis conceptis deſcriptum. & porrectum eidem Judici ed vindictam; opem implorat. nec vindictam petit, niſi per conſequentiem, hæc autem principeliter eo dirigitur *l. 1. §. quod autem dictum ff. de offic. Præf. urb.* libelli inſcriptio ſuam habet conceptem formam, & ſolemnem *in l. libellorum ff. de accuſat.* ut adjiciatur tempus certum, quo crimen commiſſum eſt, quoque certum ſit, adjecto Conſule adminiſtrenre, vel tunc imperenre Principe. Secundò ut nomen inſeratur Magiſtratus, eoram quo proponitur accuſetio Tertio explicetur perſone, quæ eccuſatur, & cum qua deliquerit. Quartò delictum, de quò accuſatur. Quintò locus, in quo commiſſum eſt. Sextò ut qui accuſat ſubſcribat per ſe, vel per alium, ſi literas neſciat, libellum. In primis itaque inſcriptio exigitur, nempe ut accuſatio ex ſcripto concepta porrigetur, & præcedat accuſationis propoſitionem *d. l. libellorum, & l. in criminalibus, & l. fin C. de accuſ.* etiemſi de ſervorum agatur accuſationibus *l. ſi ſervos ff. de accuſat.*

Nec quicunque in diſcrimen capitis eccerſitur, ſtatim reus exiſtimandus eſt, ſi accuſetur, ſed debet, qui crimen intendit primum in judicium venire, nomen rei judicare, vinculum inſcriptionis accipere, & cuſtodiæ ſimilitudinem *d. l. fin. C. de accuſ.* ſic in involutis negotiis exigunt leges, ut plerumque ſcripturam, ut eorum probatio facilior, & firmior perſeveret, ut in emphyteuſi *l. 1. C. de jur. emphyt. l. contrahitur ff. de pign.* mandatis Principum *l. 1. C. de mand. Princip.* literarum obligatione *§. fin de liter. oblig. l. generaliter C. de non num pec.* & aliis ſimilibus. Potiſſimum & in forenſibus negotiis, quenquam civilibus, libellum porrigi oportet euth. offeratur *de lit. conteſt.* nec ſola renunciatio facit accuſationem *cap. licet in Beato Petro de accuſ.* Ideo & poteſt eum quis ab accuſetione abſtinere, idque ſine nota calumniæ non inſcribendo. Verum tamen poſtea volens accuſare. non auditur. Atque ſicut inquiſitionem denunciatio, ſic accuſationem inſcriptio præcedit, *cap. qualiter & quando §. fin de accuſ.*

Sunt plures rationes inſcriptionis, referam peucas, quæ & ad ilem pertinent, & docent, cur hæc ſolemnitas in acuſetione tantopere deſideretur. Prior ergo, ne temere quis proſiliat ad accuſationem, verùm ſciat ex cooceptione inſcriptionis, & ſubſcriptionis ſibi non fore inultam calumniam *l. ſi. cui crimen ff. de accuſ.* ſi quidem per hanc paginam inſcriptionis obligat ſe quodam modo accuſens, & fidejuſſorem de exercenda lite præſtat *l. qui crimen C. qui accuſ. non poſ.* Sic dicimus non prius inſimulanti id eſt accuſetori præberi aſſenſum quàm ſi ſolemni lege vinxerit ne temere reus vexetur. *l. 2. § ex longinquo C. de exib. reis.* Ideo prius eccuſator profitetur crimen ſe probaturum, alioquin pœnam eandem, quem meretur crimen illatum ſubiturum *can. quiſquis, & can. qui crimen, 2. q. 8. can. nullus introducatur §. Inſcriptio 4. q. 4.* Sic periculo capitis ſui accuſator fecile à falſa accuſatione retardatur, & ea quæ probare non poteſt in alterius periculũ non conjiciet *l. in privatu ff. ad S. C. Turpil. l. ab Imperatore ff. de prav. ar. l. fin. ff. de priv. del. l. fin. C. de accuſ. Can. non probaverit 2. q. 5. can.* qui *calumniam 5. q. 6.* & potius in privatis delictis eliget agere civiliter, in que ectione non exigitur inſcriptio *l. fin. ff. dè priv. del. l. fin. ff. de furt.* cum in illis, & civiliter, & criminaliter egi poſſit contra, quàm in publicis, in quibus accuſatio deſiderat inſcriptionem.

Peuca temen excipe, ut ſi maritus jure mariti accuſet de adulterio uxorem quod poteſt ſine inſcriptione, dum ei conceſſum eſt eamdem, & ob ſuſpicionem accuſare *l. quamvis adulterii §. in primis ff. ad leg. Jul. de adult.* intre ſexeginta dies à crimine cognito, intra quos tamen marito ſine inſcriptione licet eccuſare *l. jure mariti C. eod. l. ob commiſſa Cod. eod* ex actis autem juſtis his diebus, aliis adulterium jure civili licet accuſare & ipſi quoque Merito, ſed non niſi cum inſcriptione. Quod & ad Petrem pertinet accuſere filiam da adulterio volentem *l. 2. ſi ſimul, ff. ad leg. Jul. de adult*

Altere ratio iſtius inſcriptionis eſt, eò maturius, & cum majori ſolemnitere trectandum eſſe negotium, quò grevius eſt, & majus verſatur periculum, *cap. ubi periculum de elect. can quieſcamus, 43. d. l. 1. §. ſed & ſi quis ff. de Carb. edict.* Proindè, conceptis & ordinetis verbis, tractanda eſt ceuſa, in qua cum capite, & de fortunis omnibus periclitatur Reus *l. addictos C. de Epiſcop. aud. l. addictos C. de appell. cap. veniens eod.* Tantoque ſubtili ac diligenti notione res eſt quærenda ante ſententiam quanto difficilius eſt poſt executionem revocatio *can. fin 8. q. 2.* Utilius eſt ſontem abſolvi quem innocentem cauſam dicere & condemnari, *leg. abſeatem ff. de pan.* cum impediri malam rem ſit melius, quam concedi male, ut ait Cicero *3. de legib.*

Dehinc tertio, ut conſtat accuſationes inductas eſſe & inventas ad conſervendem integrã ſocietatem hanc humanam, quodque peccata nocentium expediet eſſe nota *l. eum qui nocentem ff. de injur. l. lex Cornelia §. fin. ff. eod leg. 1. ff. de iis qui latr. occult. l 1. §. accuſatoribus ff. de falſ. moner.* Et poſteà citius ſanentur mala, vel tollantur, nè virus illorum cæteros inficiat, vel lædat, vel ne ipſa inſenebilia reddantur more caſtigetionis ſuſpenſa. Tantò enim greviora, quanto animem diutius detineat elligatam *can. non ſatis cum ſeq. de ſimon. cap. fin. de conſuet.* Metu eutem accuſationis continentur homines in officio, caventes, ne quippiam reprehenſione dignum admittant. Neque carent ſue leude qui ſincere accuſant, juvantque rempublicam morbos indicantes, quibus affligitur, cum veritatem in publicas aures, lucemque deduxerunt *l. nulli in fin. C. de Epiſcop aud. l. 1. 1. C. de famoſ. libel.* Proinde æquũm maxima & utilis fuit quibuſdã arctioribus & ſolennibus cancellis eccuſatiões conſtringere, quod nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ ſalubriter pro utilitere hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commo-

dum producamus *l. nulla juris ratio ff. de regul. jur. l. quod favore C. de legib.* Alioque ſatis per ſe accuſatio, ſi à frequenter accidentibus arguere liceat, videtur inferri à zelo, & ſtimulis invidiæ *can. ſi omnia 6 q. 1.* dicta ideo genus illaudabilis intentionis: *can. ſiquis Epiſcopus 2. q. 7.* Accedit & detractio calumniæ, quæ prætextu boni publici ſæpè bonos ac probos perturbat, & diffamat, atque vellicat, quibus obviam iri oportuit, & probationem onus inſcriptione expetere, alioquin parum abeſſet accuſatio ab injuria libelli famoſi, quæ tamen & punitur acerrime, *l. lex Cornelia §. ſi quis librum de injur. l. ob carmen. ff. de teſt. l. 15. cui §. fin. & l. cum lege ff. de teſtib. l. 1. C. de famoſ. libel. l. item apud Labeonem §. ait prætor verſ. ſi quis libelle date ff. de injur.*

Accuſatorum autem temeritas, ut ait Marcellus *in l. 1. ff. ad S.C. Turpil. can. fin. §. 1. 2. q. 1.* tribus modis detegitur, & tribus pœnis ſubjicitur. Aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiverſantur, In exceſſu calumnia, in defectu prævaricatio, & tergiverſatio in medio legitima accuſatio. De Calumnia nunc breviter, de aliis mox dicimus.

Calumniari eſt falſa crimina intendere *d. l. 1. ff. ad Turpil. ſcienter l. athletas §. calumniator ff. de iis qui not. infam.* & malitioſe ſtudio divexandi, & infamandi, ſic & Nonius calumniam, malitioſam & mendacem infamationem interpretatur. Undè & calumniam incurrere dicuntur, qui ut ſe eximant à periculo calumniæ, vel deſertionis diffidendo crimini, quod movent, inſtigant accuſatorem, aut inſtruunt, aut ſubmittunt *d. l. 1. §. incidit ad Turpil.* aut mandant accuſare. Qui in fraudem alicujus librum, aut teſtimonium, falſum ſcilicet, aliudve conquiſiviſſe, vel conſcripſiſſe, vel in judicium protuliſſe dicuntur, *l. ab accuſatione 6. §. fin. eod.* Nec tamen ſubmiſſus calumniæ pœnam effugiet *ff. eod. &* ſecundũ Ulpianum enarratorem Demoſthenis *in orat. de coron. Calumniator dicitur non is tantum qui mentitur, ſed & is, qui ea curat, quæ ad ſe non pertinent, & qui improbè loquitur.* Et Polybius ait *lib. 4. hiſt. in fin.* novum modum calumniandi invẽtum, non vituperando, ſed laudando, famæ, ac commodis hominum inſidiari. Quod vitium, inquit, in aulis Principum uſque adeo inolevit, ut ea loca, tanquam proprias ſedes videatur elegiſſe. Proinde excuſatur à calumniæ pœna, qui accuſant falsò, juſto tamen aliquo dolore vel cauſa legitima ad id impulſi *l. quamvis adulterium C. ad leg. Jul. de adult. l. 2. Cod. de Calumn. & l. calumnia pœna Cod. eod.* non malitia, vel evidenti calumnia. Item & officii accuſandi neceſſitas damnumve excuſat *l. 2. C. qui accuſ. non poſſ. l. interem ff. de iis, quib. ut indign. l. qui cum major §. ſi patris ff. de bon. liber.* Quare & Judex de accuſatoris conſilio quærit, qua mente ad accuſationem proceſſit, ſi quidem juſtum ejus errorem repeterit, abſolvit eum, ſi vero in evidenti calumnia deprehenderit, legitimam pœnam ei irrogat, Quod pronunciationis ejus verbis manifeſtatur. Nam ſi ita pronunciaverit; *Non probaſti*, pepercit ei. Si autem pronunciaverit, *calumniatus es*, condemnavit eum. Et quamvis nihil de pœna ſubjecerit, tamen legis poteſtas adverſus eum exercebitur. Hæc Marcianus *l. 1. §. ſed utique ad S. C. Turpil. l. qui calumniatur C. de calumniat.*

Accedunt & ad calumniam alii, qui non probant, quod intendunt *l. 1 ff. de advoc. diverſ. Judic. auth. novo jure de pœn. judic. qui male jud. l. 3. §. idem divus ff. de teſti.* Verùm ii non patiuntur eam pœnam qua publici judicii, vel ſtatus accuſatores falsò puniuntur, atqui calumniatores *C. de calumniat.* Sed aliam pœnam arbitrariam, quam pro calumnia, & in privatis, ut in publicis judicis judex infligit *l. & in privatis, l. ſi quis ſtellionatus ff. ad S.C. Turpil.* ſi actum ſit criminaliter *fin. ff. de furt.* Pœna quippe gravis calumniantibus imponitur, ne impune ferant licentiam mentiendi, & ideo eorum vindictam ſimilitudinem ſupplicii repoſcit *l. non prim 7. & l. fin. C. de calumniat. l. fin. C. de accuſ. can. 2. 2. q. 3. & in privatis 3. ff. ad S. C. Turpil.* quando ſcilicet cum proportione ſumi poſt pœna.

Diximus alibi de pœna talionis, & hanc jura quoque pontificia probare in iis, qui accuſata non probant *can. qui calumniam & ſeq. 5. q. 6.* extraordinaria tamen pœna jure pontificio impoſita, ut clericus calumniator privetur officio, & verberatus publice in exilium mittatur *cap. 1. de calumniat.* utque ſuſpectus calumniam intuliſſe in probatione objectorum poſt accuſationem criminum deficiens ab officio, & beneficio ſuſpendatur, ſi clericus ſit, donec innocentiam ſuam purget *cap. 2. eod. tit.* ſicuti, & qui contra electionem factam conqueſtus detulerit aliquod crimen electo, & non probaverit, à beneficiis Eccleſiaſticis per triennium ſuſpendatur, niſi à calumniæ vitio cauſa probabili ſe exemerit, *cap. 1. §. adjicientes de elect. in 6.* Lex Memmia contra calumniatores invẽta, ut ait Cicero pro Sexto Roſcio, ne liceret judicio, legibus, ac majeſtate populi abuti ad quæſtum & libidinem; & ita accuſaret, vel id objicere, quod planum facere non modò non poſſis, verum ne coneris quidem. Marcellus Juriſconſultus *l. 1. §. calumniatoribus ff. ad S. C. Turpil.* vocat hanc legem, Rhemmiam. Demoſtenes contra Ariſtogito in calumniatores cito ac ſevere animadvertendum eſſe pulchra ſimilitudine admonet: *Neminem fortaſſe veſtrum*, inquit, *nunquam ſerpens momordit aut araneus, & abſit, ut unquam mordeat, ſed tamen eas animantes, ut videritis, ſtatim occiditis. Ad eundem igitur modum, Athenienſes, etiam cum calumniatorem & acerbum & natura ſerpentina præditum hominem videritis, nedum veſtrum ſingulos mordeat, expectate, ſed primus quiſque qui in eum inciderit, ulciſcatur.* Et paulo ante dixerat, uſque ad radices eſſe penitus extirpandum ex Republica hoc genus hominum calumniatorum, veluti hoſtium naturæ & generis bonorum.

Solent Judices vel calumniam eodem judicio abſolutionis rei damnare, vel judicium eadem ſententia reo reſervare; aliter enim non calumniatus videtur accuſator, nec de calumnia in eum agi poſſe placuit *d. l. 1. C. de calumniat. l. 1. §. ſed non utique ff. ad S. C. Turpil.* Rationes puniendarum calumniarum faciles ſunt, & fere ſimiles illis, quibus pœnas conſtituunt leges in deliquentes, & idem illa potior, ut innocentia inter improbos tuta ſit & calumniatorum audacia compeſcatur *can. facta ſunt autem leges d. 4.* ut impium viſum eſt innocentes proſequi, & ad pœnam poſtulare *can. ſi non licet & can. non fruſtra 23. q. 5.* D. Auguſtinus *lib. 1. de civit. cap 17.* Atque ut cæteri ſimili pœna perterriti, ad accuſandum facile non proſiliant *cap. 2. de calumniat. l. ſi cui crimen. ff. de accuſ. arg. §. famoſos l. capitulum ff. de pœn.* Neque ſcrupuloſius inquirendum puto in hac quæſtione cur diverſæ pœnæ calumniatoribus ex more diverſo regionum conſtitutæ ſunt, vel variæ in diverſis juris capitibus. Eo quod adnotatum jam exiſtimem, omnes pœnas imponi, adhibita ratione perſonarum, & earũ qualitatis *l. aut facta §. perſonarum cum ſimil. ff. de pœn.* Et proinde etiam in calumniæ pœna perſonarum accuſati & calumniantis addere periſtaſes diverſas. Et magis punitur is, qui ſacratam perſonam, quam qui quemlibet alium calumniatus ſit *cap. 1. de calumniat. can. omnes 22. q. 1.* Et qui per ſimilitudinem ſupplicii luere calumniam non poteſt, una pœna pluribus pœnis ad æqualitatem geometricam talionis caſtigatur, veluti æſtimatione facta dignitatis *cap. 1. §. fin.* ibique Felin. & Panorm. *de calum. §. pœna autem de injur.* & hinc factum eſt, ut quia dignitatis, & criminum apud diverſas nationes eſt diverſa æſtimatio, ita & pœnæ talionis & repaſſionis diverſæ ſint, Vide *l. 5. tit. de Judicib. lib. 7. C. de Wiſigoth. tit. 1.* Diodorum Siculum *lib. 12.* Appianum

Alexan-

Alexandrinum *lib. 2. de bello civili.*

Sed & delatores, qui clam criminia deferunt, quamvis ſubſcribere ſe denunciationi non teneantur *cap. ſuper his, & cap. licet de accuſ. l. ea quidem C. eod. tit.* tamen impune non ferunt quod ita detrahant bonæ famæ proximi, ſed puniuntur *Pſal.* 1.. *can. qui in alterius famam, & can. quidam maligni 5. q. 1. can. nimium 23. q. 4.* fiuntque infames *can. deteriores 6. q. 1.* & verberibus caſtigantur, officio, & beneficio, ſi habeant, privati *can. quis juxta 5. q. 6.* Et ut falſi teſtes, vindictæ obnoxii, ab omni communione Chriſtiana extorres *can. Epiphaniam & can. pen. & fin. 5. q. 6.* & ex decreto Adriani Papæ delatori aut lingua capuletur, aut caput amputetur *can. delatori 5. q. 6.* Adjungi poſſunt pœnæ, quæ in maledicos ſtatutæ ſunt *l. 1. C. de famos. libel.* Et Ulpianus reſpondit *l. item apud Labeonem 15. §. ſiquis libello ff. de injur. l. lex Cornelia §. fin. & l. ſeq. eod. tit.* ſi quis libello dato vel Principi, vel alicui famam alienam inſectatus fuerit, injuriarum actione eſſe agendum ex ſententia Papiniani. Et expreſſe Clericus, qui defecit in probatione criminis denunciati, ab officio, & beneficio ſuſpenditur, donec purgaverit ſuam innocentiam, ſe non calumniandi animo propoſuiſſe, ut cæteri hac pœna perterriti, facile ad infamiam ſuorum non proſiliant Prælatorum *cap. 2. de calumniat.*

Quanti igitur intereſt reo, reſtituere, & ſatisfacere Accuſator, & delator calumniatores debent, ut per Sylveſt. *& accuſatio qu. 7:* Sayr. *in cl. reg. lib. 12. cap. 15. num. 13.* Menoch. *de arb. cas. 321. n. ult. Boſſ. de accuſ. num. 28.* Briaz *in prim. cap. 68. n. 6.*

Afficiturque juris infamia calumniator, ſi de calumnia fuerit condemnatus, *can. ſi quis 2. & q. 3. concordat d. l. 1. & d. l. athletas. §. calumniator. ff. de his, qui not. infam. l. 3. C. de calumniat. l. palam. § Senator ff. de rit. nupt.* Abb. *in cap. fin. de calumniat.* Rodriq. *qq. regul. 32. art. 2. tom. 2.* Molin. *tract. 4. diſp. 9. num 8.* Majol. *de irreg. lib. 2. cap. 7. §. hinc illud,* Sayr. *lib. 12. cap. 15. num. 18.* Menoch. *de arb. caſ. 322,* Immo quotieſcunque calumnia fuerit notoria, erit calumniator de jure Canonico infamis infamia juris, quia hoc jure omne crimen depoſitione dignum ſecundum magis communem, ſi fuerit notorium, reddit infamem infamia juris, Sayr. *lib. 7. cap. 1. n. 12.* Garz. *de benef. p. 11. cap. 3. num. 110.* Sanch. *concil. lib. 2. cap. 2. dub. 18. in fin.* Hoc autem crimen eſt depoſitione dignum *cap. 1. de calumniat.* Ac proinde irregularis efficitur calumniator ubicunque infamia juris affectus fuerit, ut ſupra, Majol *lib. 2. cap. 7. §. hinc illud,* & ex regula generali, quam tradit & probat Garz. *p. 7. cap. 8. nu. 11.*

At notandum, quod licet in cauſis atrocioribus accuſator, & delator non puniantur de calumnia, Menoch. *caſ. 321. n. 26.* id tamen verum eſt quod ad pœnam ordinariam talionis, vel aliam ejus loco ſuccedentem, ſecus tamen quoad infamiam, & reſtituendi obligationem, Menoch. *de arb. d. caſ. 321, numer. 33.*

Suſpenſionem quoque incurrit ipſo jure à beneficiis Eccleſiaſticis per triennium is, qui in perſonam electi ad dignitates Eccleſiaſticas, vel perſonatus, vel Canonicatus aliquid objicit & deficit in probatione. Quod ſi interim ſe ingerat ad ea beneficia, iis ipſo jure privatus remanet, niſi manifeſtiſſimis documentis conſtiterit, eum cauſa probabili à calumniæ culpa excuſandum *cap. 1. de elect. in 6.*

Et nihilominus, ut paucis id abſolvam, talis & tanta erat de jure accuſatorum cura & diligentia ad probationes promovendas, quod ſi illas poſtea non complevíſſent, non ſolum calumniatores, veluti falſa crimina intendentes, reputabantur, ut in *d. l. 1 S. calumniari. ff. ad Turpill.* ſed etiam ut dictum eſt, ad pœnam talionis tenebantur *d. l. 1. C. de accuſ. lib. 2. &. fin. ff de adult.* Et hinc eſt, quod tunc temporis inolevit, quod accuſatores ſe inſcribere accuſationi tenebantur, quod erat ſe obligare, ſi non probaſſent ad eam pœnam, quam reus debebat pati, vel quam accuſando inferre intendebant, ſi probaſſent, ut *in d. cap. ſuper his de accus. in Gloſ.* & *d. can. quiſquis 2. qu. 8.* At hodie hæc formula inſcribendi receſſit ab aula, ut notat Guaz. *def. 3. cap. 3. num. 13.* & numquam, aut raro hujuſmodi accuſatores puniri, ſolent, ne metu pœnæ homines ſe abſtineant ab accuſando, Honded. *conſ. 112. n. 43. lib. 1.* Requiritur tamen pro forma, ut in accuſatione ſpecifice exprimantur delicta, ſuper quibus inſtituitur accuſatio, aliàs illa non procederet, quantumcunque generalis fuerit, atque etiam per accuſatorem probata fuerit, aliàs uti calumniator haberetur. Calumnia enim præſumitur in non probante, Bald. *in d. l. athletas §. calumniator. num. 8 ff. de his, qui not. infam.* Veritas tamen facti à calumnia defendit, *l. ſi convitis C. de injur.* Bald. in l. *debitt n. 3 ff. eod.*

At quid ſi accuſator ſe inſcripſiſſet, nunquid teneretur ad pœnam inſcriptionis? Minime, ſed erit puniendus pœna extraordinaria, ut firmat Scacc. *de judic. lib. 1. cap. 51. num. 16. per cap. ſuper his de accuſ.* Maxime ſi probata fuit accuſatio per unum teſtem, Quia tale jus admittitur per quandam analogiam, hoc eſt per quandam proportionem, non per æqualitatem, Bartol. *in l. ſi cui in princ. ff. de accuſ.* Felin. *in d. cap. ſuper his col. 4* ne, ut dixi, propter antiquorum rigorem accuſatores retrahantur ab accuſatione, & ſic delicta remanerent impunita contra *l. ita vulneratus §. penult. ff ad leg. Aquil.*

In S Officio calumniatores, ultra pœnas corporis afflictivas, damnantur ad reficiendum damna, expenſas, & intereſſe, 30. Maii 1601. Et calumniantes aliquem, ut hæreticum, puniuntur in S. Officio, inſtante tamen calumniato. 20. Maij 1613. De hiſce calumniatoribus, quod ad S. Officium, vide quæ alibi dixi.

Prævaricari autem eſt vera crimina abſcondere l. ad S. C. Turpil. *Et prævaricator*, inquit Ulpianus, *quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat, prodita cauſa. Quod nomen Labeo à varia certatione tractum ait. Nam qui prævaricatur ex utraque parte conſiſtit, quinimo ex adverſa.* Ulp. *in l. athletas 4. § item prævaricator ff. de his, qui not. infam.* Et iterum: Prævaricatores eos appellamus, qui cauſã adverſariis ſuis donant, & ex parte actoris in partem rei contendunt, Ulp. *in l. prævaricatores 212. ff. de verb. ſignif. l. 1. ff. de prævaricat.* Propriè autem prævaricator dicitur, qui publico judicio accuſaverit, & in alteram partem declinat. Eſt & prævaricator, ſed minus propriè, nec eadem pœna, qua ſuperior puniendus, advocatus, qui in privato judicio in alteram partẽ quam eam, quam prius defendendam ſuſceperat, tranſit, extra ordinem puniendus *d. l. 1. & 3. §. fin. ff. eod,* Cicero *in partitionibus* prævaricatoris nomen ait, eum ſignificare, qui in contrariis cauſis, quaſi varie eſſe poſitus videatur. Et contrarium nomen prævaricatoris verò accuſatori, utpote corruptum pecunia accuſatorem, & colludentem cum adverſario ſignificans. Ita & alibi de *Aruſp. reſponſ. Clodius à Catilina pecuniam accepit, ut turpiſſime prævaricaretur. Latius* Marcellus *in l, 1. §. prævaricatorem eſſe ff. ad S. C. Turpil. prævaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & translatitiè munere accuſandi defungitur, eo quod proprias quidem probationes diſſimularet, falſas verò admitteret.* Cicero quoque & in reum, accuſatorem cadere poſſe innuit, dum ait *in partit.* prævaricationem definiri nunc ab accuſatore, nunc à reo corruptelam eſſe judicii.

Pœna prævaricationis, ut qui prævaricantur eadem pœna afficiantur, qua tenerentur ſi ipſi in legem commiſiſſent, qua reus propter prævaricationem abſolutus

eſt Paul. *l. pen. ff. de prævar.* At is, qui delatorem corrupit ex S C. Turpilliano pro convicto habetur, Ulp. *l. fin. eod* niſi palam fiat ab innocēte extortam fuiſſe pecuniā nempe redimendæ vexationis cauſa *d. l. fin. l. ſi ab eo* 8. *ff. de calumniat. l. ſervi ff. de adult. l. transfigere C. de tranſact*, Vel niſi reus criminis mortem inferentis fuerit poſtulatus, cui parcitur, qui exiſtimavit bonum, quomodocunque ſanguinem, ſeu vitam ſuam redimere *l. 1. & 2. de bon. eor. qui mor. ſibi conſc. d. l. transfigere*. Hodie tamen, inquit Ulpianus, prævaricationis pœna eſt extraordinario pro modo admiſſi *l. 2. de prævar.* ſaltem infamia ſecundum Marcellum *l. ſi is 4 eod.* & in poſterum ab accuſatione rejici *l. accuſator eod.* ſed & ultra inquiritur, & novo judicio officio judicis de colluſione & de crimine, quod deſtitit accuſator, accuſare *l. 1. 2. & fin. de colluſ.*

Accuſator itaque, vel procurator, vel advocatus, qui in judicio publico prævaricatus fuerit, ſi de prævaricatione condemnatus fuerit, afficitur juris infamia *d. l. athletas §. calumniator. ff. de his, qui not. infam. l. 1. & l. ſi is ff. de prævar.* Menoch. *de arb. caſ.* 323. Et Advocatus, vel Procurator, qui ſecreta revelat parti adverſæ, ſi hoc crimine fuerit damnatus, eo ipſo eſt infamia juris affectus Gloſſ. *in d. §. calumniator.* Menoch. *loc. cit.* An autem licitum ſit Advocato patrocinari pro utraque parte vide Sanch. *conſil. lib. 6. cap. 7. dub. 7.*

Infamis effectus prævaricator, conſequenter erit irregularis, ut promoveri non poſſit, neque in ſuſceptis miniſtrare.

Tergiverſari verò eſt in univerſum ab accuſatione deſiſtere. *l. 1. §. 1. ad ſ. C. Turpil.* ſcilicet publici criminis, non privati Ulp. *in l. ſi quis repetere 7. §. fin. eod.* Papin. *l. 4. eod.* diſcedere ab accuſatione, & illam abjicere, quo caſu quis in Senatuſconſultum Turpillianum incidiſſe dicitur *l. in Senatuſconſultum 15. ff eod. l. 1. C. eod.* Deſtitiſſe autem ille videtur, qui prorſus animum accuſationis implendæ deſeruit, non qui diſtulit aliqua cauſa proſequi *l. fin. C. ad S. C. Turpill. l. deſtitiſſe, & l. ab accuſatione in princ. §. deſtitiſſe ff. de judic.* dummodo intra biennium proſequatur omiſſam accuſationem, quia lis criminalis ultra non prorogatur, & poſt biennium abſolvi reus, vel damnari debet *l. fin. C. ut int. cert. temp. crim. quæſt. termin. lib. 9. tit.* 44. Proinde hoc elapſo ſine accuſationis proſecutione, ſine impetratione abolitionis deſtitiſſe videtur, & pœnas legibus conſtitutas tergiverſatoribus ſubire debet *l. 2, eod. tit.* quarta bonorum parte mulctatus, & infamia *l. 1. C. eod.* Deſtitiſſe etiam videtur, qui reo condemnato, ſed provocante, non proſequitur appellationem *l. 1. §. fin. ff. ad S. C. Turpil. l. minoribus 6. C. de iis, quib. ut indign. lib. 6 tit.* 35. dummodo agatur, de accuſatoribus, qui ſi non probent, de calumnia damnari poſſunt, Si enim non teneantur de calumnia, ſi deſiſtant, in Turpillianum non incidunt *l. in Senatuſconſultum 15. §. eos ad S. C. Turpil.*

At qui nondum cœpit, rectè non dicitur deſtitiſſe, & ſi dicat ſe velle accuſare, & tamen libellum non porrexerit præſentis accuſationis, Paul *l. quæſitum 5. eod. l. 1. C. eod.* Sed nec is, qui cœpit, & morte rei deſtitit, Nam crimen accuſantis nullum, cum morte extinguatur crimen, & conſequenter accuſatio *d. l. in Senatuſconſultum §. ſi propter mortem ff. ad S. C. Turpil. l. defuncto ff. de publ. judic. l. 2. & 4. C. ſi reus, ad accuſ. mort. fuer.* excipe crimen hæreſis, ut ſupra diximus, Verum & id ipſum, ſi accuſator ipſe moritur, pendente judicio, quo caſu & reus petere poteſt expungi nomen ſuum è reorum albo, niſi alius accuſet, quod licet *l. libellorum §. fin. ff. de accuſat.* Pari modo, ſi tutor nomine pupilli accuſet, & is deceſſerit tutor non tenetur perſequi accuſationem, Ulp. *in l. D. Adrianus 14. ff. ad S. C. Turpill.* & impune deſiſtit, ſicut & is, qui deſtitit ex principis permiſſu, abolitionem conſecutus.

Pœna ejus qui per prævaricationem in Turpillianū inciderit, publici judicii non eſt, quia nec lege aliqua de hac re cautum eſt, neque per Senatuſconſultū Turpillianum publica accuſatio inducta eſt, ſed eo pœna quinque librarum auri in deſiſtentē ſtatuitur *l. 3. §. fin. ff. de prævar.* item infamia *l. 1. C. ut int. cert. temp. crim. quæſt. term. l. 2. C. ad Turpil.* & aliquando quartæ partis bonorum publicatio *l. 1 2. C. eod.* Puniuntur etiā extra ordinem ad motum & artificium judicis, & ſumptus refundunt, quos rei paſſi ſunt *l. qui crimen. 3. C. qui accuſ. non poſ. l. 2. C. ad S. C. Turp. l. abſentem 5. §. pen. ff. de pœn.* ut & in civilibus negotiis æquum eſt temere in jus alium vocantem, ſumptus litis reſtituere *l. eum, quem temere ff. de judic. l. non ignorat C. de fruct. & lit. expenſ.* Pœna alia a Paulo juriſconſulto refertur ut is qui deſtiterit agere amplius & accuſare prohibeatur, *l. qui deſtitit 2. ff. ad S. C. Turpil.* Statuit Domitianus Cæſar, ut accuſatori, qui cauſam non teneret, exilium pœna eſſet, Suet. *in Domitiani cap.* 9. Et Honorius hanc etiam pœnam conſtituit in vili accuſatore, cui damnum famæ non ſit injuria. In aliis autem infamiam *l. 2. §. 1 C. ut int. cert. temp.* cum ademptione quartæ partes bonorum *l. 1. ff. eod.* Et quamvis pœnas calumniatoris is, qui deſtitit ab accuſatione, vel denunciatione non punitur, *l. quærebatur ff. ad S. C. Turpil.* tamen punitur pœna Senatuſconſulti Turpilliani *in lib. ab accuſatione §. fin. eod.* Gloſ. *in l. 21. v. exilii C. ut inter. cert. temp. &c.*

Accuſator autem, dum inventa accuſatione non ad pœnam ſibi applicandam, deſiſtit ab acuſatione citra abſolutionem, dicitur tergiverſator, & ſi de hoc crimine fuerit condemnatus juris infamiam incurrit *l. 2.* ibique Gloſſ. *& d. l. 2. C ut in tr. cert. temp. l. 2. C. ut intr. ad Turpil.* Gloſ. *in l. 1. qui judic. ff. de his, qui not. infam.* Molin. *tract 4. diſp. 9. nu.* 11. Clar *§. fin. q.* 72. & conſequenter talis condemnatus ob infamiam erit irregularis.

At hodie non eſt uſu receptum, ut ob hoc crimen tergiverſationis quis puniatur, neque crimini datur: ideo neque hodie efficitur infamis deſiſtēs ab accuſatione, neque irregularis, Molina *loc. cit. & tr. 2. diſp. 47. n.* 10. Nam hodie ex conſuetudine, ſi accuſator deſiſtit judex ex officio procedit, Clar. *§ fin. q. q.* 58.

Hinc ſi accuſator verè ſe inſcripſerit, & ac pœnam talionis ſe obligaverit, non erit puniendus ea pœna, quam reus luiturus eſſet, ſi crimen probatum fuiſſet ſed mitiori, neque erit tradendus Curiæ ſæculari, ſi formalem hæreſim reo objecerit, nec probavit. Nam accuſator minus nocet quàm teſtis, cùm ſolus ipſe nō ſufficiat ad convincendum reum. Teſtes autem falſi non puniuntur pœna talionis. Quare nunquā in S. Officio conſuetudine receptum fuit, accuſator pœna talionis plectetur. Quod videtur probare textus *in d. cap. ſuper his de accuſ.* Verum etſi pœnam talionis ſubire non debeat, ſi tamen defecerit in probatione, graviter puniendus eſt arbitrio Inquiſitorum, cùm habeatur, ut calumniator, & tanquam calumniator puniendus eſt ut per Royam *ſing.* 8. Pegn. *p. 1. com. 14 verſ. ubi autem* Farinac. *de hæreſ. q.* 185. *nu.* 37. Caſtropa. *p. 1. tr. 4. diſp 8. pun. 2. n. 2. ac cæteros.*

Num autem inimicus capitalis poſſit admitti in hoc crimine tanquā accuſator, negant Eymeric. *p. 3. direct. q.* 67. ibique Pegna *com.* 116. Campeg. *in addit ad Zanchin. tr. de hæret. lit. D. ut omnis.* Ducuntur, quia inimicus non præſumitur procedere zelo juſtitiæ, ſed livore vindictæ, atque adeo præſumitur calumniator *can. quod ſuſpecti, can. ex nominis, can. omnes, can. accuſatoribus 3 q 5.* & ſatius ab initio præcavere quā poſt vulneratā cauſam & remedium quærere *l. 1. C. in quibus cauſ. in integr. reſti.* & *l. 1. ff. quando lic. ſin. jud. ſe vindi.* intelligendaque eſt ſuſpicio non levis præſumptionis, ſed argumentis probatæ juris ac de jure, relati

qui

qui aliquid commiſit, in eodem genere mali ſuſpectus & ideo repellendus dicitur, ut in *l. 3. §. item erit quærendum, verſ. ſi autem, & 5. ſi curator ff. de ſuſpect. tut.* ſicuti & ſemel bonus in eodem genere boni, talis ſemper præſumitur *l. non omnes ff. de re milit. l. ſi filium C. de liber. can.* Et eadem quoque ratione prohibentur, ut ſuſpecti criminom ſocii, accuſare ſocios *l. ſi duo ff. de dolo d. l. ſi filium C. de lib. can.* Nequis *aut lex. l. fin. C. de accuſ.* ſibi blandiatur objectu cujuslibet criminis, de ſe in quæſtione confeſſus, veniam ſperans propter flagitia adjuncti, vel ne proptet communionem criminis perſonæ ſuperiotis optet conſortium, aut ne in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte inimici ſupplicio velit ſalvari, aut eripi ſe poſſe confidat ſtudio, vel privilegio nominati. Et quia in quolibet delicto, quantumvis gravi, inimicus capitalis repellitur à teſtimonio dicendo per textum *in l. 3. ff. de teſtib. & l. 1. §. Præterea ff. de quæſtion. & auth. ſi teſtis productus C. de teſtib.* Qui autem excluditur à teſtificando, excluditur etiam ab accuſando *can. teſtes 2. q. 7. can. ſane 15 qu. 3 can. ſuper prudentia 12. q. 2.* & tradit late Decian. *in tr. crim. lib. 3. cap. 25.* In dubiis enim benigniotem ſequi oportet viam, undè & propter ſuſpicionem quandam calumniæ repelli poſſe accuſatorem placuit *l. alii propter ſuſpicionem ff. de accuſ. can. accuſatio quoque 2. q. 7.* & tradit late Dacian. in *tr. crim. lib. 3.*

Admitti autem poſſe, caute tamen, & ot ſuſpectum, affirmant Clar. *in pr. q. 14. verſ. Ulterius dixi*, Gigas *de crim. læſ. Majeſt. lib. 2. rubr. qui accuſ. poſ. q. 6. num. 13.* Decian. *loc. cit. n. 7.* Pariſ. *conſ. 2. n. 54. & 75. lib. 3.* Farinac. *de hæreſ. d. q. 185. n 29.* & *lib. 1. pr. q. 12 n. 39.* & Caſtropal. *d. diſp. 8. pun. 2. n. 7.* quibus ſubſcribo, Nam accuſator non probat crimen commiſſum, ſed ſolum exhibet probationem. Dum igitur accuſator fidem non facit, quia non aſſumitur, ut teſtis, nulla eſt efficax ratio, ullum excludēdi ab accuſatione, præcipuè cùm ex illius admiſſione poſſit damno publico præcaveri. Quod ſi ad hæc crimina accuſandum non admittatur inimicus, difficilè invenietur, qui accuſet. Atque ex his fit ſatis rationibus contrariæ ſententiæ.

In multis verò cauſis accuſator poteſt, ac debet deſiſtere ab accuſatione incepta. Primò ſi advertit, ſe erraſſe accuſando innocentem pro reo. Vel ſi dubitet erraſſe, & poſt diligentem inquiſitionem adhuc in dibio perſeveret. Secundò, ſi videat ſe non poſſe probare quod in accuſatione dixit contra aliquem. Tunc enim in accuſatione perſiſtendo, eſſet calumniator. Tertiò, ſi Judex in accuſatione non admittat, vel eam admiſſam reſcindat. Nam id facere poteſt Judex, ſi cognoſcat, libellom habere aliquem defectum ſubſtantialem, vel ſi accuſatus non poſſit ſine magna Reipublicæ perturbatione puniri. Quo in caſu poteſt Judex ſupremus ſive Princeps accuſationē inchoatam abolere, ne ſequatur damnum publicum. Et ſimiliter ſi accuſatus bono publico cenſeatur neceſſarius, aut valdè utilis. Judex verò inferior, cum ad ipſum non ſpectet principaliter boni publici promotio, ſed injuncti officii adminiſtratio nequit prætextu majoris boni publici accuſationem admiſſam abolere, & ſe à negotio eximere. Nam ita ſæpè poſſet liberare quos vellet. Poteſt tamen Principem monere quid judicet expedire, ac interim ſententiam ſuſpendere, donec à Principe de tali re deliberationem accipiat. Non poteſt autem accuſator deſiſtere quando tenetur accuſare, vèl ſine autoritate Judicis poſt litem inchoatam: Quod ſi aliter, quàm conveniens eſt, deſiſtat, poteſt Judex procedere per inquiſitionem.

Nec fariie audiendus eſt accuſator, ſi poſt factam rei accuſationem velit ab illius accuſatione deſiſtere. Nam hujuſmodi crimen eſt graviſſimum, ac plurimum Reipublicæ ac bono communi intereſt, ut reus, ſive ille ſit, qui fuit accuſatus, ſive accuſator ipſe, puniatur. Nā Judex non minus accuſatorem ad docēdum quæ detulit, quàm reum ad purgandum quæ negat, debet urgere, ut ex *l. ult. in fin. C. de abolit.* & Pegna *p. 3 direct. conſ. 14. verſ. Item ſi reus* ubi etiam ſubdit, hoc idem ſervandum eſt cum eo, qui denunciavit, ſi dicat falſum denunciaſſe, aut quid ſimile, non enim eſt facile audiendus, ne forte cum denunciato, vel cum teſtibus, ad crimen occultandum, convenerit.

Minuſquè facilè poteſt inquiſitor conſulere accuſatori, ut deſiſtat, vel amoveat verbum accuſationis, & apponat denunciationis, ſi teſtes ab eo producti contra reum vel nihil probent, vel non plene probent delictum, ut ait Pegna *loc. cit. verſ. Atque ex his*, quare & aliquando Inquiſitori hoc licere, tradit Eymeric *p. 3. direct. n. 71.* cujus hæc ſunt verba. *Inquiſitor mandabit accuſatori, quod nomina teſtium producat quibus productis, citabuntur, & examinabuntur diligenter medio juramento. Et ſi reperiatur, quod nihil faciant ad factum, Inquiſitor conſulet accuſatori, quod deſiſtat, & ipſe Inquiſitor ſuperſedeat, Si autem reperiatur, quod teſtes non plene probent, licet eorum dicta faciant magna indicia, conſulet Inquiſitore accuſator, quod amoveat verbum accuſationis, & apponat denunciationis, ut ſic Inquiſitor procedat ex officio, & non ad partis inſtantiam propter accuſatoris grave periculum.* At ego id quemadmodum & alia plura Inquiſitoris arbitrio committo.

Certum autem eſt in cauſis ad ſanctum Officium pertinentibus inhabiles admitti ad accuſandum. Nam ſicuti in cauſis fidei poſſunt inhabiles teſtimonium ferre, ut alias probabimus, ita etiam poſſunt accuſare. Valet enim argumentum à teſte ad accuſatorem *can. ſuper prudentia 12. quæſt. 2. l. qui enim §. p. ff. de bon. liber.* & docent Farinac. *de hæreſ. d. quæſt. 185. n. 23. & ſeq.* Souſa *in aphoriſm. lib. 2. cap. 2. n. 6. &* Carena *p. 3. tit. 1. §. 1. n. 5. ac 6.*

Haberurque accuſator in S, Officio loco teſtis ſicuti denunciator, ut per Carenam *ibid. n. 20.* dummodo tamen non ſit inimicus. Quod ſentiunt Royas *ſing. 7.* Farinac. *d. q. 185. n. 32.* Souſa *d. cap. 2. nu. 8. & nos in Parergis*, licet in aliis caſibus accuſator non poſſit eſſe teſtis in cauſa, in qua eſt accuſator *in cap. in omni negotio de teſtib.* & tradunt Sot. *de tegend. ſecret. membr. 2. q. 4. & 5. ac* Delbene *de Offic. Inquiſ. p. 2. dub. 181. pet. 10. n. 8.* & hæc eſt præcipua differentia inter accuſatorem, & denunciatorem, cum accuſator in aliis caſibus non pertinentibus ad *S.* Officium non poſſit eſſe teſtis, cum non ſit in poteſtate Jodicis transformare teſtem in accuſatorem, quod non eſt in denunciatore, qui poteſt eſſe teſtis, ut etiam videtur tenere Auguſt, *ad Angel. de malef. n. nec non ad denunciandum n. 21.* ubi ait Denunciator poteſt eſſe teſtis de viſis ſuper delicto, ſuper quo denunciavit, quia denunciator, uti talis deounciat ſecundum conſcientiam publicam bono zelo, quando verò teſtificatur teſtatur ſecundum proptiam & privatam conſcientiam per *d. textum cap.* in omni negotio, ibique Bald. *de teſtib.*

Quomodo autem inſtituenda ſit in S. Officio accuſatio, ſatis exprimit Eymeric. *p. 7. direct. n. 67.* ubi Pegna *com. 14.* ipſos adi. Param. autem de *Orig. S. Inquiſit. lib. 1. q. 9. n. 17. & 93.* ait non eſſe neceſſarium exprimi in accuſatione locum loci; ut Canoniſtæ loquuntur, ſcilicet ſpecialem locum, ut domum, vel Eccleſiam talis Civitatis, & tempus præciſum patrati criminis, ſed tantum menſem, & annum, Civitatem, apud Paulum Juriſconſultum, idque nè accuſatus in notitia teſtium, antequam producantur deveniat. Et quia ſolennitates apud Paulum Juriſconſultum *in l. libellorum ff. de accuſat.* non debent neceſſario in boc crimine obſervari, *cap. fin. de hæret. in 6.* Quod etiam tradit Caſtropal. *d. diſp. 8. pun. 2. n. 4.*

In caſu autem, quo reus petat exprimi diem, & horam commiſſi criminis, ut probet, ſe tunc fuiſſe abſentem, negat Gomez cum aliis *cap. 1. n. 4.* accuſatorem

atorem eſſe ad id cogendum. At Clarus cum nonnullis aliis docent, cogendum eſſe, quod probabilius cenſeo, nam alioquin tolleretur reo defenſio, cùm non aliter probare poſſit, ſe crimen illud non commiſiſſe, niſi oſtendendo eo tempore non potuiſſe illud committere, vel propter ſui abſentiam, vel infirmitatem, vel ob aliam cauſam. Si verò accuſator non recordatur diem, neque horam, poteſt jurare non recordari, & ſi recordetur diem, & horam, non tamen tenetur probare, cum ad id non ſe obligavit. Immo ſi non coact-, ſed ſponte diem & horam expreſſerit, & poſtea probare non poſſet, crimen eſſe commiſſum illo tempore, ſed in alio, poterit adhuc ſequi rei condemnatio. Nam ſi per teſtes verè probetur, crimen eſſe cōmiſſum, nihil refert, quod erratum ſit in die, & hora. Quia non punitur, ob diem, & horam. ſed quia conſtat crimen eſſe verè commiſſum.

Sufficitq; accuſatori, ut rei delictum probet & calumniator non cenſeatur, ſi probet, ſemiplenè rei delictum, nimirum, vel per unum teſtem oculatum, & omni exceptione majorem, vel per notariam famam, vel per indicia æquipollentia. Quia tunc reus interrogatus à Judice, debet delictum confiteri, & ſi confiteri nolit, poteſt torqueri, ut tradunt Navar. *in ſum cap. 25. n. 35.* ex Bartolo *in l. fin. n. 7. ff. de quaſtionib.* Aretin. *in pr. crim. de accuſ. cap 5. n. 6.* & Farinac. *d. q. 185.*

Accuſatio autem, ſivè inquiſitio continere debet factum punibile. alioquin ſemper inanes evaderent, ſi factum deductum in illis non eſſet punibile, & Proceſſu ſuper hoc inſtructus eſſet nullius momenti. Pariſ. *conſ. 171. n. 27.* Guaz. *defenſ. 2. cap. 1. n. 1.* cum ibi adductis. Non enim inſtituuntur accuſatio, & Inquiſitio, niſi ut illis mediantibus delicta vindicentur, prout in ſuis definitionibus continetur: Undè Ambroſius *ad Syagrium*, ait, *ſi leges publicas interrogemus, accuſatorem exigunt.* Siquidem non poſſunt reum facere quem nullus accuſat. Hinc Aſconius. *Quid eſt*, inquit, *reum fieri*, niſi apud Prætorem legibus interrogari? Cum enim in jus ventum eſſet, dicebat accuſator apud Prætorem reo, Aio te Siculos expoliaſſe, ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur ut victo. Si negaſſet, petebatur à Magiſtratu dies inquirendorum ejus criminum, & inſtituebatur accuſatio, & agi reus dicebatur in reatu eſſe *l. fin ff. de publ. judic. l. 2 ff. de pæn.* Non quia reatus crimen ſit, ſed quia ſtatum ſignificat miſerandum propter delictum, de quo poſſit reus puniri, & ad hoc ut factum in accuſatione deductum ſit punibile oportet, quod dolum, ſeu culpam latam contineat, ut notat Farinac. *q. 126. n. 61. in fin. & q. 87 n. 57.*

Dupliciter autem conſiderari poteſt factum punibile Vel de jure communi, vel de jure municipali. Factum punibile de jure communi dolum, & latam culpam requirit, quia ſine dolo, nec delictum conſiderari, neq; pœnæ locus eſſe poteſt, *l. quod reipublica, ff. de injur. Dec. conſ. 9. n. 1.* Gram. *conſ. 68. n. 2.* Farinac. *d. q. 87. num. 16.* Factum verò punibile de Jure municipali, ſi ſtatutum diſponit ſuper dicto facto cum verbis ſignificantibus dolum, ut videntur ſignificare verba *audeat, vel præſumat*, tunc requirit dolum Farinac. *q. 108. n. 144. & q. 133. n. 56.* Burſat. *conſ 77. nu. 7. lib. 1.* Si ſtatutum loquitur ſimpliciter ſuper facto, ut ſi dicat, ſi quis percuſſerit aliquem puniatur tali pœna, & non fecerit mentionem de dolo, aut de verbis dolum importantibus, tunc puniretur pœna ſtatuti, quod de ſolo facto puro diſponit, Bald *in l. quid ergo §. cum autem ff. de his qui not. infam.* Id tamen intelligitur procedere, quando pœna comminata fuerit pecuniaria, ſecus ſi fuerit corporalis. Tunc enim requiretur dolus, & nudum factum non ſufficeret ad illam pœnam infligendam, Bald. *in l. a. 3 omnibus ſub n. 5. ff. de in lit. jur.*

Non obſtat quod aliquando, imo ſæpius occurrit, quod reus, ut innocens abſolvitur, ex qua abſolutione factum declaratur impunibile, & tamen proceſſus non evadit nullus ſecundum ſupradicta; nam reſpondetur quod abſolutio, eſt de ejuſdem gladii poteſtate, cujus eſt punitio, quia ab eadem procedit juriſdictione, Bald. *in l ſolent in princ. ff. de offi. Proconſ.* quo ſit ut quando factum propter ſui naturam eſt punibile, non ideo abſolutoria declarat illud impunibile, ſed per accidens, aut ex probationib. cum defenſionibus, aut ex defectu probationum pro parte fiſci inquiſitus redditur impunibilis. Unde Optatus Afer *adverſus Parmenianum lib. 1. de Felice Autumitano* ait: *Poſt quorum reſponſa à ſupra memorato Proconſule hæc pars ſententiæ dicta eſt. Felicem autem religioſum Epiſcopum libertum eſſe ab exactione inſtrumentorum deificorum, manifeſtum eſt, cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quod religioſiſſimas ſcripturas prodiderit.* Abſolutoria enim non facit delictum impunibile, ſed declarat prætenſum reum de eo delicto puniri non poſſe per ea, quæ tradit Bertaz. *conſ. 238. nu. 2. & conſ. 123 numero 12.*

Per viam verò inquiſitionis in S. Officio dupliciter proceditur. Vel per inquiſitionem generalem, vel per ſpecialem. Inquiſitio generalis eſt, quando expreſſè non proceditur adverſus aliquem delinquentem, ſed ſolum in genere proponitur, ut delinquentem, ſed ſolum in genere proponitur, ut delinquentes aliquo modo contra fidem manifeſtentur. Quod fieri ſolet ab Inquiſitoribus, cum ſingulis annis proponuntur edicta, quæ obligant fideles ad delinquentes denunciandum. Hæc autem inquiſitio nullam requirit præcedentem informationem, quia nemini pernicioſa eſt, ſed potius utilis, cum inſtituta ſit ad præcavendum mala & ad delinquentes coercendum, ut colligitur ex textu *in cap. excommunicamus 1. §. Audivimus, & §. ultimò de hæret.*

Specialis autem inquiſitio eſt quādo adverſus aliquem ſpecialem, & nominatum Inquiſitor procedit, tum ipſum interrogando, tum teſtem contra ipſum examinando. Hæc autē fieri non poteſt, niſi infamia præcedat, ut habetur *in cap. generaliter & quando de accuſat.* & docent. Cler. *in pr. §. fin. q. 5.* & *q. 20. & q. 50.* Pegn. *p. 3. com. 16.* Farinac. *q. 181. n. 43.* Souſ. *lib. 2. aphor. cap. 3.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp 8. pun. 4. n. 1.* Caren. *p. 3. tit. 1. §. 2. n. 13.*

Recte autem annotat Pegna *com. 29.* quod hic modus conficiendi Proceſſus per Inquiſitionem laborioſior eſt illo, qui fit per denunciationem propter incertitudinem infamiæ, qua hic modus procedendi innititur tanquam ejus principio, & fundamento. Et ideo Eymericus *n. 78.* docet, quod Proceſſus, qui non fit accuſatione, vel denunciatione alterius, ſed fama publica, vel clamoſa inſinuatione deferente, ſicque non ad inſtantiam partis, ſed ex Officio Judicis, ita continuabitur. Prædicta inſinuatione, vel famæ reclamatione deducta ad aures Inquiſitoris, & inſerta in Proceſſu pro ſuo fundamento, Inquiſitor faciat citari aliquos teſtes præſertim perſonas graves, & bonas, & coram notario, & duabus perſonis religioſis, ac honeſtis inquiret de fama tantùm cum illis, an ſit veraciter apud Bonos, & graves ille, de quo agitur, de hæreſi infamatus. Videndus etiam Clarus *in pr. crim. §. fin. q. 5. verſ. poterit igitur, & q. 6. in princ.* ubi egregiè tractat hunc procedendi modum.

In cauſa ſuſpecti de fide poſſunt Inquiſitores, etiam non præcedente diffamatione, procedere ad generaliter inquirendum, non ſolum per viam accuſationis vel denunciationis, ſed etiam per viam Inquiſitionis. Colligitur *ex cap. accuſatus de hæret. in 6.* & docent Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 14. n. 9.* Arelatan. *de hæret. notab. 26.* Roland. à Val. *conſ. 68. n. 5. lib. 1.* & Diana *p. 5. tr. 11. reſol. 29. & p 4. tr. 8. reſol. 4.* Quia inquiſitio, & inveſtigatio generalis aſſumitur à Judice ad inveſtigandam veritatem, & non eſt ſupervacua, & inanis, ut per ſe patet, neque alicui injurioſa.

Quid verò in ſpeciali inquiſitione contra aliquem particularem. Nonnulli ſuſtinent, nominatim Scaccia *de judic. cap. 59. nu. 2.* Calderin. *tr. de hæret. fil. & nepot. n. 10.* Royas *de hæret. p. 2. n. 20* Decin. *tr. cr. lib. 5. cap. 20. n. 12. & c. 35. nu. 20.* ſufficere levem ſuſpicionem de fidè ad inquirendum contra quempiam in particulari, & ad ipſum interrogandum. Quia hæc inquiſitio & interrogatio

Digitized by Google

rogatio aſſumitur ab Inquiſitore ad inveſtigandam veritatem, & ut dictum eſt, non eſt conſenda inania, neque injurioſa, dum delinquens occaſionem illius dedit. Etenim ſi ob indicia vehemẽtis ſuſpicionis poreſt Inquiſitor non ſolum inquirere, & examinare, ſed etiam delinquentem torquere, poterit quoque ob levia indicia, ſaltem inveſtigare, & interrogare.

Limitant vero hanc ſententiam Pegna *p. 2. com. 22. ad cap. excommunicatus de hæret. & com. 80. litt. F & verſ. atque ita*, Royas *loc. cit.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. q. 100. nu. 2 & ſeq* Diana *ubi ſupra*, ut procedat in homine vili, ac improbo, ſecus autem in homine nobili, honeſto, ac religioſo. Quia ratione utilitatis, & improbitatis augetur ſuſpicio, quæ tamen minuitur ratione nobilitatis, & probitatis. Ac etiam quia vili ac improbo nõ gravis injuria irrogatur, ſi de fide examinetur dum illius ſuſpicionis occaſionem præbuit. E contra vero ſola inquiſitio hominem honeſtum, ac probum graviſſimè lædit, & maculat.

Verum alii hanc ſententiam etiam cum dicta limitatione rejiciunt. Nã inquirere, & examinare de alicujus credulitate fieri non poteſt, niſi quia de ejus recta fide dubitatur. Ob levia autem indicia, & ob locũ ſuſpicionis dubitare aliquem grave crimen commiſiſſe injurioſum eſt, & nunquam licere poteſt, ut ex communi ſententia ſupponit Leſſius *de juſt. cap. 29. dub. 3. n. 15.* & tradunt Simanch. *de Cath. inſtit, tit. 50. n. 28.* & in Enchir. *tit. 41. de ſuſpect. n. 7.* Clar. *pr. cit. q. 6. n. 6.* Navar. *conſ. 2. n. 8. lib. 5. tit. de hæret.*

Nos autem cum pluribus diſtinguimus, & ſupradictas ſententias ita cõciliamus. Aut levis hæreſis ſuſpicio oritur ex delicto, cui à Jure, vel ex cõſuetudine talis ſuſpicio annexa eſt, & Inquiſitor inquirere, & interrogare poteſt delinquentẽ de ejus fide, & credulitate. Ut ſi aliquis exempli gratia reperiatur, quod retineret libros prohibitos, illoſque legeret abſque licentia, vel Sacramẽta ſine poteſtate miniſtraret, vel vivente prima uxore, ſecundas nuptias contraheret, vel in Sacramento pœnitentiæ ad turpia provocaret, vel in excommunicatione per annum inſordeſceret, eſſet leviter ſuſpectus de hæreſi, ut tradit Caſtropal *d. tr. 4. diſp. 7. nu. 1. & 7.* & tamen Inquiſitores poſſunt, ac debent de illis inquirere, & examinare. Ergo etiam ob levem ſuſpicionem juridicã ſubjiciuntur delinquentes inquiſitioni, & examini Inquiſitorũ. Quia directo interrogantur, & examinantur, ac etiam torquentur ſuper delicto cauſante ſuſpicionem tantum indirecte, & per conſequentiam, ac proindè in tali examine, & interrogatione nulla illis fit injuria; nam eis non imponitur alia ſuſpicio præter eã, quæ à Jure ob eorum delictum eſt impoſita & in hoc ſenſu vera, & certa eſt prima ſententia.

Secus autem dicendum eſt, quando nullum præceſſit tale delictum vel ſimile, ſed ſuſpicio oritur ex aliis delictis, ſeu indiciis quæ ſolum ex opinione Doctorum has habent hæreſis ſuſpicionẽ tunc enim vera eſt ſecunda ſententia ob rationes ibi allatas. Et ita etiam docent Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 50. rubr. de præſumpt. nu. 27.* Royas *tr. de hæreſ. q. 2 n. 21.* Locat in *indic. Inquiſ. V. Citatio n. 15.* Farinac, *d. q. 185. n. 58.* Caſtropal. *loc. cit.* ac Diana *p. 5. tr. 10. reſ. 30. n. 3. exp. 4. tr. 8. reſol. 3.*

Et quamvis ante omnia Judici conſtare debeat de corpore delicti, ut ritè ac juſte contra reum ipſe procedere poſſit, ut præ cœteris probat Farinac. *de inquiſit. q. 2. n. 1. & ſeq.* ac niſi de eo conſtet, licet reus delictum fateatur, non tamẽ poteſt ex illa confeſſione damnari, ut idẽ cum aliis docent; nihilominus quia maleficia cõnumerantur inter delicta, quæ ſunt difficilis probationis, fieri enim ſolent occultè, & ſecreto, ideo pro eorum cognitione non ſemper eſt neceſſarium, ut delictum conſtet plene, & concludenter per teſtes aut per evidentiam facti, ſed ſufficit aliquando, quod de corpore delicti conſtet per indicia, quæ in hujuſmod delictis habentur pro plena probatione, ut cum pleriſque aliis tradit Farinac. *loc. cit. n. 6. & 12.* Carena *p. 2. tit. 12, n. 174.* Delrius *lib. 5. magic. ſect. 3. & 4.*

Sunt vero aliqua maleficia quæ relinquunt poſt ſe veſtigium, ut infanticidium veneficium & alia ejuſmodi: Et de iſtis conſtare debet de corpore delicti, ut Judex contra reum rite, ac recte procedat. At non dicitur probatum corpus delicti, ſi tantum probetur mors, vel infirmitas, vel debilitatio membri ipſius maleficiati, quia S. Officium non punit homicidia, percuſſionea, & vulnera. Neceſſarium ergo eſt probare, quod mors, vel infirmitas ex maleficio proceſſerit, ut ſatis conſtet de corpore delicti ex Farinacio *loc. cit.* Carena *ibid. n. 173.* & Torreblanca *de mag. lib. 3. cap. 16. n. 16.*

In maleficiis autem, & ſortilegiis, quæ non relinquunt poſt ſe veſtigium facti vel malefica, aut ſortilegus confitetur ſuum delictum, & certum eſt, quod etiamſi non conſtet de corpore delicti per teſtes, Judex ritê, ac rectè contra reum procedit. Quia nulla eſt major probatio, quam oris proprii confeſſio, cumque crimen hæreſis ſola voluntate committatur, ex ſola quoq; voluntaria confeſſione poteſt quis puniri, ut per Farinac. ubi ſupra *n. 25.* ac *ſeq.* Albertin. *de agnoſcend. aſſert. Cath. q. 25. n. 1. & 2.* Param. *de orig. S. Inquiſ. lib. 3 q. 6. n. 28.* Carc. *loc. alleg. nu. 172.* ſed hac de re infra. Si autẽ, hæreticus, vel ſortilegus non confiteatur ſuum delictum, ſufficiet tunc probare corpus delicti per indicia. Quia talis probatio in criminibus occultis habetur pro plena probatione. Ut etenim ait Delrius *d. lib. 5. ſect. 16.* certe iniquum eſſet aliam in hoc delicto erigi certitudinem, quamque ex natura delicti haberi poteſt. Idemque affirmant, Farinac *loc. cit. n. 14.* Carena *ſupra n. 174. & ſeq.* Bordonus *tom. 1. cap. 19. n. 15* aliique.

Quoniam autem hæc rei cognitio neceſſaria eſt, cum reſpiciat, formam ipſius facti, ideo in ea ſunt aliqua diſquirenda. Primo diſquiremus de corpore delicti, quod dicitur facti permanentis, quia poteſt oculis Judicis ſubjici ad effectum illud contemplandi, deinde de corpore delicti, quod dicitur facti tranſeuntis, quia eſt capax videri. Poſtremo de corpore delicti, quod dicitur facti permanẽtis, ſed difficile ad inquiſitionẽ, ut in cadavere occiſi projecto in mare, vel alio modo abſcondito, quod appellant factum occultum, & difficilis probationis. corpus delicti dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo prout eſt à parte rei, alio modo prout eſt apud acta. Primo modo pertinet ad ipſummet factũ, quod oculis deſpicitur, nẽpe vulnua in cadavere quod deſcribi poteſt *hiam patenſque apertura corporis ictu aliquo in illud inflicta*, ut notat Bartol. *in l. ſi ſervus §. ſi factum ff. ad leg. Aquil & n. l. lex Cornelia §. 1. ff. de injur.* Secundo modo pertinet ad quandã ſolennitatem, qua Judex, ſive notarius de ejus mandato factum, ſcilicet vulneris in acta demãdat deſcribens illud, prout eſt à parte rei, & dicitur, *quod fit de aliquo criminoſo facto veluti de ſubjecto delictum demonſtrante à Judice ficta diligens inſpectio.*

Dicitur *de aliquo facto.* Nam quod ad forum exteriorẽ cõſiderantur quæcunque delicta, & eorum ſubjecta inſpiciuntur. Quocirca in facto oculi Judicis certiores aure arbitri ſunt, ut ait Imperator *in §. fin. inſtit. de gradib. cognat.* Ad officium enim Judicis de delicto cognoſcentis pertinet vel notarium mittere, ut per eum deſcribatur ipſum factum, vel ſi res exigat, etiam ipſemet Judex oculis ſuis accedat videndum, arg. textus *in l. 8. §. ad officium ff. de judic. fin. regund.* Clar. *q. 4. verſ. & hac.*

Criminoſo. Quoniam niſi conſtet aliquem eſſe ſcelere occiſum, non habetur de inquiſito quæſtio. Liquere enim oportet ſcelere interemptum *l. 1. §. item illud ff. ad Syllan.* ſed ſciri opportet, quod ad corpus delicti ſcelus probandum neceſſaria non eſt ſpecialis inveſtigatio ſceleris. Sufficit enim, quod animus Judicis accommodetur ad ea quæ frequenter accidunt. Quia enim homicidia, verbi gratia, frequentius facto hominis accidere ſoleant *l. vendita ff. de peric. & commod. rei vend.* Spada *conſ. 203. n. 10. lib. 1.* ideo ſatis eſt accipere

præſumptionem ex eodẽ facto, quod à ſcelere proveniat. Clar. *loc. cit.* Nam ſicut an dolo aliquid factum ſit, ex ipſo facto intelligitur, *l. 1. §. ſed an dolo ff. dol. mal. except.* ita an ſcelere factum ſit homicidium ex ipſomet facto intelligi poteſt. Cogimur enim apparentiam ſequi, donec contrarium probetur, Bald. & *ibi add. in l. moveor. C. ſi ſerves exportand.*

Veluti de ſubjecto delictum demonſtrante, non de ipſo cadavere, ſed de illo facto, per quod homo ad cadaver redactus eſt, nempe de vulnere. Nam ſi in rixa percuſſus homo perierit, ictus non cadaver contemplari oportet *l. 17 ff. de injur.* Unde ſi plures percuſſerint, & appareat cujus ictu perierit ille quaſi occiderit, tenetur *l. item Mela §. ſed & ſi plures ff. ad leg. Aquil.*

A Judice, qui in omnibus, & præcipuè in hujus recognitionis inſpectione boni, innocentiſq; viri officio fungi opportet, cujus partes ſunt curare, ut veritas facti ſine ulla impoſtura, & fraude habeatur *arg. l. cætera ff. famil. erciſc. & in l. ſi èxtraneus ff. de jur. dot.*

Facta diligens inſpectio, nimirum adhibitis Medicis, atque Chirurgis denunciantibus & Judice competente diligenter examinaore an corpus illud ex ictu in dicto cadavere demonſtrato fuiſſe ad hujuſmodi cadaver redactum *l. ſemel. C. de re milit. lib.* 12. Bartol. *in l. ſi in rixa n. 12. ff. de ſicar.*

De corpore itaque delicti facti permanentis neceſſarium eſt conſtare. Nam certum eſt in jure inquiſitionẽ formari non poſſe, niſi prius conſtet de corpore occiſi, ait Farinac. *q. 2. n. 1.* per textum *in l. 1. §. item illud ff. ad Syllan.* & notat Bald. *in l. quoties volens §. ſi quis coram ſub n. 2. ff. de hæred. inſtit.* Idque ne Judex, qui contra reum procedere intendit, evagetur in facto, ſed ſit certus delictum fuiſſe patratum.

Non obſtat, ſufficere querelam, ſive accuſationẽ, cum ad inquirendum ſola querela ſufficiat abſque eo, quod conſtet de corpore delicti, ut per Clar. *d. q. 4. ſub initio* & licet corpus delicti non ad aliud deſerviat, niſi ut inquiratur de delicto, & delinquente, Farinac. *q. 1. n. 6.* ubi alii, tamen cum ſuppleatur per querelam, vel accuſationem non videtur neceſſarium conſtare de corpore delicti.

Nam reſpondetur aliud eſſe narrare factum delicti, aliud conſtare de illo delicti facto ſic narrato, primo caſu dici poteſt conſtare de facto per auricularem auditum, per ea, quæ ait Bald. *in l. ſi quis n. 2. C. de accuſ.* ſecundo caſu dicitur conſtare de ipſo facto per ocularem inſpectionem, ne Judex in delictis puniendis trepidet, Bald. *in l. ſi quis non dicam n. 3. C. de Epiſc. & Cler.* Prius enim inſpicere debet paſſum, ideſt offenſum, ut ait idem Bald. *in l. teſtium fidei §. ſed & divi Fratres. c. 15. ff. de teſtib.* ut poſtea ſecure contra delinquentem inquirere poſſit, uti finis inquiſitionis, ad quem tota conſtructio proceſſus dirigitur.

Neque idem eſt conſtare de corpore delicti, atque conſtare de delicto. Nam unum ad ſujectum, alterum ad qualitatẽ pertinet. Aliud enim eſt ſubjectum, in quo eſt delictum, uti qualitas, & aliud eſt ipſum delictum, per quod ſubjectum qualificatur. Nam poteſt adeſſe ipſum ſubjectum ſine delicto, non autem delictum ſine ſubjecto. Præterea diverſimodè definitur ſubjectum delicti ab ipſo delicto, ut ſupra oſtendimus. Et delictum ipſum dicitur offenſio contra jus illata. Jus enim præcipit alterum non lædere §. *Juris præcept. inſtit. de juſt. & jur.* & quod committitur lege prohibente delictum eſt. Et hinc ſequitur quod corpus, hoc eſt, ſubjectum in quo apparet veſtigiũ delicti, denominatur ab ipſo actu, per quem delictum committitur, & ſic quis dicitur occiſus, vel vulneratus ab ipſo occidere, & vulnerare, & actus ipſe denominatur à ſceleritate, à qua formaliter actus dicitur ſcelus, ſive delictum, aut crimen, veluti homicidium, vulnus. Scelus enim eſt depravatio quædam quæ conſiſtit in inordinata voluntate. Unde ſceleritas dicitur fœditas turpi facti animi, ut inquit Ptat. & coth. *in l. 5. ff. quod met. cauſ.* & idcirco non dicitur conſtare de delicto, niſi in ſpecie probatum ſit delictum, Foller *in pr. crim. v. capias in form. n. 1. & ſeq.* Guanz. *defenſ. 4. cap. 2. n. 1.* facitque textus *in l. 5. §. docere ff. ne quis eum, qui* & Farinac. *q. 2. n. 1.*

Patetque ex eo, quia corpus delicti eſt factum, quod dupliciter poteſt cõſiderari. Uno modo activè ex parte facientis, ideſt delinquentis, alio modo paſſivè ex parte paſſi, ut ait Bald *in d. l. item Mela §. ſed ſi plures c. 2. ff. ad leg. Aquil.* Primo modo dicitur privatio rectitudinis, quæ eſt qualitas formalis facti criminoſi. Secundo modo dicitur ſignum ad oculum patens. Ideo cum factum poſſit eſſe ſine delicto, oportet, quod corpus delicti probetur per ocularem inſpectionem Iudicis, vel notarii de mandato Judicis, ut ſupra diximus, & confirmat Scaccia *de Iudic. cap. 23. n. 3.* & Barboſ. *in d. §. item illud.* Quia quãdo de eo conſtat, poteſt curia poſtea procedere ad inveſtigandum de maleficio *l. inde Neratius §. fin. cum l. ſequenti ff. ad l. Aquil.* Teſtium, ſcilicet depoſitionibus, aut aliis documentis *l. ſciant cuncti C. de probat.* Bartol. *in d. §. item illud.* Quare ex ſupradictis clare conſtat eſſe differantiam inter conſtare de corpore delicti, & conſtare de delicto, Guanz. *d. defenſ. 4. cap. 2. n. 6.*

Corpus delicti facti permanentis duobus modis legitimè cõſtare poteſt, vel per rogitum notarii vel per teſtium depoſitiones, ut notat Farinac. *conſ. 185. nu. 3.* nam quando notarius ſe rogat adhibet teſtes ad ſolennitatẽ rogitus, quia ſine teſtibus nihil ageret §. *oportet auth. de inſtrum. cauſ.* Bald. *in rubr. C. de fid. inſtrum. n. 8.* quando vero conficit ſcripturam, ſecundum quod deponunt teſtes non ad ſolennitatem, ſed ad veritatem facti indagandam per modum narrationis adhibet. Et ideo in corpore delicti facti permanentis duo conſiderari poſſunt. Unum eſt ipſum factum. Alterum eſt modus, quo ipſum factum fuerit patratum. Si conſideretur ipſum factum, tunc iterum diſtinguendum eſt. Aut conſideratur prout oculis ſubjicitur, aut prout ex illo reſultat quædam Iuris diſpoſitio. Si primo modo, tunc notarius conficere poteſt inſtrumentum, rogando ſe de iis quæ vidit in illo facto, ſcilicet cadaver alicujus hominis generis maſculini ſeu fœminini in terra, ſeu alio in loco poſitum vulneratum talibus vulneribus, ſeu percuſſum in tali parte, & ſimilia, ut notat Ambroſin. *in tr. de mod. form. proceſ. in form. n. 52. lib. 2.* Si verò notarius intendat conficere inſtrumentum de modo, quo ipſum factum patratum fuerit, tunc nihil agit, inſtrumentum faciendo, quia hoc factum non cadit ſub ſuo ſenſu, ſed debet ſuper hoc audire teſtes de hoc informatos, & ſic illos examinare, ac eorum depoſitiones recipere, prout etiã idem pariter dicimus de facto, quatenus ex illo reſultet Juris diſpoſitio quia de hoc neque rogitum facere, neque teſtes audire poteſt, cum ad Judicem id pertineat *l. 3. §. idem divus ff. de teſtib.* Bald. *ad rubr. C. de fid. inſtrum. n. 33.* & *in l. contra negantem n. 9. C. ad leg. Aquil.* Farinac. *q. 81. n. 30.*

Neque obſtat, quod delictum ex communi omnium Doctorum opinione non poteſt probare per inſtrumẽtum, ſeu per alias ſcripturas Felin. *in cap. cum in Eccleſiis c. 1. de major. & obed.* Cyn. *in l. fin. n. 1. C. de prob.* Farinac. *q. 2. n. 1.* Ergo nec corpus delicti. Nam corpus delicti nihil aliud eſt quã nude factum, ex quo, ut diximus, reſultat juris diſpoſitio ſuper tali facto, nimirum an factũ licitũ vel illicitum ſit, ut tradit Boer. *deciſ. 168. n. 2.* ſed neq; ſuper nudo acto, neque ſuper Juris diſpoſitione poteſt confici inſtrumentum, ut notat Farinac. *d. q. 84. n. 32.*

Reſpondetur quod dupliciter conſiderari poteſt hoc nude factum. Nam uno modo nudè factum cõſideratur phyſicè, quatenus oculorũ inſpectioni ſubjicitur, ut eſt illud cadaver vulneratum. Altero modo formaliter, hoc eſt quatenus Notarius cogitare poteſt modum, quo cadaver illud fuerit redactum ad eſſe cadaveris, ſcilicet illam vulnerationem, ſeu percuſſionem, quibus cadaver factum fuit & hoc factum nude non poteſt probare

per

per inſtrumentum, neque per alias ſcripturas, ſed pet teſtes qui dicant vidiſſe Caium vulnerare, ſive percutere, vel occidere Pomponium. Nam ex iſto actu reſultat, cum fuerit probatus, juris diſpoſitio, nempè vel quod fuerit factus ſe defendendo, vel caſu, vel impetu, vel dolo. Quando enim Notarius rogat ſe de corpore delicti, tunc non agitur niſi de probarione indirecta proveniente ex dicto rogitu, ſed coadjuvante probationem Criminis exempli gratia. Accuſo te, quod incendiſti dumum meam. Hoc incendium teſtibus probo incendium verè Domus probatur per inſtrumentum Felin. *loc. cit.* qui pro confirmatione multos adducit, poſt quos ait facere dictum Bartoli *in d. l. 1. §. item illud ff. ad Syllan.* dicentis, quod Notarius poteſt ſe rogare de vulneribus corporis mortui, & ex illa ſcriptura poterit judex procedere ad inveſtigandum de ipſo delicto, de quo teſtes probare debent coram Judice viva voce deponentes *l. Judices C. de fid. inſtrum. can. teſtes 3. q. 9.* Felin. *d. cap. in Eccleſiis de major. & obed.*

Notarius autem non alio modo de corpore delicti inſtrumentum conficere poteſt, niſi de commiſſione, & mandato Judicis. Nam viſitatio, quæ fieri poteſt de facto permanenti, aut ab ipſo Judice, aut a Notario perfici debet. Sed cum ſit actus juriſdictionis potius ad judicem, quam ad notarium, qui nullam habet juriſdictionem ſpectare dicendum eſt, Et quatenus fieri contingat à Notario, non niſi de mandaro judicis fieri oportet, alias de corpore delicti ſufficienter conſtare non poteſt.

Hinc notat Vermigl. *conſ.* 22. quod textus *in d. l. 3. §. Item illud ff. ad Syllan.* præſtiterit normam omnibus curiiis, quod Judices aut per ſe ad viſitationem corporis delicti accedant, aut mittant notarium, qui mortuum videat, & vulnera deſcribat propter verba illius textus: *Nõ haberi quæſtionem, niſi conſtet aliquem eſſe occiſum.* Verbum enim *conſtet* ad judices, non autem ad notarios dirigitur, quia notario per ſe minimè poſſunt hujuſmodi actum perficere, Boſſ. *tit. de delictis n. 1. & ſeq. & n.* 24. Vermigl. *d. conſ.* 11 *N. p.* & hæc concluſio procedit omnino ſivè per viſitarionem corporis delicti. Notarius examinet teſtes, ſivè de ea rogitum faciat, Farinac *d. q. 84. nu.* 30. Verùm quia ut plurimum, immo ſæpiſſimè hujuſmodi viſitatio perficitur à Notariis, quorum multi, pace bonorum, ſæpiſſimè negligunt Juſtitiæ negotium, idcirco contingit aliquando, quod in eorum proceſſu non apparet de dicta commiſſione, dubitari propterea poteſt; an propter hujuſmodi ſolitum præſumi debeat prædicta commiſſio, negativè reſpondendum eſt. Quia ſolitum mittendi notarium ad hujuſmodi functionem faciendam, non facit præſumere dictam commiſſionem, niſi de ea in Proceſſu aliquo modo conſtet. Unde facit regula quod illud, quod ſolitum eſt fieri non præſumitur factum, cum fieri debeat, & ſi non fit injuſtè, ac irritè fit, Bald. in *in l. prima num. 12. C. quomodo & quando*, immo ex inſolitis falſitas potius præſumitur, Maſcard. *de prob. concl.* 1343. *n.* 29.

Cum ergo prædicta commiſſio non præſumatur, ſequitur, quod non ſolum ſimplex Notarii aſſertio, ſed etiam ejuſdem notarii rogitus ſine enunciatione ejuſdẽ mandati non probet corpus delicti: Farinac, *cõſ. 171. n. 2. & d. q. 84 n.* 30. & ideo cum notarius aſſerat viſitaſſe de mandato Judicis, præſumitur prædictum mandatum, aliàs teneretur illud oſtendere, ac de illo copiã exhibere *arg. l. 1. C. de mand. Princip.* Maur. Burg. *de mod. proced. ex abrupt. q. 33. n. 10. & ſeq. & q. 88. per totam.* ubi ait quod Judex aſſerens habere aliquam facultatẽ in procedendo contra reum, debet illam oſtendere, & de illa dare copiam. Quod non procedit in hoc caſu notarii. Tũ quia viſitario corporis delicti non tendit in præjudicium tertii ſecundũ ea, quæ tradit Oſaſch. *dec. 71. n.* 13. quia directè tendit ad commodum Juſtitiæ, idcirco ex ſe ſola tertio non præjudicat. Tum etiam quia officiali aſſerenti aliquid feciſſe de mandato Superioris, credendum eſt, quando ſuperior eſt præſens, Oſaſch. *loc. cit. n.* 4 Farinac. *q. 88. n.* 13. Gram. *conſ. 54. n.* 17. & facile poſſit illũ conſulere. Neceſſarium tamen eſt quod in enunciativa Proceſſus dictæ viſitationis, notarius faciat mentionem de d. commiſſione, ſive mandato ſibi dato, ſtylus admiſit, licet de jure contrarium decernatur, Caputaq; *dec 266. n.* 2. Boer. *dec. 558. n.* 5. Vermigl. *d conſ. 11. n.* 4. nimirum quod non afficere inquiſitum niſi vere conſtet de dicto mandaro, ſive commiſſione in ſcriptis, ut docet Farinac. *q. 97. n.* 63. ut de illo mandato, ſive commiſſione poſſit in deſenſionib. diſcuti. Officiali enim non eſt credendum in præjudicium tertii, ut notat Bartol. *in l. Divus ff. de cuſt. reor.* Bertaz. *conſ.* 347. Oſaſch. *d. deciſ. 71. n.* 13. ubi id ampliat, etiamſi Princeps fuerit præſens, & Officialis fuerit in dignitate conſtitutus. Quanto ergo minus credendum ſit notario aſſerenti ſcripſiſſe ſuper corpore delicti de Judicis commiſſione in loco delicti exiſtentis, niſi in ſcriptis de dicto mandato conſtet. Nam mandatum & commiſſio ſcribendi eſt extrinſecæ ſolemnitatis, quæ nullo modo præſumitur, ut docet Bartol. *in extravag. ad reprimendum. V. per nuncium n.* 6. Roman. *in l. ſecundũ n. 24. ff. de verb. oblig.* & nihilominus in hac re attendatur conſuetudo, à qua exortum eſt, ut bonæ leges aliquando diſſolvantur.

Cum igitur mandatum, ſive commiſſio præſumenda non ſit, ut jam diximus, & firmant Bald. *in l. de exhib. reis* Aretin. *conſ. 33. n.* 5. idcirco Judex procedẽdo ad ulteriora non cenſetur ratificare quidquid notarius ſcripſit ſuper corpore delicti. Tunc quia notarius ſcribendo ſine mandato Judicis aſſumit in ſe onus, quod ſibi non cõpetit. Tũ quia ratificatio comparatur mandato privati non mandato, quod eſt Juris publici, & tum ètiam quia ratificatio non æquiparatur mandato, quando mandatum requiritur pro forma. Natta *cõſ. 130. n.* 28. Tum tandem quia obſtat regula, quod ratum haberi non poteſt. quod ratificantis nomine geſtum nõ eſt in tertii præjudicium *cap. cum quis 24 in fine de ſent. excom. in 6. capit. ratum de reg. jur.* Ruin. *cõſ. 66. n. 6. n.* 2. ſuadet hæc omnia conſideratio Gratiani *diſcept. 124. n. 22. & ſeq. ac* Decii *conſ. 359. n.* 16. quod ſcilicet ratificatio non retrotrahitur ad actum, quando actus requiritur pro ſolennitate.

Neque ex eo, quod notarius ſcripſerit, ut publicus Miniſter, Judice poſtea ratificante, actus ſuper corpore delicti factus ſuſtinetur per Arg Gloſ. 1 1. *imponendo in l. cum non ſolum §. & Filios. C. de bon. qua lib.* arguendo à parte ad Jodicem Nam Judex nõ poteſt ratificare, quod ſuo nomine geſtum non eſt. Unde notandum quod ratificatio duplex eſt. Una attributiva quæ ratũ habenti, tanquam principali factum attribuit, & tunc habet locum regula, quod ſuo nomine geſtum nõ eſt, ratificari non poteſt. Quare cùm id quod ſcribit notarius ſuper corpore delicti, tanquam ſervus publicus, ei non attribuitur, ſed Judici, ideo non poteſt ex poſt facto illud Judex ratificare, cùm à principio geſtum non eſt nomine Judicis. Altera ratificatio eſt validitativa, quæ convalidat, quod nullum eſt Et hinc pariter notandũ eſt, quod actus duplici loborare poteſt. Una quæ funditus, ſed aliquo ſevatur juxta textum *in l. ſi Fundus §. 1. ff. de pignor.* ex quo ſic, Ratihabitio, de qua ſequitur dictus textus convalidat actũ, pignorationis, quia pignorans erat habilis ad dictum actum, ſed prohibitus ad illum actum peragendum. Unde ſuperveniente ratificatione cõvalidatur. In caſu autẽ præſenti notarius ex ſe non eſt habilis, neque poteſt actum judicialem adminiſtrare, ſed pertinet omnino ad poteſtatem Judicis & in eo quidquid agitur, judicis authoritati attribuitur. Ac proindè ratificatio ſic perveniens nihil operatur. Facitque Gloſſa ordinaria *in l. inſtar. C. de jur. fiſc. lib. 10. verſ. item, nota hic argumentũ* Bal. *in l. 2. n. 18. C. ſi à non competent.* Quia id non pertinet ad ratificationem ratihabitione, ſed mandato & ideò niſi appareat, quod notarius de Judicis commiſſione ſuper actu corporis delicti ſcripſerit, nihil agit.

Itaq; cũ recognitio corporis delicti ſit, ac pertineat ad juriſdictionẽ judicis, meritò à principio requiritur ejus

auctoritas,

auctoritas, neque per ratihabitionem poſtea ſecutam, vel tacitè per proceſſum ad ulteriora, vel etiã expreſsè ratificando, aliquid operatur. Quia auctoritas, veluti ſolennitas quædam debet intervenire tempore, quo actus perficitur & eodem contextu interponi debet, ut *in c. dudum de reb. Eccleſ. non alien. in* 6. Bal. *in d. l. cum non ſolũ §. fin. autem n.* 1. *C. de bon. quahb.* Et in hoc differt auctoritas à conſenſu quia ipſe poteſt ſequi poſt actum geſtũ *l. jubemus C. de emancip. lib.* ubi dicitur, *Auctoritate præcedente.* Notarius autem cum ſit oculus judicis non debet inſpicere, niſi ubi, & quomodo Judex, cujuſq; publicum officium requiri argumento eorum, quæ tradit idem Bald. *in d. l. cum non ſolum §. neceſſitate n.* 25. *& ſeq.*

Idq; confirmatur ex eodem Baldo *in l. obſervare §. poſt hæc n.* 13. *ff. de offi. Pro conſull.* ubi ait, quod quidquid factum eſt à judice incompetenti non poteſt ratificari à judice competente, cujus nomine factum eſt. Nec ſuffragatur, quod judex uti judex teneatur illud confirmare argumento textus in *d. l. inſtar ff. de jur. fiſci*, & tunc actus, ſi non valet, uti authorizatus, valet uti confirmatus à judice.

Quoniam aut actus poteſt ſtare in ſuſpenſo, aut opus eſt, quod ſtatim perficiatur. Primo caſu rectè procedit objectio. Secundo autem, minimè, Bald. *in d. l. cum non ſolum §. fin. autem n.* 2. Cum autem actus, de quo loquimur, non poſſit ſtare in ſuſpenſo, quoniam agitur de judiciali recognitione corporis delicti, quæ requirit inſtantaneam perfectionem, ideo neque poterit poſtea à judice confirmari.

Hæc tamen limitanda ſunt primò, ut non procedant, quando à parte non fuerit oppoſitum, quia tunc actus ſuſtinetur, etiamſi factus fuerit ſine judicis authoritate, notat Vernighol. *conſ.* 12. *n.* 7. & citat Romanum *conſ.* 497. *n.* 6.

Secundo non procedunt, quando fuerit data ſententia, per ea, quæ tradit Menoc. *lib.* 2. *præſumpt.* 24. *n.* 12. ubi ait, quod commiſſio citationis præſumitur quando judex ad ulteriora proceſſit per ſentẽtiam diffinitivam, idemq; refert Vernighol. *loc. cit.* quia, inquit, ante rem judicatam eſt in poteſtate judicis per quemvis actum declarare ſe ab initio mandaſſe, alias de ſubſtantia authoritatis, & mandati eſt ut de ea præambulè conſtet, & ad id allegat Angel. *de maleſ. v. judex commiſit n.* 10.

Quinimo notandum eſt, quod ſi contra aliquem exhiberit ſententia condemnatoria lata per judicem alterius territorii prorſus ſeparati, poteſt procedi contra condemnatum per illam ſententiam, etiamſi non conſtet de corpore delicti, Bajard. *ad Clar. q.* 55. *n.* 17. *Clar. q.* 54. *n.* 6. *Spada conſ.* 65. *n.* 21. *lib.* 1.

In caſu autem, in quo dumtaxat notarius enunciavit ſcripſiſſe de mandato & commiſſione judicis, quod quotidie faciunt Notarii, quando reum ſivè teſtes examinant, dicendum eſt quod tunc per proceſſũ ad ulteriora judex cenſetur ratificare quidquid notarius ſcripſerit. In quo tamen advertendum eſt, quod enunciatio hujuſmodi, quam facit Notarius ſcripſiſſe ſuper recognitione corporis delicti de mandato judicis duplicem habet conſiderationem. Alteram reſpectu ad ipſum judicem mandantem. Altera reſpectu ad Partes. Si enunciativa mandati, ſive cõmiſſionis conſideretur reſpectu ad judicem qui per proceſſum ad ulteriora mandatur, ſivè commiſſionem approbavit non poteſt improbare, Si verò conſideratur reſpectu ad partes inter quas de dicta enunciativa contingat principaliter diſputari in judicio, hujuſmodi enunciatio non probat argum. Textus *in cap. illud de præſump.* ubi enunciatio matrimonii facta in inſtrumento Dotis, ſi contingat dubitari de matrimonio enunciato, illa enunciativa non plene probat matrimonium. Unde arguendo dicimus quod ſi de mandato judicis enunciato in proceſſu ſuper recognitione corporis delicti, dubitari contingat talis enunciatio per ſe non probat dictum mandatum. Et cũ dicimus, quod notario credatur de commiſſione ſibi facta hoc procedit de conſuetudine, non autem de jure. Judex verò incompetens, quod ad cauſam delicti principalem videtur eſſe incompetens, quod ad corporis delicti recognitionem. Quia probatio, quæ fit ſuper corpore delicti, eſt præparatoria ad cauſam principalem, ut tradit Marc. Angel. Leon. *in tr. de præparat. judic. p.* 2. *præpar.* 30. Atque adeo eſt de connexis ejuſdem cauſæ principalis. In connexis autem idem eſt judicium, ut ait Decius *conſ.* 420. *n.* 2. *lib.* 3. & ad paria judicantur veluti via, ſine qua perveniri non poteſt ad terminum, ut inquit Bald. *in l. fundus §. qui fundum in fin. ff. de leg.* 2. Quod autem corpus delicti ſit quid præparatorium ad cauſam principalem delicti patet, quia ordinem aliquem ſignificat, cum prius de corpore delicti conſtare debeat antequam judex criminalis devenire poſſit ad aliquem alium actum contra delinquentem per textum *in d. l.* 1. *§. illud ff. ad Syllan.* ex quo ſequitur, quod cum præparatorium & præparatum ſit ejuſdem naturæ merito debent eſſe ejuſdem cognitionis, ac juriſdictionis. Et ideo ſi judex non eſt competens in cauſa principali, non erit competens in præparatoriis atque adeo in probatione corporis delicti.

Contrarium tamen verius eſt. Nam quædam valent ad præparandum, quæ non valent ad decidendum, ut inquit Bald. *in l. Julia n.* 4. *C. de his, qui ut indign.* Probatio enim, quæ ſuper corpore delicti ſumitur, eſt ſola probatio præparatoria, ſine qua proceſſus cauſæ principalis inchoari non poteſt, non autem eſt probatio deciſoria ejuſdem cauſæ principalis, ideoque poteſt à quocunque fieri, quia conſiſtit in ſola, & nuda notione alicujus rudis facti permanentis. Fariinac. *q.* 84. *nu.* 31. *& ſeq.* quæ pertinet ad actum ſimplicis juriſdictionis criminalis, quæ apud quemcumque judicem criminalem reperitur. Undè ſequitur quod quilibet judex criminalis poterit ſuper corpore delicti probationes ſumere. At verò cum de cauſa principali agitur, ſcilicet de legitimè inquirendo contra delinquentem, tunc nonniſi per judicem habentem, non ſolum ſimplicem juriſdictionem, ſed etiam merum imperium.

Atq; hinc eſt, quod prædicta notio ſuper cognitione corporis delicti delegari poteſt. prout quotidie faciunt judices. Quæ ſi eſſet de mero Imperio, nequaquam delegari poſſet *l.* 2. *C. de pedan. judic.* Vel dicendum eſt quod probatio corporis delicti eſt de ordinatoriis cauſæ, non de ordinatoriis judicii, & idcirco hujuſmodi ordinaria Cauſæ habita coram judice incompetenti, uti concernentia factum, probant etiam coram judice competenti. Facit ad id textus *in l. fin. C. de teſtib.* Nam poteſt evenire quemadmodum evenit, quod hujuſmodi cognitio facta ſuper corpore delicti fruſtraretur, ac periret, graveque eſſet, quod talia perirent, cum non poſſint facilè iterari, per ea, quæ pro portione ſumi poſſunt à Felino *in cap. præſentata nu.* 9. *de teſtib. & atteſt.* Ex quibus haud difficile reſponderi poteſt contrariis adductis.

In illa verò quæſtione an corpus delicti probari poſſit per teſtes de viſu tantum, ita diſtinguendum eſt. Aut judex habuit facultatem inſpiciendi, & corpus delicti facilis inſpectionis; & tunc nullo modo poteſt probari per teſtes de viſu, ut ait Scacc. *de judic. cap.* 83. *n.* 17. Clar. *q.* 66. *in princ.* Paul. de Caſtr. *in l. quoties §. ſi quis nomen num.* 3. *ff. de hæred. inſtit* Quia ſi diceretur conſtare de corpore delicti, quando duo, vel plures teſtes deponerent de viſu, ſequeretur quod in hoc non daretur differentia inter delictum facti permanentis, & facti tranſeuntis. Nam etiam in delicto facti tranſeuntis poteſt conſtare de delicto, ex quo teſtes viderunt, quando Mævius, verbi gratia, colaphum impegit Titio. Hoc idem etiam tenet Farinac. *q.* 2. *n.* 6. *& conſ.* 185. *n.* 6. Honded. *conſ.* 106. *n.* 19. *lib.* 1 ac Seraph. *deciſ.* 972. *n.* 2.

Aut non fuit facilis ejus inſpectio, & tunc per teſtes de viſu probari poteſt. Quid in iis, quæ ſunt difficilis inſpectionis, ac probationis ocularis plane contenti eſſe

debentus

debemus iis, qnæ haberi poſſunt, ut inquit Farinac. *q.* 46.*n.*38.Alex.*conſ.*24.*n.*6.20.*&*42.*lib.*2.ne delicta evadant impunita. Certum tamen eſt quod de dicta difficultate in proceſſu conſtare debet, ut notat Vermigliol. *conſ* 19.*n.*3.Quocirca aliquando dubitatum eſt, an corpus delicti, puta furti cum fractura, non probatum, niſi per teſtes de viſu, ſit ſufficiens ad torturam ſaltem quod ad furtum ſimplex, & dictum, quod cum fractura ex parte Fiſci commodè viſitari potuerit, & ex negligentia non fuerit viſitata, corpus delicti, hoc eſt, furti cum fractura non videtur probatum, cum fuerit facti permanentis ſuper quo non ſufficit examinari teſtes de viſu, ut tenet Farinac. *q,* 2. *n.* 6.*&* *conſ.*185.*nu.*9. Scac *d. judic. cap.* 83. *n.*17.& Honded.*conſ.*106.*nn.*19.*lib.*1. ſed judex propriis oculis, vel Notarius de mandato judicis inſpicere debet. Quod cum factum non fuerit, & potuerit fieri, deficit corpus delicti Ideoque dubitari poteſt an ſaltem procedi poſſit ad torturam pro ſimplici furto, nempè probata præexiſtentia & defectio rei furto ablatæ, ac bona fama illius, cui res ablata fuit ejuſque conqueſtionibus, nulla habita ratiooe ad qualitatem fracturæ.

Er quidem negativè videtur reſpondendum: Nam quando qualitas aliqua eſt deducta in accuſatione, ſi non ſit probata non poteſt ſequi condemnatio, Barthol. *in l. is qui reus ff. de publ. judic.* Marſil. *conſ.* 7. *nn.* 68. Quod etiam procedere dicitur, ſi reus delictum confiteretur ſine dicta qualitate Grammat. *conſ.* 71.*n.* 51. multo minus ergo deveniri poterit od torturam, ac per conſequens reus eſſet abſolvendus. *Farinac. conſ.* 55. *n.* 6. *& conſ.* 205.*nu.*20. Nam accuſator, ſive Fiſcus ſe adſtrinxit ad dictum factum ſic qualificatum, ideo ſibi imputet, ut ait Baraol. *in l. Divus* allegata per *Bald. in l. judicati. n.* 6. *c. ſi ex falſ. inſtrum.* ſubdens, quod ille videtur ſe adſtringere, qui factum qualificat, allegando ſubſtantiam, & qualitatem, tanquam unum, & idem per ea quæ docet Bald. *in d.l. judicati d. n.* 6.

At his minime attentis, conſideranda eſt natura cauſæ. Nam ſi qualitas ſit talis quæ naturam Cauſæ non poteſt alterare, tunc accuſator, ſive fiſcus non videtur ſe adſtringere, ſi vero qualitas ſit talis, quæ naturam cauſæ poteſt alterare, tunc oportet, quod qualitas neceſſario probetur *cap. licet cauſam de prob. l. in delict.* §. *ſi detracta ff. de Noxa lib. act. l. Prætor.* §. *edocere ff. de vi bon. de rapt. cap.* 2. *de reſcript.* Quoties enim duo vel plura ſunt neceſſaria ad unum, alterum adeſſe non ſufficit. *l.* 3.§. *hoc autem ff. de itin. actuque priv.*

Quare dum accuſator, vel fiſcus propoſuit querelam de furto cum fractura, non videtur, ſe adſtrinxiſſe ad probationem qualitatis fracturæ. Quia hæc qualitatis adjectio eſt acceſſoria, quæ poteſt deſtrui, remanente principali *l. pacta. ff. de contrah. empt.* & videtur detrahere qualitatem eo ipſo, quod petitur puniri de facto ſimplici juxta Theoricam Bartol. *in l. denunciaſſe* §. *ſi quid tamen num.* 2. *ff. de adult.* Nam hujuſmodi qualitas ponitur per ampliationem aggravandi gratia delictum *l.* 4. §. *adverſus ff. de ſepul. viol. l.* 1. *in fin. ff. de abig.* Ideoque utile per inotile vitari non debet *l. ſi cui ff. de legat.* 1. Et quanquam de Jure videantur contra deducta poſſe ſuſtinere ſecundùm Jacob de Aretio, ut ait Bald. *in l. poſſeſſiones n.* 8. *C. de probat.* Quia tamen accuſator de conſuetudine non proponit unam legem pro pœna infligenda reo, ſed omnem legem quibus puniri poteſt, dum dicit, peto, ipſum puniri ſecundum formam Juris, & ſtatutorum, ideò non ſe conſtringit condere ad probationem ſubſtantiæ & qualitatis ſimul, maximè ſi in accuſatione adſit clauſula diſtrictiva, ut notat Clar. *q.* 66. *num.* 4. Bald. *ubi ſupra.* Ideoque ſufficit alterum probari.

Non obſtat quod ratione diverſæ qualitatis requiruntur duo judicia. Unde cum quis intentat judicium furti cum fractura, & probat furtum ſimplex, reus debet abſolvi. Sicuti cum intentat dolum & probat culpam levem, vel latam, reus debet abſolvi. Quia primò, & principaliter non eſt actum ex hoc capite *l. illud ff. de liber. cauſ.* Ita ſi pariter quis intentat, delictum nocte patratum, & probatur, eſſe die commiſſum reus eſt abſolvendus, ut inquit, Bald. *in d. l. poſſeſſione n.* 8. *C. de probat.*

Reſpondetur enim, quod duplex eſt qualitas, una quæ removet factum ſimplex à naturali eſſe, ut eſt illa qualitas noctis, quæ adverſatur qualitati diei. Nam impoſſibile eſt quod idem actus momentaneus factus ſit die, ac nocte, atque ideo reus hoc caſu debet abſolvi. Quia Fiſcus ipſe ſibi eſſet contrarius propter incompatibilitatem temporis. Altera eſt quæ non removet factum ſimplex à naturali eſſe, ut in furto, quod naturaliter habet eſſe furti, vel ſi ſit ſimplex, vel ſi ſit cum fractura. Nam ſemper naturaliter dici poteſt, quod ſit contrectatio rei alienæ.

Minus obſtat, quod non eſt licitum mutare querelam, ut notat Farinac. *conſ.* 9.*n.*5. & ideo cum accuſatio de furto fuerit expoſita cum qualitate fracturæ, non videtur licitum fiſco mutare dictam querelam, Clar. *d. q.* 66. *n.* 4. Nam objectio procedit de Jure, nos autem loquimur de conſuetudine, ut notat idem Clar. d. *q.* 66. *n.* 4.

Difficultas autem eſt de probatione corporis delicti per peritos. Quia probatio oon deſumitur ex judicio, ſed ex teſtimonio. Nam cum Periti, veluti judices in arte ſua in eo, ſuper quo peritiam exponunt, non deponunt veritatem, ſed de ea judicant, & ideo nullo modo videntur probare corpus delicti. Periti enim proprie non ſunt teſtes, ut inquit Bald. *in l. eadem nu.* 4. *ff. de ſer.* atque iccirco fallax eſt judicium peritorum, Farinac. *conſ.* 108. *n.* 55. & in criminalibus Peritorum judicium nunquam facit plenam probationem, ut ait idem Farinac. *conſ.* 179. *n.* 5.

In hac tamen difficultate adhibenda eſt moderatio, ex facti & caſus eventu. Nam aliquando contigit caſus, in quo nec teſtes, neque eorum depoſitiones ſufficiunt ad probationem, & ideo ad peritiam recurrendum eſt. In delictis ſiquidem maxime difficilis probationis oportet ſumi illas probationes, quæ haberi poſſunt, ac proinde non eſt inconveniens illas reducere ad Peritorum judicium, etiamſi agatur de probando corpore delicti ut docet Boſſ. *tit. de delict. n.* 7. Clar. 5.4.*n.*5. Farinac.*q.*2.*nu.*20. Vermigl.*conſ.*480.*n.*9. Et hinc eſt quod quando dubitatur, an vulneratus perierit ex vulnere, vel ex alia cauſa adhibentur Periti, quorum dicto potius, quam vulgarium ſtandum eſt, etiamſi Periti eſſent pauciores, quia ipſi melius noverunt factum, Alex *conſ.* 148.*num.*1.*lib.* 2. Hoc autem judicium fieri non poteſt, niſi periti per ocularem inſpectionem factum inſpiciant *l.* 2. *ff. de ſer.* Bald. *in l. ſi quis num.* 4. *ff. ſi ex noxal. cauſ. agatur*: ſufficit enim quod dicant de credulitate per Canones Hipocratis, Galeni, & Avicennæ, Bald. *in l.* 1. §. *idem Labeo n.* 6. *&* 7. *ff. de aqu. pluv. arct.* & hinc eſt, quod Bald. ſubjungit *in l. data opera num.* 23. *C. de iis, qui accuſ. non poſ.* quod Periti, licet non ſint veri teſtes, ſed præſumpti, cum admixto judicio artis, non tamen excuſantur à teſtimonio, ſi teſtificantur per verbum *Credo* facit probationem ex addita ratione. Quia Peritus præſumitur, qnod non ſine ratione peritiam faciat, ut quando à Perito profertur Peritia in materia pertinente ad artem ſuam, & tunc ejus dictum per verbum *Credo* pro aſſertione habetur. Ac ideo Periti tenentur jurare non de veritate, ſed de conſcientia, & credulitate, Bald. *in l. comparationes nu.* 3. *C. de fid. inſtrum.* Alex. *conſ.* 87. *n.* 3. *lib.* 7.

Quod verò ad corpus delicti facti tranſeuntis, ſciendum eſt, quod delicta quæ tranſeunt, ſunt in duplici differentia, Alia ſunt quæ citò

tranſ-

tranſeunt velnti verba injurioſa. Alia quæ non ita cito traſeunt, ſed habent, prout eſt in fieri, aliquam temporalem moram, ut ſunt inſultus, vel actus percutiendi, qui actus non remanent, ſed tranſeunt poſt inſultum, & percuſſionem; licet interdum tranſeundo relinquant aliquod veſtigium, puta vulneris, ex iſto actu illati, quod vulnus cum ſit perpetua privatio, eſt quidam actus permanens, reſultans ex actu tranſeunte, ſcilicet percuſſionis, & inſultus, ac in iſtis duobus caſibus teſtes qui deponunt de facto principali, deponunt etiam da corpore delicti.

Verum plan: eſt, quod licet ille actus, qui non ita citò tranſit, ſed propter aliquam moram non poteſt dici permanens, eſt tamen expreſſivus alicujus facti, malo animo patrati, & ſic declarat qua mẽte factum ſit. Siquidem non ſolum per inſtantaneam verborũ prolationem, ſed etiam per actum tranſeuntem datur cognoſci modus quo delictum explicatur, & ex illis actibus conſideratur quid reſidet in animo agentis, tanquam quid permanens in eo quod eſt id quod dat formam delicto ex quo poſtea reſultat memoria illius delicti per ea, quæ tradit. Bald. *in l. ſi unus §. quod in ſpecie n. 45. ff. de pact.* & ſic non datur actus tranſiens, quia licet non relinquat veſtigium formale in agente propter malitiam, & in paſſo propter memoriam, factum tamen, quod tangit memoriam hominis pingit mentem cum quadam tenacitate recordationis, quæ quidem qualitates, veluti cicatrices infiguntur, à quibus homines ſanari non poſſunt.

Unde licet factum tranſeat, remanet tamen memoria facti, ait bald. *nu. l. cum fratrem nu. 5. C. de his qui ut indign.* & *in l. ſinen ſimpliciter nu. 9. C. de edil. edict.*

Verum quia permanſio formalis apud Juriſtas non habetur in conſideratione, ideo dicendum eſt, quod illa ſolum dicuntur permanentia, quæ aliquo veſtigio materiali, ut ita dicam, ſe detegunt. Cætera verò, quæ veſtigia non relinquunt, ſed cito tranſeunt, dicuntur delicta facti tranſeuntis.

Fuit autem opinio Clari *q. 55. verſ. quomodo* quod ſola quærela ſufficiat in delictis facti tranſeuntis ad probandum corpus delicti, ut refert Farinac. *q. 2. nu. 13.* & quod ſubſequente confeſſione, poſſit etiam reus condemnari. At nihilominus contrarium tenendum eſt. Quia ſicut nunquam per ſolam querelam probatum fuerit delictum, ita neque per eam probatum erit corpus delicti. Quia querela, ut ait Bald. *in d. l. ſi quis C. de accuſ.* non aſt aliud quam facti narratio, inquiſitionem provocans.

Non obſtat, quod ſaltem querela cum confeſſione in delictis facti tranſeuntis probat corpus delicti, ut inquit Clar. *loc. cit. nu.* 11. Nam contra videtur docere Boſſius *in tit. de delict. nu.* 21. ubi ait, quod opinio Clari procedat in Civilibus, non autem in criminalibus, & Farinac. *q. 2. nu.* 14. *&* 16. vehementer ſe invehit contra illos, qui affirmant, quod querela cum confeſſione tunc probet delictum furti, quando præter querelam adſint aliæ conjecturæ. Quod ampliat etiam ad alia delicta, ut *in d. c. 2. num.* 15. ubi quoque reprobat Clarum.

Huic opinioni adhærendom cenſeo. Primò quia per ſolam quetelam non poteſt deveniri ad capturam delinquentis, niſi adſit aliqua alia probatio contra reum, ut ait Farinac *p. 27. nu.* 128. Ergo neque per ſolam querelam poterit probari delictum, ita ut afficiat prætenſum delinquentem, Secundò quia querela eſt quædam inculpatio offenſi, cui nulla fides adhiberi debet, ideoque multo minus faciet fidem de delicti corpore de quo liquidò ſine ullo facti, aut juris dubio conſtare debet, Bald. *in l. Mater C. de calumn.* Quod etiam procedere inquit, ſi offenſus fuerit in articulo mortis conſtitutus *l. ſi quis in gravi*, *l. ſi quis moriens ff. ad Syllan.* Bald. *in. l. athletas §. calumniator n. 6. ff. de eis qui not. infam.* Farinac. *tota quæſt 46.*

Id vero quod dicitur, nimirum quod querela conjuncta cum confeſſione ſit apta ad condemnandum, ac proinde probet corpus delicti, intelligitur de jure cõmuni quando querela, & confeſſio conveniunt in circumſtantiis, & qualitatibus delicti. Tunc etenim confeſſio & querela videntur ſibi invicem præſtare indicia, & probationes, & ſentire videtur Angel. *in l. certum ſub initio ff de confeſſ.* quem alegat Alex. *conſ.* 19. *nu. 3. lib. 7.* & melius idem Alex. *de conſ. 9. n. 5.* Quia ſecundum regulas Juris ſufficit ſola confeſſio abſque alia verificatione, ut idem Alex. *loc. cit. n. 12.*

Tandem corpus delicti facti permanentis, ſed occulti ac difficilis probationis differt à ſupradictis, ideo, nè delicta remaneant impunita, & præcipue illa, quæ occultè fiunt, vel facto ocultantur aliqua diſqoiruntur. Cũ autem ſæpius in Criminibus facti permanentis; ac verè perpetratis corpus delicti oculis Judicis ſubjici non poſſit, ut exempli gratia, in caſu hominis occiſi, in Mare, vel in Lacum projecti, aut clam ſepulti, vel combuſti, aut aliter abditi, ne oculis ſubjiciatur, ideo Judex debet omni, quo poreſt conatu, de illo inveſtigare. Qua in re triplicem modum, quo de corpore delicti conſtare poteſt, conſiderare debet. Primum ad effectum inquirendi. Secundum ad effectum torquendi. Tertiũ ad effectum condemnandi ut notat Cavalcan. *de brach. reg. p.* 1. *n.* 188. Si primo modo conſideretur tunc ſufficere videtur ſola querela, aut publica diffamatio, ſive denunciatio, aut advertit Clar. *q. 4.* Neque ex hoc querela probat corpus delicti, ſed præbet cauſam de illo inveſtigandi, hoc eſt aperit viam Judici ad inquirendum de illo, ut per farinac. *conſ. 5. n. 82. & 98.*

Neque objicias, quod ex querela, & conqueſtionibus partis dicitur probari corpus delicti in furto, quod ut plurimum occulte patratur, & eſt difficilis probationis, ut notat Farinac. *quæſt* 176. *n. 3.* precipue quando quærelans eſt Vir bonæ famæ, & conditionis. Nam hoc eſt ſpeciale in furto propter ejus exuberantiam, & nihilominus requiritur quod fieri poteſt, quod probetur bonorum ſumptorum præexiſtentia, vel eorum poſſibilis exiſtentia, ut docet idem Farinac *conſ.* 189 *n.* 17. In aliis verò occultis delictis ſufficit per querelam Judicem inſtructum fuiſſe ut ſit adſtrictus ad inquirendum de illis.

Si conſideratur ſecundo modo, tunc oportet, quod per inquiſitionem factam acquiſita fuerint indicia indubitata contra delinquentem. Nam ſæpiſſime contingit, quod reus, neque delictum confiteri, neque locum ubi cadaver occiſi ſepultũ fuerit demonſtrare velit, & tamen ex indiciis iodubitatis contra eum acquiſitis certo liquet, illum eſſe delinquentem. Unde pro juſtitiæ perfectione oportet ut experiatur inquiſitus ad cadaver occiſi exhibendum, & demonſtrandum Carpzov. *q.* 108 *n.* 21.

At inqnies, quomodo id eſſe poteſt, dum neque ad inquiſitionem, nẽque ad torturam contra reum deveniri poreſt, niſi certò liqueat de corpore delicti per text, *in d. l. 2. §. Item illud ad Syllan.* Boſſ. *loc. cit. num.* 14. Clar. *quæſt. 64. verſ. debet autem Judex.* Reſpondetur, quod cum ſimus in caſu delicti occulti, ac difficilis probationis, ſat eſt quod corpus delicti probetur præſumptionibus, & conjecturis, ut voluit Farinac. *q. 2. nu.* 12. Quare ſi ex indiciis iodubitatis, quando certò liqueret de corpore delicti, poſſet condemnari reus in pœnam extraordinariam ut per Felinum *in cap. afferte n. 8. de præſumpt.* Clar. *q. 20. verſ. ſiat autem*, Boſſ. *in tit. de convict. n. 30. & 49.* multo magis contra eundem, quando non certò, ſed per præſumptiones indubitatas de ipſo delicto liquet poſſet deveniri ad torturam pro habenda liquida recognitione corporis delicti. Neque tormenta in hoc caſu irroganda inquiſito ſunt ſimpliciter ſolum ad cofeſſionem

haben.

Google

habendam, ſed etiam ad dete gendum corpus delicti, quod ſi per confeſſionem non detegeretur, utique reus non poſſet condemnari, ut mox dicetur.

Si denique tertio modo conſideretur, & ſi delinquens delictum confeſſus, aut de eo convictus fuerit, attamen de corpore delicti commiſſi conſtare oportet *d. l. 1. §. Item illud ff. ad Syllan.* Bald. *in l. un. C. de confeſſ.* Boſſ. *in tit. de delict. num.* 15. Eſtque regula Doctorum, quod delinquenti etiam confeſſo, aut convicto pœna mortis irroganda non ſit antequam de corpore delicti, ac veritate criminis perpetrati liquido per teſtes, vel per evidentiam facti conſtet,

Corpus autem delicti facti permanentis probatum per præſumptiones ſufficit ad pœnam ordinariam, vel ſaltem extraordinariam, etiam corporalem, ſi tamen præſumptiones ſint tales, quod æquipolleant veritati corporis delicti, veluti præſumptiones juris, non hominis, niſi præſumptiones hominis ſint tales, quod à jure conſtet eſſe approbatas, ut tradit Vermigl. *conſ. 59. n* 5. Ex quo ſit, ut hujuſmodi præſumptiones ſint liquidiſſimæ probationes, *l. tutor. C. de peric. tut.* quæ idem operari debent, ac ſi eſſent plenæ probationes, atque adeò, ſicut corpore delicti probato per plenas probationes, ordinaria pœna imponitur, ita etiam quando fuerit probatum per juris præſumptiones, quia corpus delicti debet eſſe certum, non dubium. Et ſic cum de corpore delicti, & per conſequens poteſt ad pœnam ordinariam deveniri; multoque magis ſufficeret ad pœnam extra ordinem inferendam.

Neque dicas, quod idem dicendum erit de corpore delicti, probato per præſumptiones hominis, cum Boſſius *in tit. de partu ſuppoſ. n.* 53. affirmet ſufficere, quod adſint præſumptiones hominis, & expreſſius Alex *conſ. 56. in fine l. 2.* dicat conjecturas, quibus dolus detegitur relinqui arbitrio Judicis. Ergo datur intelligi, quod etiam præſumptione hominis firmari poſſit corpus delicti. Nam ea, quæ à lege terminata ſunt, non poſſunt dici arbitraria.

Quia reſpondetur, quod objectio procedit in probatione doli, & ſic delicti, non autem in probatione corporis delicti, quod debet perfici ſaltem præſumptionibus Juris, quæ non recipiunt arbitrium. Si enim illæ reciperent arbitrium, corpus delicti non firmaretur, ſicuti firmari debet, ut ad ulteriora Proceſſus deveniri poſſit. Unde Foller. *v. Capiat informationem n. 17.* ait, quod ubi concurrit difficultas nimia probationis, tunc eo caſu conſtando per cōjecturas validas à Jure approbatas ſufficit. Idem tradit Farinacius ſequendo Follerium *quæſt. 2. n. 12.* inquiens, quod in occultis delictis, & quæ ſunt difficilis probationis præſumptiva, & cōjecturata probatio, habetur pro plena, & concludenre probatione, communiter receptū eſt ex Bald. *in l. Quicunque C. de ſerv. fugit. n. 28.*

Dū igitur probatio per conjecturas habetur pro plena & concludente probatione, non de conjecturis hominis, ſed juris intelligi opportet, quia hominis præſumptio non firmat plenam, & concludentē probationem, Quare Vermigl. *d. conſ. 59. n,* 5. Authoritate Deciani *conſ. 18. n. 221. lib. 1.* ait quod ſaltem oportet conſtare hominem non eſſe in humanis ad hoc, ut præſumptio ſuper corpore delicti facti permanentis plene probet, & per conſequens reſultat, quod ſi corpus delicti fuerit probatum per præſumptiones Juris, non extraordinaria, ſed ordinaria pœna imponi poteſt. Nam ſicut per indicia, & præſumptiones delicti in genere poteſt procedi ad Torturam ſecundum communem opinionem Doctorum, quos citat Farinac. *q. 11. n. 12. in prima limit.* traditque Cavalcan. *de tract. reg. p. 1. n. 201.* & ſuffragatur textus *in l. & ſi certus §. ſi unus ff. ad Sellan.* ubi notat Bartolus ſervos poſſe torqueri, non comparente Domino Clar. *q. 4. n. 3.* Sanfelicius *dec. 28. n. 2.* etiam ad condemnationem procedi poteſt.

Hinc Carpzovius *q. 16. n. 19.* hoc idem affirmavit his verbis. *Meo Judicio Judex pœnam ordinariam dictitans, neutiquam à vero, & æquo aberrat, aut certè ratio diverſitatis danda eſt, quare in delictis facti tranſeuntis ſufficiant conjectura valida, & approbata ad condemnandum, quæ tamen ſufficientes non ſunt ad pœnam in delicto facti permanentis.* Suadet idipſum Clarus, præcipue quando adſit confeſſio delinquentis *in q. 5. n. 11.* ac Boſſ. *in tit. de delict. n. 15.* Farinac. *q. 2. n. 9.* Immo ſubjungit Carpzov. *loc. cit. n. 27.* quod id procedat, ſi unicus Teſtis juratus deponat, ſe Corpus delicti, hoc eſt cadaver occiſi, vidiſſe, nam unicus Teſtis omni exceptione major de viſu deponens, indicium facit ad torturam *l. Si maritus ff. de quæſt.* Clar. *q. 21. verſ. Unus Teſtis,* Farinac. *q. 36. n. 225.* Atqui unus Teſtis de viſu facit ſemiplenam probationem. Ergo ſi cum dicta ſemiplena probatione concurrat aliud adminiculum, addita confeſſione inquiſiti, hoc caſu ordinaria pœna tutè dictare poteſt. Quod eſſet ſecus, ſi non fuiſſet confeſſus.

Sed quid ſi procedatur contra contumacem, an corpus delicti facti permanentis, probatum per conjecturas, ſufficiat ad illum condemnandum in contumacia? Affirmative videtur reſpondendum. Quia ſicut contra præſentem hujuſmodi conjecturæ valent ad probandū Corpus delicti, atque etiam ad condemnandum contumacem, qui pro confeſſo, & convicto habetur, cum idem operetur ficta confeſſio in contumace; quod vera in reo præſente, ut notat Cepol. *conſ. 29. ſub* 29 Cabal. *caſ. 256. n. 6. & caſ. 255. n. 9.* Immo etiam valent ad procedendum contra inquiſitum, ut animadvertit Igneus *in l. & ſi certus §. ſi. n. 28. ff. ad Syllan.* ubi ait, quod ſatis eſt in reum homicidii patrati proponere hominem, qui ſecum viſus eſt non apparere, ut ad Torturam contra eum deveniri poſſit, licet alia certitudo de morte non habeatur. Et ſic, fingi etiam poteſt ſuper corpore delicti ad effectum torquendi, & hujuſmodi fictio tantum operatur, quantum veritas. Unde quemadmodum contra præſentem deveniri poteſt ad Torturam, ita poteſt deveniri ad condemnationem contra abſentem. Sufficit etiam, ut abſens contumax condemnari poſſit, quod ſi fuiſſet præſens torqueri poſſet, Farinac. *conſ. 5. n. 103.* & *q. 11. n. 48.* Et ſpeciatim Natta *conſ. 594. n. 14.* citans Baldum *in l. Servumquoque §. publice ff. de procurat.*

Verius tamen contrarium eſſe arbitror. Pro quo ſciendum eſt, quod condemnatio, quæ contra abſentem contumacem infertur non habet fomentum à Jure communi, Farinac. *q. 12. n.* 3. ſed á conſuetudine, vel conſtitutione, aut ſtatuto. Nam de Jure communi abſens non punitur nec pro confeſſo, neque pro convicto, ut habetur *in l. properandum §. & ſi quidem C. de Judic.* Bartol. *in l. abſentem ff. de pœn.* Chartar. *de capt. bann. cap. 1. n. 1.* cum ibi deductis.

Sciendum itidem eſt, quod fictio ex conjecturis eſt fictio Juris, & præſertim ex conjecturis, quibus probandum eſt corpus delicti, ut notat Vermigl. *conſ. 59 n.* 5. Ideoque hoc Jus, quod fingit conſtare delictum in genere, & ſic corpus delicti ex conjecturis, non trahit ad ſe ſpeciale maleficium fictum per ſtatutum, vel conſuetudinem, aut per aliam conſtitutionem, vel edictum, ut docet Bald. *in l. ſiquis ſervo n. 11. C. de furt.* Quia tunc duæ fictiones cōcurrerent ad unum & eundem effectum, nempe fictio delicti in ſpecie, & fictio in ficta confeſſione conſiderati, & ideo contumax non poteſt condemnari, niſi conſtet ſufficienter de corpore delicti, Cabal. *d. Caſ. 255. num.* 4 Farinac. *q. 2. num.* 7.

Non obſtat. quod conjecturæ Juris ſunt liquidiſſimæ probationes, ut per Bald. *conſ. 23. num 8. lib. 1. deverſ. in parv.* Et ideo cum ex conjecturis præſumatur corpus delicti verè probatum, & juſtificatum, Farinac. *q. 2. n.* 12. merito verè, ac non ficte proban-

dum videtur. Facit ad id Textus *in l. ſiquis locuples*, *§. fin. ff. de manum. teſtam.* Jaſ. *in l. licet Imperator. n.* 8. *ff. de legat.* 1.

Nam reſpondetur, quod licet conjecturæ Juris faciunt manifeſtum ac evidens, non tamen dicuntur facere evidenter, ac verè per ſe notum illud, quod elicitur per conjecturas *l. ſi plures in fin. ff. de vulg. & pupil.* ibi *niſi evidenter fuerit expreſſum*, favetque Textus *in cap. 2. ſent. excom. in 6.* ibi, *patenter expreſſum* Per quem Textum notant Canoniſtæ, ac nominatim Geminianus, quod illud non dicitur evidenter, ac verè expreſſum, quod ex conjecturis apparet. Jaſ. *in d. l. licet Imperator. num. 14. ff. de leg.* 1. Dum ergo corpus delicti probatur per conjecturas, dicitur manifeſte probatum, non idcirco videtur evidenter per ſe notum, & expreſſum. Quia ubi conjecturæ, ibi veritas per ſe nota eſt Bald *in l. Cives in princ. C de appell.* atque adeo corpus delicti per conjecturas probatum fictione non caret, quæ fictio cum alia fictione concurrere non poteſt ad effectum condemnandi contumacem.

Unde pro reſponſione ad ea, quæ pro affirmativa dicta ſunt, dicendum eſt, quod corpus delicti per conjecturas probatum, ideo ſufficit, ſi illud poſtea conſequitur vera confeſſio delinquentis ſecundum tradita per *Clar. d. q.* 55. Et ad doctrinam Ignei reſpondetur, quod ſit caſus ſpecialis in ſervis, qui omnem opem tenentur præſtare Dominis *l. 3. ff. ad Syllan.* Et omnem malam interpretationem contra eos accipimus, dum valet conſequentia: Servus eſt, ergo nequam *l. 4. in addit. marg. C. de libert. & eorum liber. l. apud antiquos in addit. marg. C. de furt. & ſerv. corrupt.*

At de his ſatis, quæ non ſunt omnino extra rem, ſed uſui S. Officii accommodanda.

CONSULTATIO CXLV.

De Citatione in S. Tribunali S. Officii.

Citatio eſt actus judicialis, ſeu Judicii præparatorius, quo is, qui coram Judice ſiſtendus eſt, ejuſdem Judicis mandato legitime vocatur, juris experiendi cauſa. Eſt jure naturæ debita, cum ſit quædam defenſionis ſpecies traxitque originem à Deo *Geneſ.* 2. Qui Adam inobedientem condemnare volens, quaſi eum citando vocavit. *Adam, ubi es?* Ita in Clem. Paſtoralis de re judic. Abb. *in cap. Cum olim. eod tit.* Maranta *in pr, p. 6. capit. de citat. num.* 3. Caren. *p. 3. tit. 2. §. 1, num. 1. & ſeq.* Generatim aliqua de citatione dicenda ſunt.

Aditus itaque Judex competens, Prætore petente, jubebit reum in Jus vocari *l. ultim. c. de exib. reis.* Omnium ſiquidem actionum inſtituendarum principium ab ea parte edicti proficiſcitur, qua Prætor edicit, de in jus vocando, utique enim in primis adverſarius in Jus vocandus, id eſt ad eum vocandus, qui Jus dicturus ſit *§. ultim. inſtit. de pœn. tem. litig.* Eſtque citatio de Ordinis judiciarii ſubſtantia, quod ad abſentem attinet, *can. caveant, can. omnia 3. q. 9. d. Clem. paſtoralis §. dici ne ergo de ſent. & re jud.* Bartol. *in l. prolatam C. de ſent. & interloq. om. Jud.* Bald. *in auth. Si omnes num. 2. C. ſi ut minor. ſe ab hared. abſtin.* Gail. *lib. 1. obſer. 48. in princ.*

Quod verò ad præſentem in judicio attinet, non eſt neceſſaria citatio; nam ob id quia citatur, ut ſit præſens, Not. Jo. Andr. *in cap. ultim. de elect*, in 6. ſive litigare velit, ſive nolit, Panor. *in cap. tenor. in fin. de ſent. & re jud. in cap. Eccleſia S. Maria num. 8. de conſtit.* Alex. *in rubr. num. fin. C. de in Jus voc.* & hanc eſſe communem teſtatur Gail. *d. obſ. 48. num. 4.* & Marant. *p. 1. p. 6. princ. membr. 1. cujus vitii*, ſi tamen citatus compareat, actus cum ipſo geſtus tenet, non ratione citationis, ſed ratione præſentiæ, adeo, quod poſſit ad ulteriora procedi. Bald. *in d. auth. ſi omnes num. 8. C. ſi ut minor.* Nam per comparitionem citatio invalida convalidatur, & comparens nullitatem citationis poſt allegare non poteſt, Minſing. *Cent. 2. obſ. 18. & Cent. 3. obſer. 90.* Gail. *lib. 1. d. obſ. 48. num. 4. & obſer. 58. per tot.* Gravat. *ad veſtr. lib. 7. cap.... num.* 32. in tantum, ut ſi citatio invalida ad notitiam. Adverſarii pervenerit, reddatur valida *ibid. num.* 33, Quocirca præſenti poterit offerri libellus ſi ad hoc citatus non ſit, non cogitur tamen ſtatim libello reſpondere, ſi negotium ampliorem deliberationem deſideret, Panorm. *in d. cap. tenor. & not. in cap. 1. de libell. oblat.* Gravat. *ad Veſtr. lib. 1. cap. num. 6. inſtit. de pœn. tem. litig.* quod tametſi de citatione nihil apud acta apparet, Proceſſus tamen viribus ſubſiſteret, modo Partes, & earum legitimi Procuratores in omnibus articulis proceſſus fuerint præſentes.

Citatio autem eſt Triplex. Prima, quæ fit viva voce, ſecunda litteralis, tertia violenta, ſive Perſonalis, quæ fit per capturam Perſonæ. Viva voce fit multis modis, Jure civili introductis Aut enim fit per Judicem, ut quando Judex ore proprio citat, & valet, arctatque, citatio talis, ſi legitime fiat, cenſeturque peremptoria *l. 2.* & ibi Doctores ſecundum unum intellectum *C. quom. & quando Judex.* Nam aſſignando Partibus terminum ad comparendum, vel procedendum citare intelligitur. Secundò fit per Notarium ſive Tabellionem *arg. can. Circumceſſiones* ibi, *ſed illorum Notarius 23. q. 5.* ſicut plerumque faciunt Auditores Palatii Papæ. Nam ſi poteſt Judex citare per Nuncium, vel Præconem, ut in Auth. *qui ſemel. C. quom. & quando Judex.* Omnes autem voce præconis citati, venire tenétur, ut ubi notatur. Quartò per Parochum in ſua Eccleſia in publica Concione, quo caſu Sacerdos non privatæ, ſed publicæ Perſonæ vicem gerit, quod in omni cauſa ſpirituali, & Animam concernente poteſt, *cap. quanquam de uſur. lib.* 6. Quintò fit per Nuncium, ut *in cap. prudentiam 1. de Offic. Jud. de leg. cap. cum parati de appell. l. magis §. nec tamen ff. de rebus eor. qui ſub tut. vel. cur. ſunt.* Nuncius autem neminem citare poteſt, niſi præcedat Juſſus Magiſtratus *l. ult.* ac ibi Bartol. *c. de exib. reis*, Gail *lib. 1. obſer. 54. in princ.* Et ſi ſecus fecerit, tenetur pœna falſi criminaliter, *l. qui nomine ff. ad leg. Cornel. de fals.* vel civiliter ad intereſſe Parti citatæ. Salicetus *in d. l. ultim*, niſi conſuetudo ſit in contrarium Bald. *in l. ſi quando num. 12. C. de Teſtib. in l. cum Clericis C. de Epiſc. & Cler.* Jo: Jab. *in §. quadrupli. num 1.* & ibi Jaſ. *num. 34 inſtit. de act.* Imol. *d. cap. cum parati de appell.* Marant. *p. 1. p. 6. princ. membr. 1. num.* 52. Vant. *de nullit. ex def. citat. num.* 43. Pekius *de jur. ſiſt. cap.* 19.

Secunda citatio Litteralis eſt, cum quis a Judice litteraliter citatur, reſponſurus. Poteſt autem quivis Judex, ſive ordinarius ſit, ſive delegatus, citare per litteras *cap. ſi Epiſcopus d. 18. can. quiſquis 4. quaſt. 5. d. cap.* prudentiam *de Offic. Jud. deleg*, adhibito tamen Nuncio, cujus opera ipſi rei maxime ignotus ſit, tamen litteræ tales ſunt, ut reus credat, vel credere debeat, eas eſſe alicujus Judicis, omnino comparere tenetur, ſecus quando Nuncius viva voce abſque litteris citat; nam tunc Nuncius talis ſit oportet, ut reus credere debeat ipſum eſſe Nuncium. Barto'. *in extravag. ad reprimend. quomod. in Crim. Læs. Majeſt. proced. v. per Nuncium & v. Litteras, & not.* Gail *d. obſ. 54. num.* 4.

Tertia

Tertia violenta dicitur, ut cum quis in perſona propria ad judicium invictè ducitur, de qua vide notata in l. plerique ff. de in Juſ. voc. & d. ult. C. de exib. reis, & Jo. Andr. in cap. Romana §. contrahentes de for. comp. in 6. Et dicitur hæc etiam realis Uviſemb. in pr. tit. pandect. lib. 2. de in jus. voc. n. 13. Canter. in qu. crim. præl. 3. num. 2. Caren. p. 2. tit. 12. num. 3. Farinacius, & alii paſſim.

Alii ſtrictius citationem duplicem eſſe, ajunt, Una verbalis, quæ fieri ſolet per ſchedulam Altera realis, quæ perficitur vel per apprehenſionem Perſonæ, vel actualem præſentiam ejuſdem. Prima ſpectat ad manus injectionem, ſeu carcerationem. Secunda eſt cum reus præſentialiter ſe præbet coram Judice, & declarat habere Teſtes pro ritè, ac rectè examinatis. Tunc enim per æquipollens ſupplet citationem, ita ut examen teſtium ex defectu citationis non infringatur, ut per Guaz. defens. 24. cap. 6. num. 4. cum ibi allegatis.

Regulariter autem cujuslibet Judicis, ſive Ordinarii, ſive delegati litteralis citatio continere debet, quis citat & ejus nomen, & cognomen, quem, & ſuper quo ubi, & ad quem diem, & ad cujus Inſtantiam citet. & quod per ſe, vel legitimum, vel idoneum procuratorem ad cauſam ſufficienter inſtructum peremptorie, vel non peremptorie compareat.

Propius autem ad praxim S. Officii ad citationis validitatem tria requiruntur. Mandatum Judicii de citando. Citatio ipſa, ſeu mandatum Judicis ſcriptum, executioni traditum. Relatio executoris ſivè nuncii citantis, Tria hæc ad validitatem citationis neceſſario requiruntur, & una deficiente, citatio non eſt legitima, nec ullum habet vigorem, Marant. d. p. 6. cap. de citat. numero 51. Caren. d. tit. 2. §. 1. nu 4. ali que communiter. Unde in Tribunali S. Officii omnes inquiſiti, ſivè ſint hæretici ſive de hæreſi ſuſpecti, citandi ſunt, quia judicium cuntra eos inſtituendum ſive hoc actu præparatorio ſubſiſtere nequit ut firmant Param. de orig. S. Inquiſ. lib. 3. quæſt. 4. in rubr. de forma & ordine num. 62. Souſa in aphor. Inquiſ. lib. 2. cap. 27. Caſtropal. p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 5. num. 1. Nec poſſunt Inquiſitores hanc citationem omittere prætextu facultatis procedendi ſummarie de pleno, & ſine ſtrepitu judicii. Quia citatio eſt de jure naturæ, Pegn. p. 3. direct. com. 104. in fin. Sous. cap. 1. nu. 5. Farinac. de hæres. d. q. 185. n. 16. & Carena ibid. nu. 6.

Si autem inquiſitus non ſit contumax, neque de illo timeatur fuga, ſed facile capi poſſit, citandus eſt abſque expreſſione cauſæ, ſed ſolum in genere proponendo, Inquiſitorem velle ab eo aliqua ſcire, ne detur ei occaſio, ſe in fugam conjiciendi, ut per Pegnam p. 3. direct. com. 33. num. 131. Param. loc. cit. num. 34. Simanch. de Cath. inſtit. tit. 43. rubr. de mod. proced. num. 12. in fin. Caſtropal. d. diſp. 8. pun. 5. nu. 2. & Caren. ubi ſupra §. 2. num. 7. Si verò ex generali citatione timeatur delinquentis fuga capiendus ipſe eſt, omiſſa verbali citatione ex lib. nullus C. de exhib. reis, & l. fin. C. de cuſtod. reor. & notant Pegna d. p. 3. com. 27. num. 73. & Caſtropal. ibidem Similiter ſi citatus non compareat, capiendus eſt, ſi capi poterit, ſin minus, tunc in verbali citatione inferenda eſt cauſa, videlicet ut de fide reſpondeat juxta textum in cap. cum contumacia de hæret. in 6. & tradunt Scacc. de judic. cap. 43. num. 9. Farinac. d. q. 185. num. 114. Pegna loc. alleg. num. 131. & Carena d. p. 2. tit. 12. n. 8. Id tamen hac de re invenio decretum ſub 28. Martii 1618. Citatio in cauſis S. Officii non fiat ad ſubjiciendum ſe examini pro cauſa fidei, ſed dicendum quid ſentiat de fide.

Itemque ſi delinquens non ſit abſens, nec contumax, ſed præſens, unica ſufficit citatio, quæ tribus æquivalet, ſignato termino competenti, ac peremptorio ad comparendum. Nullibi enim habetur expreſſè, requiri in hoc caſu trinam citationem, ut obſervant Caſtropal. eodem loco num. 3. Caren. ibid. §. 3. num. 9. Farinac. cit. quæſt. 185. num. 158. Souſ. lib. 1. cap. 27. num. 12. Si verò ſit abſens & contumax trina citatio expediri ſolet, & in qualibet illarum præfigitur competens terminus, ut ſic proceſſus & ſententia magis comprobetur. Quod docent Royas ſing. 29. num. 2. Param. loc. cit. num. 65. Farinac. ibi. num. 117. & 157. Simanch. tit. 14. rubr. de contumac. num. 6. & in Enchirid. tit. 45. rubr. de abſent. num. 3. & 4. Caſtropal. d. diſp. 8. pun. 5. Additque Carena num. 13. quod trina citatio, facta domi æquiparatur citationi perſonali ad effectum, ut poſſit excommunicari juxta ſpecialem ritum Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ, de quo Ricc. dec. 204. lib. 1. In hac tamen re diligenter ſervanda eſt praxis cujuſque Inquiſitionis, ac Tribunalis,

Formam autem ſervandam in hac citatione tradit Eymeric. p. 3. direct. num. 130. ibique Pegna com. 33. Annotandum tamen eſt, quod hujusmodi citatio non ſolum neceſſaria eſt ad conteſtandam litem & formandum proceſſum, ſed multo magis ad ſententiam pronunciandam. Non enim valide ſententia proferri poteſt, niſi prius reus citetur expreſſè ad illam audiendam, ut colligitur ex Clem. Sæpè de verb. ſignif. & tradunt Pegna cum aliis com. 40. num. 165. vers. Rurſus, Param. ubi ſupra q. 4. n. 19. Decian. tr. crim. lib. 5. cap. 38. num. 27. & Farinac. ea quæſt. 185. num. 155.

Notandum etiam eſt, quod quando reus eſt abſens, vel latitat malitioſe ac doloſe, non ſolum citari poteſt domi ſuæ ſolitæ habitationis ex cap. cauſam, de dol. & contum. ſed etiam per edictum ad valvas Eccleſiæ Cathedralis. Quod in tribunalibus S. Inquiſitionis obſervatur frequentius, ut animadvertunt Scacc. de judic. lib. 1. cap. 89. num. 31. Simanch. tit. 14. de contumac. n. 5. & 6. & in Enchir. tit. 145. n. 7. ſeq. Farinac. ibid. n. 116. & Barbos. in cap. fin. num. 3. de dol. & contum. Reus autem latitare dicitur, quando in domo, ubi uxor & filii habitant, non invenitur, Barboſa ibid. num. 4.

Porrò regula eſt, ut citatio fieri debeat in perſonam, ſi reperiri poſſit, alioquin ad domum habitationis ipſius cap. venerabilis in fin. de dol. & contum. can. quiſquis 4. quæſt. 5. d. cap. cauſam, ibique Gloſ. v. ad domum eod. tit. lib. 4, §. Prætor ff. de damn. infect. quam communem dicit Marant. p. 1. p. 6. princ. memb. 1. 124. Non obſtat l. ſcire §. qui autem ſupra centum ff. de excuſ. tut. ibi: oportet autem ei manifeſtari à præſidibus, vel in faciem, vel ad domum, quæ cum alternativa ſit, videtur ſufficere citationem ad domum fieri. Sed loquitur in alternativa, quæ non electionem denotat, ſed citationis ordinem ita, ut primo citari debeat perſonaliter, ſi reperiatur, ſin minus ad domum. Similis eſt, alternativa ordinis in cap. mandato de præb. in 6.

Si itaque reus poſt debitam executoris inquiſitionem non poſſit reperiri, citabitur ad domum habitationis, & cenſetur non poſſe reperiri quoad effectum ſecundum Bartol. & Alex. in d. §. Prætor Butr. Panorm. in d. cap. cauſam de dol. & contum. ſi in judicio non reperiatur, quando ſcilicet cauſa celeritatem deſideret. d. lib. 4. §. Prætor. vers. abeſſe juncta l. 1. de damn. infec. Si verò celeritatem non deſideret, & prima ſit ad judicium evocatio, non poterit ad domum habitationis citari, niſi abſit à civitate, vel à loco domicilii l. ut perfectius C. de annal. except. tenet Innoc. in cap. ult. de eo, qui mit. in poſſeſ. & Panorm. in d. cap. cauſam. Quo caſu ſi domeſtici rogati executori reſponderint, reum à civitate abeſſe, citabit executor

reum ad domum, & in perſona domeſticorum tradendo illis exemplum litterarum citatoriarum ſecundum Alex. *ubi ſupra*, & ſua relatione declarabit, quod reum diligenter quæſiverit, & quod perſonaliter non inventum, citaverit ad domum, Panorm. *in d. cap. cauſam nu.* 8.

Immo indiſtinctè abſentem à domo in perſonam domeſticorum etiam in cauſis majoris præjudicii, nulla alia præmiſſa inquiſitione, citari poſſe, uſus obtinuit, teſte Guidopap. *quæſt.* 465. *num.* 1. Perk. *de jur. ſiſt. cap.* 39. *nu.* 3. & hoc ita juris eſſe ex ſententia Baldi aſſerit Marant. *d. memb.* 1. *num.* 126. ac idem Alex. *d. l.* 4. *§. Prætor, num.* 2. cùm is abſens dicatur, qui non reperitur in loco, in quo quæritur *l. abſentem ff. de verb. ſignif.* Gail. *lib.* 1. *obſ.* 49. *num.* 8. *& ſeq.* Unde citatio in perſonam uxoris cohabitantis marito, ſufficit ad contumaciam mariti, Mynſing. *cent.* 3. *obſ.* 37. etiamſi verè ad notitiam citari non pervenerit Gravat. *ad Veſtr. lib.* 5. *cap.* 13. *num.* 13. Et hoc minus habet dubii, quando cum litteris facta, Marant. *d. membr.* 1. *num.* 81. Quemadmodum ſi jam ante in judicio fuerit; tunc enim abſque ulteriori inquiſitione ad domum habitationis citari poterit Ferrar. *in for. reſponſ. rei v. in termino ſibi aſſignato num* 8.

Si verò non fuerit prima citatio, poterit quis ad domum citari, ſi in judicio non reperiatur, teſte Bartol. *in d. l.* 4. *§. Prætor ait*, & notat Gloſ. *in l. & poſt edictum ff. de judic.* & *in auth. qui ſemel & l. ab eo, C. quom. & quando* Jud. vide *cap.* 1 *de ſent. excom. in* 6. *Gloſ. in l.* 1. *§. cum ex edicto ff. quæ ſent. ſine ap. reſcind.* Dicitur autem ad domum quis citari, ſi & ante domum fiat executio, quia non poteſt executor domum, invito reo, ingredi, & ſi ſecus fecerit, tenetur injuriam *l. plerique & l. ſeq. ff. de in jus voc.* Gloſ. *v. in domo in Clem. cauſam de elect.* Domum præterea intellige privatam ipſius rei, in quo habet familiam *d. l.* 4. *§. Prætor ff. de damn. infect.* non autem officinam, aut tabernam, Bartol. *in d. l. §. Prætor*, quem de hoc articulo plenius vide, & Panorm. *in d. cap. cauſam de dol.* & *contum. in cap. ult. de eo, qui mit. in poſſes.*

Neque hoc prætereundum eſt illum, qui ad domum, vel Eccleſiam citatus eſt, non poſſe excommunicari, niſi primo perſonaliter apprehenſus moneatur, aut conſtet illum latitare, vel impedire, quominus citatio ad eum perveniat, Rota *dec.* 134. *& dec.* 139. *& dec.* 184. *in antiq.* quia in his, quæ ſunt gravis præjudicii, requiritur vera contumacia. Facit *cap. conſultationibus de Offic. Jud. deleg. & l. fulcimus ff. ex quib. cauſ. in poſſes. eat.* Innoc. *in cap. ult. de eo, qui mittit in poſſes.* & ibi Panor. *n.* 14. Angel. *in d. l. ut perfectius de annal. except.*

Perſonaliter itaque reus non repertus citari poteſt ad domum, vel Eccleſiam parochialem, ut ait Gloſ. *v. ad domum in d. cap. cauſam de dol. & contum.* Hoc tamen ſenſu ſecundum Panormitanum ibi, ut reus non repertus perſonaliter, ſi domum habitationis habeat, ibi primo citari debeat per *cap. ult. de eo, qui mit. in poſſes cauſ. rei ſer.* Sin domum non habeat, ad Eccleſiam parochialem *d. cap. ult. de dol. & contum.* Verum Butr. *in cap quoniam frequenter §. porro num. fin.* ut *lit. non conteſt.* aſſerit, tutius eſſe, ut in utroque loco, puta ad domum, & ad Eccleſiam parochialem fiat, uti & hoc loco fieri mandatur.

Hæc autem, quæ dicta ſunt, obtinent, quando citatur perſona, aliud verò obſervandum, quando Univerſitas ad Judicium vocatur. Nam Univerſitas ſimul congregata citari debet, ſi haberi ſimul poſſit. Quæ congregatio fieri ſolet per ſonum campanæ, vel ſuperiorem, qui convocare habeat, & ſi poſt requiſitionem illius ſe includant, vel abſentent, ne citatio inſinuetur perinde erit ac inſinuata eſſet, *arg. §. porro in cap quoniam ut lite non conſtet.* Hinc requirendus prius eſt Conſul Civitatis, ut convocet Senatum, item Præſes Judicii, ut aſſumat alios, quibus citatio inſinuari poſſit, quod ſi facere recuſaverit, ſufficit ſola ipſius perſona, Bartol. *in d. extravag. ad reprimendum v. citatum.* Si autem aliqui conveniant, ſufficit illi inſinuari Gloſ. *in cap. ſi capitulo de conceſ. præb. in* 6. *v. factam.* Citatur etiam Univerſitas per edictum in loco, ubi congregari ſolet, & ſi cives clauderent portam, per affixionem copiæ in porta civitatis, Marant *d. p.* 1. *p.* 6. *princ. membr.* 1. *num.* 94.

Aut ſinguli, non ut ſinguli, ſed ut Univerſitatem vel Capitulum efficiunt *cap. bona* 1. & ibi Gloſ. *v. ſingulares de elect.* Jo. Andr. *in d. cap. ſi capitulo*, & ibi Gloſ *v. factam. de conceſ. præb. in* 6. Bartol. *in d. extr. ad reprimend d verb. citatum*, ubi addit, etiam poſſe dici, quod quemadmodum unum hominem ſingularem quis poteſt citare, licet ſolum ejus caput reſpiciat, & non reliquum corpus *l. ſatis ff. de in jus voc. & arg. l. cum in diverſis ff. de relig. & ſumpt. fun.* ita quem poſſe univerſitatem citare, ſcilicet caput ejus citanto, hoc eſt illos, qui præſunt Univerſitati, Civitati, Communitati, vel Collegio *l. municipibus ff. de condit. & demonſtr.* Vel etiam dici poſſet ſecundum eundem, quemadmodum tutor poteſt citari in cauſis pupilli, ita rectores in cauſis Univerſitatis, *arg. l. item magiſtri, & l. ſeq. ff. de part. l.* 1. *§. ſufficit ff. [illegible]tur.* Quod tamen putat verum, ſi mandetur citari tutor. Si enim mandetur citari pupillus, an tunc ſufficeret citare tutorem, dubitari poſſet. Et ideo conſultum eſt ſecundum eum, quod fiat commiſſio ad citandum tutorem, & pupillum, adminiſtratores, & Univerſitatem, quia tunc aſſerit ſine dubio ſufficere, ſi citentur rectores. Verumtamen autore Panormit. *in d. cap. bona* 1. *num.* 19. *de elect.* utile fuerit, ut congregetur Univerſitas, ſi fieri poſſit, & ita ſimul congregata citetur.

Per citationes autem factas rectoribus Univerſitatis, non conſtituitur Univerſitas verè contumax, ſed ficte, Bartol. *d. v. citatum in fine.* Unde & excommunicari, vel ſuſpendi non poteſt, cum abſque causa Univerſitatem, vel Collegium excommunicationis ſententiam proferri penitus prohibeatur, ne innoxios hujuſmodi ſententia irretiri contingat, ſed in illos duntaxat, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgari mandetur *cap. Romana §* 1. *Univerſitatem de ſent. excom. in* 6. Si tamen excommunicetur, putat Gloſ. *in d. cap bona* 1 *v. ſingulares in fin. de elect.* tutius eſſe impetrare abſolutionem, quaſi non modica præſumtio ſit contra Univerſitatem, niſi doceret, ſe neſciviſſe.

An autem citationi per conſuetudinem derogari poſſit ita, ut contra reum procedi poſſit, nulla contra eum præmiſſa citatione, negandum videtur. Quia cum hujuſmodi conſuetudo ſit contra jus, & ſic irrationabilis, non poteſt per conſuetudinem citatio tolli, cùm ſit ſolennitas juris naturalis, fomentata à jure civili, cujus officium eſt, non tollere, ſed adjuvare jus naturale, ac proinde ait Burſat. *conſ.* 201. *nu.* 40. *lib.* 2. quod hæc conſuetudo non obſtabit cùm tanquam irrationabilis operaretur tantum, quod Judex non teneretur in Sindicatu, non tamen quòd ad validitatem actorum. Quia cùm citatio, uti ſpecies defenſionis neque à Principe tolli poteſt, multo minus poſſet tolli à conſuetudine, & ſic ab inferioribus, qui illam inducunt, ut ſingulariter Marſil. *conſil.* 8. *num.* 26. Et certe quod hæc conſuetudo non eſſet obſervanda, ubi de vita hominis ageretur, tradit Afflict. *dec.* 391. teſtans ita fuiſſe concluſum per

Judices

Judices magnæ Curiæ & ſacrum Conſilium, & Urſil. *ad d. deciſ.* ait, quod Princeps non poteſt tollere hujuſmodi defenſionem, & per conſequens decernere, aliquem ſubjici debere quæſtioni ex proceſſu informativo, ſine ulla citatione, ac ea, quæ ſunt juris naturalis tollere, ut per Paris *de Syndic. v. Condemnatio cap 4. num. 5.*

Contrarium tamen aſſerit Cabal. *caſ. 269. num. 9.* cujus hæc ſunt verba: *Conſuetudine induci poteſt, ut teſtes ſic pro ſimplici informatione Curiæ, recepti, parte non citata, & ante litem conteſtatam probent, & ſufficiant non ſolum, ad torturam, ſed etiam ad condemnationem*, & firmat Blanch. *in tr. de judic. nu. 22.* Unde quotidie proceditur contra inquiſitos ex abrupto, & ex ſolo proceſſu informativo, ac denegatis defenſionibus, & ita per conſuetudinem induci poteſt, quod ſtetur proceſſui informativo. Quod ſane ſuppoſita præeminentia S. Tribunalis, aliorumque in quibus conſiderari poteſt metum, & altum imperium, & ſic altam jurisdictionem, non videtur repugnare, quod de ſtylo induci poſſit, ut ſtetur proceſſui informativo ſecundum ea, quæ dicit Bajard. *ad Clar. q. 49. n. 42.* Claud. Bertaz. *ad conſ. Patru* 130. Afflict. *d. dec.* 391.

Nec procedere ex ſolo informativo eſt ita contra jus naturale, ut in aliquo conforme illi non ſit. Quia non proceditur contra inquiſitum omnino eo inaudito, quod eſſet penitus contra jus naturale, ſed accepta accuſatione, & examinatis teſtibus devenitur ad conſtituta contra reum, quæ habent vim litis conteſtationis, ut notat Cabal. *d. caſ. 269. num. 11.* cujus ſubſtantialis forma eſt interrogatio inquiſiti, ejuſque reſponſio *l. 1. C. de litt. conteſt.* & per litis conteſtationem ponitur nomen inquiſiti inter reos, Guaz. *def 20. cap. 7. n. 9.* & dicitur conſtitutus, id eſt conventus, ſcilicet in jus vocatus *l. 45. ff de re jud. l. 7. C. de præſcript. 30. an.* quod habet vim citationis. Et ex hoc capite reus habet occaſionem proponendi, ac ſibi præparandi defenſiones. Quo caſu ceſſat dicta conſuetudo, aliàs eſſet omnino irrationabilis, iniqua, & nutritiva peccati, cum tolleret quod alienum eſt. Quod tamen intelligendum eſt de denegatione defenſionum, quæ excluderent delictum, & ſic ſi eſſent de mera innocentia, non autem de aliis exceptionibus, Bald. *in l. hoc edictum numero 8. ad fin. ff. nequis eum, qui in jus voc.* Et hanc defenſionem Princeps tollere non poteſt; Bald. *in l. 2. §. ſi is, pro quo num. 2. ff. quod quiſque juris* Farin. *conſ. 16. num. 18.* Quomodo autem differant proceſſus de negatis, & proceſſus ex informativis, vide Farinac. *conſ. 185. num. 8.* Quæ omnia potiori locum habent in delicto hæreſis, in quo non eſt neceſſaria proceſſus legitimatio, cùm in eo poſſit procedi nulla facta teſtium repetitione, & reo non citato, *cap. fin. de hæret. in 6. l.* late Gabr. *com. op lib. 2. tit. de citat. concl. 1. n. 328.* & dicemus *in conſult. de teſtibus.*

Eſt autem adhibenda fides nuntio atteſtanti ſe citaſſe reum, & illum inveniſſe vel non inveniſſe, ex Gloſſ. *v. vocatus c. 28. de elect.* minimè obſtante, quod ſimiles perſonæ habeantur ut infames, quia ratione publicæ ſervitutis reputantur habiles. Neque per vulgi opinionē detrahitur illis de propria fide in præjudicium juſtitiæ, quæ ſimilibus miniſtris indiget. Inſuper nuncius eſt ſervus publicus, juramento firmatus, ideoque ei credendum eſt ex officio, ſicut creditur cuilibet experto in ſuo arte *lib ſeptimo de ſtat. homin.* &, quemadmodum creditur cuilibet teſti, qui deponit pro aliquo, vel contra aliquem, ita credendum eſt huic nuncio, qui in nullo videtur differre à teſte. Ejus enim relatio eſt expoſitio facti, quod accidit. Et ſic etiam habetur in Conſtitutionibus Innocentii IV. & Alexandri IV. in Directorio.

Si ex recognitione actorum, ſive proceſſus oriatur aliqua difficultas circa citationem rei, non eſt præſumendum illam præceſſiſſe Quia, ut dictum eſt, citatio neceſſario requiritur ad validitatem proceſſus, illiuſque expreſſio eſt de ejus ſubſtantia. Subſtantialia autem rei quæ non apparent, ubi neceſſario expreſſa eſſe debent, non præſumuntur, ſed probanda ſunt, Gloſſ. *v. vocatos cap. quod ſicut de elect.* ubi ait, ſiquis enim neget fuiſſe vocatum, adverſario incumbit probatio. Cumque citatio ſit quid facti, non præſumitur, *l. in libello §. facta ff. de capt. & poſtlim. revers* Hæc tamen præſumptio non procedit, quando is, qui citari debuerat, repetitur præſens in judicio Menoch. *præſumpt. 22. num. 1. lib. 2.* Etſi in his, quæ poſſunt perfici per præſentiam non eſt neceſſaria citatio, quia actus præſentiæ eſt actus æquipollens citationi à jure approbatus. Undè cùm vocatio rei ſit pars ſubſtantialis legitimationis proceſſus, quæ conſiſtit in citatione, hæc ubi non eſt, ibi nec reus, neque judicium, neque ferri ſententia poteſt, Bald. *in l. cum fratrem num. 8. C. de his, quib. uti in dign.*

In illa autem difficultata, an monitorium, ſivè citatio à Judice commiſſa, ut exequutioni mandetur vel perſonaliter, vel domi, vel ad valvas, reddat reùm contumacem, ſi Nuntius referat illam feciſſe domi, & ad valvas, & omnia alia feciſſe, prout habuit, in mandatis? Sciendum eſt, quod dupliciter forma exequendi monitorium, ſive citationem præſcribi ſolet, Uno modo in ſpecie, ſcilicet quando committitur Nuntio, ſive Bajulo, ut citet reum perſonaliter, ſi perſona reperiri poteſt, ſin minus citet domi ſolitæ habitationis. Alio modo in genere, videlicet quando alternative committitur Nuntio citare vel perſonaliter, vel domi ſolitæ habitationis.

Primo caſu procedit illa generalis relatio, & alia feciſſe, prout habuit in mandatis. Quia iſta generalis relatio ſe refert ad factum certum, quod à Nuntio poteſt bene percipi, & à ſe optimè perfici, ut inquit Guaz. *def. 10. cap. 4. num. 6.* Baron. *de citat. quæſt. 43. num. 16.* Ubert *eod. tit. cap. 12. num. 319.* ubi ait, quod iſta commiſſio continet unicum modum citandi, ut puta in perſonam cum ſpecificatione. Quod ſi perſonam non inveniet, tunc ad domum præſenret citationem. Et ſic ſi Nuntius referat reum citaſſe, prout habuit in mandatis, ſine dubio talis relatio valet, quia eſt certa, ut referens ſe ad mandatum, quod eſt certum, Alex. *conſ. 2. numero 7. lib. 3.*

Secundò modo non procedit dicta generalis relatio, quia continet plures modos citandi inter ſe diverſos, & incompatibiles. Sed iterum diſtinguendum eſt. An modus iſte præſcribitur à ſtatuto, ſeu aliqua alia conſtitutione, aut à Judice. Si præſcribitur à ſtatuto, tunc cum ſapiat electionem, ut inquit Abb. *conſ. 42. numero 2. lib. 2.* recte procedit illa generalis relatio Bartol. *in d. l. 4. §. Prætor ait numero 12. & 15. ff. de damn. infect.* quem ſequitur Ubert. *de citat. cap. 11. nu. 253.* Quia cùm ſtatutum iſtud faciat jus ſpeciale præter jus commune, intelligendum eſt, ut ei aliquid addat. Contrarium tamen tenet Baron, *tr. de citat. quæſt. 12. num. 30.* hac quidem ratione. Quia ſtatuta inducta ad juris communis confirmationem non debent contrarium operari, ut decidit Carol. Grimald. *in addit. ad pract. M. C. V. ad cap. 1. verſ. conſtitutio.*

Ideoque iterum diſtinguendum eſſe arbitror. Aut ſtatutum diſponit ſuper executione citationis, & tunc alternativa poſita in citatione eſt in electione Nuntii, ac propterea ſufficit retuliſſe, & alia feciſſe prout habuit in mandatis. Aut diſponit ſuper citatione, nempè committendo novam citationem in caſu

ſu, in quo de jure citatio fieri non debet, & tunc alternativa prædicta importat ordinem. Quia cùm diſponat ſuper eo, ſuper quo jus non diſponit, nequæ jus ſuper eo dat aliquam formam, debet regulari ſecundum jus commune, illique ſe in omnibus conformari. Et ſic citatio primò ad faciem, ſecundo domi eſt facienda, ut advertit Ubert. *loc. cit. cap.* 8. *num.* 77. Si verò præſcribitur à Judice, qui ſuper jus diſpenſare non poteſt, tunc neceſſarium eſt, ſervare ordinem juris, cui ſe conformare cenſetur, nempè quod prius perſonaliter reus citetur, & ſi factis diligentiis de eum reperiendo, non fuerit repertus, tunc domi ſolitæ habitationis citatio facienda eſt, Bartol. *in d. §. Prætor ait.* Quia cùm hic ordo ſit certus Judici, & incertus Nuntio, qui ignorat, quæ juris ſunt, oportet, ut dictæ certitudini ſe conformet, & ſic cum modo à Judice ſibi præſcripto, cùm non pertineat ad Nuntium eligere, ſed obedire.

Et quamvis contrarium ſentiat Bald. *in l. properandum §. ſiquidem num.* 12. *C. de judic.* Vant. *tr. de nullit. ex defect. citat. num.* 95. & alii, quos recenſet Oſaſch. *dec.* 128. *num.* 2. nimirum quod relatio Nuntii generalis valeat, cùm ſe referat ad illud, quod Judici certum eſt, tamen dicitur, quod, retentis allatis diſtinctionibus, objectio, procederet in citatione decreta à judice, & ipſi Nuntio commiſſa, non autem in citatione alternativè concepta, ſicque ſibi incerta. Et licet hæc ſit certa Judici, ipſi tamen Nuntio eſt incerta, cùm de iis, quæ ſunt juris nihil percipiat, Scacc. *de judic. cap.* 48. *num* 7. Immo ſi Nuntius in relatione ſubjungeret, omnia feciſſe ſecundum jus commune, & formam ſtatutorum, nihil ageret. Quia cùm ſit ignarus iſtorum jurium, non eſt pro eo præſumendum Aſinius *in pr. §.* 9. *cap.* 6. *n.* 1. *in fine.*

Neque auctoritates Farinacii *quæſt.* 11. *numero* 41. Chartarii *de capt. ban. cap. fin. nu.* 182. & aliorum, quos ipſe Farinacius allegat, inficiunt, quæ docuimus. Nam loquuntur in caſu ſimplicis citationis, & monitorii, ſcilicet quando commiſſa fuerit ſimpliciter, nulla præſcripta forma illius executionis. Tunc enim quia de jure deberet ordinate fieri, primo ſcilicet perſonaliter, deinde domi, ut ex *l. ſcire oportet. ff. de excuſ. tut.* ubi Bartolus, & alii in illis verbis: oportet autem ei manifeſtari à Præſidibus, vel in faciem, vel ad domum per conſuetudinem, & ſtatuti diſpoſitionem, poterit exequi domi tantum, nullo juris ordine ſervato, ut quotidie fit per Curſores, & Mandatarios Urbis.

An autem monitorium, ſeu citatio ad domum habitationis dicatur incerta, ſi appareat citatum habere plures domus habitationis? Pro affirmativa faciant ea, quæ tradit ſpecul. *in tit. de lit. conteſt.* ubi ait, quod ſi reperiatur in actis tali die fuiſſe litem conteſtatam inter reum, & actorem, nec appareat, an prædicta litis conteſtatio facta fuerit per negationem, vel per confeſſionem talis, litis conteſtatio non valeat ratione incertitudinis. Quod eo magis procedere videtur, quia litis conteſtatio, quæ fit per confeſſionem eſt diverſæ naturæ, à litis conteſtatione, quæ fit per negationem; quia per primam reſpicitur ad abſolutionem, per ſecundam ad condemnationem, ac propterea ob incertitudinem prædicta litis conteſtatio ita ſimpliciter facta, vitiatur. Sic pari modo quotieſcunque Nuntius retulit citaſſe ad domum habitationis, nulla facta ſpecificatione, ad quam domum feciſſe citationem, videtur hujuſmodi relatio incerta atque adeo nulla.

Pro negativa, quam ſequimur, ratio eſt, quia ubicunque fit monitorium, ſive citatio ſemper eſt ejuſdem naturæ, & non mutatur finis dictæ citationis. Favet textus *in l. quod ſi dubitet ff. de acquir. hered.* ubi dicitur, quod dubitatio inter duo extrema non vitiat, ſi quolibet extremum eſt ejuſdem naturæ. Nam certum eſt, quod utrobique poteſt citari, ut notatur *in Clem. cauſam de elect. in cap. cauſam de dol. & contum.* nec effectus citationis variatur, ait Bartolus, relatus à Baldo *in d. l. quod ſi dubitet num.* 2.

Ad affirmativam reſpondetur, quod non eſt incerta, dum non variat effectum. Et ad ſimile de conteſtatione litis reſpondetur, quod ad ſubſtantiam judicii ita valet proceſſus per confeſſionem, ſicut per negationem. Undè cùm non dubitetur de ſubſtantia judicii, meritò valet judicium.

Non poteſt autem Inquiſitor citare, vel comprehendere reum ſubditum extra ſuum territorium, niſi de licentia Epiſcopi; vel Inquiſitoris illius diœceſis, in qua reus reperitur. Nam citatio, & comprehenſio ſunt actus judiciales fori contentioſi, qui non poſſunt exerceri in alieno territorio ſine licentia. Unuſquiſque enim Inquiſitor determinatam habet diœceſim ita, ut extra illam nihil agere poſſit ſine licentia illorum, qui ibi præſunt, quibus ſervanda eſt propria juriſdictio, ne ordo in regimine confundatur *can. pervenit* 11 *q.* 1. Unde nō obſtat quod omnes fideles ſubſint eidem Papæ. Nam id intelligitur mediate quoad inferiores ſuperiores, quibus fideles immediate in illorum diœceſibus ſubduntur, ut notat etiam Bardonus *tom.* 1. *cap.* 32. *num.* 12.

Et quidem Judices, qui creantur à Principe, non dicuntur abſolute habere merum imperium ſummum, ſed aliqua juris lege determinatum, vel ex limitatione Principis diſtinctum, ut ita jus animadvertendi gladio habeant cum limitata poteſtate ex jure, vel conſtitutionibus, unde non aliis liberè mandare poſſunt *l. illicitas §. qui univer. ff. de offic. præſ. l. nemo poteſt ff. de reg. jur. l. ſolet ff. de Offic. Proconſ.* Quare & cum Provincia illi etiam juriſdictionem accipere dicuntur *l. obſervare §. poſthac. ff. eod,* quam in Provincia tantum deſignata exercent, neque adhuc in ea primas partes, ſed poſt Principem gerunt *l.* 1. *& l. & ideo ff eod.* Proinde jus, quod dicuntur habere ad animadvertendum in delinquentes, intelligendum eſt, quando legitimè cognitio, recteque procedit, non aliter ex *l.* 4. *§. condemnatum ff. de re jud. l. pen. & fin. C. comminat. epiſtol. &c. autorit rei judic. hab.* Unde & Præſides Provinciarum, Præfecti, Vicarii, & id genus alii, quibus committebatur gladii jus à populo, vel à Principe tenebantur, imò cogebantur reddere rationem geſtorum, num ſecundum leges, vel contra adminiſtraſſent *l. un. C ut omn. Judic. &c. poſt depoſ. admin. &c.* Etſi non negem ea, quæ à ſolo Principe exerceri poſſunt, poſſe committi Magiſtratibus, & quæ meri ſunt imperii.

Quibus adnectenda eſt conſideratio qualitatis juriſdictionis, quatenus limitata eſt à Principe. *per rationem, l. in agris ff. de acquir. rer. domin.* Quantitas quoque inſpicienda, de qua judicare permiſſum eſt, ut in præſidialium juriſdictione. Et tunc obſervandum etiam, ſeparatim cenſendas eſſe actionum forma, ne cumulatione augeatur vel minuatur juriſdictio *l. ſi idem cum eodem ff. de juriſd. omn. Jud.* Subinde & territorium cuique Judici conceſſum ſpectandum eſt in æſtimanda juriſdictione *l. pupillus §. territorium de verb. ſignif. lib. fin. ff. de juriſd. omn. Jud.* quæ ſuum territorium non excedit inter invitos *d. l. fin. ac l. fin. ff. de Offic. Præf. Urb. l.* 1. 2. *&* 4. *ff. de Offic. Proconſ. cap. fin. de conſtit. in* 6. *l. fin. C.* ubi & apud quem *cogn. in integr. reſt. agit. ſit.* Nec ſecundum jura civilia in alieno territorio ſine Judicis proprii conſenſu, Judex exequi

poteſt

poteſt ſuam ſententiam *l. properandum §. ſin autem C. de judic. l. à. D. Pio §. 1. ff. de re judic.*

Cenſerem tamen in odium hæreſis, ac pro tuenda fide catholica quod hujus rei gratia concedatur à Sede Apoſtolica autoritas, ut Inquiſitori exequi liceat ſententiam in alterius territorio, cum omnes Inquiſitores, omneſque eorum Curiæ ſint ejuſdem ſummi Pontificis. Præſertim quia ſunt quædam juriſdictionis ſpecies, quæ non tam adhærent territorio, quam perſonis certis, in quas exercent poteſtatem, *l. more ff. juriſdict. omn. Jud. cap. cum contingat de for. comp. l. fin C ubi & apud quem in integr.*

Idipſum dicendum de juriſdictione in hæreticos, quæ potius adminiſtrationi, quam territorio adhæret, Et nihilominus cùm Inquiſitores ſint Judices delegati, effectus, & finis iſtius delegationis ſint iidem ac Judicii, ut & ordo quoque, & reliqua judicii ſerventur, poſſitque delegatus condemnare, vel exequi eo modo præſcripto ſuæ delegationi, & mandato, ideo ejus fines diligenter ſervare debent *l. diligenter, ff. mand. §. is, qui eod tit.* apud Juſt. *cap. cum dilecta*, & ibi interpretes de reſcript. Jas. *in l. tranſactionis placitum. C. de tranſact.*

Ad condemnandum autem reum contumacem, vel hæreticum formalem abſentem, cõmunis praxis eſt, requiri tres monitiones ſive citationes ubi agitur de condẽnatione hæretici formalis contumacis & abſentis. Quia forſam in tertia citatione, tandem aliquando reſipiſcet, ac convertetur. Quod eſt conforme legi Evangelicæ de correctione fraterna *Matth.* 10. & juri communi *can. omnes 16. q. 7. cap. conſtitutionem 9. de ſent. excom. in 6.* Et tradunt Royas *ſing. 29. num 2.* Simanch. *cath. inſt. tit. 14. num. 6. & in Enchir. num. 3. & 4.* Param. *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q 4. num. 65.* Farinac. *q. 185. n. 117.* Caren. *p. 3. tit. 1. n 12.* ac Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 42.*

Quod verò ad hæreticum non contumacem, neque abſentem ſufficere unicam citationem, docent Farinac. *loc. cit. num. 158.* Caren. *ibid. num. 7.* & Souſa *in aphor. lib. 2. cap. 27. num. 12.*

Citatus ad reſpondendum de fide, ſi per annum integrum, nullo allegato impedimento, reſpondere neglexerit, habetur pro confeſſo, & condemnari debet, tanquam hæreticus. Ita expreſſe habetur *in cap Cum contumacia de hæret. in 6.* & tenent Eymer. *p. 2. direct. q. 56. num. 5.* Scacc. *de judic. cap. 98. num. 4.* Salſed. *cap. 116. concl. 5.* & Farinac. *q. 192. n. 14.* Nam qui eſt de de fide [illegible] ſuſpectus, & ob eam cauſam eſt citatus, [illegible], ſi intra terminum aſſignatum reſpõdere omiſerit, illa ſuſpicio levis tranſit in vehementem, & ſi in illa omiſſione per annum perſtiterit, ſuſpicio vehemens tranſit in violentam *ex d. cap. Cum contumacia* ideoque condemnari debet, ut hæreticus.

Quia in re notandum eſt, quod annus debet eſſe continuus, & cum poteſtate comparendi per ſpatium illius anni, qui incipere intelligendus eſt non à die excommunicationis incurſæ, ſed à die ſententiæ, ſive declarationis, vel, ut alii volunt, à die notificationis. Quia ex illo die tantum claves Eccleſiæ graviter contemnere, & contumax fieri cenſetur. Quod docent Albertin *de hæret. q. 13. num. 35. & ſeq.* & Farinac, *de hæret. q. 182. num. 28.*

Citatus autem ab Epiſcopo, & ab Inquiſitore ad reſpondendum in cauſa fidei, ſi citatio fiat pro diverſis temporibus, ipſe citatus coram utroque comparere debet. Quia, cum ex *cap. per hoc de hæret. in 6.* tam Epiſcopi, quàm inquiſitores ſuper eodem negotio procedere poſſint diviſim, utrique citatus coram utroque ſe ſiſtere debet, ut per Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 18. quæſt. 8.* Farinac *de hæres. q. 186. num. 94.* Sous in aphot. *lib. 1. cap. 2. num 13.* & Zanard. *in direct. p. 2. cap. 6. q. 13.*

Si verò citatio facta ſit ab utroque pro eodem tempore, citatus comparere debet coram Inquiſitore. Quia Inquiſitor procedit autoritate Sedis Apoſtolicæ ſibi ſpecialiter delegata, Epiſcopus autoritate ordinaria. Autoritas autem, à ſummo Pontifice delegata, major eſt autoritate ordinaria, *cap. ſane 2. de Offic. deleg. & l. 1. ff. de Offic. ejus, cui mand. eſt juriſd.* & docent Gratian. *tom. 1. diſcept. 111. num 65. & ſeq.* & Bobadil. *in polit. lib. 2. cap 21. num. 59.* & in hac ſpecie tradunt Eymeric. *p. 2. direct. q. 5. num. 4.* ibique Pegna. *com. 54.* Param *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 4. rubr. de form. & ordin. judic. num. 69.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 43 rubr. de modo proced.* Farinac. *loc. cit. §. 3. numero 87.* & Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 13. num. 3.* aliique communiter.

Quinimo, etiamſi Epiſcopus autoritate ordinariæ præveniat in citatione Inquiſitorem, citatus tenetur comparere coram Inquiſitore, uti majore. Cùm enim Inquiſitor ſit delegatus à ſummo Pontifice, ipſius vices gerit, illumque repræſentat, Atque adeo eſt ei obediendum, tanquam Pontifici præcipienti, quolibet alio Judice etiam præveniente in citatione poſt habito. Ita in hunc modum expreſſit Guido Fulcod. *de dub. in negot. Inquis q. 1. vers. Item ſi ponas*, allegans textum *in l. contra pupillum 54. ff. de re judic. & in can. qui reſiſtit 11. q. 3.* Archid. *in cap. per hoc, num. 5. de hæret. in 6.* Eymeric. *loc. cit. num. 5.* Farinac. *d. q. 186. num. 92.* & Zanard. *in direct. p. 2. cap. 6. q. 13*, ſubdens, quod ſi Epiſcopus primo die citans reum, illum in cuſtodia poneret, nec altero die ad Inquiſitorem ire poſſet, Inquiſitor poſſet illum repetere & obtinere ab Epiſcopo, quamvis antea fuerit ab eo citatus. Si autem præcipiant incompatibilia, ut exempli gratia quod reus eadem hora coram utroque compareat, vel quod Curſor reum capiat, altero jubente ne capiatur, & ſimilia, erit Inquiſitori, ut delegato, & majori in hoc Epiſcopo, parendum. Ita Zanardus Verum in hac re datur locus præventioni juxta Clem. I. *de hæret.* Quod in praxi obſervatur. In Hiſpania tamen ſoli Inquiſitores proceſſus formant contra reos in rebus fidei, ac proinde ipſi ſoli ſunt, qui eos citant, non autem Epiſcopi.

At ſi Epiſcopus procedat contra aliquem autoritate delegata, ut cum procedit contra aliquem Regularem exemptum à ſua juriſdictione, tunc citatus poteſt comparere coram quo ſibi placuerit. Neque ob id contumax cenſendus erit à Tribunali, in quo non comparuit, ut firmant Farinac: *ea q. 186. num. 95.* Souſa *d. cap. 2 num. 15.* & Caſtropal. *loc. alleg. pun. 13. num. 3.* Quia in hoc caſu Epiſcopus & Inquiſitor ſunt pares, & citatus non delinquit per electionem alterutrius *l. ſiquis §. Cum omnes ff. ad Syllan.* ubi Gothofredus.

Quid autem de Inquiſitorum Vicariis, ſive Commiſſariis? Aut Vicarius eſt conſtitutus ab Inquiſitore, aut creatus á ſummo Pontifice. Si ab inquiſitore, præferri debet Epiſcopi citatio, quia Vicarii non gaudent eadẽ autoritate, iiſdemque privilegiis, quibus fruuntur illi quorum ſunt Vicarii *l. filius, & l. Vicarius ff. de legationib.* Si à Pontifice utique de eo dicendum eſt idem ac de Inquiſitore, atque adeo præferenda eſt ejus citatio Epiſcopi citationi. Quia Vicarii ab Univerſitate vel a Principe inſtituti iiſdem privilegiis potiuntur ac Judices ordinarii *l. ult. C. ut dignit. ord. ſervet. & l. ſuggerente C. de Offic. ejus, qui vicem alicujus Judic. obtinet*, ibique Bartol. & proſequitur Abb. *in cap. ſane de offic. Ordin.* Pegna *p. 3. direct. com. 54.* Azor. *d p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 8.* & Carena *loc. alleg.* At ego & in iis quoque attendendam eſſe præventionem arbitror, cùm hujuſmodi Vicarii non ſint majores ſuis Inquiſitoribus, inter quos & Epiſcopos eſſe locum præſumtioni, jam diximus.

Exequuta citatione, tenetur Nuncius in actis Cancellarii S. Officii cum juramento referre, ſe talem

Digitized by Google

citaſſe eo modo, quo ab Inquiſitoris mandato fuit decretum, & in hoc plene ei creditur, ut firmat Barbos. *in cap. Cum dilecti num. 4. de dolo & contum.* Caren. *p. 3. tit. 2. §. 4. num. 17.* & Bobadil. *lib. 1. cap. 13. num. 44.* ubi ait, non eſſe credendum Nuntio aſſerenti, citatum ſibi dixiſſe, nolle comparere.

CONSULTATIO CXLVI.

De Comprehenſione, ſivè Captura Reorum pro cauſis ad S. Officium pertinentibus.

INquiſitores, ut rite ac rectè ad Reorum capturam procedant, obſervare debent. an adſit plena, vel ſaltem ſemiplena delicti probatio, vel ſint indicia ſufficientia ad torturam. Ex levibus enim ſuſpicionibus non eſt deveniendum ad incluſionem in carceres, ubi rei fuga non timetur. Quare ſecurius eſt, ut maturo Conſultorum conſilio rem tantam aggredi, tum ob crimen omnium graviſſimum, & tum ob famam, quæ ob ſolam capturam non parum læditur, ut Pegnam *p. 3. direct. com. 17. & com. 108.* Cantera *in quaſt. crim. cap. 1. de probat. per teſt q. 1. num. 60.* Genuen. *in pr. cap. 68. num. 1.* Boër. *dec. 215. num. 34.* Simanch. *in enchir. tit. 25. num. 2.* Scacc. *de judic. lib. 1. cap 44. num. 4. & ſeq.* Zanard. *in direct. p. 3. cap. 83* Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 11.* & Caren. *p. 3, tit. 2. §. 6. numero 24.* Immò in cauſis gravibus non debent devenire ad capturam, neque ad alios actus irretractabiles, inconſulta S. Congregatione, quando tempus id permittit.

Quomodo autem Inquiſitores præcipere poſſint capturam ſine Epiſcopis, habetur *in Clem. 1.* de hæreticis in hæc verba: *quilibet de prædictis ſine alio citare poſſit, & arreſtare, ſive capere, ac tuta cuſtodia mancipare, ponendo etiam in compedibus, vel manicis ferreis, ſi ei viſum fuerit faciendum.* Duro tamen tradere carceri, ſive arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad ſententiam procedere contra eos, Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor *ſine Epiſcopo non valebit*, Ubi verò duo ſunt Inquiſitores, unus ſine altero reum capere non poteſt, ſi ambo præſentes ſint. Altero verò, abſente, alter ſolus ad capturam poteſt procedere, convocatis peritis, ubi opus fuerit, & ut modò dictum eſt.

Teſtimonium unius contra reum eſt ſufficiens ad illius capturam, ſi teſtis ſit omni exceptione major. Nam communiter Doctores docent, unum talē teſtem facere ſemiplenam probationem, ſufficientem ad torturam. Multò igitur magis ad capturam. Si verò accuſatus eſſet nobilis, ac bonæ exiſtimationis & famæ, ad unius teſtis delationem non eſſet in carcerem conjiciendus, ſed plures teſtes, vel certiora indicia requirerentur, Royas *de heret. p. 2. aſſert. num. 22.* Acugna *de confeſ. ſollic. q. 4. num. 27.* Scacc. *loc. alleg.* Diana *d. p. 4. tr. 8. reſol. 90.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 13. §. 2. num. 5.* ubi ait, in Hiſpania ſancitum eſſe. ut Inquiſitores particulares nullum Religioſum, nullumve virum nobilem, aut aliqua ratione inſignem comprehendant, quin prius certiorem reddant Inquiſitorem generalem, & ejus ſupremum Senatum, miſſis ad eos indiciis, & probationibus habitis contra talem reum, ut ex eorum præſcripto procedatur, & non aliter. A qua regula ſolum eſt excipiendus caſus periculi fugæ, vel alterius gravis mali.

Et quidem ſi aliqua perſona inſignis, vel autoritate gravis ſit capienda, nempe Religioſus, nobilis, litteris conſpicuus, incorruptæ vitæ aut famæ, non prius Inquiſitor ad eum capiēndum procedere debet, quam ſuperiores conſuleret, & illi decreverint, an is in cuſtodiam ſit tradendus Et quoniam ſuperiores deliberare id nequeunt, niſi cauſa cognita, iccirco Inquiſitor ſummarium proceſſus eis mittere debet, Quod etiam ſervandum eſt, quando Conſultores de captura cum ipſo Inquiſitore non conſenſerint, tempore, ut dixi, permittente.

Indicia ſane ad capturam ſufficientia ſunt illa, quæ talia æſtimãtur à prudēti arbitrio Inquiſitoris ut colligitur *ex l. 1. ff. de cuſtod. reor.* & tradunt Farinac. *quaſt. 27. num. 126, & ſeq.* ac Souſa *in aphor, lib. 2, cap. 20. n. 7*, Debet tamen Inquiſitor hac in re multum temperare arbitrium ſuum, & ſicut ſupra diximus cum conſilio ad rei cuſtodiam procedere, ut notant etiam Pegna *p. 3. d. com 17.* Carena *d. §. 6. num. 23.* Delrius *lib. 4. diſquis. magic. ſect. 7. ſub initium.* Et quo crimen eſt atrocius, & communitati pernicioſius, eò levioribus indiciis fretus poteſt ad capturam procedere, habendo etiam rationem perſonæ ita, ut facilius procedat contra vilē, & pauperem ac plebeium, quam contra nobilem, bonæ famæ ac locupletem. Adduntque Farinacius *quaſt. 187. num. 7.* & Carena *ibid. num. 27. ex Pegna* non eſſe deveniendū ad capturam alicujus Officialis vel perſonæ inſignis, niſi conſulto ſupremo Tribunali, ſecus autem ſi eſſet ex genere Judæorum, eſſetque denunciata de aliquibus judaicis cæremoniis. Tunc enim poſſet carcerari ex dicto etiam unius teſtis aliquam exceptionem patientis. Quia ex præſumptione quæ oritur ex illius origine addita depoſitioni illius teſtis, coaleſceret ſemiplena probatio. Refertque idem Carena *num. 26.* quod in ſupremo conſilio Inquiſitionis Hiſpanicæ ex dicto unius mulieris minoris annis duodeviginti cōprehenſi fuerunt duo homines pro hæreſi ex eo, quod erant illi de genere Maurorū, & ritus, de quibus illa mulier teſtabatur, erant Mahometani, & ita contra eos erat præſumptio, eſſe de illo genere. Nam ex malis parentibus præſumitur cōtra filios *ex cap. quia veriſimile de præſumpt. & teſtatur* Canter. *cap. 2. de probat. per teſt. rubr. de indic. ad tortur. num. 27.*

Antequam autem Inquiſitor ad capturam ſtrigis, ſive Lamiæ, vel maleficæ deveniat, diligenter animadvertere debet. Primò, an ſit probatum corpus delicti, anve ſint indicia ſufficientia ad illud probandum. Secundò, ne ſit facilis ad procedendum contra ipſum ob famæ indicium. Quia licet fama aliàs ſit indicium magni momenti, ob commune tamen odium quod in ſtriges, ſive Lamias habetur, contra quas quiſque immaniter clamat, facillime inſurgit hujuſmodi fama contra aliquam mulierem, præcipue quando eſt vetula, & turpicula. Et ideo fama in hac re eſt indicium modici momenti. Tertiò fieri debet perquiſitio domus Lamiæ in actu capturæ ab Inquiſitore, vel ejus Vicario, & Notario abſque interventu alicujus conſanguinei, vel familiaris ipſius Lamiæ, ne oriantur ſcandala & fraudes. Et à Notario omnia ſunt ſcribenda tam quæ ſunt contra ream, quàm pro rea. Non enim ſunt omittenda in præjudicium rei, quæ pro ipſo faciunt, ſcribendo tantum quæ Fiſco favent. Quartò diligenter ſunt examinandi medici, qui maleficiatum curarunt, aliique magis periti circa circumſtantias, qualitates, ſymptomata ſingularia infirmitas, an ipſa eſſe poſſit naturalis. Quintò hæ Lamiæ ſive maleficæ ſunt cuſtodiendæ ſingulæ in ſeparatis carceribus, & ut nemini ſit facultas conceſſa ipſas alloquendi. Immò etiam cuſtos carceris caute cum ipſis ſe gerere debet, nec quicquam eis ſuadere quod fateri debeant. Sextò Judices ipſi numquam eas alloquantur, niſi judicialiter, cum eas examinent. Alia de maleficis alibi diximus, & dicemus largiter ſuo loco.

Poſſuntque maleficæ & ſortilegi capi in Eccleſia, cùm non gaudeant immunitate. Tum propter eorum crimen,

crimen, quod eſt atrociſſimum. Tunc quia ſunt ſacrilegi, venefici, ac homicidæ deliberati, ac proditorii. Tum præcipuè quia, ut plurimum ſunt hæretici, & apoſtatæ à fide vel ſaltem ſuſpecti de hæreſi, quibus non ſuffragatur immunitas loci ſacri. Et tum quia Inquiſitores & Epiſcopi in materia S. Officii non ſubjiciuntur Conſtitutioni Gregorianæ *de immunit. Eccleſiarum*, ut tradunt Delrius *d. ſect. 7. verſ. cap. ſortilegos ſeu maleficos*, Farinac. *de immunit. cap.* 13. *num.* 167. & 175. & Souſa *lib.* 2, *cap.* 26. *num.* 28.

Hujumodi autem rei in carcerem incluſi, & cauſa pendente, non ſunt diebus feſtis ad miſſam audiendam admittendi. Nam cùm in his reis magna præſumptio ſit, eos excommunicatos eſſe, conſequenter etiam, etſi, inſpecto jure communi ante ſententiam vitare non teneremur, tutius tamen eſt, ut evitemus, cùm plura argumenta, eos tales eſſe, ſuadeant. Excommunicatos autẽ vitare jubemur, ut eſt notiſſimum *ex cap. nuper. de ſent. excom.* & *can. ad menſem* 11. *q.* 3. Deinde ſi vincti ad miſſam audiendam ducerentur facile contingeret, ut ſaltem nutibus, & ſignis complices, ac ſocii criminis ſibi mutuo indicarent qualiter eſſet veritas celanda, & juſtum judicium ſubterfugiendum. Denique cum in S. Officio non ſoleant rei comprehendi, niſi legitimis, ac ſufficientibus indiciis, teſtibus, ac denunciationibus præcedentibus, & cum multa diligentia diſcuſſis, merito in carcerem conjecti, ac pendente judicio, ad audiendam miſſam non admittuntur, cum per præcedentes probationes, & ante habitas depoſitiones & informationes quaſi notum & exploratum ſit fidei Judicibus, reos illos tales eſſe, quales denunciati ſunt. Et ita etiam generatim pluries declaravit S. Congregatio, ut alibi dixi, præſertim in ſubjectis declarationibus. Carcerati in S. Officio, pendente cauſa juxta praxim non audiunt Miſſam 3 Novembris 1609. & 22. Decembris ejuſdem anni. Nec ſacramenta percipiunt 23. Decembris 1619. Neque, ſi ſint presbyteri, poſſunt illam celebrare, licet ſint à carceribus habilitari, 1. Aprilis 1604.

Non poſſunt Inquiſitores capere reum in alieno territorio. Et quamvis Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 2. *num.* 14. Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 4. *& ſeq.* Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 7. & Carena *p.* 3. *tit.* 2. *§.* 7. aſſerant, Inquiſitores non ſolum ſine ullis litteris requiſitoriis Dominorum temporal um, ſed etiam, irrequiſitis Epiſcopis & aliis Inquiſitoribus, poſſe capere reum, ſuum ſubditum extra ſuam diœceſim, & in alieno territorio, quia omnes ſubſunt eidem Pontifici Maximo. Contra tamen tenet Berdonus *t.* 1. *cap.* 32. *num.* 12. exiſtimans, Inquiſitorem non poſſe capere, neque citate ſubdictũ, exiſtentem extra ſuum territorium, niſi de licentia Inquiſitoris, vel Epiſcopi, illius diœceſis, ubi tunc reperitur ſuus ſubditus, quia citatio & captura ſunt actus judiciales fori contentioſi, qui non poſſunt exerceri in alieno territorio ſine licentia, ut docent Oldr. *conſ.* 88. *num.* 1. Federic. de Sen. *conſ.* 16. *num.* 13. & Genuen. *cap.* 69. *num.* 78. Verum in praxi Inquiſitores mittere ſoleot Epiſcopis, & aliis Inquiſitoribus litteras requiſitorias, ne ordo juris pervertatur, ut diximus de citatione, ne vereus aufugiat.

Si autem contra reum, & plures complices ſit ad capturam procedendum, oon ſufficit, ut tradatur Exequutori unum mandatum exequutivum cõtra omnes, ſed contra ſingulos ſingulare mandatum eſt expediendum, ſubſcribendumque ab Inquiſitore, quod ſingulorum proceſſibus inſeretur, ut de hujuſmodi actu, qui eſt magni momenti, conſtare poſſit, ut per Paul. Garz. *in prax. fol.* 5. Quod mandatum eſt reo ab exequutore oſtendendum, alioquin reus non teneretur credere, eum tale mandatum habere contra ſeipſum, ut *in l. prohibitum C. de jur. Fiſc.* ibique Bartolus, & alii, & tradit Farinac. *de teſtib. quæſt.* 56. *num.* 374. *& ſeq. & de carcer. quæſt.* 32. *num.* 31. qui etiam addunt, quod aliàs reus impune poſſet exequutori reſiſtere. At Bordonus ait, hoc non ſervari in praxi quia S. Officii miniſtri noti ſunt. Et ſanè cùm alius quæreretur an incidat in pœnas Conſtitutionis, *ſi de proteeandis* Pii V. qui ex manibus lictorum extorſerit reum S. Officii, dum lictores non habebant mandatum Inquiſitoris, vel non aderat in actu capturæ aliquis miniſter cognitus S. Officii? S. Congregatio reſpondit die Februarii 1645. non incidiſſe. Quia in hoc caſu non fuit probata ſcientia illius qui extorſit reum, eſſe reum S. Officii, quæ eſt omnino neceſſaria, ut Conſtitutio procedat. Servetur igitur praxis cujuſvis Curiæ.

Quanquam admitti non ſoleat in S. Officio appellario a captura, quia loca deputata pro carceribus benigna ſunt, ut horum conditio poſtulat. Immo Guido *Dec.* 233. inquit, appellationem non habere locum in captura reorum, Bordonus tamen *d. tom.* 1. *cap.* 32. *num.* 15. docet, quod, quia carcer ex natura ſua aggravat comprehenſum, cum illum ſua libertate privet, adde & quodammodo afficiat infamia, ideo ab hoc gravamine appellare poteſt, ſed non in totum liberatur, cùm tunc detur domus aliqua, vel cubiculum, vel monaſterium arbitrio Judicis pro cuſtodia, vel cum fidejuſſione dimittitur in domum ſuam. Sacra, verò Congregatio, ut alibi dixi, ſæpius decrevit, quod appellationes in cauſis S. Officii non admittantur ab Ordinariis, niſi ad Sedem Apoſtolicam, ſive Congregationem S. Officii, ut 13. Auguſti 1587. 30. Novembris 1589. Novembris 1604. & 3. Octobris 1613.

Inquiſitum in S. Officio, ſi frangat carcerem, & fugiat, haberi pro confeſſo de crimine, ob quod ibi detinetur, affirmant Abavus *in pr. crim. §. fuga, num.* 2. pluréſque alii. Et carceratum pro hæreſi, habendum eſſe pro convicto, ſi fugiat, & tanquam hæreticum eſſe damnandum, dum cenſent Zanchin. *de hæret. cap.* 10. *num.* 4. & ibi Campeg. *in addit. litt. B.*

Negandum verò eſt cùm Simanch. *in annot. ad Zanchin. cap.* 8. *& in cath. inſtit. tit.* 16. *num.* 13. Royas *de hæret. p.* 2. *aſſert.* 15. Pegna. *p.* 3. *com.* 35. Souſa *in aphor. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 37. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol,* 15. Carena. *p.* 2. *tit.* 17. *§.* 21. *numero* 72. Quia præſumitur eum effugiſſe carceris tœdio, vel metu falſorum teſtium, vel ob timorem tormentorum, non autem quod haberet errorem in intellectu contra fidem, niſi de hæreſi eſſet in proceſſu convictus.

Sed quamvis detentus in carcere pro crimine hæreſis, ſi fugiat, neque pro confeſſo, neque pro convicto habeatur, ex ipſa tamen fuga reſultat contra ipſum indicium ad torturam, & citandus eſt, & ſi non comparear, excommunicatur. Et ſi per annum inſordeſcit, declaratur hæreticus, ejuſque ſtatua de more comburitur, ut probat Souſa *loc. cit.* Paul. Garz. *in ſuo tr. de S. Officio fol.* 63. Diana & Carena *loc. alleg.*

Si autem fugiens, carceribus effractis, iterum à miniſtris capiatur, tunc ratione fracturæ ac fugæ, ſi perſona ſit Nobilis, vel Doctor, vel Religioſus, aut honorabilis civis, puniri ſoler arctiori, & duriori carcere. Si vilis, verberibus publice plectitur, & cauſa hæreſis in ſuo ſtatu permanens agitatur, quanquam & aliis pœnis puniri poſſit, Seſſe *tom.* 4. *dec.* 471. *num.* 6. Si verò talis fugiens ſpontè redierit, benigne erit tractandus, & puniri poterit pœna extraordinem, Et ſi fugiens, effractis carceribus, ſtatim ſe præſentaret ſummo Tribunali, nulla pœna eſſet afficiendus. Qui enim adit Superiores, non dicitur frangere carceres, Jacob. à S. Geor. *in lib.* 1. *num.* 9. *C. de ſerv. fugit.* Giurb. *conſ.* 69. *num.* 19. Oter. *quæſt.* 19. *num. ult.*

Non

Non tamen fugiens, effracto carcere S. Officii, incurrit pœnas Conſtitutionis B. Pii V. quæ incipit, ſi de protegendis. Nam, licet aliqoi, quos refert Carena *p. 2. tit. 17. §* 21. 76. opinati ſint, dictam Conſtitutionem comprehendere non ſolum eximentẽ carceratum S. Officii, ſed etiam ipſummet carceratum ſe eximentem. Contra tamen putat Caren. *d. p. 2. tit. 17. §. 21. num. 77.* non quidem ex ea ratione quam adducit, quod multo gravius ſit delictum eximentis alium è manibus juſtitiæ, quàm eximentis ſeipſum; Sed quia unicuique licitum eſt ſuum ſanguinem redimere *l. 1. ff. de his, qui ſibi mort.* Et quia lex pœnalis non eſt extendenda ad ea, quæ non exprimit. In dicta autem Conſtitutione id non exprimitur. Debet nihilominus Inquiſitor in hoc caſu conſulere ſupremum Tribunal, ut rectè ibidem annotavit Carena.

Injuſtè, ac inique carceratum in carceribus S. Officii, ſi carceres fregerit, & fugiat, non eſt puniendum, docet Delrius *d. lib. 4. ſect. 7. verſ. indebite carcerati*, ubi ait, propter talem fugam, etiamſi carcerem fregerint, nec puniendi erunt, neque pro confeſſis habendi, neque ad carcerem redire tenentur, etiamſi redire juraverint. Sic Covar. 1. *var. reſol. cap. 2. num. 7. &* 11. Neque tenentur ad pœnam conventionalem ipſi, vel fidejuſſores, ſi quos dederunt, Fatin. *q. 30. num.* 70. Neque ad torturam propter hujuſmodi fugam rapi poſſunt, (ut poſſent, ſi carcer fuiſſet juſtus,) etiamſi animo non revertendi fugiſſent, Farinac. *à num.* 85. Sed an in foro conſcientiæ peccet fugiens ex juſto carcere, peccare cenſet Farinac. *num.* 90. Covar. *d. cap.* 2. *num.* 8. *&* 14. Sed non peccare cenſuit Major & Felinus cum antiquis aliquot Canoniſtis, & ex recentioribus Lopez *in ſua inſtruct. cap.* 66. Immo & teneri fugere, ſi tutò poſſit, voluit Victoria *in relect. de homicidio.*

Carceris autem cuſtos licet pro carcerati fuga *ex l. commentarienſem C. de cuſtod. reor.* puniri debeat eadem pœna qua puniendus erat carceratus fugitivus, ut alibi diximus, obſervandum tamen eſt, quod major pœna dicto cuſtodi debetur pro dolo, quàm pro levi vel leviſſima culpa, major pro fuga carcerati, qui erat delicto convictus quàm pro fuga illius, qui mox eſt relaxandus, ut notat Abavus *q* 13. Puniendus eſt etiã pro culpa leviſſima, quia cùm eligatur ad hoc munus, præſtat juramentum adhibendi omnem diligentiam, ac ſollicitudinem pro reorum cuſtodia, & ideo tenetur eos cuſtodire eo modo, quo ſe gerere ſolet diligentiſſimus pater familias. Nec permittere poteſt, ut aliquis cum carceratis alloquatur; quia in nullo caſu licitum eſt alloqui cum iis ſine licentia, vel præſentia Inquiſitoris, aut alterius ab eo deputati. Et ſi Inquiſitor alios milites addat ad cuſtodiam alicujus rei, nõ ideirco liberatur ordinarius Cuſtos ab onere ſuo cuſtodiendi, ut tradunt Bartol. *in lib. ut certò §. ſi de me ff. commodati*, & Caren. *loc. cit. num. 9.*

Carceratus autem, qui ad inſtantiam Epiſcopi, vel alterius Judicis, non habentis tutos carceres, recipitur, ac retinetur ab Inquiſitore in carceribus ſuis, licet hoc fieri prohibeatur, ut alibi dixi, ſi ibi frangat carceres, vel aliud committat delictum, & non poſſit fugere, poteſt judicari, ac puniri de hoc tantum delicto ab inquiſitore. Nam, etſi carceratus ſit Epiſcopi, ejuſque ſubditus, quia tamen delictum fractionis carcerum eſt ſpeciale delictum, eſt ſpeciali pœna puniendum. Hujuſmodi autem delictum eſt patratum in carceribus Inquiſitoris, atque adeo ipſe Inquiſitor habet jus illud puniendi. Quod etiam exemplis probat Carena *p. 2. tit. 17. num. 78. & ſeq.*

De carcerato autem in S. Officio, qui ſe ipſum vel occidit, vel occidere tentavit, ita cenſendum eſt. Aut ejuſmodi occiſio, vel vulneratio eſt delictum, quia nemo eſt dominus vitæ ſuæ, neque ſuorum membrorum. Unde non eſt injuſſu Imperatoris, hoc eſt, Dei, de præſidio, & ſtatione vitæ decedendum, Cicero *in Caton. major.* & D. Hieron. *in Jonam relatus in can. non eſt noſtrum* 23. *q.* 5 *Non eſt noſtrum*, inquit, *mortem arripere ſed illatam ab aliis libenter accipere. Unde & in perſequutionibus non mihi licet propria perire manu, abſque eo ubi caſtitas periclitatur, ſed percutienti collo ſubmittere.* Sicque nemini licet ſeipſum occidere, aut vulnerare, ut probant fuſiſſime Gomez *de poteſt. homin. in ſeipſum lib. 1. cap. 1. & 5* Farinac. *de homicid. qu.* 128. & nos *alibi.* Aut hæc occiſio, vel vulneratio provenire poteſt carcerato vel ex conſcientia ſui criminis, ob quod in carcerem conjectus eſt, vel ex impatientia carceris ac doloris, aut ex tædio vitæ.

Si ob primam cauſam ſibi mortem intulerit, & ſaltem ſemiplene probetur delictum ſuæ occiſionis, ejus bona Fiſco applicentur. Siquidem poſtulatus reus criminis, ſi ſe ſuſpendat, vel alio modo interimat, ſi crimen grave ſit, ex quo mors imponenda, & bona Fiſco applicanda pro convicto, & condemnato habetur. Aliter ſi leve ſit crimen, vel ſi non ſit de gravi poſtulatus, *lib. fin. ff. de bon. eor. qui ante ſent. mort ſibi conſciſc.* Farinac. *loc. cit. n. 47 & ſeq.* Gomez. *cap.* 23. *nu.* 26. & Canter. *p. 4. de homicid. num.* 54 Si verò ſe non occiderit ſed tantum vulneraverit, tunc puniendus eſt pœna extraordinaria, non autem mortis, Farinac. *num.* 35. & Gomez *cap* 21. *num.* 1. *& ſeq.* Si ſeipſum interfecerit, aut vulneraverit tædio vitæ, vel doloris, aut carceris impatientia, tunc non punitur, *d. l. fin. §. ſi quis autem*, & tradit Clar. *in pr. §. fin. qu.* 68. *vers. ſeipſum occidens.*

Si autem dubitetur, an mortem ſibi conſciverit, aut vulneraverit ex conſcientia criminis, vel ex tædio vitæ, ita diſtinguitur. Si carceratus ſe interfecit, poſtquam contra ipſum in judicio facta eſt ſemiplena probatio delicti; & ipſe ſcit ſe carceribus mancipatum ob illud delictum, præſumitur, ſe occidiſſe ex conſcientia commiſſi criminis, aliàs ſecus. Certum autem eſt, Inquiſitores eſſe Judices competentes adverſus iſtos carceratos, cùm in carceribus S. Officii ſe ipſos occiderint, vel animo occidendi ſe vulneraverint. Quia id faciunt ex conſcientia patrati criminis pertinentis ad S. Officium.

Undè cùm Inquiſitor Novariæ ſignificaret ſupremo Tribunali S. Inquiſitionis, Vicarium Sancti Officii Vallis Vegelli proceſſum confeciſſe contra N. mulierem pro prætẽſis maleficiis, quæ in carceribus S. Officii laqueo ſe ſuſpendit, & conſuleret; an procedere deberet contra illius cadaver, vel inveſtigare, an à dæmone, vel ab aliis maleficis fuiſſe jugulatam, pariterque an procedere deberet contra puellã quæ extrajudicialiter fatetur interfuiſſe tripudiis dæmonum, ac in illius complices, Sanctiſſimus mandavit Inquiſitori reſcribi, ut mittat copiam proceſſus, nec non depoſitionem dictæ pullæ, amoveat dictum Vicarium, aliumque idoneum ſurroget, curetque, ut per ſeipſum, & per Parochos reddantur capaces populi circa fallaciam maleficiorum, moneaturque Inquiſitor, quod conſuluerit S. Congregationem, an procedere debeat contra memoriam dictæ Mulieris.

An autem pœna carceris irroget infamiam, atque adeo efficiat irregularem? Negative reſpondet Gloſſa *in can. infames vers. pœna 3. quæſt. 7.* reprobans ipſum textum. Quia, inquit, ſola pœna non infamat & citat *l. nullum C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Sed hic textus non loquitur de pœna, quia hæc dicit punitionem, ac neceſſariò ſupponit culpam, ſed de pœnalitate torturæ, cujus eſt alio ratio, quia infligi poteſt ex diverſo fine, & non dicit ordinem ad culpam

Immo

Immo ſi ad honeſtum finem ſuſcipiantur hujuſmodi pœnalitates, pariunt honorem. Quin Gloſſa civilis *in d. l. nullam v. infamiam*, ait. quod tortura, licet non irroget infamiam juris, irrogat tamen infamiam facti, & allegat *l. generaliter §. 1. & l. eos. ff. de Decur.* per quos textus talis infamia, quæ eſt oneratio bonæ opinionis, facit repelli à dignitatibus, & ſolum admitti in ſubſidium, quando alii non occurrunt.

Tenendum itaque eſt, quod pœna carceris per ſententiam inflicta, cauſet infamiam, præſertim perſonæ Eccleſiaſticæ, aut regulari, & eò magis, quo tempus carceris diuturnius fuerit, & ita tradunt Bartol. *in l. 1. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Baiard. *ad Clar. qu. 72. num. 1.* Perin. *q. 1. de ſubd. relig. cap. 13. verſ. nono quinto.* Rodriq *tom. 2 quæſt. 22. ar. 2* Portel. *in dub. regul. v. Carcer. num. 1.* & facit Gloſſa *in d. l. 1. C. ex quib. cauſ. &c. v. vincula*, docens, quod vincula non irrogant infamiam, quando ordinantur ad crimen explorandum, ſecus autem quando ſunt ob crimen exploratum, & in pœnam, & facit etiam textus *ejuſdem lib. 1.* ubi taxativè dicitur, quod non cauſatur infamia ob id ſolum, quod quis in carcerem, aut vincula conjiciatur.

Deſumitur *ex l. ad tempus C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* ubi decernitur, eſſe infames damnatos ad tempus ad opus publicum, etiam peracta pœna. Unde Gloſſa, *ibidem v. ſubjiciuntur* ait, eſſe infames propter genus pœnæ, quod facit infames, etiam ea completa, & *ex d. l. nullam C. eod.* ubi decernitur, quod non ſit infamis fuſtibus ſubjectus ob quæſtionem habendam, ſed taxativè, ſi ſententia non præceſſit. Quare ſententia præcedens infamaret. Et etiam ex *d. can. infames 3. qu. 7.* ubi ſtatuitur, quod genus pœnæ irrogat infamiam, ibi: *Porrò infamia multipliciter irrogatur, aliquando genere pœnæ, ſicut illi, qui damnantur in opus publicum.* Tunc autem pœna irrogat infamiam, quando ignominioſa eſt, ut deſumitur ex citatis textibus. Pœna autem carceris eſt ignominioſa, quia inducit quandam ſpeciem ſervitutis cum ignominia, ut notant Bartol. *in l. aliæ cauſæ n. 14. ff. ſoluto matrim.* Bald. *Conſ. 412. lib. 1.* Boer. *dec. 215.* Faber. *§. ult. num. 2. inſtit. de action.* Et dicitur mala manſio, quæ morti æquiparatur *l. ſi hominem mut. ff. depoſiti, & l. nec. timorem §. proinde ff. quod met. cauſ.* ut notat Boſſ. *in p. cr. tit. de carcere.*

Ratio autem eſt, quia cùm pœna ſi propter culpam, quam neceſſario ſupponit, participat cum ipſa in dedecore oppoſito humanæ dignitati, in qua conſiſtit bona fama. Pœna vero carceris ita participat in dedecore cum crimine, propter quod infligitur, ut ſimul privet illa libertate, quæ propria eſt conditionis humanæ, & quaſi trahat ad conditionem belluarum, quæ inter vincula, & ſub cuſtodia ſerviunt. Et propterea dejicit è ſtatu dignitatis humanæ moribus, ac legibus comprobato, quod non eſt aliud, quàm inducere infamiam

Damnatus deniq; ad carcerem ad beneplacitum cenſendus eſt damnatus ad carcerem perpetuum. Ita ſtatuunt loquentes de qualibet pœna Foller *in pr. cr. can. cap. 33. num. 78.* Gomez *in var. reſol. tit. de exil. & releg. num. 5.* Cabal. *reſol. crim 143. num. 7. & ſeq.* Covar. *lib. 3. var. cap. 15. num. 2.* Mart. *tom. 2. compil. tot. jur. tit. pœna cap. 13. & de clauſul. p. 2. clauſ. 1. n. 3.* qui docent, quod pœna ad beneplacitum ſit perpetua, ſivè ſit ad beneplacitum Judicis, ſivè ad beneplacitum Principis

Nam hujuſmodi beneplacitum debet eſſe beneplacitum publicum, atque adeo, quod nullius morte extinguatur, *cap. ſi gratioſe de reſcript. in 6.* Cùm enim ſententia ſit actus publicus, & nitatur fide publicâ *l. geſta C. de re jud.* ibi: *geſta quæ ſunt tranſlata in publica monumenta, habere volumus perpetuam firmitatem; neque enim morte cognitoris perire debet publica fides*, ac proinde ex natura ſua perpetuus, beneplacitum, quod ſolvere debet ſententiam, tanquam actum publicum, atque adeo illi finem imponere, debet eſſe beneplacitum publicum, cum beneplacitum privatum, tanquam inferioris ordinis, non poſſit circa ea, quæ ſunt publicæ poteſtatis. Et de hac quæſtione alibi fuſius.

Hoc interim moneo non debere Judices ob crimina non multum gravia ferre ſententiam carceris ad beneplacitum. Carcer namque eſt major pœna, quæ de jure Canonico infligi poſſit, ut notat Marc *loc. cit. cap. 1. in fin.* ideoque dicitur pœna capitalis, ut notant Bald. *in l. reos niſi initio ff. de accuſ.* Felin. *in cap. qualiter 2. §. ad corrigendo de accuſ.* Abb. *in cap. 1. prope fin. de collus ag.* Et melius eſt mori, quàm perpetuo carceri damnari, ut animadvertunt Cardinal. *in cap. Cum non ab homine de jud.* Diaz *in pr crim. can. cap. 140. nu. 1.* Unde damnati ad perpetuos carceres æquiparantur damnatis ad metallum, ut annotant Innoc *in d. c. qualiter §. fin.* Bald. *conſ. 448. ſub princ. lib. 1.* Fulgos *conſ. 44.* Bartol. *in l. imperium col. 4 ff. de juriſd. omn. Jud.* Dec. *ibid. nu. 34.* Jaſ. *num. 24. &* Peregr. *de jur. Fiſci lib. 3. tit. 4. num. 5.*

Immo de jure Canonico ſucceſſiſſe loco pœnæ damnatorum in metallum, docent Anan *conſ. 1. num. 10.* Bald. *d. conſ. 448.* & ideo eſſe permiſſam pœnam carceris perpetui de jure Canonico, quia Eccleſiaſtici non poſſunt imponere pœnam ſanguinis, advertit Fulgos *d. conſ. 44. num. 1.* Nec eſſe imponendam, niſi quando mors laico imponenda eſſet cum aliqua qualitate atroci, notat Diaz cum Aretino *d. cap. 140. nu. 1.* Ac proinde non poteſt imponi niſi pro graviſſimis delictis, & quæ mereantur damnationem ad metalla, aut pœnam mortis & conſequenter nec etiam carcer ad beneplacitum, quia eſt pœna perpetua, ut dictum eſt.

Eſſara de carceribus, & carceratis S. Officii, & ad id alia plura congeſſimus *tom. 5. conſult. 66 à numero 23.*

CONSULTATIO CXLVII

De ultione à reorum comparitione, ſive de ſponte comparentibus in Tribunali S. Inquiſitionis, ac de Tempore gratiæ.

Spontè comparens ille dicitur, qui non vocatus, neque citatus, neque accuſatione, aut denunciatione præventus, ſponte ſua, & à ſemet impulſus, coram Epiſcopo, vel Inquiſitore comparet, & omne commiſſum crimen contra fidei dogmata, omneſque Complices fatetur. Illud namque dicitur fieri ſponte, quod propria voluntate, ac ſine alterius requiſitione efficitur, ut per Gloſ. *in can. 1. 16. q. 6. v. ſponte*, Fulcod. *qu. 2.* Caren. *p. 2. tit. 12. num. 19.* & Souſ. *lib. 4. aphor. cap. 8. n. 5. & ſeq.*

Requiritur itaque, ut quis dicatur ſponte comparens, quod non ſit præventus accuſatione, vel denunciatione. Sic enim decernitur in Conſtitutione 23. Julii tertii, quæ incipit, In multis, ibi: *Non accuſatos, nec denunciatos, ſi ſe ipſos humili & contrito corde accuſant, eſſe, ut ſpontes comparentes recipiendos.*

Inſuper requiritur, ut plenam, ac integram, tam de ſe, quàm de aliis ſociis veritatem fateatur, & de ſuis delictis veniam humiliter petat. Nam quod ad hanc integritatem confeſſio ſponte comparētis æquiparatur confeſſioni Sacramentali, in qua ſicuti qui unum mortale peccatum omittit, committit ſacrilegium, & peccatorum remiſſionem non obtinet. Ita ſimiliter in hac judiciali confeſſione, niſi quis plenè ac integre commiſſa delicta, & illorum complices fateatur, remiſſionis gratiam non conſequitur. Ita colligitur ex Concilio Bitterenſi *cap. 1 ex lib. ſponte ff. de man.*

Digitized by Google

mun. & honor. l. 4. §. fin. C. de Sicar. l. 2. C. de his, qui latron. & docent Archid. *in cap. ut commiſſi de heret. in 6.* Pegna *in direct. p. 3. com.* 12. aliique paſſim.

Hi autem omnes ſponte comparentes quicunque ii ſint, ſivè lamiæ, etiamſi infanticidium vel aliud immane delictum commiſerint, ſive ſortilegi hæreticales, qui abuſi ſunt quocunque Sacramento, etiam Eſchariſtiæ, vel baptiſmi ſatis benigne, ac mitiſſimè cum abjuratione recipiuntur, & ſola eis ſalutaris pœnitentia imponitur, nempè orationes, jejunia, eleemoſinæ. Sacramentorum Confeſſionis, & Euchariſtiæ frequentia, & alia charitatis opera, ut expreſſe decernitur in dicto Concilio Bitterenſi c. 2. *his verbis. Omnes, qui ſe, vel alios ſciverint in crimine hæreticæ pravitatis deliquiſſe, & comparent coram vobis, veritatem dicturi* pœnitentes, & dicentes, plenam de ſe, ac de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, immutationis exilii, & confiſcationis *bonorum*, Verbum namque illud *Omnes* nullum excludit. Et docent Eymer *p. 3. q. 1. num.* 58. ibique Pegna *d. com.* 12. *vers. magnam veniam* & Farinac. *quæſt.* 181. *num.* 2. & colligitur etiam ex *dicta l. ſponte ff. de mun. & honor. & l. 4. §. fin. C. de ſicar.*

Et ob eandem rationem gaudent eodem beneficio ſponte comparentes, ac vere pœnitentes, qui non eſt Sacerdos, & miſſam celebrat, vel confeſſiones audit aut ſi eſt Sacerdos, miſſam celebrans non conſecrat; qui Crucem, & Sanctorum, imagines conculcat fœdat, & hæreticaliter blaſphemat, qui Sacramentalibus Eccleſiæ abutitur; qui dæmones invocat, & per characteres ac ignota nomina obſecrat, eiſque cultum etiam Latriæ tribuit, immolat, ſanguine proprio devovet, & obedientiam promittit; quique omne aliud ſceleſtum, ac nefarium facinus capitale, ac enorme ſacrilegium hæreticale committit, dummodo nec vocari, neque citati, neque ab alio præventi ſint, ſed vere pœnitentes ſua crimina, & ſuos complices integre fateantur. Mitius enim agendum eſt cum ſponté confeſſis, quam cum convictis *Can. presbyterum* 50. *d.* Gloſ. *in cap. de hoc, ver. in jure de Simon.* ubi Oſt. & Panor. *n.* 6. Servaturque in praxi.

Lamia verò ob infanticidium, vel aliud grave delictum à Judice ſæculari in carceribus detenta, ſpontè Inquiſitori ſuum delictum fatendo non evadit pœnas ſibi debitas à foro ſæculari. Quia poſtquam Inquiſitor illam de ſpectantibus ad hæreſim examinaverit, & judicaverit, Judici ſæculari reſtituere debet qui illam punire poteſt, etiam de infanticidio, & aliis delictis, hæreſim non ſapientibus cum ſuo proprio proceſſu, non autem ex illo ab Inquiſitore conſtructo, ut per Farinacium & alios *de heres. q* 181 *n.* 48.

Sivè autem hæretici fuerint, ſivè de hæreſi ſuſpecti, interrogandi ſunt, an erroribus ſuis firmiter crediderint, vel dubitaverint. Quanto tempore in illis permaoſerint. A quibus eos didicerint, & quomodo? An de illis alios, & quos docuerint. An libros prohibitos legerint, & quos, & à quibus illos habuerint, an ve retineant, vel aliis dederint. Qui fuerint eorum complices. An alios agnoſcant hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. An ſciant, vel ſuſpicentur in aliquo Tribunali ſe de prædictis erroribus fuiſſe præventos, vel inditiatos. An ipſos verè pœniteat in hujuſmodi errores incidiſſe. An illos errores & omnes alias hæreſes parati ſint deteſtari, & abjurare, ac de cætero Catholice vivere, & pœnitentiam ſibi injungendam adimplere. Tandem monendi ſunt, ut integram veritatem dicant, nec aliquid commiſſum occultent, vel complices taceant, ne diminutè confitentes, & fictè converſi exiſtimentur, & puniantur. Sic dimitantur cum clauſula, dummodo in aliquo S. Officii Tribunali non ſint præventi. Nam qui eſt alibi in S. Officio querelatus, non dicitur ſpontè comparens, ut ſupra oſtendimus.

Si verò error, vel delictum commiſſum fuerit cum complice, vel coram aliis, aut ad aliorum aures pervenit, Inquiſitor debet judicialiter recipere confeſſionem ſpontè comparentis cum Notario, qui illam in regeſtum inferet, ut ſi ab aliquo poſtea denunciatus fuerit, agnoſcat ex illa denunciatione ſivè teſtibus, an defecerit in ſpontanea confeſſione, ſicque appareat, an ſit puniendus, ſed mitius, quia venit non vocatus. Si vero denunciatio eſt conſentanea confeſſionis illius ſpontaneæ, non eſt ulterius procedendum. Aliquando etiam poteſt ſine Notario Inquiſitor recipere ſpontaneam comparitionem, ſed neceſſarium eſt, ut ipſe illam regerat.

Si autem error, vel factum ſit prorſus ſecretum, ut ſiquis dubitaverit aliquando de Sacramento Euchariſtiæ, & aliquando crediderit Sacramento hoc nihil eſſe, ſteteritque aliquandiù in hac incredulitate, nulli tamen ſe revelaverit, nec aliquem infecerit. Tunc quia delictum eſt omnino ſecretum, nec adeſt, qui illud ſcire poſſit, non debet Inquiſitor in hoc caſu adhibere Notarium, ſed per ſeipſum oretenus debet ſine ſcriptis recipere confeſſionem delinquentis, & cum ſalutaribus pœnitentiis illum admittere, indicendo ei, ut ſtet firmiter in Catholica fide, & repellat hujuſmodi tentationes. Notandum verò eſt cum Pegna ad Eymer. *p. 3. de ſponte venientibus num.* 61. tutius eſſe, quod Inquiſitores non audiant ſacras Confeſſiones, ſed ſemper perſuadeant ſponte venientibus, ut judicialiter confiteantur ſua crimina, hoc eſt, ut Notario eorum Confeſſionem recipiente, coram Inquiſitore dicant peccatum ſuum, inde ſecreta reconciliatione facta, mox eos abſolvat.

Nequit verò Inquiſitor abſque Notario & ſine ſcriptis recipere ſpontè comparitionem Confeſſarii ſollicitantis ad turpia ſed neceſſario recipere debet cum Notario in ſcriptis, quia non eſt delictum penitus ſecretum, ſed in foro externo probabile. Nam pœnitens ſolicitata nequit abſolvi, niſi Confeſſarium ſollicitantem denunciet. Immo Inquiſitor præſumere poteſt, talem Confeſſarium non ſpontè comparuiſſe, ſed metu denunciationis faciendæ à perſona ſollicitata. Ideò Inquiſitor cum aliquo rigore poteſt contra eum procedere, ſemper verò mitius, ac ſi ſpontaneè comparuiſſet, quia nec citatus, neque vocatus venit, & illa ſpontanea compatitio debet ei non obeſſe, ſed prodeſſe.

Neq; ſpontè comparens, ſed volens detegere crimen ſuum per modum Confeſſionis Sacramētalis eſt ab Inquiſitore admittendus ad illius Sacramentalē confeſſionem. Tū quia Inquiſitor eſt Judex in foro judiciali externo, non autem in foro pœnitentiali interno. Tū quia nonnulli dubitantes ac timentes, ne præveniantur ab Inquiſitore judicialiter, per ſe venirent, & audiri in cōfeſſione Sacramentali ab eodem Inquiſitore peterent, ne ſic confeſſi poſſent detegi, ac puniri. Et tum etiam quia Inquiſitor audiens aliquem in confeſſione Sacramentali, ſi ille ſuo errore multos infecit, vel in delicto complices habuit, & ex iſtis aliquis denunciatus ab alio, & judicialiter interrogatus, illius confeſſi delictum detegit. Ille etiam citandus eſt, & cum juramento de ſuo delicto interrogandus. Tunc imponet Inquiſitori, quod ſecretum confeſſionis revelavit, ideoque nunquam Inquiſitor admittere debet ſpontè comparentes ad ſibi confitendum in Confeſſione Sacramentali ſua peccata. Quod etiam admonent Eymer. *loc. cit. num.* 59. ibique Pegn. *com.* 59. & nos *alibi* ſæpius.

Si verò ſpontè comparens noluerit confirmare in ſcriptis ſuum delictum coram Notario, poterit ad id ab Inquiſitore compelli, ſi delictum ſit de illis, quæ committuntur cum complice, vel probari poſſunt. Quia per illam comparitionem Inquiſitor acquiſivit jus

ad

ad eum juridice interrogandum pro foro externo, & conſequenter redigenda eſt in ſcriptis ejus confeſſio, ut advertit etiam Bordon. *tom. 1. capite 30. numero item 30.*

Quod ſi ſponte compareat non puro corde, ſed ſimulatè & fraudulenter, non eſt ad miſericordiam accipiendus, ut habetur *in cap. ut officium de hæret. in 6.* ibique Gloſſa, & tradunt Oſt. *in ſum. tit. de hæret. §. qualiter n. 4.* Royas *eod. titul. q. 2. n. 375.* aliique.

Ac ita, ut fictè ſpontè comparens, & abſolutionem recipiens ab Inquiſitore, ſi poſtea interius reſipiſcat, & verè illum pœniteat, indigeat nova abſolutione ab Inquiſitore. Nam abſolutio ex falſa cauſa obtenta tunc ſolum eſt valida, quando ipſa falſa cauſa minimè movet Iudicem ad impendendam abſolutionem, quia etiam veritate cognita illam impenderet, ſecus autem quando nullatenus impenderet, ut cum aliis docet Enriq. *lib. 13. de excom. cap. 30. numero 3. & 4.* Sayr. *tom. 1. lib. 2. cap. 21. numer. 26. & ſequent.* Sanch. *in decal. lib. 1. cap. 12. numero 7.* Quia valor abſolutionis ex abſolventis intentione pendet, & fictio efficit involuntariam abſolutionem, quoties, cognita veritate, ea non concederetur, ac proinde illa abſolutio eſt irrita ex defectu intentionis abſolventis. In prædicto autem caſu abſolutio obtinetur ex falſa cauſa, nempe ex ficta converſione. Quia, ſi illam Inquiſitor agnoviſſet, nonquam abſolutionem impertitus eſſet, nec talem comparentem ad Eccleſiæ gremium admiſiſſet. Quare peccatum hæreſis antea confeſſum eadem cenſura, eademque reſervatione ligatum manet, qua erat ante illam abſolutionem. Quod annotat in ſpecie Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 7. ſect. 7. numero* 12. Sanchez *loc. cit.* & Farinac. *de hæreſ. quæſt. 193. num. 30.*

Comparens in S. Officio non citatus, neque vocatus, ſed indiciis præventus, ſi compareat ſciens fuiſſe præventum, gaudet in parte, non autem in toto beneficio ſponte comparentiū, quia mitius punitur, quam ſi fuiſſet convictus. Non autem obtinet impunitatem, quia dum ſcit, vel ſuſpicatur eſſe præventum, cenſetur non tam ſponte, quàm metu probationum comparuiſſe.

Si verò compareat, omninò ignorans, eſſe præventum, gaudere debet beneficio ſponte comparentium; quia nullo præcedenti ſtimulo coram Judice comparet, & crimen commiſſum confitetur. An autem ſciverit, anve ignoraverit, ſe fuiſſe preventum, relinquitur cōſiderandum ex circumſtantiis ſuæ comparitionis, ac prudentiæ & arbitrio ipſius Inquiſitoris. Navar. *titul. de hæret. lib. 5. conſ. 8. num. 7.* & Param. *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. quæſt. 4. rubr. de form. & ord. judic. S. Offic. n.*

Comparens in S. Officio non vocatus, neque citatus, ſed præventus quod ad unum delictum, & ille non ſolum hoc, ſed alia delicta, de quibus nullo modo erat præventus fatetur ſpontè, ut ſupra dictum eſt, mitius eſt puniendus de illo delicto, de quo fuit præventus. De aliis verò conſideratè animadverti debet, an dubitet etiam de illis fuiſſe præventum. Et ſi ita ſuſpicatur, haberi non poteſt pro ſponte comparente, cùm ejus confeſſio cenſeatur facta metu probationis. Si verò certò ſciat, non eſſe præventum, quia illa delicta nullis præſentibus commiſit, nec alicui patefecit, quod ad iſta habendus eſt pro ſponte comparente, cum non ſit judiciis præventus neque denunciatus, ac neque de illis poterat Inquiſitor eum interrogare, ut tradit Pegna *p. 3. com. 18. ſub lit. B.* ubi probat, quod rei interrogari non poſſunt, niſi de iis, de quibus ſunt indiciati.

Pœnæ autem, quæ evitantur à ſpontè comparentibus ſunt pœna mortis, triremium, carceris, aut exilii, & pœna confiſcationis bonorum. Qualeſcumque enim ex his pœnis reus mereatur, ei remittitur, ſi ſpontè ſuum, & complicum delictum fateatur, ut decernitur in Concilio Bitterenſi *capite ſecundo* ſolumque alias pœnas leviores ſuſtinebunt pro qualitate perſonarum, & criminum arbitrio Inquiſitorum, ut notant Simanch. *de cath. inſtitut. titul. 44. numero 3.* & Farinac. *de hæreſ. quæſtion. 193. numero primo & ſecundo.*

Poſſe autem Inquiſitorem abſolvendo ſpontè comparentem, apponere hanc conditionem: *Dummodo ex corde ad fidem redieris, & injunctam pœnitentiam ſervaris*, tuentur Calder. *de hæret. rubr. de ſent. Inquiſ. numero ſecundo.* Repert. Inquiſ. *v. Abſolutio, verſ. ſed non manet ab Intus,* Locat. *in Iudic. Inquiſ. v. ſententia num. 21.* Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap. 41. lit. A. verſ. ne mireris*, Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. quæſt. 4. rubr. de expoſit. cauſ. fid. num 32.* Pacian. *conſ. 10. num. 21. & ſequent.* Quia cum dicta conditione abſolutus, ſi ex corde ad fidem non redit, neque adimplet pœnitentiam, non dicitur abſolutus.

At non deberi hujuſmodi comparentem cum prædicta conditione abſolvi tenendum eſt cum Sylveſtro *in ſum. v. hæreſis 2. numero undecimo* Deciano *in tract. cr. lib. 5. cap. 38. numer. 1.* & Farinacio *dict. quæſtione 193. numero 31. & 233.* Abſolutio namque eſſe debet ſimplex, & abſque ulla conditione. Ficta autem converſio reddit irritam abſolutionem, & non ſervans mandata abſolventis, reincidit in primum ſtatum. Immò ipſa ficta converſio reddit ipſum comparentem de nova hæreſi ſuſpectum, quia oſtendit, non credere erraſſe in fide, & Inquiſitorem non habere poteſtatem pœnitentiam injungendi, ut notat etiam cum Fulcodio, & aliis Eymeric. *p. 3. direct. quæſtione 97.* Atque adeo ſupervacanea eſt illa conditio.

Tempus autem gratiæ, quod inquiſitores concedere aliquando ſolent ſponte comparentibus juxta Concilium Bitterenſe *dict. capite ſecundo* eſt ſpatium illud dierum præfixum, intra quod hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti, ſponte comparentes, & confitendo omnia ſua crimina, & complices, à S. Officio conſequuntur impunitatem pœnarum ordinariarum autoritate Apoſtolica. Quod his verbis exprimi ſolet. *Ego N. Inquiſitore &c. autorite Apoſtolica ex ſpeciali gratia aſſigno omnibus hæreticis, credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus hæreticorum, & de hæreſi diffamatis, vel ſuſpectis, ſiqui ſunt in tota iſta diœceſi, totum menſem immediatè ſequentem, ſeu tantum tempus, intra quod libere veniant ad me, neque expectent, ſe denunciari, accuſari, vel capi. Intra quod tempus gratiæ, ſi liberè, ac ſpontanea voluntate ad me venerint, & reatum ſuum revelaverint, & veniam petierint, magnam miſericordiam conſequentur & veniam. Si autem expectaverint, quod accuſentur, denuncientur, citentur, vel capiantur, vel tempus gratiæ tranſire permiſerint, & poſtea venèrint, tanta gratia non erunt digni. Quare veniant intra tempus gratiæ aſſignatum.* Id autem edictum non ſolum voce ab Inquiſitore profertur & publicatur, ſed etiam in valvis Eccleſiæ cathedralis affigitur, ut ab omnibus legi poſſit.

Cùm autem ſponte comparens non ſit, qui vocatus vel monitus comparet, cur igitur habeatur pro ſpontè comparente, qui monitus Inquiſitorum Edicto comparet? Quia non eſt monitus, neque citatus, neque vocatus nominatim, neque perſonaliter ab Inquiſitore, & ideo gaudet gratia impunitatis ſponte comparentium. *Sponte enim redeunt*, ait Fulcodius *in conſult. ad Inquiſit. quæſt. 2. qui intra tempus gratiæ redeunt, licet in generali ſint moniti.* Nec enim coacti videntur, dum à nemine ſunt præventi *lib. 2. §. ſi mater, ff. ad Tertull.* & ſponte venit, qui non venit admonitus nominatim, ut colligitur

ex l. ult. C. de his, qui latron. occul. Quod etiam docent Archid. & Io. Andr. *in capit. ut commiſſi de haret. in 6.* & quos ſequitur Pegn. *p. 3. direct. com. 12. num. 56.*

Elapſo hoc tempore gratiæ ſponte comparens gaudet impunitate ſponte comparentium, ſi intra tempus gratiæ fuit legitimè impeditus, nempe ſi fuit abſens, vel probat, & juramento affirmat omnino ignoraſſe edictum, in quo erat præſcriptum, tempus gratiæ. Nam excuſatur ob ignorantiam invincibilem, ac legitimum impedimentum, ut per Rot. *deciſ. 4. de jurejur. in antiq.* & Doctores *in lib. 1. §. quod diximus ff. ſi quis caut.* Similiter hoc beneficio gaudere debet, qui nec citatus, neque vocatus, neque præventus comparet ſtatim poſt tempus gratiæ elapſum, ut per Fulcod. *loc. citato* & Caren. *p. 2. titul.* 18. §. 6. Alii vero ſponte comparentes non evitant omnem pœnam, ſed pro qualitate perſonarum, & criminum benigne tractantur, &, ut ait Pegna *p. 3. com. 12, verſ. his verò qui poſt tempus gratia veniunt ſponte, etiam mitius ſunt puniendi, quamvis non conſequantur tantam indulgentiam*, ut prudentiſſimè obſervat Eymericus *hoc loco.*

Non eſt tamen Inquiſitoribus liberum indicere hoc tempus gratiæ, quoties accedunt ad diœceſim, ſibi deſtinatam, ſed tunc illud aſſignare poſſunt, quando mittuntur ad civitatem, ſive diœceſim in qua de novo conſtituuntur Inquiſitores & officium S. Inquiſitionis. Vel quando in aliquo loco officium Inquiſitionis intermiſſum, iterum renovatur. Vel quando totum aliquod Regnum hæreſi infectum, ad fidem convertitur, aut in aliqua Civitate hæretici latenter multos Catholicos decipiunt. Tunc enim ad ſubveniendum deceptis, quamvis Officium Inquiſitionis ibi non introduceretur, tempus tamen gratiæ eſſet concedendum. Vel in litteris delegationis conceditur à Summo Pontifice talis facultas, quam indulgere aliquando ſolet ob juſtas & rationabiles cauſas. Hoc enim tempus gratiæ à ſolo Summo Pontifice concedi poteſt, quia pœnæ illæ à nemine remitti poſſunt, niſi à Summo Pontifice. Ita ex Pegna *dict. com. 12.* ex Albertino *in repet. cap. 1. de haret. in 6. quaſt. 52. num.* 4. ex Cardinali Albano & ex Carena *dict. p. 2. titul.* 18. *§. 4. & 5.*

Cum Polygamo autem, etiam ſponte comparente, magna cum circumſpectione procedere debet Inquiſitor. Tum ad cognoſcendum, an commiſſi delicti gravitatem ſciat, & de illo ſit verè pœnitens. Et tum ad ei inhibendam cohabitationem cum ſecunda conjuge. Quia pœnitentis confeſſio valet contra ſeipſum, non verò contra tertium *cap. 1. de confeſſ.* Nec propriæ confeſſioni eſt credendum in alterius poſſeſſionis præjudicium, ut colligitur ex *cap. vidua de regul.* Secunda autem uxor eſt in poſſeſſione prætenſi Polygami, cum ſupponitur bona fide eum ſoluto ſe contrahere matrimonium voluiſſe. Inſuper ad diſſolvendum matrimonium minimè ſtandum eſt conjugum confeſſioni *capit. ſuper eo, de eo, qui cogn. conſangu.* Vbi redditur ratio, *quia ſape adverſus matrimonium, ut dirimatur, conjuges inter ſe conveniunt.* Et ideo in illo maxima cum advertentia procedere debet Inquiſitor, ita ut recipiendo judicialiter ſpontaneam Polygami confeſſionem, nec circa ipſum, nec circa ſecundam uxorem quidquam decernat, ſed procedat ad capiendam informationem utriuſque matrimonii, & interim prohibeat ipſi Polygamo, ne debitum petat, quamvis reddere poſſit. Nam mulier habet jus ad illud petendum, donec conſtiterit de nullitate matrimonii, ut ex *cap. laudabilem lite pend.* Tandem Inquiſitor, conſtito de utroque matrimonio, tunc procedet ad declarationem nullitatis ſecundi, ad ſeparationem alterius conjugis, & ad pœnitentiam ſalutarem arbitrio ſuo ipſi ſponte comparenti.

Qui vocatus ad judicium ſtatim comparet, & metu probationum ſponte ſua crimina confitetur, puniendus eſt pœna ordinaria per Gloſ. *in can. presbyterum d. 50. & in cap. de hoc de Simon.* At Oſtienſis, & Panormitanus *in dict. cap.* de hoc benignius, ac mitius quàm pœna ordinaria docent eſſe puniendum. Quia ſpontè confeſſus dicitur, cùm nullo præcedente ſtimulo Iudicem adit, & ſuum crimen confitetur. Quanta autem pœnæ pars ei remitti debeat, arbitrio judicantis relinquitur.

Relapſum autem non vocatum, neque citatum, neque denunciatum, ſponte comparentem, ac veniam petentem, cenſet Simanchas *de cath. inſtit. titul. 57. numero vigeſimo primo & ſequent.* non eſſe ad miſericordiam admittendum. Quia, dum poſt ſui criminis abjurationem, iterum in hæreſim incidit videtur fictè ac ſimulatè converti. Nam, ut colligitur ex *canon. parvuli 22. quaſtione quinta.* Qui ſemel pejeravit, cenſetur facilè ſecundò pejerare juxta regulam ſemel malus.

Contra tamen docent Oſtienſis *in cap. ad abolendam §. illos de haret.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. quaſtione 25. numero vigeſimo quinto & ſequent.* Alphonſ. à Caſtro *de juſt. haret. pun. lib, 2. capite ſecundo* Montalu. *in legib. ſeptipart. lib. 1. titulo vigeſimo ſexto pag. 7. quaſtione 6.* Pegna *p. 3. d. com. 12 verſi ul. ſed quid ſi relapſus*. Primum quia in eo ceſſat ſiniſtra illa ſuſpicio, quia relapſi putantur fictè converſi, cùm ſeipſum pœnitendo deferat, & veniam poſtulet. Deinde quia non eſt cenſendus incorrigibilis, qui ſponte crimen fatetur, & veniam deprecatur. Tum quia nullus poteſt dici verè relapſus, niſi qui bis de hæreſi convincitur. Qui autem crimen fatetur, non videtur ſecundò convictus. Ac poſtremo, quia Concilium Bitterenſe *cap. 2.* ita videtur ſentire dum ait: *Venientes pœnitentes, & dicentes plenam de ſe, ac de aliis veritatem, habent impunitatem mortis.* Quæ verba nullo modo poſſunt competere, niſi relapſis. Nam quicunque alius ſponte comparens, quamvis graviſſime deliquerit, mortis pœnam evitat. Et propterea Concilium de illis loqui videtur, qui ſi fuiſſent convicti, mortis ſupplicio eſſent plectendi. Addit verò Pegna *loco citato verſicul.* Quia tamen, nullo expreſſo jure cautum eſſe videtur, ut hujuſmodi relapſis parcatur. Et ideo cùm talis caſus evenerit, tutiſſimum cenſeo, ut Inquiſitores ſupremum Sanctæ Inquiſition. Senatum conſulant.

Sortilegus quoque, qui alios docuit ſortilegia & maleficia patrare, ſi ſponte compareat, eſt etiam ad veniam admittendus. Quia, licet gravius peccavit, dum alios ad graviter peccandum docuit, atque induxit, quia tamen ſpontè comparet, & cum proprio crimine alios, de quibus recordatur, docuiſſe ſortilegia, ſeu maleficia, integrè confitetur, admittendus eſt ad miſericordiam abſque ulla pœna ex illis, quas meruiſſet, ſi ſponte non comparuiſſe, ſed tantum cum pœnitentia ſalutari. Nam etiam hæreſiarchæ, dogmatiſtæ, omneſque hæreſim inventores, ac magiſtri, ſi verè pœnitentes ſponte comparent ad miſericordiam admittuntur ex dicto Concilio Bitterenſi *cap. 16* in quo ita ſtatuitur: *Perfectis hæreticis converti volentibus vos exhibeatis favorabiles, & benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium & promotum, ac ipſorum pœnitentias pro qualitate converſionis, & meriti mitigetis, vel quantum vobis viſum fuerit, deferatis.* Notatque Pegna *pag. 2. com. 64.* verba illa, *per tales multum fuerit illuminatum negotium, & promotum.* Quia iidem illi dogmatiſtæ, ſi verè convertentur, & deceptis prædicent,

prædicent, multos eorum facilè convertent, ac melius intelligent errores & fraudes, quas ipſi docuerunt, & refutant vel ſcribendo, vel eloquendo. Et ita etiam docent Suarez *de fid. diſp.* 23. *ſect.* 2. *num.* 4. Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 47. *numero* 27. Royas *ſing.* 154. *&* Farinac. *de hæreſ. q.* 193. *num.* 5.

Non deſunt verò qui arbitrantur, ſortilegium ſeu quemlibet hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, qui ſciens eſſe quamprimum denunciandum, denunciantem prævenit, comparendo, & ſuum crimen Inquiſitori integrè confitetur, non eſſe dicendum ſpontè comparentem, nec ei deberi omnem impunitatem ſponte comparentium, quia non tam ex contritione cordis, ac deteſtatione criminis, quàm ex imminenti denunciatione ac metu probationum, & pœnæ ſibi debitæ comparet, unde ejus comparitio potius videtur coacta, quam ſpontanea. Sic exiſtimant Alph. à Caſtr *de juſt. hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 2. Decian. *in tract. cr. lib* 5. *cap.* 56. *nu.* 12. & de relapſis Farinac. *dict. quæſt.* 193. *numero* 37. cer. ſetque Gloſ. *in can. presbyterum d.* 50. *& in cap. de hoc de ſimon.* talem comparentem pœna ordinaria eſſe puniendum, ut refert Pegn. *p.* 3. *com.* 12. *verſ. Poſtremo.*

Benignior tamen eſt ſententia Oſtienſis *in d. c. de hoc* ubi aſſerit, in hoc caſu comparentem eſſe ad miſericordiam ſponte comparentium admittendum. Atque ita ex generali conſuetudine ſacri Tribunalis tradunt Albertin. *in repet. cap.* 1. *de hæret. in* 6. *quæſt.* 12. *num.* 2. *& ſeq.* Reper. Inquiſ. *v. miſericordia verſ. nunc videndum*, Zanchin. *tract. de hæreſ. cap.* 16. *numero* 5. 6. *ac* 7. & Pegn. *loco citato.* Quia, ut jam diximus, non eſt putandus ficte converſus, qui ſeipſum defert, ac veniam poſtulat, & ſponte crimen fatetur. Debet tamen Inquiſitor, ut admonetur *in dict. cap.* 1. *de hæreticis in* 6. magnam adhibere cautionem ac diligentiam, ne talis ſpontè comparens ſimulata converſione ad evitandas pœnas, quas ob aliorum denunciationes timet ſibi proximè futuras, fraudulenter ad veniam compareat. Et in hiſce omnibus Inquiſitores circumſpiciant undique, librent, penſent, exigantque ſingula, nihilque non olfaciant, non excutiant, non examinent, non caſtigent etiam atque etiam, ea ſub incude ſæpius revocent, inquirant, conſulantque, puniant pro ſuo arbitrio, ita tamen, ut noxiæ pœna par ſit, ut in ſuo vitio quiſque plectatur.

Sortilegus tamen pœnitens, hæreticus, aliuſve reus quicunque qui ſponte & non præventus, & qui ſponte ſed præventus comparet, non eſt dimittendus omnino inultus impunituſque quando ad miſericordiam recipitur. Quia juſtum non eſt, ut delicta, maximè contra fidem, prorſus impunita, ac libera ferantur. Ideoque illis, qui nunquam denunciati, aut à Iudice præventi ſpontè comparent, injunguntur pœnitentiæ ſalutares. Cœteris verò denunciatis, & à Iudice præventis, qui ſponte comparent, ad miſericordiam admittuntur, mortis pœna condonatur, ſed commutari ſolet in pœnam vel temporalem triremium, aut perpetuam carceris. Et ſi merebantur pœnam triremium, commutatur in carcerem, aut verberationis ſemel, aut pluries, vel relegationis, & exilii, vel pecuniarum, vel ut veſtem crucibus ſignatam deferant, vel ut ſtent diebus feſtis præ foribus Eccleſiæ cum candela accenſa in manu tempore miſſæ ſolennis, prævio ſono campanæ juxta facti ac perſonarum qualitatem. Et ſi Regularis fuerit, puniri ſolet privatione vocis activæ, & paſſivæ, ac etiam officiorum; vel quod bis in anno, ipſo reo præſente, in publico Capitulo Inquiſitorum ſententia legatur; vel ut è domo egredi non valeat ad tempus; vel quod à ſuis Regularibus flagelletur coram Notario S. Officii, vel aliis hujuſmodi pœnitentiis.

Effata. Spontè comparentibus non detur fides ſententiæ, & abjurationis, ſed tantum fides comparitionis, & expeditionis 17. Martii 1600. Sed non detur abſque licentia Sacræ Congregationis, ut ſcriptum omnibus Inquiſitoribus 13 Maii 1620. Quibus etiam ſignificatum, ut quando hujuſmodi fides, petantur, ſcribant eorum Ordinariis, 29. Julii ejuſdem anni 1620.

Spontè comparentes abjurant privatim, non autem publicè 15. Auguſti 1601. Nec torqueri debent, ne quidem ad afficiendum complices 11. Decembris ejuſdem anni, & 7. Martii & 7. Auguſti 1602 & alibi ſæpe.

Spontè comparentes, nolentes nominare complices, abſolvi non poſſunt 19. Septembris 1602.

Spontè comparentes non cenſentur illi, qui, in genere interrogati, fatentur delicta, de quibus non ſunt inditiati, neque denunciati, ſed ſecundum prudentiam Inquiſitorum mitius puniuntur 12. Maii 1604.

Sponte comparentes interrogentur, an ſint baptizati ab hæreticis. 1. Septembris 1604.

Rei ſpontè comparentes poſt cauſarum expeditionem & fatentes ea, quæ prius negaverant, aut ea, de quibus non erant inditiati, ſunt audiendi, & tractandi uti ſponte comparentes, non tamen tales ſunt declarandi, & expediantur ſecretò & cum pœnitentiis ſalutaribus 8. Decembris 1605. ut de non promoto celebrante, ac de Polygamo 17. Maii 1616.

Spontè comparentes, etiam Regulares, non impediuntur exercere officia ſuæ Religionis, licet abjuraverint 1. Iunii 1607.

Spontè comparentes, volentes hæreſim publicè deteſtari, & abjurare, non impediuntur id facere 8. Maii 1608.

Sponte comparentes aliquando etiam propter caſuum gravitatem declarantur inhabiles ad Ordines ſuſcipiendum 30. Januarii 1614.

Spontè comparentes, in hæreſibus nati, ac educati, petentes reconciliari Eccleſiæ, ſi non excedant annum decimum quintum, & non ſint doli capaces, expediantur cum ſola fidei profeſſione abſque abjuratione 20. Auguſti 1614.

Sponte comparentes minores viginti duobus annis expediantur cum clauſula citra pœnam relapſus. Alii verò ſimpliciter, & omnibus promittatur benignitas 8. Februarii 1618.

Sponte comparentes expediuntur ab Inquiſitoribus ſine interventu Ordinariorum 21. Maii 1588.

CONSULTATIO CXLVIII.

De ſponte Confitentibus in carceribus.

QUi poſtquam ſunt carceribus mancipati ſponte confitentur commiſſum crimen hæreſim ſapiens tractandi ſunt, non tam mitiſſimè, ac ſi eſſent ſponte comparentes, ſed mitius, quàm ſi fuiſſent convicti, vel coacti confiterentur. Quales autem pœnitentiæ iis injungendæ ſint, præſcribi non poſſunt, ſed prudentiæ atque arbitrio Inquiſitorū relinquitur penſis gravitate criminis, & qualitate perſonæ, ut præcipitur in Concilio Narbonenſi *cap.* 5. cujus in hanc ſententiam hæc ſunt verba? *Hoc quidem ita perſtringimus, non ut vos pœnitentias prætaxatas omnes ubique, vel omnes omnibus imponatis, ſed ut eat ſecundum diſcretionem, vobis traditam à Domino, pro culparum & perſonarum, locorum, & temporum, & aliarum circumſtantiarum qualitate ita caute, ac provide diſpenſetis, ut ſive plectendo, ſive ignoſcendo vita eorum culpabilis corrigatur, vel*

ſaltem valeat apparere, quis in tenebris ambulat, quis vero ſit pœnitens, quis ficté converſus, nec inde veris catholicis ſcandalum generetur, nec prætexto ſcandali quantum in vobis fuerit, hæreſis defendi, ſeu nutriri poſſit.

Ex quibus obſervandum eſt, an dicti ſponte in carceribus ſua crimina confitentes, ſtatim, an poſt aliquod, an poſt longum tempus, an ipſi ſpontanèe confiteantur, an ab aliis ſuaſi. An ſint clerici, an laici, an petiti, an ignari, an ætate provecti, an ſenes, an pueri, an juvenes, an imprudentes, an viles, an nobiles, an alii hujuſmodi, ut juxta cujuſque qualitaté pœnitentia ſalutaris imponatur, cùm mitius ſit agendum cùm iis, qui ſpontè confitentur, quàm cum illis, qui cõvicti, vel coactè, mitius cum iis, qui ſtatim, quàm cùm illis, qui poſt aliquod vel longum tempus.

Maximè autem animadvertendum eſt, an ſint ſimplices, cum quibus aliter agi debet, quàm cum prudentibus. Multi enim ex ſimplicitate in hoc crimen incidunt, ita ut non excuſentur à toto, ſed à tanto. Cenſet verò Pegna *p.* 3 *com.* 142. quod hæretici, qui ſtatim poſtquam capti ſunt, tam de ſe, quàm de aliis quos hæreticos eſſe ſciunt, plenè ac integrè confitentur, non videatur in perpetuum carcerem detrudi, & illis etiam videtur poſſe pœnam carceris perpetui condonari, qui puro corde redierint, priuſquam dicta teſtium pulicata fuerint pro arbitrio Inquiſitoris, & Epiſcopi. Nam qui poſt publicata teſtimonia redeunt, ac tunc demum confitentur, cùm vident ſe eſſe convictos, jure optimo in perpetuum carcerem damnandi ſunt.

Reum autem captum, ſi ſtatim confiteatur ſpontè ſuum crimen, negant, poſſe obtinere veniam, injuncta ſibi pœnitentia ſalutari, Archid. *in cap. ut commiſſi poſt numero 3. de hæret. in* 6. ibique Io. Andr. *num. item* 3 Gem *n. eodem numero* 3. & Anania *in cap. ad abolendam numero* 11. *eodem titul.* Quia tunc non ſpontè, ſed metu probationum, ac pœnæ confiteri dicitur.

Affirmandum verò eſt cum Oſtienſ. *in ſum. rubr. de hæretic. §. qualiter num.* 3. ubi docet, quod confitenti errorem ſuum timore probationis, poteſt Iudex illi parcere, injuncta pœnitentia ſalutari, ſi videt ipſum contritum, & ſperet ejus converſionem. Idem tradit Repertor. *Inquiſ. v. rediens, & v. confeſſio, & v. miſericordia* ubi hanc ſententiam admittit in hæreticis tam de jure, quam de conſuetudine inquiſitionis. Et in apoſtatis pariter eam admittit de conſuetudine, non autem de jure. Farinacius quoque *de hæreſi quæſt.* 193. §. 2. *numero* 44. ait, quod pœnitens ad miſericordiam recipitur, etiam poſt receptas probationes, ac teſtium publicationem ex generali conſuetudine S. Officii Idipſum aſſerunt Albertin. *in repet. cap.* 1. *de hæret. in* 6. *qu.* 12. *numero* 2. *& ſeq.* ac Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 47. *rubr. de pœnitentibus & converſ. numero* 30. ubi contrariam opinionem crudelem vocat, & ab omnibus ferè damnatam.

In carcerem conjectus, ac ſponte confeſſus ſuum crimen, etiam poſt teſtium depoſitiones contra eum receptas, ſi crimen merebatur mortem evadit hanc pœnam, & ei commutatur in carcerem, vel in relegationem, aut exilium, vel in pecuniariam, vel ſimilem, Si Regularis ſit, puniri ſolet vel pœna carceris, vel privatione vocis activæ & paſſivæ, ac munere concionandi & audiendi confeſſiones, vel quod ultimum locum inter cæteros Regulares teneat, vel aliis pœnitentiis ſalutaribus, habita ratione ad qualitatem perſonæ & gravitatem delicti. Si autem non merebatur mortem, ſed pœnam triremium, non ad triremes, ſed ad carcerem, vel quid ſimile condemnatur, ſemper benignius, & mitius ac ſi non convictus, ſed confeſſus damnaretur, & nunquam imputabitur inter impenitentes. Ac etiamſi fuiſſet formalis hæreticus, non amplius exiſtimatur talis, dum per confeſſionem ſpontaneam oſtendit, ſe paratum corrigi, ac emendari. Non enim datur hæreſis ſine pertinacia.

Atque ita ex generali conſuetudine S. Inquiſitionis teſtantur Albertin. *in reper. dict. cap.* 1. *de hæret. in* 6. *quæſt.* 12. *numer.* 2. & 3. Oſt. *dict. §. qualiter numer.* 3. Repertor. Inquiſ *v. miſericordia.* Zanchin. *de hæret. cap.* 16. *numer.* 5. *& ſeq* ac Pegna *p.* 3. *com.* 12. *verſicul. Poſtremo.*

Videns item ſe eſſe convictum, & ad mortem condemnandum, ſi ex corde pœnitens confiteatur ſuum crimen ante torturam, evitat pœnam mortis, quæ illi commutatur in carcerem. Quia nemo delinquens hæreticali crimine, ſi ex corde pœniteat, traditur Curiæ ſeculari, dum crimen ſuum ſponte confitetur, ut per Eymeric. *p* 3. *direct. num.* 202. ubi Pegna *& p.* 2. *com.* 8. *verſ. unus autem.*

Sic etiam, qui in tortura confeſſus eſt ſuum crimen, & poſt torturam ſponte illud ratum habet recipitur ad miſericordiam ita, ut non condemnetur ad mortem. Quia ſubſequens ſpontanea ratificatio tollit metum torturæ, ac præcedentem confeſſionem ſpontaneam reddit, & quandocunque ante Iudicis ſententiam ex corde pœniteat, & ſpontè integrè fateatur, ad miſericordiam recipitur, & pœnam mortis evadir, ut per Simanch. *de cath. inſtitut. dict. titul.* 47. *numero* 45. *& ſeq*, & in Enchirid. *titul.* 58. *numero* 54. Burſat. *conſil.* 90. *numero* 34. Calder *de hæret. rubr. de redeuntib. numero* 10. Oſt. *d. §. qualiter numero* 135. & Farinac. *d. quæſt.* 193. *numero* 29. *&* 59.

Pariter hæreticus impœnitens, & negativus, ſi priuſquam ad tabulatum producatur, vel in ipſo tabulato productus convertatur, & ſe offerat abjurare ſuam hæreſim, admittitur ad miſericordiam, ita, ut non tradatur Curiæ ſeculari ex Pegna *p.* 3. *tom.* 42. *nu.* 175. Si verò impœnitens extiterit, aut negaverit, non ſolum antequam producatur ad tabulatum, ſed in ipſo tabulato admonendus eſt, ut reſipiſcat, & convertatur. Nam adhuc durat tempus miſericordiæ, & ſi converti ſe velle dixerit, ad carcerem eſt reducendus, & ad pœnitentiam admittendus. Si verò in ſua pertinacia, & impœnitentia perſeveraverit, legenda eſt ſententia, & Curiæ ſeculari tradendus, ut igne in conſpectu populi combuſtus, debitas impœnitentiæ pœnas luat.

Hæreticum verò ſemel, ac iterum monitum, ac in ſua hæreſi pertinacem, ſi poſt latam mortis ſententiam & traditus Curiæ ſeculari ad fidem convertatur, eſſe admittendum ad miſericordiam omnes conveniunt, ſed non circa modum. Zanchinus *de hæret. d. cap.* 16. *numero* 4. ait, quod recipitur quidem ad miſericordiam, ſi convertatur poſt latam ſententiam ita, ut evitet pœnas animæ, non autem corporis. Ejuſdem ſententiæ eſt Abb. *in cap. excommunicamus* 1. *numero* 10. *de hæret.* Anania *ibidem numer.* 7. ubi aſſerunt, quod hæreticus traditus Curiæ ſeculari non amplius eſt illi pœna mortis remittenda.

Benignius tamen ſe gerunt Eymeric. *p.* 3. *num.* 204. *rubr. decimo modo terminandi proceſſ. fid.* ubi disertè inquit, quod quando impœnitens ducitur ad ſupplicium, debet aſſociari ab aliquibus viris probis, ac fidei zelatoribus, qui eum inducant, & ſuadeant ad fidem catholicam, & ſi reſilire, pœnitere, & abjurare ſe velle dixerit etiam ligatus ad palum, ut comburatur, debet ad miſericordiam recipi, & ut pœnitens hæreticus perpetuò immurari, licet huic converſioni non magna ſit adhibenda fides. Hoc idem docent Simanch. *de cath. inſtitut. dict. titul.* 47. *numero* 73. Decian. *tractat. crimin. lib.* 5. *capit.* 39. *numero tertio & capit.* 54. *numero pariter tertio*, Campeg. ad Zanchin. *dict. capit. decimo ſexto lit. B.*

Farinacius

Farinacius autem *loc. cit. numer.64.* cautioribus utitur conſiliis dum ait: Licet inter Doctores controvertatur, an pœnitentes hæretici ad miſericordiam recipiendi ſint poſt ſententiam, id tamen remittendum videtur arbitrio Inquiſitoris & Epiſcopi, qui bene conſiderabunt, an iſtius pœnitentis melioris futuræ vitæ ſpes aliqua adhibenda ſit juxta illius perſonæ qualitatem, & an ſemel tantum, an verò pluries, vel diù in hæreſis perſeveraverit, & alias ſimiles circumſtantias. Idemque ſentiunt Campeg. *loc. alleg.* Ghirland. *de haret. q.* 5. & Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ.* 173. *nu.* 3. *& ſeq.*

Hæreticus autem pertinax, ſi poſtquam traditus eſt Curiæ ſeculari, dicit ſe pœnitere velle, & alios ſuæ hæreſis complices revelare, eſt reſtituendus Inquiſitoribus, ut plenariam confeſſionem faciat, & omnes complices revelet. An verò ſit iterum brachio ſeculari tradendus, & morte puniendus, Suarez *de fid. diſp.* 23. *ſect.* 2. *numero* 16. Fagundez *in decal. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 25. Eymericus, Smanchas, & Decianus locis allegatis docent non eſſe iterum brachio ſeculari tradendum, ſed perpetuo carceri. Tum quia veram, & integram confeſſionem fecit coram Inquiſitoribus, ſuamque hæreſim deteſtatus eſt, & abjuravit. Tum quia Judices ſeculares juri ſuo videntur renunciaſſe, dum reum ſibi traditum, ipſis Inquiſitoribus remittunt. Ac tum quia æquum non eſt, ut qui jam nec impœnitens, neque relapſus eſt, iterum ſeculari foro tradatur, & morte tanquam ſi impœnitens fuiſſet, puniatur

At Pegna *p. 2. com. 36. verſ.* Poſtquam, Zanchin, *cap.* 16. *numero* 4. ſuſtinent, eſſe iterum Curiæ ſeculari tradendum, & ad miſericordiam eſſe admittendum quod ad animam, & ad ſacramenta confeſſionis, & Euchariſtiæ recipiendum duntaxat. Quia hujuſmodi confeſſiones non præſumuntur fieri vero & non ficto corde, & ob dolorem peccatorum, ſed metu mortis imminentis. Eo magis ſi ante ſententiam, & priuſquam traderetur Curiæ ſeculari, omnis ſit adhibita diligentia, ut converteretur, & experientia ſæpe docuit, hos homines, ad veniam receptos, deteriores fieri.

In hac Doctorum varietate cenſeo, relinquendum id eſſe prudenti arbitrio Inquiſitorum, qui ob varias & graves circumſtantias delinquentium, amplectentur illam opinionem, quam magis expedire judicaverint.

CONSULTATIO CXLIX.

De Confeſſione Sacramentali rei, de hæreſi inquiſiti, & in carceres conjecti, ubi Effata de Confeſſariis.

CArceratis in S. Officio toties confeſſarios eſſe concedendos, ait Pegna *p. 2. com. 25. verſicul. Ac primum* quoties ipſi illos petierint. Quia hoc valde prodeſſe poteſt, ut à confeſſariis moneatur, & excitentur ad libere Inquiſitoribus confitendum ſua delicta. De hac re Madriliana inſtructio anno 1561. *cap.* 71. ſcribit ad hanc ſententiam. *Si petierint Confeſſarium debet eis concedi, qui ſit ſpectata probitatis & de quo plurimum confidatur, à quo juramentum exigatur de cuſtodiendo ſecreto, & quod ſi pœnitens ei dixerit aliquid in confeſſione, quod velit revelari extra carceres, ne in hoc ei ullo modo obtemperet, nec ſimilia mandata revelet. Quod ſi extra confeſſionem ei fuerit aliquid injunctum, id inquiſitoribus manifeſtabit. Ad hæc Inquiſitores Confeſſarium inſtruant, qualiter ſe gerere debeat cum pœnitente, ut videlicet dicat ei quod cum ſit pro hæreſi carceratus, ac de ea reus accuſatus, non poteſt abſolvi, niſi judicialiter hæreſim ſuam manifeſtet. Et cætera relinquentur judicio, & conſcientiæ Confeſſarii, qui debet eſſe doctus, ut intelligat id, quod in cauſa tali fieri conveniat.*

At Simanchas ſeveriori judicio exiſtimat, ejuſmodi carceratis non eſſe concedendum Confeſſariorum copiam, niſi plene Inquiſitoribus ſuas hæreſes, ac delicta fuerint confeſſi, aut in extremum venerint vitæ periculum. Quia, cùm ii, prudente inquiſitione, reputentur hæretici, indigni videntur tanta benignitate.

Hanc ſententiam puto ſequendam eſſe, eamque videtur approbaſſe S. Congregatio his ſubjectis declarationibus: Carcerati S. Officii pendente cauſa juxta ſtylum ſacramenta non percipiunt. 23. Decembris 1615. carcerati quando ſunt in confeſſis, poſſunt confiteri, & abſolvi in foro conſcientiæ, 12. Martii 1556.

Quod ſi reus ſit ægrotus, ſed non in articulo mortis Confeſſarius non debet illum ſacramentaliter confiteri, & abſolvere niſi prius judicialiter Inquiſitoribus ſatisfaciat, & ad id omni cum diligentia eum perſuadere debet. Et, ſi ille hoc fecerit priuſquam moriatur, reconciliabitur Eccleſiæ, & cum fuerit judicialiter abſolutus, tunc confeſſarius eum abſolvat ſacramentaliter. Si autem reus iſte nedum ſit ægrotus ſed ſit in articulo mortis conſtitutus, neque in ſtatu in quo examinari poſſit, & judicialiter confiteri coram inquiſitoribus, vereque ſit contritus, & paratus obedire mandatis Eccleſiæ, abſolvendus erit ſacramentaliter, ut habetur in Concilio Arauſicano *I. can.* 2. quia juxta decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. in tali caſu nulla eſt reſervatio. Atque ita etiam declaravit ſæpius eadem S. Congregatio præcipuè ſub die 14. Septembris 1617, his verbis: Carceratis S. Officii, qui, factâ ſuorum criminum confeſſione, nondum tamen publicata ſententia in mortis periculum dilabuntur, poteſt adminiſtrari Sacramentum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſi illam petant per modum viatici, & oſtendant, ſigna pœnitentiæ. Et 23. Februarii 1627. Duobus carceratis in S Officio Urbis, ſtante eorum adverſa valetudine, conceſſus fuit Confeſſarius, qui eos abſolvit in foro conſcientiæ. De quibus & nos *alibi.*

Si verò carceratus ſuum hæreſis crimen manifeſtavit Sacerdoti, non in ordine ad confeſſionem ſacramentalem, ac pœnitentiam, ſed ſub ſecreto, ac proteſtatione illud nunquam revelandi, ſi producatur, ille in teſtem, debet illud deponere ac veritatem revelare, ut per Innoc. *in cap. qualiter & quando* 1. *de accuſ.* ibique communiter Doctores, Panormit. *in cap. ſi ſacerdos de offi. ordin.* Felin. *in cap. intimavit. de teſtib.* & D. Thom. *in* 4. *ſent. diſt.* 21. *quæſt.* 3. *artic.* 1. Nam quod vergit in magnum Reipublicæ detrimentum, obligantur omnes ſub peccato mortali revelare, nullo obſtante pacto, juramento, voto, ceu docent D. Thom. 2.2. *q.* 70. *art.* 1. Sot. *lib.* 5. *de juſt. q.* 5. *art.* 2. & in hac ſpecie Royas *ſingul.* 5. *num.* 15. ac Fulcod. *in conſult. ad Inquiſ. q.* 8. *lit. B.* Crimen autem hæreſis maximè tendit in Eccleſiæ ac Reipublicæ detrimentum. Solumque excipitur quando crimen auditur in confeſſione ſacramentali in ordine ad abſolutionem. Tunc enim nullo modo revelari poteſt, ne quidem propter quodcunque ſcandalum vitandum, ut conſtat ex uſu & traditione perpetua Eccleſiæ & ex D. Gregorio *in can. ſacerdos de pœnit. d.* 6. *& ex cap. omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* ita, ut neque hæretici hoc unquam negaverint, & ideo non fuerit neceſſaria peculiaris definitio Concilii Tridentini in hoc articulo.

Idque non ex eo, quod, ſi Sacerdos revelaret confeſſionem, mentiretur, cum ipſe non ſciat ut homo, ſed ut

gerens vicem Dei, quæ poſtea, ut homo manifeſtat. Primo quia, licet id ſciat, ut gerens vicem Dei, ipſe tamen id ſcit. Secundò quia, ſi diceret ſaltem, ſe illud ſcire, ut gerentem vicem Dei, non mentiretur. Tertio, quia ſi ea eſſet ratio, ne de licentia quidem pœnitentis poſſet illam revelare ſine mendacio. Quartò quia non revelata perſona, poteſt aliquando revelare peccatum auditum abſque peccato, atque adeo non mentitur dicendo illud, quod ſolum ſcit ex confeſſione.

Neque ex eo, quod revelatio opponeretur ſignificationi ipſius Sacramenti, quia Deus in hoc ſacramento tegit peccata pœnitentis juxta illud: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, & hoc ipſum ſignificatur per ſecretum quod Sacerdoti imponitur. Nam eſt mera congruentia moralis, alioquin neque ex licentia pœnitentis poſſet revelari confeſſio, ſi hoc eſſet contra ſignificationem Sacramenti. Nec ullo modo probatur talem ſignificationem eſſe eſſentialem huic ſacramento, cùm verba formæ ſolum ſignificarent abſolutionem, & remiſſionem, & aliunde non ſit contra ſubſtantiam hujus ſacramenti, quod confeſſio ſit publica.

Minus id deduci poteſt ex obligatione juris naturalis ad ſervandum ſecretum in rebus ſub ſecreto commiſſis. Nam licet hæc ratio probet obligationem ſecreti, non tamen talem, ac tantam quæ ſit quaſi ſuper omnia; & in nullo caſu relaxari poſſit, cùm ſecretum naturale in aliis materiis non obliget cum tanto rigore.

Minus ex eo, quod alii dicunt, nempè ſcientiam ex confeſſione habitam, eſſe ſacram, & ſuperioris, ordinis, quæ ad ſolam ſalutem pœnitentis ordinatur, atque ideo non poſſe licitè ordinari ad alios fines extrinſecos, & inferioris ordinis. Nam contra hoc eſt, quod non eſt intrinſece malum, cum ſuperioris, ordinis ordinare ad res alioquin bonas, & honeſtas inferioris ordinis, maxime ut ad finem inadæquatum, & ſecundarium, ſicut Eucharistia, & Miſſa ordinantur ad impetrandum remedium neceſſitatis temporalis. Ac demum, quia liceret revelare confeſſionem aliquando, ſaltem propter bonum ſuperioris, vel æqualis ordinis, exempli gratia propter converſionem alicujus Regni, aut propter ejus conſervationem in fide catholica.

Sed ex illa præcipua, & magis communi ratione, quæ deſumitur ex reverentia debita ſacramento, cui fieret injuria revelando confeſſionem. Nam ſi homines ſcirent, Confeſſarium poſſe confeſſionem revelare retraherentur ab illa. Conſtat enim de facto excuſari pœnitentem à confeſſione ſui peccati, quando prudenter timet confeſſarium non obſervaturum ſigillum, conſtatque ex hiſtoria, quod apud Abiſſinos, vel Æthiopes hoc ſacramentum ferè abiit in deſuetudinem propter malitiam Sacerdotum, qui ſigillum religiosè non obſervabant. Quarè cum Chriſtus voluerit obligare omnes fideles ad manifeſtandam integrè ſuam conſciētiam apud Sacerdotem, nihil ei celando, oportebat, ut ex parte Sacerdotis eſſet obligatio talis, quæ omnino adimeret pœnitenti metum publicationis, & revelationis, ne ab hujus ſacramenti uſu adeò neceſſario retraherentur. An autem hæc obligatio oriatur ex jure naturæ, ſuppoſita inſtitutione, & obligatione hujus ſacramenti, an verò ex præcepto Chriſti poſitivo ſuperaddito diſceptant Vaſquez *q.93.art.4.dub.1.n.10.* Coninch. *diſp.9.dub* 2. Suarez *ſect.1.n.10.de ſigillo.*

Atque hinc, ſi Confeſſarius ſive imprudenter, ſive malitiosè crimen delinquentis in ſacramentali confeſſione auditum Inquiſitoribus revelaret, non eſſet illi adhibenda fides, cùm dictum talis confeſſarii nullam faciat fidem, ut habetur expreſſe in Synodo celebrata ſub Carolo Magno, referente Martino Victorio *de ſacram. Confeſſ* in hæc verba: *Si fore Sacerdos peccatum ſibi in Confeſſione Eccleſia patefactum, revelaverit, præter depoſitionem, & alias pœnas, credi ei non debet, quia revelando delinquit, & delinquens, tanquam infamis à teſtimonio ferendo, in eo præſertim, in quo teſtando peccat, rejicitur.* Idemque decernitur in Concilio Africano *can.* 99. & Concilio Carthag. 7. *can* 5. ut tradunt Burchard. *lib.* 19. *decr. can.* 127. & Gratian. *can. placuit* 6.*q.*2. Immò ejus dictum ne judicium quidem aliquod facit contra reum, ſed ipſe eſt graviter à ſuo Judice puniendus, ut *in can. ſacerdos de pœnit. d.* 6. & *cap. omnis utriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* de quo nos alias late.

Hæreticus autem & quicumque alius reus S. Officii in articulo mortis converſus ſacramentaliter confeſſus, & à ſacerdote abſolutus, ſi poſtea convaleſcit, non cenſetur in Sancti Officii Tribunali etiam abſolutus. Quoniam abſoluti in foro pœnitentiali interno, non intelliguntur abſoluti in foro judiciali externo, & pœna impoſita à Confeſſario in foro pœnitentiæ quantumcunque ſit magna; nunquam tollit pœnam imponendam in foro externo per Gloſſ. *in c. gaudemus v. poterit de divort.* Caſtr. *in l. cunctos populos C. de ſum. Trinit. & fid. cath. numero* 7. Gloſſ. *in fin. cap.* 2. *de ſchism.* ibique Panor. Cardinalis, ac cæteri Gloſſ. *in cap. de his in fine de accuſ.* ubi Abbas aliique Doctores, ac expreſsè declaravit, decrevitque Gregorius XIII. in Bulla Jubilæi edita anno 1572. cujus hæc planè ſunt verba: *Declaramus tam præſentes, quam alias quaſcunque ſuper conceſſione ſimilium, vel diſſimilium indulgentiarum à nobis, & à prædeceſſoribus noſtris hactenus emanatas, & in futurum quomodolibet emanandas litteras Chriſti fidelibus ipſis niſi in foro conſcientiæ, ac pœnitentiali tantum, non autem in foro fori, & contentioſo, niſi ſatisfecerint his, propter quæ cenſuræ hujuſmodi in eos latæ fuerint, nullatenus ſuffragari, eoſdemque Chriſti fideles illis juxta noſtræ declarationis formam, & tenorem, & non aliter, nec alio modo uti, aut eis ſe juvare, poſſe, ac potuiſſe. Quinimo eos in eaſdem cenſuras poſtmodum incidiſſe, & in poſterum reincidere; ſicque ab omnibus quavis auctoritate fungentibus cenſeri ac judicari debere, irritumque & inane quicquid ſecus à quoquam quovis prætextu, aut colore ſcienter, aut ignoranter attentum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, non obſtantibus contrariis quibuſcunque &c.*

Nam pœnitentia fori anterioris & ſacramentalis ſolum tendit, ut pœnitens ſatisfaciat Deo, & animæ ſuæ. Pœna autem fori externi & judicialis ſpectat ad punitionem corporis ipſius delinquentis, & ad vindictam publicam, ut ita etiam bono communi ac Reipublicæ ſatisfaciat, quam ſuo malo exemplo, cùm delinquerit, offendit, ut colligitur ex *cap.* 2. *de maledic.* & ibi notant Abbas, aliique Canoniſtæ. Hinc abſolutus in articulo mortis ab excommunicatione reſervata, ſi mortem evaſerit, tenetur Superiorem adire, ut ab eo abſolvatur, aliàs iterum incideret in excommunicationem. Atque adeo reus hæreſis abſolutus in mortis articulo à cenſuris, ſi ſalutem poſtea obtineat, & ſtatim ſponté in S. Officio compareat, ſuaque crimina, & illorum complices integrè ac verè fateatur, gaudet impunitate ſponte comparentiūm eo modo, quo ſupra dictum eſt. Si verò ſponte non compareat abſolutio ab excommunicatione in articulo mortis obtenta, non ampliùs ei ſuffragatur, quia iterum in illam incidit, & conſequenter ejuſdem pœnæ redditur reus, ac ſi antea non fuiſſet abſolutus, quemadmodum docent Zanchin. *de hæret. cap.* 34. ibique Campegius *Repertor. Inquiſ. v. abſolutio §. ſed & abſolutio, & v. Confeſſio §. Verum ſi in foro*, Locat. *in Judicial. v. abſolvere n.* 1. *& v. hæreticus numero* 24. ac Pegna *p.* 2. *direct. com.* 25. *verſ. Rurſus.*

Notat

Notat tamen Pegna *loco cit. verſ. illud. moneho*, multum eſſe minuendam pœnam in ſoro exteriori, quoties is, qui punitur, confeſſus fuit in foro interioti abſque dolo ſuum crimen, ac obtinuit, abſolutionem, maximè ſi injunctam ſibi pœnitentiam humiliter adimpleyit, cùm ſatis appateat huic culpam ſuam diſplicuiſſe.

An autem procedendum ſit in foro judiciali contra inquiſitum de hæteſi defunctum, ſi plures teſtes deponant, eum hæreticum impœnitentem deceſſiſſe, & confeſſarius ſolus, teſtatur, antè mortem illum pœnitentem abſolviſſe, ſupremum Tribunal eſt conſulendum. Nam, quod credendum ſit confeſſario, atteſtanti de pœnitentia defuncti, tenet Gloſſa *in cap. nuper nobis, v. niſi juratus de teſtib.* & *in cap. teſtimonium v. in. hoc caſu eod tit.* ubi ait, quod vim quis vult probare, ſe egiſſe pœnitentiam ſatis eſt, ſi id probet per confeſſarium ſuum. Tum quia ſicut ratione Officii creditur Notario in iis, quæ ad ſuum munus pertinent, *cap. ad audientiam de præſcript.* ubi Abb. *num. 6.* ita videtur Sacerdoti credendum. Et tum quia non refert Sacerdotem eſſe unum teſtem in hoc caſu. Nam uni ſoli teſti ſpectatæ fidei, ac probitatis credendum eſſe, tradit Grammat *conſ. 13. num. 15.* Tum etiam quia clementiæ prærogariva, & favor hoc videtur poſtulare, præſertim cum in hoc crimine proniores eſſe debent Inquiſitores ad abſolvendum, quàm ad condemnandum. Tum demum quia non eſt veriſimile in Sacramento confeſſionis ubi omnia poſtulantur integra, juſta, divina, aut confitentem, aut confeſſarium uſque adeo futuros ſuæ ſalutis immemores, ut mendacium dicere audeant.

Contra verò eſt primo quia non videtur facile in re tam gravi ſtandum eſſe potius dicto unius, quàm teſtibus aliis, ac indiciis legitime probatis. Secundo quia Inquiſitores propter dictum Confeſſarii non debent recedere ab iis, quæ ordine judiciario probata ſunt in contrarium, præſertim cùm communis ſit, ac recepta tam Theologorum, quàm Iuriſperitorum ſententia ſecundum allegata, & probata judicandum eſſe non autem juxta privata dicta & indicia, ut docet etiam D. Thomas 2, 2. *q. 67. ar.* 2. Tertiò quia, ſi adhibenda eſſet fides Sacerdoti teſtificanti de pœnitentia defuncti, idem dicendum eſſet de teſtificante pœnitentiam vivi, & delinquentes, ut pœnas hujus criminis effugerent, facile attentarent mendacium in ſacra confeſſione dicere, ac. fingere ſe pœnitentes, ut poſtea confeſſarius ad Judices eos excuſaret.

Ex his rationibus aio cum Pegna *p. 2. d. Com. 25. verſ. Ergo tutius eſſe*, ut non credatur Confeſſario, ſed ut ordine judicii juxta allegata & probata legitime procedatur.

Eſſata. Confeſſarius non debet cogi ad revelandum aliquid, etiam de licentia ipſius pœnitentis. Immo de hujuſmodi examine nulla debet fieri mentio in dedecus confeſſionis, neque in Tribunali S. Officii, neque in aliis 12. Auguſti 1557.

Confeſſiones ſacramentales audiens abſque approbatione, non à S. Officio, ſed ab ordinario punitur. 12. Aprilis 1601.

Propoſitio iſta; confeſſio poteſt fieri per litteras, vel internuncium confeſſario abſenti, & ab eo abſente abſolutionem obtinere, fuit declarata temeraria, falſa, & ſcandaloſa, & de hac propoſitione tractans eſt excommunicatus, & abſolutio eſt reſervata Papæ 20 Junii 1602. & 27. Julii 1605. Et confeſſio ſic facta eſt nulla 13. Novembris 1603.

Confeſſiones audiens ſuſpenſus ab alio, quàm à S. Officio, non punitur in S, Officio 30. Junii 1610.

Non confitentes debitis temporibus puniuntur ab Ordinariis, non à S. Officio 27. Octobris 1611.

Confeſſarii petentes, ac recipientes pecunias à pœnitentibus pro commutatione votorum, ſibique illas applicantes, puniuntur ab Ordinario, non autem à S. Officio 3. Octobris 1613.

Confeſſarius filiam ſuam ſpiritualem cognoſcens, non punitur in S. Officio, ſi confeſſione, vel confeſſionario non fuerit abuſus, 4. Decembris 1614.

Confeſſarii, etiam Regulares præcipue Jeſuitæ, non accedant ad domos mulierum, præſertim pœnitentium ſine urgenti, & neceſſaria cauſa. Non audiant earum domi confeſſiones occaſione infirmitatis, niſi aliquo præſente, non tamen audiente. Non agant in Confeſſionario, niſi de ſpectantibus ad Sacramentum Confeſſionis, neque concedant licentiam accedendi ad Sacramentum Euchariſtiæ, niſi prævia reconciliatione 11. Aprilis 1619. & 23. Januarii 1620. & 2. Februarii ejuſdem anni. Idque innovatum 30 Novembris 1623.

Ne Confeſſarii abſolvant exigentes vectigalia, & impoſitione ab Eccleſiaſticis, non pertinet ad S. Officium providere 22. Aprilis 1620.

Confeſſarii non poſſunt abſolvere pœnitentes, qui moniti recuſant denunciare illos, quos ſciunt eſſe hæreticos, vel ſuſpectos de hæteſi, licet dicant, ſe illos correxiſſe, vel eſſe dubios, an ita ſit 3. Februarii 1624.

Confeſſarii Societatis Jeſu, moneantur à P. Generali ne retineant ſcripta continentia peccata pœnitentium 27. Martii 1624.

Confeſſarii Monialium non concionentur in loco, ubi audiunt confeſſiones Monialium 1631.

Confeſſarii regulares non habent facultatem abſolvendi duellantes 1639.

De confeſſario ſollicitante revelante confeſſionem, audiente confeſſiones non promoto alibi diximus.

CONSULTATIO CL.

De Teſtibus contra reos S. Officii, ubi eſſata ad rem hanc haud vulgaria. An omnes teſtes inhabiles in cauſa fidei admitti debeant? Et qui?

SUnt qui eſſuriant ſententiam illam vulgarem, qua dicitur, quoſcunque, quamlibet ſceleratos homines, in hæreſis negotio, fidei, Religioniſque noſtræ confirmandæ gratia ad dicendum teſtimonium admitti, eſſe ineptam, abſurdam, piiſque hominibus pernicioſam, injuriamque maximam eos chriſtianæ Religioni facere, qui tam iniquæ ſententiæ ſunt autores, aut defenſores; hoc enim eſt calumniandi materiam hominibus præſtare. Nam quis tam pius, ac fidelis eſt, qui ſi perditorum ac diſſolutorum quorumcunque teſtimonio impeti poſſit, non tandem confundatur. Sanè quemadmodum crimen hæreſeos & violatæ Religionis diligenter coercendum eſt, ne indulgentiæ facilitate latius graſſetur, ita prudenter animadvertendum, ut non in occaſione, ſed in veritate habeatur *S Famoſi ff. ad leg. Jul. majeſt.* quia ſcilicet graves ſint, & idonei teſtes, ac Iudices, qui & rem tantam intelligant, & eò non iniquo animo defendant, ne alioqui hoc ſpecioſo prætextu contingat optimos quoſque viros, ſordidorum, nefariorumque hominum conjuratione opprimi, vel crudeliter divexari, ſed & illud ſapientes Iudices curare debent, ut purum Dei cultum ac ſinceram Religionem tueantur, eoſque profligent qui impias incredunt ſuperſtitiones, & blaſphemias.

Hinc aiunt, quod conſtitutio Alexandri IV. Pontificis *cap. in fidei favorem de heret, in. 6.* non dicit id, ad quod vulgò citari ſolet, quoſcunque inhabiles ad dicendum teſtimonium in crimine hæreſis admitti, ſed excommunicatos, & participes criminis. Quod genus perſonarum alioqui ad teſtimonium capax, cùm Ponti-

tificia lex ſingulari jure in negotio Inquiſitionis hæreticæ pravitatis admiſerit, cœteras inhabiles perſonas, juris communis diſpoſitioni reliquiſſe videtur, *l. quod Labeo ff. de contenſat. l. maritus C. de procur.*

Illudque etiam conſiderandum, non abſolute, ac ſimpliciter, ſummum Pontificem ſocios criminis, & excommunicatos ad teſtimonium admiſiſſe, ſed cum temperamento, ſi videlicet, *ex verſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis, ſic teſtificantes falſa dicere non præſumantur.* Quid enim ſi nonnihil Evangelio, aut ſacroſanctis Eccleſiæ inſtitutis repugnans in publica concione, ubi erat frequens hominum multitudo dixiſſe quiſpiam accuſetur; An non nefarium eſſet malæ ac reprehenſibilis vitæ homines ignaros, & indoctos audire? auditoſque in teſtimonio anteponere inculpatæ vitæ viris, ac peritis hominibus, qui aliter concionatorem dixiſſe teſtarentur? Nonne hoc eſſet viam injuriis & calumniis præſtruere? Eorum probare teſtimonium quorum fidem leges ſuſpectiſſimam habent? *l. 4. in princ. ff. de teſtib.* quorumque teſtimonia jus ipſum paſſim rejicit *capit. licet de for. comp. capit. teſtimonium*, & *capit. ſuper eo de teſtib.* & illorum teſtimonia prorſus abjicere quorum integritas omnem aufert ſuſpicionem *l. non omnes §. à barbaris ff. de re milit. l. ſi à bonæ fidei ff. de rei vend.* non eſſet profectò hoc fidei favor, ſed contumelia Chriſtum afficere, & quod in Religionis noſtræ gratiam introductum eſt, in grave Chriſtianorum detrimentum detorquere *clem. 1. in princ. de hæret.* in fide noſtra majus verſatur periculum, proindeque cautius tractandum negotium, *capit. ubi periculum de elect.*

Ecommunicati autem, licet à teſtimonio judiciali regulariter arceantur *capit. veniens 2, in fine de teſtibus cap. decernimus de ſent. excom. in 6.* non tamen ideo, quod eorum fidem majores noſtri ſuſpectam habuerint, cùm in inſtrummentis, contractibus, & aliis negotiis, præterquam in judicialibus, teſtes eſſe non prohibeantur *d. capit. decernimus*, Innoc. *capit. pia de except. in 6.* Bald. *l. 1. col. 4. C. de hæred. inſtit.* ſed quoniam in judicio nullo modo conſiſtere poſſunt, *cap. intelleximus de judic. & d. cap. decernimus.* Quare ob id, quod lex excommunicatorum teſtimonia in hæreſis negotio favore fidei receperit, non eſt temere putandum, turpe eſſe notatæ vitæ homines, quorum fides ſuſpicione non caret, ad dicendum teſtimonium in ea cauſa admitti, cùm in illis non ſit eadem, quæ in excommunicatis ratio.

Quod præterea addit Summus Pontifex de ſociis, & participibus criminum *d. c. in fidei favorem*, aliam rationem habet, ut ſcilicet veritas criminis illuceſcat, quam plerumque cõtingit per ejuſmodi perſonas duntaxat haberi poſſe. Quare, ne tam gravis culpa occultari poſſit, conſtitutum eſt, participes criminis admitti *d. cap. in fidei favorem*, at non ideo ſequitur, quoſcunque infames, & notatos homines ad idem teſtimonium recipi *l. quod vero contra ff. de legib.* Nam & aliis caſibus ſocii criminum audiuntur, ut contra latrones inſignes *l. provinciarum C. de fer.* falſos monetarios *l. 1. C. de falſ. monet.* maleficos *l. fin. C. de malef. & mathemat.* reos criminis ſimoniæ, *can. ſiquis Papa 79. d.* & læſæ majeſtatis *can. fin. 15. q. 3.* Quibus tamen conſtat non admitti teſtes, quorum fides explorata non ſit, & indubitata *l. fin. C. de probat l. 3. §. 1. ff. de teſtib.* Sed nec tunc ſociis criminum omnino ſtatur, faciunt enim tantum eorum teſtimonia præſumptionem, ſi non alia præcedant judicia, Accurs. *l. fin. ff. ad exhib.* Gloſ. *d. can fin. 15. q. 3.* diffuſe Panormitanus ac cœteri *in cap. 1. de confeſſ.*

Non obſtat prædictis, quod Innocentius tertius ſcripſit, in crimine ſimoniæ exceptiones furti & adulterii contra teſtes non admitti *capit. per tuas de Simon.* Hoc enim ibidem Summus Pontifex verum eſſe ita interpretatur, ſi ſubſint alia adminicula, quæ dictis teſtium ſuffragantur, tum & illud abjiciens, exceptiones hujuſmodi legitime probatas fidem teſtium debilitare, licet eam ex toto non evacuent, ubi præſertim teſtes exactæ malæ vitæ pœnituiſſet. Nam præterea verum eſt, quod adjiciebatur, perjuros in cauſa hæreſis dictionem teſtimonii habere, niſi uno caſu cùm obtectam, & celatam à ſe veritatem revelare volunt, tuncque ſi evidentiſſimis argumentis apparuerit, eos non malo animo, ſed zelo fidei orthodoxæ teſtimonium dicere *cap. accuſatus §. licet de hæret. in 6.*

Denique fallantur qui omni caſu putant, Judæorum teſtimonia in hæreſis negotio recipi, cùm id tantum Bonifacius Pontifex permittat adverſus Chriſtianos, qui ad Judaiſmum tranſierant *cap. contra Chriſtianos de hæret. in 6.* Atque hæc à quibuſdam temere ſunt effutita.

His tamen minime attentis, tenendum omnino eſt, in S. Inquiſitionis Tribunali non excludi à teſtimonio in cauſa fidei, niſi excluſos à jure naturæ, ut infantes ante uſum rationis, furioſos tempore furoris, ſed admitti omnes teſtes, etiam alias inhabiles, exceptis ſolum inimicis per textum *in d. cap. in fidei favorem de hæret. in 6. cap. accuſatus §. licet de hæret. eod. lib. cap. fin. ubi Abb. num. 4. de teſtib.* & docent Squillac. *de fid. cath. capit. 34.* Simanch. *inſtit. cath. capit. 34. numer. 17.* Alph. Guerrer. *in theſaur. Relig. Chriſt. tit. de hæret. num. 21.* Locat. *in Iudicial. Inquis. v. exceptio numer. 4. & v. teſtis verſ. nota*, Farinac. *de hæret. qu. 188. num. 67. & 74.* Carena *p. 3. tit. 5. numer. 2.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 15. §. 1. numer. 1.* aliique communiter. Quia crimen hæreſis eſt graviſſimum, ac Reipublicæ maxime pernicioſum, ideoque in ipſius deteſtationem teſtes, etiam inhabiles, admittuntur in favorem fidei, ut ſic facilius crimen probari, puniri, ac extirpari poſſit. Et hæc eadem recepta ſunt in graviſſimo crimine ſimoniæ, quibuſdam aliis ad eorum deteſtationem, ut *in cap. veniens, cap perſonas de teſtibus in cap. 1. eod. tit. in 6. cap. tanta eſt labes de Simon. can. ſi quis 6. q. 1. cap. 1. de confeſ. capit. per tuas de Simon.* & notat Specul *tit. de accuſ. §. 1. & ſtatim repellitur.* Huc pertinet illud Juliani neque impunita maleficia eſſe oporteat: *multa contra rationem diſputandi pro utilitate communi recepta ſunt, l. ita vulneratus 51. ff. ad leg. Aquil. l. 21. ff. de reb. cred. l. 1. ff de usucap. auth. res quæ C. commun. de legat.* Plin. *lib. 7. epiſt. 18.* In ea enim incidimus tempora, ut propter frequentiores tanti ſceleris ſuſpiciones, & ad terrorem exemplo aliquo opus eſſe videatur, ut in *l. aut facta §. ult. ff. de pœn.* Pervulgatum enim eſt, licet uſu periculoſum Caſſij Senatoris verbum apud Tacitum. Omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod publica utilitate compenſatur.

Eodemque modo, quo contra hæreticos ipſos, ſic & proceditur contra eorum receptatores, fautores, & defenſores, nec non contra infamatos de hæreſi, vel ſuſpectos, & qui eis communicant *can. didicimus §. invenimus, & can. ſchiſma 24. qu. 1.* quia inter hæreticos connumerantur *cap. excommunicantes §. credentes, cap. pen. & fin. cap. 2. §. hæretici, cap. ut officium de hæret. cap. accuſatus §. ſacerdotes eod. tit. in 6.*

Excipiuntur autem inimici cauſas expreſſa per textum *in can. ſi teſtes 4. q. 3. capit. meminimus. capit. cum oportet de accuſ. & in l. ſiquis C. de teſtib. auth. ſi teſtis §. ſi adverſus C. eod. cap. quoties aliqui de teſtib.* Farinac. *loc. cit. num. 101. can quatuor 11. qu. 4.* quia inimicus falſum deponere præſumitur, & non ex zelo juſtitiæ, ſed ex vindicta. Ideo Cn. & Q. Cœpionibus, L. & Q. Metellis teſtibus in Q. Pompeium novum hominem Judices ſapientiſſimi non crediderunt. Nam eorum virtuti, generi, rebus geſtis fidem & autoritatem in teſti-

teſtimonio cupiditatis atque inimicitiarum ſuſpicio derogavit, ut ait Cicero pro M. Fonteio, Et M. Æmilii Scauri, cujus injurati nutu prope terrarum Orbis regebatur, teſtimonio, nec in C. Fimbriam, nec in C. Memium, neque in C. Flavium, neque in C. Nurbanum creditum eſt propter inimicitias, ut notat Valerius Maximus *lib. 8. cap. 5.* qua de re infra.

Quare, licet excommunicati de jure communi non ſint teſtes habiles, *cap. veniens 2. de teſtib. capit. excommunicatus §. credentes eod.* in cauſa tamen hæreſis admittuntur ad teſtimonium per *d. cap. in fidei favorem*, ibique Gloſſa *v. excommunicati*, ubi id ipſum decernitur de ſocio criminis. Atque de his nulla eſt controverſia.

Hæretici quoque, eorumque credentes, receptatores, defenſores, & fautores, quia ſunt excommunicati, inhabiles ſunt ad teſtificandum, ſed & quatenus hæretici repellendi ſunt a dicendo teſtimonio *auth. credentes C. de hæret. l. quoniam C. eod. cap. 1. de teſtib, can. ſi hæreticus, can. non poteſt 2. q. 7.* nam, ut ait textus, *non poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extitit infidelis can. ipſa pietas 23. qu. 4.* ibi: qui enim divina teſtimonia non ſequuntur, pondus humani teſtimonii perdiderunt, *cap. excommunicamus 1. §. credentes*, ibi: nec ad teſtimonium admittatur. Etſi enim textus loquatur de credentibus, fautoribus, &c. tamen credentes etiam vere ſunt hæretici Et ideo hoc ibi adnotarunt Oſt. *num.* 19. Jo. Andr. *num.* 15. Socin. *nu.* 39. Gloſſa & Doctores, & tradunt Eymer. *in direct. p. 3. qu.* 68. ubi Pegna *numero* 117. Simanch. *cath. inſtit. tit.* 46. *num.* 57. Gloſſa & Alberic. *in d. l. quoniam num.* 1. ubi ait, hoc procedere tam de jure civili, quàm canonico. Quod cum nonnullis aliis affirmat Farinac. *de hæres. qu.* 188. *numer.* 111 Idemque dicitur de eo, qui eſt dubius in fide, qui & ipſe eſt hæreticus, & de Apoſtata à fide. Ideoq. in crimine hæreſis ad teſtimonium admittuntur, *capit. contra Chriſtianos de hæret. in* 6. ibique Gloſ. *u. infidelis.* Royas *ſing.* 189. Pal. Rub. *in alleg. hæreſ. 6. fin.* Gondiſal. *de hæret. qu.* 23. *numero* 10. Calder. *de hæret. rubr. de iis, quæ pertinent &c. num.* 8. Simanch. *loc. cit. tit.* 64. *numer.* 43. *& ſeq.* Campeg. *ad Zanchin. cap.* 31. ne pro defectu probationis tam grave crimen remaneat impunitum *l. quia in fin. C. de hæret. cap. dilecto, cap. ſignificavit de teſtib.* fruſtra reclamantibus Eymerico *d. qu.* 68. Repertorio Inquis. *u. Teſtis*, Zandrino *de hæret. cap.* 23. *n.* 12.

Neque obſtat excommunicatio, quia *ex dicto capit. in fidei favorem* excommunicati admittuntur in teſtes in cauſa fidei. Minus obſtat hæreſis, quia in cauſis exceptis, ut læſæ majeſtatis, hæretici teſtes eſſe poſſunt. Cauſa autem fidei inter exceptas eſt præcipua. Haud etiam obſtat *capit. dubius de hæret.* ubi dicitur, nec eis omnino credendum eſt, qui fidem veritatis ignorant. Quia non aſſerimus, quod hæreticus in cauſa fidei ſit teſtis omni exceptione major, & quod illi ſit omnino credendum, ſed quod admittendus ſit cum ſua inhabilitate, Et ideo Pegna *p. 3. d. com.* 117. *ad qu.* 68. rectè docet, quod hæretici dictum non facit ſemiplenam probationem, niſi concurrentibus aliis conjecturis & adminiculis veriſimilibus, ita quod ejus depoſitio non ſufficit ad torturam, neque ad capturam ſed tantum ad inquirendum, ſive ad ſumendum ſecretas informationes ſuper eo, de quo hæreticus deponit, & ſi alia ſupervenerint, tunc procedendum eſt ad ulteriora à qua ſententia non eſſe recedendum, firmat, Farinac. *q.* 188. *num.* 116. Simanch. *Cath. inſtit. tit.* 64. *num.* 43. Zech. *in ſum. p* 1. *cap.* 11. *nu.* 14. Maſcard. *de prob. concl.* 857. *num.* 9. Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp.* 8. *pun.* 15. *§.* 1. *num.* 5. Caren. *p. 3. tit.* 15. *num.* 26. Salell. *p. 1. lib. 2 cap. 2. nu.* 57 Delbene *p. 2. diſp.* 198. *numero* 10. & Conrad. Brun. *de hæret. lib 5. cap.* 10.

De Judæis autem eſt textus *in cap. contra Chriſtianos, de hæret. in* 6. in quo Judæi admittuntur in teſtes in cauſa fidei, & tradunt ibi Gloſſa, Archidiaconus, Probus, Geminianus, Franchus, ac proſequuntur Farinac. *d qu.* 188. *num.* 125. Royas *ſing.* 71. Caſtrop. Carena, Delbene & Salelles *locis allegatis.* Judæi ſiquidem ſunt idonei teſtes contra Chriſtianum tranſeuntem, vel redeuntem ad judaiſmum *ex d. cap. contra Chriſtianos*, ibique Gloſ. *v. Judæos.* Gondiſal, *de hæret. qu.* 13. *nu.* 10. Maſcard. *de probat. lib. 2. concl.* 857. *numer.* 9. & 10. inquiens, Judæum admitti in teſtem, non ſolum contra Chriſtianum in totum deſerentem Religionem catholicam, ſed etiam in uno tantum articulo delinquentem. Idemque cum Pegna tradit Farinac. *numer.* 127. Alias verò nec Iudæus, imo ne quidem Neophytus contra Chriſtianum admittitur in teſtem, quia verendum eſt, ne in eo remanſerint Iudaiſmi reliquiæ, ac propterea contra Chriſtianum ſaltem facile non eſt admittendus, ut animadvertunt Archid. *in can. conſtituit 17. qu. 4.* & cœteri, quos citat Farinac. *d. qu.* 188. *num.* 122.

Eademque eſt ratio de omnibus aliis infidelibus. Licet enim explorati juris ſit, infideles quoſcunque à teſtimonio ferendo contra Chriſtianos repellendos eſſe *d. l. quoniam C. de hæret. l. cap. 1. de teſtib. can. non poteſt. 2. qu.* 7. cum aliis ſupra deductis cum Gloſſa, Archid. Gemin. & Franc. *in d. cap. contra Chriſtianos*, Felin. *in cap. Judæis de teſtib.* Gig. *de crim. læſ. majeſt. l. 2. qu.* 10. Royas *ſing.* 190. Pegn. *p. 2. ſchol.* 10. *& p. 3. com.* 119. Nihilominus in cauſa fidei infideles admitti debent.

Quæ tamen procedunt, quando hæreticus, Iudæus, vel alius infidelis adducitur in teſtem in cauſa fidei contra Chriſtianum, vel etiam contra Iudœum, vel infidelem quando in eos proceditur juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. non autem quando in defenſionem, ut per Eymeric. *par. 3. qu.* 69. ibique Pegn. *com.* 118. & Farinac *tit. 9.* 188. *numer.* 227. Quia facile eſt, quod ejuſmodi homines in odium fidei inducantur ad excuſandum illum, qui de hæreſi inquiritur, ne delicta contra fidem puniantur. Non diſplicet tamen eidem Pegnæ ubi ſupra neque Farinacio *ibidem nu.* 137. & Simanchæ *cath. inſtit. tit.* 64. *num.* 45. quod credatur hæreticis, ſi tormèntis fatigati occultum aliquid, ac Reipublicæ chriſtianæ utile patefecerint. Quod ſi quandoque veriſimilibus conjecturis hæretici, Judæi, infideles aliquem excuſantes vera dicere videantur, non eſt iniquum illos audire. Semper enim locus eſſe debet veritati *l. Imperator ff. de probat.* & veritas opinionis eſt præponenda. Qualiter autem in aliis cauſis, vel in extrajudicialibus credi poſſit hæreticis, ac eorum teſtimonio, docet Farinac. *qu. 56. de teſtib. & d. qu.* 188. *à num.* 128. De jure canonico cùm hæretici ſint excommunicati, ne quidem in extrajudicialibus, poſſunt eſſe teſtes.

Id autem notandum eſt quod quando ejuſmodi teſtes admittuntur, jurare debent non ſuper Evangelia, quibus non credunt, ſed Judæus ſuper legem Moyſis, & infidelis ſecundum leges ſuas, ut per Imol. *in clem. 1. de teſtibus* Butr. *in proem. decretal.* Pegn. *p. 2. com.* 13. Farinac. *de teſtib. d. q.* 56. *numer.* 238. Carena *p. 3. tit. 5. §. 5. num.* 27. Juramento etiam formæ videri poſſunt apud Speculat. *tit. de juram. calumn. §. reſtat*, & apud Repertor. Inquis. *v. juramentum §. ſequitur videre*,

Quod verò ad conſanguineos, & affines, ii non ſemper repelluntur in aliis cauſis, tanquam ſuſpecti de falſitate, nec ſuſpicio abeſt, ſi ad defenſionem, aut favorem alterius conſanguinei, vel affinis adducantur, & ita & hanc cauſam neque ipſi, neque familiares, neque amaſii admittuntur, ut late Farinac. *de teſtibus qu* 53. & 54. quamvis, ubi veritas aliundè haberi non poſſit, domeſtici & familiares admitti poſſunt. Ubi autem agitur contra conſanguineum neque admittuntur, nec cogi poſſunt ad teſtificandum conſanguinei aſcendentes ac deſcendentes in infinitum, & univer-

ſim

ſim conſanguinei, domeſtici, & familiares repelluntur, niſi agatur de delicto commiſſo domi, vel niſi veritas aliter haberi non poſſit. Nam æquitas poſtulat, ut iſti non cogantur deponere contra ſuos. Et quia, ut plurimum habent intereſſe vel famæ, vel bonorum in cauſa, quæ cootra conſanguineum agitatur, & proinde cauſa eſt quodammodo propria. Nemo autem eſt idoneus teſtis in propria cauſa. Et quia amor, quo uniuntur poſſet eſſe cauſa, quod veritatem deponere noliot contra conſanguineos, affines, domeſticos & familiares. Si autem de facto deponant, niſi aliunde conſtet, quod id faciant ex odio, corum depoſitio longe abeſſe cenſetur à falſitate.

At verò ubi agitur de cauſa fidei, non militant hæ rationes, & ideo conſanguinei quicunque cogi poſſunt, ut veritatem deponant, etiam pater contra filium, filius contra patrem, amaſius contra amaſiam & è contra. Quia commune fidei bonum, quod quilibet magis diligere, cuſtodire, ac defendere debet, quàm quodcunque aliud privatum bonum, præponderat cuicunque privato hominum bono. Undè quilibet tenetur, ubi opus eſt, in hac cauſa veritatem manifeſtare, atque adeo conſanguinei, aliique vocati tenentur veritatem teſtificari, eoque magis quod crimen hæreſis eſt de illis. quæ occultè committuntur, de quo domeſtici melius informati cenſentur, eorumque teſtimonium optimè probat, quia magis efficax, & tanto firmius haberi ſolet, quanto conſanguinei & affines à ſuſpicione odii longius abeſſe judicantur. Ita de fratre contra fratrem io hæreſis crimine deponentem loquitur textus *in cap. litteras de præſumpt.* Et ita docent Eymeric. *in direct. qu.* 70 ib que Pegna *com.* 119. Repert. Inquis. *v. teſtes*, Gundiſal. *q.* 13. *n.* 11. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *num.* 47. *& ſeq.* Felin. *in cap. ex litteris num.* 1. *de teſtib.* Blanch. *de judic. num.* 363. Decian. *lib.* 5. *cap.* 15. *nu.* 9. Maſcard, *de probat lib.* 2. *con luſ.* 857. *num.* 22. Royas *ſingul.* 150. *&* 197. Farinac. *d. q.* 188. *numer.* 143. *&* 147. Souſa *in aphor. lib.* 2 *cap.* 11. *n.* 1. Caſtropal. *d. tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 15. §. 1. *num.* 6 Carena *p.* 3. *tit.* 5. *num.* 21. Salel. *p.* 1. *lib.* 1 *numer.* 51. & Delbene *de offic. S. Inquiſ. dub.* 198. *num.* 12. *p.* 1.

Ad defenſionem verò non faciunt probationem, neque ſunt admittendi. Quia, ut inquit Apoſtolus *Eph.* 5. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſicque nemo præſumendus eſt conſanguineos, & affines odio habere. Et quia eorum intereſt ut reus abſolvatur, cum illius infamia, quæ ex hoc crimine oritur, ad ipſos quoque redundet, utque illam evitarent, facile mentirentur. Et idcirco eorum teſtimonium noo immeritò in his cauſis falſum putatur, ut de filio pro patre eſt textus *in cap. filii de hæret. in* 6. ibique Gloſ. Coostitutio Alexandri IV. incip. *Ex parte*, edita anno 1258. Sylveſt. *v. hæreticus* 2. *nu.* 16 Locat. *in Judicial. v. uxor. nu.* 4. Simanch. *ibid. num.* 48. *&* 81 Farinac. *ſupra num.* 149. & alii. Sed de hoc etiam infra.

Idemque dicendum eſt de domeſticis, & familiaribus quos quis de familia ſua producit quod ſcilicet non admittuntur ſemper in defenſionem *l.* 2. *C. de teſtibus cap. in litteris eod. cap. ſi teſtes §. teſtes, quos accuſator* 4. *q.* 3. *c. conſanguinei* 3. *q.* 5. *l pen. ff. de teſtib. l.* 1. *§. ad quæſtionem ff. de quæſt. l. pridem placuit C. eod.* Quia domeſtici, & familiares ratione amicitiæ & familiaritatis præſumuntur non dicere veritatem, ut à tanto crimine reum poſſint liberare. Unde & Cicero pro Roſcio teſtem mutum dicit, qui de accuſatoris domo producitur. Domeſtici autem dicuntur qui cum aliquo degunt, ut liberti patrono, ſervi domino, mercenarii iis, apud quos degunt, & qui ex familia alicujus ſunt *l. reſpiciendum §. fin. ff. de pœn. l.* 1. *§. familia nomen de publ. & vectig. l* 2. *§. familia autem appel. ff. de vi bon. rapt.* Inter domeſticos proculdubio aonumerantur filii, fratres, pater, & illi, qui ſunt in poteſtate *l. tria onera ff. de excuſ. tut.* & gloſſella quædam *in l. eos C. de teſtib.* annumerat vicinos antiquos inter familiares. Vicini porro dicuntur, qui ſe invicem clamantes audire poſſunt, ut notat Bartol. *in l. ſi tertius col. de aqu. pl. arc. arg. l.* 1. *§. eadem autem lecto ff. ad Syl an. &* Panor. *in cap. quoſdam de præſumpt.* Itemque familiares *l. fin. §. fin. C. de iis, qui ad Eccleſ. confug. l. pen. de teſtibus* Proximi, ſeu ſanguine conjuncti ſunt etiam de familia *l. pronunciatio de verb. ſignif. l. unum ex familia de legat.* 2. Neque de uxore dubitatur, quin ſit de mariti domo & familia *l.* 1. *§. ſi vir, aut uxor. C. ad ſen. Syllan. l. qui unque de re militar.* Quia ſocii ſunt conjuges divinæ & humanæ domus *l. adverſus C. de crim. expil. hæred. l* 1. *ff. rer. amot. cap.* 2. *de ſponſal.* Denique omnes, quibus imperari poteſt, non ſunt idonei pro teſtimonio ferendo in ejus favorem, qui poteſt imperare *l. idonei ff. de teſtib. l. ſervus pro domino C. eod.* Et ſicut domeſticæ ſcripturæ fidem non faciunt *l. inſtrumenta. & l. exemplo C. de prob.* ſic nec teſtes domeſtici *l. in exercendis C. de fid. inſtrum.* Exiſtimavit autem, quod eſt ſingulare, Felinus, dominum domus poſſe eſſe teſtem pro ſubdito, niſi ſubditus ſit potens, dominus autem vilis, in quem timeatur imperium *in d. cap. in litteris nu.* 12. *de teſtib.* Ego vix eum admiſerim in domeſticis, cum & ex amicitia ſuorum domeſticorum colligi poſſit præſumptio, quod eos velit defendere Et ex alio capite hic teſtis rejici poterit, ſi lucri cauſa, amicitia, vel inimicitia objiciatur. Hæc enim ſolent teſtibus abrogare fidem *can. ſi teſtes §. teſtium fides* 4. *quæſtione tertia leg. ob carmen §. fin. l. quæſitum ff. de teſtibus l. eos teſtes §. fin. Cod. eod.* Verum ſi domeſticus eſſet valdè dignus, & ſpectatæ probitatis, etiam io hoc crimine ejus teſtimonium non eſſet contemnendum, ad excuſandum reum juxta doctrinam Innocentii, Imolæ, ac Buttii *in d. capit. in litteris de teſtib.* Quare ſi non præſumeretur, quod domeſticus pejeraret ejus teſtimonium recipiendum eſſet, præcipuè ſi cum ipſo teſte domeſtico conveniret alius teſtis non domeſticus, omni exceptione major, aut alia indicia eſſent ad favorem rei, ut per Marſil. *in l. de minore §. tormenta ff. de qu. ubi alii*, traditque Farinac. *d. qu.* 188. *num* 151 Zech. *in ſum. par.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæreſ cap.* 11. *nu* 14.

Servus autem contra ſuum Dominum teſtis eſſe non poteſt *S. penult. C. qui accuſ. non poſ. lib.* 1. *C. de quæſt.* At in cauſis ad S. Officium pertinentibus, non ſolum ad teſtificandum admittitur contra Dominum, ſed ad id cogi poteſt, ac torqueri. Quia ſic etiam obſervatur in crimine læſæ majeſtatis humanæ *l. fin. C. ad l. Jul. Majeſt.* & docent Eymeric. *in director. par.* 3. *qu.* 66. ubi & Pegna *com.* 115. Simanch *loc. cit. tit.* 61. *n.* 13. Gundiſal. *d. qu* 13. *nu.* 11. & Farinac. *ibid. numer.* 144. Et deponens contra dominum veriſimile eſt, quod non niſi veritatem deponat. Difficultas eſt, an uxor contra maritum, & maritus contra uxorem in crimine hæreſis admitti poſſit in teſtem. Notabile namque eſt, ut non tantum leges ſubmoveant domeſticos teſtes in favorem dominorum à teſtimonio, ſed etiam ut ne contra eos audiri poſſint, caveant, *l. pen. & l. iniquum C. de his, qui accuſ. non poſ.* Quamobrem nec pro, nec contra maritum rectè dicemus, ni fallor, uxorem produci poſſe in teſtem regulariter, ut faciat probationem. Quia eſt domeſtica, amicitiæ cauſa conjuncta, & familiaris, & in ejus poteſtate *can. hæc imago, & can. mulier, can. mulierem* 33. *quæſt.* 5. 1. *ad Corinth.* 11. communes fortunas, & infortunia cum eo habens *l. ſi cum dotem §. ſi maritus ff. ſol. matr.* Et ita etiam rejici reſolvit Alberic. *in tr. de teſtibus* Jo. de Platea *in lib. quæcunque cap. de re mil.* Jaſon. *in l. ſed & ſiquis ff. ſiquis caut.* Felin. *in dict. cap. in litteris num.* 7. *de teſtibus* Gloſ. *in l.* 1. *§. ſi vir. ad Syllan.* Gloſ. *in can. in ſumma* 3. *quæſt.* 5. Gloſ. *in lib.* 2. *C. de teſtibus & in lib. præſenti §. ſane v. domeſtica C. de iis, qui ad Eccleſ. confug.*

ſug. Sed & Cyn. *ad d. l. 2. C. de teſtibus* exiſtimat maritum eadem domeſticitatis ratione à teſtimonio uxoris repelli, quanquam, inquit, & al a ratione id fiat, quia & ſunt mariti, qui magis uxores timent, quam dominos. Vinum enim & mulieres corrumpunt interdum viros prudentiores, ut conſtat ex Salomone, ex Rachele & Jacobo *Geneſ. 39* Sanſone & Dalila *Jud. 4.* Conſtat. *& l. 4. ff. de inoffic. teſtam*, cum ſimilibus. Hinc Rabi Moſes, qui ſancti nomēn habuit, & Paulus Iſraelita in commentariis ad præceptum Judæorum negativum 214. filios, nepotes, neptes, & uxores eorum, & marito in mutuo teſtimonio, item affines, & cognatos, ſurdos, cæcos, impudentes, dementes, & præſumtuſos arceri, & dictis teſtimoniis mutuis per legem ſubmoveri tradunt.

Nec tamēn me latet in diverſa ſententia fuiſſe Speculatorem *in tit. de teſtibus §. 1.* ubi notat indefinite uxorem pro marito admitti, quam opinionem Stephanus Aufrerius *in tr. de teſtibus* exiſtimat procedere in uxore, quæ virum non timet, & eſt bonæ famæ, ſubſcribens Cyno *in d. lib. 2. de teſtibus* Panorm. *in dict. capit. in litteris numer. 7. & conſ. 52. vol. 1.* ubi tamen fatetur minus ejus teſtimonium probare Quorum ratio eſt, quod non per omnia cenſeatur uxor in poteſtate mariti, neque ei omnino ſubdita *ex l. ſi uxorem C. de condit. inſert.* niſi quod pertinet ad quædam obſequia, ut notat etiam idem Panorm. *ad cap. litteris de reſtit. ſpol* Felin. *in d. cap. in litteris num. 7. de teſtib.*

Verumtamen iſtæ rationes non concludunt ideo non eſt admittendum teſtimonium uxoris pro marito, vel contra. Nam, ut monui ex alio capite, quam ſubjectionis, repelluntur, puta quia domeſticæ & communia cum maritis habeant omnia, familiares, amicæque, quæ omnia ejiciant teſtes. Quò fit, ut multo magis non poſſit cogi teſtari contra maritum, quod & probat Cyn. *ad dict. lib. 2. C. de teſtibus* & Panorm. *ad dict. capit. in litteris in fin.* qui tamen excipit, ſi defectus ſit teſtium, quo caſu, ait, ceſſare privilegium. Id ipſumque aſſerit *in capit. ſi quæ de teſtibus, & in cap. 1. de teſtibus cogend.* Et hæc omnia ad ſponſam porrigunt Gloſſa & Bald. *in dict. lib. 2. C. de teſtibus*, quia & affinitas, ſeu principium affinitatis inter ſponſos eſt *l. quod Servus ff de condit. cau. da.* ſicuti inter conjuges *l. non ideo C. de hæred. juſt.* Atque ita reperio dēclaratum à S. Congregatione S. Officii ſub 16. Februarii 1628. nempe, Uxor non examinetur contra maritum, & è contra, ad tollendum odia inter conjuges

Mulierem in criminalibus teſtem eſſe non poſſe ob ſexus fragilitatem, habetur *in capit. forus in fin. de verb. ſignif.* & *can. mulierem 33. quæſt. 5.* Mulier enim aut amat, aut odit, nihil datur tertium, ut ait Mimercus. Et modus mulieris nullus eſt, teſte Plauto *in penulu.* Extrema tantum ſequitur, eaque percupide ut neque ob ea liberis propriis parcat, ut tragici nos monent exemplo Medeæ, & aliarum, ut libanius *in declam. Medea*, & Juſtinianus quoque *l. lex, quæ tutore C. de adminiſtr. tut* Et à nimio amore facile in odium implacabile, & calumnias tranſeunt, ut illa Putifaris Principis Eunuchorum Pharaonis facto docuit *Geneſ. capit. 39.* quæ contempta meritò à Joſepho, in eum ſæviſſimam calumniam meditata eſt. Hine accuſatorem fixum, verumque ſemper eſſe oportet, nec variantem, vel deſiſtentem ab inſtituta accuſatione *lib. 1. §. 1. & paragrapho accuſatorem ad S. C. Turpil.* ut ab iis exigatur teſtimonium, quorum fides non vacillat *lib. 3. ff. de teſtibus* Porro mulierum natura varia, & mutabillis *dict. capit. forus de verb. ſignif.* & D. Ambroſius mulierem à mollitie, ac mentis mutabilitate dictam arbitratur, ſicuti virum à virtute *can. quod propoſuiſti 32. quæſtion. 7.* Diocletianus & Maximianus quoque vocant voluntates mulierum momentaneas *in l. filia C. de inoſ. teſtam.*

Et quamvis mulier jure civili in criminalibus & in civilibus admittatur ut plerumque in teſtimonium *lib. ex eo ff. de teſtibus l. quidam teſtamentu §. mulier. ff. de teſtament.* jure tamen canonico excludantur in criminalibus *dict. capit. forus de verb. ſignif* etſi etiam in foro Eccleſiaſtico admitti mulieres pro criminibus notavit Alex. *conſ. 24. vol. 2.* Verum aliqui diſtinguunt, mulierem in criminalibus eſſe non poſſe, quando ad inſtantiam accuſatoris producatur in teſtem, ſecus autem ſi eam Judex ex officio examinet, ut poſt Gloſſam Farinac. *de teſtibus quæſtione 59. numer. 9.* Maſcard. *de probat. lib. 2. concl. 762. numer. 21.* Caſtropal. *d. tr. 4. diſp. 8. quæ. 15. §. 1. num. 7.*

Tenendum nihilominus eſt, in caſibus exceptis mulieres admittendas eſſe & ad accuſandum, & ad teſtificandum Gloſ. *in capit. tanta, in capit. per tuas de Simon. & in dict. capit. forus v. fœmina.* Ita quoque Papinianus *in l. in quæſtionibus ff. ad leg. Jul. majeſt.* ait, in quæſtionibus læſæ majeſtatis etiam mulieres audiuntur. Receptum autem eſt in hoc crimine teſtimonium mulieris ob difficilem, alioquin conjuratorum detectionem. Quamobrem & in hoc quoque omnium habetur teſtium æqua conditio, quanquam in aliis rejiciantur *l. nullus C. ad leg. Jul. majeſt.* ut & in aliis criminibus, quæ ſolent ſecreto & clam committi, ut in ſimonia *l. ſi quenquam C. de Epiſc. & cler.* Multo ergò magis in cauſa hæreſia admitti debent in teſtes, Farinac. *de teſtibus quæſtione 50. numer. 10. & de hæreſ. dict. quæſtione 188. numer 76.* Delrius *diſquis. magic. lib. 5. in 2. append. quæſtione 12.* Caſtropal. *dict. numer. 7.* Souſa *in aphor. lib. 2. capit. 13. numer. 19.* Carena *par. 3. tit. 5. paragrapho 10. numer. 14.* & Delbene *par. 1. dub. 198. numer. 16.*

Neque in hoc crimine contra reum excipiendæ ſunt teſtes meretrices, & lenones. Nam licet ſint infames, etiamſi deſierint meretricari, & lenocinari, ut ex *l. palam paragrapho non ſolum ff. de rit. nupt.* & ex *l. athletas paragraphu ait Prætor ff. de his, qui not. infam.* & iccirco in criminalius repellantur, niſi de geſtis in lupanari, ut probat Farinac. *de teſtibus quæſtione 56. numer. 558. & ſeq. 366.* clandeſtinis namque ac domeſticis fraudibus facile quidvis pro negotii opportunitate confingere poſſunt, & id quod verum eſt, abolere, tamen admittuntur in teſtes in crimine ad S. Officium ſpectante. Quia ſi in crimine læſæ majeſtatis humanæ, ac de geſtis in lupanari teſtes eſſe poſſunt, multo magis teſtificari poterunt in crimine hæreſis, ut per Souſam *loc. cit. numer. 16.* Carenam *ubi ſupra numer. 30.* Præſertim ſi hoc crimen ita occultum fuerit, ut per alias perſonas detegi non poſſet, ut etiam in Simonia *dict. capit. tanta* ibique Gloſ. *de Simon. per l. 3. de teſtibus* vel in conjuratione in Rempublicam *d. l. in quæſtionibus*, vel in aliis gravioribus agatur *l. mulierem ff. de accuſ.* & *l. fin. ad leg. Jul. de annon.* Et jure quidem canonico mulieres omnes excluduntur in criminibus, niſi tamen per viam inquiſitionis teſtentur *cap. quoniam*, & *dict. capit. ex litteris de teſtibus can. ex eo 15. quæſtione 3.* Cùm verò admittuntur in teſtes tam in hoc crimine, quam de geſtis in lupanari non

ſunt

ſunt omni exceptione majores, ut notat Farinac. *de teſtibus qu.* 58. *num.* 368. *& de hæres. d. qu.* 188. *n.* 83. & Carena *loc. alleg.* & nos *infra.* Idemque ſtatuo in concubina, de qua Judex arbitrabitur ex affectionis, vel odii æſtimatione.

Mulieres quoque lamiæ, ſive ſtriges, complices, ſive ſociæ criminis ſunt admittendæ in teſtes, quando per alios teſtes veritas veriſimiliter haberi non poteſt, & dummodo ſint plures. Nam una tantum ſocia criminis non facit fidem, cùm præter defectum ſexus, patiatur etiam defectum infamiæ, & multò magis ſi eſſet minor viginti annorum. In crimine enim maleficii, & magiæ nec duæ, neque tres dictæ mulieres ſufficiunt ad condemnationem in pœnam ordinariam, ut docent Delrius *l.* 5. *diſquiſ. mag. in* 2. *append. quæſtione* 12. *&* 13. Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 188. *numero* 75. qui etiam tradunt, quod in crimine maleficii, & magiæ duæ ſociæ criminis ſufficiunt ad torturam, concurrentibus idoneis circumſtantiis, & maximè cauſa ſcientiæ, & non adſint contraria virorum teſtimonia.

Minores autem qui habent annum vigeſimum, non ſolum in cauſis fidei, ſed & in omnibus criminalibus recipi & cogi poſſunt ad teſtificandum, quia inter teſtes idoneos numerantur, ut per Gloſ. *in lib. inviti ff. de teſtibus.* Jo. Andr. *in capit. in litteris numero* 34. *eod.* Delrius *lib.* 5. *diſquiſ. magic. quæſtione* 15. *lit. A in* 2. *append.* Farinac. *dict. quæſtione* 188. *numero* 75. Carena *par.* 3. *tit.* 5. *paragrapho* 17. *nu.* 47. & de jure Canonico admittuntur minores, ſi ſint majores quatuordecim annis, ut per ſeipſos in judicio ſtare poſſint,, ut *in capit.* 1. *de judic. in* 6. Minor verò viginti annis & major quatuordecim, quamvis in criminalibus regulariter nec cogatur, nec admittitur ut teſtis, niſi in caſibus, in quibus veritas aliter haberi nequit, ut per Oſtienſem, Baldum. Alexandrum, & Joannem Andream, & alios relatos à Delrio *loc. cit.* & à Farinacio *de teſtibus quæſtione* 58. *num.* 10. & in defectum probationum, quando Judex procedit non per viam accuſationis, ſed ex officio, ut ſentiunt alii, relati à Farinacio *ibidem n.* 35.

Tamen in cauſis ad S. Officium ſpectantibus minor admittitur, & cogi poteſt ad teſtificandum. Quia ſi in crimine læſæ majeſtatis humanæ admittitur, ut teſtis *ex l. de minore ff. de quæſtione,* & probat Farinac. *de teſtibus dict. quæſtione* 58. *numer.* 22. multo magis eſt admittendus in cauſis fidei, & in crimine hæreſis, Cantera *de plena probat. capit.* 2. *numero* 41. Farinac. *de hæreſ. dict. quæſtione* 188. *numer.* 75. Caſtropal. *to.* 1. *d. tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 15. *paragrapho* 1. *num.* 8. Delbene *dub.* 193. *ſect.* 1. *num.* 16. Carena *loc. cit. numer.* 55. Minor verò annorum quatuordecim, & habens ſaltem annos decem cum dimidio, teſtis eſſe non poteſt juxta *auth. Sacramenta puber. C. ſi adverſus vendit.* Quia talis ætas facilis eſt ad mentiendum, nec talibus juramentum deferri poteſt *l. qui juraſſe de jurejur.* Quatuordecim annorum, ſi eſt doli capax, defertur juramentum de veritate dicenda, quando examinantur. Decem annorum, vel infra non defertur juramentum, ſed tantum movetur de gravitate juramenti 15. Junii 1604.

Verum licet non admittatur impuberis dictum ad probandum, nihilominus admittitur ad veritatem indagandam, ut per Farinac. *numero* 43. *& ſeq.* Clar. *in pr. paragrapho fin. quæſtione* 24. *numer.* 17. Et aliquando admittitur etiam ad probandum, & ad torturam, ſi ſit adminiculatum ejus dictum præſumptionibus, & conjecturis arbitrio Judicis validis, ut notant idem Farinac. *numer.* 52. & Carena *numero* 53. In cauſis autem, quæ ad S. Officium pertinent, etiam impuberes admittuntur, recipiuntur, & coguntur teſtificari, Carena *ubi ſupra numero* 55. Cantera *d. cap.* 2. *num.* 2. Farinac. *d. quæſt.* 188. *num.* 75. Petr. Binsfeld *de confeſ. maleſ. membr.* 2. *poſt concluſ.* 6. *dub.* 2. Quia admittuntur in cauſa læſæ majeſtati humanæ *ex d. l. de minore.* Ergo multo magis in cauſis fidei. Tandem infans, ſi ſit ſupra ſeptimum annum & doli capax ex ejus qualitate & modo dicendi arbitrari poſſunt, ac debent Inquiſitores, an ſit examinandus, ut per Canter. *numer.* 45. & Caren. *nu.* 57. De hiſce minoribus in cauſis S. Officii adi noſtrum tomum 4.

Satellitibus ſive Lictoribus, licet infames habeantur, ac viliſſimæ ſint perſonæ, atque adeo in criminalibus præſertim à teſtificando repellantur, ut probat Farinac. *de teſtib. quæſt.* 56. *num.* 370. *& ſeq.* & *de delict. & pœn. quæſt.* 21. *nu.* 147. *& ſeq.* tamen in S. Inquiſitionis Tribunali plena fides eſt adhibenda juxta Conſtitutionem. *ad extirpanda* Innocentii IV. edita anno 1251. in qua hæc *Officialibus prædictis plena fides habeatur de his omnibus, quæ ad eorum officium pertinere noſcuntur ſine aliquo ſpecialiter præſtito juramento, probatione aliqua in contrarium non admiſſa ubi duo, vel tres, vel plures præſentes fuerunt ex eiſdem.* Idemque ſtatuerunt Alexander IV. Conſtitutione emiſſa anno 1259. & Clemens IV. Conſtitutione emanata 1265. apud Pegnam poſt Direct. Inquiſ.

Notandum tamen eſt cum Farinacio *d. quæſt.* 188. *num.* 71. *& ſeqq.* & cum Carena *par.* 3. *tit.* 5. §. 7. *n.* 33. *& ſeq.* has Conſtitutiones ſolum intelligendas eſſe de iis, quæ pertinent ad eorum officium, ut ſi deponant de exequutione facta, vel non facta, vel de alio non magni præjudicii, non autem de iis, quæ pendent, ac ſequuntur ex eorum officio, ut ſi deponant de impedimento exequutionis ſibi præſtito, ſive de injuriis verbalibus, vel perſonalibus ſibi illatis. Quinimo neque in ſpectantibus ad eorum officium plena fides illis adhibetur, quando agitur de pœna corporali gravi, niſi eorum dicta firmentur adminiculis, & conjecturis.

Exul quoque ſive Bannitus poteſt, ut teſtis in S. Officio admitti. Quia ſicut poteſt, ut teſtis examinari in cauſis criminalibus, quando delictum non eſt plene probatum, ut per Farinac. *de teſtibus d. quæſt.* 56. *nu.* 334. multo magis ut teſtis examinari poteſt in S. Officio in cauſis ad fidem ſpectantibus. Idque cum ſalvo conductu Inquiſitoris. Quia Judex debet ſecuros reddere teſtes, quos evocat, ut *in can. hortamur* 3. *qu.* 9. ibique Gloſſa, Turrecremata, & alii, Dumque de jure communi poteſt quilibet Judex inferior validè ſalvum conductum cuicunque bannito concedere, ut examinari poſſit tanquam teſtis, ut firmat Clar. *q.* 31. *verſ. ſed hic quæro.* Farinac. *qu.* 29. *n.* 82. Guazzin. *tom.* 1. *defenſ.* 12. *numer.* 18. Eo magis id eſt concedendum Inquiſitori in cauſis fidei, qui major eſt quocunque Judice ſupremo ſeculari, vel ut bannitus poſſit ſe expurgare in S. Officio, vel ut poſſit tanquam teſtis examinari. Quod etiam docet Carena *loc. cit.* §. 8. *nu.* 38.

Salvus verò conductus non datur delinquentibus S. Officii, licet concedatur aliis, qui de aliis criminibus ſunt inquiſiti, ut accedere poſſint ad deponendum in S. Officio quæ ſibi obvenerint die 21. Maij 1588. & ultima Junii 1624. ubi dicitur, quod ſalvus conductus poteſt concedi, non autem gratia, donec reus non comparuerit, licet ibi appareat propter inſtantiam Balivi Veneti, morantis Conſtantinopoli. conceſſa gratia, & reus abſolutus ante comparitionem, conceſſus Apoſtatæ à fide, moranti Conſtantinopoli, ut poſſit accedere ad Urbem, 10. Junii 1604.

Quod verò ad teſtem perjurum, & varium de jure communi perjurus in omnibus delictis, excepto criminis hæreſis, etiam poſt pœnitentiam, non admittitur in teſtem, ſed ſtatur ejus priori dicto, ſi ſtatim & incontinenti ſe non corrigat *cap. teſtimonium.*

du

Digitized by Google

de teſtibus & can quoſcunque 6. quæſtione 1. hoc eſt antequam loquatur partibus, vel ſe ſubſcripſerit, vel antequam recedat à præſentia Judicis, quibus in caſibus non præſumitur ſubordinatio *capit. præterea de teſtibus cogen.* Gloſ. *in capit. fin. v. juſta cauſa de jurejur. in 6. & in auth. paragrapho qui vero, v. non habebit de teſtib.* Innoc. *in cap. cum dilecti in fine de accuſ.* Bald. *in l. presbyteri numero 4. C. de Epiſc. & Cler.* Bartol. *in leg. eos Cod. de falſ. l. quicquid numer.* 10. *ff. de verb. oblig.* Covar. *lib. 2. var. cap. 13. numero 8.* niſi tamen pars adverſa incontinenti acceptet confeſſionem, vel dictum teſtis, tunc enim non poteſt etiam ſtatim dictum ſuum corrigere, vel mutare, ex Bald. *in l. Gallus §. 1. ff. de lib. & poſth* Alex. *in dict. l. quicquid*, ubi & Jaſ. *dict. numero decimo.* Roman. *in l. 1. §. ſiquis ſimpliciter ff. de verb. oblig.* ac Hippol. *ſingul.* 315. ubi alios refert, etſi etiam ex intervallo de jure quoque communi teſtem poſſe corrigere dictum ſuum, ſi cauſam ſufficientem correctionis alleget & probet, dicant Souſa *lib. 2. aphor. cap. 6. numero 6*.. & Carena *p. 3. titul. 6. numero* 60. At in cauſa hæreſis ita fermè Alexander IV. decernit *in cap. accuſatus de hæret. in 6. §. Licet verò perjuri à teſtimonio, etiam poſt pœnitentiam repellantur, ſi tamen ii, qui coram Inquiſitoribus jurantes tam de ſe, quàm de aliis ſuper facto hæreſis dicere veritatem, eam celando dejerent, & poſtmodum velint corrigere dictum ſuum contra ſe ac alios ſuos complices deponendo, cum crimen hujuſmodi ſit exceptum, ſi manifeſtis indiciis apparuerit, tales non animi levitate, aut odii fomite, ſeu corruptione pecuniæ, ſed zelo fidei orthodoxæ dictum ſuum velle corrigere, ac modo quæ prius tacuerant, revelare in favorem fidei, niſi aliud obſtat, ſtari debet tam contra ſe, quàm contra reliquos atteſtationibus eorumdem.*

Ex quibus verbis præcipuè habetur, quod in cauſa hæreſis favore fidei ſtetur ſecundo dicto teſtis, etiam ex intervallo ſe corrigentis, tam contra ſe, quam contra alios. Hanc regulam conſtituunt Gloſ. *in dict. cap. accuſatus v. poſtmodum*, & Joan. Andr. & Archid. ac cœteri communiter, ac tradunt Jo. Nicol. *de hæret. not. 13.* Simanch. *de cath. inſtitut. cap. 36.* Idque in favorem fidei.

Dubitatio tamen eſt, utrum hæc regula ſit univerſalis, an ſolum in caſu ſpeciali, in quo teſtis primum veritatem celando contra ſe & alios, hæreſim negavit, & poſtea zelo fidei ductus eam contra ſe, & alios fatetur. Et ſanè videtur, textum loqui duntaxat de corrigente ſe teſtificando contra ſeipſum, & alios delictum contra fidem, quod prius negaverat, non autem ad favorem ſui, & aliorum. Ita illum intellexerunt Repert. Inquiſ. *v. teſtis*, Mandoſ. *in addit. litt. N.* Zanchin. *de hæret. capit. 14. numer. quinto.* Pegna *ad quæſtionem ſexageſimam quintam par. tertia direct. ſchol. 122. ſive com. 114.* Bertaz. *conſil.* 157. Gundiſal. *de hæret. quæſtione undecima numero duodecimo.* Diana *p. 4. tractat. 7. reſol* 22. Caſtropal. *p. 1. tractat. 4. diſp. 8. pun. 15. paragrapho 1. numero tertio.* Souſa *lib. 2. aphor. capit. 9. numero ſecundo.* Carena *p. 3. titulo ſexto numero ſexageſimo primo.* Covar. *dict. capite decimo tertio numero nono*, & Delbene *dub. 158. ſect. 1. num. 10.*

Quia dum teſtis in primo ſuo dicto teſtatus eſt contra ſe & contra alios, habetur magna præſumptio veritatis, cùm in tali depoſitione oſtendit ſe pœnitentem, & ideo in caſu, quo teſtis primum confeſſus fuerit hæreſim ſuam & aliorum, ſtatur primo ejus dicto, quod præſumitur verum. Sed ſi primùm hæreſim negaverit, & poſtea, etiam ex intervallo illam fateatur, tam contra ſe, quàm contra alios, præſumitur ex eadem cauſa pro veritate ſecundi dicti. Quia magna veritatis præſumptio eſt cognitio propriæ culpæ, & in præjudicium ſui, & complicum falſitatem primi dicti, proprium & aliorum errorem fateri in judicio, ut proinde meritò Pontifex voluerit, quod in hoc caſu ſtetur dicto ſecundo.

Tamen nihilominus, quod textus intelligendus ſit univerſaliter ac ſimpliciter ita, ut ſive teſtis primùm negaverit tam ſuam, quàm aliorum hæreſim, ſive illam confeſſus fuerit, ſtandum ſit ſecundo ejus dicto, tuentur plures magni nominis Autores, ea moti ratione, quod in judiciis ſervanda ſit æqualitas, & quia in tam gravi crimine, & in ſacro Inquiſitionis Tribunali, in quo veritas ipſa ex puro zelo fidei ac juſtitiæ quæritur, non magis favorabilis cenſenda ſit detectio criminis, quàm innocentis abſolutio ac liberatio culpæ. Ita ſentit Simanch. *de cath. inſtitut. titulo ſexageſimo quarto nu. quinquageſimo nono & ſequent.* ac ſentire videtur Pegna *pag. ſecunda direct. com. 12. verſicul. quamvis veriſimilius.* Loquens enim in caſu *capit. litteras de præſumpt.* in quo frater, qui primum aſſeruerat fratrem ſuum eſſe hæreticum, & poſtea in judicio illum excitaverat, negando ſe dixiſſe, illum fuiſſe hæreticum, & ſic quærens, cui dicto ſtandum ſit, primo ne, an ſecundo? abſolutè ſine diſtinctione reſpondet, ſtandum eſſe ſecundo. Hanc eandem ſententiam tenet Delrius *libro quinto diſquiſ. magic. ſect. quinta.* Idque Farinacius *citat. quæſt.* 188 *numero nonageſimo ſexto*, ait, magis procedere, quando teſtis judicialiter examinatus deponit contra aliquem, & poſtea in articulo mortis pro exonetatione ſuæ conſcientiæ revocavit ſuam depoſitionem. Etſi enim teſtis, qui contra aliquem protulit teſtimonium, ſi poſtea in articulo mortis illud revocet, dicens, falſum depoſuiſſe, priori ejus dicto ſtandum ſit *leg. ſiquis in gravi paragrapho, ſiquis moriens*, ubi Bartol. *ff. ad Syllan.* Bald. *in auth. ſi dicatur col. 2. C. de teſtib.* Abbas & Decius *in capit. per tuas de prob.* Felin. *in dict. capit. litteras numero vigeſimo & in capit. exhibita de homic.* Hippol. *in pr, cr. paragrapho reſtat numero tertio* quod probare videtur *lege prima, paragrapho ſiquis non ab aliquo ff. de Carbon. edict. & capit. ſicut de teſtib.*, Quia quod quiſque ſua voce dilucide poteſtatus eſt in eundem caſum proprio teſtimonio non valet infirmare *leg. generaliter Cod de non numerata pec. capit. per tuas de prob.* Hippol *ſing.* 257. Non omnis enim moriens, ait Bartolus *in dict. paragr. ſiquis moriens*, eſt Sanctus Joannes Evangeliſta, etiamſi corpus Chriſti accipiat, quem ſequuntur Iaſ. *in leg. prima numero decimo ſexto ff. de eo per quem fact. ſu.* Hippol. *dict. paragrapho reſtat numero undecimo.* Nec ſemper præſumitur, quod quis dicat verum in articulo mortis *leg. qui teſtamentum ff. de prob. l. rationes C. eodem titul.* Gloſ. *in dict. capit. litteras v. tam grave.* Et quia primum juramentum fuit ſolenne, & teſtimonium dictum fuit cum juramento, & coram Judice, poſterius verò minus ſolenne & ſine juramento, *capit, tuis de teſtib.* Tamen in cauſis hæreticæ pravitatis ſtandum eſſe poſteriori teſtimonio teſtis in articulo mortis conſtituti, tradit Royas *ſingul. 205. numero tertio &* anidmadvertit Simanch. *loco citato numero ſexageſimo ſexto.* Non enim eſt veriſimile, quod conſtitutus in articulo mortis, ſi fidem habeat de immortalitate animæ, ac æterni præmii, & ſupplicii, velit tunc mentiendo in re graviſſima Deum offendere, & ad inferna damnari. Citatque Royas Hippol. *conſil. 109. numero trigeſimo primo.* Curtio Sen. *conſilio ſexageſimo nono* Simanch. *loco citato cap. 62. numero* 30. qui id declarat, quando ſecundum dictum coadjuvatur aliquibus conjecturis ac indicia

veriſimilibus, & teſtis exprimit cauſam probabilem ſuæ revocationis. Subditque idem Royas *numero* 4. quod hæc omnia bene probantur *in capit. accuſatus §. licet de hæret. in* 6. teſtis enim magis timet offendere in articulo mortis Majeſtatem divinam quàm humanam, præſertim quod nullus præſumitur, maximè tempore mortis, immemor ſuæ ſalutis *leg. fin. C. ad leg. Jul. repe. can. ſancimus* 1. *quæſtione* 7. & habetur *in cap. in noſtra de proc.* ibi: *Non eſt veriſimile, quod ſuæ ſalutis oblitus*, ac notat Gloſ. *in cap. mulieris de jurejur. & in cap. ſicut nobis de ſent. excom. & in dict. cap. litteras de præſumpt.* Ac idem Royas generaliter loquitur *in ſingul.* 186. *numero* 1. quam ſententiam non improbabilem judicavit Delbene *dub.* 198. *ſect.* 1. *in advert. numero* 10. eamque Carena *p.* 3. *titul.* 7. *numero* 61. *in fine* procedere, ait, quando revocans confeſſionem non ſolum allegat, ſed probat errorem & alias juſtas cauſas revocationis. Sed hoc eſt dicere, quod hæc ſententia non eſt abſolute vera, neque ad mentem *dict. capit. accuſatus*, quia revocatio facta hoc modo, de jure quoque communi, admitti debet, non ſolum in cauſa hæreſis, verùm etiam in aliis.

In hac obſcuritate, & dubitatione placet primùm explicare conditionem, quàm Alexander Pontifex *in dict. capit. accuſatus* requirit, ut ſecundum dictum teſtis admittatur, ut nimirum appareat ex manifeſtis indiciis teſtem non ex levitate, vel odio, vel corruptione pecuniæ dictum ſuum velle revocare. Quod neceſſarium eſſe voluit ibi Gloſ. *v. indiciis* Archid. *numero* 4. Gemin. *numero item* 4. Franch. *numero* 2. & tradunt Roſel. *v. hæreticus numero* 31. Sylveſt. *eod. v.* 2. *numero* 6. Zanchin. *capit.* 14. *numero* 5. Gundiſal. *quæſt.* 13. *numero* 12. Eymeric. *p.* 3. *quæſt.* 65. ibique Pegna *ſchol.* 122. *ſive com.* 114. Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *numero* 3. Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 857 *numer.* 6. Royas *ſing.* 193. *numero* 4. Delrius *loco citato* Farin. *dict. quæſt.* 188. *numero* 90. Souſa *lib.* 2. *aphor. dict. cap.* 9. Covar. *d. lib.* 2. *var. cap.* 13. *nu.* 9. Carena *p.* 3 *titul.* 6. *numero* 61. Salel. *lib.* 2. *cap.* 2. Delbene *dub.* 198. *ſect.* 1. *in advert. numero* 8. Diana *p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 22. Ideoque non ſufficit, quod non appareat, teſtem revocare primum dictum ex odio, vel levitate animi ſed neceſſe eſt, quod appareat poſitivè, & quidem ex manifeſtis indiciis, quod teſtis vult revocare dictum ſuum ex zelo veritatis & fidei.

An autem neceſſe ſit, quod teſtis probet errorem ſuum, & juſtam cauſam revocationis? Affirmandum videtur. Nam aliter ex manifeſtis indiciis non poterit apparere quod teſtis ſe corrigat ex zelo fidei, & veritatis, niſi ſaltem conſtiterit de juſta cauſa revocandi prius dictum. Contra verò, ſi hoc eſt neceſſarium, nihil ſpeciale conceſſum eſt favore fidei, cùm in omni cauſa teſtis ſe poteſt ex intervallo corrigere, ſi probet errorem ſuum, & juſtam cauſam ſe corrigendi adducat ut jam diximus. Neque dicas, ſufficere, ut in cauſa hæreſis error & juſta cauſa allegeutur, non autem eſſe neceſſarium, quod probentur. Nam id videtur contra textum, qui omninò exigit quod juſta cauſa revocandi, quæ eſt zelus fidei orthodoxæ appareat ex manifeſtis inditiis. Quare cenſeo, ſufficere, quod appareat in teſte zelus veritatis & fidei, & iccirco aliqua probatio eſt neceſſaria, ſatiſque eſt illa, quæ arbitrio prudentis Inquiſitoris habetur ex manifeſtis indiciis inter quæ hoc eſt urgens, ſi, ſpectatis cauſa & circumſtantiis illius, ſecunda teſtificatio veriſimilior ſit prima. Ideoque Pegna *d. ſchol.* 122. & Farinac. *dict. quæſt.* 188. inter requiſita ad hoc ut ſtetur ſecundo dicto, poſuerunt, quod ex conjecturis appareat, ſecundum dictum eſſe veriſimilibus primo; & nihilominus ex eodem textu id, quod debet apparere, ac ſufficit, quod appareat, eſt zelus fidei ab omni odio, corruptione, ac levitate vacuus ac integer, idque totum ex manifeſtis indiciis debet apparere. Remotis enim corruptione, ac odio à perſona non levi, atque exiſtente in teſte zelo fidei & veritatis, etiamſi teſtificetur id, quod alias videretur minus veriſimile, dictum tamen illius præſumi debet valdè veriſimile, quia eſt inveriſimile quod teſtis non levis, neque inimicus, neque corruptus, ſed zelo fidei ac veritatis motus falsò teſtetur in judicio.

Quare, ſi teſtis hujuſmodi in cauſa fidei voluerit ſe corrigere, dicendo, ſe erraſſe in primo dicto, non eſt neceſſe, quod errorem probet & juſtam cauſam ſe corrigendi, ſi aliunde ex manifeſtis indiciis conſtiterit, illum non levem, neque inimicum, neque corruptum eſſe, ſed ex zelo fidei teſtimonium dicere. Immò ne tenetur quidem probare, quod movetur ex zelo fidei cum retractione ad libere dicendum veritatem, ſed ſatis eſt, quod Judici hoc appareat ex manifeſtis indiciis, undecunque illa ad Inquiſitoris cognitionem in actis devenerint. Quod plane ſpeciale eſt favore fidei.

Deinde disquirendum eſt, an textus *in dict. cap. accuſatus* accipiendus ſit indiſtinctè, anve potius limitate ad caſum, quem prima facie ſignificant ejus verba. Et quidem teſtis in ſecundo ſuo dicto vel teſtificatur contra illum, ad cujus favorem teſtificatus eſt in primo; vel è diverſo in ſecundo dicto teſtificatur ad favorem, & negat hæreticum eſſe illum, quem hæreticum eſſe dixit in primo. Primus caſus etiam ſubdiſtinguitur. Nam vel in ſecundo dicto teſtificatus eſt tam contra ſe, quam contra alios, cùm primùm tam pro ſe, quam pro aliis teſtificatus fuerit. Et hic vere eſt caſus, quem decidit textus, in quo abſque ulla controverſia ſecundum dictum teſtis admittitur, ſi ex manifeſtis indiciis apparet, quod ille neque ex levitate, neque ex odio, neque ex corruptione, ſed ex zelo fidei dictum ſuum velit corrigere. Quo in caſu præſumptio eſt pro teſte ac ſecundo ejus dicto, niſi contrarium aliundè probetur, ut advertit Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 3.

Vel teſtis in primo dicto teſtificatus eſt tam pro ſe, quam pro aliis, & in ſecundo non teſtificatur contra ſe, ſed ſolum contra alios. Et hic caſus eſt dubius. Standum tamen eſſe ſecundo dicto ſi appareat eum ex zelo teſtificari, voluerunt Pegna *dict. com.* 114. Zanchin. *cap.* 14. Repert. *d. v. teſtis* Arelaten. *not.* 13. Souſ. *dict. lib.* 2. *cap.* 9. *numero* 2. & Salell. *lib.* 2. *cap.* 2. *numero* 204. Quia favor fidei reperitur æqualiter, tam in teſtificante contra ſe, quam contra alios. Oppoſitum verò ſentiunt Gundiſal. *dict. quæſt.* 13. *numero* 12. Decian. & Covar. *loco citato* Maſcard. *de prob. lib* 2. *concl.* 857. *num.* 6. qui fundantur in his verbis textus. *jurantes tam de ſe, quàm de aliis.* Et illis: *Stari debet tam contra ſe, quàm contra reliquos.* At ex hiſce verbis contrarium potius colligitur. Nam dictiones *tam*, & *quàm* aliquando ſumuntur non copulativè, ſed disjunctivè, & interdum dictio *tam* explicat caſum minus dubitabilem, & dictio *quàm* caſum magis dubitabilem, immò *tam* & *quàm* eſt clauſula diviſiva, quæ æqualiter tribuit actum cuilibet enunciato *l. ſi cui legatorum ff. ut in poſſeſſionem legat. nom.* Grat. *conſ.* 9. *numero* 99. *vol.* 1. ac Menoch. *conſ.* 400. *numero* 9. & ita ſumitur in hoc textu, ut ſit ſenſus, nedum ſi teſtis deponere velit contra ſe, ſed etiam contra alios. Atque iſta interpretatio, quæ ſalvat ſignificationem verborum in ſua proprietate ſavore fidei ſervari debet. Quamvis autem in hoc caſu dificilius erit. quod

appareat

appareat, teſtem ſolo fidei zelo duci, ut teſtificando ſe corrigat, ſi tamen id appareat, ſtandum eſt ſecundo ejus dicto.

Vel denique teſtis in primo dicto nihil dixit de ſeipſo, neque in corrigendo, vult aliquid de ſeipſo corrigere, ſed ſolum de aliis, quos in primo dicto negavit eſſe hæreticos, vult ſe corrigere, & illos ut hæreticos manifeſtare. Et in hoc caſu non eſſe ſtandum ſecundo dicto, tenent Gundiſalvus, Decianus. Covarrurias, & Maſcardus locis citatis, ac Diana *dict. p. 4. tract. 7. reſol.* 22. Sed quod ſenſus textus abſolute ſit, quod favore fidei teſtis admitti debeat, ut ſe corrigat, ſive contra ſe, ſive contra alios, volunt Zanchinus, Repertorium Inquiſitorum, Arelatanus, Pegna, Souſa, Salelles ſupra citati. Quod innititur eiſdem verbis textus: *Stare debet tam contra ſe quam contra reliquos.* Dictio enim *reliquos* univerſalis eſt, omneſque complectitur *l. optio de ff. de opt. vel elect. legat.* ibi: *Reliquorum appellatione omnes ad Mævium pertinent.*

Sed ſi in primo dicto teſtificatus fuerit contra ſe, & alios, & poſtea ad favorem ſui, vel aliorum velit ſe corrigere, non videtur, quod id poſſit fieri ex hoc textu, qui ſemper expreſſe loquitur de volente ſe corrigere in ſecundo dicto contra ſe, & contra reliquos. Extenſio enim litteralis legis ad caſum, nedum non expreſſum, ſed etiam oppoſitum expreſſo, non eſt conſentanea regulis juris.

Et nihilominus dici poteſt, in hoc caſu non fieri fundamentum in extenſione legis, ſed in eo, quod Summus Pontifex exempli cauſa expreſſit unum caſum, cùm mens ſua, quæ ex fine legis colligitur, fuerit univerſaliter diſponere favore fidei. Siquidem favor fidei non opponitur favori veritatis, & innocentiæ, ſed illum includit. Quia fides Chriſti, quæ per charitatem operatur juſtitiam, & omnes actus virtutem dirigit, ac imperat, ſummopere exigit, ut nullus innocens pereat, utque in ſuo foro nonniſi cauſæ ex veritate decidantur. Veritate etenim vinci bonum eſt ait Auguſtinus *in cap. ad Galat.* & ideo favor fidei poſtulat, ut veritate inventa, innocentes non damnentur.

Non urget, quod ex præſumptione opponebatur, quod ſcilicet dum teſtis vult ſe corrigere ad favorem, & negare quod dixerat contra ſe, vel alios, præſumptio veritatis eſt pro primo dicto quodque præſumatur corruptus

Quoniam, ut ſecundum dictum teſtis, ſe corrigentis etiam ad favorem, admittatur, neceſſe eſt, quod ex manifeſtis indiciis appareat eum non ex animi levitate, neque ex odio, neque pretio, ſed ex zelo fidei velit ſe corrigere. Hoc autem exiſtente, jam oritur præſumptio pro ſecundo dicto, vincens oppoſitam præſumptionem. Ex quibus licet primam ſententiam putem tutiorem, hanc tamen ſecundam probabilem, ac æquitati conſonam eſſe, cenſeo, maxime autem ſi teſtis chriſtianus ſe retractet publice in articulo mortis, in quo præſumi non poteſt neque debet, quod ita omninò ſit immemor ſuæ ſalutis ut velit falsò teſtimonium perhibere.

Et licet verum ſit, ut notat etiam Farinac. *dict. quæſt.* 188. *numero nonageſimo quarto.* quod qui primum depoſuit contra ſe, vel alium, & poſtea negat ſe dixiſſe, ſit vehementer ſuſpectus de hæreſi, ut habetur *in dict. capit. litteras de præſumpt.* Nam vel in primo examine in præjudicium proximi mentitus fuit, vel in ſecundo eſt perjurus. Idque extendit ad caſum, in quo primum quis aliquem hæreticum appellavit, poſtea illum excuſat, & ſequitur Salelles *lib. 2. capite 2. numero* 214. Verum ſi excuſat revocando primum dictum, tanquam verè falſum, cùm in hoc caſu faveat fidei, quia favet veritati, ac innocentiæ, non poteſt in hoc reddi ſuſpectus de fide, neque hic eſt caſus *dict. cap. litteras.*

Ac licet etiam ſecundum dictum teſtis, ita ſe corrigentis, admittatur, tamen non plenè probat, ſed eſt fidei aliqua ex parte diminutæ *dict. cap. litteras de præſumt.* idque ratione perjurii, & variationis, & ideo pro arbitrio Inquiſitoris aliquid ei detrahendum erit ex Pegna *dict. com.* 114. *verſicul. illud tamen,* Farinac. *dict. quæſtion.* 188. *numero* 98. Immò Decian. *dict. lib.* 5 *cap.* 35. *numero* 7. *vult*, quod hujuſmodi teſtis non faciat indicium ad torturam. Neque eſſe admittendum ſine tortura, ut videatur. in quo dicto ſtare velit, docent Farinac. *loco citato num.* 90. Souſa *lib. 2. capit. 9. numero ſexto* Carena *p. 3. titul.* 17. *numero* 60. Delbene *dub.* 198. *ſect. 1. in advert. numero undecimo* Salel. *lib. 2. capit. 2. numero* 212. qui omnes falſo citant Pegnam *dict. com.* 114. *verſic. ut autem*, ubi expreſsè contrarium aſſerit, ſolumque ait, eſſe opus tortura, ſi deſint conjecturæ, ex quibus colligi nequeat, teſtem deponere veritatem. Et quamvis addat, quod in perjuro major ratio habeatur, unde torqueri debeat, perſiſtit tamen in ſententia, quam *ſchol.* 21. tradiderat de teſtibus inhabilibus, ſcilicet quod in S. Officio admittendi ſint ſine tortura. Hoc igitur attendendum, an appareat ex manifeſtis inditiis quod teſtis ex ſolo fidei zelo movetur ad ſe retractandum. Nam ſi hoc appareat, non eſt torquendus. Si non ſufficienter appareat, torqueri poterit. Quandoquidem nihil magis contrarium certitudini, quam variatio, *Clem. 1. de renunc.* Zaſ. *lib. 2. conſ. 16. numero* 43.

Pariter cum hujuſmodi teſtis in primo dicto fuerit falſus, & hoc ipſe fateatur, illud primum dictum revocando, puniendus eſt, ut per Repert. Inquiſ. *v. ſententia* & *v. teſtis*, ubi ponitur forma ſententiæ contra talem, quando miſericordiam petit, ut per Zanchin. *capit.* 14. *numero quinto*, Covar. *lib. 2. var. dict. cap.* 13. *numero nono*, Pegn. *d. com.* 114. Maximè autem ſi volebat occultare hæreticum, Souſa *lib. 2. cap. 9. numero 7.*

Denique ponderando illa verba textus: *Si aliud non obſiſtat*, advertitur, quod ſi teſtis perjurus habeat alium defectum, ob quem non debeat admitti, non eſt admittendus, ut ſi redarguatur de falſo, Gloſ. ibi *ver. non obſiſtat*, Jo, Monach. & Archid. & proſequuntur Eymeric. *p. 3. quæſtion.* 65. Pegn. *dict. reſol.* 122. *verſic. poſtremo*, Souſa *dict. cap 9. numero primo*, & Farinac, *dict. quæſtion.* 188. *numero* 97. In hoc autem caſu nec primo quidem dicto erit ſtandum, niſi tanquam deficienti, juxta prudens Inquiſitoris arbitrium. Poterit tamen teſtis probare, quod in primo dicto non fuit formaliter falſus, probando, quod habuerit juſtam cauſam credendi verum fuiſſe, quod teſtatus fuit. In quo caſu nec puniri debet, tanquam falſus. Et conſtito, quod zelo veritatis, ac fidei poſtea teſtaretur contrarium, non eſſet teſtis diminutus.

Cœteri quoque omnes, infamia laborantes, nempe uſurarii, ſpurii, niſi ſint Religioſi, vel Nobiles magnæ conditionis, vel probatiſſimæ vitæ, blaſphematores publici & ex conſuetudine, luſores conſuetudinarii in ludis prohibitis, ebrii, hiſtriones, apoſtatæ à Religione, decocti, proditores, delatores, fuſtigati, & alii, quos enumerat Farinac, *de teſtib. quæſt. 56. à numero* 400. Carena *dict. titul. 5. §. 9. à numero* 39. Souſa *lib. 2. aphor. cap.* 13. Salell. *p. 1. lib. 2. cap. 2. num.* 59 & Ricciul. *de perſon. quæ in ſtat. reprob. verſantur.* ſive ſint infames infamia juris, ſive facti non repelluntur in cauſis ad S. Officium ſpectantibus à

Digitized by Google

teſtificando, ſi ex veriſimile conjecturis ac numero perſonarum, tam deponendi, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, & aliis circumſtantiis ſic teſtificantes non præſumantur, falſum teſtimonium dicere, *ex capit. in fidei favorem de hæret. in 6* ibique Gloſſa, & Doctores communiter. Teſtes enim, qui admittuntur in criminibus exceptis, & præcipuè in crimine læſæ Majeſtatis humanæ, admittuntur etiam in crimine hæreſis.

Id tamen intelligendum eſt, quando deponunt ſuper ipſo delicto, & delicti ſubſtantia, ſecus autem ſi ſuper adminiculis, ut etiam annotavit Farinac. *dict. quæſtion.* 188. *numero* 80. *& ſeq.* Et licet admittantur contra hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, non tamen admitti debent, ſi ab ipſo reo inducantur in ſui defenſionem, ut per Gondiſal. *de hæret. quæſtione decima tertia numero decimo quarto* Repert. Inquiſ. *v. teſtis*, Boſſ. *in titulo de hæret. numero tertio.* Royas *ſingul.* 188. *numero nono & de hæret. p.* 2. *numero* 177. *aſſertat.* 46. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſolu.* 57. *numero* 3.

Similiter admittuntur alii teſtes, qui ex aliqua alia cauſa aliàs non admittuntur, ut ſunt teſtes de Univerſitate, proxenetæ, ſollicitatores cauſarum in cauſa, in qua ſollicitar, Judices, arbitri, procuratores in cauſa, quam patrocinantur accipientes ad uſuram, accuſatores, habentes commodum in ferendo teſtimonium, pauperes, non probatæ vitæ, furioſi, muti, ſurdi, de quibus videantur Farinac. *de teſtib. quæſtione quinquageſima ſeptima numero decimo quinto & quinquageſimo ſeptimo, & quæſtione ſexageſima & ſexageſima prima.* Carena *dict. titulo quinto paragrapho undecimo numero quinquageſimo nono & ſeq.*

Clerici quoque & Monachi, quamvis regulariter contra laicos non ferant teſtimonium, *can teſtimonium* 11. *quæſt.* 1. *& cap. de cætero de teſtib.* tamen in cauſa fidei non ſolum admittuntur, ſed ſunt fide digniores, Farinac. *dict. quæſt.* 61. *numero* 80. & quamvis etiam in aliis cauſis ſit Regularibus neceſſaria licentia eorum ſuperioris, ut examinentur, licet ejus defectus non irritet probationem, Farinac. *dict. quæſt.* 60. *numer.* 85. *& ſeq.* Carena *ibidem numero* 72. nihilominus in cauſa fidei hujuſmodi licentia non eſt neceſſaria.

Itaque ex teſtibus inhabilibus ſolus inimicus capitalis non admittitur ad probandam hæreſim contra inimicum ſuum. Qui enim odio capitali proximum inſequitur, jam contra conſcientiam vult ei malum unde etiam de illo præſumi debet, quod inimico, quoad fieri, poterit, nocebit, & libenter ultionis cauſa occaſionem omnibus in rebus captabit impingendi inimico hæreſim. Sola igitur inimicitia capitalis objici poteſt adverſus teſtes in S. Officio, ut ipſi à teſtificando excludantur, ob quam non ex zelo juſtitiæ, ſed ex malignitatis fomite procedere videntur. Atque ita exprimitur in Concilio Narbonenſi *cap.* 25. & in Concilio Bitterenſi *capit.* 13. *in cap. repelluntur, in cap. meminimus*, & *in capit. cum oporteat de accuſ.* & *in can. teſtes* 4. *quæſt.* 3. Præcipue quia numquam reis magis nocere poteſt inimicitia teſtium, quam in S. Officio, cùm in eo nomina teſtium non aperiantur, ſicut in aliis delictis fieri ſolet. Et ita quod inimico contra inimicum non ſit credendum, etiam in articulo mortis, aut in tortura deponenti, tradunt Royas *de hæret. p.* 2. *numer.* 231. Farinac. *dict. quæſt.* 188. *num.* 101. *&* 104. Immò nec admittendus quidem eſt inimicus nuper reconciliatus *can. accuſatores* 13. *quæſt.* 5. ubi Præpoſitus & Turrecremata id advertunt, ac Felin. *in cap. cum ſe de reſcrip.* Innoc. *in dict. cap. cum oporteat de accuſ.* Pegna *p.* 3. *com.* 116. *verſic. ad hæc* Maſcard. *de prob. concl.* 857. *n.* 47. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 10. Farinac. *dict. quæſt.* 188. *nu.* 105. Carena *p.* 3. *titul.* 5. *num.* 8. Caſtropal. *tom.* 1. *tractat.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 15. §. 1. *nu.* 11. Cum inimico enim nemo cito in gratiam redit, Quando verò dicatur reconciliatio recens facta, vel potius judicanda ſit antiqua, & firma, arbitrium eſt Judici, Pegna *dict. com.* 116. *verſicul.* Superiorem tamen, Farinac. *de teſtib. quæſt.* 94. *num.* 10. Clat. *quæſt.* 24. *verſ. ſed quid* Carena *dict. num.* 8. & Caſtropal. *dict. num.* 11. Quoties verò inter inimicos interfuit antiqua, & firma reconciliatio, teſtis repelli non poteſt, quia tunc cum ceſſet inimicitiæ cauſa, ceſſat etiam ratio, ob quam repelli debeat, arg. *textus in l.* 3. *§. fin. & l. ſeq. de adim. legat.* ubi Bartolus, ac cæteri omnes. At ego id quoque arbitrio Inquiſitoris relinquo. Adverſarius enim reconciliatus vehementer cavendus, cùm firmæ permaneant ſimultates, quas metus, & odium, ſemel conceptum, continet. Vide quæ hac de re alibi diximus.

Siquis autem fraudulenter inimicitiam contraheret cum aliquo, ne ille poſſet contra ſe admitti in teſtem in S. Officio, non debet è ſua fraude commodum reportare, ſi de fraude ex veriſimilibus conjecturis conſtaret. Sæpe enim homines, cum intelligunt, aliquem poſſe contra ſe teſtificari, fraudulenter prius, quæſita cauſa cum eo rixantur, eique ſponte injuriam inferunt, ut poſtea illum repellere à teſtimonio poſſint, & ita liberentur à crimine, quod revera commiſerunt. Et ideo talis offenſus poteſt admitti in teſtem contra offenſorem, ut per Bartol. *in l.* 1. *§. cum quis ff. de quæſt.* Bald. *in l.* 1. *ſed & ſi quis §. illud. ff. ſiquis cautio*, Pegna *d. com.* 116. *verſ. rurſus*, aliique, & non repellendus in totum, ut per Souſ. *lib.* 2. *aph. cap.* 10. *numero* 9. Farinac. *de teſtib. quæſt.* 33. *numero* 64. Caſtropal. *loco citato numero* 12. Carena *ubi ſupra numero* 10. Pegna *ibidem* Maſcard. *d. concl.* 857. *numero* 14. Teſti tamen non creditur dicenti partem procuraſſe inimicitiam, ſed aliundè probari debet, Creſcent. *dec.* 3. *numero* 5. *de teſtib.* Aliàs verò non intereſt, quod inimicitia ſit orta ex culpa ejus, contra quem deponitur, Pegna *d. com.* 116. *verſic. jam ſuperiora*, & Doctores *in dict. cap. repellantur de accuſ.* An autem inimicitia ſit procurata per fraudem, arbitrium Inquiſitoris ſit.

Non deſunt etiam, qui hoc extendunt ad ſuſpectos de inimicitia, ut Pegna *dict. com.* 116. *verſic. item præſumuntur.* Gabr. *concl.* 178. *numero* 8. *&* 24. *lib.* 1. Caſtropal. *ſupra numer.* 10. Fundantur in *dict. can. accuſatores* 3. *quæſt.* 5. & *dict. cap. repellantur. & d. cum. oporteat de accuſ.* Sunt quoque qui aſſerant, quod in cauſa fidei ejuſmodi ſuſpecti non admittuntur, ut Campeg. *in addit. ad Zanchin. de hæret. cap.* 31. *verſ. teſtium.* At dicendum eſt, arbitrandum eſſe Inquiſitori hujuſmodi ſuſpectos recipere & in omni caſu eorum dicta non ſunt admittenda, niſi ſint adminicula, Farinac. *dict quæſt.* 188. *n.* 107. ex Calderino & Campegio, traditque Carena *p.* 3. *titulo* 5. *n.* 5. Id, quod Farinac. *numero* 109. extendit etiam ad inimicos capitales ex eodem Calderino, ut ſcilicet audiri poſſint, ſed eorum dicta non admitti, niſi ſint ſufficienter adminiculata,

Ubi verò inimicitia non ſit capitalis, non prohibetur inimicus teſtimonium ferre in cauſa fidei, quamvis non ſit teſtis integer. Eymeric. *p.* 3. *rubr. de defenſ. reor. nu.* 118. *& q.* 67. ibique Pegna *d. com.* 28. *verſic. illis tantum* Locat. *in Iudic. Inquiſ. v inimicitia*, Carena *dict. tit.* 5. *n.* 7. Souſa *dict. cap.* 10. Caſtropal *ibid. n.* 9. Salelles *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 62. & cæteri, quos refert ac ſequitur Farinac. *de hæreſ. dict. quæſtione* 188. *numero* 110. Ideoque ejus atteſtationi plena fides non eſt adhibenda, niſi aliis adminiculis, aliorumque teſtium depoſitionibus adjuvetur, ut per Decian. *tractat. cr. lib.* 5. *capit.* 31. *numero decimo.* Eymericum & Pegnam *loco citato.*

Probata

Probata autem cauſa ſufficiente ad inducendam inimicitiam capiralem, cenſetur probata inimicitia, Farinac. *de reſtib. quæſtione* 53. *numero* 27. Quod tamen non procedit, ſi cauſa inimicitiæ non ſit nota teſti, Carena *dict. titul.* 5. *numero* 12. Et nihilominus Pegna *dict. com.* 116. clementer exiſtimat, inimicum non admittendum quoties ſubeſt caoſa inimicitiæ, quamvis norſdum illa intercefferit, cùm tamen veriſimiliter oriri poſſit, l cet teſtis dicat ſe non eſſe inimicum, citatque ad id Ennoc. *in cap. cum I. & A. de re jud.* Barrhol. *in l.* 1. *ff. de his, quib. ut ind gn.* & Abb. *in d. cap. repellantur de accuſ.*

Reſtat, ut brevirer recenſeamus cauſas capiralis inimicitiæ, ob quam in S. Tribunali repelluntur teſtes à teſtimonio dicendo adverſus inquiſitum. Prima cauſa oritur contra eum, qui occidit conſanguineum teſtis, vel dedit operam, ut interficeretur. Secunda quoties quis conatus eſt occidere eum contra quem vult teſtificari, Eymer. *p.* 3. *numer.* 118. Tertia ex ſolis minis de occidendo, Gloſ. *in leg. licet v. capitales, ff. de recept. arb.* Quarta ex inſidiis paratis vitæ ejus, contra quem is, qui illas paravir, vult teſtificari, Gloſ. *in §. inimicitia v. ſi capitales inſtit. de excuſ. tut.* Eymer. *loco citato.* Quinta, quando quis accuſavit aliquem de cauſa capitali, vel de delicto, ex quo oritur infamia, vel ſi fuiſſet probatum impoſita ei fuiſſet pœna mortis, vel publicationis omnium, vel majoris partis bonorum, aut exilii, Barrol. *in leg.* 4. *paragrapho fin. ff. de adim. legat.* Gloſ. *in l.* 3. *v. Capitales ff. de recept. arb.* Sexta quando quis alias depoſuit contra eum in cauſa criminali, Doctores *in l.* 3 *de teſtib.* Septima ex eo quod aliquis eum, qui modo contra ſe teſtificatur detinuit aliquando in vinculis, Felio. *in dict. capit. repellantur num.* 3. *de accuſat.* Hæc autem inimicitia ſemper durare præſumitur, niſi contrarium probetur, Bald. *in l. non ignorabit C. de exhib.* Octava inter nobiles, & ingenuas perſonas oritur capitalis inimicitia ob ſolam injuriarum prolationem, ut notat Bald. *in capit. veniens de jurejur.* Nona ſiquis pudicitiam alterius uxoris, vel ſororis, aut filiæ, aur conjunctæ attentaverit cujus honor, vel infamia plurimum ſolet afficere viros honeſtos, & apud eos graves inimicitia, parere, vel per vim uſurpaverit alrerius villam, agrum, domum, & ſimilia, Marſil. *in lib.* 1. *paragrapho præterea numero ſecundo & tertio ff. de quæſt.* Decima ſi quis moveat alteri litem de omnibus illius bonis, aut de majori eorum parte, Felin. *in cap quoties numero quinto de teſtib.* Panorm. *in capite* 1. *n.* 3. *de judic.* Undecima ſiquis alium offendir in perſona. vel in rebus, Bald. *in leg. in bis ff. ſol. matr.* Marſil. *loco allegato.* Duodecima ſi dudum fuerat inimicus, & recens eſt reconciliatus, ut *in dict. can. accuſatores* 3. *quæſtione quinta* ibique Canoniſtæ. Tertia decima, deſcendenres ab inimico capitali præſumuntur etiam inimici, & ideò à teſtimonio repelluntur *leg. athleta paragrapho dat remiſſionem ff. de accuſ* ibique Baldus, & alii, ac Felin. *ibidem numero* 4. ubi ait, ſi ego cootraxi inimicitiam cum uno de una familia, præſumitur. quod omnes de familia ſua ſint mihi inimici uſque ad quartum gradum incluſivè, & ita etiam inquiunt Angel. *conſilio* 148. Alexand. de Imol. *conſilio* 24. ac cœteri. Quarta decima, præſumuntur inimici mei, qui cum meis inimicis commorantur, & propterea meritò à reſtimonio repelluntur *dict. can. accuſatores* 3. *quæſtione quinta & dd. capit. repellantur*, & *cap. cum oporteat de accuſ.* Et ſimiliter qui parentelam, ſeu confœderationem fecit, aur amicitiam contraxit cum inimico meo capitali, inimicus meus jure dicitur, ut latè Grammat. *conſilio* 24. *numero ſexto volum.* 2. Baldus & Jaſon. *in leg. liberi Cod. de inoffic. teſtam.* & neque ad dicendum contra me teſtimonium, eſt admittendus. Quintadecima, ut inimicus cenſendus eſt & à teſtimonio repellendus, qui eſt de aliqua familia, ſeu factione alteri familiæ, vel factioni contrariæ, Bald. *in leg. unic. Cod. de rapt. virg.* Royas *ſingul.* 200. *numero octavo*, Pegna *dict. p.* 3. *com.* 116. ubi notat, in hac parte occulto judicio opus eſſe. Nam ſi teſtes eſſent ſpectatæ virtutis, & probiratis, ceſſaret ralis ſuſpicio, quamvis in aliis, eſſet valdè conſideranda. Decima ſexta eſt quæſtio ſtatus, ut ſi quis aſſerar aliquem eſſe libertum, non ingenuum natum, vel eum eſſe ſervum. Decima ſeptima eſt lis de magna pecuniarum quantitate. Nam ſæpe lis civilis æquiparatur criminali. Decima octava generalis eſt offenſio alterius in perſona, vel in rebus, ut ſi quis alreri dedit alapam vel fuſtibus percuſſit, aut vulneravit. Quæ omnia locum habent, etiamſi inimicitia contracta eſſet culpa ejus, contra quem deponitur, ut communiter Doctores *in dict. cap. repellantur*, & *in dict. leg. athleta*, dummodo in fraude ac dolo non ſit cootracta, ut dictum, eſt ſupra.

In his tamen omnibus permultum conſideranda eſt qualitas perſonarum. Sæpe enim contingit, quod illa cauſa, quæ ſufficiens eſt gignere inimicitiam inter aliquos, in aliis, non ſufficiat. Contra verò ſunt multi ira iniqui, & maligni, ut ex levi cauſa odium concipiant contra alios, quos cùm non poſſint palam offendere, clam moliuntur adverſus eos omnia iniquitarum genera. Marcus Piduſtius proſcriptus à Sylla, ſuperſtes ſervatus à fortuna ut Plinius loquitur *lib.* 7. *cap.* 3. per triginta annos uſque ad Antonium, ab eo iterum proſcriptus eſt, conſtatque, inquit, nulla alia cauſa proſcriptum ab eo, quàm quod proſcriptus eſſet. Sunt enim quotidianæ hominum malorum calumniæ, quibus juſtiſſimi, probiſſimique ſolent vexari. Expoſita enim eſt virtus & hominum excellens probitas calumniia improborum, qui ex diametro adverſantur, & dum apertè non poſſunt quicquam in illos exercere, falſis accuſationibus illorum bonam famam, falſiſque reſtibus maculare conantur, & veluti per cuniculos inſidiantur. Sic & Cato Porciæ gentis primus, optimus Orator, optimus Senator, optimus Imperatot plurimorū odio quater, & quadrageſies cauſam dixir, nec quiſquam ſæpius poſtulatus, & ſemper abſolutus, ut idem Plinius ſcribir *lib.* 7. *cap.* 27. Sunt exempla huic ſimilia de Ariſtide, Phonone, & aliis, quos prætermitto, cùm oobis unicum præſtantiſſimum præ manibus ſit ſufficiena Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Deus, & innocentiſſimus homo omnibuſque perfectione, & præſtantia, & bonitare abſolutus, cui nec adjici quicquam boni poſſit, tamen ur Samaritannus, helluo, dæmonem habens, & ſeductor à Judæia calumniis, ex falſis teſtibus provocatus, & poſtulatus ad mortem fuit. Quid de invidis, cùm odii frutex ſit invidia? Frutex, inquam, ſi rem phyſice ſpectemus. Nam agens ex affectu triſtitiæ, invidia manat ex odio, tanquam ex cauſa, unumque horum affectuum differre ab alio, latè confirmat Plurarchus initio opuſculi de odio & invidia; moraliter tamen vim conſiderando, ſive in ordine ad rectam rationem, & honeſtatem, vel inhoneſtatem, ejuſdem rarionis ſunt odium, & invidia, pertinente ad idem vitium. Quod voluiſſe cenſuerim quoſdam recentiores, qui ad

invidiam ſpectare dicunt gaudium de aliena calamitate. Cum enim invidia ſit triſtitia quædam, perſpicuom eſt, gaudium illud, ſi phyſice ſpectetur, longè diverſum eſſe ab invidia. Tamen quia ejuſdem inhoneſtatis eſt, triſtari de alieno bono, & gaudere de alieno malo, rectè dicuntur eſſe ejuſdem rationis, nempe moralia, & in genere vitii, ſepoſita diverſitate phyſica & eſſentiali. Quare cùm invidia ad idem cum odio vitium ſpectet, & ab odio actuali, tanquam ab aliquo ex neceſſitate præſuppoſito pendeat, recte illam ſicut odium deteſtamur. Quia autem præſefert odium, protinus ſibi fidem abrogat, etiam in cauſa juſtiſſima. Nam odium, ait Chryſoſt. *hom 43. in Matth.* omne malum ſuggerit

Quanta porrò ſit hujus vitii fœditas, ex illa ejus genuina deſcriptione, quæ 2. *metamorph.* exhibetur, æſtimare licet.

Monſtri nunc audi qua ſit imago.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto.
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno,
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores;
Nec fruitur ſomno, vigilantibus incita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque & carpitur una.
Suppliciumque ſuum eſt. Hic graphice deſcribitur Cacangelus, ſirena, dis, διαβολὴ Latè in eam Div. Chryſoſt. *orat.* 78. D. Gregorius 5. *moral. cap.* 33. *ſub finem* D. Baſilius *hom.* 11. ſimplicius *in capit.* 26. enchiridii Epicteti, D. Ambroſ. 2. *offic. capit.* 30. D. Chryſoſtomus *hom.* 7. *ad Roman.* & *homicid.* 20. & *homicid* 3. *in* 1. *ad Timoth.* ac *homicid.* 24. & 27. *in* 1. *ad Corinth.* & *homicid.* 44. & 45. & 53. *ad popul.* Item Proſper 3. *de vita contempl. capit.* 9. Caſſian. *coll.* 18. *capit. ult.* & apud Stobeum Palladas *ſer.* 38. Auguſtinus 15. *Civit. capit.* 5. Gregorius Nyſſenus *orat.* 7. Nazianzenus *orat.* 27. Hieronymus *in capit.* 5. *ad Galat.* Cyprianus *lib. de zelo & livore numer.* 12 & 17. Et qui non. Illuſtria plane ſunt, quæ in invidos, olei, ut vocat, venditores, hoc eſt eloquium adhibentes ſuper mel dulce, eeipſa autem ſimulatione vaferrima plurimam amaritudinem obtegentes, diſſerit Petrus Bleſenſis *ep.* 87. conſolans Gulielmum Elienſem, Epiſcopum, invidorum artibus ac ſimulatione, quæ ei impoſuerat, de culmine dejectum, id, quod æque aliis, quàm plurimis obtigiſſe jam olim, docet ibidem, ac etiam *epiſt.* 72. & graviſſime quoque Petrus Chriſolog. *ſer.* 4. & 48. Scite verò Gregorius Nyſſenus *orat.* 7. *de beatitud.* invidiam ſimulatione obtectam, occultum malum, aperto longe tertius, ac periculoſius nominat, iiſque canibus confert, quorum neque latratus iram præſignificat, neque commotio prænuncia morſum declinandum demonſtrat, quos multò magis cavendos eſſe, nemo non videt. Deſino, præmiſſis illis in informe hoc monſtrum diris, quæ leguntur apud Conſtantinum Manaſſem in Annalibus *numero* 126. cùm de Beliſarii æmulis, & invidiæ in eum telis. *O invidia, bellua nocens, latrocinatrix, cædibus, & perſecutionibus gaudens, ſcorpie ſtimulis infinitis prædite, tygris homines devorans, dracæna venefica, lethalis herba, telum ferri expers, cuſpis acutiſſima, qualia deſignas & improbe commiteris; quas calamitates, & quæ mala ſtruis, Vincit me dolor, conturbat luctus, & lacrymas exprimit. Quoſque perditrix tantum virium habebis; Quoſque ſceleratiſſima, vitam humanam perturbabis? O tyranne mala machinans, ſanguinarie, cuncta appetens.*

Hæc eſſe diligentiſſime in S. Officio conſideranda, monet etiam Pegna *d. com.* 116. *verſ. denique.* Præcipue quia cùm in S. Officio non publicentur nomina teſtium, ut ex hoc poſſit reus excipere contra illos de inimicitia, vel aliis inhabilitatibus, debent Inquiſitores ipſi ex officio tam reos, quàm teſtes ſuper hac inimicitia, & ejus cauſia accurate interrogare, ut per Archid. *in capit. ut officium numero* 9. *de hæret. in* 6. ibique Jo. Andr. *numero* 2. Gemin. *numero* 7. Locat. *in Indic. Inquiſ. v. Index numero* 16. Direct. *par.* 3. *rubr. de ſex mod. tract. cap. proc. numer.* 119. & *quæſt.* 67. ubi Pegn. *d. com.* 116. Farinac. *d.* 7. *quæſt.* 188. *numer.* 106. Carena *dict. tit.* 5. *numer.* 1. Souſa *dict. capit.* 10. *numer.* 13. pluresque alii. Quod in S. Officio religioſiſſimè & acerrime obſervatur. Ipſorumque Inquiſitorum arbitrio eſt relinquendum definire, quæ inimicitiæ dicantur capitales, quam facultatem affirmat Pegna *loc. cit.* non eſſe Inquiſitoribus denegandam, ſed tutius eſſe, ſubdit, in hac re aliorum arbitrium ſequi.

CONSULTATIO CLI.

Quando, & ad quid teſtes inhabiles, exceptis inimicis, in S. Tribunali S. Officii admitti debeant?

RESpondeo eos admittendos eſſe ſemper, indiſtincte ac ſimpliciter, ſed ita demum, ſicut decernit Alexander Pontifex *in capit. in fidei favorem de hæret. in* 6. *ex veriſimilibus conjecturis, & numero teſtium, aut perſonarum tam deponentium, quam eorum contra quos deponitur, & aliis circumſtantiis falſa non deponere præſumuntur.* Ad quæ verba omnes ſuffragantur, nominatim Gloſſa *in figura caſus*, & *ver. conjecturis*, & *v. deponitur*, Jo. Monach. *numero* 1. Jo. Andr. *numero* 3. Archid. *numero* 3. Anchar. *numero* 1. Gemin. *numero* 3. Franch. *numer.* 2. Sylveſt. *in ſum. v. hæreticus* 2. *numero* 6. Locat. *in judicial. Inquiſ. u. excommunicati numero* 4. & 5. *ac u. teſtis numer.* 34. Repert. Inquiſ. *u. teſtis*, Simanch. *cath. inſtit. tit.* 51. *numero* 10. Gundiſal. *quæſt.* 13 *num.* 12. Decian. *lib.* 5. *capit.* 35. *numero* 1. Maſcard. *de prob. concl.* 855. *numero* 9. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 188. *numero* 79.

Notandom autem eſt, quod Alexander magna cum cautione loquitur. Non enim requirit præſumptionem veritatis, ſed non præſumptionem falſitatis, ut advertunt Gemin. *numer.* 7. & Franch. *numer.* 2. Diſtingui etenim debet, an teſtis probet, an ne, & an teſtis ſit admittendus, an ne. Multa enim requiruntur ad hæc, ut teſtis probet, quæ non ſunt neceſſaria, ut admittatur. Plurimi namque teſtes, etiam omni exceptione majores admittuntur, qui tamen admitti poſtea non probant. Sicque ut teſtes inhabiles, plenè probent, alia indicia, & adminicula requiruntur; ut autem admitantur, ſufficit, quod, omnibus perpenſis, non præſumantur falſi. Et ita, licet adſit aliquod dubium de eorum veritate, non debent tamen rejici, ſi non adſit præſumptio falſi.

Quare conſiderandum eſt, quod duplex genus circumſtantiarum hic attendi debet. Quædam enim ſunt, quæ ferunt indicium delicti, & ſic inducunt novam ſpeciem probationis, diſtinctam à probatione per teſtificationem teſtis, & hæ circumſtantiæ ſunt adminicula, quibus teſtificatio teſtis coadjuvatur, & hujuſmodi adminiculis valde indigent teſtes inhabiles, ut plenè probent. Aliæ verò circumſtantiæ, ſunt, ex quibus teſtis ex aliqua cauſa inhabilis præſumi poteſt falſus, & ideo prorſus inhabilis, ac rejiciendus. Atque de iſtis loquitur textus,

tus, & vult, has conſiderandas eſſe, antequam teſtis admitiatur.

Dubitatur autem primo an teſtes inhabiles, etiamſi non præſumantur falſi, admitti debeant in omni fidei cauſa. Multi exiſtimant, quod ubi Inquiſitores procedunt per viam accuſationis non poſſint admitiere teſtes inhabiles. Quia *dict. cap. in fidei favorem* ſolum concedit, quod in negotio Inquiſitionis admitti poſſint teſtes inhabiles. Secus igitur eſt, quando proceditur per modum accuſationis. Et quia inquiſitio eſt favorabilia *ex can. ſiquis Epiſcopus 2. quæſt. 7.* non autem accuſatio, ac proinde hoc privilegium ad illam non debet extendi. Tum quia jus non intendit ſavere accuſatori, cujus intereſt probare quod teſtificatus eſt contra accuſatum. Et tum quia textus *in d. capit. in fidei favorem* exorbitat, & corrigit jus commune. In exorbitantibus autem, & correctoriis non permittitur de jure extenſio *l. cum quidem ff. de lib. & poſth. cap. tua §. fin. de decim.* Quia lex correctoria juris communis eſt odioſa, atque adeo ſtricte accipienda *l. præcipimus ff. de appel. & capit. dilectus de conſecr.* traduntque communiter Suar. *lib. 1. de legib. capite ſecundo numero tertio & cap. 27. num. 4.* Caſtropal. *tractat. 3. de legib. diſp. 4. pun. 3. §. 3. numero 14.* Sic ante Conſtitutionem Gregorii XV. de ſollicitantibus & ante declarationem Pauli V. Confeſſatiua, qui ſollicitaſſet puerum, non erat denunciandus, cùm tamen militaret eadem ratio, ut docent Bariola *in flor. Inquiſ.* Portel. *in dub. regul. v. ſollicitare in addit.* Fagundez *præcept. 2. Eccleſ. lib. 4. cap. 3. numero 31.* Hujus ſententiæ eſt in *dict. cap.* Gloſſa *v. Inquiſitionis* Jo. Andr. *numero 3.* Gemin. *numero 7.* Franch. *num. 3.* Sylveſtr. *v. hæreticus 2 numero 6.* Repert. Inquiſ. *v. teſtis*, Decian *lib. 5. cap. 35. numero 2. & 8.* Maſcard. *lib. 2. concl. 857. num. 3n.* Farinac. *qu. 188. num. 78.* ubi plures pro ea refert, nec ipſe illam rejicit. At nos hanc ſententiam fundirus repudiamus, aſſerimuſque Conſtitutionem Alexandrini IV. *in dict. cap. in fidei favorem* habere locum ſive procedatur per viam Inquiſitionis, ſive per viam accuſationis, aut denunciationis. Nobiſcum ſunt Archid. *in dict. cap. accuſatus numero 2.* Gundiſal. *de hæret. quæſtione 13.* Lud. Carrer. *eod. titul. §. circa igitur numero 50.* Simanch. *in cath. inſtitut. cap. 62. numero 3.* Repert. Inquiſ *d. v. teſtis*, Royas *ſing. 188. num. 6 & ſing. 191. nu 2. & ſing. 84. numero 4.* Farinac *de teſtib. quæſt. 62. num. 88.* Caſtropal. *tom. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 15. §. 2. n. 4.* Salell. *p. 1. lib. 2. cap. 3. num. 47.* Souſa *lib. 2. aph. cap. 13. nu. 6.* ac Delbene *p. 2. dub. 198. ſect. 4. numer. 4.* Ex eo etenim quod contra hæreticum proceditur viam accuſationis, cauſa oon deſinit eſſe cauſa fidei, in cujus favorem emiſſa eſt d. Conſtiturio, eſtque accidens, quòd accuſator inſtet contra accuſatum hæreticum, cùm etiam, eo non inſtante, Judex teneretur contra accuſatum procedere. Et ſi non multum intereſt, quod fruſtretur intentio accuſatoris, intereſt tamen plurimum, quod hæreſis ex defectu probationum non maneat occulta, & ideo favor fidei poſtulat, ut per quamcumque viam Judex procedat, hæreſis non maneat ex defectu probationum occulta. Et quia eſt ratio expreſſa in lege, ſcilicet in fidei favorem. Ratio autem expreſſa in lege, eſt ratio finalis illiua, non autem impulſiva, Gloſ. *in l. cum tale §. falſam ff. de condit. & demonſtr.* quam ibi notabilem aiunt Baldus, & Angel. *in l. ſciendum numero 2. ff. de ædil edict. Jaſ. in l. ſi pecuniam numero decimo octavo ff. de cond. cau. dat cauſ. non ſequut.* Cardinal. & Imol. *in cap. ex parte de Cler. conjug. Præpoſ. in cap. verum numero tertio de condit. appoſ.* egregiè Tiraquel. *in tractat. ceſſante cauſa fall 3. numero 21.*

Non obſtat, quod diſpoſitio dictæ Conſtitutionis ſit exorbitans, & juris communis correctoria. Nam quando lex, vel conſtitutio aliqua ex una parte continet favorem, ex altera odium, attenditur, id propter quod principaliter emanavit, ſcilicet in fidei favorem, & in odium hæreſis, atque adeo conſideratur potius favor, quàm odium per Gloſſ. *in l. 2. Codic. de in jus voc.* ubi Bald & Jaſ. *numero tertio & quarto.* idem Bald. *in leg. illud. Codic. de ſacroſ. Eccleſ. col. 2.* Bartol. & Caſtr. *in leg. bona fides ſub initio ff. depoſiti, & in leg. ſiquis nec cauſam ff. ſi cert. pet.* Abb. *in capit. non dubium numero tertio de ſent. excom.* cum vulgò aliis.

Ratio autem eſt, quia, eſto quod dictum *caput in fidei favorem* eſſet odioſum, adhuc tamen habet locum, quando etiam proceditur per viam accuſationis, vel denunciationis, non quidem per extenſionem, ſed per comprehenſionem. Ubi enim adeſt identitas rationis, præſertim expreſſæ in lege, ibi adeſt eadem lex, non extenſivè, ſed comprehenſivè *leg. his ſolis Codic. de rev. don. & leg. illud Codic. de ſacroſ. Eccleſ. leg. item veniunt §. ait Senatus ff. de petit. hæred. & leg. emptor. paragrapho ancilla ff. de rei vendicat.* Quia lex diſponit de materia, prout ſtat ſub illa ratione. Unde per ſe primo diſponit de ratione, ut de fine, de materia verò, ut de ſubjecto, in quo lex ſortitur ſuum finem. Et ideo ratio legis, cùm ſecundum ſe totam ſit ſub diſpoſitione legis, extendit neceſſario legem, ſive favorabilem, ſive odioſam, ad totam materiam, quam ſibi proſternit ita, ut non poſſit non extendere, quia non poteſt non ſubjicere materiam legi, in qua eſt dum ipſa ſecundum ſe totam eſt ſub diſpoſitione legis. Ratio autem prædictæ Conſtitutionis eſt fidei favor, odium hæreſis. Quæ ratio reperitur, ſive procedatur per Inquiſitionem, ſive per accuſatiooem, ſive per denunciationem. Hinc extenſionem comprehenſivam habere locum etiam in lege pœnali, licet ſit odioſa, & in lege correctoria & pœnali ſimul, quando ratio eſt expreſſa in lege alibi docuimus.

Unde non ſemper vera eſt illa regula, quod correctorio juris ſit ſemper odioſa. Nam leges mutantes, ſive abrogantes; quia fieri poteſt, quod quæ antea erant utiles ex mutatione rerum evadant minus utiles, aut etiam inutiles, & non conducant ad publicam utilitatem, ſicut poſſunt conducere novæ leges, ut docent communiter Theologi cùm D. Thoma 1. 2. *quæſtione nonageſima ſeptima articul. prim.* Debent enim leges condi ad publicam utilitatem, & ſecundum ipſam dirigi. Si ergo lex nova conducat ad publicam otilitatem, & non lex antiqua abrogata, dum emanat diſpoſitio contra legem novam, reducendo ad jus antiquum, non erit diſpoſitio favorabilis, & ample interpretanda, quia derogat publicæ utilitati, quàm fovet lex nova. Quod contingit in hac materia. Nam diſpoſitio *dict. capitis* in fidei favorem valdè confert ad conſervandam integritatem fidei catholicæ, & ideo, ſi diſpoſitio procedendi contra hæreticos eſſet ſecundum jus antiquum, reducendo illam ad ipſum, detraheret favori fidei, quia non ita facile hæreſis probaretur, atque adeò utilitati publicæ. Et quamvis reſpiceret favorem privatæ perſonæ, læderet tamen favorem publicum, ac proinde reductio ad jus antiquum non eſſet favorabilis, ſed odioſa, tanquam contraria publicæ utilitati.

Quare illa regula, quod reductio ad jus antiquum ſit favorabilis, non debet accipi generaliter, ſed quod tunc ſolum ſit favorabilis, quando jus antiquum continet favorem publicum, ſive conducit

ad publicam utilitatem. Neque enim favorabilis eſſe poteſt, niſi quatenus reducit jus antiquum, ac veluti in centro ipſum continet. Si ergò jus antiquum non ſit favorabile, ſive non contineat favorem publicum, & communem, non erit favorabile juxta ea, quæ tradunt Gloſ. *in capit. ſi propter v. primi anni de reſcript. in 6. & in capit. ſicut cuncti v. alios de elect. eod.* ibique Gemin. & Jo. Andr. *numer.* 9. Franch. *numer.* 6. ac Felin. *in capite primo numero quartodecimo de ſponſal.* & *in capit. non dubium numero ſecundo de ſentent. excommunicat.* Bartol. *in l. qui exceptionem numero ſecundo ff. de condit. indeb.* Caſtr. *in l. ſiquis nec cauſam numero quarto ff. ſi cert. pet.* ubi Jaſon, Salicetus, & alii Quod non contingit, ſi jus antiquum abrogatum non contineat favorem, præſertim publicum, quem planè continet dictum *capit. in fidei favorem de hæret. in 6.*

Neque urget exemplum de confeſſario ſollicitante puerum, ad quem non ſe extendebat lex de denunciando ante Conſtitutionem Gregorii XV. Nam quamvis ita doceant Autores citati, hoc tamen ſine fundamento docent, oppoſitumque tenent communiter Rodriq. *tomo ſecundo quæſtione regul.* 27. *art.* 3. Quaranta *in ſum. Bullar. v. confeſſio*, Cherub. *in comp. Bullar. p.* 2. *conſtitut.* 31. Acugna *de confeſſ. ſollic. quæſtione* 5. Gyptius *de caſib. reſerv. quæſtione* 14. *numero quarto*. Scortia *in Bull. Pontif. epit.* 77. *theor.* 197. Coriolan. *de caſib. reſer. p.* 1. *ſect.* 2. *articulo vigeſimo ſecundo, numero tertio* Ricc. *p.* 3. *pr. reſol.* 66. *numero tertio* Hiron. Rodriq. *in com. quæſt. regul.* 131. *numero tertio* Souſa *de confeſſ. ſollic. tractat.* 4. *cap.* 12. *numero* 12. Molfeſ. *p.* 1. *ſum. tractat.* 7. *cap.* 24. *num.* 34. qui teſtatur de praxi ante dictam Conſtitutionem Gregorii XV. ex vi Conſtitutionis Pauli IV. ſub anno 1564. & ex decreto Sacræ Congregationis S. Officii, quia nimirum caſus, in quo militat eadem ratio, dicitur comprehenſus in caſu expreſſo, ut notant Gloſſa, communiter recepta *in capit primo v. Italia de temp. ordin. in 6.*

Minus etiam rectè contraria ſententia ſe fundat in verbis illis: *in negotio Inquiſitionis.* Quia negotium Inquiſitionis agitur quandocumque contra hæreticum producitur ad fidei defenſionem, ſive procedatur per viam Inquiſitionis, ſive per viam accuſationis aut denunciationis, ac ſemper proceſſus eſt inquiſitio, ſive fiat inſtante accuſatore, ſive ex officio.

Deinde alii textum *in dict. capit. in fidei favorem* limitant diſtinguendo inter ſubſtantiam delicti, & adminicula, & volunt, teſtes inhabiles admitti ad probandum delictum, non autem adminicula. Diſtinguunt tamen inter adminicula ſubſtantialia & accidentalia. Illa dicunt eſſe, quæ inferunt ad ſubſtantiam delicti, ut familiaritas cum hæreticis, conventiculæ ſecretæ, & alia hujuſmodi quæ ſunt adminicula hæreſis. Iſta verò aiunt eſſe, quæ non inferunt delictum, ut in hæreſi baptiſmus, & ſic poterunt admitti teſtes inhabiles ad probandum, quod Titius protulerit hæreſim, non tamen, quod Titius ſit baptizatus, licet Titius non ſit hæreticus, niſi ſit baptizatus, quia baptiſmus & hæreſis nihil commune habent, & ex baptiſmo non infertur hæreſis. Probant id ex Bartolo *in leg. quæſtionibus ff. ad Jul. Majeſt.* tradente, teſtes inhabiles admitti ad probandum, quod Rector Provinciæ non admiſit ſucceſſorem Regem, & ideo commiſit crimen læſæ majeſtatis, non tamen admitti ad probandum, quod ille non fuerit legitimus Regni ſucceſſor. Item ex Baldo *in auth. ſi teſtis productus numero ſeptimo Cod. de teſtib.* ubi aſſerit, quod ſi ſtatuto admittantur infames ad probandum adulterium non inde infertur, quod admittantur ad probandum matrimonium, etſi adulterium præſupponat matrimonium. Atque ita docent Parіſ. *conſilio* 2. *numero* 81. *lib.* 4. & *quæſt.* 56. *numero* 78. Maſcard. *de prob. concl.* 857. quos ſequitur Farinac. *dict. qu.* 188. *n.* 80. Souſa *in aph. dict. lib.* 1. *cap.* 13. *numero octavo*. Caſtropal. *dict. pun.* 15. §. 2. *numero* 2. ac Delbene *d. diſp.* 198. *ſect.* 3. *n.* 3.

Hæc diſtinctio in ſuis propriis terminis ratione innititur. Nam ſubſtantialia in hac parte dici debent omnia illa, ſine quibus non eſt delictum hæreſis. Contra rationem enim eſt aſſerere, non eſſe alicui rei ſubſtantiale id, quod eſt de ratione ac definitione illius, & ſic in individuo ſubſtantiale hæreſi eſt, id, quod eſt de ratione hæreſis, & ſine quo hæreſis non eſt, & cauſa, ex qua hæreſis eſt, & circumſtantiæ omnes, quæ delictum aggravant, vel ex quibus hæreſis infertur, & probari aliquo modo poteſt. Sed quod baptiſmus non ſit ſubſtantialis hæreſi, vel quod hæreſi & baptiſmo nihil ſit commune, dicitur ab iis, ſed non probatur. Verum quidem eſt, quod baptiſmus, quantum ſit ex ſe, accidentaliter ſe habet ad hæreſim. Accidens enim eſt, quod baptizatus ſit hæreticus, at hæreſis ex parte ſua non ſe habet accidentaliter ad baptiſmum, quia per ſe baptiſmum ſupponit. Et ideo impoſſibile eſt, quod hæreſis plene ſit probata, niſi ſit probatus baptiſmus.

Dicendum propterea eſt, inhabiles, admitti debere in cauſa hæreſis ad probandum omnia illa ſive adminicula, ſive circumſtantias, ſine quibus hæreſis non probatur. Nam favor fidei requirit, ac in favorem fidei conceſſum eſt, ut teſtes inhabiles admittantur ad probandam hæreſim plenè, non imperfectè, ac ita, quod hæreticus meritò, ac jure puniri non poſſit. Hæreſis autem plenè probari non poteſt, niſi probatis omnibus, ſine quibus hæreſis non eſt, neque hæreticus poterit plene damnari, ut hæreticus, niſi illis probatis, quemadmodum non probato baptiſmo illius, qui negat fidem chriſtianam, nunquam erit probatum, quod ille ſit hæreticus. Sic etiam loquendo de crimine læſæ majeſtatis humanæ quòd teſtes ad probandum aliquod delictum admitti debeant ad probandum quoque id, ſine quo delictum eſſe non poteſt quia omne illud eſt ſubſtantiale delicto, tradunt Salic. *in auth. ſi dicatur numero* 11. *C. de teſtib.* Angel. *in l. famoſi numero* 1. *ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Gygas *de crim. læſ. majeſt. lib.* 2. *rubr. quomodo, & per quos crim. læſ. majeſt. prob. quæſt.* 5. Boſſ. *eod. argument numero* 114. Atque ita dicimus, teſtes inhabiles eſſe admittendos ad probandum etiam adminicula delicti, quæ talia ſunt, ac univerſim omnia illa, quæ licet ſecundum ſe ſumpta, & ex ſe connexionem non habent cum hæreſi, hæreſis tamen in ſpecie, vel in individuo connexionem habet cum illis, & ſunt vel neceſſaria, ut hæreſis plene probetur, vel ad probandum poſſint omnifariam coadjuvare. Idcirco enim conceſſum eſt, quod teſtes inhabiles admittantur, ut delictum hæreſis probari poſſit, ne ex defectu probationum remaneat impunitum.

Ad hæc plures ſunt, qui *dict. cap. in fidei favorem* limitant, explicantque, dum aiunt in cauſa fidei teſtes inhabiles admitti poſſe ſolùm in ſubſidium, & tunc demum, quando aliter hæreſis probari non poſſit. Nam illius textu legitur. *In fidei favorem concedimus, ut in negotio Inquiſitionis hæretica pravitatis excommunicati & participes, vel ſocii criminis in teſtimonium admittantur præſertim in aliarum probationum defectum.* Ita ſentiunt ij, quos ſequitur Eymer. *p.* 3. *quæſt.*

quæſtione 69. & Delrius lib. 5. diſquiſ. magic. paragrapho poſſunt in hac cauſa, Simanch. de Zanchin. de hæret. capit. 10. Verum hæc ſententia pugnat cum textu citato, qui vult, teſtes inhabiles admitti in favorem fidei, præſertim verò in defectum aliarum probationum. Dictio enim præſertim, non eſt taxativa, ſive reſtrictiva, ſed ampliativa, & ſignificat idem quod verbum Maxime, ut per Gemin. conſ. 16. numero 4. & ut advertit Jo. Andr. ad dict. textum numero 2. explicat caſum minus dubitabilem, ac ſupponit & admittit caſum magis dubitabilem, ut per Sanch. lib. ſecundo de matr. diſp. trigeſimâ nonâ numero ſexto ſicque conceditur abſolutè, quod teſtes inhabiles admittantur, & præſertim in defectum probationum. Aliter enim Pontifex nihil ſpeciale conceſſiſſet in favorem fidei. Quia in aliis etiam cauſis teſtes inhabiles admittuntur in ſubſidium capit. veritas ſecunda de teſtibus & capit. fin. de teſtibus cogend. Ideo quod abſolute, ac ubi etiam non deſunt legitimæ probationes, poſſint in cauſa fidei admitti teſtes inhabiles, docent Sylveſt. v. hæreſis 2. Locat. v. excommunicati numero 4. Repert. Inquiſ. v teſtes, Scacc. de judic. lib. primo capit. 87. numer. ſecundo Decian. lib. 5. capit. 35. numero primo Farinac. de hæreſ. dict. quæſtione 188. numer 74. Caſtropal. dict. pun. 15. paragrapho 2. numer. 7. Carena par. 3. tit. 5. nu.81. Calderin. in tr. de hæret. rubr. de his, quæ pertinent &c. numer. 9. Roſella in ſum. v. hæreticus numero 31. ac Delbene dict. diſp. 198. ſect. 6. numer. 1.& Jo.Andr. ad d. textum num. 9.

Sunt item quamplures, qui limitant dict. capit. in fidei favorem, aſſerendo, ejuſmodi teſtes inhàbiles in cauſa hæreſis non eſſe admittendos ſine tortura. Ita Locat. v. excommunicati numero ſexto, ſed ſub dubitatione, Repert. Inquiſ. v teſtes, Campeg. ad Zanchin. de hæret. Gundiſal., quæſtione 13. numer. quinto Delrius dict. l. quint. diſquiſ. magic. quæſtione 11. & ſect. 3. Valentia to.3. diſp.6. qu.13. pun. 4. Marſil. conſ. 109. num. 13. & ſeqq. Bartol. in l. cunctos populos C. de ſum. Trinit. & fid. cath numero 12. Genuenſ. in pr.cap. 84. numer. 11. Clar. in pr. 11. §. fin. quæſt.21.verſ.ſciat. etiam. Et loquendo in genere de criminibus exceptis quamplures alii, quos refert Farinac. in pr. qu. 56. numer. 57. & quæſt. 62. & 72. numer.23. & ſeq. Hi tamen dicunt, teſtem leviter eſſe torquendum, & Valentia cum nonnullis aliis, ait ſufficere torturæ timorem. Fundantur in l. ob carmen paragrapho ſi ea rei conditio ff. de teſtibus quæ lex approbata fuit à jure Canonico in can. illi, qui quint. & in can. in primis ſecund. quæſtione prima & in can. ſi teſtes 4. quæſtione 3. ubi expreſſe ſancitur. Si ea rei conditio ſit, ubi arenarium teſtem, vel ſimilem perſonam admittere cogimur, ſine tormentis teſtimonio illius credendum non eſt.

Verùm quod ad legem illam ob carmen, obſervandum eſt, quòd non eſt univerſalis; Loquitur enim de viliſſimis teſtibus d. can. in primis ſub finem, puta de arenariis, qui in arenam pugnandi cauſa deſcendunt, ibique publicè pugnarunt, l. hæc demum ff. de opt. libert. & d. l. ob carmen paragrapho ſi ea. Ii etiam cum feris beſtiis colluctabantur, quos ideò & beſtiarios l. 1. ff. de ædil. edict. & Julius Capitolin. in Antonio Philoſopho vocant, ac de ſimilibus, & in caſu, quo Judex eos cogatur admittere, vel, ut habetur in d. can. ſi teſtes, & d. can. illi, qui in d. §. ſi ea rei conditio ſit, vel quod ſponte crimina aliorum confitentur, & deponunt; nunc autem in S. Officio nemo eſt, qui ſponte deponat, cùm ex ſacrorum Canonum ſanctione, & Inquiſitorum edicto quilibet fidelis hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos denunciare teneatur, raròque contingit, quod Judices fidei coacti ex inſtantia accuſatoris cogantur teſtes admittere, quia, ut plurimum inquiſitores ex denunciatione, non ex accuſatione procedunt. Ideoque aliqui dicunt, legem illam loqui de teſtibus à parte productis, vel inductis ab accuſatore, quos Judex cogitur admittere, quia iſti, præter inhabilitatem, redduntur ſuſpecti ex eo quod aguot quodammodo partem inducentis, ut per Caſtropal d. tr. 4. diſp.8 p.5. §.2. num. 6.& Delben. dict. dub. 198. ſect.5. num.3.

Cùm itaque lex illa non ſit univerſalis, non debet extendi ad omnes inhabiles, ſed ad viliſſimos tantùm, de quibus poteſt haberi ſuſpicio, quod vel pretio ſint corrupti, vel quod ex alio fine moveantur ad teſtificandum juxta intentionem partis, vel accuſationis, nunquam verò dicitur, quod viri alioquin nobiles, aut ingenui, ac ſpectatæ conditionis ex eo, quod ſint inhabiles, quia ſunt vel excommunicati, vel conſanguinei in caſibus, in quibus, non obſtante illa inhabilitate, admitti poſſunt, non debent admitti ſine tortura. Obſervandumque etiam eſt verbum illud cogimur, quod neceſſario non eſt intelligendum de coactione illa generali, qua Judex teſtes inductos à parte, vel ab accuſatore tenetur admittere, quia non tenetur Judex admittere inhabiles, ſi adſint habiles, ex alia verò parte frequenter poteſt accidere, quod Judex inductos teſtes non admittat coactus, quia illos, etiam admitteret, ſi procederet ex officio, ac illos ipſe requireret. Lex igitur illa intelligenda eſt de coactione ſpeciali, quando ſcilicet Judex procedens ex officio tales viliſſimos teſtes non admitteret, ſed cogeretur ex partis aut accuſatoris inſtantia illos admittere.

Tenendum itaque eſt, in cauſa hæreſis, per ſe loquendo, teſtes, alioquin inhabiles, eſſe admittendos ſine tortura. Sic tradunt Simanch. de cath. inſtit. tit. ſexageſimo quarto numero trigeſimo ſeptimo, & in Enchir. tit. trigeſimo quinto numero 18. & ad Zanchin. cap. 2. Pegna p. 3. direct. ad qu.64. Eymerici com. 113. ſub finem, Royas ſing. octageſim. quarta numero tertio Repert. Inquiſ. d. v. teſtes, Campeg. in addit. ad Zanchin. de hæret. capit. 9. litt. C. v. Inquiſitor, Gundiſal. de hæret. dict. quæſtione decima tertiâ num. quinto, Decian. lib. quinto capit. trigeſimo quinto numero duodecimo, Farinac. dict. quæſtione 188. numero 69. Souſa lib. ſecundo Maſcard. de prob. concl. 857. numero tertio lib. ſecundo aphor. capit. decimo tertio numero decimo quinto, Caſtropal d. pun. decimo quinto, paragrapho quarto numero ſexto, ac Delbene loc. cit. numero primo. Ratio autem eſt, quia cùm fideles omnes, etiam inhabiles ad teſtificandum; teneantur hæreticos, ac de hæreſi ſuſpectos denunciare, & ſicubi vocati fuerint; verum teſtimonium dicere, nimis durum eſſet, ac rationi diſſonum, quod propterea torqueri deberent, cederetque in grave detrimentum fidei, quia fideles à teſtificanda veritate abhorrerent, ne cogerentur ſubire torturam. Ac inſuper quia in d. capit. in fidei favorem abſolute conceditur, quòd excommunicati, ac ſocii criminis admittantur nec dicitur, quod non recipiantur ſine tortura. Idemque ſervandum eſt in caſibus non expreſſis, ob eandem rationem, qua teſtes inhabiles expreſſi in dict. cap. favore fidei admittuntur, niſi aliud exprimatur, quia fidei favor utrumque requirit, & hanc eſſe praxim univerſalem S.Officii teſtantur Farinac. d. quæſt. 188. nu.68.& Caſtropal. d. nu.6.

Unde, non obſtante dict. l. ob carmen ff. de teſtibus extendi hoc debet etiam ad teſtes inductos à parte, vel ab accuſatore, etiamſi ſint perſonæ viles, quia omnes iſti, etiamſi non eſſent inducti, tenentur hæreſim, vel hæreſis ſuſpicionem Inquiſitoribus denunciare, & ſic non eſt præſumendum, niſi aliud

mittet

militer contra illos, quod teſtificentur in gratiam alicujus, ſed ex obligatione, quam habent, & adeo non ſunt torquendi, quia ut ſuæ obligationi ſatisfaciant, in judicio teſtimonium ferunt. Et ita, quicquid ſit in aliis cauſis, de quibus loquitur lex illa, certe in cauſa fidei aliter eſt ſervandum, hoc eſt, ejuſmodi teſtes inhabiles eſſe admittendos ſine tortura, eoſque indicium facere majus, vel minus, ſpectatis perſonarum qualitatibus, aliiſque circumſtantiis, quæ illam requirunt. Aliquando enim debent Inquiſitores eos torquere, ſpectata ipſorum malitia, improbitate, & variatione.

Præterea non pauci ſunt, qui limitant *d. caput in fidei favorem*, ut non procedat in teſtibus inductis ad defenſionem inquiſiti de hæreſi. Nituntur maxime primo *in capit. filii de hæret. in 6.* ubi uxor, filii, & familiares rejiciuntur, ne poſſint eſſe teſtes ad defenſionem illius, qui infirmus petit conſolationem ab hæreticis. Secundò quia in hujuſmodi teſtibus non militat ratio *dict. capit. in fidei favorem*, & *cap. accuſatus §. licet, de hæret. in 6.* ibi, *revelare in favorem fidei*, quia tales teſtes non ad fidei favorem, ſed ad favorem rei inquiſiti producuntur. Tertio, quia in cauſa propria, ſive in qua quis habet commodum, non poteſt eſſe teſtis. Conſanguinei autem, & familiares in cauſa hæreſis maximum habent intereſſe, ut alibi diximus. Atque adeo ſaltem ii admitti non debent ad defenſionem hæretici. Et ita quod teſtes inhabiles in cauſa hæreſis non admittantur ad defenſionem rei, præter cæteros, diſerte firmant Royas *ſingul.* 188. *num.* 9. Eymer. *par.* 3. *direct. quæſt.* 70. Repertor. Inquiſ. *d. v. teſtes*, Farinac. *d. qu.* 188. *nu.* 81. Boſſ. *tit. de hæret. nu.* 3. Gundiſal. *d. qu.* 13. *num.* 14. Mall. maleſ. *to.* 1. *par* 3. *q.* 2. Zech. *cap.* 11. *num.* 14. Speciatim vero quod admitti non debeant ad defenſionem conſanguinei, & familiares volunt Maſcard. *d. concl.* 857 *numer.* 4. Farinac. *dict. qu.* 188. *numer.* 149. ubi alii. Et de hæretico quod admittendus non ſit ad defenſionem alterius hæretici, ſentiunt Eymer. *dict. par.* 3. *qu.* 68. *& ſeq.* ac ibi Pegna *com.* 117. *in fin.* & *ſchol.* 124. & Farinac. *ibid. nu.* 127.

Ac facile hæc propugnacula, ſive rationes hujus opinionis dejiciuntur. Et quidem ad *dict. capit.* filii reſpondent primo Caſtropal. *dict. pun.* 15. *§.* 2. *nu.* 9. ac Delbene *dict. dub.* 198. *ſect.* 8. *num.* 2. ſenſum illius eſſe, ut uxor, filii, domeſtici, & familiares non admittantur, tanquam teſtes integræ fidei. Secundò, caput illud intelligi, ut conſanguinei non poſſint aſſumi in teſtes reprobatorios teſtium Fiſci, quia teſtes reprobatorii debent eſſe omni exceptione majores, *cap.* 1. *de except.* ibique Gloſ. & Rota *dec.* 21. *de reſcript. in antiq.* Hæc tamen ſecunda reſponſio non videtur poſſe adaptari illi textui, cujus duo ſunt caſus. Primus quando per teſtes Fiſci probatum eſt, infirmum ſanæ mentis fuiſſe, quando petiit conſolationem ab hæretico. Et in hoc caſu negatur probatio directa per quoſcumque teſtes, ſolumque admittitur probatio indirecta, excipiendo contra teſtes. Secundus caſus eſt, quando infirmus non eſt de hæreſis diffamatus, vel ſuſpectus, nec probatur fuiſſe ſanæ mentis, & in hoc caſu textus admittit defenſionem ad probandum non ſanam mentem infirmi, ſed non per uxorem, filios, domeſticos, & familiares. In hoc igitur caſu textus in quo agebatur de probanda non ſana mente infirmi, & in quo ſana mens ex oppoſito non fuerat probata, non conſiſtebat defenſio in reprobatione teſtium Fiſci, ſed in directa probatione non ſanæ mentis, ad quam probationem Pontifex voluit admitti non poſſe conſanguineos. Dici tamen poſſet, quod etiam in hoc ſecundo caſu potuit contingere, quod Fiſcus probaverit ſanam mentem, ſed non plene, & quod defendentes vellent reprobare etiam teſtem, vel teſtes Fiſci.

Nec prima reſponſio caret difficultate. Quia cum de jure communi conſanguinei ad favorem alterius conſanguinei non ſint teſtes integri, ſi aliud Pontifex non intendebat, niſi quod conſanguinei non aſſumerentur, ut teſtes integri, non fuit neceſſe, ut id exprimeret, quia id jam erat exploratum in jure. Poſſet tamen replicari, quod ſæpiſſimè Legiſlatores ad majorem claritatem explicant expreſſe, quod non explicatum adhuc intelligeretur ex jure communi. Et ſic in illo textu expreſſum eſt, quod in illo caſu conſanguinei non aſſumerentur, ut teſtes idonei, & ad ſummum ex eo nil aliud probatur, niſi quod non ſint admittendi conſanguinei, & familiares.

Secundæ rationi deſumptæ, *ex d. cap. in fidei favorem, & ex d. capit. accuſatus de hæret. in 6.* reſpondent iidem Caſtropalaus ac Delbene locis allegatis, favorem fidei eſſe, ut teſtem inhabiles contra inquiſitum de hæreſi admittantur, etiamſi adſint teſtes habiles, vel aliæ probationes, ad defenſionem verò ſolum admittantur in defectum aliarum probationum. Nos addimus juxta alibi dicta, favorem fidei non diſtinguere inter inquiſitionem contra reum, vel in ejus favorem. Non enim fides per ſe intendit punitionem, ſed ſui conſervationem & ideo non minus requirit fides, quod appareat hæreſis illius, qui vere eſt hæreticus, quam quod manifeſtetur innocentia & fides illius, qui, licet ſit de hæreſi inquiſitus, vere tamen eſt catholicus. Unde *ex dict. cap. in fidei favorem* ſumitur efficax argumentum, ex quo probatur, ob fidei favorem admitti debere teſtes inhabiles, tam in inquiſitione contra hæreticum, quam in defenſione pro illius innocentia. Siquidem non magis ſplendet fidei juſtitia & S. Tribunalis religio in damnando vere hæreticum, quàm in damnando falsò accuſantes innocentem de hæreſi, ac in tuendo innocentiam veri Catholici.

Maximè urget me tertia ratio, quia verè dum agitur contra aliquem ex cauſa hæreſis, agitur ſimul contra conſanguineos, quibus ex inquiſiti damnatione infertur præjudicium vel in conſecutione bonorum, officiorumque, vel in fama, & in iis omnibus, quæ ex infamia irrogata familiæ oriuntur. Unde conſanguinei in hac cauſa ſunt veluti pars, atque adeo non poſſunt eſſe teſtes ad defenſionem.

Nec contra hanc rationem militat textus *in cap. litteras de præſumpt.* in quo frater admiſſus fuit ad defenſionem contra fratrem; & quem ipſi Caſtropalaus ac Delbene allegant. Nam id ex eo non colligitur, immo eſt ibi caſus longe diverſus, nimirum fratris, qui prius fratrem accuſaverat uti hæreticum, & poſtea illum excuſare volens dixit, ſe habere illum pro catholico, & nihilominus Pontifex judicavit ejus primum dictum vero ſimilius eſſe. Aliud ergo eſt, an teſtis quicumque, etiam conſanguineus, poſſit corrigere dictum ſuum, & negare illum eſſe hæreticum, quem hæreticum eſſe dixerat, quod, nedum licet, ſed quoque in conſcientia facere tenetur, ſi verè primum dictum fuerit falſum, qua de re alibi. Aliud verò, quod conſanguineus, qui alii non impoſuit hæreſim, nec ſe corrigit, poſſit abſolute excuſare conſanguineum, ejuſque excuſatio, ſeu defenſio admitti debeat. Hoc quidem non colligitur ex eo *cap. litteras*, eſtque id, de quo diſceptamus.

Id igitur, quod in hac re ſummopere animadvertendum videtur, eſt, an teſtes producti ad defenſionem habeant commodum in cauſa, & defenſione inquiſiti de hæreſi. Tunc enim tanquam valde ſuſpecti non debent admitti, ut colligitur ex *dict. capit.* filii; niſi forſan in defectum omnium aliarum probationum, quo caſu non ſolum admitti non debent,

tanquam

tanquam teſtes integri, ſed ut talem qualem facientes fidem, quæ juvare poſſit, ſi ſie ſaltem alius teſtis omni exceptione major, qui ad favorem inquiſiti deponat, vel ſi ſine alia indicia illius innocentiæ, vel ſi ex numero, aliiſque circumſtantiis ii fidem mereantur juxta ea, quæ monet Pegna *in p. 3. ſchol. 125. ſub. finem.*

At ubi teſtes inhabiles nullum habent in cauſa proprium commodum nullibi apparet, cur nequeant admitti, non tanquam integri, ſed cum ſua inhabilitate, cùm id favor fidei requirat, ut ad veritatem indagandam, inveſtigentur, perſcrutenturque omnia tam contra, quam ad favorem rei, etiam per teſtes inhabiles, ut per Carenam *par. 3. tit. 5. num.* 82. Caſtropalaum & Delbenem ſuperius citatos, Souſam *lib. 2. aph. cap.* 13. *num.* 8. ubi perperam idlimitat; ut non procedat, quando ex eorum depoſitione, ſequitur damnum accuſanti, Nam attendi debet veritas, non præjudicium accuſantis. Unde Judici eſt arbitratium an teſtes inhabiles ſint ad defenſionem admittendi, & an, quantumve ii probent, monenduſque reus, quod plures nominet teſtes, ut ex illis non niſi idonei examinari poſſint.

CONSULTATIO CLII.

Quid, quantumve probent teſtes excommunicati, ſocii criminis, conſanguinei, infames, aliive inhabiles in cauſis ad S. Officium ſpectantibus.

CErtum omnino eſt, hujuſmodi teſtes non admitti, niſi cum illorum inhabilitate, ideoque non eſſe integros, ac omni exceptione majores, nec plene probare, ſed cum aliqua diminutione.

Quare unus ex his teſtibus nec ſemiplenè probat, nec regulariter ſufficit ad torturam inferendam, niſi aliis indiciis, adminiculis, ac præſumptionibus adjuvetur, Locat. *n. excommunicati nu.* 6. Farinac. *de hæreſ. qu.* 188. *num.* 83, ubi quod ſufficit ad capturam, Carena *p. 3. tit. 5. num. 7.* Diana *par. 3. tr. 6. reſol.* 6. Caſtropal. *to. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 15. §. 4. nu.* 1. Delbene *par* 1. *diſp.* 198 *ſect,* 13. *numer.* 3. Et in mulieribus Deltius *lib* 5. *diſp. magic. in* 2. *append. qu.* 12. quem ſequitur Farinac. *loc. cit. numer.* 76. Unde ſi mulier, ſocia criminis, ſit unica, repelli debet, quia dupliciter eſt inhabilis, & ſi etiam illa ſit minor, tripliciter. Ex multiplici enim inhabilitate diminuitur fides, Et ideo unus teſtis inhabilis junctus alio, omni exceptione majori, non plenè probat, nec ſufficit ad condemnandum ad pœnam ordinariam; quamvis enim in multis cauſis civilibus unus teſtis valde dignus, & alter minus idoneus, & infamis ſufficiant ad plenam probationem, quia ſuperabundans fides unius ſupplet defectum alterius, & ratione adjuncti purgatur ſuſpicio per doctrinam Baldi *in l. ſiquis ex argentariis §. 1. ff. de eden.* Jaſ *in l. cunctos populos in 2. lect. num.* 53. *C. de ſum. Trinit. & fid. cath. & in aut. ſi verò contigerit numer.* 3. *C, de judic.* Felini *in cap. tertio loco numer.* 3. *de prob.* Dec. *conſ.* 133. *numer.* 4. Hippol. *in l de minore paragrapho tormenta numer. 9. cum ſeq. ff. de quæſt.* & *conſ.* 84. *numer.* 28. *vol.* 2. *& ſingul.* 554. In cauſis tamen ad S, Officium ſpectantibus, id locum non habet. Quia in criminalibus probationes eſſe debent luce clariores; ac certæ *l. ſciant C. de probat.* Ac proinde uterque teſtis eſſe debet idoneus, & probatæ vitæ, duoque teſtes integri ad probandam hæreſim neceſſarii ſunt, Felin. *in capit. tertio loco. de prob.* Pegna *par. tertia com.* 113. *ad quæſtione* 64. Eymer, Caſtropalaus & Delbene *loc. cit.* quod eſt contra Royas *ſing.* 188. *num.* 3.

Atque hinc eſt, quod licet in crimine hæreſis, ac in aliis delictis exceptis ſocius criminis in teſtem admittatur, ut in *d. capit.* in fidei favorem, id tamen locum habet in ſocio criminis aliàs non infamato ex aliis delictis, ut firmat Angel. in l. in judicio *ff. de accuſ* teſtans in facti contingentia ita pluries conſuluiſſe, ac proſequitur Socin. *conſ.* 118. *in fin. vol.* 1. Barbat. *conſ.* 65. *vol.* 4. Corſet. *in ſingul. incip. integer teſtis*, Marſil. *conſ,* 102. *numero* 12. *vol.* 2. *& conſ.* 74. *vol* 1. de quo egregiè Gram. *conſ.* 1. *numer.* 61. *& ſeq.* Nam ſicuti plura adminicula coadjuvant probationem *l. admonendi ff. de injur. l. 3. paragrapho ejuſdem ff. de teſtibus l. inſtrumenta*, & *l. rationes C. eod.* ita plures defectus illam deſtruunt. Quod enim operatur propoſitum in propoſitio, idem operatur oppoſitum in oppoſito *l. fin. ff. de legat.* 3. *l. ſi ut proponis C. de nupt.* At ego cenſeo, non eſſe hujuſmodi ſocium criminis repellendum, ſed ejus fides, ex multiplici inhabilitate diminuitur. Qua de re iterum *in conſult. de indicus.*

Si verò non agatur ad condemnandum, ſed ad torquendum, ſuppleri defectum teſtis minus digni ex præſtantiſſima fide unius teſtis, arbitrantur Maſcard. *lib. 2. de prob. concl.* 846. *numero ſeptimo* Gomez *lib. 1. var. capit.* 12. *numer.* 21. Farinac. *de teſtibus quæſtione* 62. *limit.* 14. Souſa *lib. 2. aphor capit.* 13. *numer.* 12. In quo etiam caſu ſi teſtis, ratione criminis minus dignus, fuiſſet emendatus, & per poſteriores honeſtæ vitæ actiones bonæ fidei ac opinionis ſpecimen dediſſet, jam idoneus dici poſſet, & cum alio teſte digno ſufficeret ad plenè probandum ex Concilio Bitterenſi *cap.* 13. & Narbonenſi *capit.* 25. ac Pegna *d. com.* 113. Quod in infami infamia facti verum puto; nam ea tollitur per triennalem conſtantem vitæ emendationem, ut diximus aliàs, ſecus autem in infami infamia juris, quæ non tollitur, niſi indulgentia, ſive diſpenſatione Principis, ut *lib. primo C. de ſent. paſ. & reſtit. lib. primo paragrapho pen. ff. de poſtul.* Sanch, *lib.6. opuſc. capit. tertio dub. 5. num.* 30. & Sayr. *de cenſur. lib.* 7. *cap.* 11. *numer.* 15. Idemque dicendum ſi cum teſte digno ac teſte minus digno concurrerent aliæ conjecturæ ac indicia de crimine perpetrato. Tunc enim alia indicia teſtimonium teſtis minus idonei coadjuvarent, ut colligitur *ex d. capit. in fidei favorem de hæret. in* 6.

Similiter ſi cum duobus teſtibus, uno integro, & alio diminuto concurrerent alia indicia, & conjecturæ, quæ depoſitionem teſtium coadjuvarent, quæque ſufficerent ad hoc, ut Judex poſſet arbitrando præſumere, quod depoſitio teſtium eſſet vera, tunc teſtis minus dignus ſimul cum digno integre probaret, Pegna *dict. com.* 113. Souſa *lib. ſecundo aph. capit.* 19. *numero ſecundo* Farinac. *dict. quæſtione* 188. *num. quinquageſimo tertio &* 69. Caſtropal. *dict. pun. decimo quinto numero primo* Delbene *dict. ſect. decimo tertio numero quarto*, & Carena *dit. tit. quinto numero ſeptuageſimo octavo.* Ad arbitrium igitur Judicis revocatur, an ex alterius teſtis dignitate, junctis aliis, indiciis, & conjecturis, defectus teſtis inhabilis ſuppleatur.

Sic pariter nec duo teſtes inhabiles plenè probant hæreſim, neque ſufficiunt ad condemnandum reum ad pœnam ordinariam. Sed tantum ſufficiunt ad præſumptionem, ſive ad aliqualem probationem faciendam, vel ad indicium ad torturam, vel ad pœnam extraordinariam. Unde propter depoſitionem duorum teſtium inhabilium, nec hæreticus relapſus, neque negativus tradi poteſt

teſt brachio ſeculari, quamvis damnari poſſit ad pœnam extra ordinem, ut per Panorm. *in cap. per tuas num. 4. de Simon.* Jaſ. *in l. 4. §. ſi tibi ob indicium num. 4. ff. de condit. ob turp. cauſ.* Alex. *conſ 313. vol. 7.* Marſil. *in l. primo paragrapho divus Antoninus numer. tertio ff. de quæſt. & in pr. cr. paragrapho diligenter numer. 59. & conſ. 509. num. 11.* Carrer. *de hæret. paragrapho circa igitur numer. 52.* Palat. Rub. *in alleg. hæreſ. paragrapho fin.* Boſſ. *tit. de hæret. numer. tertio* Felin. *in capit. teſtimonium numer. 22. de teſtibus* Gundiſal. *quæſtione 13. numer. 12.* Simanch. *in cath. inſtit. tit. 64. numer. 36.* Royas *ſing. 189. numer. 11.* Clar. *quæſtione 21.* Pegna plures alios referens *d. com. 113.* Farinac. *dict. quæſtione 188. num. 83. & ſeq.* Caſtropal. *d. pun. 15. paragrapho quarto numer. primo.* Delbene *d. lib. 198. ſect. 13. numero ſecundo.* Probatur ex *dict. cap. in fidei favorem*, ibi ex numero teſtium, & perſonarum qualitate, & aliis circumſtantiis &c. Quibus ex verbis aperte colligitur, quod plures quam duo teſtes inhabiles, ac minus idonei in hoc crimine, tunc faciunt plenam probationem & ad condemnationem, ſive penam criminis ordinariam imponendam ſufficiunt, quando ex circumſtantiis, & conjecturis, ac perſonarum qualitate veriſimiliter præſumuntur, verum deponere, ut etiam docent Palac. Rub. *loc cit* Aretin. *in cap. fin. de teſtibus* & Albertin. *de agnoſc. aſſertionibus quæſtione 43. numero tertio.* Pegn. *dict. com. 113.* Caſtropal. *dict. pun. 15. paragrapho tertio* ac Delbene *dict. ſect. 13. numer. 2.*

Non obſtat textus *in dict. capit. in fidei favorem*, quatenus decernit, quod excommunicati, & ſocii criminis admittantur, & ſic quod poſſint eſſe de numero teſtium. Appellatione autem numeri duo veniunt *l. ubi numerus ff. de teſtibus & capit. pluralis locutio de reg. jur.* Et quatenus vult, quod, ſpectato numero teſtium cum aliis circumſtantiis præſumi poſſit, quod teſtes falſa non deponant, & admitti poſſint ad teſtificandum.

Nam textus non ait, quod duo ſoli teſtes ſufficiant, ſed quod talis & tanta poteſt eſſe multitudo, ut adjunctis circumſtantiis, aliiſque indiciis ſufficere poſſit, ut per eundem Aret. *loc. cit. ſub finem*, & alios, quos ſequuntur Pegna *d. com. 113.* ac Delbene *dict. ſect. decimatertia, numero primo.* Hujuſmodi enim circumſtantias requirit Pontiſex ad hoc, ut teſtes inhabiles admitti poſſint, non tamen vult quod plene probent. Duo verò teſtes inhabiles, & conteſtes ſufficiunt non ſolum ad torturam, ſed ad damnandum ad pœnam extraordinariam, ſi adjuventur indiciis & adminiculis, Pegna *loc. cit.* Farinac. *dict. quæſtione 188 numer. 83.* Caſtropal. *ubi ſupra numer. primo.* Maſcard. *de prob. concl. 857. numer. 39.* Petr. Binsfeld. *de confeſ. maleſ quæſtione 2. poſt. concl. 6. numer. 2. dub. 7.*

Suppleri autem defectum teſtium inhabilium ex eorum multitudine, communiter tradunt Doctores, quamvis hoc negaverint Cacc. *in diſcept. crim. 17. un. 46.* aliique nonnulli, aſſerentes, quod inhabilitas teſtium non poſſit ſuppleri, niſi per teſtes habiles. Quia quod nihil eſt, ſupplementum non recipit, *l. ſed. ſi manente ff. de precar.* Quod falſum eſt. Nam ex *dict. capit. in fidei favorem* habetur, quod aliquid eſt, & quod aliquid probat. Inutiliter enim ac prorſus ſine uſu admitterentur, ſi nihil probarent, nec per adjunctos teſtes habiles ſuppleretur eorum defectus, ſi ipſi nihil probarent. Quod autem Beccius dixit *conſ. octuageſimo quinto numer. 20.* quod ex pluribus imperfectis non poteſt oriri perfectum, repugnat naturæ ac experientiæ. Nam perfectum nonniſi ex imperfectis conſurgit, ac experimur, quod ubi unus, vel duo non poſſunt ferre aliquod pondus, id ſine difficultate fit per plures. Sic & inefficacia teſtium inhabilium ad probandum eorum numero poteſt ſuppleri, quia ſuſpicio ob quam teſtes inhabiles ſunt aliqualiter dubii, poteſt ex eorum multitudine tolli, cùm non ſit veriſimile, quod multitudo, maxime in cauſa gravi qualis eſt cauſa hæreſis, velit pejerare, & falſum teſtimonium dicere in præjudicium veritatis, ac propriæ conſcientiæ, cujus magna vis eſt in utramque partem, ut neque timeant qui nihil commiſerint & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint,

Propterea, quod tres teſtes inhabiles, junctis circumſtantiis, & adminiculis, ex quibus præſumi poſſit eos verum teſtificari, plenè probent in cauſa hæreſis, ſufficiant ad damnandum reum ad pœnam ordinariam docent Palac. Rub Aretin. & Albertin. *loc. cit.* ac Pegna *d. com. 113.* Maſcard. *de prob. d. concl. 857. numer. 39.* Delrius *d. lib. 5. ſect. 5. in 2. append. quæſtione 12. & ſeqq.* Farinac. *dict. quæſtione 188. numer. 84.* Souſa *eo lib. ſecundo capit. 13. numer. 13.* Caſtropal. *dict. pun. 15. paragrapho quarto numero primo* ac Delbene *d. ſect. 13. numer. tertio* Confirmatur *ex d. capit. in fidei favorem*, in quo admittuntur teſtes inhabiles, ſi ex veriſimilibus conjecturis, ac numero teſtium & qualitate perſonarum, aliiſque circumſtantiis, non præſumatur falſum deponere.

Hæc tamen confirmatio infringi poteſt ex eo, quod aliud eſt teſtem plenè probare, aliud eſſe admittendum ad teſtificandum. Ad hoc ſufficit, quod teſtis aliqualiter probet, ut ſic deſervire poſſit ad inquirendum, vel, ſi etiam adjuvetur circumſtantiis & adminiculis, ad comprehenſionem, ad torturam, & ad pœnam extraordinariam. Non autem, inquit Pontiſex, quod teſtes inhabiles, etiam perpenſis circumſtantiis, ac perſonarum qualitate ac numero, plene probent, ſed quod ſint examinandi, & non rejiciendi. Quod tamen ſemper intelligitur, ut admittantur cum inhabilitate, & tanquam deficientes, & quodammodo ſuſpecti. Hoc certum, quod ex *dict. capit.* in fidei favorem, numerus teſtium; adjunctis aliis circumſtantiis valet ad præſumendum, quod non ſint falſi. Ex quo deducitur, quod poteſt eſſe tantus, ac talis teſtium numerus, taleſque circumſtantiæ & qualitates, tam ipſorum quám inquiſiti, ut habeatur vehemens, aut violenta præſumptio, quod verum deponant, & tollatur in facto omnis ſuſpicio falſitatis, atque adeo quod plenè probent, etiam ſecluſis aliis indiciis, aut præſumptionibus, Quod autem ſufficiat numerus trium, aut quatuor teſtium, non poteſt, præciſe decerni. Certum enim eſt, quod defectus teſtium poteſt ex numero ſuppleri, & quod, ut ait Souſa *dict. capit. decimo tertio numero decimo tertio* poteſt ſuppleri teſtium inhabilium defectus, ex magno eorum numero, ac ſpectatis eorundem, ac facti, reique inquiſiti circumſtantiis & qualitate. Id autem decernere, pertinet ad prudens arbitrium Judicis, ut ait Carena *dict. par. tertia, tit. quinto numero ſeptuageſimo ſeptimo.* Unde ex teſtimonio trium meretricum, vel trium latronum, aut ſimilium non poſſe inquiſitum de hæreſi tradi brachio ſeculari tradit Farinac. *de teſtibus quæſtione 62. numer. 26.* & Souſa *dict. capit. 13. numer. 17.*

Pro gravitate igitur rei, plura in ea perpendi debent. Primum ex parte inquiſiti de hæreſi diligenter exquiri debet, an de eo mala fama percrebuerit, tanquam ſuſpecto de hæreſi, an ſit Clericus, religioſus, aut in dignitate

Eccle-

Eccleſiaſtica conſtitutus. Secundum ex parte teſtium; an ſint viti honeſti, bonæ opinionis, an contra; an ex una tantum, anve ex multiplici cauſa ſint inhabiles, pluresque patiantur defectus, quos non eſſe admittendos jam diximus. & probat Farinac. *d. q. 62. n. 381.* Ex qua cauſa ſint inhabiles, quia inhabilitas, quæ ſolum eſt ex ſexu, vel ex paupertate facillime ſuppletur, ſed non ita illa, quæ eſt ab excomunicatione, vel ab infamia. Ex inhabilibus quippe quidam ſuot tales ſecundum quid, & ex parte tantum. Sic conſanguineus eſt inhabilis ad deponendum pro conſanguineo, non autem contta illum. Vice verſa inimicus eſt inhabilis ad teſtificandum contra inimicum, non autem pro illo, immo hoc teſtimonium majorem meretur fidem. Surdus eſt inhabilis ad deponendum de auditu, ſed non de viſu. Contra, cœcus non poteſt teſtimonium ferre de viſu, ſed de auditu, & mutus per ſcriptutam deponere poteſt. Item an inhabilitas teſtium adſit tempote, quo deponunt. Unde ſi adveniat poſt depoſitionem, non minuit fidam teſtis. Vel ſi tunc erat extincta, ut ſi excommunicatus fuerat abſolutus, vel ſi infamiam facti honeſtis actionibus abſterſerat, non eſt habendus, ut inhabilis.

Quare in ſuis defenſionibus inquiſitus de hæreſi non ſolum excipere poteſt contra depoſitiones teſtium, ſed etiam contra eorum perſonas, non quidem ad reijciendum penitus eorum teſtimonium, quia in S. Officio inhabiles admittuntur, ſed ad eorum fidem minuendam, eum non ſint integræ fidei. Contra tamen producentem plene probant, ſi eorum inhabilitas fuerit illi nota, nec poteſt illos teprobate, niſi ſit diverſa ratio inter producentem, & adverſarium, Maſcard. *de probat, lib. 2. concl. 1241 n. 1. & ſeqq.* Farinac. *d. q. 62. limit. 10. n. 248.* Souſa *d. cap. 13. n. 9.* Carena *d. tit. 5. n. 79.* ac Rota *coram Gregorio XV. dec. 455.* ibique Beltram. Teſtis tamen de credulitate non plene probat contra producentem, niſi ultra productionem illius producatur etiam ejus examen publicatum, Farinac. *loc. cit. n. 277.* Beltram. ibidem, Ferentil. *ad decis. 298.* Buratti & Carena *d. n. 79.*

Tertium eſt cautio Iudicis circa præſumptiones, & conjecturas. Nam ſæpe ſunt fallaces, ut ait Bald. *in. l. precibus col. 7. C. de imp. & ad ſubſt.* Iaſ. *in l. licet Imperator col. 3. ff. de legat. 1.* Cum enim præſumptio ſit alicujus facti dubia probatio, ut per Abbatem & Doctores *in rubr. de præſumpt.* & indicium ſit conjectura quædam ex probabilibus, & non neceſſariis adminiculis orta, ut inquit Bald. *in l. ea quidem col. 2. C. de acus.* & *in l. non hoc C. unde leg.* Dec *in cap. tertio loco n. 14 de prob.* Blanch. *in reper. l. fin. n. 34. ff. de quæſt.* jure, meritoque ita decernitur ad verbum *in d. cap. in fidei favorem*, quod ſæpe auribus Inquiſitorum inculco: *ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum qualitate, & aliis circumſtantiis delictum hæreſis probatur.* Ideoque ptobatio hujusmodi arbitrio Iudicis relinquitur *l. 3. ff. de teſtib.* Caſtr. *in l. admonendum ſub fine* ubi latiſſime recentiores *ff. de injur.* Curt. jun. *conſ 52. n. 8.* Boër *dec. 101. n. 8.* Difficillimumque eſt in materia probationis certam regulam conſtituere, quia jura ſecundum diverſas negotiorum qualitates formas diverſas, varioſque probandi modos induxerunt, ut per Federic. de Sen. *conſ. 119.* quem refert ac ſequitur Felin. *in cap. veniens n. 21. de teſtib.*

CONSULTATIO CLIII.

De Teſtibus ſingularibus in cauſis S. Officii, deque differentia inter teſtium ſingularitates.

DE hac re integram Conſultationem aliàs emiſimus, in qua multa omiſimus, nunc addenda.

Teſtis ſingularis dicitur ille, cujus depoſitio conteſtem non habet, ſive cum aliorum depoſitione non conjungitur. Teſtium verò ſingularitas triplex eſt, Obſtativa, adminiculativa, diverſificativa. Singularitas obſtativa eſt, cujus dictum alterius dicto obſtat, atque tepugnat. Adminiculativa, ſive cumulativa eſt, cujus dictum alterius dicto patrocinatur, & favet, ut ſi unus deponat de viſu, alter de auditu ſuper eodem delicto, dictum unius favet alterius dicto. Diverſificativa, cùm ex teſtium depoſitionibus diverſus actus in ſpecie, & in ſubſtantia colligitur, ut ſi unus diceret, Titium commiſiſſe ſortilegium tali loco ac tempore, & alius deponeret alio loco & tempore, dictum unius non deſtruit dictum alterius, ſed potius coadjuvat & corroborat, quamvis in aliquo differat.

Teſtes ſingulares ſingularitate obſtativa nihil probant, quia ſibi invicem adverſantur, & unius dictum alterius dictum infirmat, & ideo tam probant plutes, quam unus tantum. Teſtes ſingulares ſingularitate cumulativa, ſive adminiculativa ſibi invicem adjuvant, ut dictum eſt. Et quanquam ex illis delictum non probetur concludenter, probatur tamen magis, & efficacius, ut patet. Nam teſtis deponens de auditu coadiuvat deponentem de viſu, & deponens de fama coadiuvat deponentem de facto. Teſtes ſingulares ſingularitate diverſificativa probant, ſed non ita efficaciter, ſicut adminiculativa, quia ex unius dicto alterius dictum non infirmatur, ſed potius confirmatur. Vide Pegnam *p. 3. direct. com. 121.* Royas *de heret. p. 2. n. 122.* Albertin. *in cap. 1. q. 16. n. 62. de heret. in 6.* Farinac. *de teſtib. q. 64.* Dianam *p. 4. tr. 8. reſol. 57. n. 7.* & alios paſſim.

Teſtes autem ſingulares ſingularitate adminiculativa ſive diverſificativa non probant delictum plene quod ad pœnam ordinariam, ſed quod ad extraordinariam ita, ut reus ſit pœna extra ordinem arbitrio Inquiſitorum puniendus. Quia delictum ex illorum depoſitionibus eſt pluſquam ſemiplenè probatum, ut per Paris. *conſ. 2. n. 93. lib. 4.* Maſcard. *de probat. lib. 2. concl. 856. n. 12. & ſeq.* Farinac. *loc. cit. n. 218.* ac *de hæres. q. 188. n. 163* Pegn. *d. com. 121.* ac Dian. *ibid. n. 8*

Nec Teſtis idoneus ſingularis, & fama, legitimè probata, de eodem commiſſo crimine ducit ad condemnādum pœna ordinaria in criminalibus ex pluribus imperfectis ptobationibus non conſurgit una integra & perfecta probatio, quæ luce clarior eſſe debet, ut colligitur ex Gloſſa *in cap. veniens 1. v. illorum de teſtib* & docent Eymer. *p. 3. direct. q. 72.* ibique Pegna *d. com. 121.* Clar. *in pr. cr. q. 63.* Marſil. *in rubr. Cod. de probat.* Eſt tamen ſufficiens, ut arbitrio Inquiſitorum puniatur pœna extra ordinem, ut per Repert. Inquis *v. teſtes, §. an in cauſa,* Eymer. & Pegn. *loc. cit.* Farinac. *d. q. 188. n. 154.* Simanch. *de cath. inſtit. 11. 51.* & in Enchir. *tit. 43. n. 2.*

Communis plane ſententia docet, duos teſtes legitimos & non ſingulares, ſed conteſtes, omnique exceptione majores in cauſis fidei facere plenam probationes Teſtes enim omni exceptione majores ſunt, qui nullam exceptionem patiuntur, ut *in cap. licet. de teſtib.* ideoque neceſſario ad prohibitionem dicti criminis ſufficiunt, & ita probatur *in can. nullam §. ſed hoc in fin. 2. q. 4.* ubi dicitur: *Duorum, vel trium teſtium quilibet jure convinci, & damnari poterit juxta dictum Evangelii: In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum.* A qua generali regula nullibi tepetitur exceptum crimen hæreſis. Id aſſerunt Jo. Andreas, Butrius Anania, Socinus, & alii *in cap. excommunicatus 1. de heret. in 6.* Carrer. *in pr. cr. n. 162.* Sylveſt. *v. hæreſis 2. q. 4.* Albertin. *in repet. cap. 1. de heret. n. 6. q. 16. n. 131.* Gomez. *to. 3. var. cap. 12. nu. 9.* Pegna *p. 3. dict. com. 120.* Eymer. *p. 3. quæſt. 71.* Farinac. *de teſtib. q. 63. num. 233. & ſeq. ac de heres. qu. 188. n. 55.* Zech.

na. 55. Zech. *p.* 1. *tit. de fid. rubr. de hæreſ* cap. 11. *n.* 14. Simanch. de cath. inſtit. *d. tit.* 51. *n.* 7. *& ſeq. &* 64. *n.* 36. Royas *ſing.* 165. n. 8. & 9. Clar. *in §. hæreſis* aliique.

At verò, licet de juris rigore id verum ſit, de juris tamen æquitate plures docent, non ſufficere in cauſis fidei duos teſtes ad plenam contra reum probationem propter criminis gravitatem. Præcipuè ſi inquiſitus ſit probatæ vitæ. Nam ad illum condemnandum ad pœnam ordinariam, oporteret tres, vel quatuor teſtes adeſſe, vel ſaltem alia indicia, ex quibus præſumatur, delictum eſſe commiſſum. Quia in hoc crimine multum minuitur rei defenſio, dum ei nomina teſtium non manifeſtantur, unde non poteſt eis aliquem defectum objicere, ob quem eorum teſtimonium non leviter debilitaretur. Guido Faſcodius, qui poſtea fuit Clemens IV. *in conſult. ad Inquis. q.* 15. *cap.* 18. ita graviter denunciat: *Non crederem tutum ad vocem duorum teſtium hominem bonæ opinionis damnare, licet videar contra jus dicere; quia ubi numerus teſtium non exigitur, duo ſufficiunt. Sed hoc dico, quod duos vix duos judico, eo quod urgenti neceſſitate legitima defenſionis ordo truncatur.* Ita Eymer. Archid. *in cap. ut Officium §. verum de hæret. in* 6. *oſt. ipſum. tit. de hæret. §. qualiter* Albertin. *de agnoſc. aſſert. q.* 34. n. 3. Conrad. Brun. *lib.* 4. *de hæret. cap.* 9. *S.* Antonin. *p.* 3. *tit.* 18. *cap.* 2. *§.* 5. Tabiena *in ſum. v. Inquiſitor §.* 37. Royas *de hæret. aſſert.* 4. *n.* 103. Nec diſſentit Pegna *p.* 3. *com.* 120. *verſ. quamvis autem, & ſeq.* ubi ait, hanc ſententiam eſſe tutiorem. Et certe tutiſſimum eſt, ut ſi vir ſpectatæ virtutis ac probitatis ſit, non condemnetur ad voces duorum teſtium, niſi adſint alia indicia & adminicula. Quod ſane dicendum non puto de inquiſito malæ famæ, qui duobus teſtibus legitimis condemnari poterit.

Quando autem duo conteſtes ſufficiant ad condemnandum, arbitrio Epiſcopi ac Inquiſitoris relinquitur, qui diligenter conſiderata tum delinquentium, tum teſtium qualitate, illos [illegible] ad pœnam ordinariam, vel ad extraordinariam condemnare debent.

Si autem teſtis varius eſt, & contra prius dictum teſtatur ſtandum eſt ſecundo dicto, ſi, ut aliàs diximus, ex manifeſtis indiciis, & conjecturis apparet, poſterius dictum eſſe veroſimilius, quàm primum, & quod non levitate animi, aut odii fomite, vel pretio, ſed zelo fidei prius dictum corrigit vel revocat per textum *in cap. accuſatus §. licet de hæret. in* 6. ibique Gloſſ. *v. quod verum*, & Conſtit. Alexandri IV. edita anno 1258. incip. *Quod ſuper*, ac per Eymericum, Pegnam, & Farinacium *locis citatis*. Idque ſive contra reum, ſive pro reo, ut ibi etiam probavimus.

Duo teſtes, omni exceptione majores, deponentes de crimine hæreſis diverſo, eſſe conteſtes, & ob eorum depoſitionem poſſe inquiſitum pœna ordinaria condemnari, aſſerunt Zanchin. *de hæret. cap.* 13. *n.* 6. Locat. *in judicial. Inquiſ. v. teſtes num.* 19. Menoch. *conſ.* 82, *n.* 138. *lib.* 1. Quia licet non probent aliquod ſortilegium hæreticale in ſpecie, probant tamen in genere, talem reum eſſe ſortilegum hæreticalem. Nam per quodlibet ſortilegium verè ſortilegus conſtituitur, & per quamlibet hæreſim vere hæreticus eſt. Dum igitur teſtes in ipſa criminis generalitate conveniunt, ſunt conteſtes, & eorum depoſitiones ſufficiunt ad condemnandum reum pœna ordinaria.

Hoc tamen minimè attento, probabilior, & communior ſententia eſt, quod hujuſmodi teſtes non ſint conteſtes, neque eorum depoſitiones ſufficiant ad condemnandum reum pœna ordinaria, ſed tantum pœna extraordinaria. Non enim reus poteſt probari hæreticus, niſi in aliquo crimine individuo ſufficienter probetur; crimen hæreticale commiſiſſe, cùm in individuo tantum hoc crimen ſit à parte rei, & ſic de illo ſummum poſſint teſtes deponere. De nullo autem crimine hæreticali in individuo reus concludenter convincitur per duos teſtes deponentes de ſortilegio diverſo. Atque adeo nunquam redditur ſufficienter ex eorum teſtimonio convictus, ſicque non ad pœnam ordinariam, ſed tantum ad extraordinariam, & ad torturam condemnari poterit.

Et quidem nemo poteſt condemnari ac puniri, tanquam hæreticus, niſi ſaltem ex duobus legitimis teſtibus fuerit de tali crimine convictus, ſicut nemo probari poteſt fuiſſe homicidam, vel furem, niſi unum, idemque facinus per duos teſtes probetur. Atqui reus per dictos duos teſtes deponentes de crimine hæreſis diverſo, non eſſet convictus. Et quemadmodum non probaretur ſufficienter, quempiàm patraſſe miracula, ſi unus teſtis diceret, quod ſanavit claudum, alius, quod illuminavit cœcum, ut præter alios, tradunt Imol. *conſ.* 104. ex Archid. *in can. nimirum* 26 *qu.* 5. Vincentio *in cap. venerabilis de teſtib.* Butrio *in cap. Eum oporteat de accuſ.* ita in hoc caſu dicti duo teſtes non ſunt conteſtes, ſed ſingulares, atque adeo inſufficientes ad condemnandum reum pœna ordinaria. Hanc ſententiam veriorem, [illegible]iorem, ac firmioribus rationibus munitam eſſe, ait Pegna *d. com.* 121. *verſ. poſtremò*, eamque tuentur Salic. *in l. teſtium nu.* 16. *C. de teſtib.* Conrad. Brun *lib.* 4. *de hæret. cap.* 9. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 69. *& ſeq.* Royas *de hæret. p.* 2. *aſſert.* 6. *n.* 142. Cajet. 2. 2. *qu.* 70. *ar.* 1. ubi & Aragon. Albertin. *de agnoſc. aſſert. q.* 34. n. 10. Cantera *in quæſt. crim. cap.* 2. *de vera confeſſ. n.* 17. Scacc. *de judic. to.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 10. *n.* 527. Zanard. *in direct. p.* 3. *cap.* 111. *n.* 11. Sayr. *lib.* 12. *cap.* 21. *num.* 16. & nos fuſius alibi.

Si duo teſtes idonei de aſſerta hæreſi deponant, & ſolum in tempore, & loco diſcrepent eos plene illam probare, arbitrantur Salicetus *in d. l. teſtium nu.* 16. Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. & jur. cap.* 30. *dub.* 4. *n.* 33. Albertin. *loc. cit. q.* 84. *n.* 2. Simanch. *in enchir. tit.* 37. *n.* 8. & *de cath. inſtit. tit.* 51. *n.* 3. & *tit.* 64. *n.* 75. Quia in ſubſtantiam delicti conveniunt, & quamvis non ſit idem numero actus, tamen quia eſt idem numero ſignificatum, habetur pro eodem actu.

At hos teſtes loco & tempore diſcordes, quamvis de eadem hæreſi deponant, eſſe ſingulares, ideoque non plene probare, neque ex talium dictis ad pœnam criminis ordinariam imponendam ullo modo deveniendum eſſe, ſtatuo cum D. Thoma 2. 2. *d. q.* 70. *ar.* 2. *ad* 2. Cajetano *ibid.* Soto *lib.* 5. *de juſt. q.* 7. *ar.* 2. *ad* 1. Royas de *hæret. p.* 2. *aſſert.* 6. *n.* 145. ac Pegna *d. com.* 121. Quibus adſtipulantur Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 856. *n.* 13. Farinac. *de teſtib. d. q.* 64. *n.* 217. Freytas *in addit. ad tract. de confeſ. ſollic.* Scacc. *loc. cit.* Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 15. *§.* 4. *n.* 10. Diana *d. p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 31. aliique apud ipſos, & colligitur *ex cap. licet. cauſam de prob. & ex cap. cum dilectus de accuſ.* Sunt enim teſtes ſingulares ſingularitate diverſificativa Quia dum diverſimodè deponunt de loco & tempore, videntur omnino loqui de actibus diverſis. Diverſitas autem loci, vel temporis diverſitatem actuum oſtendit, atque adeo reddit teſtes ſigulares ſingularitate diverſificativa, ut docent communiter Doctores *in cap. cum cauſam de teſtib.* Cynus, & Bald *in d. L. teſtium qu.* 9. *C. de teſtib.* Archid. *conſ.* 98. *lib.* 2. ac alii, quos citat Pegna *d. com.* 121. & comprobatur *ex can. nihilominus* 3. *q.* 9. ubi Leo Papa ita decernit: *Nihilominus quoque puniendi ſunt teſtes, qui ad calumniam aliquid teſtificantur, nec eorum voces tanquam plurium admittuntur quos temporum quidem diverſitas ſimul interfuiſſe prohibuit*, & ex *Daniel.* 13. Ubi exemplum Suſannæ ſatis oſtendit, hujuſmodi teſtes eſſe cenſendos ſingulares, nec plenam fidem iis eſſe adhibendam.

Non ſuffragatur, quod uterque teſtis concordet in teſtificando, reum eſſe hæreticum, cum diverſitas illa

loco

loci ac tẽporis ſit quid extrinſecum ipſi hæreſi, ac proinde inſufficiens ad infirmandum eorum teſtimonium.

Nam quamvis diverſitas loci ac temporis ſit extrinſeca hæreſi, non eſt tamen extrinſeca ipſi teſtimonio, cùm faciat depoſitiones diverſas. Immo diverſitas hæc eſt intrinſeca hæreſi quoad ad ejus individuitatem. Pro varietate enim loci ac tẽporis diverſæ numero hæreſes conſtituuntur.

Id verò certum eſt, quod hi teſtes ſingulares, deponentes de hæreſi diverſo loco vel tempore commiſſa, & ſi non faciant contra hæreticum plenam probationem, faciunt tamen probationẽ magnam, ac pluſquam ſemiplenam, quæ ſufficit, non ſolum ad torturam, ſed ad pœnam extraordinariam, ut per Cajet. *loc. cit.* Clar. *q.* 53. *n.* 19. & Farinac. *q.* 37. *n.* 34. *de teſtib.* ibique alios.

Duo teſtes, quorum unus deponit de crimine hæreticali commiſſo tali loco ac tempore, alter de eodem crimine, ſine tamen expreſſione dicti loci ac temporis, quia de iis non recordatur, ſunt conteſtes, ſed non integre, ac plenè probantes crimen hæreticale fuiſſe à reo commiſſum. Quia licet teſtis deponens de commiſſo crimine hæreſis abſque ſignificatione loci ac temporis convenit cum deponente de eodem crimine, facta loci ac temporis ſignificatione, cùm uterque de eodem crimine deponant, atque adeo quod ad ſubſtantiam in illa depoſitione ſunt conteſtes; tamen ad integritatem, ac plenam depoſitionem teſtium requiritur, ut una depoſitio nihil ſpeciale habeat diſtinctũ ab alia. In hoc autem caſu una depoſitio ſignat locum & tempus, quod alia non deſignat, ideoque non ſunt integre ac plene conteſtes. Teſti enim deponenti de delicto, non ſignato loco ac tempore, non datur integra, & plena fides, ut ploribus relatis firmat Farinac. *d. q.* 64. *n.* 107. Et iccirco ejuſmodi reus ad pœnam ordinariam condemnari non poteſt, ſed tantum ad extraordinariam, Farinac. *loc. cit. n.* 74. Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 15. §. 4. *n.* 12. Delbene *to.* 2. *dub.* 198. *ſect.* ac Diana *d. p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 57. *n.* 11.

Non deſunt autem Doctores, qui aſſerant, plures quàm duo teſtes ſingulares, omni exceptione majores, eſſe ſufficientes ad condemnandum hæreticum pœna ordinaria, ut Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 7. Caccialup. *in repet. l. admonendi ff. de jurejur*, *col.* 39. Franc. Brun. *de indic. & tortur. p.* 1. *q.* 2. *n.* 6. & alii, quos ſequitur Pegna *d. com.* 121. Quia ſatis conſonum rationi videtur, ut Iudex poſſit tutò condemnare cum quem videt per plures teſtes graves, ac omni exceptione majores convinci, quamvis ſint ſingulares, cùm non, ſit veriſimile tot teſtes iniquo animo adverſus aliquem convenire.

At verò negandum eſt, in hoc caſu ad pœnam ordinariam eſſe hæreticum cõdemnandum. Quia ex pluribus diverſis numqoam cõſurgit unum integrale *l. ſancimus §. ſiquis autem C. de donat. l. uſura C. de uſur.* & plura imperfecta non faciunt unum perfectum, *l. un. C. qui à tutela ſe excus.* Nec probationes in ſua ſpecie imperfectæ in criminalibus ad plenam Probationem junguntur, ut ait Gloſ. *in d. cap. veniens v. illorum de teſtib.* & Bartol. *in l. ſiquis ex argentarius §.* 1. *ff. de eden*, Albertin. *de agnoſc. aſſert. q.* 25. *n.* 21. Quare in Concilio Bitterenſi c. 11. & in Concilio Narbonenſi ita in hanc rem decernitur: *Ad nullius condemnationem ſin lucidis, & apertis probationibus, vel confeſſione propria, eſſe procedendum. Sanctius enim eſt, facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare*, Aitque appoſite Fulcod. *q.* 15. *cap.* 17. *Niſi teſtes plene & plane in omnibus concordaverint, melius eſt vobis purgationem indicere, vel differre ſententiam, quam damnare.* Permanifeſtum autem eſt, depoſitiones teſtium ſingularium ſecundom regulas juris, non poſſe dici dilucidas, claras integras, atque aptas probatioues. Atque adeo non ſufficiunt ad condemnandum reum pœna ordinaria.

Eoque præſertim quia, cùm in Tribonali S. Officii nomina teſtium nõ publicentur, ſemper timendum eſt, ne innocens injuſte damnetur. Unde, quamvis quilibet teſtes ſit vir probus, ignotum tamen Judici eſt, quid illi teſti à reo poſſet opponi, & fortaſſe ſi reus eum ſciret, juſtè aliquid ei poſſet objicere, ex quo ejus teſtimonium aut repelleretur, aut infirmaretur, ideoque non eſt tam certum, quin de eo timendum non ſit.

Ita diſertè docent Cajet. *d. q.* 70. *ar.* 2. Sot. *loc. cit. q.* 7. *ar.* 2. Royas *de hæret. p.* 2. *aſſer.* 6. *n.* 146. *& ſeq.* Pegn. *p.* 3. *d. com.* 121 Farinac. *Ex q.* 64. *n.* 305. Caſtropal *d. pun.* 15. *§.* 4 *n.* 15. ac Diana *d. reſol.* 57. *n.* 13.

Depoſitiones igitur ſingulares plurimum teſtium, licet mutuò ſe adjuvent, & quælibet magis firma & probabilis reddatur, hæc tamen major firmitas & probabilitas cùm ſit extrinſeca, & accidentalis, non extrahit quamlibet depoſitionem à probatione imperfecta, ſed illam in ſuo modo probandi relinquit, & ideo ex multitodine depoſitionum ſingularium, quæ ſunt imperfectæ, nunquam una probatio integra & perfecta conſurgit. Quia tamen crimen hæreſis præſumitur commiſſum, etiam ſi reus in tortura illud neget, iccirco debet abjurare de vehementi, & puniendus eſt pœna extraordinaria juxta delicti ac perſonæ qualitatem, & teſtimonia, quæ contra ſe habet, ut per Farinac. *ibid. n.* 218. *& ſeq.* Maſcard. *d. lib.* 2. *concl.* 856. *n.* 25. *&* 26. ac Pegn. *loc. cit.*

Duo verò teſtes, vel plures videntes per foramen ſucceſſive unus poſt alterum, committentem ſortilegium, ſive maleficium, vel aliud crimen hæreticale, eo quod ſimul videre non poſſunt, ſunt cenſendi conteſtes, ac plene probantes. Quia in hoc caſu non præſumitur diverſitas temporis, ſed potius unus numero actus, & una temporis conjunctio, dum intra breviſſimum ſpatium idem crimen continuatum teſtes vident ac de uno, eodemque actu numero teſtificantur. Nec, quia dum unus vidit, alter non vidit, cenſendi ſunt, ſingulares ex diverſitate temporis. Quia dum eundem actum viderunt, & in continenti, unus poſt alium, ſimul vidiſſe dicuntur, ideoque, nec ſingulares ſunt Pegna cum aliis *loc. cit.* qui aiunt, ſic probari poſſe adulterium, atque adeo crimen hæreſis.

In dubio autẽ utrum teſtes deponant de diverſis criminibus hæreticalibus an de uno & an cenſendi ſint conteſtes, an ſingulares, ſi conveniunt in depoſitione criminis eodem loco & tempore commiſſi, præſumendi ſunt de uno, eodemque crimine deponere ac eſſe conteſtes, & non ſingulares. Quia pluralitas actus non præſumitur *ex cap. cum Joannes de fid. inſtrum.* ſi autem in loco ac tempore ſunt diſcordes, ex qua diverſitate, quia diverſa crimina inferuntur, præſumendi ſunt, teſtificari non de uno, ſed de diverſis criminibus, & non eſſe conteſtes, ſed ſingulares, ut pluribus relatis Farinac. *de teſtib. d. q.* 64. *n.* 317. *ac ſeq.*

Conteſtes deponentes contra inquiſitum de crimine hæreticali per eadem formalia verba, etiam in minimis circumſtantiis, non faciunt plenam probationem, ſed talem conteſtium depoſitionem eſſe ſuſpectã falſitatis per textum *in l.* 3. *§.* 1. *ff. de teſtib.* ibique Doctores, & per ea, quæ tradunt Maſcard. *lib.* 2. *de prob. concl.* 745. *n.* 16. & *lib.* 3. *concl.* 1368. *n.* 6. Farinac. *de teſtib. q.* 65. *n.* 24. Unde D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *ad* 2. *a* 5. *ait.* Quinimmo aliqua diſcordia in teſtibus, ſcilicet in circumſtantiis, non pertinentibus ad ſubſtantiam facti, facit teſtimonium credibilius, quia, ut Chryſoſtomus *hom.* 1. *in Matth.* dicit ſi in omnibus concordentur, etiam in minimis, viderentur ex condicto eundem ſermonem proferre, quod tamẽ prudentiæ Iudicis videtur diſcernendum. Idemque affirmant Sot. *lib.* 5. *de juſt. q.* 7. *art.* 1. *ad* 1. Pegn. *p.* 3. *com.* 121. Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 15. *§.* 4. *n.* 13.

Porro communis atque indubitata regula eſt, quod dictum unius eſt dictum nullius, *cap. dicit. univerſis.*

cap. veniens, *cap. jurejurando*, & *cap. in omni negocio de teſtib.* Quod procedit non ſolum de jure civili,& canonico,ſed etiã de jure divino, ut probat textus *in can. fin.* 35. *q.* 6. & *in can. admonere* 33. *q.* 5. *& in l. jurisjurandi C. de teſtib.* & *in l. maritus ff. de quæſt.* Siquidem jus divinum eſt, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum *Matth.* 18.ſicuti hæc,& alia notat Farinac. *de teſtib. q.* 63.*n.* 1. Eſtque verum de omni teſte, qui licet omni exceptione major ſit,ac in dignitate conſtitutus, ſi tamen unicus ſit,plenam non inducit probationem, maxime in crimine hæreſis, & in criminalibus, in quibus agitur de periculo famæ ac vitæ. Unde Deus ipſe ait Deut. 19. *Non ſtabit teſtis unus contra aliquem quicquid illud peccati, vel facinoris fuerit, ſed in ore, duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*, cap. *cum à nobis in princ.* & *capto. licet de teſtib.* & *can. pœn. & fin.* 6. *q.* 3. Ita Q. Scævola excellentiſſimus vir, teſtis in reum productus,cùm id reſpondiſſet,quod ſalutem periclitantis maxime læſurum videbatur, diſcedens adjecit, ita ſibi credi oporteret,ſi & alii idem aſſeveraſſent; quoniam unius teſtimonio credere,peſſimi eſſet exempli, Val Max *lib.* 4 *cap.* 1, Ac ita, ut neque Princeps poſſit ſtatuere generaliter, ut unius teſtimonio ſtetur, quòd ex diametro pugnaret hoc præceptum cum jure divino, cui prævalere nequit, Gloſ. *in l. fin. de conſtit. Princip. & in l. fin. C. ſi contra jus, vel utilit. publ. can. ſunt quidam* 25. *q.* 1.

Et quicquid ſit in civilibus, in quibus receptum eſt teſtem unum,non quidem plenam probationem facere, ſed ſemiplenam, ſi is ſit fide dignus, & omni exceptione major, id eſt adverſus quem nihil proponi poteſt, cur rejici debeat Gloſ. *in §. item verborum ff. de inut. ſtipul.* & notant Interpretes *in l. admonendi ff. de jurejur.* & *in l in bona fides C. de reb. cred.* & *in cap. fin. de jurejur.* & *ex cap. ex inſinuatione de procur.* Marſil. *ſingul.* 197. hanc ſemiplenam probationem ſufficere ad deferẽdum juramentum,quod ad ſemiplenam probationem probandam adhibetur, Quod firmat idem Marſilius *loc. cit.* ubi ſingulariter addit, ut & arbiter, qui ſententiam protulit, & qui non eſt teſtis idoneus in ſua cauſe poſſit, ut Index jurare in ſupplementum probationis actorum coram ſe geſtorum, & faciat plenam probationem. Hoc etiam ſcripſit Cardinal. *conſ.* 140. *col.* 5. Quod intelligi par eſt, ſi is teſtis cauſam reddat teſtimonii, non aliter,Bald. *in §. non autem, ſi de inveſt. feud. fuer. contr. in uſib. feud.* Roman. *in repet. rubr. de arb. col.* 8. Corſet. *ſingul. de teſte*, incip. *licet unus teſtis*, facit *l. ſola ff. de teſtib.* & *can. ſolam* 4. *q.* 1. Nam & modica quælibet præſumptio elidit ſemiplenam præſumptionem unius teſtis,neque ex eo locus erit ſupplemento juramenti, Roman. *conſ.* 91. *col. pen.* Bald. *in §. Sacramentum de conſuet. rect. feud. in feud.* Marſilius *d. ſing.* 197.

Nunquam tamen in criminalibus unius teſtis fides facit, nec contra reum probationẽ etiam ſemiplenam, ut aiunt Cynus,& Angelus *in l. quiſquis C. ad leg. Iul. Majeſt.* ubi improbant, Gloſſam,quæ contrarium tuetur,ſicuti & Lanfranc. de Oriano *in cap. quoniam contra ad teſtium depoſitiones n.* 131. *de prob.* Excuſabit tamen unius teſtis dictum accuſatorem à pœna talionis, & per conſequens à calumnia, ut notat Bald. *in addit. ad ſpecul.* & *ad tit. de accus.* & Marſil. *ſingul.* 47. Colligit Speculator *in §. reſtat, verſ. hoc tamen fallit tit. de teſtib.* 40. caſus, in quibus ait, teſtimonium unius teſtis admitti, quem videre poteris. Interim dignum cognitu eſt,teſtimoniũ unius teſtis, ex quo alteri præjudicium non infertur, ſufficere, ut *in l. Theopompus ff. de do. præleg. can. parvulus, can. cum itaque de conſecr.* 4. *d.* ſed de his alii.

Verum quãvis unicus teſtis idoneus,& omni exceptione major,non faciat plenam probationem, facit tamen illam ſemiplenam. Quia dum duo teſtes idonei plenam inducunt probationem, ergo unus illam ſemiplenam inducit, Gloſ. *in d. l. admonendi ff. de jurejur. ibique* Bartol. *n.* 76, & univerſim Doctores, ac firmat Pegna *p.* 3. *com.* 110. *n.* 8. *verſ. aut unicum teſtem.* Quare depoſitio unius teſtis idonei ſufficit ad rei torturam,ut teſtatur Pegna *ibid.* ac Imol, *in Clem* 1. *n.* 20. *de hæret.* Locat. *in Iudic. v. Inquiſitor, verſ. ſi autem*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 65. *rubr. de torm. n.* 23. *& ſeq.* Zanch. *de hæret. cap.* 9. & ibi Campeg. *lit. E.* Royas *de hæret. p.* 2. *n.* 24. & Farinac, *de hæres. q.* 185. *n.* 129. traditque Pegna loc. cit. quod unus teſtis de viſu,ſi ſit omni exceptione major,ſine aliis adminiculis indicium facit ad torturam, dummodo talis inquiſitus ſit malæ famæ; nam ſi ſit bonæ famæ,teſtis unus,ſeu ſemiplena probàtio non facit indicium ad torturam, niſi alia concurrant. Quod etiam notant Farinac. *d. q.* 185. Simanchas cum aliis *ubi ſupra*, *&* Decian. *in tr. crim. lib.* 5. *cap.* 36. *n.* 6. Qua de re in parergis.

At quid de teſte deponente contra hæreticum de auditu? Auditus duplex eſt. Proprius, & alienus. Proprius eſt ille,qui immediate, ac in propria audientis perſona percipitur.Ut ſi quis non ex alterius relatione,ſed præſens audivit aliquod dici,vel fieri.Alienus eſt ex relatione alterius & quando quis pro confirmatione dicti ſui teſtatur,ſe ab hoc,vel ab illo audiſſe,& ſic fundat ſe non in auditu proprio,ſed in alieno. Doctores communiter,quos ſequitur Farinac. *de teſtib. q.* 69. *n.* 146.

Teſtis igitur vel deponit contra hæreticum de auditu proprio,quia audivit ipſum de aliquo commiſſo crimine hæreticali glorantem, vel de illud committendo paratum, & plene probat, quia deponit de cauſa ſcientiæ. Probat enim confeſſionem ipſius hæretici nullaque major probatio quàm proprii oris confeſſio, Gloſ. *in l. ſi arbiter. v. nam in quibuslibet ff. de prob.* Bartol. & alii apud Farinac. *ibid. n.* 148.

Vel deponit auditu alieno, & contra reum non probat, *cap. licet de teſtib.* ibique Oſt. Imol. Abb. & alii Canoniſtæ *in cap. præterea & in cap. tuam de teſtib. eod. tit.* ac Doctores relati à Farin *d. q.* 69. *n* 2. *& ſeqq.* ubi docet teſtimonium de auditu alieno ne indicium quidem facere ad torturam.Quia ex cõmuni ſententia teſtis deponere debet de eo,quod certò novit, ac præſens fuit,& conſequenter per proprium ſenſum viſus, vel per proprium auditum, non autem per ſenſum alterius,ut *ex can. teſtes* 3. *q.* 9. *& ex d. cap. licet de teſtib.* Non enim teſtis de auditu alieno deponere poteſt de cauſa ſcientiæ, prout ejus depoſitio eſſe debet, ut ex ea Judex reddatur certus in judicando,ut advertit cum aliis Farinac. *d.* 69. *num.* 3. *&* 6. Idque etiamſi dicat, ſe audiviſſe ab homine magnæ autoritatis, immo nec quidem ſi concurreret fama ſine aliis adminiculis, aut diceret, ſe audiviſſe ab eo, qui præſens fuit delicto hæreticali, vel diceret. ſe ſcire talem eſſe hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi, & in reddendo rationem dicere, ſe audiviſſe, ut cum aliis probat Farinac. *ibid. n.* 20.

Poſſe autem Inquiſitores procedere ad examinandum teſtes nominatos in denunciatione facta in ſcriptis per epiſtolam contra hæreticum, vel ſuſpectum de hæreſi abſque denunciantis nomine ſuſtinet Param *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *q.* 6. *numero* 91. *& ſeq.* At contrarium tutius eſſe, docent Farinac. *de hæreſ. d. q.* 185. *numero* 68. Simanch. *in enchir. tit.* 22. *numero* 8. Zechius *in ſum. p.* 1. *tit. de fid. rubr. de hæres. cap.* 11. *numero* 12. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 41. Tum quia ſunt ſuſpecti; tum etiam ne detur improbis occaſio infamandi quoſcunque voluerint, & ita ſervari regulariter in ſupremo S. Inquiſitionis Tribunali, teſtatur Farinacius *loco cit.* An autem ex hoc procedi ſaltem poſſit ad inquirendum, alibi diximus.

CONSULTATIO CLIV.

De Compulſione, & probatione teſtium, eorum publicatione, repetitione, & confrontatione, ac pœna in teſtificando falſum in cauſis S. Officii, deque aliis quæ ad rem hanc compendio, & capitulatim diſceptantur.

CRimen hæreſis per teſtes probari, habetur *ex cap. ut Officium §. verum, ex cap. accuſatus §. licet de hæret. in 6. & ex cap. ad ſedem §. nos prioris eod. tit.* Quamvis verò aliquando dubitatum fuerit, an in criminalibus teſtes compelli poſſint ad ferẽdum teſtimonium, certum tamen eſt, in crimine hæreſis quoſcunque quacunque fulgeant dignitate, aut privilegio muniantur, compelli poſſe ad jurandum de dicenda veritate, & ſe examinandum per textum *in cap. pervenit de teſtib. cogend. & capit. excommunicamus §. adjicimus de hæret.* & tradunt Innoc. *in cap. cum. 5. de teſtib. cogend.* Oſt. & Jo. Andr. *in cap. dilectorum eod. tit.* ibique Felin. *num.* 3. Sylveſt. *v. hæreticus 1. nu.* 7. Archid. *in d. cap. ut Officium n.* 8. Zanchin. *de hæret. cap.* 15. *n.* 9. ubi Campeg. *Repert. Inquiſ. v. teſtes §. an ſi teſtes*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 12. Eymer. *in direct. p.* 3. *q.* 62. ac ubi Pegn. *com.* 112. Salell. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 36. Farinac. *de teſtib. q.* 54. *n.* 111. *& q.* 55. *n.* 94. *& quaſt.* 78. *n.* 12. *ac de hæres. q.* 188. *n.* 2. Caſtropal. *to.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 1. *§.* 3. *num.* 1. Delbene *p.* 2. *dub.* 198. *ſect.* 11. *num.* 1. ac Guido Fulcodius in *conſult. Inquiſ.* ubi ait, quod nec voto, nec juramento excuſantur aliqui, ne ubi opus eſt, & citantur, non teneantur in S. Officio deponere cum juramento. Et in extravag. Joannis XXII. edita anno 1318. quæ incipit. *Glorioſam* ſub finem habetur. *Teſtes autem, quos ad præmiſſa videritis evocandos, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere.* Ac ita, ut teſtis accuſans examinari in cauſa hæreſis cenſeatur quandoque fautor hæretici ac de hæreſi ſuſpectus, & ut talis puniendus, conſiderata qualitate perſonæ, ac inobedientiæ & negotii, de quo agitur, gravitate, ut ex Pegna, Farinac *d. q.* 188. *§.* 1. *n.* 2. *& q.* 287. *§.* 6. *n.* 3. Souſ *in aph. lib.* 2. *cap.* 17. *nu.* 7. ac Bordon. *to.* 1. *cap.* 33. *n.* 16. niſi teſtis citaretur ad teſtificandum contra conſanguineos, vel amicum ſummum, quia tunc licet poſſet puniri propter inobedientiam, non tamen habendus eſſet, tanquam ſuſpectus de hæreſi, & fautor hæretici, quia cenſendus eſt, affectione potius carnali, quàm aliquo intellectus errore, aut odio contra fidem, nolle teſtimonium dicere. Nec ſolum ſemel cogi poſſunt, ſed pluries, præcipue ſi obſcure depoſuerint, ut ſuas depoſitiones declarent. Eymericus, & Pegna *ubi ſupra*, Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *n.* 13. *&* 25. Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 16. Et ſi teſtis fuit præſens delicto, & nolit de eo veritatem teſtari, torqueri poteſt, ut eam fateatur, ſi contra eum ſint aliqua indicia, Boſſ. de tortura *teſt. n.* 1. Scacc. *lib.* 1. *de judic. cap.* 86. *n.* 14. & Bordon. *to.* 1. *cap.* 33. *n.* 16. At de hoc in parergis.

Quinimmo Inquiſitores poſſunt citare teſtes ex aliena diœceſi per textum *in d. cap. ut Officium §. denique.* ubi Doctores, & tradunt Repert. Inquis. *v. dicta*, Eymer. *p.* 3. *q.* 74. ubi & Pegn. *com.* 123. Farinac. *d. qu.* 188. *§.* 2. *numero* 4. Delbene *d. dub.* 198. *ſect.* 1. *n* 2. & Caren *p.* 3. *tit.* 9. *numero* 76. non obſtante Conſtitutione de duabus, vel tribus dictis relata *in cap. nonnulli de reſcript.* & *cap. ſtatutum eod. tit. in* 6. Quando verò examinandæ ſunt perſonæ illuſtres, & egregiæ, moniales, ac honeſtæ mulieres, quas non deceat in judicium vocare, perbenigne ac perhumaniter aget Inquiſitor, ſi ipſemet illas adeat vel mittat Commiſſarium, qui eos domi examinet. Et quod ad Moniales perpendendum eſt non ſolum, quod ſtatuitur *in cap.* 1. *de judic. in* 6. in quos mulieres religioſæ prohibentur etiam voluntarie trahi in judicium, ſed etiam *cap. periculoſo de ſtat. reg. in* 6. decretum S. Concilii Trid. *ſeſſ.* 25. *cap.* 5. *de regul.* & Conſtitutio B. Pii. incip. *Decori*, in qua prohibentur Moniales egredi e clauſura niſi in aliquibus caſibus in illa expreſſis. Unde Inquiſitores non poſſunt examinare Moniales, niſi prius facto verbo cum Epiſcopo 20. Maii 1609. Neque ob aliam cauſam ire poſſunt, ac debent ad monaſteria monialium, niſi ex ca[...] S. Officii, cùm ipſi quoque comprehendantur in Conſtitutione Clementis VIII. in hanc rem edita 16. Februarii 1628.

Monialis verò extrahitur è monaſterio, & collocatur in alio loco, donec contra ipſam fit cauſa, ſpectans ad S. Officium, ut 26. Martii 1609. Monialis, dubitans de fide, ſuavi modo ac ſecreto ad eam eſt reducenda. Quomodo autem moniales prætenſæ maleficæ, ſint expediendæ, vide ſub die 9. Septembris 1620. 1625. 1615. & Quomodo energumenæ, vide ſub anno 1639.

Inquiſitores itaque autoritatem habent præcipiendi teſtificationem quibuscunque, & ſi præcipiant ſub pœna excommunicationis, & teſtis non obediat, incurrit in illam, quia tenetur obedire. Teſtis enim in judicium vocatus, & à Judice legitimè interrogatus, tenetur ex juſtitia veritatem fateri, ut per Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. cap.* 30. *dub.* 6. *numero* 43. Fagund. *lib.* 8. *cap.* 42. *numero* 9. & Diana *p.* 3. *tr.* 5. *reſol.* 102. Non tamen teneretur teſtificari, ſi delictum illud novit in confeſſione ſacramentali, neque ſi delinquens conſilii, vel auxilii petendi cauſa ad ſalutem ſuæ animæ ſuum delictum ſecretò ei patefecerit, ut diximus, cùm de denunciatione ageremus.

Non poteſt verò teſtis ſe ſubtrahere à teſtimonio Inquiſitoribus ferendo contra delinquentem ob juramẽtum, vel votum præſtitum de non teſtificando. Quoniam ad veritatem in judicio detegendam omnes tenentur, & non eſt de meliori bono illam celare. Et ideo non obſtante juramento, vel voto non teſtificandi, poteſt quis cogi ad teſtimonium dicendum, ut expreſſo ſtatuitur *in cap. fin. de teſtib. cogend. & cap. pervenit* 1. *eod. tit* ubi textus loquens de eo, qui juramento ſe adſtrinxerat, ut non deponeret contra delinquentem ait, hunc teſtem compellendum eſſe ad detegendum tantæ fraudis, & calliditatis commentum, & ita Pegn. *p.* 2. *direct. in cap. ut Officium* §. *verum, vers. ex quo patet.* qui citat D. Thom. 2. 2. *q.* 70. *ar.* 1. *ad* 2. uberius Farinac. *de teſtib. q.* 78. *nu.* 149. & aliis congeſtis Carena *de teſtib. cogend. q.* 8. *n.* 7.

Teſtis autem, qui in repetitione contrarium deponit de eo, quod prius dixerat, eſt torquendus ad eruendam veritatem, illi qui dicto ſtandum, quod in tortura cõfirmatur, ut diſerte tradunt Zanchin. *de hæret. cap.* 14. Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 16. *numero* 2. Carena *p.* 3. *tit.* 7. *numero* 46. & Farinac. *de teſtib. qu.* 66. *numero* 98. qui *numer.* 100. *& ſeq.* ait, teſtem per ſolam variationem poſſe torqueri, etiam non præcedentibus aliis indiciis, aut adminiculis. Idque non ſolum ſi teſtis ſit laicus, ſed etiamſi ſit Clericus, etiamſi contra eum aliqua fama non præcedat. Quia, quod dicunt Doctores, clericus non poſſe torqueri, niſi fama præcedente, tanquam reum ſuper delicto, non habet locum, quando agitur de illo torquendo, tanquam teſte, Quod ſi ipſe teſtis in ratificatione poſt torturam recedat à ſuo dicto in tortura, poteſt iterum torqueri uſq; ad tertiam vicem, proceditque etiam quando teſtis in judicio fatetur contrarium ejus, quod dixerat extrajudicialiter, & probato dicto extrajudiciali, torqueri poteſt, ut per Farinacium cum aliis loco citato.

Retractatio verò teſtis falſi vel creditur profutura, ne proximus lædatur in vita, vel fama & honore, & tunc tenetur ille ſe retractare cum periculo ſuæ vitæ, ſi vita proximi ſuæ famæ, ſuique honoris, ſi illius fama, ſi illius honor periclitatur. Qui enim eſt cauſa injuſta alterius damni, tenetur illi occurrere cum eodem ſuo periculo damni in vita, fama & honore. Et licet quis teneatur magis vitæ ſuæ & famæ conſulere, quam alienæ, id tamen verum eſt ſolum quando cætera ſunt paria. In hoc autem caſu non ſunt paria. Quia teſtis falſus eſt nocens, & inquiſitus & innocens, atque adeo vita, vel fama innocentis præferenda eſt vitæ & famæ nocentis. Ita rectè Navar. *in ſum. cap.* 15. *numero* 16. Cajet. 2. 2. *q.* 70. *ar.* 4. *ad* 1. Covar. *in reg. peccatum* 1. *n.* 6. §. 3. Cordub. *lib.* 1. *q.* 3. *ar.* 3. *& in ſum. q.* 17. *ac Petr.* Navarra *lib.* 2. *de reſtit. cap.* 3. *n.* 235.

Qui itidem alios induxit contra aliquem ad falſum teſtimonium ferendum, tenetur non ſolùm charitate, ſed etiam ex juſtitia, illos admonere, ut ſe retractent. Quòd ſi nolint, tenetur rem manifeſtare Judici etiam cum æqualis ſui damni periculo. Idem enim eſt proximum lædere cum ſuo, quàm cum alieno teſtimonio. Si autem eos non induxit, tenetur tantum ex charitate citra præjudicium ſuæ vitæ & famæ. Quia charitas non obligat cum ſui ipſius jactura ut per Navarram *d. n.* 252. & Leſſium *lib.* 2. *de juſt. cap.* 3. *n.* 53.

Teſtis verò, qui aliquem ſuo falſo teſtimonio læſit in fama, non tenetur cum periculo propriæ vitæ ſe retractare. Quia reſtitutio facienda eſt ad æqualitatem. Non autem fieret ad æqualitatem, ſi cum periculo vitæ ſe retractaret, quia pretioſior eſt vita, quàm fama, cum fama recuperari poſſit, non autem vita.

Si autem teſtis retractatio non credatur profutura, non tenetur ipſe ad ſe retractandum, ſed ex juſtitia tenetur ad reſtitutionem damni dati ſuo iniquo teſtimonio. Quia licet teſtimonium ferre non ſit actus juſtitiæ, ſed religionis, teſtes tamen, quando ad teſtificandum accedunt, tenentur ex juſtitia veritatem deponere, quia ex eorum teſtimonio reus eſt damnandus, vel abſolvendus, de quo luculenter Gabr. *in* 4. *d.* 15. *q.* 6. *concl.* 7. Navar. *in ſum. d. cap.* 17. *numero* 34. Leſſ. *d. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 9. *num.* 65. Molina *to.* 1. *de juſt. diſp.* 83. §. *de teſtibus*, aliique paſſim.

Teſtis verò, qui ex ignorantia falſum depoſuit, & ob ejus depoſitionem aliquis detrimentum accipit, vel falſum depoſuit ex ignorantia craſſa & vincibili, & ſicut peccavit mortaliter, ita ad reſtitutionem damni illati tenetur. Quia injuſtè proximo damnum intulit. Patet ex *cap. ſi tua culpa de injur. & damn.* & plene Leſſ. *d. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 7. *numero* 52. Farinac. *de teſtib. q.* 62. *numero* 5. & Fagund. *lib.* 8. *cap.* 42. *num.* 1. Vel depoſuit falſum ex ignorantia invincibili, vel ex innocua inadvertentia, & non tenetur ad reſtitutionem. Quia non peccavit mortaliter, ut ſupponitur. Quia autem non peccavit, ſaltem mortaliter in damno afficiendo, non tenetur damnum illatum reſtituere, ut probat Leſſ. *cit. cap.* 30. *numero* 55 Cajet. 2. 2. *q.* 70. *ar.* 4. Navarra *d. numero* 235. Quia dum à Dei offenſa excuſatur, multò magis à proximi læſione excuſabitur. Quare computanda eſt hæc materialis damnificatio inter eas, quæ caſu fortuito accidunt, vel ex leviſſima culpa, quæ non obligat ad reſtitutionem. Injuſtum enim eſſet obligare aliquem ad reſtitutionem in eo caſu, in quo nullam contraxit culpam.

Ille autem, qui falſum depoſuit, quando reus jam erat per alios teſtes convictus, quamvis peccaverit mortaliter contra juſtitiam, falſum teſtificando, tamen ad reſtitutionem non tenetur Quia licet injuriam reo impoſuerit, certe non eſt cauſa efficax ejus damni, quod ex præcedentibus teſtibus cenſetur illatum. De ratione enim cauſæ eſt, ut, illa poſita, ſequatur effectus, nec cauſa dicitur illa, ſine qua effectus ſequitur.

Si teſtis in articulo mortis extrajudicialiter teſtetur contrarium illius, quod in judicio cum juramento depoſuerat, judicialis illa prima depoſitio non tollitur neque redditur nulla per ſecundam contrariam extrajudicialem, etiam ſi hæc facta ſit in articulo mortis, & ſive lata ſit ſententia, ſive ſit ferenda, ut per Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 13. *numero* 7. & alios, quos ſequitur Farinac. *de teſtib. qu.* 66. *numero* 204. & 206. Quia licet in mortis articulo, nemo præſumatur falſum dicturum, nec immemor propriæ ſalutis, ut *in l. ult. C. ad leg. Jul.* & docet Gloſſ. *in cap. litteras de præſumpt.* & nos alias, attamen prima depoſitio judicialis eſt juramento firmata, non autem ſecunda, & ideo illa per hanc non tollitur, etiam in articulo mortis factam. Verumtamen ob hanc ſecundam extrajudicialem debilitatur prima judicialis. Et quia in hoc caſu teſtimonium vacillat, iccirco id totum arbitrio Judicis remittendum eſt, attenta qualitate perſonarum, ac temporis, ut per Covar. *loc. cit.* & Farinac. *ibid. numero* 208. *& ſeq.* cum aliis, quos ipſe conſtipat.

Si autem in articulo mortis, vel extra illum teſtis juramento firmiter deponat, ſe falſum depoſuiſſe in prima judiciali ſua depoſitione, tunc neutrum teſtimonium valere, firmant Covar. *eo loco*, & Farinac. *n.* 214. Clar. *in pr.* §. *fin. q.* 53. *verſ. primus caſus eſt*, niſi ex conjecturis ac præſumptionibus appareat, qualis ex his duabus depoſitionibus ſit veriſimilior, quod Judicis arbitrio relinquitur, ut per Felin. *in cap. cum in tua verſ. idem dicas de teſtib.* Aretin. *in cap. tuas nu.* 5. *&* 32. *ac* 34. *eod.* Dec. *ibid. numero* 45. Roman. *conſ.* 305. *numero* 3. Tiraquel. *de revoc. donat. in præf. numero* 49. & Covar. *ubi ſupra.*

Qui verò ſcit, quempiam eſſe falſo accuſatum, vel denunciatum, tenetur in favorem ejus teſtimoniũ ferre, etiam cum damno accuſatoris, ſi judicet, poſſe illum ſuo teſtimonio à ſupplicio liberare. Quia vel eſt à Judice requiſitus, ut teſtimonium dicat, & tenetur ex juſtitia illud dicere, ac innocentem excuſare, & ſi veritatem taceat, tenetur ad reſtitutionem damni, quod illi ſua taciturnitate infert. Hæc enim obligatio eſt jure naturali hominibus injuncta, ne juſtitia, qua Reſpublica gubernatur, pereat. Si autem non ſit à Judice requiſitus, & ſcit, quod ſi ad teſtandum ſe offerat, proficiet inquiſito, ut ejus innocentia cognoſcatur, & à ſupplicio, quod ei imminet, liberabitur, tenetur ex charitate ſub mortali ad teſtificandum ſe offerre, Ita diſtinctè D. Thom. 2. 2. *d. q.* 7. *ar.* 1. Gabr. *in* 4. *d.* 15. *q.* 6. *ar.* 2. *concl.* 7. Navar. *in ſum. cap.* 15. *n.* 16. Navarra *lib.* 2. *de reſt. cap. n.* 167.

Nec obſtat damnum, quod ſequi poſſet accuſatori. Quia licet uterque ſit proximus, tamen favendum potius eſt innocenti, quàm nocenti. Accuſator autem eſt nocens, ſibique imputandum eſt, ſi mali aliquid inde patiatur. Ad id enim velit, nolit à principio ſe expoſuit.

Teſtes autem, quorum dicta nec ſunt contraria, neque omnino paria, ſed admittunt aliquam concordiam, nõ probant tantum, quantum ſi teſtes eſſent conteſtes, ſed probant aliquid amplius, quam ſine illa concordia. Depoſitiones enim cõteſtium nulla indigent interpretatione. Nam ex eis reſultat probatio clarior. Tales autem non ſunt depoſitiones dictorum teſtium. Nam indigent interpretatione & concordia, & ideo non probant tantum, quantum depoſitiones conteſtium. Ratione verò concordiæ probant aliquid plus, quam non probarent, ſi non eſſent concordati. Quia ex ipſa concordia aliqua probatio reſultat, quæ ſine eâ nõ reſultaret eo, quod tunc teſtes ſe colliderent. Ex teſtiũ itaque concordia augetur probatio, & evitatur perjurium. Evitatio enim perjurii firmat teſtimonium contra reũ, ut per Abb. *in cap. cum tu de teſtib. n.* 5. Farin. *q.* 65. *n.* 76. *& q.* 66. *n.* 320. Caren. *p.* 3. *tit.* 6. *n.* 54. *& ſeq.* Pegn. *in pr. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 45. *n.* 1. Canter. *de vera confeſ. cap.* 2. *n.* 25. Souſam *in aph. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 19. Bordenun *to.*

1. *cap.*

r. *cap.* 33. *n.* 38. Quanta autem fides his teſtibus ſic concordaris adhibenda ſit, utique arbitrio judicantis poſitum eſt.

In caſu autem, quo teſtis in confirmationem ſuæ depoſitionis alium nominat, ſed hic vocatus cõtrarium deponit, ſi ſunt in qualitate pares, neutri credendum eſt. Non primo, qui alterum vocavit, quia dum illum allegavit in confirmationem ſuæ veritatis, & iſte eam negavit utique ille redditur ſuſpectus de falſitate. Neque ſecundo, quia pari ſuſpicione cum primo redditur. Si verò inter hos teſtes ſit diſparitas, & unus ſit dignior altero, tunc Iudex obſervare debet utriuſque conditiones, ac utriuſque modum deponendi, ac indicia, quæ referunt, & ex illis judicium ferre ſuper credulitate teſtimoniorum ac teſtium. Iſtis autem paribus, digniori credendum eſt, Giurba, qui alios citat *conſ.* 37. *numero* 26. Caſtil. *decis.* 161. *n.* 29. Carena *loc. cit. n.* 42. & Bordon. *ibid. n.* 40.

An autem in hoc caſu ſit locus torturæ, diſtinguunt citati Doctores, quod vel teſtis nominatus convincitur à duobus teſtibus, & poteſt torqueri, & ſi tortus perſtiterit in negativa, nec ipſi, neque aliis teſtibus, qui eum nominarunt, credendum eſt. Vel convincitur ab uno tantum teſte, & tunc vel agitur de probando indicio proximo, & ſi teſtis convincitur ab uno digniore, torqueri poteſt. Si verò teſtes ſint dignitate pares, neutri creditur, & torqueri non poteſt. Si autem agitur de indicio remoto, nullatenus deveniri poteſt ad torturam. Ita Maſtril. *dec.* 192. Giurb. *conſ.* 23. Farinac. *de teſtib. q.* 79. *numero* 21. Caren. *d. tit.* 6. *§* 6. *numero* 42. *& ſeq.*

Ut autem teſtes ſint conteſtes, requiritur, quod in quatuor conveniant. Primo in eodem delicti nomine ac ſubſtantia Secundo in ejus circumſtantiis. Tertio in tempore. Quarto in loco. Si verò in aliquo iſtorũ diſcordent, dicuntur ſingulares in eo, in quo diſcordant, & dicuntur conteſtes in quo conveniunt, ſed non plene probant, magnam tamen præſumptionem contra reum, & pluſquam ſemiplenam probationem faciunt; quæ, ſpectatis circumſtantiis, ſufficere poteſt ad torturam, & aliquando etiam ad inferendam pœnam extraordinariam, ut per Clar. *q.* 53. *n.* 19. Cajet. 2. 2. *d. q.* 70. *ar.* 2. Farinac. *de teſtib. q.* 64. *n.* 113. Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *cap.* 4. *n.* 5. In dubio autem non ſingulares ſed conteſtes præſumuntur, ut cum aliis inquit Farinacius *ibid. n.* 217.

Non poteſt teſtis in ferendo teſtimonio juſto ac vero aliquid accipere, neque acceptum retinere. Peccat enim accipiendo, & reſtituere illud tenetur. Quia cenſetur involuntariè & coactè datum. Nemo enim voluntarie alteri ſolvit, quod ei injuſte debetur. Teſti namque nihil juſte debetur, cùm teſtimonium verum non ſit vendibile, & ex juſtitia, vel ſaltem ex charitate omnino ferendum ſit, & qui ob id aliquid accipit, ad reſtitutionem obligatur, niſi aliquid acciperet pro expenſis in itinere, eundo, ſtando, ac redeundo, vel pro pretio alicujus laboris, vel teſtando veritatem, eſſet illi damnoſum: tunc enim poſſet aliquid exigere ac retinere ratione expenſarum itineris, aut laboris, vel damni & periculi, quod timetur, ut per Leſſ. *lib.* 2. *de juſt. cap.* 14. *dub.* 8. *n.* 63. *&* 65. Fagund. *lib.* 8. *cap.* 42. *n.* 17. *& ſeq.* Navar. *in man. cap.* 52. *n.* 45. & *in can. inter verba* 11 *q.* 3. *concl.* 6. *corol.* 63, Molin. *to.* 1. *de juſt. diſp.* 83. *§. teſtis, lit. B. col.* 2.

Quamvis verò certum ſit, teſtem falſum teneri reſtituere damnum ſuo teſtimonio illatum alteri, non eſt tamen ita certum, an teneatur etiam reſtituere pretium illud, quod pro injuſto, & falſo teſtimonio dicendo recepit. Negant nonnulli, quia, etſi injuſtum teſtimonium, pro quo unus dedit, & alter accepit, non ſit vendibile, neque pretio æſtimabile, ut malum, & offenſa Dei, tamen, ut eſt utile danti, & periculoſum recipienti inter homines pretio æſtimabile judicatur. Sicut meretrix, quæ pretio copiam ſui corporis alteri facit, nõ tenetur ad reſtitutionem pretii, & qui accepit aliquid pro homine occidendo, illumque occidit, non tenetur illud reſtituere, quamvis teneatur reſtituere damnum ex ocsiſione ſequutum, unde D. Thom. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 7. *& q.* 62. *ar.* 5. *ad* 2. docet, poſſe quemlibet retinere id quod accepit pro opere malo. Atque ita Leſſ. *d. dub.* 8. *n.* 52. *& ſeq.* ubi etiam ait, non teneri Iudicem reſtituere id, quod pro iniqua ſententia recepit. Eadem eſt ratio de teſte, qui aliquid pro ferendo falſo teſtimonio recepit, Molin. *d. to.* 1. *diſp.* 89. Navar. *cap.* 17. *n.* 30. *& d. cap.* 25. *n.* 45. Tolet. *in ſum. lib.* 5. *cap.* 21. *&* 59. Navarra *lib.* 4. *de reſtit. cap.* 2, *poſt. dub.* 12. *n.* 132. ac Rodriq. *in ſum. p.* 2. *cap.* 40. *concl.* 2.

Aſſerunt verò Cajet. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 7. Covar. *in reg. peccatum p.* 2. *§.* 2 *n.* 7. Alens. *p.* 3. *ſum. q.* 40. *membr.* 6. *ar.* 3. *§.* 2. Gabr. *in* 4. *diſt.* 15 *q.* 6. *ar.* 3. *dub.* 1. Palud, *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. *ar.* 5. Sotus *lib.* 4. *de juſt. q.* 7. *ar.* 1. *ad* 2. Cordub. *q.* 32. *in* 4. *propos. dub.* 1. *&* 4. Valentia *tom.* 3. *diſp.* 5. *q.* 6. *pun.* 5. *§. quidnam reſtituendum ſit.* Lopez *p.* 1. *cap.* 106. *q.* 2. aliique plures. Probatur tum autoritate D. Auguſtini *epiſt.* 54. ad Macedonium, ubi in hanc ſententiam ita ſcribit ad verbum: *Redde quod accepiſti, quando contra veritatem extitiſti, iniquitati aſſtitiſti, Iudicem feſelliſti, de falſitate viciſti. Reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculum aufertur. & non eſt reſtituendum alienum, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, legibus id prohibentibus obtinetur? Sceleratius accipitur pecunia pro ſententia injuſta, quàm pro juxta, & pro teſtimonio falſo, quam pro vero.* Tum rationibus, Primò, ſicut de ratione virtutis juſtitiæ eſt, præcipere opera juſtitiæ, ita ad eandẽ virtutem pertinet prohibere opera injuſtitiæ. Illa autem Iudicis, vel teſtis injuſta acceptio ordinatur ad injuſtitiam faciendam; atque adeo prohibetur per virtutem juſtitiæ, ac proinde tenetur accipiens reſtituere id, quod injuſte accepit, quia contra juſtitiam accepit. Secundo, quia leges humanæ juſte poſſunt reddere homines inhabiles ad injuſtos contractus, ac illos irritare, & ad reſtitutionem obligare contrahentes. Atqui leges inhabiles reddunt hujuſmodi contrahentes ad aliquid dandum, vel accipiendum, ut *ex l. generalis ff. de verb. oblig. ex l.* 2. *&* 3. *ff. de condict. ob turp. conſ.* & *ex l. juriſgentium §. ſi ob maleficium ff. de pact.* Dans igitur, invalide ac nulliter dat, & Iudex, vel teſtis accipiens, invalide ac nulliter accipit. Et ideo tenentur ex juſtitia reſtituere, quod contra juſtitiam acceperunt.

Propter has, ſimileſque rationes hæc ſententia probabilior, communior, ac tutior eſt, quamvis alia ſua probabilitate non careat. Unde ſi aliquis pœnitens primam ſententiam ſequi velit, nõ eſt ei deneganda abſolutio, ſi, patrato delicto, reſtituere nolit, ut notat Sayr. *lib.* 10. *cap.* 2. *n.* 16. ſed ſecunda ſemper conſulenda.

Hæc autem reſtitutio facienda eſt, ſi non ſit patratum delictum, ipſi danti. Quia ante patratum opus, reſciſſus ac nullus eſt contractus, & conſequenter reſtituendum eſt pretium danti, ut tradunt Cajet. 2. 2. *q.* 32. *ar.* 7. *ad* 2. Molina *to.* 1. *de juſt. diſp.* 94. *concl.* 2. Covar. *loc. cit. p.* 2. *n.* 1. Si verò opus ſit impletum, nempe teſtimonium falſum ſit datum, vel Iudicis injuſta ſententia ſit lata, reſtitutio facienda eſt Fiſco, Sayr. *ibid. n.* 2. Sot. *lib.* 4. *de juſt. q.* 7. *ar.* 1. *ad* 1.

Ubi accuſatoribus, vel teſtibus imminet periculum propter potentiam illorum, contra quos inquiritur, nomina teſtium non publicantur, niſi ab Inquiſitoribus Epiſcopis, aut eorum Vicariis, vel è contra ab Epiſcopis ipſis Inquiſitoribus; vel niſi Conſultoribus, ſi opus fuerit, quibus tamen Epiſcopi, vel Inquiſitores poſſunt indicere ſecretum, illiſque præcipere etiam ſub pœna excommunicationis, ne contenta in proceſſibus, ſibi oſtenſis, alicui ſine eorum licentia manifeſtent. Quod idem eiſdem Epiſcopis & Inquiſitoribus mandat Pontifex in virtute ſãctæ obedientiæ, Ceſſante tamẽ periculo

accuſatorum, vel teſtium, mandat eorum nomina publicari, ut fit in aliis cauſis. Ita legitur *in cap. ſtatutum de haret. in 6.*

Verum hæc ultima moderatio nunc non eſt in uſu, & periculum accuſatorum, ac teſtium regulariter adeſſe reſpectu Inquiſitorum in S. Officio tam potentium, & nobilium, quàm aliorum judicatur. Et ideo tam ex praxi, quam ex Conſtitutione Pii IV. quæ incipit *Cum ſicut* apud Pegnam, nunquam teſtium o omina, aut cognomina aut circumſtantiæ publicantur, unde poſſint cognoſci accuſantes, denunciantes, ac teſtes. Arbitrio verò Inquiſitorum commiſſum eſt, videre, quænam ſint iſtæ circumſtantiæ, ac præcipue an inquiſito inſtante exprimendua ſit locus, & tempus commiſſi delicti. Et in hoc etiam attendi debet an immineat periculum eorundem accuſatorum aut teſtium, conſanguineis. Quod imminere poteſt ex inquiſiti potentia, vel divitiis, vel malitia, vel ſocietate cum improbis, quod periculum cenſetur regulariter imminere. Unde nunc indiſtinctè ex generali praxi nomina accuſatorum, denunciantium & teſtium non publicantur, & ceſſant illa multa, quæ in *d. cap. ſtatutum* conſiderarunt Canoniſtæ. ut per Simanch. *tit.* 35. *n.* 14. *&* 15. *de cathol. inſtit.* Pegn. *p.* 3. *ad q.* 75. Eymerici *com.* 124. Royas *d. heret. p.* 2. *n.* 98. Param. *lib.* 3. *q.* 4. *n.* 48. Farinac. *de hares. q.* 188. *n.* 12. & Carena *p.* 3. *tit.* 7. *n.* 65. ubi quod ne publicanda quidem ſunt nomina teſtium, quando agitur contra defunctum, Salell. *lib.* 3. *cap.* 20. *n.* 188. *& ſeq.* Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 6.

Non obſtat Felix Papa, inquiens, quod ſi legitimus non fuerit accuſator, non fatigetur accuſatus, & D. Paulus Act. 25. *Non eſt, ait, conſuetudo Romanorum damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei objiciuntur.*

Nam ob bonum publicum non publicantur reis S. Officii nomina teſtium, ut aliàs diximus. Bonum autem publicum prævalet bono particulari, unde civis probus vitam propriam tradit pro defenſione Reipublicæ, ut per D. Thom. *p.* 1. *q.* 60. *ar.* 5. ſuppletur id tamen ab Inquiſitoribus. Nam ipſi uti patres, non uti Iudices ſe gerunt in defenſionibus reorum, malitias, fraudes, malignitates, malevolentias, iniquitates ſerio inveſtigant, in proceſſu informativo interrogant teſtes, an unquam interceſſerit inter ipſos, & reum aliqua cauſa odii, aut inimicitiæ, eiſque aperiuntur cauſæ inimicitiæ, ſique ſint. Unde ſæpius rationes fiſci evaneſcunt, dum maligno animo accedunt denunciator & teſtea concordes. Et ut hoc zelo inveſtigandi veritatem, & non odio procedant Inquiſitores, præcipitur ſub excommunicatione latæ ſententiæ.

Atque hinc recte ſequitur primo, quod licet in aliis cauſis neceſſarium ſit de jure communi citare partē ad videndum jurare teſtes, alioquin non probant *cap.* 2. *de teſtib. l. ſi quando §. ſed cum oportet C. de teſtib.* Auth. *ſed & ſiquis verſ. adverſarius C. eod.* ad quos textus Doctores paſſim, & Maſcard. *de prob. lib.* 1. *concl.* 496. *& lib.* 2. *concl* 682. *& lib.* 3. *concl.* 1366. ac Farinac. *in pr. q.* 72. In cauſis tamen hæreticæ privatis id non requiritur. Quia cùm hæc citatio nequeat fieri abſque publicatione nominum ac perſonarum, quæ in cauſis fidei fieri non debet, ne teſtes ex amore, vel timore, prece, vel pretio removeantur à teſtimonio dicendo cum maximo fidei, ac Religionis præjudicio, ad quod vitandum decretum eſt in *d. cap. ſtatutum*, ne nomina, & perſonæ teſtium expreſſe, vel implicite publicentur, ideo examinati, non citata parte, probant, ac ſi, ea citata, eſſent examinati, Zanchin. *de haret. cap.* 9. *n.* 6. Decian. *lib.* 5. *cap.* 35. *n.* 16. *& cap.* 34. *n.* 2. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 44. *à n.* 15. *& cap.* 64. *n.* 18. *&* 28. Royas *ſing.* 440. Menoch. *de arb. caſ.* 37. *n.* 1. *& conſ.* 384. Clar. *q.* 49. *n.* 3. Salzed. *ad Diaz cap.* 131. *litt.* D. Maſcard. *concl.* 682. *n.* 36, Pegna *p.* 2. *direct. com.* 29. Farinac. *d. q.* 188. *n.* 15. Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 15. *§.* 3. *n.* 3. Salell. *lib,* 3. *cap.* 20. *n.* 57. ac Delbene *d. dub,* 198. *ſect.* 10. Unde ſicuti juxta opinionem plurium Doctorum, etiam in aliis Tribunalibua, & cauſis pars citari non debeat ad videndum jurare teſtes, ſi ex hac citatione immineat teſti grave damnum, præſertim ubi agitur de periculo animæ, ac Reipublicæ detrimento, ut patet ex Barboſa *in d. cap. ſtatutum n.* 7. *de haret. in* 6. ita in crimine hæreſia ob bonum commune, & ne deficiat probatio hæreſis in maximum Reipublicæ damnum, indiſtinctè non publicantur nomina teſtium, atque adeo nec pro illorum examine citatur pars ex Conſtitutionibus Innocentii IV. ac Pij IV. apud Pegnam.

Sequitur ſecundo, quod etſi in aliis cauſis, ſi ſint civiles poſt publicationem teſtium, ſeu concluſionem in cauſa nec repetuntur, neque examinātur novi teſtes *auth. de teſtib. §. quis verò, cap. cum dilectus de fid. inſtrum cap. paſtoralis de cauſ. poſſes* ubi Doctores, quos ubertim cumulat Farinàc. *q.* 75. cum ſuis limitationibus, etiam in cauſis criminalibus, quem vide. Tamen in S. Officio pro crimine hæreſis, ejuſque annexis, ſicut poſt publicationem atteſtationum [non enim fit publicatio teſtium, ut dictum eſt] Iudice procedente ex Officio, ſive ad inſtantiam Fiſci, poſſunt iterum examinari teſtes, vel examinari teſtes de novo evocati, etiam poſt didicita teſtificata, ut per Jo. Andr. *in cap. ut Officium n.* 2. *de haret. in* 6. ibique Gemin. *§. verum numero* 7. *& in cap. per hoc eod. tit.* Sylveſter. *in ſum. v. hareticus* 2. *numero* 7. Royas *ſing.* 22. *&* 202. Simanch. *de cath inſtit. tit.* 64. *numero* 52. Pegna *p.* 3. *com.* 111. *verſ. Jam quod*, Decian. *lib.* 5. *cap.* 20, *numero* 25. Maſcard. *de prob. lib.* 2. 2. *concl.* 837. *numero* 31. Farinac. *d. q.* 75. *numero* 409. *& q.* 185. *de hæres. numero* 5. Carenam. *p.* 3. *tit.* 7. *numero* 64. Salell. *lib.* 3. *cap* 20. *numero* 134. Ita ad inſtantiam partis hoc fieri minime poteſt, nequidem ad rei defenſionem, Farinac. *d. q,* 175. *numero* 6. & Carena *d. numero* 64. ac Salell. *d. cap.* 20. *numero* 335.

Item ſequitur tertio, quod quamvis in cauſis fidei non publicentur teſtes, ſed atteſtationes, ſuppreſſo nomine teſtium, ex hoc tamen non impeditur reus, quominus repetitionem teſtium petere poſſit, licet non ſit citandus reus ad videndum jurare teſtes. De hac autem teſtium repetitione ex jure communi vide, quæ habentur *in cap. cum cauſam de teſtib.* & *cap. præſentium eod. tit. in* 6. ubi Doctores, præcipue Farinac. *de teſtib. q.* 72. *& ſeq.* Quare in foro S. Officii, & in cauſis hæreſia, & ejus annexis, ſi reus id petat, repetendi ſunt teſtes, dari debet reo copia articulorum ad formanda interrogatoria, & competens dilatio ad eundem effectum; ut per Albert. *de agnoſ. q.* 34. *n.* 16. Simanch. *d. tit.* 64. *n.* 10. Royas *de haret. p.* 2. *n.* 107. Farinac. *de hares. q.* 188. *n.* 14 Caſtropal. *d. §.* 3. *n.* 5. Carena *p.* 3. *tit.* 7. *n.* 33 Salell. *d. cap.* 20. *n.* 64. Ac ita, ut, etiamſi reua renunciaverit repetitioni teſtium, id poſſit, re integra, ſi nimirum atteſtationes non ſint publicatæ; Symanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *n.* 53. & *d. tit.* 64. *n.* 25. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 5. Royas *de haret. p.* 2. *n.* 111. Gabriel. *conſ.* 178. *vol.* 1. Carena *p.* 3. *tit.* 7. *n.* 35. Salell. *d. cap.* 20. *n.* 72. ac Delbene *d. dub.* 198. *ſect.* 11. *n.* 3.

Hanc repetitionem non eſſe committendam alteri, ſed faciendam eſſe ab ipſo Inquiſitore, ajunt Pegna *in pr. lib.* 2. *cap.* 36. Simanch. *d. tit.* 64. *numero* 25. Maſin. *in pr. in form. repet. teſt. ſub initio*, Carena *d. tit.* 7. *numero* 44. Quinetiam aliquando eſt locus repetitioni teſtium ante litem conteſtatam, ut ſi ij graviter ægrotent, ſi abeſſe debeant, ſi Curiæ ſeculari ſint tradendi, ut per Simanch. *d. tit.* 64. *numero* 23. Pegna *ubi ſupra cap.* 37. & Carenam *ibid. numero* 45.

Ulti-

Digitized by Google

Ultimo ſequitur, quod cum in S. Tribunali nomina teſtium reo publicari non debeant, etiamſi ille hoc peteret, ut jam probavimus, multo minus eorum confrontatio ipſi permitti debet, in qua non ſolum nomen, ſed etiam perſona demonſtratur cognoſcenda; unde illa vix poteſt habere locum in cauſis fidei. Eſt autem confrontatio iſta de jure communi licita *l. ſi poſtulaverit §. quaſtioni ff. ad leg. Jul. de adult.* ibi: *quaſtioni intereſſe jubetur reus, reave, & patroni eorum, & qui crimen detulerit, & in l. de unoquoque ff. de re judic.* & ſic habet vim legitimæ citationis, & Judex poteſt teſtes, pro informatione Curiæ recepens vel reo citato cum ejus interrogatoriis tepetete, vel ipſos ad ejus faciem confronrare, ex eoque utile eſt, quod ex præſentia accuſatorum, vel teſtium reus vix poteſt evadere judicium, ac veritatem negare. Nam ubi teſtes omnes facti circumſtantias manifeſtaverunr, titubar reus, nec poteſt commodas adhibere reſponſiones. Poreſt verò fieri confrontatio nedum quando teſtes deponunr directè contrarium iis, quæ reus dixit in examine, ſed univerſalitet quando teſtis depoſuir aliquid, quod reum afficit, etiamſi hic non contradicat, & etiamſi delictum immediate non tangar, ut ſi depoſuit de corpore delicti, vel ſuper fama, cùm ſemper urgeat ratio *d. l. de unoquoque de re judic.* Nec eſt neceſſarius ordo inrer repetitionem, & confrontationem, neque una excludit aliam, ſicque poſt reperitionem non ſolum Fiſcus poteſt confrontate teſtes, ſed etiam reo id petenti concedi debet, & è contra poſt confronrationem fieri poteſt teſtium repetitio, quæ etiam, reo petente, fieri debet, quia confrontatio non ſupplet defectum interrogarotiorum, ut per Farinacium, & alios ab eo citatos *de teſtib. q. 72.* Clar. *q. 12. & q. 45.*

Et tamen ſciendum eſt, quod cum confrontatio ſit perſonaliter teſtium cum reo facta productio, atque conciliatio, non erit abſurdum illam quandoque in S. Officio permitti, ut acrius, viſis teſtibus, & commemoraris ſingulis commiſſi delicti circumſtantiiis, reus urgeatur per *d. l. ſi poſtulaverit, §. quaſtioni.* Unde Eymet. *p. 3. direct. tit. cautela Inquiſitorum n.* 101. ſic air *Tertia cautela Inquiſitoris eſt, ut ſi videat hareticum, ſive delatum nolle detegere errorem ſuum, & ſtare in negativa, & ſcit ipſum per teſtes convictum, quod Inquiſitor legat, vel legi faciat ſibi dicta teſtium, ſuppreſſis nominibus, taliter quod cognoſcat ſe convictum per teſtes, & non intelligat qui ſunt deponentes, ubi periculum deponentibus poſſit imminere, alias explicare poteſt, & facie ad faciem affrontare, ut ſic rubore, & verecundia veritatem fateatur, & praſertim ſi ante induxerit ipſum hareticum, ſive delatum ad fatendum in caſu, quo coram eo veniant deponentes.* Er quamvis in delicto hæreſis non ſit neceſſaria proceſſus legitimatio, cùm in eo poſſit procedi, nulla facta teſtium repetitione, ac reo non citato *cap. fin. d. haret. in 6.* de qua re fuſe per Gabriel *com. opin. lib. 2. tit. de citat. concl. 1. num.* 328. attamen cùm ipſa confronratio habeat vim citationis, non poteſt non habere vim legitimandi ptoceſſum, ideo dici non poteſt, quod proceſſus per hujuſmodi confronrationem non fiat legitimatio.

Nec legitimatio proceſſus neceſſariò requirit, ut reus interroget teſtes, ſed ſufficit, ut reus citatus ſit, prout per ſui præſentiam ſuppleta videtur hæc citatio, ac ideo, licet reus non interroget teſtes, dummodo tamen patitur ſecum teſtes confrontari, proceſſus dicitur legitimatus. Quare Pegna *in cit. loc.* Eymerici *com.* 23 *n.* 101. ait, quod *in d. cap. finali §. ceſſante de haret. in 6.* diſponitur, quod ceſſante periculo, teſtium nomina reo publicari poſſunt, immo & ipſi teſtes confrontari, ſubdens rationem, ut reus ſe plenius defendere, poſſit. At verò cum defenſio, etiam in confrontatione fieri poſſit ex interrogatione facienda teſtibus per reum, quæ licet facta non ſit, non idcirco tamen redditur inanis legitimatio. Sufficit enim, quod reus potuerit illos interrogare, quamvis in formula deſcripta in praxi S. Officii, ſive Arſenali ſatis colligitur in ipſa adhiberi omnia, quæ requiruntur in confronratione pro legitimatione proceſſus, nempe juramentum, mutua recognitio rei ac teſtium, vel ſocii criminis relatio ſubſtantialis depoſitionum, illarum lectio, & reſponſio ejuſdem rei ad ea quæ contra ſe teſtis repetiit, in qua formula non apparet, quod reo detur facultas interrogandi teſtes, tanquam non neceſſaria ad legitimationem.

Verum, ut diximus, in cauſis fidei confrontatio vix locum habere poreſt, quia fieri nequit, niſi publicatis nominibus, ac perſonis teſtium, quod eſt illis odioſum, unde retraherentur à denunciando, aut reteſtificando cõtra hæreticos, idcoque regularirer fieri non debet, Pegna *p. 3. com. 23. & com* 48. Sanctarel. *de haret. cap.* 49. *n.* 22. Scacc. *de judic. cap.* 87. *n.* 19. Genuens. *in r. cap.* 68. *n.* 6. Farinac. *de hareſ. q.* 186. *nu.* 28. Carena *p. 3. tit. 7. n.* 50. Caſtropal. *d. pun* 15. *§ 3. n.* 8. & Salelles *lib 3 cap.* 20. *nu.* 157. & proinde non fit, niſi ex decreto S. Congregationis ſupremæ Inquiſitionis, quare Inquiſitores inferiores ad hujusmodi confrontationem devenire non debent, inconſulta eadem S. Congregatione. Mulra enim abſona & abſurda ex illa oriri ſolent, ut habetur ex inſtructione Toletana anni 1561. relata à Pegna *p. 2. com.* 23. & à Diana *p. 4. tr. 8. reſol.* 63.

Poſſet tamen eſſe caſus, in quo teſtis ipſe ſponte ad illam ſe offerret, velletque depoſitionem ſuam contra reum in ejus faciem ſuſtinere, in quo caſu admitti poſſet. Er tamen advertendum eſt, quod ubi datur locus confrontationi, non debent plures teſtes confrontari ſimul, ut prudenter Pegna *com.* 48.

Admitti etiam poteſt in ſocio criminis. Neque hoc eſſet grave abſurdum: nam teſtis, ſocius criminis ſeipſum condemnat, & reus tenetur ſocium denunciare, Pegna *p. 2. com.* 48. Farinac. *de heres. q.* 188. *nn.* 30. Carena *d. tit. 7. num.* 53. Delrius *lib. 5. magic. in 2. append. q.* 39. Caſtropal. *loc. tit.* Salell. *d. cap.* 20. *nu.* 162.

Sicut enim ad convincendum reum negantem nominandi ſunt ei complices, cum quibus deliquerit, ita potuerunt ei confrontari, quo caſu non tanrum uti teſtes, ſed & uti complices tunc confrontari dicerentur.

Ac etiam quando reus in negativa perſeveraverit, & prudenter non poreſt ex confrontatione ſequi aliquod damnum teſtibus, ut ſi teſtes ac reus ſint viles, bonamque famam & honorem negligant, nullumque timeri poſſit periculum, ut per Pegnam *p. 3. com.* 48. Simanch. *in Enchir. tit.* 35. *nu.* 16. Genuenſem ac Dianam ſupra citatos, & Salell. *ibid. n.* 164.

Et cum quando teſtis eſt ſuſpectus de falſitate, neq; aliud remedium ſupereſt quo veritas innoteſcat. Tunc enim, ne innocens fortaſſe damnetur, poterit teſtia compellendi ad confronrationem, Pegna *d. com.* 48. Farinac. *de hereſ. q.* 188. *n.* 31. Scacc. *de judic. cap.* 87. *n.* 19. & Salell. *d. cap.* 20. *n.* 166. Quo in caſu procedi debet cum magna cautione.

In locis verò, ubi Inquiſitor, & Epiſcopus ſimul definiunt cauſa S. Officii non debet fieri ab Inquiſitore ſive Epiſcopo, ac peritorum conſilio, ut tradunt Pegna *d. com.* 48. *n.* 209 & Farinae *d. q.* 188. *n.* 31. At in Inſula Melitenſi, ubi ſoli Inquiſitores cauſas fidei cognoſcunt, hanc confrontationem fieri non debere, inconſulta S. Congregatione, tradit Salelles *n.* 168. ſed hoc eſt generale. Nam quod ſolus Inquiſitor non poſſit in caſu licito procedere ad confrontationem, non videtur in jure fundatum. Quia hæc confrontatio, quæ ſpectare poteſt ad proceſſum informativum non numeratur inter illos actus, ad quos ex Clemente V. *in Clem. I. de haret.* Inquiſitor debet ſimul convenire cum Epiſcopo. Ut igitur Inquiſitor prudenrer agat, ſufficiet, ſi conſuluerit S. Congregarionem, illique exponat, quæ ad expeditionem cauſæ conducunt.

Quoni-

Digitized by Google

Quoniam verò neceſſarium aliquando eſt cognoſcere perſonam rei, ut de illius identitate conſtet, ideo in hoc caſu recognitio iſta non deber fieri per confrontationem apertam, ſed per rimulas oſtii cubiculi, reo in alio cubiculo propinquo exiſtente cum aliis perſonis, habitu, ſtatura, & facie ſimilibus, ut docent Scacc. *eo cap.* 87. *n.* 19. Maſin. *p.* 2. *prax.* Salell. *ibid num.* 172. Carena *d. tit.* 7. *nu.* 52. ubi refert, ita ſervatum fuiſſe Cremonæ juſſu S. Congregationis in cauſa Regularis Sacerdotis, qui contraxerat matrimonium, idque ut ſecurius ſententia nullitatis matrimonii poſſet proferri.

Dubium autem eſt, an ejuſmodi complices, dum in faciem ſocii confrontantur, torquendi ſint? Sunt enim, qui putant participi criminis nullam fidem adhibendam eſſe, niſi tormentis ejus teſtimonium fuerit confirmatum alioquin non afficere, *can. penul.* 5. *qu.* 5. Fulgos *conſ.* 171. Marſil. *conſ.* 109. Et in hac ſpecie tradunt, Genuens. *in pr. cap.* 68. *n.* 11. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 3. Sanctarel. *de hæres. cap.* 38. *dub. un. n.* 1. & Carena *p.* 3. *tit.* 50. *de judic. & tortur. n.* 38. Verior tamen eſt opinio Jacobi Simanchæ *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 38. aſſerentis, ſocium criminis abſque tormentis indicium facere majus, minuſve ſecundum perſonarum & criminum qualitatem, aliarumque rerum circumſtantias. Quia ex libero homine, pro teſtimonio non vacillante, quæſtionem habere non oportet. Hoc idem aſſerit Royas *de hæret. aſſert.* 7. *n.* 155. Gomez *var. lib.* 5. *cap.* 12. *numer.* 16. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 82. *n.* 2 & Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 10. *& ſeq.* ubi ait, hanc eſſe praxim Hiſpaniam.

Has tamen opiniooes conciliare nititur Salelles *lib.* 4. *cap.* 1. *regul.* 341. *n.* 110. inquiens cum Pegna *p.* 3. *direct. q.* 46. *com.* 113. arbitrio prudentis Judicis utramque opinionem poſſe ac debere aliquando in praxi ſervari. Id probat ex diſtioctione teſtium, quod ſcilicet alii ſunt mere inhabiles, & hi nullo modo ſint torquendi, quia ſi non admitterentur ad teſtificandum, ſive denunciandum ſine tortura, facile averterentur à teſtimonio ferendo, vel à denunciando in fidei detrimentum. Alii ſunt non merè inhabiles, ſed qualificati qualitate complicitatis in crimine, & hi ex Genuenſi *loc. cit.* aliquali tortura afficiuntur. Idque confirmat exemplo Inquiſitoris Melitenſis à quo juſſa fuit confrontatio teſtis, ſocii criminis cum alio ſocio in ipſamet tortura

Non eſt tamen neceſſarium, quod hujuſmodi tortura inferatur ſocio criminis in faciem alterius ſocii, ſed inferri etiam poteſt extra illius faciem, dummodo fuerit citatus. Nam, ut ait Guazzin. *defenſ.* 24. *cap.* 9. *n.* 9. cum ſocius torqueatur pro validitate ſuarum depoſitionum contra alium ſocium, oportet, quod citetur de cujus intereſſe agitur, quoniam ſi fuerit præſens deberet ea inferri ipſo præſente, quæ præſentia haberetur loco citationis. Si vero fuerit abſens, debet, prævia citatiooe alterius ſocii, illa inferri.

Parerga de Teſtibus. Teſtis dictum deponentis in S. Officio per viam querelæ, ſive accuſationis, recipitur tantùm in iis, quæ ſpectant ad S. Officium, ſecus verò, quando pro informatione examinatur, quia tunc ejus dictum iotegrè ſcribendum eſt, ut ſit individuum.

Teſtis, qui veritatem in S. Officio tacuit, abſolvitur,

Teſtes in rebus fidei non interrogentur ſine inditus.

Teſtibus decem annorum, vel infra non deferatur juramentum, ſed tantum moneantur de gravitate juramenti.

Teſtibus in S. Officio examinatis imponendum eſt ſilentiom ſub pœna excommunicationis.

Teſtes, abſente Inquiſitore, in cauſis S. Officii ſunt examinandi in palatio Epiſcopali, non domi propriæ Vicarii.

Teſtes torquere pro habenda veritate, eſt contra praxim. S. Officii.

Fit recognitio reorum S. Officii, & rei ipſi, ac teſtes ſuptibus S. Officii mittuntur quò progredi oportet. Ac evocantur ad Urbem etiam ex partibus longe remotis.

Curent Inquiſitores, ne in communicandis proceſſibus cum Epiſcopis, & Vicariis nomina teſtium ac denunciantium propalentur.

Teſtes pro informatione non debent examinari à ſolo Notario. Eſt enim id contra praxim S. Officii.

Teſtium nomina in S. Officio prohibentur publicari per Conſtitutiones Apoſtolicas, non obſtante *cap. ult. de hæret. in* 6. Quia ſemper timetur ac præſumitur ſcandalum. Et in actorum exemplis, quæ inquiſitis dantur pro faciendis defenſionibus, deleantur circumſtantiæ quæ poſſunt teſtes notos facere.

Depoſitio unius teſtis abſque exceptione ſufficit, ut deveniatur nedum ad capturam rei, ſed etiam ad torturam, & maxime in cauſis fidei.

Deponenti falſum in S. Officio, & revocanti, amplius non creditur.

Examina eorum, qui deponunt in S. Officio, non ratificantur coram duobus religioſis & honeſtis perſonis juxta *cap. ut Officium de hæret. in* 6. Quia non eſt uſu receptum. Vide quæ alibi diximus de carceratis in S. Officio.

Teſtes falſi puniti in S. Officio, non poſſunt pro eadem cauſa moleſtari à Curia ſeculari.

Poſſunt cogi, etiamſi ſint laici, ad deponendum in cauſis Eccleſiaſticis ut proinde non poſſint prohiberi, ne accedant ad deponendum, etiam ſponte, in cauſis Religionis, nullaque conſuetudo, ſive tolerantia in præjudicium Eccleſiaſticæ juriſdictionis extat, nec valere poteſt.

Qui falſum in S. Officio deponit, damnatur ad triremes, in perpetuum, privatur beneficiis, & damnatur ad reficiendum damna.

Atq; hæc præcipua de teſtibus quod ad S. Officium, quod verò ad alia videbis præ cæteris Farinacium in luculentum Opus de Teſtibus.

CONSULTATIO CLV.

De Reorum defenſionibus in Tribunali S. Officii.

Reis in Tribunali S. Officii ſunt concedendæ defenſiones, ac tempus congruens ad illas probandum, etiamſi eas non petierint. Quia debentur jure naturali *Clem.* 2. *de ſent. & re jud.* & pluribus relatis tradunt Pegna *p.* 3. *direct. com.* 28. *verſ. ac defenſiones*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *nu.* 53 Boſſ. *tit. de hæret. num.* 9. Farinac. *de hæres. q.* 185. *n.* 210. Et quod ex Officio Judicis cõcedendæ ſint, etiam reis non petentibus, probatur ex *l. etſi non defendantur ff. de pœn. & ex auth. qui ſemel C. quomodo & quando Judex &c.* Quia ex officio tenetur veritatem inveſtigare. Nullus autem eſt aptior modus ad veritatem indagandam, quàm conceſſio defenſionum.

Ac ita, ut reo confeſſo, vel convicto dandæ ſint, tum ante, tum poſt ſententiam. Quia licet delictum defendi non poſſit, quando reus propria cõfeſſione, vel teſtibus eſt convictus, atq; in notoriis ac omnino manifeſtis & in crimine hæreſis ex ſola confeſſione poſſit Judex ad condemnationem procedere, quia eſt crimen in animo exiſtens, idenque ſola confeſſione ſufficienter probatur, ut cum aliis docet Pegna *d. p* 3 *com.* 28. *nu.* 117. Tamen, his minimè obſtantibus dandæ ſunt reo, etiamſi delictum confeſſus ſit, ac teſtibus probatum, oon ſolum ne reus ullo unquam tempore conqueratur, ſe injuſte, & abſque defenſione condemnatum fuiſſe, ſed etiam quia opponi poſſet adverſus propriam confeſſionem ex timore, vel tormentis illam feciſſe, & contra teſtes potiori jure ab aliis oppoſitionibus poſſet ſe defendere. Quod ſane extenditur etiam poſt fulminatam ſententiam, dum revocabilis eſt.

Quinimo reus, qui revera deliquit, poteſt ſuas defenſiones licitas quærere ſine peccato ad evadendã condemnationem, nimirum poteſt ſe defendere, opponendo, quod Judex ſit incompetens, vel ſuus inimicus, aut quod delictum non fuerit plene ac juridice probatum, vel quod ex alio capite proceſſus ſit nullus.

Digitized by Google

Quia in his caſibus retinet jus ad ſe defendendum, ne puniatur, cùm de jure tunc judici non ſubdatur.

Ideoque concedendus eis eſt Advocatus, qui ſit vir probus, non ſuſpectus, juris peritus, ac fidei zelator, & pari modo procurator, ac etiam actorum, ſive proceſſus exemplum, ſuppreſſis tamen teſtium ac denuntiantium, & accuſantium nominibus. Advocatus verò priuſquam ſuſcipiat defenſionem rei, jurare debet, ſe ſtrenue ac fideliter reum defenſurum, & cuſtoditurum ſecretum in iis, quæ audiet, ac videbit, etiam ſi antea juraverit, còm primum aſſumptus fuit à S. Officio ad id munus exercendum. Ejus, & procuratoris partes erunt admonere reum, ut veritatem fateatur, petatque pænitentiam pro culpa, ſiquam habet, modis legitimis reum tueri, ſique cognoſcent ejus cauſam eſſe injuſtam, eam omnino deſerere, de cauſa cum nemine loqui, & finitis defenſionibus, proceſſum S. Officio tradere.

Verum raró nunc procurator conceditur, cùm Advocatus munus procuratoris ſufficienter exercere poſſit. Immo in S. Officio ipſi Inquiſitores videntur reorum procuratores, cùm ex eorum Officio fiant reorum defenſiones. Unde in Madriliana inſtructione anni 1561. cap. 35. habetur, dari non debere procuratores. Nam experientia docuit multa incommoda ex iis ſolere provenire, & ob modicam utilitatem, quam rei inde conſequebantur, non eſt in uſu, ut amplius dentur, quamvis aliquando ob magnam neceſſitatem ſoler concedi Advocato, ut reos defendat. Et ita hodie non datur reo hæretico procurator, ſed tantum Advocatus, ut notant Pegna *loc. cit.* Param. *de orig. Inquis. lib. 3. q. 4. n.* 48. Royas *ſing.* 33. *&* Diana *p. 4. tr.* 8. *reſol. 9.*

Notandum autem eſt, poſſe Inquiſitores compellere, etiam per cenſuras ſeculares Advocatos, ut alicujus rei cauſæ patrocinium ſuſcipiant, ut per Narbon. *in recopil. lib. 4. tit.* 1 *leg.* 20. *glos.* 22. *n.* 63. Dianam *ibid.* Bobadil. *in pelit. lib. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 103. & Caren. *p. 1. tit.* 10. *§.* 2. *n. 9.*

Quod hujuſmodi Advocatis ſolvi debent ſalaria ex bonis reorum, ſi pauperes non ſint. Si verò ſint pauperes, tenentur patrocinari gratis ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 5 *n.* 6. & Carena *ibidem.*

Si reus petat alium Advocatum, præter eos, qui ſunt conſtitoti in Tribunali Inquiſitionis, ei concedi poteſt ab Inquiſitore. quia cùm in jure nullibi denegetur, videtur eſſe concedendum juxta textum *in cap. ut commiſſi, § advocandi* de hæret. *in* 6 & notat etiam Pegna *p.* 3. *com.* 30. *vers. & concede.* Si vero ei novus Advocatus concedatur, obſervandæ quoque cũ eo ſunt omnes præfatæ ſolennitates. Et ſi iſte novus Advocatus eſſet unus ex Conſultoribus S. Officii, abſtiñere poſtea debet pro illa cauſa à ſuo in Congregatione ſuffragio.

Cumque diſputetur, an reus ſit torquendus, vocari debet ejus Advocatus ut illum tueatur, & exquirat, num ſufficiant inditia ex quibus eſt torquendus, ne indefenſus remaneat cum graviſſimo illius præjudicio.

Admittitur autem in Tribunali S. Officii Procurator ad allegandũ cauſas rationabiles ob quas reus eſt abſens, nempe infirmitatis, & ad opponendum alias exceptiones dilatorias, quæ opponi ſolent ante litis conteſtationem, Farinac. *de hæret. q.* 185. *n.* 101. Souſa *lib. 2. aph. cap.* 49. *n.* 11. Carena. *p.* 3. *tr.* 11. *§.* 13. *n.* 53. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. *§.* 3. *n.* 2. ubi refert quod in Compoſtellana Inquiſitione anno 1619. in qoadam cauſa fuit ex decreto ſupremi Tribunalis ad inſtantiam Procuratoris prorogatus reo terminus quatuor menſium ad comparendum. Quia ad hujus defenſionem admittitur excuſator, allegans reum ſic citatum, non poſſe intra terminum ſignatum comparere, & pro qualitate excuſationum ſolet prorogari terminus ad comparendum.

In defenſionem autem rei admittendus eſt ab Inquiſitore articulus, quo probato, reſultaret etiam in defenſionem complicis abſentis, ſi producens hujuſmodi articulum intendit ſolum ſuam defenſionem, alioquin tolleretur ei naturalis defenſio, ut per Farinac. *conſ.* 73. *vol.* 1. & alios, quos ſequitur Carena *p. 3. tit. 9. §.* 20. *n. 96.* qui etiam refert, ita fuiſſe judicatum in Curia Prætoriana Mediolanenſi anno 1608. Si verò articulum illum vellet producere, ut prodeſſet etiam complici abſenti, tunc non eſt admittendus, niſi cum expreſſione, quod probationes faciendæ prodeſſe non poſſint abſenti; quia abſentes, in rebus criminalibus, ad S. Officium ſpectantibus, non audiuntur per procuratorem, ſed tantum in carceribus ex ore ipſorum, veritas exquiritur, ut per Carenam *d. p.* 3. *tit.* 11. *§.* 31. *n.* 50. *&* 52. & Farinac. *de hæres. q.* 185. *n.* 98. qui ita ſervari teſtatur in ſupremo Urbis Tribunali. Cœterum non videtur abſurdum, quod pro alio reſultet quædam defenſio, ut ait idem Farinac. *d. conſ. n.* 6. ubi citat Baldum *in l. ſervum quoque §. publice n.* 8. *ff. de procur.* Quia ſicut cauſa eſt communis, ita & defenſio communis eſſe debet.

Neque eſt, cur Fiſcales de hoc conquerantur, quia uti procuratores veritatis non debent curare de modo pro illa habenda. Per veritatẽ enim ad juſtitiam pervenitur, & vera juſtitia eſt pro veritate reis miſereri *can. vera juſtitia d.* 45. Grammat. *conſ.* 45. *n.* 48. & ut inquit Anchar. *conſ.* 24. *n.* 4. reperiuntur quidam Fiſcales, immo & Iudices plurimum anhelantes ad condemnationem eo quia credunt vileſcere in conſpectu hominũ cùm abſolvant, vel abſolvere ſinant, contra textum *in l. abſentem ff. de pœn.* idcirco perdifficiles ac rigoroſos ſe exhibent, etiam contra veritatem. Sciant tamen, quod juſtitia eſt amica veritatis; ideo Caſſianus dixit, quod juſtitia non novit patrem, non novit matrem, veritatem novit, perſonam non accipit Deum imitatur.

Reus verò in cauſa criminali, ob quam gravem pœnam timere debet, ut pœnam mortis, mutilationis, triremium, exilii ad longum tempus, carceris perpetui, aut diuturni, non poteſt defenſionibus ſuis renunciare; quia nemo renunciare poteſt juri naturali cum præjudicio propriæ vitæ, quæ eſt Dei, nõ ipſius renunciantis; nemo quippe eſt dominus vitæ ſuæ, vel membrorum ſuorũ *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.* Si autem reus renunciaret ſuis defenſionibus exponeret ſe manifeſto periculo conſentiendi ſuæ occiſioni, vel gravis pœnæ patiendæ ſive defenſionibus legitimis, & jure naturali inductis, ut per Gloſſ. *in l. pactum ff. de pact.* Iaſ. *in l. ſiquis in ſcribendo n.* 18. *C. de pact.* & in *auth. Videmus n.* 7. *C. de judic.* Hippol. *in l. ſiquis ultra n.* 26. *ff. de quaſt.* Gotier. *de juram. confirm. p.* 3. *cap.* 10. *n.* 1. *&* 2. Gomez. *in* 3. *var. cap.* 23. *n.* 33. Ricc. *in pr. reſol.* 6. *n.* 4. & Fagundez *in decal. tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 35. *n.* 2. Nec poſſunt Iudices renunciationes hujuſmodi admittere, ut firmant ibidem Gutierez & Gomez, ac Fagundez *n.* 3. *Cevar. lib.* 4. *de ſpens ſal. p.* 2. *cap.* 8. *§.* 22. *n.* 26. Royas *de heret. p.* 2. *aſſert.* 4. *n.* 113.

Unde nec minus poteſt reus in cauſa gravi criminali dare licite pro reproductis, & ratificatis teſtibus ſummariæ informationis acceptæ contra ſcriptum. Nec poteſt Iudex licite dictam renunciationem accipere, quia ex ea tollitur reo defẽſio, quæ jure naturali debetur. Poteſt namque contingere, quod aliquis teſtis in ratificatione aliquid addat, vel mutet, vel declaret in favorem ipſius rei. Poteſt tamẽ reus renunciare terminum aſſignatum à Judice pro ſuis defenſionibus. Quia hic terminus eſt de jure poſitivo. Nã ſtatuitur arbitrio Iudicis.

Si verò cauſa criminalis ſit levis, ob quam levis pœna temporalis ſit imponenda, ut pœna brevis exilii vel pecuniaria, & hujuſmodi poteſt reus ſuis defenſionibus renunciare, multoque magis termino ſibi dato à Iudice ad ſuas defenſiones probandas, & Iudex poteſt illũ admittere, ut per Imol. *in l. cuſtodis ff. de public. judic. col.* 2. Anan. *in cap. Cum delicti n.* 3. *de accus.* Gutierez, Gomez *loc. cit.* & Fagundez n. 5.

Secun

Secundum opinionem D. Antonini *p. 3. tit. 8. cap. 4. §.* Cajetani 2. 2. *q. 71. ar.* 2. & *in ſum. v. detractio*, & aliorum quando non timetur pœna gravis corporalis, ſed tantum jactura famæ, vel bonorum externorum non poteſt reus renunciare termino ſibi à Iudice aſſignato ad ſuas defenſiones probandum, & judex non poteſt renunciationem admittere; quia homo non eſt dominus ſuæ famæ, ſicut nec propriæ vitæ.

At verò tenendum eſt cum D. Thoma 2. 2. *q. 57. ar.* 4. Covar. *lib. 1. var. cap. 2. n.* 8. Molina *de juſt. tr. 4. diſp. 37. concl.* 2. Leſſio *eod. arg. lib. 2. cap. 11. dub.* 6. Soto *lib. 5. ejuſd. tit. q. 10. ar.* 5. & cum aliis bene multis, hominem eſſe verum dominum propriæ famæ, ſicut & propriorum bonorum. Quia vita eſt bonũ irrecuperabile, fama autem & bona externa ſunt bona recuperabilia. Quare juxta hanc ſententiam poteſt reus renunciare dicto termino cum jactura propriæ famæ, ac bonorum externorum, & Iudex poteſt hujuſmodi renunciationem accipere. Quod etiam tradunt Gutier. *de juram. confirm. d. cap. 10. n.* 1. & Covar. *d. p. 2. cap. 8. §. 12. n.* 16.

Sunt autem aliqui caſus, in quibus nullæ competunt reo defenſiones. Primus eſt quando delictum eſt ita notorium, ut nulla tergiverſatione excuſari poſſit. Secundus, quando repertus fuit in flagranti crimine, in quo nulla afferri poteſt excuſatio. In hiſce duobus caſibus non conceduntur defenſiones. Debet tamen in proceſſu conſtare de cauſa, quare ipſi reo denegatæ fuerint, ut per Menoch. *lib. 1. de arbitr. q. 17. n.* 15. Decian. *conſ. 18. n. 6. vol.* 1. Farinac. *q. 39. n.* 103. & Sous. *lib. 2. aph. cap. 29. n.* 8.

Hinc vel hæreticus eſt notorius, & pertinax, vel hæreſim damnatam ab Eccleſia probare intendit non eſſe hæreſim, & non ei concedendæ defenſiones. Quia nemini licet eſſe fautorem hæreſis. Qui enim hæreſim defendit, hæreticus eſt, ut notant Farinac. *de hæres. q. 197. n.* 70. Sous. *d. cap. 29. n.* 10. Pegna *p. 3. com.* 10. Simanch. *de cath. inſtit. tit. 17. n.* 1. aliique,

Vel hæreticus non eſt notorie talis. Quia verba, vel facta ei objecta, ſunt dubia, an ſint hæretica, vel ne. Quia nondum conſtat ex teſtibus, aliiſque probationibus, ipſum eſſe hæreticum. Et in hoc caſu non ſunt ei denegandæ defenſiones, ut tradunt Pegna *d. p. 3. com. 28. verſ. Dandus eſt*, Farinac. *ibid. n.* 71. & Carena *p. 3. tit 9. §. 1. n.* 3. Qui etiam affirmant, eſſe concedendas defenſiones hæretico convicto, ſed non confeſſo, ut contra ſibi objecta, & perſonas teſtiũ poſſit opponere. Immo etiam hæretico convicto & confeſſo. Quia etiam contra propriam confeſſionẽ poteſt quis aliqua deducere, atque opponere ob timorem illam feciſſe, ut ſcribunt Pegna *d. com. 28. verſ. quanquam*, Farinac. *de hæres. q. 183. n.* 215. Souſa *d. cap. 29. n.* 4. Caſtropal. *d. p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 6. n.* 3. Carena *loc. cit. n. 4. & 5.* & Maſinus *in pr. S. Offic. p. 5. in fine*.

Id ipſum dicendũ eſt de relapſo, qui ſi eſt notorius & pertinax, non ſunt ei concedendæ defenſiones; ſecus verò ſi talis non ſit, ac velit probare, ſe non fuiſſe relapſum, Farinac. *ubi ſupra n.* 217. Souſa, & Maſinus *ibidem*, & Carena *eo loco n.* 6.

Poteſt etiam reus ſe defendere ob nullitatem proceſſus qui pluribus modis eſſe poteſt nullus. Primo quando in illius formatione deficit aliqua ex quatuor circumſtantiis, quæ ſunt de ſubſtantia ipſius proceſſus. Ut ſi non conſtaret querela, & Inquiſitores procederent, nec per viam accuſationis, nec per viam denunciationis, neque per viam Inquiſitionis ob rei infamationem. Si teſtes non eſſent examinati præſtito juramento. Si reus non fuiſſet vocatus ad reſpondendũ ad querelam ſibi datam, & ſaltem ſemiplene probatam. Si nõ fuiſſent datæ ipſi reo defenſiones ante condemnationem. Hæc enim neceſſariò requiruntur pro validitate proceſſus, ut tradunt Panorm. *in cap. dilecti de judic.* Sylveſt. *v. Index 1. q.* 5. Coriolan. *p. 2. de caſib. reſer. caſ. . de judic. reg. §.* 6. Navar. *conſ. 5. de appel in fine*, Secundo redditur nullus, quando delictum eſt alicujus rei permanentis, ut homicidii, mutilationi &c. & non conſtaret de corpore delicti, Farinac. *de inquiſ. q. 2. n.* 26. Albertin. *d. cath. aſſert. q. 25. n.* 24. Carena *p. 3. tit 12. n.* 173. Marſil. *conſ. 12. num. 34. & conſ. 14. n.* 15. Tertio ſi formatus ſit coram Judice, juſte recuſato, vel incompetenti, vel contra formam reſcripti, aut parte non citata, ut probant Maranta *p. 4. diſt. 16. n.* 4. Calder. *de judic. conſ.* 12. Genuen. *in pr. cap. 6. n.* 2. & Carena *loc. cit.*

Defenſio autem rei contra teſtes, qui contra eum depoſuerant raro admittitur in S. Officio. Quia nomina teſtium ut ſæpè diximus, non aperiuntur reo, ut contra ipſos poſſit ſe defendere, ut ſanxerunt Bonifacius VIII. *in cap. Statuta §. jubemus de hæret. in* 6. & Innocentius IV. ac Urbanus IV. referente Eymerico *p. 2. direct. fol.* 145. ac Pegna *p. 3. com. 124. verſ. Hoc ipſum*. Conſtat enim, ut alibi diximus, quod ex publicatione nominũ teſtium ac denunciantium grave damnum ac periculum ipſis immineret. Unde ad Inquiſitores pertinet pro diligenter inquirere de vita, & moribus teſtium, ſupplendo partes quæ alias competerent reo, ne ab ipſis, vel à denunciante gravetur.

Si autem reus noſcit teſtes, vel denunciantem, qui contra ipſum depoſuerunt, tunc non poteſt contra illos ad ſui defenſionem aliquid opponere, niſi tantùm inimicitiam capitalem; ut decretum eſt in Concilio Bitterrenſi *cap. 12. & 13.* & Narbonenſi *cap. 14 & 15.* per hæc verba. *Quamvis in hujuſmodi crimine propter ipſius enormitatem omnes criminoſi & infames, & criminis etiam participes ad accuſationem, vel teſtimonium admittantur, illis tamen exceptionibus fidem teſtium ex toto evacuantibus, quæ non ex zelo juſtitiæ, ſed de malignitatis fomite procedere videantur ut ſunt conſpirationes, & inimicitiæ capitales. Alia verò crimina, ſi debilitent, non repellunt, præſertim ſi teſtes de crimine fuerunt emendati*, ac docent *Eymer. p. 3. direct. de deſens. reor. num.* 117. Simanch. *de cath. inſtit. tit. 64. n.* 80. Zanchin. *de hæret. cap. 13. n.* 3. Caſtropal. *d. diſp. 8. pun. 15. §. 1. n.* 15.

Ut autem de inimicitia in criminali judicio habeatur ratio, eſſe debet plene probata per duos teſtes conteſtes, qui ſint omni exceptione majores, ut notat Carena *p. 3. tit. 10. §. 13. n.* 95. Propter aliã vero inimicitiam nõ capitalem, quantũ debilitentur depoſitiones teſtium relinquitur arbitrio Inquiſitoris, qui ex perſonarũ, & negotii qualitate facile poterit agnoſcere *l. teſtium ff. de teſtib.* Pegna *p. 3. com.* 28. & nos *alibi*. Cui verò propoſitionem, vel blaſphemiam hæreticalẽ protulit, defendi poteſt, ſe non eſſe hæreticum, primo probando ignoraſſe verba, quæ protulit, eſſe contra fidem, & hæreticalia. Quia licet alleganda non ſit ignorantia in manifeſtis articulis fidei, quos omnes ſcire tenentur, ignorantia tamen non ſolum invincibilis, ſed craſſa & affectata ab hæreſi excuſat, quando taliter ignorans eſt paratus corrigi. Quia tunc in eo non eſt pertinacia, quæ neceſſario requiritur in hæreſi, ut aſſeverant præ aliis Alphons. à Caſtro de *juſt. hæret. puuit. lib. 1. cap. 9. & lib. 2. cap.* 17. Ricciul. *de jure perſon. lib. 5. cap. 7. n. 10. & ſeq*, Sanctarel. *de hæres. cap. 1. dub. 5. n.* 20. & Farinac. *eod. tit. q. 179. n.* 23 & *ſeq.*

Hæc tamen ignorantia non excuſat eos, qui errant in rebus manifeſtis contra fidem. Ideoque non excuſantur ob illam blaſphemantes hæreticaliter, quia nullus, quamvis rudis, præſumitur ignorare, blaſphemiam eſſe illicitam, ſicut neque excuſatur ſortilegus, qui utitur, verbis, vel rebus ſacris ad res profanas, & ad maleficia componendum. Quia nemo eſt, tam indoctus, & agreſtis, qui neſciat, ſortilegia & maleficia eſſe illicita. Similiter excuſari nequeunt poligami, ac deturpantes ſacras imagines, quia omnes ſciunt, nemini licitum eſſe, plures ſimul habere uxores, ſanctorumque imagines eſſe colendas, ut notat Zavard. *in ſum. p. 2. tr. de pœn. minuend*, ſicque de hujuſmodi aliis.

Secun-

Secundo poteſt quis ab hæreticalibus verbis defendi probando, fuiſſe tunc temporis, quo ea protulit, vel amentem, vel ebrium, vel furioſum, non habentem totum uſum rationis, ut potuiſſet noſcere ſe erraſſe contra fidem. Dum enim agnoſcit errorem ſuum, non poteſt dici pertinax, atque adeo neque hæreticus. Vel probando illa dixiſſe ex lubrico linguæ inadvertenter, aut joco, vel recitative, ut advertit Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 13. Carena *p.* 3. *tit.* 9. *§.* 6. *n.* 35. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 36 *n.* 49. *& ſeq.* Farinac. *de hæreſ. q.* 179. *n.* 40. Profeſſus namque his modis hæreſim non habet errorem in intellectu, & ideo probabiliter excuſari poteſt, quia hæreſis requirit, ut eam profitens, ſcienter, & advertenter credat contra fidem.

Hujuſmodi autem defenſiones non ſolum fieri poſſunt per procuratorem rei, ſed etiam per procuratorem conſanguineorum ipſius, ut proſequitur Carena *ibid. §.* 15. *n.* 71. ubi ait, poſſe per procuratorem, conſanguineos, vel alios audiri ad probandum furorem delinquentis, & ita in hoc caſu fuiſſe deciſum in Senatu Sabaudienſi, refert Præſes Abavo *quæſt.* 23. *num.* 22.

Qua in re notandum eſt, quod ſi amentia, vel ebrietas, vel furor totum tollat rationis uſum, excuſat reum à tota pœna, ut luculenter exprimit Cantera *in quæſt. crim. cap.* 7. *de homic. num.* 68. Si autem illum non tollat, ſed tantum diminuat, tunc excuſat à tanto, non autem à toto, ſicque reus non eſt puniendus pœna ordinaria, ſed extra ordinem, ac modo gravius, modo levius juxta diminutionem uſus rationis, ut recte per Farinac. *q.* 92. *n.* 1. Caren. *loc. cit. §.* 10. *nu.* 42. Gomez. *in l.* 5. *tit.* 8. *part.* 7. & Souſ. *in aph. lib.* 3. *cap.* 53. *n.* 1.

Notandumque inſuper eſt, quod ſi amens, vel furioſus lucida habeat intervalla & ignoratur num tempore ſanæ mentis an infirmis deliquerit, præſumendum eſt deliquiſſe temporis furores, & amentiæ, ut per Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 70. Farinac. *q.* 9. *n.* 8. Souſ. *ibid. lib.* 2. *cap.* 33. *nu.* 4. Ceſſare autem hanc præſumptionem, ait Farinac. *num.* 9. ſi delictum veriſimiliter intelligatur commiſſum tempore ſanæ mentis. Si verò crimen hæreſis ſit commiſſum tempore ſanæ mentis, & poſtea ſupervenit amentia, vel furor, & perſeveret, tunc delinquens cuſtodiendus eſt in carceribus S. Officii, &, citatis hæredibus, proſequenda eſt cauſa privationis ſuorum bonorum. Pegna *p.* 3. *com.* 22. *verſ. ſed quid ſi revera* Maſin. *p.* 10. *aſſert.* 290. Farinac. *loc. cit. n.* 16. Cantera de *homicid. cap.* 7. *n.* 65. Præſes Abavo *q.* 28. *n.* 27. Souſ. *ſupra n.* 5. Clar *§. fin. q.* 10. *verſ. item quæro*, Caren. *d. tit.* 9. *§.* 15. *n.* 68. Moventque Archid. *in cap. filii de hæret. in* 6. Eymer. *p.* 4. *n.* 96. Pegna & Carena *loc. alleg.* ut Inquiſitores accurate inquirant, an amentia ſit vera, anve ſimulata. Sæpe enim delinquentes, ut pœnam evadant, amentiam ſimulant, immo & à cacodæmone invaſos.

Blaſphemus verò hæreticaliter defendi poteſt, quod blaſphemavit, non ex habitu, ſed raro, & in ira, & indignatione magna tantum. In hoc enim caſu talis blaſphemus redditur ſolum leviter de hæreſi ſuſpectus, ut docent Eymer. *p.* 2. *q.* 41 *n.* 6. Præſes Abavo *q.* 35. *n.* 41. Farinac. *de pœn. temper. q.* 91. *n.* 1. *& ſeq.* Pegna & Carena *loc. cit.* & colligitur *ex l.* 2. *C. de abolit.* Quia gravis iracundia ita inebriat animum, ac impedit uſum rationis, ut neſciat diſcernere verba à ſe prolata continere hæreſim, ac eſſe contra veritatem fidei, obſervandumque eſt, an iracundia provenerit ex cauſa rationabili, in quo caſu duntaxat in S. Officio præſtat diminutionem pœnæ ordinariæ. Nam tunc blaſphemus excuſari poteſt, quod aliter protulit, aliud credidit, protulit perverſe, ſed credidit catholice. Secus vero ſi ex cauſa injuſta, ut ex conſuetudine, vel ex ludo, aut non ex vehementi ira. Quia ſi hujuſmodi blaſphemus pluries ac frequenter in ludo, & extra ludum & ob levem turbationis motum in tales hæreſes protuliſſe inveniatur, etiamſi non conſtet clare de mala credulitate in mente, debet tractari, ut vehementer ſuſpectus propter conſuetudinem, quæ ſuſpectum vehementer de hæreſi illum reddit juxta *cap. accuſatus de hæret. in* 6. Si itaque blaſphemiis iſtis quis aſſiduus fuerit ſeverius veluti pertinax corrigi debet. Si iracundia nimia, quæ ad dementiam accidit, aut dementia blaſphemias pronunciaverit, tunc levius punietur, *arg. can. l. ſi quis iratus* 2. *q.* 3. *l. ſi non convitii C. de injur.* caſtigetur tamen, quia quod iracundia pronunciatur in blaſphemiis, in ira ſolet originem habere, dementiam autem excuſare recte quidam putant *l. infans ff. ad leg. Corn.* non autem iram, Oſtien. *in ſum. de maled. verſ. hoc autem* ſicut nec ebrietatem *Luc. de Pen. in l. omnes Judices col.* 4. *C. de delat.* Videndi hac de re Diaz *in pr. cr. can.* *Jodoc. in pr. & in enchi. cauſ. crim.* Nicol. Jacob. de Monte Albano. *conſ.* 48. Interpretes & Burrigarius *in cap.* 2. *de maled.* ſicut nec ebrietatem, Luc. de Pen. ubi ſupra. Nam etſi mitior pœna interdum delicto commiſſo per ebrietatem imponatur *l. omne delictum §. per vinum ff. de milit. can. ſano, & can. inebriaverunt* 22. *q.* 4. in aliis tamen excuſatio ebrietatis culpam non minuit, ſed auget. Vitium ebrietas eſt, & vix permittit Eccleſia orare pro iis, qui in ebrietate moriuntur *cap.* 1. *de reliq & vener. ſanct.* ut nec pro iis, qui ſeipſos occidunt *can. placuit, & can. ſi non licet* 23. *q.* 5.

In ſumma ſi probe de hoc crimine, ut de aliis velis judicare, conſidera res ipſas, videlicet blaſphemias ipſas, num atroces, levioreſve ſint. Subinde perſonas, quæ ſint, num errones, perditi homines, integræ vitæ, hæretici, &c. Poſtremo negotium, quamente dictæ, prolatæve ſint, in qua cauſa, in ludo, in contentione, in ira, in furore, conſultò &c. Dejeratio ad blaſphemiam leviorem pertinet, quæ eſt conſuetudo peſſima pro leviſſimis aut nihili rebus invocandi in teſtimonium Deum, aut divos, aut jurare per cœlum, per terram & alia, quæ Deus prohibet in ſpecie, *Matth. cap.* 5. *Jacob. cap.* 5. & ne nomen Dei in vanum ſumatur *Exod. cap.* 20. Qua de re alibi.

Poteſt autem reus in Tribunali S. Officii ſumere defenſionis argumentum ex eo, quod ſolitus non ſit contra fidem delinquere. Quia ſicut ex iterum, ac ſæpe, nimiumque commiſſo crimine contra fidem poteſt Fiſcus arguere, eſſe augendā pœnam, ita etiam ex ſemel, aut raro, ac minus ſæpe patrato delicto poteſt quis defenſionem ſumere pro diminuenda pœna. Quod etiam tradunt Tiraquel. *de pœn. temper cauſ.* 51. Farinac. *de delict. & pœn. q.* 23. *n.* 32. Souſa *in aph. lib.* 3. *cap.* 34. *n.* 10. Præſes Abavo *q.* 23. *n.* 54. & Carena *loc. cit. §.* 13. *num.* 58.

An autem in S. Officio allegari poſſit in defenſionem rei minor ætas. Regula in univerſum conſtituenda eſt de iis qui accuſari poſſunt, poſſe omnes qui de crimine condemnari poſſunt, accuſari eiſdem rationibus, quibus, ſæpe diximus, intereſſe Reipublicæ delicta puniri, & ideo nota eſſe, *l. eum qui nocentem ff. de injur.* Ergo & accuſantur pupilli proximi pubertati, quia capaces jurandi, & injuriæ faciendæ *l. pupillum* 112. *ff. de reg. jur.* Nec minor ætas impunitatem dat, *l. impunitas C. de pœn. l. auxilium §. in delictis de minor. l.* 1. *C. ſi adv. del. can. illa* 15. *q.* 1. *can. ſi quis cujuslibet* 21. *q.* 5. *cap.* 1. *&* 2. *de delict. puer*, Neque ſexus, *d. can. ſi quis cujuslibet*, Hinc exiſtimarunt aliqui, juventutem præmature corruptam citius exterminandam, ſi immane ſcelus aliqua malitia, ne ſeminarium malorum in illis nutriatur. Sicque malitia punitur non ætas innocens. Refert judicium, Areopagitarum Fabius Quintilianus *inſtit. lib.* 5. *cap.* 9. quo fertur damnatus puer, quod inventus eſſet oculos coturnicum omnium eruens, quas poſſet com-

prehendere; quod ſignum id eis videretur pernicioſiſſimæ mentis, multiſque malo futuræ, ſi adoleviſſet, ſine malitia delinquentes pueros nonpuniendos quoque eſt exemplum apud Pauſaniam *lib 8. Arcad.* Et Neratius Juriſconſultus dixit, in parvulis nullam deprehendi culpam *in l. pæn. 55. ff. de fideic. liber. Calliſtr. in l. 2. ff. de terms. mot.*

Et quidem ſi in aliis tribunalibus, in quibus non eſt tantæ miſericordiæ locus, ætati pariter, & mitius ſemper punitur, ut *ex l. 4. §. ult. & l. infamis ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & ex can. eos, quos, §. pueris autem de conſecr. d. 4.* & tradunt Præſ. Abav. *q. 23. n. 5.* & 6. Farin. *de pæn. temp. q. 92. n. 41.* ubi & quamplures alii; multo magis id ſervari debet in S. Officio, quod eſt Tribunal miſericordiæ, ac pietatis. Difficilius enim credi poteſt juvenes in hoc crimine hæreſis ex malitia, & animi improbitate peccare, ſicut in aliis peccatis, nempe fornicatione, furto, & hujuſmodi; ſed vel errant in fide à parentibus ſeducti, & in errore nutriti, vel à præceptoribus, & magiſtris decepti. Tales ergo ſi corrigi parati ſint, mitiſſime ſunt tractandi, ac leviſſimæ pœnitentiæ iis injungendæ, ut *ex can. Apoſtolus 24. qu. 2.* Pegna *p. 1. direct. com. 13. verſ. in hoc vero, & com. 22. verſ. ſi ſeptima*, Carena *p. 3. tit. 9. §. 6. num, 25.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 29. n. 56.* & 58. Decian. *in tr. cr. p. 1. lib. 3. cap. 12. n. 25. & lib. 5. cap. 37. n. 56.* Farinac. *d. q. 92. n. 108, & de hæreſ. q. 194, n. 2.*

At verò, licet ætati parcendum ſit, non ideo tamen omnino impunitum eſt, relinquendum crimen, quod adoleſcens commiſit, dum doli capax erat, *d. l. impunitas C. de pæn. d. can. ſi quis cujuslibet in fine*, ibique Gloſſa. Secus verò ſi doli capax non erat. Nam iſte nullo modo punitur *l. illud relatum ff. de jurejur. can. illud 15. q. 1.* Pegna *loc. cit. verſ. tametſi*, ubi etiam notat, quod ſi delinquens propter teneram ætatē aut mitius, aut nullatenus punitur, non poteſt factus major de ipſo eodem crimine puniri, cui præluxerat Marſil. *in l. infans ff. de ſicar. & in l. de minore ff. de quæſt. ac Tiraquel. tr. de pæn. temp. cauſ. 7. n. 8.*

Si verò quis in minori ætate in hæreſim incidit, & in ea perſeverat in majori; tunc non eſt mitius puniendus ratione minoris ætatis. Quia dum etiam in hæreſi delinquit in majori ætate, minor ætas ei ſuffragari nequit, ut probant Simanch. *de cath. inſtit. d. tit. 29. num. 59.* Farinac. *de hæreſ. q. 197. num. 10.* Carena *ibid. nu. 27.* Denique dicendum de aliis delictis ad Tribunal S. Officii ſpectantibus, à delinquente minori commiſſis, ut de apoſtatis in minori ætate alibi diximus.

Pœna etiam minuitur ratione ſenectutis, ut tradunt Tiraquel. *ubi ſupra cauſ. 8. num. 4.* Gomez *de delict. cap. 1. num. 68.* Farinac. *d. q 92. num. 23. & ſeq. ac* Bordon. *tom. 1. cap. 36 n. 32.* non ex eo, quod dicantur infirmi, cùm ſenectus ipſa ſit morbus, ut inepte aiunt hi autores, alioquin omnes infirmi excuſarentur, ſed quia iterum pueri ſunt, ac proinde non æquè ſumitur ſupplicium ac de aliis ætatibus, ſed indulgentia quadam lenitur pœna aliquando *can. tanta 1. q. 7.* Quinam autem dicantur Senes, non omnes idem ſentiunt apud Dianam *p. 9. tr. 4. reſol. 60.* Aliqui aiunt, qui annum quinquageſimum attingit. Alii, qui ſeptuageſimum. Plures probabilius, qui ſexageſimum, qua de re nos etiam aliàs. Breviter, ut loquar cum lege Wiſigothorum, nomotheta & Judex erit in indagando vivax, in præveniendo fixus, in decernendo non anxius, in percutiendo parcus, in parcendo aſſiduus, in innocente vindex, in noxio temperatus, in advena ſollicitus, in indigena manſuetus, perſonam tanto neſciat accipere, quanto & contemnat eligere. *l. 7. tit. 1. lib. 1. C. Wiſigoth.*

Vis item ac metus excuſat ab hæreſi formali. Nam qui ob metum ac vim ſibi illatam crimen hæreſis committit, non præſumitur habuiſſe in intellectu errorem, fidei catholicæ contrarium, ſed id patraſſe ad evitandum periculum mortis, vel alterius mali. Quare vi ac metu probatis, Judex præſumere debet, delinquentem non eſſe formaliter ac intrinſece, ſed tantum extrinſece & materialiter hæreticum. Metus namque excludit conſenſum, cauſatque involuntarium, *l. nihil. de reg. jur. cap. locum, cap. veniens, cap. conſultationi de ſponſal.* & docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. *qu. 6. ar. 5.* Præterea metus in ſe includit ignorantiam *l. ſi cum exceptione §. in hac actione ff. quod met. cauſ.* Hæreſis autem formalis requirit, ut hæreſim committens, ſcienter & advertenter credat contra fidem. Ita etiam tradunt Pegna *p. 1. direct. com. 24.* Farinac. *d. hæreſ. q. 183. num. 23. 26. 29. & 31.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 9 qu. 9.* Souſa *lib. 1. cap. 17.* Caren. *p. 1. tit. 1. §. 11.* aliique paſſim.

Notandum autem eſt, quod ut gravius, vel mitius hujuſmodi delinquens puniatur, attendi debet qualitas metus incuſſi, ac ipſius delinquentis, an ſit puer, an juvenis, an vir, an doctus, an imperitus, an laicus, an Clericus, an religioſus, an vir, an mulier, & id genus alia, quæ gravitatem delicti minuere, vel augere ſoleant. Et quod metus etiam mortis, cadens in conſtantem virum, quamvis diminuat culpam, illam tamen à mortali numquam excuſat, ut exprimitur *in cap. ſacris de his, quæ vi.* Quia metu, licet extenuat libertatem ad culpam requiſitam, numquam tamen illam ita extenuat, ut penitus tollat, & ex mortali faciat venialem, ut docent Salas *1. 2. q. 6. ar. 6. tr. 3. diſp. 3. ſect. 1. nu. 18.* Sylveſt. *v. metus qu. 7.* Sanchez *lib. 4. de matr. diſp. 1. num. 6* Caſtropal. *p. 1. tr. 2. diſp. 1. pun. 13. nu. 2.* Ac præcipue nunquam metus mortis excuſat in iis, quæ ſunt intrinſeca mala. Quare ob tuendam vitam non licet mentiri, neque adulterari, aut fornicari, & ejuſmodi committere; quia ſunt intrinſece mala. Ideoque dictum, vel factum hæreticale ad evitandam mortem ſemper eſt mortale peccatum, quia eſt intrinſece malum, ſolumque excuſat à tanta, non à tota pœna, ab ordinaria, non extraordinaria.

Qui verò finxit ſe hæreticum, vel Turcam, vel judæum, ſed interius Chriſti fidem non negavit, non poteſt juxta Cajetanum, acerrimum Theologiæ Thomiſticæ ingenium *2. 2. qu. 12. art 2. in fine* hac ratione tueri, ut mitius puniatur. Nam Eccleſia non judicat de internis, ſed ſolum de externis.

Communiter tamen alii docent, talem non eſſe vere ac formaliter hæreticum, ſive exterius fidem neget ob metum cadentem in conſtantem virum, ſive ob avaritiam, ac ſpem lucri ſive ob aliam cauſam. Quia deficit ei error in intellectu. Hæreſis autem vel infidelitas conſiſtit in errore in intellectu. Atque adeò proprie ac formaliter dici non poteſt hæreticus vel infidelis, dum fidem Chriſti non deſerit, & ſolum exterius fidem deſerere ſimulat. Ac proinde non debet pendere pœnam ordinariam ſceleris, quam pendit qui vere eſt hæreticus, ac fidem exterius & interius negavit. Ideoque tueri poteſt, ut mitius puniatur pœna extraordinaria per textum *in d. cap. ſacris de iis, quæ vi* ubi ita legitur: *Licet metus attenuet culpam, non tamen eam prorſus excuſat. & in l. ſervus C. ad leg. Jul. de vi publ.* ibique Baldus & Salycetus *n. 3.* Quando autē Eccleſia punit delictum, illud imperfectum ob defectionem actus interioris, non exercet juriſdictionem in actum interiorem, neque illum punit, ſed temperat pœnam, quam poſſet imponere actui exteriori, ne in ea comprehendatur etiam actus interior pravæ intentionis, Sic docent præter alios Sot. *in 4. d. 22. q. 2. ar. 3. poſt 5. concl. caſ. 1.* Navar. *in ſum. cap 11. n. 27.* & *cap. 27. n. 56.* Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 4. ſect. 2. n. 22. & diſp. 21. ſect. 2. n. 3.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 31. n. 3.* Tolet. *in ſum. lib. 4. cap. 4. n. 6.* ſubſcribuntque eidem ſenten-

tiæ

Digitized by Google

tiæ Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 9. qu.* 10. *&* 11. *& cap.* 21. *q.* 5. *&* 6. Bannez 2. 2. *q.* 11. *ar.* 4. *diſp.* 2. *concl.* 3. Valent, 2. 2. *diſp.* 1. *q.* 12. *pun.* 1. *col.* 2 Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 7 *n.* 8 Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *n.* 11. Fagundez *in*, 2. *præcept.* Eccleſ. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 39. *ac* Delbene *de Offic. Inquiſ. p.* 1. *diſp.* 13. *ſect.* 2.

Hanc ipſam ob rationem idipſum dicendum eſt de iis, qui propoſitiones hæreticales protulerunt, vel ſanctorum imagines deturparunt, vel cibos vetitos comederunt, vel idolo cultum exhibuerunt; ſi hæc fecerint metu compulſi vel ſpe lucri, aut ira, vel alia paſſione animi moti, nullum errorem in Chriſti fide interius habentes, ut notat Delbene *loc. cit. n* 3.

Veruntamen cùm intentio ſoli Deo nota ſit, nullo modo aut difficillime probari poteſt, aliquem ſigna hæreſis, vel infidelitatis externa dediſſe, & interius fidem catholicam retinuiſſe; ideo iſte tanquam verè hæreticus in foro exteriori ab Inquiſitoribus eſt puniendus, quia præſumitur fidei diſſenſum interiorem in actu externo habuiſſe, de quo tantum judicat Eccleſia. Cœteroquin hæreticus commoda occaſio daretur vitandi condemnationem. Omnes enim ſe excuſarent, abſque intentione crimen hæreſis perpetraſſe; neque illis ullo modo eſſet credendum, quia quiſque ad pœnam effugiendam præſumitur pejerare, ac mentiri, nullique creditur in caſu proprii commodi, niſi per teſtes probet, quod aſſerit, ſic tradunt Albertin. *tr. de agnoſc. aſſert. q.* 8. *n.* 12. *& q.* 32. *n.* 17. *& q.* 34. *n.* 53. Royas *de hæret. p.* 1. *n.* 276. *& ſeq. & nn.* 583. *&* 584. Graff. *lib.* 4. *deciſ. cap.* 18. *n.* 28. Simanch. *in enchir. tit.* 29. *n.* 8. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 10. *n.* 6. ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 34. Vide quæ de idolatris in hanc rem alibi diximus.

Ignorantia autem probabilis, ſive inculpabilis, vel invincibilis excuſat reum ab hæreſi, ſive ſit ignorantia juris, ſive facti. Id plane colligitur ex duobus principiis utiq; Theologicis certis. Primum eſt, quod ignorantia antecedens cauſat omnino involuntarium, atque adeo excludit conſenſum in omne id, quod ignoratur, ita ut etiamſi voluntas feratur in aliquod objectum aliqua certa qualitate præditum, ſi ignoretur talis qualitas, licet objectum voluntarium ſit, non ſit tamen voluntaria illa qualitas, præcipuè ſi per accidens ſit illi annexa, ut communiter cum Ariſtotele 3. *&c. cap.* 1. D. Damaſcen. *lib.* 2. *orthod. fid. cap.* 24. *ac* D. Thoma 1. 2. *q.* 6. *ar.* 8. *in corpore* docent Theologi. Quia voluntas eſt potentia cœca, non poteſt amplecti, aut reſpuere aliquid, atque adeo nec in aliquid conſentire, niſi præeat intellectus, proponendo quod eſt amplectendum, vel reſpuendum. Quod autem ignoratur, nullo pacto poteſt ab intellectu proponi.

Atque hinc non ſolum ignorantia antecedens, ſed etiam concomitans reddit involuntarium negativè, hoc eſt non voluntarium, ut omnes conveniunt cum D. Thoma *loc. cit.* & Ariſtotele *ibi cap.* 3. ex eadem ratione, quia quod etiam concomitanter ignoratur, cum non ſit in cognitione, nec etiam poteſt ab intellectu proponi voluntati. Unde nec voluntas poteſt circa ipſum voluntario modo ſe habere, exercendo conſenſum, vel diſſenſum. Et ideo hanc quoque ignorantiam excuſare à peccato, tradunt Almain. *tr.* 1. *moral. cap.* 4. Cordub. *lib* 2. *q.* 19 Zumel. 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. *diſp.* 1. Vaſquez *diſp.* 125. *cap.* 2. Salas *q.* 6. *tr.* 5. *diſp.* 4. *ſect.* 2. *n.* 16. *& ſeq* Medina *ar.* 8. Valent. *tom.* 2. *diſp.* 6. *qu.* 6. *pun* 2. Azor. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *q.* 4. Suarez 3. *p. tom.* 3. *diſp.* 4. *de cenſur. ſect* 8. *n.* 8. Sanchez *lib.* 1. *ſum. cap.* 16. *nn.* 13. *& lib.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 26. Baldel. *tom.* 5. *Theol. moral. lib.* 1 *diſp.* 26. *nu.* 2. Quia cum hæc etiam ignorantia excludat, cognitionem excludit etiam voluntarium, quod eſſentialiter fundatur in ipſa, atque adeo etiam peccatum, quod eſſentialiter requirit voluntarium.

Alterum principium eſt, quod qualitas, quæ afficit objectum voluntatis, mutat ipſum in ratione objecti, & in ordine ad movendam ipſam voluntatem ita, ut idem objectum cum diverſa qualitate poſſit modò illam allicere ac movere ad ſe amplectendum, modò movere, ut reſpuat. Cùm enim voluntas moveatur ab objecto, ſicut etiam quælibet alia potentia diverſimode movetur juxta qualitatem objecti, ut communiter traditur cum D. Thoma *l.* 2. *q* 10. *ar.* 2. Cumq; voluntas ſumat ſpeciem in ſuis actibus, etiam quod ad eſſe morale, ſeu bonitatem & malitiam ab eodem objecto, ut cum eodem D. Thoma *l.* 2. *q* 18. *ar.* 2 ideo ex diverſitate objecti conſurgit etiam diverſitas actus ſecundum ſpeciem.

Hæc autem diverſitas ſpecifica in actibus cauſari poteſt ex objecto, etiam ex ſola diverſitate qualitatis, qua afficitur, ſive hæc qualitas ſit intrinſeca objecto, ſive etiam intrinſeca, ſe habens per modum circumſtantiæ. Nam circumſtantiæ quoque dant ſpeciem actui, ut cum D. Thoma *d. q.* 8. *ar.* 10. Tunc autem tribuunt diverſam ſpeciem, quando continent diverſa motiva, ut notat idem D. Thomas *eadem* 1. 2. *q.* 72. *ar.* 9. Vel quando reſpiciunt ſpecialem rationem ordinis; ſive ſecundum contrarietatem, ſive ſecundum conformitatem, ut habetur *eadem q.* 18. *ar.* 10. *in fine corporis* Comprobatur *ex Geneſ.* 20. *Domine num gentem ignorantem, & juſtam interficies*: Et ad *Timoth. cap.* 1. ait D. Paulus: *Miſericordiam Dei conſequutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Dum ergo ignorantia excuſat à peccato, ſequitur, quod ſi quis erraverit ignorantia probabili, ſive invincibili in iis, quæ fidei ſunt, ab hæreſi eſt excuſandus, maxime ſi diligentiam adhibuerit in veritate indaganda. Ita docent Major *lib.* 2. *ſent. d.* 22. *q.* 2. Simanch. *de cath. inſtit. tit* 26. *n.* 6. Pegna *in direct. p.* 1. *com.* 22. *reg.* 4. *&* 5. Carena *p.* 2. *tit.* 1. *§.* 11. *n.* 63. Caſtr. *de juſta hæret. pun. lib.* 1. *cap.* 9 Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 6. Sanctarel *de hæreſ. cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 20. & Farinac. *eod. tit. q.* 179. *n.* 23. 25. *& ſeq.*

Qui ſimiliter errat in iis, quæ ſunt fidei, quæ tamen ipſe credere explicite non tenetur, deceptus verò ab aliquo viro docto, quem pium, & catholicum eſſe credit, taliſque ab aliis communiter exiſtimatur, ab hæreſi, & hæreticorum pœnis, ac etiam à peccato videtur excuſandus, ut per Magiſtrum *ſent. lib.* 4. *diſt.* 30. *cap.* 1. D. Bonaventura ibi, *verſ. ſi quis hæreticus*, & Pegna *loc. cit. reg.* 6. qui *reg.* 7. ſubdit, idem prorſus ſentiendum eſſe, cum filii errant in fide à parentibus ſeducti, & in erroribus enutriti. Item diſcipuli à præceptoribus, ſubditi ab Epiſcopis & Parochis, ſi decepti errant in iis, quæ explicite ſcire non tenentur, ut docet Jo. Lupus *tr. de hæret.* quem ſequitur Montalv. *in l.* 1. *tit.* 26. *part.* 7. *q.* 14. & hæc regula habetur expreſſe *in can. dixit. Apoſtolus* 24. *q.* 2.

Porrò ignorantia juris dicitur, quando quis ignorat legem aliquid prohibentem. Dicitur ignorantia facti, quando quis ignorat aliquam actionem eſſe peccaminoſam, quam, ſi ſciret, talem eſſe, illam non faceret. Hæc autem ignorantia ſive juris, ſive facti dicitur probabilis, juſta, inculpabilis, ac invincibilis, quia inculpabiliter privat cognitione, ac ſcientia malitiæ actus, & nec directè, neque indirectè eſt voluntaria, omnemque voluntatis actum antecedit, & ſine culpa, bonaque fide contracta eſt, ad differentiam ignorantiæ vincibilis, culpabilis, injuſtæ, ac improbabilis, quæ culpabiliter contracta eſt, ac vere volita eſt, aut directe, ut cum eſt affectata, aut indirecte, ut cum ignorans poteſt, ac tenetur illam expellere, & non expellit, & ideo ab actus malitia non excuſat, eſtque cauſa peccati.

8. Poteſt etiam reus ſe defendere, ut ſibi mitigetur pœna ob ſortilegium amatorium ex vi vehementis amoris factum. Etenim inter cauſas mitigandi pœnas, ut aliis in locis diximus, eſt amor, qui furori comparatur, ut *ex cap. cum in juventute de præſumpt.*

& juxta Menandrum apud Stobeum, Amor hominibus furor eſt, ac tenebras infundit, & quiſquis amat, hallucinatur, & cœcutit in eo, quod amat, Plutarch. *de amic. & adul.* & juxta D. Hieronymum *in epiſt.* Amor formæ, rationis oblivio, & juxta Bernardum *ſuper Cant. ſer.* 73. *& alibi*, pudorem, modum, conſilium non habet mens amori occupata, ſuis juris non eſt. Inde eſt, quod obcæcat intellectum, qua etiam ex cauſa, ut obſervat Leonicus *q.* 11. *amatoria*, Cupido & puer & cœcus fingitur, & rationem reddit idem Leonicus, illam ipſam quam alibi attigimus, nempe quod cum amor in multa & vehementi ſpiritus motione conſiſtat, ſinceritatem judicii, & mentis ſerenum obturbat. Amoris effectus horrendos, vereque ſtragem amoris morboſi ac fœdi miſſam facio, quod cœno illi immergi refugiam. Lege Plutarchum *juſto opuſculo de miris amoris effectibus*, & Patticium *lib.* 4. *de Reguo tit.* 11. Omittere tamen non poſſum affectus amoris atrociſſime deſcriptos, ſive potius, verborum coloribus Pictos à Plauto in perſonas Alceſimatci *in Ciſtell.* quam puer legi;

Credo ego Amorem primum apud homines carnificinam commentus.
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero, atque antideo cruciabilitatibus animi.
Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in Amoris rota miſer,
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo. Ubi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus.
Itaque mihi omnia ingenia ſunt. Quod lubet, non lubet jam id continuo.
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Rapeat, retinet. jactat, largitur; quod dat, non dat, deludit.
Modò quod ſuaſit, diſſuaſit, quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritum is moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem
Animum, neque niſi quia miſer non eò poſſum, mihi ulla abeſt
Perdito pernicies.

Etenim concupiſcentia minuit formalem rationem voluntarii, ac etiam liberi. Nam poteſt concupiſcentia tollere libertatem, ac perfectum voluntarium; atque ideo poteſt etiam minuere. Quando enim non eſt adeo vehemens, ut perturbet uſum rationis, poteſt minuere cognitionem, ergo etiam rationem voluntatii ac liberi, cùm dependet à cognitione. Non tamen poteſt cauſare involuntarium ſimpliciter, cùm faciat, quod voluntas proprio actu tendat in objectum, ſed cauſare poteſt involuntarium ſecundum quid in ordine ad media, quatenus facit, quod voluntas eligat ea, de quibus habet aliquam inefficacem diſplicentiam. Nam actus inefficax poteſt ſtare cum abſoluto oppoſito, & poteſt voluntas ex eo, quod ratione concupiſcentiæ, velit aliquid delectabile, eligere medium cum aliqua triſtitia, ut cum avarus ob aliquid delectabile erogat pecuniam. Tunc igitur electio medii erit contra aliquem actum voluntatis, atque adeo involuntaria ſecundum quid. Poteſt item concupiſcentia cauſare per accidens involuntarium ſecundum quid reſpectu boni concupiti. Nam bonum delectabile, ut tale, poteſt movere voluntatem ratione concupiſcentiæ ad actum efficacem, ut autem diſſonum rationi poteſt cauſare aliquam ſimplicem diſplicentiam. Unde cùm quis peccat ex concupiſcentia, multoties experitur remorſum conſcientiæ, quia diſplicet objectum ex eo quod ſit turpe. Ergo tunc proſequutio objecti delectabilis erit contra ſimplicem diſplicentiam, ergo involuntaria ſecundum quid. Quinimmo eſt aliquando ita vehemens, ut tollat uſum rationis & libertatem ut notat Ariſtoteles 2. *eth. cap.* 11. Ac ita cenſent Tiraquel. *de pœn. temper. cauſ.* 4. Farinac. *qu.* 98. *num.* 77. & Giurba *conſil cr.* 47. *num.* 8. & in ſpecie ſortilegii amatorii ex vehementi amore facti, minuendam eſſe pœnam, tradunt Oldrad, *conſ.* 210, Monald. *conſ.* 101. Farinac. *num.* 88. Præſes Abavo *in praxi §. Venenum num.* 32. *&* 36. Zanard. *in ſum. p* 2. *tract. de pœn. minuen. cap.* 12. *&* Carena *p.* 3. *tit.* 8. *§.* 11. *num.* 50. Pœna verò abjurationis non minuitur. Nam etiam ſortilegii ob amatoria ſortilegia, ſive ob ſortilega phyltra hæreticalia abjurant de vehementi, ut notat Carena *ibidem. n.* 53.

Multis autem modis inquiſitus probare poteſt ſuam innocentiam. Primò evidentia facti, probandorem aliter ſe habere ac querelam datam. Ut ſi quis querelatus fuerit occidiſſe infantem maleficio, & infans reperiatur vivus. Vel ſi quis denunciatus fuerit Imaginem Chriſti crucifixi in tali altari fragiſſe, & illa imago non ſit fracta. Ex hac enim evidentia facti probatur directe innocentia inquiſiti, ut per Clarum *§. fin. q.* 51, Carenam *p.* 3. *tit.* 9. *§.* 3. *n.* 9. ac Bordon. *tom.* 1. *cap.* 36. *n.* 24.

Secundo, ſi inquiſitus plene probaret, ſe tempore commiſſi delicti fuiſſe in loco longè diſtanti ab illo in quo delictum commiſſum fuit. Ut ſi Confeſſarius eſſet denunciatus, ſollicitaſſe talem mulierem, tali die, ac hora, in tali Eccleſia, & tali confeſſionario, & per teſtes legitimos probaret, ſe tali die fuiſſe extra illam Eccleſiam, nec audiviſſe confeſſionem, utique oſtenderet ſuam innocentiam, probando negativam coarctatam loco & tempore quod ad ſeipſum, Cla *ibid.* Caren. *ubi ſupra n.* 10. Bordon. *eo loco n.* 23. Simanch. *de cathol. inſtit. tit.* 17. *n.* 7. & Canteram *in quaſt. crim. de num.* 2.

Tertio indirecte per negativam coarctatam loco & tempore quoad teſtes, ut ſi teſtes deponant tali die vidiſſe Marcellum in tali loco deturpaſſe ſacram imaginem, & Marcellus probaret, dicta die dictos teſtes fuiſſe in alio loco, certe hujuſmodi probatio elideret probationes teſtium, qui puniri poſſent de falſo, ut per Canteram *loc. cit.* Bordonus, & Carena *ibidem* ille *n.* 23. hic *n.* 11. qui *&* *n.* 12. advertit teſtes, qui ad defenſionem deponunt ſuper hac negativa coarctata, examinandos eſſe, præſente Fiſco, ac eſſe dimittendos cum fidejuſſione ſe repræſentandi, toties quoties ſub certa pœna, vel cum præcepto, ſi propter paupertatem non poſſent fidejuſſorem invenire.

Quarto probatur innocentia, vel ſaltem contrariæ probationes valde enervantur, ſi inquiſitus probaret actus Religionis factos qui eſſent contrarii ſibi oppoſitis, ut ſi denunciatus fuerit, negaſſe purgatorium, & probaret, quod plures pro defunctis miſſas celebrari juſſerit, & alia ſuffragia pro ipſis obtulerit, Ex hiſce probationibus maximam reſultare ſuæ innocentiæ probationem, notat Simanch. *d. tit.* 17. *n.* 38. Carena *eod. loc. n.* 13. & Bordon. *ibid. n.* 24.

Quinto, ſi ille qui denunciavit, ſe excuſparet in articulo mortis, vel alio tempore, quod à ſe denunciatus nullo modo eſt reus, ſed innocens objecti criminis, qua de re alias.

Sextò, ſi juridice conſtet delictum illud ab alio fuiſſe patratum, vel verus malefactor ſe ipſum denunciet, & culpam in ſe conjiciat.

Sunt & aliæ probationes minus efficaces, ut quando denunciatus eſt verbaliter citatus, & non fugit, ſed alacriter comparet, ut notat Alciat. *reſp.* 453. *num.* 5.

ex

ex Bartolo *in l. ſi quis fugitivus* §. 1. *ff. de ædil. edict.* Vel quando denunciatus ſponte ſe offert inquiſitori judicandus, ut firmant Blaneus *in pr. p.* 1. *defenſ. nu.* 191. Marſil etiam *in pr. §. diligenter nu.* 104. Sponte autem dicitur quis aliquid facere, quando facit ſua voluntate ſine alterius poſtulatione, vel rogatu, Gloſ. *in can.* 1. 16. *q.* 6. Fulcod. *q.* 2. Carena *p.* 2. *tit.* 18. *n.* 19. Souſa *lib.* 4. *aph. cap.* 8. *à. n.* 5.

An autem Inquiſitor ſive Epiſcopus in cauſa hæreſis poſſit ob aliquam cauſam à reo recuſari, ne ſit ſuus Judex, diſſident ſententiæ. Negant Archid. *in cap. quia plerique de Offic. ord, in* 6. Menoch. *lib.* 1. *de arb. q.* 37. *num.* 40. Scacc. *de judic. cap.* 67 *num.* 7. Royas *ſing.* 100 *& de hæret. p.* 2. *tit. de privil Inquiſ. num.* 435. ac Bern. Comenſ. *in Lucern. Inquiſ. v. recuſatio §.* 1. Nam Inquiſitor præſumitur, quod ſit electus æquiſſimus, probatiſſimus ac prudentiſſimus.

Affirmant Eymer. *p.* 3. *num.* 120. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *num.* 51. *& ſeq.* Locat. *in oper. judic. v. recuſatio & Inquiſiens num.* 2. Tabiena *in ſum. v. inquiſitio §.* 4. *nu.* 5. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 5. Bordon. *tom. I. cap.* 36. *qu.* 10. *num.* 13. & in Madriana inſtructione anni 1561. *cap.* 15. id definitum videtur.

Prima ſententia ſpectata Judicum probitate, honeſtior mihi videtur, ut viſa etiam Pegnæ *p.* 3. *c.* 31. *verſ. cæterum.* Secunda vero in jure verior eſt, ac tenenda per textum *in cap. ſuſpicionis de Offic. deleg. in cap. cum ſpeciale de accuſ. & in l. apertiſſime C. de judic.*

Recuſationis tamen cauſæ ſunt afferendæ, quæ graves eſſe debent, nimirum, vel quia Inquiſitor reum, non ſervato ordine juris, aggravavit, ei denegando legitimas defenſiones. Vel quia eſt ejus inimicus capitalis; inimicus enim in qualibet ſua actione præſumitur machinari contra ſuum inimicum *l. ſi inimicus ff. de his, quib. ut indign. can. quod ſuſpecti* 3. *qu.* 5, *d. l. apertiſſime C. de judic.* Eymer. *p.* 3. *direct. tit. de revoc.* Inquiſ *num.* 120. ibique Pegna *com.* 30. Farinac. *de hæreſ. qu.* 185. *num.* 236. *de cauſis inimicitia*, Souſ. *in aph. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 11. Vel ob gravem æmulationem, ut per Pegnam *p.* 3. *com.* 30. Vel quia eſt conſanguineus, vel affinis denunciatoris, aut teſtium, ut Pirig. 4. *ſubſt. cap.* 3. Spathar. *tr.* 10. *cap.* 3. *num.* 3. Bordon. *d. cap.* 36. *num.* 15. Vel ſi eſſet publice excommunicatus *ex cap. exceptionem* 12. *de except. & cap. ad probandum de appell.*

Ex quibus conciliantur ſententiæ contrariæ, ita nimirum, ut ſententia, quæ negat, intelligatur, ſi recuſatio fiat ex levibus cauſis, licet alias ſufficientibus ad recuſandum Judicem in aliis cauſis. Affirmativa verò intelligatur de recuſatione factæ ex cauſa gravi allegata in recuſatione. Et ita explicarunt Pegna *loc. cit.* Jacob. Laur, *in tr. de Judic. ſuſpect. cap.* 2. *nu.* 9. Param. *lib.* 3. *qu.* 4. *num.* 56. & Farinac. *d. qu.* 185. *nu.* 138.

In caſu autem recuſationis non eſſe eligendos arbitros, ſed judicium remittendum eſſe ad ſupremum Tribunal ex inſtructione Madriliana anno 1561. *cap.* 52. annotavit Pegna *d. com.* 30. & Farinac. *dict. quæſt.* 185. *num.* 239. Quia hoc eſt decentius ac tutius: & quia in hac cauſa non admittitur appellatio, niſi ad ſupremum Tribunal.

Quare cauſæ recuſationis ad ſupremum Inquiſitionis Senatum, vel ad ſummum Pontificem remittendæ ſunt, ut ſummatim re cognita, vel Inquiſitor recuſatus rejiciatur, ſive prohibeatur, ne in ea cauſa judicet, vel judicare jubeatur. Semper tamen advertendum eſt, ob frivolas & leves recuſationis cauſas non eſſe prohibendum, quo minus Inquiſitor judicet, ut etiam obſervat Pegna *loc. cit.*

De appellatione verò ab Inquiſitoribus, illa non datur ab eorum ſententia definitiva contra hæreticos neque contra eorum fautores ac receptatores per textum *in cap. Ut inquiſitionis de hæret. in* 6. & *l. Commiſſi V. omnes inſuper Friderici Imperatoris.* Et tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 6. *num.* 2. Royas *ſing.* 191. *& ſeq.* Param. *de orig. Inquiſ. lib.* 3. *qu.* 4. *nu.* 58. Decian. *in tr. cr. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 26. *& cap.* 58. *num.* 1. Farinac. alios referens *de hæreſ. d. q* 185. *§.* 15. *num.* 227. *& ſeq.* Carena *p.* 3. *tit.* 14. *num.* 1. *&* 129. Unde exequi debet ſententia lata à Quæſitoribus fidei contra hæreticos eorumque fautores, nulla obſtante appellatione, atque adeo intra decem illos dies, qui dari ſolent pro termino ad appellandum. Et ſicut à definitiva non appellat reus in hoc S. Tribunali, ita nec ejus hæres. Et nedum appellatio, ſed etiam proclamatio eſt interdicta. Vide Archid. *in d. c. Inquiſitionis num.* 8 *& ſeqq.* Jo. Andr. *ibid. v. proclamationibus*, Gemin. *num.* 8. Franch. *nu.* 4. Eymer. *p.* 3 *n.* 121. *& ſeqq. ibique* Pegna *com.* 31. *& qu.* 117. *ubi etiam* Pegna *com.* 166 Sylveſt. *v. hæreticus num.* 4. Tabiena *eod. v. num.* 11. Locat. *v. appellare num.* 1. *& v. hæreticus, & v. pœna, & v. ſententia*, Campeg. *ad Zanchin. cap.* 8. *lit. A.* Simanch. *tit.* 6. *num.* 2. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 35.

A ſententia verò interlocutoria, hoc eſt à gravamine illato ante definitivam, & à decreto torturæ utique datur appellatio, quæ, ut valida ſit, debet continere gravamen illatum, & cauſam ſpecialem, per quam gravamen impugnatur, ut *ex cap. Cum ſit Romana, & cap. ut debitus honor de appel.* ac per Pegn. *loc. cit.* Farinac. *ubi ſupra num.* 232. *&* 235. Calder. *de hæret. cap.* 29. *num.* 2. Caren. *ibid. nu.* 2. Dian. *d. p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 20. Param. *loc. cit. num.* 60. *& ſeq.* ac Simanch. *tit.* 52. *num.* 11. *& tit.* 65. *num.* 2. *de cath. inſtit.* Qualis vero debeat eſſe appellatio ab interlocutoria, & quomodo & quando Judex illam admittere debeat, quidve facere debeat, quando appellatur late Doctores paſſim.

Et hæc quoque appellatio in S. Officio fieri debet ad ſummum Pontificem. A delegato enim ad delegantem appellatio eſt facienda. Inquiſitor autem eſt ſedis Apoſtolicæ delegatus. Idque etiam ubi Epiſcopus in cauſa hæreſis ſententiam protulerit cōtra ſuum ſubditum. Tunc enim non ad Metropolitanum, ſed ad Pontificem Maximum appellari debet cùm cauſa hæreſis ſit graviſſima, & Summi Pontificis propria, ad quem pertinet de fide reſpondere, ejuſque cauſas decernere, ejus acceſſoria expedire, ut per Oſt. *in cap. excommunicamus* 1. *§. catholici* ibique Andr. *§. volumus*, & *in cap. ad abolendam de hæret.* Pegna *p.* 3. *com.* 31. Farin. *d. q.* 185. *nu.* 240. Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 7. *nu.* 6. *&* Carena *d. tit.* 14. *num.* 3. In Tribunali verò Inquiſitionis Hiſpanæ ex privilegio Apoſtolico fit ad ſupremum Inquiſitorem. Sed ab hoc ad ſummum Pontificem in caſibus licitis appellari poteſt. Appellatione autem admiſſa, non debet Inquiſitor ulterius in ea cauſa procedere, ſed expectare reſponſum ſupremi Tribunalis. Id tamen locum non habet in cauſa diverſa ab ea, à qua fuit appellatum, ut per Pegn. *ubi ſupra com.* 31. *verſ. ſi autem*, Eymer. *p.* 3. *num.* 127. & probat textus *in cap. ad hæc de appel.* ubi decernitur, poſſe reum conveniri coram Judice, à quo appellavit, in alia cauſa, niſi eum, velut ſuſpectum, velit recuſare. At ſi crimen fuerit manifeſtum, in quo non poteſt commode afferri excuſatio, aut juſtæ ſuſpicionis ratio, propter quam poſſit Judex recuſari, tunc locum non habebit ſuſpecti recuſatio *ex cap. propoſuit de appel.* & Pegna *loco allegato.*

Et quamvis Symanch. *de cath. inſtit. tit.* 6. *rubr. de appel. num.* 2. Carrer. *de hæret. num.* 130. ac Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 32. *num.* 5. arbitrentur, non poſſe reum poſt ſententiam condemnatum recurrere per viam quærelæ ac ſupplicationis ad ſupremum Inquiſitionis Tribunal. Quia eadem ratio, ob quam ei

denegatur appellatio, militat, ne ſupremum Tribunal adiri poſſit per viam quarelæ. Indignus enim eſt beneficio Eccleſiaſtico, qui jam eſt ab Eccleſia declaratus inimicus, contrarium tamen eſſe probabilius cenſeo cum Caſtropalao *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 7, nu. 3. &* cum Carena *p. 3. tit. 14. n. 7.* ubi ingenue fatetur, quod ſi eſſet Inquiſitor ſuperſederet, habita ſcientia, quod hæreticus recurſum habuerit ad S. Congregationem. Quia ut dixi *tom. 6. conſ. 42. n. 2.* interdicta appellatione, non cenſetur interditus recurſus ad Principem in cauſa gravis præjudicii, ut late probat Roland. *lib. 1. conſ. 94. n. 1. & ſeq.* Menoch. *de arb. q. 70. n. 18.* Et quia ſuperior Judex non prohibetur de prætenſa injuſta ſententia cognoſcere, eamque revocare. Id enim rectæ Reipublicæ adminiſtrationi convenit. Et quia ſi ipſemet Judex ſuperior ſupplicari poteſt, ut ſententiam à ſe latam iterum cognoſcat, & ſi invenerit injuſtam, revocet, multo magis id fieri poterit in ſententia lata ab inferiori. Atque ita tradit in crimine hæreſis Felin. *in c. ad abolendam nu. 3. de haret.* Royas *ſing. 19. num. 5. & ſeq.* Decian. *tr. crim. lib. 5. cap. 58. n. 5.* & Farinac. *d. q. 185. n. 233.*

CONSULTATIO CLVI.

De Defenſione Hæretici defuncti, cur contra illum procedatur. Ubi quid de credentibus defunctis hæreticorum, deque fautoribus ac defenſoribus etiam defunctis, quidve de Apoſtatis, de præſcriptione actionis contra hæreticum defunctum, ac de confiſcatione ejus bonorum. Quomodo contra illum procedi poſſit, deque ad rem aliis, cùm non nullis Parergis.

QUamvis regulariter omnia crimina delinquentis ejus morte extinguantur, *l. defuncto ff. de publ. judic. l. 1. C. ſi reus, vel accuſator mort. fuer. l. pupillum §. in haredem ff. de reg. jur. l. ex judiciorum ff. de accuſ. l. 1. C. ne ex delicto defunct.* ſpeciale tamen eſt in delictis læſæ Majeſtatis humanæ *l. ult. C. ad leg. Jul. Majeſt.* ac divinæ, hoc eſt in crimine hæreſis, quod hæreticus, etiam poſt ejus mortem poſſit accuſari ejuſque memoria damnari, *l. manichaos §. 2. C. de haret.* & habetur *in cap filii eod. tit. in 6. & in cap. accuſatus §. in eo, & in cap. ſi quis Epiſcopus eod. tit. & can fin. 24. qu. 3. & tradunt in d. cap. filii* Gloſ. *in princ.* Archid. *num. 1. &* Anchar. *num. 1. & 5.* Franch. *n. 3.* & cæteri omnes, quorum plures refert Farinac. *de hæreſ. q. 197. n. 86.*

Idque præcipue primo, ut ejus memoria damnetur. Deinde ut ejus bona publicentur, & ab hæredibus defuncti auferantur. Poſtremo, ut ejus cadaver exhumetur, & extra locum ſacrum projiciatur, ut per Pegnam, *p. 3. direct. q. 121. com. 120. verſ. proceditur verò.*

Neque intereſt, quod hæreticus dum viveret, eſſet bonæ famæ, & in vita, & in morte habitus fuerit tanquam Catholicus, ſi nihilominus poſt mortem detegatur ejus hæreſis, ac de illa legitime ſit accuſatus. Tunc enim poteſt contra illum procedi ad damnandam ejus memoriam, Repert. Inquiſ. *v. accuſatio, & v. hæreticus,* Gundiſalv. *in tr. de haret. qu. 22. num. 1.* Farinac. *d. qu. 197. num. 98.* Salell, *lib. 5. cap. 7. num. 221. & ſeq.* ubi ex Prateolo *lib. 8. cap. 11.* & Lutzemburg. in *catal. haret. lib. 1. v.* Hermanoves, refert Hermanum quendam Italum, qui Ferrariæ per multos annos pro ſancto habitus fuit, & cultus, quia tamen compertum fuit, illum fuiſſe hæreticum, ac impœnitentem obiiſſe, juſſu Bonifacii VIII. ejus cadaver exhumatum fuit atque combuſtum.

Minus intereſt cujus dignitatis fuerit hæreticus; nam & contra defunctum Epiſcopum hæreticum procedi poteſt, *d. cap. ſi quis Epiſcopus,* Doctores, ac Decian. *in tr. cr. lib. 5. cap. 57. n. 3.* & Farinac. *d. q. 197. n. 89.*

Quod ſanè certum eſt, non ſolum de hæreticis, qui dicuntur hæretici, ſed etiam de iis, qui dicuntur credentes hæreticorum, ſive non modo de illis, qui verbo, verum etiam de illis, qui facto hæretico approbant errores contra fidem, & præcipue id verum eſt de illis, qui tempore infirmitatis petierunt conſolationem per manuum impoſitionem ab hæreticis. Quod expreſſe habetur *in d. cap. filii*, in quo agitur de defendendo poſt mortem ab hæredibus illo, qui infirmus petiit conſolationem ab hæreticis per manuum impoſitionem, & docent in eum textum Gloſſa Archidiaconus, Jo. Andreas, Ancharanus, Geminianus, & Franchus, videturque decretum in Concilio Biterrenſi *cap. 13.* in quo ita plane legitur: *Ad hæreticorum, ſeu credentium condemnationem, qui non fuerunt reconciliati canonicè ante mortem, citatis eorum hæredibus, ſive aliis, qui de jure citandi fuerint, & conceſſa eiſdem opportuna copia defendi, ſimiliter procedatis.* Facitque ad hanc rem *d. cap. accuſatus §. ſi vero de haret. in 6.* ubi quando agitur de extincto crimine poſt mortem non exprimuntur credentes, ſed ſolum receptatores, defenſores, & fautores. Atque ita quod contra credentes hæreticorum procedi poſſit poſt mortem, docent Pegna *3. p. direct. ſchol. 105. verſ. ſed in credentibus, & com. 170.* Quia cùm hujuſmodi credentes ſint hæretici, ad eos extenduntur pœnæ hæreticorum, Boich. *in cap. excommunicamus 1. num. 11. de haret. in 6.* ubique Panorm. *num. 12.* Anan. *nu. 1. & ſeq.* Socin. *n. 36.* Roſella *in ſum. v. hæreticus num. 16,* Angel. *eod. n. n. 22.* Sylveſt. *eodem etiam n num. 10.* Idemque habetur *in cap. excommunicamus 2. eod. tit. & lib.* ut notat Gloſ. *ibi v. deprehenſi,* Oſt. *nu. 2.* Jo. Andr. *n. 3.* Socin. *n. 7.* Delben. *p. 1. dub. 14. corol. n. 8.* & Salel. *lib. 5. cap. 7. n. 213.*

Aliter autem dicendum eſt de defenſoribus, receptatoribus, fautoribus, ſive alias de fide ſuſpectis, niſi ſint hæretici formales, vel credentes hæreticorum. ſuſpiciones enim de hæreſi, etiam vehementes, morte tolluntur, Pegna *d. ſchol. 105. verſ. alterum.* Et ideo de fide ſuſpecti poſt mortem non poſſunt accuſari, aut denunciati, nec contra illos ex tali accuſatione, aut denunciatione procedi. Unde S. Officium non ſolet procedere contra memoriam mortuorum, niſi pro delicto hæreſis formalis. Quod habetur expreſſe *in d. cap. accuſatus cit. §. ſi vero* ibique Monach. *n. 12.* Jo. Andr. *poſt. n. 5.* Franch. *n. 2.* & tradunt Locat. *v. Inquiſitor n. 27.* Simanchas Decianus, Royas, & Gundiſalvus, quos ſequitur Farinac. *d. q. 197. n. 104.* Ludovic. à Param. *de orig. S. Inquiſit. lib. 3. q. 4. num. 84.* Caſtropal. *tr. 4. diſp. 8. pun. 16. §. 4. n. 6.* Carena *p. 2. tit. 19. n. 7. &* Salel. *loc. cit. n. 202.*

Eſt autem explicandum quinam propriè dicantur credentes, ſuntque ii, qui non ſunt ſolum de mala fide ſuſpecti, ſed verè credentes errores, vel errorem aliquem hæreticorum, quales ſunt, qui tanquam veram laudant fidem hæreticorum, aut illam verbo vel facto hæretico profitentur, de quibus Eymer. *p. 2. q. 50.* ac ibi Pegna *com. 75. & q. 56.* ubi etiam Pegna *com. 81. & p. 3. q. 43.* ad quam Pegna *com. 92. & 170.* Caiet. *in ſum. v. excommunicatio n. 45.* Palud. *in 4. diſt. 13. q. 3. concl. 7.* Tabien. *v. excommunicatio 5. n. 12.* aliique ſcribentes in Bullam Cœnæ, ac Suarez *de fide diſp. 24. ſect. 2.* ac cæteri, quos refert Farinac. *q. 182. de hæreſ. n. 104.* & Delbene *p. 1. dub. 14.*

Poteſt pariter procedi poſt mortem contra Apoſtatas à fide ut per Gloſſam *in d. l. Manichaos in v. ſubire C. de haret.* & habetur *ex l. ſiquis defuncto, & in l. apoſtatarum §. 1. & ſeq. C. de apoſtat.* Farinac. *q. 183. n. 40 & d. q. 197. n. 88. de haret.* ut etiam damnetur memoria mortuorum.

Quod verò ad maturitatem temporis, in quo proceden-

cedendum contra hæreticum defunctum, plures illud limitant ad quinquennium, à morte hæretici computandum, Ita enim *ex l. 2. de apoſtat.* tenent ibi Bartoli & Salicet. necnon Gloſ. *in d. l. Manichæos d. v. ſubire C. de hæret.* ubi Salicet. *n. 2.* & Azo *n. 11.* traduntque Tabiena *v. hæreticus n. 11.* Armil. *v. hæreſis n. 9.* Repert. Inquiſ. *v. confiſcatio, & v. defunctus,* Locat. *v. Cadavera nu ner. 5.* Molina *de juſt. tom. 1. diſp. 73.* & Delrius *magic. lib. 3. ſect. 19. in fine*, aliique relati à Farinacio, quos ipſe ſequitur *d. q. 197. n. 112.* quorum aliqui ſcripſerunt ante Bonifacium VIII. qui conſtituit *cap. 2. de præſcript. in 6.* quod huic opinioni adverſatur. Alii verò diſtinguunt inter proceſſum contra defunctum ad effectum damnandi illius memoriam & ad effectum publicandi ejus bona, & inquiunt nullum dari tempus limitatum ad effectum procedendi ad damnandam memoriam defuncti, ad effectum vero publicandi ejus bona, quæ præſcribuntur ſolum ſpatio quadraginta annorum *ex d. cap. 2. de præſcript.* non poſſe poſt quadraginta annos procedi ad ea publicandum. Hanc opinionem ſequuntur Pegna *p. 3. direct. q. 43. com. 92. verſ. hac tamen*, aliique plures, mox citandi.

Plurimi autem quoad publicationem bonorum aiunt, quod ſi bona applicãda ſint Fiſco ſeculari ſpatio quinque annorum ejuſmodi bona præſcribantur, quo tranſacto, non habet amplius locum publicatio. Si verò bona ſint applicanda Fiſco Eccleſiaſtico, requiratur lapſus quadraginta annorum ad illa præſcribendum. Ita Panorm. *in cap. cum nobis n. 8. de præſcript.* ibique Felinus, nec aliter cenſet Gomez *lib. 3. var. cap. 14. nu. 5.* & Royas *ſing. 50* Hæc vero diſtinctio, nullo juris fundamento innixa, diſplicet aliis, inter quos videtur eſſe Farinac *d. q. 197. n. 116.* ubi loquitur contra Baiardum ad Clarum *in §. hæreticis n. 27.* qui male utebatur illa diſtinctione, volens quod poſt quinquennium non poſſit agi ad damnandum hæreticum, poſſe vero bona publicari intra quadraginta annos. Quia ſi poſt quinquennium non poteſt agi ad damnandam memoriam hæretici, nec poterunt publicari bona, cùm bonorum publicatio ſit acceſſoria damnationi memoriæ defuncti hæretici.

Exiſtimat denique Caſtropalaus *d. diſp. 8. pun. 16. §. 4.* quod etiam ſpatio quadraginta annorum præſcribatur actio damnandi memoriam hæretici defuncti adeo, ut poſt quadraginta annos non poſſit contra illum procedi. Quia cum publicatio bonorum ſit acceſſoria damnationi memoriæ, ſi hæc poſſet haberi poſt quadraginta annos, poſſet etiam dari bonorum publicatio.

Tenendum tamen eſt, actionem contra defunctum hæreticum nullo tempore præſcribi, ne quidem per ſe loquendo quoad effectum publicandi bona, niſi in caſu illo ſingulari ac nimis limitato, qui habetur *in d. c. 2. de præſcript.* Exceptio enim caſus ſingularis non tollit regulam, ſed duntaxat illam limitat.

Et quidem Alexander IV. *in d. cap. filii de hæret. in 6.* abſolute loquitur & ſine ulla diſtinctione, aut limitatione ſupponit, quod contra eum, qui ab hæreticis petiit conſolationem per manuum impoſitionem poſſit procedi etiam ad publicationem bonorum, niſi probetur quod ille non eſſet ſanæ mentis, quando conſolationem petiit.

Opponet quiſpiam fortaſſe, ex hoc ſequi, quod etiam poſt quadraginta annos poſſint bona hæretici defuncti publicari. Nam eſto, quod ſequatur ex *d. cap. filii*, poſt tamen Alexandrum IV. qui illam edidit, Bonifacius VIII. excepit caſum illum ſingularem *in d. cap. 2. de præſcript.* expreſſum, quo excepto, voluit habere locum publicationem. Utque autem id manifeſte appareat, notandum eſt, quod quatuor conditiones requirit Bonifacius, ut hæredes hæretici defuncti, qui poſſederunt per quadraginta annos, nequeant moleſtari Prima eſt, quod defunctus hæreticus, dum viveret, non eſſet de hæreſi diffamatus, vel ſuſpectus, ſed tempore, quo obiit, præſumptus fuerit catholicus. Secunda, quod neque filii, neque hæredes poſſidentes ſint in rei veritate hæretici, ſed catholici. Tertia, ut iſti hæredes bona fide poſſideant. Quarta, quod hæc poſſeſſio non interrũpatur, ſed per integros quadraginta annos duret. Quare hæc poſſeſſio ac præſcriptio *ex d. cap. 2. de præſcr.* interrumpitur, ſi intra quadraginta annos detegatur hæreſis defuncti, & non eſt neceſſe, quod ſuper hoc ſit pronunciatum, ſed ſufficit, ſi extrajudicialiter hæredes hæreſim defuncti ſciant. Ex hoc enim deficit in illis bona fides, ac interrumpitur præſcriptio. Ex præſcriptione autem interrupta non infertur præjudicium Fiſco, etiamſi eſſet centum annorum, ut per Zanchin. *de hæret. cap. 40. nu. 1.* ac Repert. Inquiſ. *v. præſcriptio ſed ſupra.*

In illo igitur caſu, in quo poſt quadraginta annos numerando á die mortis hæretici ex Archid. *ibid. n. 2.* & Anchar, *num. 1.* manifeſtum eſt, ſi hæreticus in ſua vita fuerit diffamatus de hæreſi, vel de illa ſuſpectus. poterit enim contingere, quod ille fuerit hæreticus, & poſtea per aliquod tempus vixerit in regione longinqua, ibique vixerit etiam publice hæreticus, & hoc in ejus patria latuerit, vel hæredes ipſi detegantur hæretici, vel conſtet de illorum mala fide, quoad illum ſane textum præſcriptio eſt nulla, & ex eo poteſt procedi ad damnandam memoriam hæretici defuncti, & ad publicandum illius bona, etiam ex delicto ipſius. Per ſe itaque loquendo, & excepto illo ſingulari caſu cum præfatis circumſtantiis, procedi poteſt contra hæreticum defunctum, etiam poſt quadraginta annos ab illius morte.

Hoc ipſum probatur *ex d. cap. accuſatus §. de hæret. in 6.* ubi abſolute decernitur quod poſt hæretici mortem procedi poteſt ad ejus publicationẽ bonorum. Etenim quando lex nova limitat antiquam in caſu particulari, in aliis tamen caſibus remanet in ſuo robore, atque ideo de jure in aliis caſibus, præter illum expreſſum *in d. cap. 2. de præſcript.* procedi poteſt contra defunctum ad publicationem bonorum. In illo autem caſu intra quadraginta annos procedi poteſt, etiam ad bonorum publicationem, & ſolum per tempus quadragenarium integrum poſſeſſor præſcribit bona hæretici occulti, ut per Gloſ. *in d. cap. 2. de præſcript. v. hæretici*, ibique Gemin. *n. 4.* Sylveſt. *v. hæreticus 1. n. 14.* Tabiena *n. 11.* Simanch. *tit. 9. n. 133. de cath. inſtit. & in Enchir. tit. 62. n. 7.* Quemada *q. 16. n. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. & lib. 8. cap. 12. q. 16.* Farinac. *de hæreſ. q. 190. n. 119.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 22. n. 40.* & Delbene *p. 1. dub. 134. ſect. 3. n. 3.*

Ex quibus dicendum eſt, quod actio contra defunctũ hæreticum nullo tẽporis ſpatio præſcribitur, probatur quodq; ad damnandam illius memoriam omni tempore, etiam poſt quadraginta annos, & amplius ab ejus morte, procedi poſſit, ut ex citatis juribus probatur, & docent Pegna *p. 3. in q. 43. com. 92. §. hac tamẽ* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 18. n. 14.* Param. *de orig. Inquiſ. q. 4. n. 83.* Sanch. *loc. cit. n. 41.* Salel *lib. 5. cap. 7. nu. 209. & lib. 4. cap. 1. n. 137.* Soul. *in aph. lib. 2 cap. 50. n. 1.* Diana *p. 4. tr. 7. reſol. 28.* Careñ. *p. 2. tit. 19. §. 8. n. 6. & 16.* Azor. *d. p. 1. lib. 1. cap. 18.* & Graff. *lib. 2. cap. 11. n. 12.*

Non obſtat *l. 2. C. de Apoſtat.* Primo quia illi derogatum fuit per Canonicum; crimen autem hæreſis eſt Eccleſiaſticum, atque adeo judicandum eſt de illo ſecundum leges Eccleſiaſticas. Unde etiam fit, quod in determinando curſu temporis ad præſcribendũ bona hæretici defuncti, ſervandũ eſt tempus quadragenarium, ſtatutum à Bonifacio VIII. *in d. cap. 2. de præſcript.* quia ut dixi, alibiq; probavi, crimen eſt merè Eccleſiaſticum. Nõ ergo intereſt, an bona publicata pertineant ad fiſcum ſecularem, anve ad Eccleſiaſticum, Deinde quia ex lege Eccleſiaſtica bona defuncti publicantur. Hæc autem lex non vult, ea publicari poſt quadraginta annos in illo caſu *d. cap. 2. de præſumpt.* Poſtremo quia bona, quæ publicantur ob crimen hæreſis ex

conceſſione, & executione Eccleſiæ pertinent ad fiſcum ſecularem.

Minus obſtat, quod publicatio bonorum ſit acceſſoria damnationi hæretici, ac memoriæ ipſius. Quia ex hoc recte concluditur, quod non debeat concedi acceſſorium, quod eſt publicatio, niſi conceſſo principali, quod eſt damnatio. Unde valet argumentum: Poſſunt publicari bona: ergo & hæreticus poteſt damnari. Non enim poſſunt publicari bona, niſi damnato hæretico.

Quomodo autem contra defunctum hæreticum procedendum ſit, non eſt arduum diſſerere. Fuit quorundam opinio, quos preſſo nomine referunt Archid. *in d. cap. filii de hæret. in 6. num.* 2. Gemin. *num.* 3. & Franch. *num.* 3. quod non poſſit contra hujuſmodi defunctos procedi ex ſola denunciatione, ſed neceſſarium eſſe, quod accuſator ſe inſcribat, & ad pœnam talionis ſe obliget. Verum id nullo fundamento innititur, neque textus adducitur, ex quo limitetur facultas *S.* Officii procedendi contra hæreticos ad ſolam denunciationem, vel modo alio ſibi licito, ideoque recte Salell. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 200. ait poſſe Inquiſitores, receptis denunciationibus, cauſam inchoare, & ad finem uſque perducere.

Hoc tamen verum quod *S.* Officium non ſolet procedere contra memoriam mortuorum, niſi pro delicto hæreſis formalis, ex decreto S. Congregationis ſub anno 1638. & quod in hac cauſa neceſſariæ ſunt probationes certæ, ac plenæ, immo pleniores, quoniam agitur contra defunctum, qui ſe nequit defendere, ut per Peg. *p.* 3. *com.* 170. Caſtropal. *d. tract.* 4. *disp.* 8. *pun.* 16. *n.* 2. Salel. *lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 202. & 225. Caren. *p.* 2. *tit.* 19. §. 5. *n.* 8. Simanch. *in enchir. tit.* 62. *nu.* 5. & Farinac. *d. q.* 197. *n.* 120. Unde non ſufficit ſuſpicio, ſive quod reus ſolum convincatur de hæreſi ſuſpectus, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 18. *num.* 18. *n.* 12. & 19. Royas *de hæret. p.* 12. *num.* 30. Tabien. *d. v. hæreticus n.* 11. Locat. *d. v. cadavera n.* 1. & *v. filii n.* 13. ſuſpiciones enim, etiam vehementes, morte extinguuntur, ut jam diximus.

Plenè igitur probata hæreſi defuncti, Fiſcalis S. Officii, propoſito Inquiſitori libello, de quo Repert. Inquiſ. *v. libellus*, defunctum de hæreſi accuſat, ac petit, illum damnari ſecundum jura, ut per Pegn. *d. com.* 130. Param. *lib.* 5. *de orig. Inquiſ. rubr. de ord. judic. num* 85. Caren. *d. tit.* 19. §. 5. *num.* 12. & Salel. *d. cap.* 7. *n.* 231.

Deinde hic libellus debet intimari filiis, vel hæredibus, iiſque omnibus, quorum intereſt, ne defuncti memoria damnetur, iſtique omnes citandi ſunt, Anchar. *in d. cap. filii num.* 1. *de hæret.* Pegna *d. com.* 170. Tabien. *d. v. hæreticus numero* 2. Locat. *v. cadavera num.* 2. & 4. & *d. v. filii numero* 14. & 15. Caren. *loc. cit.* Caſtropal. *d. pun.* 16. §. 4. *num.* 7. Salel. *ibid numero* 214 Farinac. *qu.* 199. *numero* 106. ubi ex Deciano *in tract.* IV. *lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 8. ait, citandos iſtos eſſe, etiamſi hæreticus mortuus fuerit contumax, ac etiamſi in hæreticum ante ejus mortem judicium fuerit inchoatum, & perſonaliter ad ſententiam fuerit citatus, ac etiamſi hæredes eſſent abſentes, ac etiamſi hæredes eſſent incerti.

Cenſet tamen Caſtropalaus *loc. alleg.* quod de rigore juris non ſit neceſſaria plena probatio, ſed ſufficiat ſemiplena ad effectum citandi hæredes. Quia dum contra hæreticum viventem proceditur, ad illum citandum, ſufficit ſemiplena probatio. Et quia ſi neceſſario præcedere debet plena probatio, fruſtra hæredes ad ejus defenſionem citantur.

Verum non eſt eadem ratio de citatione rei, ac de citatione hæredum. Ille enim citatur, ut interrogetur de crimine à ſe patrato, & ſic ut habeatur ejus confeſſio ad plenitudinem probationis, ſi illa confeſſio haberi poſſit. Et ita ſi hæredes citandi eſſent, tanquam teſtes, ad probandum delictum, non eſſet neceſſaria plena probatio præcedens. Sed quemadmodum reus ad defenſionem non citatur, niſi terminato proceſſu informativo, & habitis probationibus, quo haberi poſſunt, & ſic poſtea citatur vel ut ſuſpectus, vel ut convictus, vel ut confeſſus, ut ſe defendat; ita etiam in hoc proceſſu, in quo proceditur ad damnandum hæreticum defunctum, habitis plenis probationibus, non debent hæredes citari ad defenſionem, niſi habitis plenis probationibus, ut firmant Simanch. *de cathol. inſtit. tit.* 17. *n.* 12. *ac* 19. & *in enchir. tit.* 62. *rubr. de mortuis num.* 3. Pegna *ſchol.* 161. Carena *d. tit.* 19. *n.* 12. Salel. *d. cap.* 7. *n.* 232. & Farinac. *d. q.* 197. *n.* 120. Non fruſtra citantur hæredes, quia poſſunt excipere contra probationes.

Ii vero, qui habent intereſſe in cauſa hæretici defuncti ſunt ejus filii, vel hæredes præter præjudicium infamiæ, amiſſionis bonorum ac pœnarum quibus ſubduntur filii hæreticorum, ac præterea quod ad defendendum defunctum in cauſa hæreſis admittatur quilibet de populo, tradunt Archid. *in d. cap. filii nu.* 3. Boich. *in d. cap. ſi quis Epiſcopus n.* 8. *de hæret.* Pegna *p.* 3. *com.* 179. Alberic. *in rubr. C. de hæret.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 18. *n.* 15. Carena *p.* 2. *tit.* 19. §. 6. *n.* 13. Caſtropal. *d pun.* 16. §. 4. *nu.* 9. Fumoſ. *ad cap. vergentis de hæret. alleg.* 59. *n.* 43. & & alii, quos ſequitur Farinac. *d. q.* 197. *n.* 108. Nam intereſt Eccleſiæ, ut non damnetur innocens, maxime pro crimine hæreſis, & charitatis urget, ut ſi juſte fieri poſſit, impediantur gravia damna quæ imminent filiis defuncti, ejuſque hæredibus. Debet tamen iſte habere probabiles rationes in cauſæ defenſionem, nec dici poterit defenſor hæretici, qui non defendit errorem, ſed oſtendit, illum à vera fide non deviaſſe. Neque in hac cauſa neceſſe eſt, quod filii, & hæredes ad defenſionem defuncti per ſeipſos compareant, ſed ſufficit, quod inſtituant procuratorem, ut per Farinac. *d. q.* 197. *nu.* 83. & 106. & Caſtropal. *d.* §. 4. *n.* 18.

Ideoque Inquiſitores debent edicto ſancire, quo quivis admittatur ad defendendum defunctum, dato termino triginta, vel quadraginta dierum Caren. *d. n.* 12. Et quamvis Pegna *d. com.* 170. dicat, hujuſmodi edictum, quo citentur generaliter abſentes, ac incerti apponendum eſſe, quando nullis adſunt præſentes, qui nominatim citari poſſint, attamen Carena, & Farinacius modò citati ex Deciano abſolute inquiunt, citandos eſſe per edictum omnes, qui prætendunt defendere defunctum. Quod rationi, eſt conſentaneum, ac neceſſarium, quia non ita facile eſt ſcire, quot, quive ſint illi, qui in cauſa hujuſmodi habent intereſſe immediatè, vel immediate, ac per futuram ſucceſſionem. Immo quod hujuſmodi citationes edictales debeant eſſe tres, & affigi valvis Eccleſiæ, tradit ex Simancha, Farinac. *d. q.* 197. *num.* 108. In hoc tamen ſervanda eſt conſuetudo Inquiſitionis juxta quam expediri debent hujuſmodi citationes. Quod ſi in termino dato nemo compareat, Judices ex Officio deputare debent aliquem Procuratorem, ac defenſorem qui in judicio contradicat, & pro defuncti defenſione alleget, quæ idonea judicaverit, ut per Pegn *ibid.* Farinac. *loc. cit. n.* 8. Carena *d. n.* 12. & Caſtropal. *ubi ſupra n.* 9.

Et propterea hujuſmodi defenſoribus dari debet copia proceſſus. Et quamvis Menoch *conſ.* 133. *vol.* 4 voluerit, quod etiam danda ſint illis nomina denunciatoris, ac teſtium, merito tamen rejicitur à Carena *d. tit.* 19 §. 7. *n.* 13 Quia etiam in cauſa defuncti hæretici gravia præjudicia imminere poſſunt denunciatori, ac teſtibus ob filiorum, aut hæredum potentiam; Et ideo hujuſmodi nomina non eſſe publicanda, & de conſuetudine ſupremi Tribunalis Inquiſitionis Romanæ non publicari dixi alias & teſtantur Pegna *p.* 3. *com.* 124. & Farinac. *q.* 188. *n.* 12.

Ex capitulo autem ſeptimo inſtructionis Toletanæ ſalubriter cautum eſt, ut proceſſus contra defunctum brevi tempore conficiatur, nec ſuperſedendum ſit in cauſa ob defectum probationum, niſi veriſimile ſit, quod intra breve tempus alii teſtes ſuperveniant. Quod etiam annotavit Pegna *d. com.* 170. & *ex eo* Caſtropal. *d. §.* 4. *n.* 10. *&* 14. Eoque magis, quod hoc non cedit in præjudicium fiſci. Nam ſi poſt abſolutum defunctum ſuperveniant novæ probationes, poterit iterum cauſa tractari; cùm in hoc judicio ſententia non tranſeat in judicatum, & priora teſtimonia vim ſuam conſervent, quibus jungi poterunt, quæ ſupervenient ad faciendam plenam probationem. At in hac celeriori vel tardiori expeditione cauſæ defuncti hæretici arbitrium prudentis inquiſitoris judicabit, quid magis expediat. Interim tamen pendente proceſſu quod non poſſint bona à poſſidentibus ſequeſtrari, quia illi non deliquerunt, ac juſte poſſident, ut per Caſtropal. *loc. cit. num.* 12. Poterit tamen Fiſcus eorum inventarium conficere, ac providere, ne alienentur aut diſſipentur in ſui præjudicium, quia poteſt ſuæ indemnitati conſulere. Quod autem defunctus non poſſit perſonaliter citari, niſi ubi extat conſuetudo ſæviendi in cadavera, notat Farinac. *d. quæſt.* 197. *numer.* 102.

Hiſce obſervatis, ſi hæreſis fuerit probata, ferenda eſt ſententia contra defunctum hæreticum ejuſque imagine, vel ſtatua in publicum producta, in qua majoribus characteribus ſit deſcriptum nomen defuncti, cujus memoria damnata eſt, & coram illa, ac ſi defunctus eſſet vivus, legendi ſunt ejus errores, promulganda ſententia, & relaxanda brachio ſeculari, ut comburatur, obſervando formulam, quæ in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. repetitur in quo judicium Joannis Huſſii, & Hieronymi Pragenſis peractum fuit. Advertit tamen Pegna *com.* 43. quod quæ de ſtatua producenda, & comburenda dicta ſunt, nullo jure ſint cauta; jure enim ſolum cavetur, ut defunctus exhumetur, ejuſque oſſa priventur Eccleſiaſtica ſepultura per textum *in cap. quicunque de hæret. in 6.* Nihilominus res hæc eſt valde apta ad defunctorum memoriam damnandam, & timorem incutiendum, ideoque in his, atque aliis, quæ lege definita non ſunt, laudabilis cujuslibet Inquiſitionis conſuetudo ſervanda eſt.

Pœnæ verò quæ feruntur in defunctum hæreticum, ſunt, quod declaratur excommunicatus & infamis, ejuſque cadaver, ſi diſcerni poſſit ab aliis, exhumatur, & ſimul cum ejus ſtatua comburitur, bonaque illius confiſcantur, niſi in caſu illo, excepto à Bonifacio VIII. *in cit. cap. 2. de præſcript. in 6. cujuſque filii* juxta jura inhabiles declaratur. Qua de re Eymer. *in 13. modo fin. proc.* ibique Pegna *com.* 49. Tabiena *v. hæreticus num.* 11. Locat. *v. cadavera num.* 4. Repert. Inquiſ. *v. defunctus.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *ac* 18. Carena *tit.* 19. *numero* 12. aliique plures, quos refert Farinac. *d. q.* 197. *numero* 92. *& ſeqq.* Salell. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 102. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. *§.* 4. *numero* 13. & Sanch. *lib.* 7. *in decal. cap.* 27.

Cùm verò domus defuncti funditus evertitur ejus in area ſal conſpergitur, & columnella ſtatuitur atque erigitur totam rem geſtam indicans. Vide in hanc ſpeciem Zanchin. de *hæret. ca*. 38. ubi Campeg. *& cap.* 40. Repert. Inquiſ. *v. domus*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46. *numero* 88. Pegna *p.* 3. *direct. poſt.* 13. *com* 40. ubi ex Concilio Toletano *an.* 1229. & Bitterenſi *cap.* 35. atque ex Innocentio IV id comprobat, additque nullo jure id cautum eſſe, licet non incommode poſſit ab Inquiſitoribus fieri; debet tamen ab illis opponi in ſententia, ut domus evertatur.

Quod item ſtatua minoris, ſit etiam comburenda, firma Carena *d. tit.* 19. *numero* 12, Si tamen ſit major quatuordecim annis, quia in hac ætate minores abjurare coguntur, & ſi ſint pertinaces traduntur Curiæ ſeculari, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit. de minor. n.* 58.

Atque ex his facilè colligi poteſt, quid agendum ſit de eo, qui dum viveret, inquiſitus de hæreſi moritur, antequam cauſa ſit perfecta. Hujus cauſam proſequi poteſt Inquiſitor, & ſi hæreſis probata fuerit, ejus memoria damnabitur, *cit. cap. accuſatus d. § in eo de hæret. in* 6. Farinac. *d. quæſt.* 197. *nu.* 101. Sabell. *d. cap.* 7. *num.* 218. Caſtropal. *d. §.* 4. *num.* 4. Sive fuerit impœnitens, ſivè negativus, Sabell. *d. num.* 218. Quod plane verum eſt de hæretico relapſo, idem Sabell. *n.* 120.

Si verò de hæreſi inquiſitus ſeipſum intra carceres occiderit, hæreſis probata cenſetur. Præſumitur enim ex conſcientia ſui criminis ſe occidiſſe, ac impœnitentem deceſſiſſe, atque adeo dicitur de hæreſi convictus, ut per Caren. *d. tit.* 19. *num.* 8. Salel. *tit. cap.* 7. *num.* 229. Souſ. *lib.* 2. *aph. cap.* 50. *numero* 4. Caſtropal. *d. §.* 4. *numero* 3. & Farinac. *d. q.* 197. *n.* 90. ubi ex Pegna ſubjicit, quod hujus hæretici ſtatua Curiæ ſeculari tradenda eſt, & comburenda; admittendi tamen ſunt ejus hæredes ad probandum, quod non ex conſcientia criminis hæreſis, ſed ex alia cauſa ſe occiderit.

Tanquam itidem hæreticus damnandus eſt, qui de hæreſi inquiſitus, & contumax, poſtquam per annum perſtiterit excommunicatus, poſtea obiit. Ex hac enim contumacia, & permanſione in excommunicatione hæreticus impœnitens cenſetur juxta *cap. cum contumacia de hæret. in* 6. traditque Clar. *in pr. et. §. hæreſis n.* 21. Decian. *lib.* 5. *cap.* 57. Souſ. *in aph. cap.* 10. *num.* 5. *lib.* 2. Salel. *d. cap.* 7. *num.* 228. Bellam. *dec.* 977. Farinac. *d. q.* 197. *n.* 93. *&* Caſtropal. *ibid. n.* 5. Si tamen hujus inquiſiti hæreſis non fuerit ſufficienter probata, non poterit damnari tanquam hæreticus. Nam ejus hæres dicitur probaſſe ejus innocentiam ex quo hæreſis non fuit probata, ut per Ananiam, Simancham, & Decianum, quos ſequitur Farinac. *d. qu.* 197. *num.* 199. cum quibus *num.* 100. ait, quod in hujusmodi inquiſitus, inveniatur ut ſuſpectus, damnabitur uti ſuſpectus. Quod per ſequuntur Caren. *d. tit.* 19. *n.* 9. *& ſeq.* & Salel. *d. cap.* 7. *numer.* 203. *&* 235. ubi quod Inquiſitor hunc abſolvet ab excommunicatione, ut poſſit ſepeliri in loco ſacro. Et quod in hoc caſu Inquiſitor ne quidem poſſit hunc reum punire pœna pecuniaria inquit ex Roya Farinac. *d. nu.* 100. cui ſubſcribit Carena *d. tit.* 19. *n.* 10.

Advertendum inſuper eſt, quod proceſſus, qui formatur poſt mortem hæretici, non debet dirigi contra mortuum, ſed contra illius memoriam, ut per Locat. *poſt Judic. Inquiſ. q.* 3. Pegn. *p.* 3. *Schol.* 56. & Farinac. *d. q.* 197. *n.* 122. Forma ſententiæ extat apud Repert. Inquiſ. *v. ſententia*, *Zanchin. cap.* 41. *n.* 3. Bajard *ad Clar. d. §. hæreſis n.* 53. Pegn. *p.* 3. *ſchol.* 56. & Farinac. *d. q.* 197. *n.* 123.

Ac demum eſt obſervandum, quod defuncti memoria, qui in morte dedit ſigna pœnitentiæ damnari non poteſt. Ideoque ſi in articulo mortis ſigna contritionis exhibuit, & judicialiter ob temporis anguſtiam abſolvi non potuit, non debet ejus memoria damnari, ſed abſolvi, ut per Pegn. *p.* 2. *com.* 25. *ex* Concilio Taraconenſi, Repert. Inquiſ. *v. Reconciliatio*, Locat. *v. cadavera n.* 1. *& v. filii n.* 13. & *v. Inquiſitor n.* 25. Caſtropal. *d. §.* 4. *n.* 15. & Farinac. *q.* 193. *n.* 20. *&* 21. alioſque apud ipſum. Quod colligitur per argumentum à contrario ſenſu ex *cit. cap. filii de hæret. in* 6.

Contra igitur memoriam in S. Officio inquiſiti, vel relapſi ita proceditur. Citantur ejus conſanguinei, & proximiores, qui ſi proteſtentur nolle illum defendere, deputantur tres, vel quatuor defenſores. Deinde

cadaver

cadaver exhumatum unà cùm ejus ſtatua, & libris, ſi quos ſcripſerit, traditur Curiæ ſeculari comburendum, citatis tamen prius defenſoribus deputatis.

Imagines porrò condemnatorum ob crimen læſæ Majeſtatis humanæ retineri prohibentur *l. eorum ff. de pœn.* Ergo multò magis hæreticorum condemnatorum.

CONSULTATIO CLVII.

Qualis defenſio Hæretico defuncto competat, quinam, & quomodo ut ea citandi ſint & Parerga aliquot de hæreticorum defenſione.

IN hac re diſtinguendum eſt inter jus & factum. Jus habet, quod ſit hæreticus, & ut talis puniendus quicunque verbo, vel facto aſſeruerit tanquam verum id, quod eſt contrarium veritati fidei catholicæ, ab Eccleſia decretæ. Factum autem eſt, quod quis verè id aſſeruerit. Unde, quod aliquis non ſit puniendus, ut hæreticus ex duplici capite poteſt probari. Vel quia illius aſſertio non ſit hæretica, etiamſi opponatur veritati, ab Eccleſia propoſitæ, ut de fide credendæ. Ex hac autem parte nulla hæredibus defuncti competit defenſio, immo illi ex hoc eſſent autores hæreſis, immo hæretici, ſi vellent, quòd non ſit hæreſis punienda ſentire oppoſitum veritati, quæ omnibus, ut firma fide credenda, proponitur ab Eccleſia, quamvis ubi res ſit adhuc dubia, & nondum declarata ab Eccleſia, non ſit hæreſis tenere ac defendere eam partem, quæ ſibi videtur verior ſalva ſemper Eccleſiæ declaratione.

Ex altero igitur capite, ſcilicet in facto poteſt defendi defunctus, vel negando & probando, quod ille non aſſeruerit, quod illi imponitur neque eſt contra fidem; vel quia cùm illud aſſeruit, non erat ſanæ mentis, ideoque libere non conſentit in errorem contra fidem.

Quomodo autem filii, vel hæredes defunctum de certa hæreſi inquiſitum defendere poſſint, oſtenditur *in cap. filii de hæret. in 6.* Ex eo enim pro certo, ſumitur factum verè ac ſine ulla dubitatione hæreticum, quale eſt infirmum ab hæreticis petere conſolationem per eorum manuum impoſitionem. Ex quo elicitur hæc regula. *Si* defunctus fuerit vita diffamatus, vel ſuſpectus, aut legitimè conſtiterit, quod ille ſanæ mentis exiſtens, hujusmodi hæreticos petierit, ejus filii, vel hæredes non ſunt admittendi ad probandum, quod defunctus non fuerit ſanæ mentis vel quod habuerit memoriam perturbatam, alias dicti filii, vel hæredes admittantur ad id probandum ſed non per uxores, filios, familiares, vel è ſuis aliquos, ſed per teſtes alios, fide dignos, & ſpecialiter fidei catholicæ zelatores

Pro non dubio etiam ſumitur *in d. cap. filii,* factum eſſe ex parte Fiſci probatum, ſcilicet, quòd defunctus hanc conſolationem petierit ab hæreticis, dubium verò eſſe, an ille eſſet ſanæ mentis, cum illam petierit. Unde Pontifex ſolum decernit, quando filii, vel hæredes ad hoc probandum admitti debeant. Si ergo filii, vel hæredes negent ſubſtantiam facti, & velint probare defunctum hanc conſolationem non poſtulaſſe, utique id probare poſſunt. Regulariter enim tam reus, quam actor admittuntur ad probandum, &, fundata intentione actoris, licet reo peremptoria probare ita, ut ſi actor unum poſuit, & probavit poſſit reus contrarium ponere ac probare per Gloſ. *in d. cap. filii in 2. præſup.* & ibi Gemin. *n.* 11. & Anchar. *n.* 3.

Quare eſto, quod per fiſcum ſit probatum, quod infirmus petierit conſolationem ab hæreticis, ſi tamen filii, vel hæredes velint probare contrarium, admitti debent. Neque id adverſatur *d. cap. filii* Quia Pontifex ibi non loquitur de probatione facti ſecundum ſubſtantiam, ſed ſumit pro certa & non controverſa ſubſtantiam actus, ſolumque ſtatuit de qualitate ſanæ mentis, & vult, quod in caſibus ibi expreſſis non debeant filii admitti ad probandam non ſanitatem mentis. Unde ad excludendam probationem non ſanæ mentis Pontifex non ſolum requirit quod factum ſit probatum, & non controverſum, ſed etiam alteram ex hisce tribus conditionibus. Vel quod infirmus eſſet diffamatus de hæreſi, nempe diffamatione proprie dicta, quæ fit ex infamia publica, nec rumor ad hoc ſufficit, ut per Archid. *in d. cap. filii n.* 7. Gemin *nu.* 7. *&* Farinac. *de hæreſ. q.* 182. *nu.* 112. Vel quod infirmus eſſet tunc ſuſpectus de hæreſi, ad quam ſuſpicionem probandam in hunc effectum ſufficiunt leviores ſuſpiciones, quàm eſſent neceſſariæ ad condemnandum, ut etiam advertunt Archid. *n* 7. Gemin. *n.* 8. & Farin. *d. n.* 112.

Quod autem ad utramque conditionem notandum eſt, quod hæreſis, de qua infirmus ad ſpeciem caſus *d. cap. filii,* debet eſſe infamatus, vel ſuſpectus, debet eſſe hæreſis Catharorum, vel ſimilium hæreticorum admittentium conſolationem per manuũ impoſitionem. Nam ſi infirmus eſſet diffamatus, vel ſuſpectus de hæreſi, talem ſuperſtitionem non admittente, potius ex hac diffamatione, aut ſuſpicione orietur præſumptio contraria. An autem ad hunc effectũ excludendæ probationis ſufficiat ſuſpicio levis, ſcilicet quæ ſit ex facto inducente ſolum levem ſuſpicionem, nego. Durum enim videtur aſſerere quod ex ſola levi ſuſpicione induci poſſit tanta & talis præſumptio, quæ dicenda ſit præſumptio juris ac de jure, contra quam admitti non debeat probatio. Quod ſi ex citatis Autoribus non ſufficit rumor, ſed neceſſaria eſt diffamatio, nec quidem erit ſufficiens quælibet ſuſpicio, ſed erit neceſſaria talis, quæ æquipolleat diffamationi.

Tertia verò conditio eſt, quod ſana mens ſit legitime probata. Cenſetur autem legitime probata, ſi ſit probata ex claris probationibus, vel ex legitimis inditiis, ut per Gemin. *loc. cit. n* 9. & Farinac. *d. n.* 112. Eodem namque modo debet eſſe probata diffamatio, vel ſuſpicio hæreſis, quia non poteſt dici, quod in judicio quiſpiam ſit diffamatus, vel ſuſpectus, niſi id fuerit in judicio probatum.

Porrò cùm non ſanam mentem, vel furorem probare ſpectet ad eum, qui id allegat, ut per Archid. *ibid, n.* 10. & Franch. *n.* 3. quia non ſana mens, non præſumitur, niſi probetur, cùm hæc ſit qualitas, quæ raro in homine reperitur, ideo, quamvis ſemel furioſus, ſemper præſumatur furioſus, niſi oppoſitum probetur, ut ait Archid. *n.* 5. tamen probandum erit, quod ſemel fuerit furioſus. Maxime, quia multi ſunt, qui ut evadant pœnas, furorem ſimulant. Quando igitur non ſolum adeſt præſumptio generalis ſanæ mentis, ſed etiam mentis ſanitas legitime eſt probata, meritò Pontifex voluit ex hac probatione oriri præſumptionem juris ac de jure, contra quam non admittitur probatio, ut dicitur *in d. cap. filii,* ac ibi docent Gloſſ. *v. legitime,* Archid. *n.* 9. Anchar. *d. n.* 3. Franch. *n. item* 3. Gemin. *in ſum.* Sylveſt. *v. hæreſis* 2. *n.* 16. Repert. Inquiſ. *v. defunctus,* Gundiſalv. *de hæret. q.* 22. *n.* 9. Eymer. *p.* 3. *qu.* 43. *& q.* 121. ibique Pegna *ſub initio,* & Farinac. *de hæreſ. d. q.* 182. *n.* 112.

Et nihilominus, licet non admittatur in hoc caſu directa probatio in contrarium non ſanæ mentis, admitti tamen debet probatio indirecta, quæ tendit ad infirmandam probationem ſanæ mentis, probando illam eſſe corruptam, vel falſam, aut non concludentem, ſive non legitimam, ut per Jo. Andr. *in d. cap. filii, d. v.* legitime, Anchar. *n.* 3. Gemin. *n.* 9. *& ſeq.* Franch. *nu.* 1. Repert. Inquiſ. *v. probationes,* Gundiſalv. *d. q.* 22. *n.* 10. Decian. *tr. cr. lib.* 5. *cap.* 57. *n.* 91. Farinac. *d. q.* 182. *n.* 114. *& q.* 187. *n.* 50. Pegn. *in* 2. *p. direct. q.* 55. *com.* 80.

Cæterum ipſe arbitror, quod factum de eo, qui hæreticalem conſolationem petiit, ſit *in d. c. filii de hæret. in* 6.

exempli

exempli cauſa appoſitum, atque iccirco idem dicendum ſit de quocunque alio facto, aur dicto hæretico certo, & non æquivoco, vel ambiguo. Formalis quippe deciſio ac principalis intentio Legiſlatoris fuit, ut exceptio non ſanæ mentis allata ad defenſionem defuncti, ubi conſtat de dicto, vel facto hæretico non debeat admitti in illis tribus caſibus, ſcilicet ſi defunctus, dum vivebar, fuit diffamatus de hæreſi illa, vel ſuſpectus, vel cum fuiſſe ſanæ mentis, legitime probatum fuerit. Semper tamen adverti debet, quod regula *dict. cap. filii* non procedit de ſubſtantia actus, ſed de qualitate non ſanæ mentis, admiſſo, quod alias ſine controverſia conſtet de facto hæretico. Quo admiſſo, regula extenditur ad aliam ſimilem qualitatem, ut ſi allegetur, quod defunctus non ex animo, neque ex mala credulitate ſed ſolum extrinſecus hæreticum factum commiſit. Nam probato, quod defunctus fuit de illa hæreſi diffamatus, aut ſuſpectus, aut quoad fieri poteſt, probata mala intentione illius, quia probarum fuit, quod nec timor, neque alia ſimilis cauſa ad fuerit, ob quam defunctus motus fuerit ad exremum actum hæreticum non ex mala & hæretica intentione deveniſſe, tunc mala intentione violen et præſumitur, & contra violentiam præſumptionem non admittitur probatio, Eymer. *p.* 2. *q.* 55. ibique Pegna *com.* 80. ubi notat, quod violenta præſumptio ex dicto, vel facto contra fidem oritur, quando dictum, vel factum eſt judicium indubitatum, quod ad illud trahi nequit, quam ad errorem, quem indicat factum, vel dictum hæreticum.

Eſt inſuper advertendum, quod in his longè alia eſt ratio de hæretico vivo, qui multis modis poteſt ſe defendere, ac per torturam poteſt ſuſpicionem pravæ intentionis, vel aliam malam qualitatem tollere, vel ſaltem valdè minuere, ut non ſit locus pœnæ ordinariæ & rigori juris, ac de hæretico defuncto, qui nequit ſe defendere, præcipuè ex eo quod non poſſunt ejus defenſores admitti ad probandum. Quare ad effectum non admittendi probationem non malæ qualitatis neceſſe eſt, quod factum hæreticum ſit certum, & quod ubi non conſtat in judicio, quod defunctus fuerit diffamatus, vel vehementer ſuſpectus de illa hæreſi, quam factum hæreticum indicat, ſi Fiſcus velit excludere defenſores à probatione directa non malæ qualitatis non ſanæ mentis, vel non malæ intentionis, non ſufficit, quòd ſit probatum factum hæreticum; ſed neceſſe eſt, quòd probatio facta per qualitatem probaverit, nempè ſanam mentem, vel quod non adſit aliquod ſignum exterius, ex quo bona intentio colligi poſſit.

In his ergo caſibus Alexander IV. ſummus Pontifex *in d. cap. filii* noluit filios, vel hæredes admitti ad probandum directè, quod defunctus non eſſet ſanæ mentis, ex quo tamen non excluſit illos à probatione indirecta, per quam auferatur plena probatio facta per Fiſcum vel excipiendo, & objiciendo defectum juriſdictionis in Judice, vel probando negativam coarctatam ex parte defuncti, ſcilicet probando quod tēpore, quo dicitur commiſſum fuiſſe ab eo factum hæreticale in aliquo loco, ille erat in loco valdè ab eo remoto, vel probando negativam coarctatum ex parte teſtium, quod eo die, quo deponuntur commiſſum fuiſſe factū hæreticale à defuncto in tali loco, ipſe exiſtebant in loco valde longinquo. Vel probando actus veræ Religionis in defuncto, contrarios crimini ipſi adſcripto vel repellendo teſtes, & excipiendo contra illorum dicta & perſonas, vel alias. Et pariter excipi poteſt contra probationes, quibus Fiſcus prætendit probatum eſſe, quod defunctus fuerit de hæreſi diffamatus, vel ſuſpectus, de quibus, atque aliis hujusmodi Calr. *in pr.* 52. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. Cantera *in qq. crim de reo q.* 12. *n.* 2. Maſin. *in prax. p.* 5. Caren. *p.* 3. *tit.* 9. §. 3. *&* 4. Salel. *lib.* 4. *ca*. 1. *regul.* 338. *&* 405. *ſuo loco*

Immo ſi defunctus accuſatus fuiſſet de delicto, relinquente poſt ſe veſtigium, ut de fractione imaginis crucifixi in tali Eccleſia exiſtentis, poſſet falſitas accuſationis, & probationis probari per evidentiam facti, oſtendendo imaginem non eſſe neq; fuiſſe aliquando fractam, quia reperitur integra, & intacta. Quamvis difficile ſit hoc poſſe contingere, niſi apud Judicem imperitum, qui confecit proceſſum, non viſo prius & non probato corpore delicti.

Si itaque ex hujusmodi defenſionibus probetur innocentia defuncti, vel certe minuatur vis probationum Fiſci ita, ut ex illis non, reſultet plena probatio, defunctus non poteſt damnari, ſed debet abſolvi, quia ex ſola ſuſpicione, aut non plena probatione defunctus damnari nequit.

Similiter ſi non fuerit plene probatum, quod defunctus, dum petiit conſolationem ab hæretico, aut aliud factum hæreticum commiſit, erat ſanæ mentis, nec tanqoam hæreticus, nec tanquam ſuſpectus poteſt damnari. Quia hæreſis eſt voluntarius ac liber error contra fidem. Non eſt autem voluntarium, aut liberum ubi homo non eſt ſanæ mentis, & ſui compos, ut cum D. Thoma *p.* 2. *q.* 6. *ar.* tradunt Doctores, & Gloſſa *in d. cap filii, v. ſine* Archid. *nu.* 4. Gemin. *n.* 9. Eymer. *p.* 3. *q.* 121. ubi Pegna *ſchol.* 161. Farinac. *q.* 189. *n.* 11. Carena *p.* 2. *tit.* 4. *n.* 85.

Cenſetur autem non ſanæ mentis, non ſolum phreneticus, aut furioſus, ſed etjam ille, qui habet memoriam inordinatam, ac indiſpoſitam, ut per Gemin. *in d. cap. filii n.* 2 & Franch *n.* 1. Immo ex verbis illis ejusdem *cap. perditam jam loquelam*, colligitur, non eſſe certum, quod infirmus, qui jam perdidit loquelam, ſit ſanæ mentis, & ideo ex particularibus conjecturis probandum erit à Fiſco, quod infirmus, qui petiit conſolationem ab hæreticis, poſtquam amiſerat loquelam, eſſet ſanæ mentis, ac perfecti judicii, ad hoc ut filii ac hæredes non poſſint directè probare, quod defunctus non erat ſanæ mentis.

In ſecunda vero parte regulæ, ſuperius traditæ Pontifex extra præfatos tres caſus, admittens filios & hæredes ad probandum directe, quod defunctus non eſſet ſanæ mentis, vult, quod ad hoc probandum legitimi teſtes eſſe non poſſint defuncti uxor, filii, familiares, vel ſui, ſed quod aliundè adducantur teſtes fide digni, & fidei orthodoxæ zelatores. Quod etiam decrevit idem Alexander IV. in conſtitutione, quæ incipit *ex parte* apud Pegnam, & docent gloſſa *in d. cap. filii*, Archid *n.* 13. Jo. Andr. *n.* 1. *&* 2. Gemin. *n.* 3. Franch. *n* 2. Eymer. *p.* 3. *d. q* 121, ibique Pegna *q.* 70. *com.* 119. *&* 170. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 17. *n.* 56. Sylveſt. *v. hæreticus* 2. *n.* 16. *locat. v. uxor. nu.* 4. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 37. Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 857. *n.* 24. Farinac. *q.* 188. *nu.* 149. Carena *p.* 3. *tit.* 5. §. 3. *num.* 71. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp* 8. *pun.* 16. Salel. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 53.

Probari igitur poteſt, defunctum, quando aliquid fecit, non fuiſſe ſanæ mentis. Licet enim hæc ſit negativa, eſt tamen negativa qualitatis; quæ probari poteſt, ut per Archid. *ibid. numer.* 10. Anchar. *numer.* 2. & Gemin. *num.* 3. In hac tamen defenſione teſtes eſſe non poſſunt uxor, neque filii, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive legitimi, ſive illegitimi, & ſive ſint filii defuncti, ſive filiorum per lineam rectam uſque in infinitum. Quod eſt rationi conſonum, quia cauſa patris defuncti eſt eorum cauſa. Habent enim in illa, ut alibi diximus, intereſſe, tum ratione infamiæ, quæ in alias redundat, tum ratione pœnarum quæ ad illos extenduntur. tum ratione bonorum quibus privantur, ſi patris memoria damnetur.

Familiares verò alicujus dicuntur illi, qui intra domum illius deſerviunt, ac ſunt illius domeſtici commenſales, ut alibi diximus, ubi ad hoc conditiones neceſſariæ, Rota *deciſ.* 584. *p.* 1. *rec.*

Non

Non ſufficit autem ſi abſens inſerviat, ut dixit Rota coram Gregorio XV, *dec.* 166. ad quam Beltramus. Cenſetur verò ſervire præſens ille, qui licet dormiat extra domum, tempore tamen ſui ſervitii præſens eſt, Iſti enim dicuntur eſſe de familia, quæ nobilium familia comprehendit etiam inſervientes perſonis dominorum. Et proculdubio de hiſce familiaribus loquitur *d. cap. filii*, qui etiam in domo vivunt, tanquam ſub obedientia domini, ac ſub ejus poteſtate ſunt. Et de hujuſmodi familiaribus loquitur Concilium Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 11. *de reform.*

Inter familiares, etiam mercenarios domeſticos ponit Archid. *in d. cap. filii nu.* 12. & Farinac. *d. qu.* 188. *nu.* 149. Sed ſumunt mercenarium pro famulo commenſali, ut ſicque ii, qui ex mercede deſerviunt, ut artifices non ſunt familiares, atque adeo non prohibentur eſſe teſtes ad defenſionem defuncti. Exiſtimat tamen Pegna, quod famulus cenſendus ſit familiaris, etiamſi gratis inſerviat. Sed ſi famulus inſervit ſub pacto expenſatum, non inſervit gratis, licet inſerviat ſine alio ſalario, quia pro ſervitute percipit victum, & veſtitum. At ſi omnino gratis inſervit, non poteſt dici familiaris, quia, ut habetur *ex cap. ſicut vobis de verb. ſignif.* & ex Concilio Trid. *loc. cit.* unum ex ſubſtantialibus requiſitis ad familiaritatem eſt continua commenſalitas. Qui autem inſervit gratis non habet intereſſe in cauſa defuncti, quia non poteſt timere, quod ſi publicentur bona defuncti, ſibi deficiat merces ſervitutis, quia ſervit ſine mercede. Et ideo Specul. *tit. de teſte* §. 1. hunc famulum gratis ſervientem, inter familiares noluit numerare.

Colonum etiam inter familiares, ſive inter illos, qui admitti non debent in hac cauſa, recenſet Pegna *Com.* 119. Et quidem ſi defunctus inquiſitus fuiſſet cultor agrorum & aluiſſet plures famulos pro ſervitio domus & pro agrorum cultura, tunc hic colonus, qui ſimul fuit famulus defuncti, dicendus eſſet familiaris illius. At mercenarii, qui ad tempus conducuntur pro colendo agro, vel quibus dantur agri colendi pro certa mercede, ſunt mercenarii externi, nec ſunt de familia, neque propriæ ſunt familiares, cum neque intra domum domino inſerviant, neque ſint ejus perpetui commenſales.

Domeſtici verò non diſtinguuntur à filiis, & famulis. Undè rectè Pegna *d. com* 119. ait, quod domeſtici dicuntur omnes illi, quibus ratione poteſtatis poteſt imperari, quales ſunt qui in domo noſtra habitant, nobis ſervientes Sicque domeſticus eſt nomen commune omnibus de familia, comprehendens uxorem, filios, famulos, & quoſcunque, qui in domo ſunt ſub patria poteſtate, vel maritali, vel dominica. Et ideo *d. cap. filii*, ut clarius procederet domeſticos non nominat, quia nomen domeſtici eſt generale, ſed ſpeciatim nominat uxorem, filios, & familiares.

Sub verbis autem illis, *vel de ſuis aliquos*, quæ leguntur *in d. cap. filii*, comprehenduntur conſanguinei, Nam in communi ſermone conſanguinei dicuntur eſſe de ſuis, reſpectu ſcilicet illius cujus ſunt conſanguinei, & ita, quod ad defenſionem in cauſa fidei non debeant admitti conſanguinei probat Pegna *d. com.* 119. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *nu.* 81. & in Enchir. *tit.* 35. *nu.* 24. Farinac. *d. q.* 188. *num.* 149. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 15. *num.* 1, Carena *p.* 3. *tit.* 5. §. 3. *nu.* 21. Salel. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *nu.* 53. Nam & iſti habent intereſſe in abſolutione hæretici defuncti, ſaltem quod ad evitandam infamiam, vel dedecus familiæ, quod conſequerentur ex damnata memoria defuncti, Immo Salelles *d. n.* 53. ex eadem ratione id extendit ad affines. Quod tamen intelligo cum Carena, *ubi ſupra num.* 18. durante affinitate, non autem ea diſſoluta per mortem mariti vel uxoris.

Nullum verò eſt verbum *in d. cap. filii*, ſub quo in proprietate ſermonis comprehendantur amici, & ideo iſti ex vi *d. cap. filii* non prohibentur eſſe teſtes ad defenſionem hæretici defuncti, niſi aliundè ex aliqua circumſtantia rejici debeant. Nam poteſt eſſe, quod ſint de eadem hæreſi ſuſpecti.

Limitatur tamen diſpoſitio dicti *cap filii de heret. in* 6. Primo, ut non procedat in familiari præterito, qui jam receſſit a ſervitio antequam examinetur in teſtem, niſi hoc factum eſſet in fraudem, quæ præſumitur, ſi ſtatim poſt examen iterum ille ad ſervitutem, reciperetur. Secundo quando veritas pro innocentia rei aliundè haberi non poſſet, ut per Simanch. *de cath. inſtit. d. tit.* 19. *num.* 21. quem referunt, & non rejiciunt Farinac. *d. q.* 197. *num.* 150. & *q.* 54. *de teſtib. nu.* 118. & *q* 55. *nu.* 73. Salel. *d. cap.* 2. *n.* 56. & Caſtropal. *d. tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 15. §. 2. *nu.* 9. Tertio domeſtici & familiares admittuntur in hoc caſu in teſtes, ſi ſint perſonæ admodum dignæ, ac ſpectatæ probitatis, ut per Pegnam *d. com.* 119. Maſcard. *ibid. concl.* 857. *nu.* 18. Præcipuè, ſi, ut inquit Farinac. *d. qu.* 197. *nu.* 151. cum hoc teſte domeſtico conveniret alius teſtis omni exceptione major, aut concurrerent aliqua indicia innocentiæ.

Non obſtat textus *in cap. in fidei favorem eod. tit. in* 6. in quo in fidei favorem conceditur admitti in cauſa fidei teſtes inhabiles. Nam hic favor conſiſtit, ut tales adhiberi poſſint, etiamſi adſint teſtes habiles At *in d cap. filii* dicitur, quod ad defenſionem admittantur ſolum in ſubſidium.

Minus obſtat *d. cap. filii.* Nam ejus mens eſt, quod non admittantur, ut reprobatorii teſtium Fiſci, quia teſtes reprobatorii debent eſſe omni exceptione majores, *cap.* 1. ibique Gloſ. *v. Stephanus Papa de except.* *Specul. tit. de teſtib. reprobat. in princ.* & *n.* 3. Boer. *dec.* 40. ac Rota *dec.* 22. *de reſcript. in antiq.* Quodque non adhibeantur, niſi ex neceſſitate. Atque ita pro hac ſententia referuntur etiam Gabr. *lib.* 7. *concluſ.* 22. *num.* 7. Camprg *de teſtib. reg.* 5. *fall.* 9. Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 658. *n.* 27. & *ſeq.*

Advertendum denique eſt, quod hactenus dicta in hac conſultatione non adverſantur iis, quæ alibi à nobis dicta ſunt. Nam ibi diximus, non ſolum filios ſed etiam quemlibet admittendum eſſe ad defenſionem cauſæ defuncti inquiſiti de hæreſi, hic verò ab hac defenſione arceri videntur etiam filii. At nulla eſt contrarietas; ſolum enim in hac conſultatione modus defenſionis eſt traditus, & in aliquibus caſibus ſolum prohibiti ſunt filii directè probare, quod defunctus non fuerit ſanæ mentis, non negata defenſione, & facultate, quæ per indirectas probationes haberi poteſt. In aliis verò caſibus, admiſſa defenſione prohibetur, ne defunctum probetur non fuiſſe ſanæ mentis per teſtes domeſticos, & familiares. Ideo *in d. cap. filii* non eſt prohibita omnis ſpecies defenſionis inquiſiti de hæreſi, & propterea quod diſpoſita in hac ſpeciali defenſione, & ex peculiari ratione adducta *in dict. cap. filii*, non debeant extendi ad alias defenſiones; tradit Farinac. *d. qu.* 197. *numero* 111. ex Deciano *lib.* 5. *cap.* 27. *numero* 18. quos ſequitur Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 16. *num.* 8. ſicque etiam, quod *d. cap. filii* ſpeciale jus continent, inquiunt etiam ibi Archid. *numero* 13. Gemin. *numero* 3. & 4. & Franch. *numero* 2.

Parerga. Reis S. Officii non permittitur, ut ſuas defenſiones faciant extra carceres. 9. Julii 1612. Fuit tamen permiſſum cuidam Neapolitano illas faciendi extra carceres, quamvis cauſa eſſet gravis, & fuit habilitatus à carceribus S Officii Urbis.

Carcerati S. Officii debent in carceribus ſecretis defenſiones facere.

Reis S. Officii non eſt danda copia proceſſus offenſivi, niſi facta per ipſos obligatione de illa reſtituenda poſt expeditionem cauſæ.

Cauſæ

Copiam proceſſus non ſolvunt Notario Rei S. Officii, ſi illa mittitur ad Urbem juſſu S. Congregationis, ſecus verò ſimittatur, inſtante ipſo reo.

Copiam ſcripturarum, proceſſuum, ſententiarum & aliarum rerum, non ſolet regulariter S. Officium concedere, & alteri dare. Poterit tamen dari copia ſententiæ, non autem proceſſus, nepotibus hæretici, ut illa ſe in lite juvare poſſent.

Et copia ſententiæ latæ contra patrem poterit concedi filio.

Copia item ſcripturarum exiſtentium in S. Officio poterit etiam dari ad probandum Titium prætenſum maritum habere uxorem ſuperſtitem. Poterit quoque dari pro recuperatione bonorum ſub fideicommiſſo.

Copia ſententiæ traditi Curiæ ſeculari dari poterit illius hæredibus.

Sæpius deneganda, quemadmodum deneganda pars proceſſus fabricati in S. Officio.

Datur aliquando fides, ſive atteſtatio, continens vel quod quis maneat ſub proteſtatione S. Officii; vel quod non ſit detentus ob cauſam fidei; vel quod nihil ſit in S. Officio, quominus poſſit obtinere beneficia & dignitates eccleſiaſticas; vel quod nihil ſit ibi deductum, quod eum impediat a muneribus, & honoribus ſuæ Religionis, ſi is fuerit religioſus. Datur etiam decretum authenticum, quo declaratur, S. Congregationem cenſuiſſe aliquem detentum in S. Officio eſſe abſolvendum, uti repertum non culpabilem, ideoque libere dimittendum.

Carceratus S. Officii petens poſſe ſuum proceſſum communicari ſuo fratri, qui ei auxilium præbere poterat in ſcribendis copiis proceſſus, nihil obtinet. Eſt enim contra ſtylum S. Officii 3. Decembris 1604.

Carcerati S. Officii, donec ſunt in defenſionibus non loquuntur cum aliquo, neque ſcribunt abſque licentia 7. Junii 1567.

Commendationes quarumcunque perſonarum cujuſvis dignitatis, & præeminentiæ ſint, etiam per litteras, ſcienter Cardinales generales Inquiſitores, Conſultores, Officiales quicunque, etiam Inquiſitores, recipere non poſſunt pro hæreticis.

Decretum prohibens commendationes reorum, eorumque cauſarum non comprehendit eorum Advocatos, protectores, & procuratores. Illorum commendationes qui voce ac ſcripto inſtant pro expeditione non ſunt comprehenſæ in prædicto decreto.

Neque commendationes parentum, & amicorum, nullum præjudicium cauſis inferentes.

Miniſtri S. Officii hujuſmodi commendationes recipientes, à quibus rei poſſunt conſequi auxilium & favorem in ſuis cauſis, ſubjiciuntur cenſuris.

Eas tamen audire non eſt prohibitum Inquiſitoribus, ſed tenentur poſtea illas publicare, quando proponuntur cauſæ reorum, vel ſaltem certiorem reddere S. Congregationem, quando ad illam tranſmittuntur proceſſus rei commendati. Quare poſſunt illas recipere, & ſic receptas tranſmittere Aſſeſſori S. Officii, referendas in fine cauſæ

CONSULTATIO CLVIII.

An qui ſponte ſeipſum interficit ob laudem Dei, cenſendus ſit formaliter hæreticus?

HAc in re generalis regula eſt, neminem poſſe ullo caſu mortem ſponte ſubire, nec ullam circumſtantiam dari, quæ necem propriam valeat licitam efficere, ſicut ex verbis D. Auguſtini *lib. 1. de civit. Dei cap. 20. & cap. 26.* relatis *in can. ut non liceat* 9. ac D. Hieronymi ut Jonam Prophetam, *cap. 1. prope finem in can. non eſt noſtrum* 11. *qu.* 1. tradit omnino videndus Balthaſar Gomez de poteſtate in ſeipſum *lib. 1. cap. 8. num.* 1. ubi & *cap. ſeq.* reſpondet ſingulis exemplis, quæ adduci poſſunt, tum ex veteri, tum ex novo teſtamento, atque ex hiſtoriis profanis, quod etiam poſt D. Thomam 2. 2. *qu* 64. *ar.* 5. docent omnes Theologi, & tradunt Covar. *var. lib. 1. cap. 2. nu. 8. & 9.* Sot. *de juſt. & jur. lib. 5. qu. 1. ar. 5.* Samanch. de *cathol. inſtit. tit. 18. nu. 29.* Rationes vide apud ipſos,

Quæ regula ampliatur primo, ut neque liceat ſe certo mortis periculo exponere per actus poſitivos, qui directu tendant ad mortem certam, ac illam neceſſariò inferant ex propria natura, puta ſe præcipitare ex alto adeo, ut ceſſet omnis ſpes necem evadendi, Covar. *d. nu.* 6. Sot. *d. qu. 1. ar. 6. ad* 2. Aragon. *a. 2. 2. qu. 64. ar. 5. ad* 3. ibique Bannes *dub. 1. ad* 2. & Salon. *contr. 1. ad 5. ac q. 69. ar. 4. contr. ult. concl.* 1. Valentia tom. ... *diſp. 5. q. 8. pun. 2. ad 2. & 3. argum.* Petr. Navar. *de reſtit. lib. 2. cap. 3. numero 64. & 72.* Gomez *loc. cit. lib. 2. cap. 1. numero* 5.

Ampliatur ſecundo, quod neque liceat pro Republica ſe manifeſtæ mortis objicere, illam præeligendo, ut inquiunt Durand. *in 4. ſent. d. 16. q. 6. num. 6. & 8. cum ſeq. ac* 11. & poſt alios Gomez *d. lib. 2. cap. 2. in 2.* caſu, qui articulum ad partem examinat, ac ita concludit à *numero* 11. *ad* 16. Quare inquiunt Bannes *d. q. 64. ar. 5. dub.* 1. & Gomez *d. cap. 2. numero* 13. militem non poſſe, ut hoſtem præcipitet ſe ſimul cum illo inter amplexus præcipitare, quamvis poſſit ſe periculo exponere, ut præcipitetur, cùm hoſtem præcipitat.

Ampliatur tertio, ut neque pro aliorum ſalute ſpirituali liceat mortem certam, & infallibilem præeligendo oppetere ex Petro Navar. *d. lib. 2. cap. 3. numero 63. & 66.* & aliis, quos refert, & comprobat Gomez *d. lib. 2. cap. 4. numero 2. & ſeqq.* licet *numero* 5. cum D. Thoma 2. 2. *q. 26. ar. 5. &* ſcholaſticis ſubdàt, unumquemque teneri ſe gràvi, ac evidenti periculo exponere pro ſalute conſtituti in extrema neceſſitate ſpirituali.

Itaque duplici modo defendi poteſt homicidium ſui ipſius. Vel cùm quis non intendat ſpontaneam præelectionem mortis neceſſario, ac certò ſequuturæ, cùm liceat, etiam pro Republica ſe mortis periculo, quantumvis maximo, exponere, ſi adſit aliqua ſpes evadendi, ac intentio ſe tuendi, dummodo fieri poſſet, quamvis inde mors ſequatur indirectè, cum dicatur evenire præter dictam intentionem, tanquam effectus conſequutivus, ac ipſe actus directus ad finem licitum & honeſtum ſit per ſe actus fortitudinis ex D. Thoma 2. 2. *q. 123. ar.* 5. & ex aliis congeſtis à Gomez *d. lib. 2. cap. 2. in 3. caſu num,* 16. animadvertens *nu.* 17. hujus generis fuiſſe caſum Eleazeris, de quo *Machab. 1. cap.* 6. quia non habuit intentionem moriendi, ſed occidendi elephantem, quamvis illo cadente fuerit oppreſſus, idemque aliis exemplis confirmans. Et ita intelligenda ſunt exempla, quibus graves Doctores firmant, poſſe quempiam pro ſalute publica ignem injicere in pulverem nitratum ac ſulphureum ad evertendam turrim hoſtilem, etiam quod ſciat ſe momento diſſipandum, non enim dici poteſt, quod proprie ſe interimat. Quod quis poſſit ſe objicere telo, ut corpus Principis vel amici ſalvet, immo & ſe offerre occidendo pro amico injuſte condemnato ad mortem dè quo *Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 6. n. 30. & ſeq.* militeſque cum hæreticis prælio navali dimicantes, cum jam viderint, navem in poteſtatem hoſtium venturam, poſſe ipſam incendere, ac ſe in mare dejicere, ne ipſi & navi veniant in hoſtium poteſtatem, ut per Leſſium *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 32. cum binis ſeqq.* Laym. *theol. moral.*

moral. p. 3. ſect. 5. tract. 3. cap. 1. numer. 3. Bonac. *tom. 2. de reſtit. in part. diſp. 2. quaſt. ult. ſect. 1. pun. 5. num. 8.* Diana *part. 5. tractat. 4. de homicid. reſol. 31.* Quod condemnatus ad mortem per famem, poſſit abſtinere à cibo clanculum oblato, Sot. *lib. 5. de juſt. quaſtio 6. art. 4.* Quod damnato ad mortem non liceat fugere è carcere, cùm poſſit. Quod ſi duo ſint in extrema neceſſitate conſtituti, poſſit alter alteri cedere panem, quem habet, & ſinere ſe mori, & in naufragio poteſt quis alteri permittere tabulam, etiam à ſe occupatam, & committere ſe undis, licet non ſit ſpes evadendi, Victor *de homic. numero 26.* habet enim juſtam cauſam, nempè officium charitatis in proximum. Quod miles poſſit, ac teneatur non deſerere ſtationem in periculo communi, etſi certus ſit ſe occidendum. Quod quis poſſit ſervire peſte infectis, etſi putet ſe inficiendum. Juſta namque ſubeſt cauſa.

Non enim intendunt ſui interitum, ſed ne hoſtis navi cum publico damno potiatur, & ut ſe ipſi, ſiqua ratione poſſint, à morte certiſſima ab hoſte inferenda eripiant. Unde Cajet. *tom. 3. opuſc. tract. 9, de vinculo obedientia ad 2. ration.* ait: Miles pro actu virtutis, ſcilicet juſtæ defenſionis, aut juſtæ ultionis, exponit vitam ſuam periculo, & ſerviens infectis pro actu virtutis, ſcilicet Religioſi obſequii exponit ſe periculo mortis. Et in judic *cap. 16.* ita inquit: Non eligitur in hujuſmodi caſibus mors propria in ſeipſa, ſed per ſe eligitur mors hoſtium, & concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum ultionis. Ac cœtera, quæ dumtaxat locum habent ubi finis, ac intentio eſt directa erga ſalutem publicam, pro qua ſtrenue ac fortiter quis exponit ſe periculo etiam extremo, non quia velit mori, ſed quia vult etiam cum propria jactura publicum bonum. Quod admittit Gomez *dict. libro ſecundo, capite primo, numero ſexto*, dicens *numero ſeptimo*, id eſſe conforme etiam doctrinæ D. Thomæ quod exponere ſe periculo, quamvis evidentiſſimo mortis pro ſalute publica, eſt actus virtuoſus, & ad virtutem fortitudinis pertinens. Idque repetit *dict. libro ſecundo, capite ſecundo, numero decimo ſexto, & ſeq.* Et quod ad naturam actus ſufficit, non eſſe adeo certam & infallibilem mortem, ut nec poſſit adeſſe aliqua ſpes evadendi, licet periculum eſſet graviſſimum. Spes autem hæc veluti à natura inſita facilè ſuaderi poteſt, quod non ſit omnino excluſa, cùm ne quidem ex lapſu præcipiti neceſſariò ſequutura ſit mors, ut probatur exemplo Civis Arelatenſis, qui cum per annos plurimos decubuiſſet, flagrante per ſubitum incendium domo, gravi timore percuſſus, derepente ſeſe erexit, excitatiſque corporis viribus è ſummo ædium præceps ruit abſque ulla pœnitus læſione; immò recuperatis ſenſu ac motu, quibus in una corporis parte privatus erat, ut referunt Valeriola *libro ſecundo obſervat. 2.* & Schenk. *obſervation. libro primo rubr.* de paralyſi *ver curatio fortuita.* Huc etiam faciunt exempla recenſita à Leſio *loco citato* à Lopez *in inſtruct. conſc. capite ſexageſimo quinto de homic.* ac plenius ab Vuadingo in Annal. Minor. *tomo 6. an. 1456. numero 65.*

Vel divina revelatione ſuppoſita. Nam qui ſpiritu Dei aguntur, ſub lege non ſunt. Atque ita procedunt exempla Samſonis, qui ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit Judic. *capite vigeſimo ſexto* cujus meminit Gomez *libro primo dict. capite octavo, numero vigeſimo octavo.* Raziæ Machab. *capite decimo quarto*, juxta opinionem Nicolai de Lira, & Ugonis Cardinalis, etſi Divus Auguſtinus *epiſt. 61 ad Dulcidium, & libro ſecundo contra 2 epiſt. Gaudentii capite trigeſimo tertio*, ac Sixtus Senenſis *lib. 4. biblioth. Sanctor. in confect. hereſ. 12. reſp. ad 6.* ejus factum non probent, quibus adhæret Gomez *dict. capite octavo, numero duodecimo.* Adoleſcentum Chriſtianorum apud Euſebium *libro octavo hiſt. Eccleſ. cap. 12.* Hermanici apud eundem *lib. 4. cap. 14.* Auctæ monachi apud Nicephorum Caliſtum *lib. 7. cap. 11* Trecentorum martyrum, quorum meminit Martyrologium Romanum die 24. Auguſti, Athanaſii Martyris, Maximæ Levitæ & martyris eodem Martyrologio 5. Decem. & 20. Octob. Apolloniæ Alexandrinæ, Pelagiæ Antiochenæ, Sophroniæ, & aliarum Virginum, de quibus Auguſtinus *lib. 1. de civit. cap. 26.* ac ſimilium.

Unde diſplicet Leſſius, qui citato *lib. 2. cap. 9. dub. 6. numero 33.* cum paucis quibuſdam cenſet talem revelationem aut diſpenſationem, ſive, ut Auguſtinus ait ſpiritum latenter hoc jubentem, non eſſe neceſſariam. Qui non eſt recurrendum ad ſuperna nobis ignota, ſed ſtandum eſt regulæ, niſi divina juſſa evidenter appareant ex circumſtantiis actus, perſonæ, temporis, loci, cauſæ, & hujuſmodi aliis. Et inter reliqua ſigna, quæ traduntur ad dignoſcendum, an mors voluntaria fuerit ſecuta inſtincta, ſive impulſu divino, unum eſt, quando inter hoſtes fidei imminet periculum, ſive neceſſitas, vel utilitas magna fidei chriſtianæ, ſive realis propugnatio illius, vel defenſio, ut per Caſtel. *de Sanct. Mart. Cononiz. pun. 2. concl. 2. n. 17.*

His autem annotatis, ita reſpondendum cenſeo ad quæſtionem propoſitam: Occidens ſponte ſe ipſum, extra regulam traditam, ob laudem Dei, eſt virtualiter hæreticus. Antequam id probetur, notandum eſt, quod inter alias hæreſes, quas enumerat Alphonſus à Caſtro adverſus hæreſes *v. Martyrum lib. 10. lit. B.* illa eſt, quæ aſſerit, eos, qui ſe pro peccato interimunt, debere martyres nuncupari pro eo, quod puniunt in ſe, quod dolent commiſiſſe. Hujus erroris autor fuit Petilianus Donatiſta, contra quem extant aliquot Auguſtini tractatus. Hic error convincitur ex facto Judæ, qui dolens de peccato, quod commiſerat, laqueo ſe ſuſpendit. Judam autem fuiſſe damnatum, nullus Catholicus dubitat.

Et ibi idẽ à Caſtro refert aliam hæreſim, quæ adſtruit omnes, qui mortem ultronei patiuntur, eſſe martyres dicendos, ſive talem mortem ab aliis inflictam patiantur, ſive eam ſibi ipſis infligant. Hujus hæreſis autores vocat Auguſtinus Circumcelliones *lib. de hæreſ. cap. 69.* Philaſter Circuitores, quos pertinere ad Donatiſtas, ac ſub illis militare ait loco citato Auguſtinus.

Ex quibus aſſero primò & ſimul probo reſponſionem. Omnis, qui aſſerit, occidentem ſponte ſeipſum eſſe martyrem, eſt hæreticus. Qui autem ſponte occidit ſeipſum ob laudem vel honorem Dei, aſſerit virtualiter eſſe martyrem. Nam martyres veri proprio ſanguine effuſo, nihil aliud intendunt, niſi laudare Deum, & propriam vitam contemnere pro ejus honore tuendo, vel reſpectu fidei, vel reſpectu alicujus virtutis infuſæ. Atque adeo ſaltem virtualiter eſt hæreticus, hæreſi Donatiſtarum, & Circumcellionum.

Confirmatur. Qui negat aliquam propoſitionem evidenter illatam ex aliqua præmiſſa revelata, ut eſt concluſio hæc theologica: *Chriſtus habet voluntatem humanam*, quæ deducitur ex altera revelata, ſcilicet *Chriſtus eſt homo*, & ex altera naturalis nempè: *Omnis homo habet voluntatem humanam*, iſte cenſetur virtualiter negare præmiſſam immediatè revelatam. Nam qui negat concluſionem evidenter, ac neceſſariò illatam ex præmiſſis, cenſetur virtualiter negare antecedens, & præmiſſas ex quibus infertur. Cùm igitur hæc concluſio theologica: *Chriſtus habet voluntatem* inferatur neceſſariò ex illa præmiſſa immediatè revelata: *Chriſtus eſt homo*, virtualiter negat hanc præmiſſam; ac

proinde

proinde eſt verè hæreticus. & ut talis debet puniri in foro externo, ut rectè Faſol. *in 1. p. D. Thom. qu. 1. ar. 3*, Valent. *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 11. pun. 1. diſſ. 3.* Canus *de loc. theol. lib. 12. capit. 9.* Ergo à ſimili, qui eſt virtualiter hæreticus non negativus, ſive non negans aliquam propoſitionem de fide, ſed virtualiter aſſerens aliquem errorem contra fidem, ut eſt in hoc caſu, meritò in foro externo cenſendus eſt, ac puniendus, ut hæreticus.

Aſſero ſecundo: Occidens ſeipſum ob laudem Dei, eſt formaliter hæreticus. Ad id probandum notat idem à Caſtro *loc. cit. lib. 1. capit. 1. lit.* B. quod *hæreſis eſt dogma falſum, fidei orthodoxæ repugnans, itaque dogma falſum omnem enunciationem falſam, ſive illam quis dogmatizet, ſive illam ſolum tacitus aſſirmet. Nam utcumque hæreſis eſſe poteſt.* Et ſtatim: *Sola res effecta abſque judicio intellectus deſinientis, peccatum eſſe poteſt, hæreſis autem minime. Qui enim furatur, etſi contra Scripturam id fieri vetantem agat, non eſt hæreticus, niſi credat furtum non eſſe peccatum. Fornicationem Sacra Scriptura prohibet; at qui fornicatur, niſi hoc impune fieri credat, non eſt cenſendus hæreticus. Opus ergo ſolum ſive intellectus errore, hæreſis non eſt, quantumlibet opus ſit ex Scriptura prohibitum. Propter quod admonere oportuit, ut cum Simoniam aliquando hæreſim appellari audieris, intelligas non opus ipſum, quo Simonia committitur, eſſe hæreſim, ſed errorem, quo credit ſpiritualia eſſe venalia. Sic enim vocatur à Gregorio Nazianzeno in fragmento quodam à Gratiano poſito quæſt. prima, cauſ. prima, can. qui ſtudent. & à Gregorio Romano lib. 4. regiſt. capit. 95. 110. 113. & ſequent & lib. 9. cap. 140.*

Et deinceps: *Sed obſtabit quiſpiam; ſi res ab intellectu minime circa eam errante, hæreſis non eſt, quare deprehenſus in exercitio Judaicæ cæremoniæ, aut alicujus ritus Sarracenorum, ut puta quia Sabbatum obſervat, aut agnum paſchalem comedit, velut hæreticus punitur? Quod ſi ex facto dicas ſuſpicionem oriri, ut id, quod facit, ita eſſe faciendum credat, cur non eadem ratione fur, aut fornicator anſam ſuſpicionis præſtat, ut ſuſpicemur, illum ſic facere, quia ſibi licere credit? Cui objectioni reſpondeo, magnum eſſe inter hæc & illa diſcrimen. Sunt enim aliqua peccata, ad quæ homines ſunt natura proclives, ut ſunt carnis illecebræ, auri ſacra fames, honoris appetitus. Hæc ergò cùm talia ſint, ut in illa præcipites ferantur, etiam, repugnante conſcientia, agimus. Sunt alia peccata, quæ ſecus ſe habent, ad quæ voluntas non fertur, eo quod nihil habent, quo poſſint allicere voluntatem. Quapropter cùm ad illa voluntas indifferens, ac dubia ſit, intellectum conſulit, ut ſciat, quid facto opus ſit, neque in his repugnante conſcientia aliquid agere tentat.*

Nec ſatis, ſed ſubdit. *Eſt enim intellectus voluntati à conſiliis. Sæpenumero autem accidit, ut Rex inconſultis omnibus, immo omnium conſilio poſthabito, in id, ad quod pronus eſt, præceps ruat, & quod voluerit, agat, cùm tamen ſæpiſſime in reliquis conſulentibus cedat, & ex eorum conſilio fieri omnia præcipiat: In his ergo, ad quæ voluntas eſt prona, nuſquam intellectus judicio ſpreto, aliquid operatur. Ad cæremonias autem has, vel illas obſervandas nulla eſt à natura pronitas in voluntate, niſi forte ex conſuetudine exequendi eas, quæ altera eſt natura; idcirco vehemens ſuſpicio, ut ibi voluntas regatur ab intellectu ita, ut quod facit, ſic credat eſſe faciendum. Sic enim Salvator ait: A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nam, ut Ariſtot. 3. eth. ait; qualis eſt unuſquiſque talis dicit, & operatur. Ex hac ſola, ut opinor, ratione ſimoniacus appellatur hæreticus à Gregorio in regiſt. dicente: Quiſquis per pecuniam ordinatur, ad hoc, ut hæreticus fiat, ordinatur. Nam ex hoc, quod inæſtimabile licetur, veriſimile eſt, eum male ſentire de Sanctitate Eccleſiæ, quaſi credat, eam velle ſpiritualia liceri, quam tamen Eccleſiam credere tenetur ſanctam, immaculatam, ſine macula, & ſine ruga. Eccleſia igitur de his, quæ foris patent judicat, quæ, non eſt dubium, eſſe mala. An autem intellectus ſit concors operi, nec ne, Deus novit, quò intuetur cor, homines autem neſciunt, niſi quæ foris patent, quamquam vehemens eſt ſuſpicio, ut in illis magna ſit intellectus ad opus conventio. Et hac de cauſa punitur ex facto iſtorum, velut hæreticus, qui propter alia opera, quantumlibet per Sacram Scripturam, prohibita, minime ut talis punietur, eo quod ibi ſuſpicari non liceat; quod facit, ſic credat eſſe faciendum.* Hactenus à Caſtro.

Ex hac doctrina duo colliguntur. Alterum eſt, quod ſi quis crediderit furtum, aut fornicationem, non eſſe peccatum, ſed licite fieri poſſe, cenſendus ſit hæreticus. Quia hæreſis non conſiſtit in errore operis, ſive in opere intrinſece malo, aliàs omnia peccata mortalia eſſent hæreſes. Quod eſt falſum, ut alibi probavimus, ſed conſiſtit in errore intellectus falsò aſſerentis, vel credentis furtum, & fornicationem eſſe licitam. Quod eſt formaliter oppoſitum Sacræ Scripturæ, revelanti furtum & fornicationem eſſe intrinſece mala, ut conſtat ex illis preceptis: *Ne furaberis: Ne fornicaberis.*

Alterum eſt, quod ut aliquis cenſeatur hæreticus formaliter ita credere, ſicut moraliter operatur, inſpicienda ſunt peccata ex genere ſuo. Propterea exercens ritus Iudæorum, cenſetur ac punitur, ut hæreticus, quia in hujuſmodi opus non eſt proclivis natura, ſicut illecebras carnis, ſed ex mero impulſu, imperio, ac judicio practico intellectus cenſetur perpetratum.

Ex his ita probatur aſſertio. Qui credit, & aliquo ſigno externo aſſerit furtum & fornicationem eſſe licitam, eſt formaliter hæreticus. Qui autem ſe interimit propter gloriam Dei, aſſerit formaliter occidere ſeipſum eſſe licitum ac meritorium. Nam idem eſt hominem poſſe occidere ſeipſum eſſe in honorem Dei, ac dicere occidere ſeipſum eſſe licitum, cùm ſolum intrinſece licita, vel indifferentia poſſint in laudem Dei offerri. Sicut enim qui diceret furtum & fornicationem perpetrare in laudem Dei, aſſereret evidenter, & ex neceſſaria conſequentia, furtum & fornicationem non eſſe peccata, & ex doctrina Caſtri cenſetur formaliter hæreticus, quia ſentiret contra expreſſum ſenſum S. Scripturæ, prohibentis furtum & fornicationem tanquam intrinſece mala, ac proinde nunquam ex propria voluntate, & ex proprio objecto referri poſſunt in Deum, qui eſt intrinſece, ac ſubſtantialiter ſanctus, ita qui aſſereret occiſionem ſui ipſius ex ſeipſo poſſe referri in laudem Dei, jam diceret occiſionem ſui ipſius non eſſe intrinſece malam, & peccatum, ſed eſſe licitam, ac piam. Quod eſt contra ſenſum expreſſum S. Scripturæ, prohibentis tanquam intrinſece malam occiſionem ſui ipſius præcepto illo negativo: *Non occides*

Et quidem licet in opere inhoneſto, ac mortali; ad quod eſt proclivis natura; poſſimus interpretari, quod ſit commiſſum, reclamante conſcientia, & non errante judicio intellectus, ut ſunt fornicatio ex carne, furtum ex cupiditate; ut proinde dicantur opera iſta commiſſa ex concupiſcentia, quæ plerumque arguit potius lapſum voluntatis, quam errorem intellectus, ſecus tamen dicendum eſt de peccatis, ad quæ natura non eſt proclivis, ut ſunt ritus Iudæorum, & alia hujuſmodi Nam ex iſtis arguitur error intellectus formaliter, & cenſetur talia perpetrans formaliter hæreticus, & ut talis punitur. Et ratio diſparitatis eſt, quia ſolum ad delectabile natura hominis lapſa proprio pondere fertur, cùm delectabile

ſit objectum concupiſcentiæ, ut docet D. Thom. 1. 2. *pluribus in locis*, cujuſmodi ſunt peccata primi generis, furtum & fornicatio. At peccata ſecundi generis, ſcilicet ritus Judæorum, comeſtio Agni Paſchalis, & id genus alia, ſunt ex ſe opera magis abſtracta, & formaliter moralia, & propterea cenſetur intellectus eo moliri, ac formaliter male credere, ac eſſe formaliter hæreticum. Occidere autem ſeipſum propter honorem Dei, eſt peccatum, ad quod non eſt proclivis natura, ſed abhorrens, cum nihil aliud ſit magis naturaliter homini inſitum ac delectabile, quàm vivere, ac diu vivere. Atque adeo autor formalis hujus ſceleris eſt error intellectus, cùmque hoc ſcelus ſit expreſsè prohibitum à S. Scriptura, cenſendus eſt formaliter hæreticus, quemadmodum Chriſtianus, exercens ritus Judæorum, formaliter cenſendus eſt hæreticus.

Non obſtat, quod ad conſtituendum hæreticum formalem, præter errorem intellectus, requiratur pertinacia voluntatis, quæ in homine à ſeipſo interfecto conſtare non poteſt, tum propter defectum monitionis Eccleſiæ, tum propter ignorantiam, quæ poterat ab homicida ſui ipſius allegari.

Nam, etſi ad conſtituendum aliquem formaliter hæreticum exigatur voluntatis pertinacia, ſubdatque Alciatus *in capite primo de ſum. Trin. & fid. cath. numero tertio* ad pertinaciam requiri, quod hæreticus Eccleſiæ monitioni reſiſtat tenendum tamen eſt cum Becano 2. 2. *cap.* 14. *quæſt.* 2. *concl.* 3. *nu.* 10. ac cum omnibus ferè Theologis, ſatis pertinacem eſſe, qui ſciens ſuam opinionem eſſe contra determinationem Eccleſiæ, ſpreta nihilominus illius autoritate, in ſua opinione perſiſtit. Quia, ut ait Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 48. *numero* 78. Sacra Scriptura, & Eccleſiaſtica definitio, quibus fides catholica nititur, plus operatur ac poteſt, quàm ſexcentæ Iudicis monitiones, ac mille prohibitiones juris humani.

Quæ doctrina non ſolum procedit in foro interiori, ut ait Aragon. *in* 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 1. *concl.* 2. ſed, ut docet Lorca *ibid. art.* 2. *diſp.* 41. *numero* 8. etiam in exteriori, alioquin multi ſe excuſarent, quod non fuerint admoniti, ac remanerent impuniti ad Reipublicæ Chriſtianæ excidium. Poſſet fortaſſis admitti opinio Alciati in hæretico rudi, vel quando hæreticus eſſet Curiæ ſeculari tradendus, in quo tamen caſu pro foro exteriori ſufficeret præceſſiſſe monitionem Inquiſitoris, vel Epiſcopi, aut alterius viri docti ab iis deputati, nec ad cujuſvis cauſæ judicium congregari debet Concilium, vel ſupremus Iudex adiri, ſed debent eſſe peculiares Iudices, quorum maturo, ac prudenti judicio cauſæ finiantur. Unde per ſe, atque ex natura rei non eſt neceſſaria admonitio, ut aliquis hæreticus ſit pertinax. Nam in iis, quæ manifeſta ſunt, qui errat ex electione, ac deliberatè, etiamſi à nullo ſpeciatim admonitus ſit, & priuſquam admonitus ſit, eſt pertinax, eſt etiam hæreticus.

Quare non rectè Alciatus, & quidam alii dicunt neminem cenſendum eſſe pertinacem, niſi eum, qui admonitus perſiſtit in errore; quia ſine ſpeciali admonitione poteſt eſſe electio erroris contra Eccleſiam, & ſi quæ admonitio neceſſaria eſt, ipſa notorietate doctrinæ fit, quemadmodum in excommunicatione à jure lex ipſa ſufficienter admonet, ut ſubſit contumaciæ, quæ ad excommunicationem requiritur. Nec ſolum in foro animæ, ſed etiam in foro externo poteſt decerni pertinacia ſine aliqua monitione prævia, ut per eundem Lorcam *loc. cit. nu.* 20. *p.* 4. *tom.* 7. *reſol.* 36.

Hinc paramus *de orig. Inquiſ. lib.* 1 *tit.* 1 *cap.* 4. *n.* 5. ait, in uſu, ac more Eccleſiæ poſitum eſſe, eum hæreticum diſcernere, qui errore imbutus fuerit à ſe damnato, quamvis nulla præceſſerit commonentis eum vox. Et Paulus Garzia *in ord. proced. in S. Officio fol.* inquit: *Quando el reo confeſſare haver tenido y creydo errores ſe le ha de preguntar, ſe ſabia, y entendia que la Yglesia catholica Romana tenia lo contrariò de lo que el creia, de manera que baſtantemente ſatisfaga a lo que toca a la pertinacia, que es lo que haze herege conſumado.* Et Simanch. *ibid. tit.* 38. *n.* 7. & 8. adnotatu, ait, dignum eſt, quod quicunque credit aliquam propoſitionem veram eſſe, cujus contrariam ſciat eſſe catholicam, hoc ſolo conſumatus hæreticus pertinax eſt. Nec audiendi quidam, de quorum numero eſt Alciatus, qui putant, neminem pertinacem eſſe, qui non habet animum obſtinatum, & admonitus non perſiſtit. Nam pertinacia, quæ contumacem facit hæreticum, non eſt ſola obſtinatio, ſed quilibet etiam verus conſenſus contrarius cognitæ veritati Eccleſiæ Catholicæ. Id ipſū docent Merozza *in diſp. theol. tom.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 2. *dub.* 12. *num.* 181. Suarez *de fide diſp.* 19. *ſect.* 3. *numero* 8. ac Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 10. Eſtque contra Sanctarellum, Alciatum, Menochium, & alios, quorum opinio, ut ſupra notavimus admitti ſolum poterit in caſu, quo hæreticus eſſet rudis, vel etiam doctus, & relaxandus eſſet brachio ſeculari.

At quoniam, ut advertit Becanus *loc. alleg. n.* 13. ex ſuperius adductis ſequitur, quod non eſt hæreticus, niſi ſit pertinax in ſuo errore, & non eſt pertinax, niſi qui advertit ſe ſentire contra Eccleſiam, ac proinde qui hoc ignorat, nec pertinax neque hæreticus eſt; ideo videndum eſt, quænam ignorantia excuſet ab hæreſi; ac per conſequens à pertinacia. Portò ignorantia culpabilis, ſive voluntaria duplex eſt. Affectata, quando quis ex induſtria vult aliquid ignorare. Craſſa & ſupina, quando quis non ex induſtria ſed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ poteſt ac debet ſcire. Prima eſt directè ac virtualiter, utraque tamen vincibilis, & culpabilis. Hoc annotato.

Prima opinio tradit, ignorantiam craſſam & ſupinam non excuſare ab hæreſi, atque adeo neque à pertinacia. Ita ex Theologis Lorca *in* 2 2. *D. Thomæ q.* 11. *art.* 2. *diſp.* 41. *numero* 15. Sotus *in* 4. *diſt.* 12. *q.* 2 *art.* 3. *poſt.* 3. *concl.* Sayrus *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 15. Toletus *lib.* 1. *ſum. cap.* 19. *num.* 2. & ex Canoniſtis Felinus *in cap.* 1. *de hæret. n* 2. Anchar. *n.* 5. Berous *n.* 2. Io. Andreas *n. item* 2. & nonnulli alii. Quia ignorantia culpabilis, non excuſat ab aliis peccatis. Ergo neque ab hæreſi. Nam ſicut homicidium ſemper eſt peccatum, ſive fiat ex ſcientia, ſive ex ignorantia culpabili, ita error circa fidem ſemper erit peccatum hæreſis, ſive ſcienter, ſive ignoranter fiat, dummodo ignorantia fuerit culpabilis.

Secunda opinio docet, nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili, etiam craſſa, commiſſum, eſſe hæreſim. Eſt Zumel *in* 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. *diſp.* 1 *paulo ante* 1. *concl.* Cani *de loc. theolog. lib.* 12. *cap.* 19. Alph. à Caſtro *de juxta hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 9. & quorumdam aliorum, quos citat & ſequitur Menozza *tom.* 1. *diſp.* 1. *c.* 2. *dub.* 12. *num.* 177. Nam de ratione hæreſis eſt, ut quis erret in fide ſciens ſe credere ac opinari contra communem ſenſum Eccleſiæ. Qui autem habet craſſam ignorantiam circa communem ſenſum Eccleſiæ, non errat, ſciens ſe credere, ac opinari contra communem ſenſum Eccleſiæ. Atque adeo non eſt hæreticus.

Tertia opinio, cui, tanquam probabiliori ſubſcribimus, aſſerit, non ſolum ignorantiam craſſam & ſupinam, ſed etiam affectatā excuſare ab hæreſi. Hanc tuentur Azorius, Aragonius, Bannes, Suarez, Coninch, quos adducit & ſequitur Caſtropal. *to.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *n.* 3. quibus addo Peſantiū *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *diſp.* 1. *concl.* 1. Becanū *in dict. cap.* 4. *num.* 16. Sanctarellū *de hæreſ. cap.* 1. *dub.* 5. *num.* 23. Ricciullum *dict. lib.* 5. *cap.* 7. *numero* 13. Ledeſmanni *in ſum. com.* 2. *cap.* 6. *concl.* 4. *diff.* 2. & Vaſquez *in* 1. 2. *diſp.* 126. *capit.* 2. Eam tamen ſic explico. Etenim ignorantia affectata dupliciter poteſt contingere. Primo ex tædio addiſcendi tantum, ut ſi quis vellet aliquid

aliquid ignorare, quia tædet diſcere, & hoc modo error in rebus fidei non eſt hæreſis, quia qui ſic errat, non lædit autoritatem Eccleſiæ, tanquam pertinax, & incredulus, licet offendat Deum, tanquam culpabiliter ignorans, ac proinde ejus peccatum non eſt hæreſis, aut pertinacia, ſed ignorantia. Secundò modo poteſt contingere ex falſa opinione contra Eccleſiam, ut ſi quis putet parvi momenti eſſe ea, quæ in Eccleſia creduntur, ac proponuntur, & hoc modo eſt hæreticus, quia ex illa falſa opinione affectaret ignorantiam.

Ad rationem primæ ſententiæ reſpondeo differre hæreſim, ab aliis peccatis. Nam de eſſentia hæreſis eſt pertinacia; nemo autem in rebus fidei eſt pertinax, niſi ſciat, & advertat ſe ſentire contra Eccleſiam. Quare qui hoc ignorat, non eſt pertinax, & conſequenter non eſt hæreticus. At in aliis peccatis pertinacia non requiritur, & propterea cum committantur non eſt neceſſaria in peccante, ut advertat ſe delinquere contra legem Dei, ſed ſatis eſt ſi advertat, vel poſſit, ac debeat advertere.

Adverto tamen, quod id accipiendum eſt pro foro interiori. Nam pro foro externo ac judiciali errans in fide, ſi alleget ex ignorantia erraſſe, ei non creditur, ſi error commiſſus ſit in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur, vel quæ paſſim & communiter ejuſdem qualitatis ſunt. Unde Sacerdotes, aliique viri docti errantes in articulis fidei, ac præceptis Decalog. præſumuntur errare ex malitia, non ex ignorantia, ut per Souſam *in aph. lib. 1. capite duodecimo numero decimo quarto.* Caſtropal. *dict. tract. 4. pun. 2. numero quinto* ex Menochio, Farinacio, Deciano, & aliis, & per Albertinum *de agnoſc. prop. quæſtione 30. numero trigeſimo ſeptimo* ubi ſic ait: Si ſumus in caſu, quo aliquis negaret articulum divulgatum, vel contentum in ſymbolo, quem tenetur explicite & diſtincte credere, tunc ex quo eſt præſumptio violenta contra eum, quod veritatem illius non ignorat, ſed quod illum aſſerit ſcienter, & non ignoranter; ideo pertinax hæreticus eſt judicandus, quamvis dicat ſe paratum corrigi. Unde ſi Sacerdos ſponte ſe occidat ob laudem Dei, non poteſt ignorantiam allegare, cùm legat ſaltem quotannis homiliam S. Auguſtini *tract. 51. in Joannem apud Breviarium Romanum in communi unius Martyris ſuper illud Evangelii Joannis* 12. Niſi granum frumenti, &c. ubi ſic habet. *Sed vide, ne tibi ſubrepat, ut te ipſum velis interimere ſic intelligendo, quod debes in hoc mundo odiſſe animam tuam Hinc enim quidem maligni* (hi ſunt Circumcelliones) *atque perverſi homines, & in ſemetipſos crudeliores & ſceleratiores homicidæ, flammis ſe donant, aquis ſe profocant, præcipitio ſe colliduut, & pereunt. Hoc Chriſtus non docuit, immo etiam ſibi præcipitium diabolo ſuggerenti dixit: Vade Sathana ſcriptum eſt enim: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum: Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas quò volebas, cùm autem ſenueris alter cinget te & ducet, quò tu non vis. Ubi ſatis expreſſit, non à ſeipſo, ſed ab alio debere occidi, qui veſtigia ſequitur Chriſti.*

Ex quo ad convincendum, ejuſmodi homicidam eſſe hæreticum, clare conſtat, neque adminiſtrationem fuiſſe neceſſariam, neque ignorantiam ab eo allegari potuiſſe, ſed pertinaciter erraſſe contra germanum ſenſum Eccleſiæ, Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum communem conſenſum omnium Theologorum, & proinde contra ipſum procedi poterit, prout contra hæreticum defunctum procedendum eſſe alibi tradidimus.

CONSULTATIO CLIX.

De Reorum examine in Tribunali S. Inquiſitionis.

Modus examinandi reos ab Inquiſitoribus docetur ab Eymerico *parte tertia direct. numero octuageſimo quinto & ſequent.* ac ibi à Pegna *com. 21.* à Carena *pars tertia titulo ſecundo, paragrapho nono.* Expreſſius autem à Zanardo *in direct. theol. part. 3. capite octuageſimo ſeptimo*, & à Diana *p. 4. tract. 8. reſol.* 88. qui tradunt examinandos eſſe primò de genere ſuo, de parentibus, de natione & patria, de educatione ac diſciplina, de bonitate & pravitate vitæ, de ſocietate, & amicitia. deque moribus. An ſciat propter quam cauſam ſit comprehenſus, an aliquos habeat ſuſpectos, & quinam ſint, & qua de cauſa. Et inſiſtat inquiſitor in omnibus quæ ad negotium fidei faciunt, ſuperflua & aliena omittendo.

Secundo intra primos dies capturæ erunt ſuſpecti de fide benigne admonendi ad dicendam veritatem, & dum examinantur, poterit Inquiſitor eis concedere humile ſedile; ut magis quietum animum habeant.

Tertio interrogentur ab eis indicia conſequentia, catholicæ Religionis, & eorum ſtatus, nempe quas devotiones habeant, quando & à quibus confeſſi ſint, ſi ſe communicaverint, ſi Eccleſias frequentaverint, quas preces ſoleant in præcipuis Eccleſiæ diebus effundere, & ſimilia.

Quarto debet Inquiſitor abſtinere ab interrogatoriis ſuggeſtivis juxta textum *in leg. prim. paragrapho in cauſa ff. de quæſtione* ibique Godofredum. Quia confeſſio ipſius rei ex vi ſimilis ſuggeſtionis extorta non ſufficit ad eum condemnandum, ut firmant Souſa *in aph. lib. 2. cap.* 20. *numero* 60. Farinac. *de reo confeſſo & convicto quæſt.* 83. & 84. Caren. *loc. cit. n.* 51.

Quinto, dum eos interrogat, non debet interrogare extra id, de quo ſunt inquiſiti, niſi ipſi rei dum reſpondent, occaſionem dederint, ad alia interrogatoria deveniendi, ut advertit Pegna *ibidem com.* 18. qui etiam notat, quod ſi reus veritatem fateri cœperit, nullo modo eſt interrumpendus, niſi ad aliena à cauſa vagetur. Quod item obſervat Carena eo loco *num.* 40. & 52.

Si autem reus petat dilationem ad reſpondendum, non eſt illa ei concedenda. Quia dum de facto proprio interrogatur, debet ſtatim reſpondere, ut per Bald. *in leg. cum falſam numero ſecundo ff. de acquir. hæred.* Clar. *in primo paragrapho fin. quæſt* 45. *numero* 7. Caren. *ubi ſupra n.* 41. & alios, quos ipſe adducit.

Nec tenetur Inquiſitor antequam reum examinet ei manifeſtare, quod legitimè eum interroget. Nam licet reus non teneatur reſpondere, ac veritatem dicere, antequam, ſaltem aliquo modo ei conſtet, Judicem juſte ac legitimè interrogare, ut docent Cajet. *in 2.2.q.69.art.* 2. Sot. *de juſt. lib.5.q. 6.art.*2. Navar. *c.*25.*n.*3. & quamplures alii, & conſequenter, ut reus teneatur veritatem dicere, debet Judex ei ſtatum proceſſus, & quod ipſe juridice procedit notificare, attamen id non procedit in cauſis contra fidem, & ideo non tenentur Inquiſitores notum reis facere jus ſuum, quod habent, eos interrogandi, Peguera *in pr. cr. c.* 12. *§.* 5. *n.* 13. & Diana *p* 4. *tr* 8. *reſol.* 130.

Non poteſt tamen licitè Inquiſitor reo promittere impunitatem, ſi veritatem ſui criminis negatam, fateatur. Nam Inquiſitor non poteſt pœnas à jure taxatas reis remittere, ut tradunt Zanchin. *de hæret. cap.* 19. *num.* 1. Simanch. *de cath. inſtit. titul. decimo tertio, numero* 12. Pegna *p.* 3. *com.* 23. *num.* 106. Sccac. *de judic. lib.* 1. *capit.* 87. *numer.* 25. Poteſt tamen offerre reis amplam miſericordiam & gratiam, ſi protinus veritatem fateantur. Nam Inquiſitores poſſunt temperare omnes illas pœnas, quæ arbitrio eorum relinquuntur, quales ſunt pœnæ pœnitentiales.

Et in hac promiſſione in genere loqu' debent, non autem promittendo, quæ ſine peccato præſtare non poſſunt, ut eum Eymecico tradit Pegna *dict. p. 3. com.* 23. Et gratiam poſtea faciendo, quantumvis minimam, fidem datam adimplebit. Relapſis verò hæc impunitas, aut gratia promitti non poteſt, ut notat ibidem Pegna.

Non obſtat, quod poteſt Inquiſitor impunitatem reo promittere ad indagandam veritatem exemplo Salomonis. Quia licet aliquando hac de cauſa aliquid ſimulare ac fingere, ut *in capit. afferte de præſumpt.* Nam reſpondetur, quod aliud eſt ſimulare ac fingere, quod judicando fecit Salomon, aliud mentiri ac decipere, quod fit, cùm promittitur impunitas, nec præſtatur. Et ideo non militat exemplum Salomonis.

Minus obſtat, quod non poſſiuot Inquiſitores amplam miſericordiam & gratiam reis promittere, ſi veritatem fateantur. Quia hæc Judicis promiſſio videtur facta dolo, nec rei confeſſio judicari poteſt ſpontanea, ſed potius extorta, dum fit ob promiſſionem miſericordiæ & gratiæ, & ideo non ſufficit ad condemnationem. Quia reſpondetur cum Pegna *loco citato.* quod, ut ex ea confeſſione reus condemnari poſſit, requiritur neceſſariò, ut ipſe illam Iudici ratificet ſicut ratificatur illa, quæ fit in tormentis, & tradunt etiam Imol. *conſ.* 109. Marſil. *in leg. prim. §. quæſtionis ff. de quæſt.* & fuſius *in ſingul.* 177. *& ſingul.* 201. ubi plures. Quæ confeſſionis ratificatio fieri debet, etiamſi aliæ eſſent contra reum conjecturæ. Semper autem erit levius puniendus, & ordinaria criminis pœna temperanda, ne Inquiſitor deeſſe videatur fidei datæ & gratiæ promiſſæ, cùm tutò poſſit prædictis modis eam facere. Ad illud verò, quod talis confeſſio non eſſet ſpontanea, ſed extorta reſpondeo, quod quando conſtat, reum eſſe legitimè interrogatum, & injuſtè negare delictum a ſe patratum, non videtur illicitum aliqua amphibologia, vel æquivocatione eum decipere, ut aperiat veritatem. Iudex enim jus habet illam extorquendi. Sicut ergo eam poteſt extorquere per vim tormentorum, cur non poterit per dolum? Dummodo ſit dolus juſtus, & ſine mendacio? Et ita etiam docet Lugio *tomo ſecundo de juſtit. diſp.* 37. *ſect.* 15. *numero* 180.

Inquiſitorem, ſi promiſerit reo ſervare impunitatē ſi confitendo crimen commiſſum, non teneri illi ſervare fidem promiſſam ſentiunt Gemin. & Præpoſit. *in can. nos in quenquam 2. quæſtione prima.* Felin. *in cap. accedens 2. ut lite. non conteſt. & in dict. cap. afferte de præſumpt.* Archid. *in can. utilem 22. quæſt. ſecunda* & Jaſon. *in leg. ſi mora numero quarto ff. ſol. matrim.* Primo quia promiſſio de re impoſſibili eſt nulla, nec aliquis ad eam ſe obligare poteſt, quia illam præſtare, non eſt in ipſius arbitrio, & poteſtate *leg. impoſſibilium ff. de re jud.* Non eſt autem in arbitrio & poteſtate Iudicis pœnam reis remittere, nec veniam eis concedere *lege prima paragrapho quarto ff. ad S. C. Turpil.* Secundò, quia licet ſic aliquis dolus in hac promiſſione, tamen ad publicam pertinet utilitatem, ut intellecta veritate, reus condemnetur, & delicta non remaneant impunita. Tertio quia in male promiſſis, fides non eſt ſervanda *capit. in malis de reg. jur. in 6.* Conſtat autem, promiſſionem de impunitate delinquentium eſſe contra publicum bonum, cùm delicta remaneant impunita in perniciem Reipublicæ. Quarto quia parum refert, quomodo veritas habeatur, dummodo habeatur *leg. cum ſervus ff. de verb. oblig.* Quinto, quia dum licitum eſt Iudici reos torquere, & fame, ac vigiliis afficere ad extorquendam veritatem, multo magis licebit Inquiſitori eam exquirere blandis verbis, & fictis promiſſis.

Diſſentiunt Jacob. *Belvis. in pr. cr. rubr. de quæſt.* Dec & alii *in leg. ea eſt natura ff. de reg. jur.* Imol. *conſilio* 109. Fort. Garz. *in leg. conventionem ff. de pact.* Marſil. *in ſingul.* 201. *numero quarto* & alii bene multi. Quia fides & promiſſio, etiam inimicis ſemper eſt ſervanda, cum ejus ſatisfactio ſit jure naturali debita, quod violare non licet *dict. leg. conventionem ff. de pact.* ibique Doctores communiter. Deinde quia juramentum & fides æquiparantur *capit. ad aures de eo, quod met. cauſ.* Juramentum autem ſemper eſt ſervandum, ubi ſervari poteſt ſine interitu ſalutis æternæ, *capit. cum dilectus de eo, quod met. cauſ. capit. ſi verò de jurejur.* Poſtremo quia mendacium ſaltem eſt peccatum veniale, quod nullo modo eſt committendum pro quacunque veritate habenda, & tutius eſt, facinus impunitum relinquere, quàm pec illicitos modos illud inveſtigare ac detegere. Nunquam enim ſunt mala facienda, ut inde bona eveniant, illaſque cautelas uſurpare licet in praxi, quæ ſine ulla mendacii ſpecie poſſunt ad uſum revocari.

Proinde libertas, quæ eſt contrahendi, vel non contrahendi in initio, fide data, & accepta in conventione tranſit in neceſſitatem, ut eam implere oporteat, *leg. in commodato paragrapho ſicut ff. commod. leg. ſicut. C. de act.* Ita fidem contractus impleri debere, æquum eſſe reſponſum eſt *leg. ſed. & addes, lib.* 21. *paragrapho fin. ff. locat.* & placita ſervanda *l. non minorem C. de tranſact. l.* 1. *ff. de pact.* cum vulgò aliis. Unde perfidioſum, & nefarium fidem frangere, & qui fidem violat, oppugnat omnium commune præſidium. Tantæ namque eſt autoritatis fides, ut etiam fœdera cum hoſtibus jungat, & amicos faciat, non alia ratione, quàm quod jure gentium receptum ſit cum hoſtibus pacta facta valere *d. l. conventionem ff. de pact.* pacta hoſti ſervanda *leg.* 1. *ff. de conſtit. pecun.* & malis hominibus privatis, niſi detrimentum patiatur inde Reſpublica, vel jura repugnent, *leg. bona fides ff. depoſ. can. in multis* 22. *q.* 2.

Hæ pugnantes ſententiæ conciliari poſſunt ex Fagundez *in decal. tomo ſecundo libro octavo capit,* 25. *numero* 16. & ex Diana *p* 11. *tract.* 7. *reſol.* 16. *miſcel.* 7. quod vel promittens impunitatem eſt ſupremus Princeps & Judex, qui poterat eam concedere, & tenetur illam præſtare. Vel eſt Judex inferior, & non tenetur. Quia fuit promiſſa ab eo, qui non poterat eam concedere, & reus ſibi imputare debet, quod tali promiſſioni crediderit. Addit verò Clarus *paragrapho fin. quæſtione* 55. *verſicul. circa ſecundum*, nunquam hujuſmodi reum ex tali confeſſione ad pœnam ordinariam eſſe condemnandum, niſi aliis indiciis gravatum, quia per injuriam & contra jus fuit illa confeſſio extorta. Quod etiam tradunt Gomez *de delict. capit.* 12. *numero ſexto* Leſſ. *libro ſecundo de juſt. cap.* 29. *dub.* 18. *numero* 173. Imol. *conſ.* 106. Remig. *de immunitat. Eccleſ. fall.* 26. Ex æquitate quidem. Quia ſi non tenetur impunitatem promiſſam præſtare, neque tenetur ad pœnam extra ordinem. Igitur vel impunitas eſt reo promiſſa à ſupremo Tribunali S. Officii, ſi ipſe veritatem fateatur, & ei præſtanda eſt. Vel ab inferiore Inquiſitore, & non eſt ei concedenda, ſed tantum erit mitius, ac benignius ex æquitate puniendus,

Et quamvis Zaſius dicat, hanc eſſe miſerorum ſolutionem, quando diſtinguimus inter rigorem, ſive ſtrictum jus, & æquitatem *ad l.* 2. *paragrapho prius. de vulg. & pupil. ſubſtit.* contra tamen Cujacius ea diſtinctione per multas leges in concordiam adducit poſſe *libro ſeptimo obſ.* 9. Eaque diſſolvendi

ratione

ration fuit uſus aliquoties *lib. 8. obſ. 8. & in tr. 8. ad Africanum*, & *alibi* Probatur autem hic modus infinitis juris textibus *lib. 18. de legibus lib. 20. & ſeq. & reb. cred. lib. 13. in princ. de lib. & poſth. l. generaliter §. ſiquis ſervo de fideic. libert. lib. 2. paragrapho 5 in fin. de aqua & aqua pl. arc.* Utrum autem rigor, an æquitas debeat præferri, controverſa quæſtio cenſetur. Pro rigore pugnat Cujacius *lib. 2. feud. tit. 1.* & Vult. *de cauſ. jure conſt. p 64.* per *l. 1. C. de legibus l. 12. ff. qui & à quib. manumis. l. pen. ff. de juſt. & jur.* Pro æquitate verò Dec. *in l. in omnibus de reg. jur.* Donel. *lib. 1. com. 13.* Sane non facile à ſcripto jure recedendum eſſe ſtatuo, ſcriptam tamen æquitatem præfero juri ſtricto per *l. placuit C. de judic. d. l. in omnibus de reg. jur. l. 1. C. de furt. l. ſi ex duabus paragrapho, ſed licet hoc jure contingat, tamen æquitas dictat, de pecul. l. de acceſſionibus ff. de diverſ. & temporal. præſcript.* Videatur Cicero *in orat. pro Cecinna*, Arnold. Holſtein. *in tr. de æquitate tit. 9.* Stephan. de Federic. *in tr. de interpret. pag. 164.* & 185. Cœpol. *de interpret. extenſiva pag. 36. & ſeq.* Duritiem autem legum mollire, vel temperare non poſſunt Juriſconſulti, vel alii privati, ſed duntaxat Imperatores *l. 1. C. de legibus* Scip. Gentil. *lib. 3. de donat. inter. jur. & uxor. capit. 3.*

Et ſane, ut advertit prudenter Pegna *par. tertia direct. com. 23.* punienda ſunt quidem delicta, & coërcendi malefactores, atque adhibenda eſt omnis diligentia, ut veritatem ab invitis ſceleratis Judices extrahant, ſed ſervato juris ordine, nec committendum quidquam, quod æquitas, & juſtitia non admittat. Quod ſi ita haberi veritas non poſſit, nec malefactores puniri, meminerimus veriſſimi illius Theologi dogmatis: Multa relinqui punienda judicio divino. Eſt quidem valde laudanda Judicum quorundam ſollicitudo in inveſtigandis, & coërcendis ſceleribus, ſed magnopere vituperanda, & deteſtanda conſuetudo, illicita quæque committere ad veritatem eruendam. Ita ex Pegna, tanquam ex oraculo.

Qui fatetur in ſuo examine feciſſe ſortilegium, ſed cum proteſtatione, non eſt cenſendus hæreticus, ſi conſtat de proteſtatione, & ipſa non fuerit contraria facto. Quia proteſtatio, quæ fit in rebus ad fidem ſpectantibus, eſt profeſſio fidei exterius facta ad oſtendendum quid proteſtans interius de fide ſentiat, ut per Albertin. *de agnoſc. aſſert. quæſtione 12. numero 2.* Pegnam *in 1. p. direct. com. 26.* Simanch. *de cathol. inſtit. tit. 55. rubr. de proteſt. numero tertio.* Et hæc proteſtatio fidei excuſat proteſtantem, ſi poſtea hæreſim committat, ne præſumatur commiſiſſe ſcienter & cum pertinacia per textum *in can. dixit Apoſtolus 24. quæſtione tertia* ibique Gloſſam *v. pertinaci*, & docent Simanch. *ibidem numero quarto* Albertin. *loc. cit. numero ſexto* Farinac. *de hæreſ. quæſtione 178. numero 150.* aliique. Et ideo dum conſtat de hac proteſtatione ille non eſt cenſendus hæreticus.

Si verò proteſtans ſciat verba, quæ profert, vel materiam, circa quam operatur, vel actionem ipſam eſſe ſuperſtitioſam, & hæreticalem, tunc proteſtatio non excuſat ab hæreſi. Quia per factum contrarium proteſtans recedit à proteſtatione, ut notat Gloſſ. *in capit. tua nos, v. mulierem de ſponſal. & in capit. Olim. cauſam v. proteſtatur de cenſib.* & Doctores *in l. non ſolum paragrapho morte ff. de nov. op. nunc. & in capit. cum M. de conſtit.* ac cœteri, quos citat ac ſequitur Pegna *par. 1. com. 26.* Unde qui proteſtatur ſe credere, ac tenere quod tenet ac credit Eccleſia, & tamen in ſortilegio admiſcet Eccleſiæ Sacramenta, vel alias res ſacras, ſive Sacramentales, ut aqua ſacra, candelæ benedictæ ac ſimilia, vel Evangelii verba Symboli fidei, Pſalmi, & hujuſmodi, vel preces nefarias dæmoni fundit, aut ei ſacrificat, vel idolis genua flectit, quæ omnia manifeſtam hæreſim ſapiunt, tunc proteſtatio eſt contraria facto, & proteſtans non excuſatur ab hæreſi. Quia factum directe contrariatur proteſtationi. Lege tractatum Gerſonis *de proteſtat.* circa materiam fidei contra hæreſes diverſa.

Reus autem, qui ab Inquiſitore examinatur, tenetur veritatem fateri ita, ut ne quidem poſſit ad illam occultandam uti amphibologia, dum legitime illum interrogat, alioqui peccaret mortaliter, & à Confeſſario non eſſet abſolvendus, niſi proponeret ſuum delictum fateri, Quia talis reus non confitendo, non ſe pœniret commiſſi peccati, immo in eo perſeverat, dum eſt inobediens, & juramentum datum non ſervat, & conſequenter nec veniam, neque abſolutionem meretur juxta *capit. peccati venia de reg. jur. in 6.* Porro ad interrogandum legitime reum, hæc requiruntur. Quod Judex ſit competens in cauſa, ut per Doctores *ad tit. de for. comp.* Quod certiſſimum eſt de Inquiſitore. Quod delictum ſit ſemiplene probatum, ut per D. Thom. *ſecunda quæſtione 68. ar. 1.* Navar. *com. 4. de judic. pag. 53. & in ſum. capit. 25 numero 36.* Leſſium *lib. 2. de juſt. capit. 31. dub. 5.* Semiplena autem probatio habetur vel per unicum teſtem, omni exceptione majorem, ut per Pegnam. *par. tertia com. 10.* Vel per diffamationem rei probatam, ut per Eymer. *d. par. tertia quæſtione 61. numero tertio & quarto.* Vel per indicia æquipollentia ſimiliter probata, ut per eundem Pegnam *loc. cit.* & quod notificetur reo, commiſſum crimen ſuum conſtare in proceſſu, ac eſſe probatum, ut ſciat ſe teneri obedire ipſius Inquiſitoris mandato, ut per D. Thomam & Navarrum *loc. cit.* aſſerentes proinde Notarium copiam depoſitionum debere tradere reo ſine teſtium nominibus, ut ſcilicet agnoſcat de ſuo delicto conſtare.

Idque, etiamſi reus ſit morte plectendus. Quia dum Inquiſitor juridice, ac legitime reum interrogat eſt vere illius ſuperior, ac juſtè præcipit, atque ideo reus tenetur obedire, nec poteſt occultare veritatem. Nulla enim datur legitima cauſa, per quam quis poſſit excuſari à peccato mendacii ac perjurii, cùm hoc ſit intrinſecè malum, & per nullam circumſtantiam cohoneſtari poſſit. Ideoque reus, qui præſtito juramento legitime ab Inquiſitore interrogatur, tenetur veritatem fateri, etiamſi ſit morte plectendus, & nulla æquivocatione uti poteſt, quia juxta mentem Inquiſitoris reſpondere debet, ut per D. Thom. 2. 2. *quæſtione 69. ar. 1.* ibique Cajetanum, ac per Pitign. *in pr. crim. p. 1. capit. 7. in addit.* Sot. *lib. 5. de juſt. quæſtione 6. ar. 2.* Cordub. *in quæſtione lib. primo quæſtione 41. dub. 3.* Azor. *par. 3. lib. 13. capit. 25. quæſtione tertia*, Sayr. *lib. 12 capit. 16. numero primo* Valent. *to. primo diſp. 5. quæſtione decima tertia p. prima* & Navar. *dict. capit. 25. num. 36.*

Non obſtant Doctores, quos citat & ſequitur Diana *p. prima tr. primo miſcel. reſol. 27.* aſſerentes, reum, cujus crimen non eſt plene probatum, poſſe Judici celare veritatem, non ſolum ad mortem evitandam, ſed etiam quando agitur de pœna triremium, mutilationis, confiſcationis omnium bonorum, & alicujus magni dedecoris. Quia eſt hominibus à natura inditum, ut ſe defendant, & ab his malis ſe liberent. Et quamvis plures ex iis oppoſitam ſententiam communiorem, ac probabiliorem eſſe dicant, hanc tamen probabilem eſſe fatentur, etſi nonnulli ex diſcipulis D. Thomæ,

ut M. Ledeſma 2. *par. ſum. tr.* 8. *capit.* 24. *concl.* 2. *diffic.* 1. non eſſe probabilem affirmant. Magiſter verò Serra *in* 2. 2. *quæſtione* 69. *ar.* 1. *dub.* 1. ob autoritatem autorum, & argumenta probabilem eſſe judicat, in via tamen D. Thomæ improbabilem eſſe cenſet.

Nam reſpondetur, quod lex naturalis concedit defenſionem propriæ vitæ, ſed cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quando enim quis inique ab inimico invaditur, poteſt juſte ſe defendere, etiam cum damno vitæ alienæ. At Judex inquirendo veritatem, nullam reo infert, violentiam injuſtam, ſicut inimicus aggreſſor; immo inquirendo veritatem, quærit gloriam Dei, ut docet D. Thom. *loc. cit. ex Joſue* 7. qui dixit ad Acham. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Ac proinde non poteſt reus prætextu defenſionis de jure naturali debitæ, celare Judici veritatem, ac mentiri & pejerare quod eſt intrinſece malum. Eodem modo probari poſſet, Duci præcipienti, ut miles ſtationem ſuam ſervet, aut aggrediatur hoſtes, eum non teneri obedire cum vitæ periculo ac diſpendio. Quod falſum eſt. Quando enim legis, aut præcepti, etiam humani obſervatio neceſſaria eſt ad bonum commune Reipublicæ, ad illam homines obligantur, non obſtante humana imbecillitate, ac rei difficultate. Maxime autem neceſſarium eſt ad commune bonum Reipublicæ, ut reus juridice interrogatus confiteatur delictum, aliàs enim difficile puniri poſſent delinquentes, & ut ait Sotus *lib.* 5. *de juſt. quæſtione* 6. *ar.* 1. Nimis eſſet ſtricta via finiendi judicia. Idque præcipuè militat pro Inquiſitoribus qui tuentur cauſam fidei, ac Religionis & boni publici, aliàs facile eluderetur juſtitia Sacri Tribunalis S. Officii, cùm major pars gravium delictorum ejus fori puniantur, vel pœna mortis, vel triremium, aut carceris perpetui, ac etiam in multis locis publicatione bonorum. Vide M. Serram *loc. cit.* qui omnes rationes contrariæ ſententiæ diluit.

Acita, ut reus, qui dubitat, an Inquiſitor legitime interroget, teneatur illi veritatem fateri, non ſolum quia Judex, qui eſt in poſſeſſione judicandi, non eſt ab ea removendus ob dubium jus rei, ſed quia Inquiſitor eſt Judex in cauſis fidei, ac Religionis. Unde ob favorem fidei, & ob bonum publicum in dubio ſemper eſt pro Inquiſitore præſumendum, quod legitime procedit, & interroget, niſi contrarium conſtet evidenter. Et iccirco ſi reus dubitet, an ille legitime interroget, tenetur juxta ejus mentem reſpondere, & veritatem fateri.

Ac ita etiam, ut Inquiſitor agnoſcens reum difficilem ad confitendum ſuum delictum, debeat illi juramentum imponere, ut veritatem fateatur. Quia praxis omnium Judicum eſt deferendi juramentum reis de veritate dicenda, & ſi adſit periculum perjurii, reo imputandum eſt. Inquiſitor enim utitur jure ſuo, & licite poteſt reum cogere omnibus viis ad illam perſcrutandam, ſicuti ob eandem rationem poteſt reum cogere per torturam. Juramentum enim, ut ait Panorm. *in capit. per tuas de probat.* quædam tortura ſpiritualis eſt. Si verò Inquiſitor juramentum non imponeret, tenetur etiam reus, legitime interrogatus, ei veritatem dicere. Quia Judex non acquirit jus interrogandi reum per juramentum illi præſtitum, ſed quia eſt Judex competens, ac legitime interrogat, ut notat etiam Sayr. *lib.* 12. *cap.* 16. *num.* 7.

Reus tamen, ſciens non conſtare in proceſſu de corpore ſui delicti, non tenetur illud fateri, ſi ſuum delictum eſt de illorum genere, quæ poſt ſe relinquunt aliquod veſtigium, ut lamiarum infanticidium, vel infirmitatis maleficium, vel ſacræ imaginis deturpatio, & ſimilia. Quia in his caſibus Judex non procedit, neque reum legitime interrogat, & quando eis non conſtat de corpore delicti, cùm hoc ſit de ſubſtantia judicii, ut alibi diximus, & tradunt Albertin. *cognoſc. aſſert. quæſtione* 25. *nu.* 24. Farinac. *de inquiſ. q.* 2. *nu.* 2. Caren. *p.* 3. *tit.* 32. *n.* 173.

Verum quia ſortilegium & maleficium connumerantur inter delicta, quæ ſunt difficilis probationis, cùm fieri ſoleant occulte, ideo pro eorum cognitione non eſt neceſſarium, quod delictum conſtet plene & concludenter per teſtes, aut per evidentiam facti, ſed ſufficit in dictæ probationis defectum, quod de corpore delicti conſtet per indicia. Quia in hujuſmodi delicti hæc habentur pro plena probatione, ut docent Doctores allegati, & conſequenter quando ita in proceſſu conſtat de corpore delicti, reus legitime ab Inquiſitore interrogatur, & ſub mortali ad illius mentem tenetur abſque amphibologia reſpondere, ac veritatem ſui delicti fateri.

Porrò in S. Tribunali S. Officii tunc dicitur confeſſio rei qualificata, quando reus fatetur delictum hæreticale, ſed illud qualificat, negando intentionem hæreticalem habuiſſe: hoc eſt, quando confeſſioni ſuæ addit qualitatem tollentem, vel minuentem delictum. Ut ſi quis fateatur feciſſe ſortilegium, vel maleficium, vel ſollicitaſſe in ſacra confeſſione, vel commiſiſſe polygamiam, & hujusmodi alia, ſed negat habuiſſe intentionem hæreticam, ſed catholicam, aſſerendo ſemper crediediſſe, quod docet ſancta mater Eccleſia, illudque crimen patraſſe ex avaritia, aut ex libidine, aut ex odio, & non ex prava intentione infidelitatis. In hoc autem caſu Inquiſitor accipit confeſſionem delicti, & reo remanet onus probandi qualitatem ſuæ intentionis, ut per Farinac. *de reo confeſ. & convict. quæſtione octuageſima prima numero* 110. Canter. *in quæſtione cr. capit. primo de ver. confeſ. numero* 18. Souſ. *in aph. lib. ſecundo capit. vigeſimo, numero vigeſimo octavo*, Maſtril. *deciſ.* 246. Carena *par.* 3. *tit.* 8. *paragrapho primo, numero primo*, paſſimque alii.

Quod ſi illa qualitas bonæ, & catholicæ intentionis ex communiter accidentibus eſt veriſimilis, tunc eſt in arbitrio Inquiſitoris vel reum punire pœna extraordinaria, vel illum torquere ſuper intentione, ut ſine qualitate reſpondeat, & fateatur. Tortura autem eſſe debet non acris ſed moderata, ut cum aliis inquit Carena *loc. cit. numero octavo.* Unde ſortilegi confitentes ſortilegium hæreticale commiſiſſe, ſed cum intentione catholica, polygami confitentes delictum polygamiæ, ſed cum excluſione hæreticæ intentionis, ac ſimiliter confeſſarii ſollicitantes, blaſphemi, ac cæteri, quamvis habeant contra ſeipſos præſumptionem juris, quia ex facto, ac dicto hæreticali præſumitur etiam intentio hæreticalis, ut ait Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 50. *numero* 18. attamen quia à communiter accidentibus rei, non ex errore intellectus, ſed ex avaritia, libidine, ita, ut plurimum, moventur ad delictum illud committendum, ideo illa qualitas catholicæ intentionis, addita confeſſioni, eſt veriſimilis à communiter accidentibus, & vel puniri debent pœna extraordinaria, ut tenet Abb. *in capit. auditis numero* 33. *de præſcript.* Farinac. *dict. quæſtione* 81. *numero* 157. Cantera *in quæſtione de probat. capit.* 1. *num.* 18. Vel ſunt torquendi, ut ſine ulla conditione

fateantur

fateantur, at ſine dicta qualitate reſpondeant, ut ſentiunt Bald. *in l. primo numero 45. ff. de confeſ.* Boſſ. *dict. tit. de confeſ. numer.* 27. Maſcard. *de probat. concl.* 867. *numero* 13. Tortura autem in hoc caſu non eſt inferenda tam gravis; quæ omnia indicia rei torquendi purgare poſſit, & non ſit locus pœnæ extraordinariæ. Si autem reus ſit talis conditionis, ut omnem torturam ſuperare poſſet, melius eſt, eum puniri abſque tortura, pœna extraordinaria, ut cum aliis advertit Carena *loco citato numero decimo quinto & ſeq.*

Si verò qualitas illa catholicæ intentionis, addita confeſſioni, non ſolum habet præſumptionem juris contra reum, ſed à communiter accidentibus eſt multum inveriſimilis, & reus in hoc caſu non probat ſuam intentionem fuiſſe catholicam, puniendus eſt pœna ordinaria. Quia ſi ſola allegatio qualitatis, minuentis pœnam delicti abſque probatione ſufficeret, ad evitandam mortem & alias graviſſimas pœnas, nullus unquam punietur pœna ordinaria. Nam ſolent omnes rei fateri cum circumſtantiis diminuentibus delicti gravitatem, ac pœnam. Etenim quod veriſimile non eſt, habet ſpeciem falſitatis, ut tradit Baldus & Jaſon *in l. ſi extraneus ff. de condit. cauſ. dat.* Dec. *conſ.* 644. *numer. ſexto* Maſcard. *de probat. concl.* 140. *numero* 35. Menoch. *conſ. ſecundo numero* 300. Ideoque nulla habenda eſt ratio hujuſmodi qualitatis ex circumſtantiis inveriſimilibus, ut per Canter. *de haeret. capit. primo numero* 58. & Caren. *ibid. numero* 5. *& ſeq.*

Hinc rei confeſſio neceſſariò debet eſſe individualis, ſpecifica, & certa, nec ſufficit dubia, incerta, ambigua, æquivoca, & generalis. Nam Judex incerta judicare non poteſt, *can. ſiquis 9. paragrapho incerta 30. quæſtione tertia.* Et in rebus ambiguis non poteſt eſſe abſolutum judicium, *can. fin. dec.* 33. Farinac. *dict. quæſtione* 81. *numero* 31. Boſſ. *dict. tit. de confeſ. numero* 43. Peguer. *dec. cr.* 17. *num. quarto* Caren. *dict. par. tertia tit. octavo, paragrapho* 9. *numero* 46. Et ideo ſi reus ſponte nolit ſe declarare, poteſt cogi per torturam, quia Judex tenetur diligentiam adhibere, ne judicium reddatur irritum ex defectu in inquirendo, *can. judicantem 30. quæſtione tertia* Boſſ. *ibid. numero trigeſimo quarto* Menoch *lib. 1. de præſumpt. quæſtione* 89. *numero* 42. Souſa *in aph. lib. ſecundo capit.* 20. *numero* 12. Carena *ubi ſupra.*

Unde confeſſio ſurdi, & muti, quæ per ſe ipſos ſpeciatim exprimi non poteſt, niſi nutu & ſignis, uti dubia & incerta, non eſt ſufficiens ad illos condemnandos, niſi per depoſitiones teſtium ſint convicti, ut per Bald. *in lib. primo numero 27. C. de confeſ.* Gomez. *var. tom. tertio capit. primo, numero* 69. Farinac. *loc. cit. quæſtione* 98. *numero* 162. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 13. *numero ſecundo & ſeq.* & alii, quos ſequitur Carena *ibid. nu.* 48.

Requiritur etiam, ut confeſſio ſit ſpecialis, quæ ſufficienter hæreſim ſpecialem declaret. Si enim quis generaliter fateretur, ſe hæreticum fuiſſe, nec declararet peculiarem hæreſim, non eſſet ſufficiens ejus confeſſio, ſed exprimere debet, an Lutheranus, an Calviniſta, an Arrianus fuerit, ac declarare ſuum particularem errorem in fide, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 13. *nu.* 3. *&* 4. & in Enchit. *tit.* 29. *n.* 2. Farinac. & Caren. *loc. alleg.*

Quod ſi reus revocet confeſſionem factam in ſuo examine, eſt ab Inquiſitore admittenda illius revocatio, ſi illam revocet incontinenti, & in eadem præſentia Inquiſitoris. Nam ex illa confeſſione condemnari non poteſt; quia cenſendum eſt ex lapſu linguæ, vel ex metu torturæ, vel ex alia cauſa extrinſeca illam feciſſe, ut per Royam *de haeret. par.* 2. *num.* 260. Farinac. *d. qu.* 81. *numer* 348. Souſam *in aph. lib. 2. cap. 20. numero* 55, & Caren. *d. tit.* 8. *§.* 11. *num.* 51. Si verò confeſſio fuerit cum aliquo temporis intervallo ab Inquiſitore, aut à Fiſcali accepta, ſed cum aliquo errore ipſius rei; & tunc admittenda eſt erroris probatio, etiamſi pro confeſſione eſſent mille indicia, & errore probato, valida eſt revocatio, ita, ut ex prima confeſſione reus condemnari non poteſt, per Simanch *d. tit.* 13. *numero* 13. *& ſeq.* Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 188. *numero* 75. *& cit. quæſtione* 81. *nu.* 335. Debet tamen ipſe probare, non ſolum errorem, ſed etiam cauſam, quare ſic erraverit. Hoc autem ſufficienter probabit, ſi probet, quod ob metum à Judice, vel ab alio extrinſeco illatum confeſſus fuit, vel ſi multum temporis præceſſit, in quo oblivio præſumi poteſt per Farinac *d. q.* 81. *n.* 344.

Si autem revocatio non ſit incontinenti, & antequam reus ab Inquiſitoris præſentia diſcedat, neque error probetur, tunc nullius valoris eſt confeſſionis revocatio, ſed poteſt, ac debet Inquiſitor reum condemnare. Quia prima illius confeſſio ſemper firma conſiſtit, quoties error in ea commiſſus non probatur. Nam nullus præſumitur contra ſe dicere teſtimonium falſum, atque ideo non eſt admittenda revocatio. Aliàs nullus hæreticus confeſſus damnari poſſet, cùm omnes ante condemnationem poſſent confeſſionem factam revocare, ut per Pacif. de Par. *de ſyndic. v. tortus capit.* 8. *num.* 1. Farinac. *de reo confeſ. d. qu.* 81. *nu.* 344. *& de hæreſ. q.* 187 *numero* 75. Seſſ. *dec.* 472. *num.* 7. *tom.* 4. Souſ. *in aph. lib. 2. capit.* 48. *num.* 22. Caren. *d. §.* 11. *num.* 55. *& ſeq.* Treviſ. *lib. 2. dec.* 31 Royas *de hæreſ. p. 2. aſſ.* 11. 25. *num.* 265. Dianam *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 22.

Reus autem S. Officii, qui incidenter in ſuo examine confitetur aliud delictum extra cauſam principalem, de qua agitur, eſt de illo puniendus pœna ordinaria, dummodo delictum incidenter confeſſum ad forum S. Officii pertineat. Quoniam, licet in rigore juris tunc ſolum hujuſmodi delictum puniatur pœna ordinaria, quando tangit delictum cauſæ principalis per textum *in capit. 1. de except.* & docet Bartol. *in l. 2. ſi publico ff. ad leg. Jul.* ſecus autem quando non tangit cauſam principalem, quo caſu puniendum eſſe pœna extra ordinem colligitur *ex d. cap.* 1. & tradunt Farin. *d. q.* 81 *num.* 264. Souſa *d. cap.* 20. *num.* 38. Cantera *de ver. confeſſ. d. cap.* 1. *nu.* 6. Hæc tamen doctrina locum non habet in S. Officio. Quia cùm in eo ſint remiſſæ omnes ſolemnitates, ac rigores juris, intelligitur etiam remiſſus rigor juris dicti *cap.* 1. quandoquidem Inquiſitores procedunt in crimine hæreſis, ejuſque incidentibus, & connexis, ſummarie ac de plano, ſine forma & figura judicii per *capit. ſtatuta de hæret. in 6.* & per Conſtitutionem Alexandri IV. quæ incipit, *Cupientes* & Urbani IV. cujus initium, *Licet ex omnibus*, & per Clement. 2. *de verb. ſignif.* ac docent Farin. *de hæreſ. qu.* 185. *nu.* 14. Souſa *in aphor. cap. 1. nu. 2. & ſeq.* & Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 1. Ac proinde in S. Officio reus, qui incidenter de alio crimine confitetur, utique ex illa incidenti confeſſione pœna ordinaria puniri poteſt per Carenam *p. 3. tit. 8. §. 4. num. 29. & 30.* ac Bordon. *tom. 1. cap. 34 nu.* 20.

Rei verò confeſſio facta per Judicis ſuggeſtionem non eſt ſufficiens ad ipſum reum condemnandum. Quia Judex debet reum generaliter interrogare, non autem in ſpecie, eſtque ei prohibitum interrogatoriis ſuggeſtivis uti per *l. 1. §. in cauſa ff. de quæſtione* ut ibi notant Godofred. & tradit Farinac. *de reo confeſ. qu.* 83. *num.* 48. Souſa *d. lib. 2. cap. 20. numero* 60. Poteſt quidem Judex ita reum interrogare. An à tanto tempore cum aliquo fuerit rixatus, cum quo, quo loco, quove tempore. An vulnera aliqua fuerint illata, quæ, quotve, & in qua corporis parte, nunquam

nunquam verò dicere, nonne verum eſt, vel ſcio, te vulneraſſe, vel occidiſſe Mamphum, vel ſimile aliud. Idemque ſervandum eſt etiam ab Inquiſitore in caſu ad S. Officium ſpectante. Nam omnes conveniunt, confeſſionem extorſam ſuggeſtivis interrogationibus non obeſſe reo, Boſſ. *de exam. reor. num.* 12. Scacc. *de judic. lib.* 1. *capit.* 86. *numer.* 7. 40. *& ſeq.* Farinac. *loc. cit. num.* 48. Carena *p.* 3. *tit.* 8 *§.* 6. *num.* 34. Bordon. *d. cap.* 34. *n.* 24.

Ac id ipſum ſervandum eſt in examine rei in tortura. Tunc enim ſufficit, ſi Judex illum iterum aut terriò illum moneat, ut veritatem, de qua alias interrogatus fuit, liberè fateatur, ſinat amplius ſe fune torqueri, ut per Caren. *ibid. num.* 37. *qui nu. ſeq.* ſubdit, declarandum eſſe, quod reus generaliter eſt interrogandus, non in ſpecie, quando Judex extra torturam non habet ſemiplenam probationem, & in tortura pluſquam ſemiplenam. Quia tunc poteſt reum interrogare in ſpecie, an tale delictum commiſerit, ita tamen, ut primum in genere, ac deinde in ſpecie id faciat per Scacc. *d. lib.* 1. *capite* 86. *num.* 38. *& ſeq.* Farinac. *ubi ſupra n.* 97. alioſque apud ipſos.

Quando autem reus in renunciatione defenſionum ſe remittit benignitati, ac miſericordiæ S. Officii, ſi hæc remiſſio ſit in judicio coram Judice, ſedente pro tribunali, utique per eam inducitur, confeſſio delicti commiſſi abſque revocatione, nec Judex neceſſitate coactus eſt ad illam revocandam ob gratiam & miſericordiam ei faciendam. Si vero hæc remiſſio fit extrajudicialiter, tunc non intelligitur facta delicti confeſſio, ut per Carenam *p.* 3. *tit* 8. *§.* 19. *num.* 95. ubi etiam ait fuiſſe ita declaratum à S. Congregatione, teſte Anna ſeniore *cap.* 1. *de vaſal. decrep. ætat. n.* 57. Hæc tamen confeſſio, quoniam non explicita, ſed tacita, non eſt ſufficiens ad reum condemnandum.

Confeſſionem verò minoris, inquiſiti in S. Officio, non eſſe illi præjudicialem, ſi fiat ſine Curatore, ſive talis confeſſio ſit ſpontanei comparentis, ſive inquiſiti, ſive ſit juramento firmata, ſive ſit ratificatio poſt torturam, docent Monticel, *in pr. cr. reg.* 10, *num.* 17. Royas *de hæret. p.* 2. *num.* 318. Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 28. Locat. *in pr. Inquiſ. v. Curator* Guazin. *to.* 2. *lib.* 1. *defenſ.* 30. *capit. quarto numero* 21. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 61. qui omnes firmant quod in tribunali S. Inquiſitionis minori viginti quinque annis inquiſito, dandus omnino eſt Curator, cujus autoritate defendatur, ne vel ob imperitiam, vel ob juvenilem ætatem aliquid taceat, vel dicat, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non dictum, prodeſſe ei poſſet, Et in inſtructione Inquiſitionis Madrilianæ anni 1561. *capu.* 25. cautum eſt, ut refert Pegna, *Si reus fuerit minor viginti quinque annis, priuſquam accuſationis reſpondeat, ſibi dabitur Curator, cujus autoritate ratificabit confeſſiones factas, & formabitur totus proceſſus. Sed Curator non ſit ex Officialibus S. Officii, & poteſt eſſe advocatus ejus, vel quælibet alia perſona gravis, fidelis, & bona conſcientia.*

Si quid verò à minori geſtum ſit abſque hujus Curatoris autoritate, id ipſo jure irritum eſt, per *l. clarum C. de auctor. præſt.* Corn. *conſ.* 198. *lib.* 4. Afflict. *deciſ.* 208. Alex. *conſ.* 115. Gomez. *tom.* 3. *de delict. capit.* 1. *numer.* 64. & Monticel. *loc. cit.* inquit; ſi minor ſit reus, Judex debet ei dare Curatorem, aliàs proceſſus nullus eſt, etſi minor confiteretur, etiam ſponte ſine Curatore, talis confeſſio ei non noceret. Immò ſi diceret ſine Curatore Judici: Non me torqueatis, quia juro omnia confiteri; talis confeſſio facta, etiam cum juramento, non præjudicabit ipſi minori. Quod etiam tradunt alii apud ipſum. Sed in aliquibus locis, ut refert Diana ubi ſupra, conſuetudo eſt in contrarium, quam non improbat Roſbach. *in pr. cr. tit.* 5. *cap.* 21. *numer. tertio* Regula autem eſt, *quod carcerato in S. Officio dari ſolet Curator, ut coram illo ſua dicta ratificet, niſi conſuetudo procedendi ſit contraria*, ut dixi aliàs.

Non iccirco tamen minor cogi poteſt in judicio S. Inquiſitionis, ut ſibi nominet in Curatorem aliquem ex Officialibus Inquiſitionis. Quia zelus talis Officialis præjudicare poſſet minori, ut per Doctores communiter, qui citant inſtructionem Toletanam anni 1561. *capit.* 25. Neque minor poteſt ſibi nominare in Curatorem proprium parentem, quia iſte propter affectum præſumitur parum ſincerus. Quod ſervatur in praxi, quamvis contrarium ſentiat Gomez. *lib.* 3. *var. cap.* 1. *nu.* 64.

Lamiæ verò, ſive maleficæ primùm in prima audientia interrogandæ ſunt ab Inquiſitore, an ſciant, vel præſumant cauſam ſui examinis. Deinde de inimicis, & cauſis inimicitiarum. Quis fuerit earum confeſſarius. Quomodo ſacra myſteria frequentaverint, ac ſimilia, ut de earum vita & moribus notitiam recipiant. In ſecunda & aliis audientiis, an ſciant aliquod ſortilegium, & ad quem effectum. An unquam eo uſæ fuerint. Si negaverint, poſſunt eis fieri aliæ interrogationes in genere, paulatim objiciendo ea, quæ conſtant in proceſſu, ſuppreſſis ſemper nominibus & cognominibus teſtium ac circumſtantiis, ex quibus illæ poſſent in teſtium cognitionem venire. Ita Carena *p.* 2. *tit.* 12. *numero* 212. & Maſin. *in prax. p.* 7. *fol.* 179. ubi ſic maleficæ apoſtaſiam fateantur, & quod iverint ad ludos dæmoniacos, diligenter debet eas Inquiſitor interrogare ſuper omnibus circumſtantiis, quæ ſi in judicio veræ fieri poſſint, curare omnino debet, ut, quoad fieri poſſit, veræ fiant.

Si lamia, vel ſortilegus, vel quivis alius confiteatur factum hæreticale, ſed neget intentionem, eſt ab Inquiſitore cenſendus hæreticus, ſi factum hæreticale fuit ſpontaneum. Quia ſatis convincitur de mala intentione convictus de ſpontaneo facto hæreticali. Factum enim malum ex mala intentione factum eſſe, ſupponitur per *capit.* 1. de præſumpt. Si enim ex negata intentione ceſſaret negatio hæreſis ex verbis, vel factis hæreticalibus, aperta eſſet via omnibus hæreticis vitandi condemnationem, cùm omnes ſe excuſare poſſent, abſque mala intentione verba illa protuliſſe, & facta geſſiſſe. Quod plane abſurdum eſt, ideoque hæc fallacia iis patrocinari non poteſt, ut per Royam *de hæret. par.* 1. *numero* 276. *& numero* 573. Albertin. *de agnoſc. aſſert. qu.* 8. *num.* 12. *q.* 32. *num.* 17. *& qu.* 14 *num.* 57. Simancb. *de cath. inſtit. tit.* 13. *num.* 16. & *in Enchirid. tit.* 29. *nu.* 8. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 10. *nu.* 6. Torrebl. *de mag. lib.* 3. *cap.* 5. *nu.* 49.

Tradunt tamen Cantera in *quæſt. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 69. Pegna *in direct. p.* 2. *com.* 59. *§. quod ſi non*, Lazar. *in tr. de blaſphem. qu.* 6. *num.* 13. Graff. in *deciſ. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 15. quod ſi reus ſive confeſſus tantum, ſive convictus, & confeſſus de facto hæreticali, intentionem neget, torquendus ſit ſuper intentione Idemque affirmant Royas *loc. cit. num.* 306. & Albertin. *qu.* 8. *nu.* 12. *qu.* 34. *numero* 52. *& ſeq. & qu.* 36. *num.* 18. ſi aliquis confiteatur non facta, ſed verba hæreticalia dixiſſe, & neget intentionem, tanquam de hæreſi ſuſpectus, poteſt ſuper intentione torqueri.

Lamiis, ac ſortilegis dicentibus feciſſe maleficia, vel ſortilegia, ignorantes eſſe contra fidem, non debent Inquiſitores credere, neque admittere talem excuſationem, Quoniam licet in foro conſcientiæ ignorantia,

rantia,

tantia, etiam craſſè & affectata, quæ ſit cauſa erroris, excuſet à peccato hæreſis, uti excommunicatio, aliæque pœnæ ſunt impoſitæ per Azor. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *qu.* 9. & *lib.* 8. *capit.* 8. *quæſt.* 4. & *cap.* 9. *qu.* 8. Aragon. 2. 2. *qu.* 11. *ar.* 1. Bennes *ibid. ar.* 2. Coninsk. *de cens. diſp.* 18 *dub* 7. *concl.* 4. & 5. Suarez *eod. tit. diſp.* 19. *ſect. tertio numero* 9. & 18. Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 179. *numero* 29. & *ſeq.* Quia cum ignorantia, etiam affectata, quæ ſit cauſa erroris, eſſe non poteſt pertinacia contradicendi autoritate Eccleſiæ, quæ requiritur in peccato hæreſis; in foro tamen externo, ac judiciali errans in fide, ſi alleget ex ignorantia erraſſe, ei non creditur, ſi error commiſſus ſit in his, quæ quis ex officio ſcire tenetur, ac ſcire nolit, vel quæ paſſim & communiter omnes illius qualitatis ſciunt, ut alibi diximus, & tradunt Souſ. *in aphor. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 12. *numero* 14. Caſtropal. *p.* 1. *tr* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *num.* 5. Caren. *p.* 2. *tit.* 1. *§.* 11. *numero* 68. Menoch. *conſ.* 82. *num.* 75. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 179. *num.* 27. & *ſeq.* Simanch. *de cathol. inſtit. tit.* 27. *numer.* 13. Pegna *in direct. p.* 1. *quæſt.* 7. *conc.* 22. obi ait: qui errat in his, quæ ſunt fidei ignorantia affectata, & præſertim in his, quæ ſcire debet, aut ſcire præſumitur, hæreticus eſt cenſendus. Nam qui ignorantia affectata errat, ex malitia propria, & animi iniquitate errare putatur. Et poſt pauca ſic addit; Qui errat ex ignorantia craſſa, & ſupina in his, quæ fidei ſunt, ac ſcire debet, nec probabile eſt ea à fidelibus, vel à ſuæ conditionis hominibus ignorari, hæreticus etiam cenſendus eſt.

Notandum autem eſt, ignorantiam affectatam eſſe illam, qua quis non vult ſcire, quod ſcire tenetur, ut liberius, & abſque contradictione conſcientiæ operetur; Craſſam, ſive ſupinam eſſe, qua quis ignorat, quod communiter omnes ſui ordinis ſciunt, & nullam diligentiam adhibet ad illud ſciendum, quæ ignorantia dicitur indirectè voluntaria, ſicut affectata dicitur directè voluntaria.

Effata. Interrogatoria additionalia ex praxi S. Officii non permittuntur.

Interrogatoria reorum, maxime in criminalibus, debent extendi in proceſſu, ut poſſit videri, an ſint facta ſuper inditiis, an potius ſuggeſtiva; & praxis contraria, tanquam iniqua damnatur.

Curent Judices ſeculares, ut ſcribatur id, quod rei incidenter interrogati dicunt, ad S. Officium ſpectans, illudque quamprimum Inquiſitoribus, vel Ordinariis referant Quod ſi rei ex induſtria dicant habere aliquid deponendum, ſpectans ad S. Officium, de hoc certiores reddere debent Ordinarios, vel miniſtros S. Officii, ut ſecretò illorum examen recipiant.

Nolens jurare de veritate dicenda in ſuo examine, torquendus eſt pro habendo juramento.

CONSULTATIO CLX.

De Iudiciis, ex quibus Reus torqueri poteſt in Tribunali S. Inquiſitionis.

INdicium ex Sylveſtro *v. indicium numero primo* eſt medium intellectuale veritatis eliciendæ, inſurgens ex aliqua circumſtantia ſingulari per *l. indic C. de rei verit. & per l. fin. C. de prob.* Ex Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 25. Farinacio *de indic. & tort. qu.* 36. *num.* 35 eſt ſignum demonſtrativum rei geſtæ, inducens Judicem in cognitionem delicti. Ex Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 1. *num.* 4. cum Baldo *in l. non hoc C. unde legitimi*, eſt conjectura ex probabilibus, & non neceſſariis orta, à quibus poteſt veritas abeſſe, ſed non ſimilitudo veri, quæ quandoque mentem judicantis ita arctat, & conſtringit, ut cogat ejus conſcientiam ſecundum eam judicare, idemque Baldus ponit differentiam inter præſumptionem, & indicium, dicens, quod præſumptio eſt probatio probans, indicia verò ſunt probatio probata in præſumptione; unus teſtis non facit plenam probationem, ſed tangit directè factum probandum. Indicia verò & conjectura indirectè tangunt factum, ac proinde minus eſt indicium, quam præſumptio. Sed quidquid ſit de hac concluſione, indicium ex aliis eſt omne id, ex quo aliquo modo colligi poteſt quiſnam ſit criminis autor, ac dici poteſt, quod ſit argumentum quoddam, delicti indicativum, ut ex textu *in l.* 1. *§. idem Cornelio ff. de quæſt*, ſatis aperte colligitur, dum ſic ait Ulpian. *Idem Cornelio Proculo reſcripſerunt non utique in ſervi unius quæſtione fidem rei conſtituendam, ſed argumentis cauſam examinandam*, facitque textus *in l. Divus Adrianus §. ſed & caput*; ibi: *non exquiſitis argumentis, ff. de cuſtod. reor.* Adjungitur delicti indicativum, quoniam argumentum ſive indicium eſt probabile inventum ad faciendam fidem, quo colligitur aliud per aliud, hoc eſt illud quod certum eſt deducitur. Et quamvis indicium præſumptio, conjectura, ſignum, ac ſuſpicio propriè diſtinguuntur inter ſe, ut notat Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *præſumpt.* 7. *numer.* 18. ſingula tamen prædicta ſub uno verbo indiciorum continentur. Quo fit, ut ad afficiendum reum, ſive ad illum conſtituendum, ſive ad illum torquendum, ſive condemnandum paratum referat, quo nomine appellentur, quia lex interdum ſub uno, vel altero nomine illa nuncupat Brun *in tr. de tortura.*

Ita dividitur. Aliud eſt facti, hoc eſt, quo Judex ſe dirigit ad habendum notitiam facti de illo inquirendo ad ſui informationem. Aliud, quo idem Judex ſe dirigit in viam juris ad effectum torquendi, vel condemnandi reum, ut notat Boſſ. *in pr tit. de inquiſit. numer.* 4. per per doctrinam Baldi *in l. ſervus C. de teſtibus.*

Indicia facti ſunt illa, quæ factum demonſtrant, quibus Judex ſe inſtruit de facto. Ad hæc indicia demonſtranda ſufficiunt unus teſtis, ac etiam inimici. Nam etiam inimici dirigunt Judicem in viam intelligendi in ſpecie propter circumſtantias per eos datas, non tamen immediate dirigunt ad inquirendum, ut procedat contra inquiſitum, ut idem Boſſ. *loc. cit. num.* 4.

Indicium vero juris licet varias de illis Doctores tradant differentias, ad duplicem tamen ſpeciem reduci poſſunt, nimirum quod alia ſint omnibus delictis communia, alia particularia, & delictorum propria

Quoad communia pariter diſtinguuntur in indicia dubia, ſeu veriſimilia, & in indicia indubitata, ſive certa. Illa deſcribi poſſunt, quod ſint præſumptiones ſpecialiter moventes animum Iudicis ad aliquid credendum, vel non credendum, ſive quod non ita arctant mentem Iudicis, quod non poſſit inclinare in partem oppoſitam, ut per Farinac. *ſupra qu.* 36. *nu.* 38. Cantera *in quæſt. crim.* 6. *num.* 1. *de prob.* Caren. *d tit.* 10. *§.* 2. *nu.* 5. & ſunt idem, quod ſemiplena probatio, Surd *conſ.* 132. *num.* 92. Et dicuntur veriſimilia, ſive probabilia, quia rem veram eſſe arguunt, *l. milites §. oportet C. de quæſt.*

Indicia verò indubitata ſunt illa, quæ ita arctant mentem Iudicis, ut omnino credat, nec poſſit in contrarium inclinare, Farinac. *d. qu.* 36. *num.* 36. quæ etiam plena dicuntur. Hæc dupliciter differunt. Alia ſunt indubitata ex ſeipſis, hoc eſt, poſito indicio probato, reſultat certitudo delicti, exempli gratia. Poſito, quod certum ſit, quod Titius viſus fuit cum gladio cruento egredi è domo, in qua repertum fuit cadaver Seii, ſtatim ex iſto indicio reſultat certitudo, quod idem Titius occiderit Seium illum. Advertendum

tamen

tamen eſt, quod ubicunque poſſibile eſt, rem ſe aliter habere, tunc non dicitur indicium indubitatum.

Alia ſunt indicia indubitata reſultantia ex cumulatione plurium indiciorum veriſimilium, ut per eundem Farinac. *ibid. quæſt* 86. *numero* 59. 61. *&* 62. *&* 82. *& conſ.* 108. *num.* 90. cum hac tamen declaratione. Primo quod prima indicia non ſint ſimpliciter remota ſed gravia, & valdè proxima delicto. Secundo, quod cumulentur ad reum condemnandum in pœnam pecuniariam, non autem in pœnam corporalem.

Item aliud eſt indicium proximum, quod reſpicit veritatem delicti immediatè per proprium ſenſum viſus, vel auditus juxta exigentiam delicti. Exempli gratia. Vidi Titium adorare Idolum, vel auribus meis illum audivi blaſphemantem

Aliud remotum, quod non indicat ſubſtantiam delicti, ſed circumſtantias, ex quibus devenitur in delicti cognitionem. Hujuſmodi ſunt confeſſio delinquentis extrajudicialis, facta, dictum ſocii criminis, vel mandatarii, conſuetudo delinquendi, & ſimilia Farinac. *dict. quæſtione* 36. *numero* 44. Souſa *dict. lib.* 2, *cap.* 39. *num.* 16. & Carena *ibid. numer.* 6. *&* 7.

Denique aliud eſt leve, ex quo raro, & non facile infertur crimen, & à nonnullis dicitur ſuſpicio conjecturalis. Aliud grave, ac urgens, ex quo delictum facilè ac frequenter deduci ſolet. Aliud graviſſimum, ex quo fere ſemper delictum deducitur, quia frequentiſſime fieri ſolet. In particulari verò quænam ſint indicia levia, quæ gravia, & quæ graviſſima, cùm tradi non poſſit certa regula, relinquitur arbitrio Judicis, ut per Farinac. *dict. quæſt.* 36. *numero* 110. *&* 218. Souſam *dict. lib.* 2. *cap.* 23. *à numero* 11. Eymer. *in directˀ.p.*2.*quæſt.* 55.*num.* 1. ibique Pegnam *com.* 80.*& p.*3. *com.* 110. *litt. H.*

Probatio autem indiciorum diverſa eſt, ſicut diverſa ſunt indicia. Nam ad probationem indiciorum facti quælibet probatio ſufficit, ſive illa proveniat à teſtibus habilibus, ſive inhabilibus. Quia motivum inquirendi de delicto ſumi poteſt à quacumque notitia, quoniam ad id, quod eſt de facto videtur etiam ſufficiens teſtis de facto, & qui aliàs nihil valeat, ut per Bald. *in leg. ſervos C. de teſtib.* Boſſ. *titul. de inquiſ.n.* 4. Secus verò quoad probationem indiciorum juris, ſcilicet ad effectum torquendi, vel puniendi, cùm teſtes dumtaxat idonei, ſive habiles recipiendi ſint, & in qualibet iſtorum indiciorum probationes, utplurimum admittendi ſint duo teſtes per Accurſ. *in leg. ult. n. vel indiciis C. famil. erciſc.* quam doctrinam ſequuti ſunt Bartol. *in l. ult. num.* 7. *de quæſt.* Alex. *conſ.* 18, *poſt. nu.*6.*lib.* *u.* & alii, quos adducit Maſcard. *de prob. concl.* 895. *n.* 1.

Quod declaro hac diſtinctione. Quando agitur de probando indicio remoto à delicto, verùm eſt, requiri probationem per duos teſtes, ut declarat Bartol. *in leg. fin. n.*7.*ff. de quæſt.* ſecus quando agitur de probando indicio proximo ad delictum, tunc enim unus teſtis ſufficit, dummodo ſit omni exceptione major, ut per Marſil. *in pr. d. diligenter n.*1. poſt Bartol. *in leg. admonendi num.* 36. *de jurejur.* Quod tamen intelligendum eſt procedere quoad examinandum reum, ſive illum torquendum, non autem quoad illum condemnandum, Farinac. *conſ.*65,*n.*53. Alex. *conſ.* 89. *n.*7. *lib.*3.

Non obſtat Boſſius *tit. de indic. ante tortur. nu.* 18. inquiens, quod etiam in indicio propinquo, ac proximo delicto requiratur probatio per duos teſtes. Quod etiã confirmatur à Burſat. *conſ.* 35. *n.* 2. Nã reſpondetur, quod numerus teſtium in hoc caſu non videtur neceſſarius neceſſitate præciſa, ſed ut aiunt, ad bene eſſe. Si enim unus teſtis omni exceptione major ſufficit ad procedẽdum contra reum inquiſitum, eo magis ſufficiunt duo ac plures. Verum quidem eſt, quod numerus teſtium eſt tantæ poteſtatis, quod facit teſtes aliàs inhabiles, eſſe habiles, ut notat Crot. *de teſtib. d.* 193 Quo circa ſi fortaſſe unus teſtis deponens ſuper indicio proximo non fuerit omni exceptione major, ſuppletur per alios habiles, ut ſufficiens evadat, Farin. *de teſtib. qu.* 62. *num.* 331.

Inter autem multiplices effectus probationis indiciorum præcipuus eſt, ut inquiſitus poſſit examinari, & coram Judice conſtitui & poſt rei examinationem ſint apta recipiendi corroborationem à legitimatione ad inferendum tormenta, ac etiam punitionem, ac proinde indicia, & eorum probationes non debent eſſe æquivoca, ſed concludenter probatæ, ſaltem per duos teſtes conteſtes, aliàs nullius eſſent effectus. Aymon *conſ.* 6. *num.* 12. Becc. *conſ.* 85. *num.* 9. Farinac. *quæſt.* 37. *n.* 6. Eſt namque regula, quod ſicut plures probationes imperfectæ non junguntur ad faciendum aliquod perfectum *l.*1.*C. qui num. tutel.* ubi dicitur, quod ex pluribus imperfectis in ſua ſpecie non reſultat aliquod perfectum. Nam ſi unus teſtis probaret de veritate, unus de fama, unus de alio indicio, iſta probatio non ſubſiſteret, quia non eſſet in ſua ſpecie perfecta; cùm unus teſtis de fama, non probat famam, unus teſtis de alio indicio, non probat indicium, ut per Bald. *in l. Prætor. ait in addit.* §. *quod n.* 3. *ff. de eden.* Ita interrogetur reus de delicto, hujuſmodi interrogatio debet eſſe clara, & ſpecifica continens omnes qualitates, & circumſtantias ſecundum probationes habitas, ne reo tollantur defenſiones, ut per Farinac. *q.* 1. *n.* 11.

At objicies, quod hæc rectè procedunt ad effectum inferendi torturam, vel aliud tormentum, non autem ad effectum illum ſimpliciter conſtituendi, ad quem effectum ſufficere planè videtur quælibet ſuſpicio, & quælibet conjectura. Immò poteſt ſine indiciis interrogari, ac examinari, ut videtur notare Clarus *qu.* 45. *verſ. ſcias autem*, Chart. *in pr. lib.*1.*cap.*2. *num.* 8. Lucatel. *de quæſtione indic. inſpect.*5. *num.* 185. *& ſeq.* ubi refert, quod paſſim Judices ordinarii Urbis, ac cœteri Eccleſiaſticæ ditionis ſtatim reum captum examinant. Quanto igitur magis interrogari poſſet, dum adſunt præſumptiones;

Reſpondetur, quod cum reus ſine indiciis nec interrogari, neque inter reos poni poſſit, ut tradit Farinac, *quæſt.* 81. *num.* 15. & *conſ.* 110. *num.* 22. Marſil. *conſ.* 130. *nu.* 35. attamen ſimplex ſuſpicio, ſeu ſimplex conjectura non videtur ſufficiens ſine ſuis adminiculis ad interrogandum reum, Boſſ. *tit. de exam. reor. n.*6. Vel dicendum, quod quatenus interrogari poſſit, non niſi ſecundum qualitates indiciorum contra eum reſultantium, faciendum eſt examen illius, Cavalcan. *de brach. reg.* 3. *n.* 189. Quia cum eo conteſtari oportet duntaxat quæ per teſtes recepta ſunt, & non aliàs Farinac. *qu.* 1. *n.* 45. Chartar. *d. n.* 8. Ea verò quæ objecta ſunt, procedunt ſtylo, ſive de conſuetudine, ut ait *ibid.* Lucatell. de jure autem contrarium ſervari oportet, ut per Farinac. *d. q.* 81. *n.* 15.

Porrò quod plura indicia remota per teſtes plures ſingulares probata, ſufficiant ad torturam videtur aſſerere Vulpel. *conſ.* 39. *n.* 11. *&* 12. autoritate Grammatici *dec.* 34 *n.* 35. & *conſ.* 32. *num.* 10. & Aym. *conſ.* 35, ubi tradit, quod ſufficiant ad torturam propter regulam, ſi non poſſunt ſingula, multa unita juvant Hanc. Vulpelli opinionem ſequitur Caball. *caſ.* 193. *n.* 1.

Sed Farinacius *q.* 37. *n.* 38. ait, quod hæc concluſio diu ancipitem ipſum tenuerit, & quod tandem omnibus hinc inde conſideratis, devenerit in hanc ſententiam, nimirum, quod id procedere poſſit quatuor requiſitis concurrentibus. Primo quod teſtes ſint omni exceptione majores, & ſic idonei. Secundo, quod ſint ſuper indiciis delicto proximis recepti, non autẽ ſuper valde remotis. Tertio, quod indicia, ſuper quibus teſtes ſingulares deponunt, ſint plura, & talia, quæ reddunt animum Judicis, quaſi certum, quod reus deliquerit.

Quarto,

Digitized by Google

Quartò, quod prædicta indicia probata per teſtes ſingulares tendant ad eundem finem, & conjungantur.

Quod ad primum requiſitum, tunc teſtes ſunt omni exceptione majores, quando contra eos nulla exceptio opponi poteſt, Roland. *conſ. 7, num. 13. lib. 1.* Quinimo quod ſuperent omnem frivolam exceptionem adeo, quod eis nihil poſſit opponi, Grammat. *conſ. 59. num. 17.* & faciunt textus *in l. optimum C. de contrah. & commut. ſtipul. ſub fin.* Gloſ. in §. *item verborum inſtit. de inut. ſtipul.* verba teſtes omni exceptione majores ſunt illi, quorum fides nulla ex cauſa legitima poteſt maculari, & qui communi hominum opinione reputantur boni viri, idonei, ſcilicet bonæ exiſtimationis, atque textus *in l. 42. ff. de verb ſignif.* Unde advertunt Roland. à Val. *vol. 3. conſ. 2. n. 38.* Burſat. *lib. 1 conſ. 37.* Macerat. *var. lib. 3. reſol. 44. caſ 4.* quamlibet maculam, ac minimum defectum impedire, ne teſtis ſit omni exceptione major, neve probet indicium eſſe ad torturam. Quia teſtis omni exceptione major eſt ille, cui nihil opponi poteſt, ut diximus.

Quod ad ſecundum, videtur, inſpecto iſto requiſito, concluſin propoſita de remotis removeri, atque excludi & ſic doctrina Farinacii non habere locum in dicta concluſione, in qua quæſitum fuit de teſtibus ſingularibus deponentibus ſuper indiciis remotis. Ideoque ſciendum eſt, quod indicia remota dupliciter differunt. Quædam ſunt remota, ſed valde de ſe inferentia delictum. De horum genere ſunt confeſſio extrajudicialis, & res furata apud aliquem reperta. Quædam ſunt remota, ſed generalia, non valde inferentia de ſe delictum, ut ſunt inimicitia, fuga, fama. Prima indicia dicuntur remota, ut contra diſtinguantur ab indiciis, delicto immediatè proximis. Nam etiam confeſſio extrajudicialis dicitur proximum indicium, prout illam appellavit Oſaſch. *dec. 79. num. 8.* Peguer. *dec. 17. num. 3.* ſed non immediatè, & dicitur indicium remotum propter veriſimilitudinem, quam defert delicti, ac proinde indiget probatione per duos teſtes eo teſtes, ac non ſingulares. Bertazol. *conſ. 549. nu. 6. lib. 2.* Quod non ſequitur in indiciis immediatè delicto proximis; quæ unico ſolo teſte probata ſufficiunt ad torturam, Farinac. *q. 37. num. 42. & 70.*

Secunda verò indicia dicuntur valde remota, ut contra diſtinguantur ab indiciis ſimpliciter proximis, ſed remotis per reſpectum ad indicia immediatè proxima. Nam inimicitia, exempli gratia dicitur indicium valde remotum, quia ex quadam ſimplici ſuſpicione ſufficiens redditur ad cogitandum, quod inimicus offenderit, ſed ſemper cum aliqua formidine, quod alius quam inimicus potuerit offendere, ac proinde inimicitia debet eſſe probata præcisè, ac debet eſſe correſpectiva ad id, quod fuit ſequutum, Farin. *conſ. 55. num. 24.* Et hæc indicia debent pariter probari per duos teſtes.

Quod ad tertium. Hoc requiſitum deſiderat pluralitatem, quæ duplex eſt. Altera quæ in duobus comprobari poteſt *arg. l. ubi numerus ff. de teſtib.* quocirca duo indicia ſimpliciter proxima, ſed non immediata, videntur ſufficere ad torturam, cum faciant ſemiplenam probationem, ac debent plenè probari. Altera, quæ in multo pluribus poteſt comprobari, & ſic tria, aut quatuor indicia poſſunt ſufficere ad torturam, licet ſint probata per teſtes ſingulares. Quo in caſu videtur comprobari concluſio. Nam, ut ait Farinac. *dict. quæſtione 37. numero 34.* ſi unus teſtis dicat, ſe vidiſſe Seium in terra proſtratum, & interrogatus reſpondit, vulneratum à Titio; alter verò dicat, ſe vidiſſe Titium ſanguine aſperſum, & cum evaginato enſe fugientem, alius autem deponat, eundem Titium vidiſſe recto tramite verſus nemora euntem, & occultè latitantem, certè hi ſinguli teſtes, licet de ſingulis indiciis ſingulariter deponant, nemo tamen ſanæ mentis negabit, quin faciant indicium ad torturam. Ita Farin.

Quòd verò ad quartum requiſitum, nempe quod prædicta indicia probata per teſtes ſingulares conjungantur, quando tendunt ad eundem finem, cùm ex pluribus diverſis nunquam reſultat unum, facit quod notatur *in l. ubi fidejuſſor ff. de ſolut.* prout in exemplo ſupra ex Farinacio allato. Quia cum teſtes ſingulares ordinent ſuum dictum ad unum individuale delictum, non debent diverſo jure cenſeri, ſed uniri per ea, quæ dicit Bald. *in l. ſiquis enim in addit. ff. ſi ex nox. cau agat.* Advertendum tamen eſt, quod prædicta indicia debent eſſe ejuſdem generis, non autem diverſi. Quia etiam duæ ſemiplenæ probationes, ad eundem finem tendentes, ſi ſunt diverſi generis, non conjunguntur in criminalibus, ut inquit Boſſ. *in titul. de convictis numero vigeſimo tertio*, Bald. *in l. ſpadonem §. qui ff. de excuſ. tut.*

Non obſtat, quod Judex non debet alligare animum ſuum ad unam dumtaxat ſpeciem probationis. Et ideo unus teſtis de veritate, conjunctus cum alia ſemiplena probatione alterius formæ ac ſpeciei facit conjecturam ſufficientem ad probationem. Unde juramentum in defectum probationis cum uno teſte probat, & tamen ſunt duo actus diverſi ac diſtincti generis, & formæ, & quoad Judicis motum unus actus infert informationem alterius actus, Bald. *in d. l. ſpadonem d. §. qui & in l. 2. ff. eo l.*

Nam reſpondetur, quod objectio procedit in civilibus, in quibus non infertur præjudicium irreparabile, prout ſunt irreparabilia præjudicium torturæ ac præjudicium pœnæ, præcipuè corporalis, quæ infertur in criminalibus, faciuntque ad id, quæ adducit Centulin. ad Farinac. *conſ. 25. litt. M*

Ex quibus confirmata remanet concluſio, quod ſcilicet plura indicia remota per plures teſtes ſingulares probata, ſufficiant ad torturam, dummodo ſint indicia ſimpliciter proxima, ſed remota per reſpectum ad indicia immediatè proxima. Et hoc idem videtur ſentire Vulpel *loc. cit.* dum loquitur de confeſſione extrajudiciali, & ſic non videtur voluiſſe intelligere de indiciis pluribus, etiam per teſtes ſingulares probatis, valdè remotis. Quoniam abſurdum eſſet, quod unus teſtis de fuga, unus de fama, unus de inimicitia conjungantur ad torturam inferendam, dum hæc indicia per ſe ſola, etiam plenè probata, non faciunt indicium ad torturam per textum *in l. quæro §. fin. ff. de ædil. edict.* ibi: *Si & alia indicia prioris fugæ non deficiunt*, & tradunt Bald. *in l. fin. C. de probat.* Farinac. *q. 48.* Clar. *q 21. num. 1.* Balliſt. *tr. var. lib. 1. q. 5. nu. 2.* Præterquam quod fama non poteſt probari ſemiplenè per unum teſtem, quia debent eſſe plures, ut notat Bald. *in l. bona fidei num. 19. C. de reb. cred.* Impoſſibile enim eſt, quod adſit fama, & plures, quam unus, non ſciant illam. Et ad regulam quæ non proſunt ſingula, multa unita juvant, licet valeat ad torquendum, ut ait Farinac. *conſ. 59. nu. 1.* Immo etiam quod in occultis faciant plenam probationem, ut idem Farinac. *conſ. 38. nu. 8. & qu. 86. n. 4.* in caſu tamen hujus concluſionis tenet non procedere, niſi indiciis ſimpliciter proximis, & ad eundem finem tendentibus, ut inquit Bald. *in l. ſi tres tutelas C. qui num. tutel.* ubi docet, quod plura imperfecta non faciunt unum perfectum. Quod verum eſt, inquit ille, in his, inter quæ remanent termini diſtincti, quia ſunt diverſi generis, ac formæ. Sed quando plura tendunt ad eundem finem, tunc procedit regula prædicta *l. inſtrumenta C. de probat.*

Minus obſtat, quod quædam ſunt, quæ requirunt certam ſpeciem, & tunc diverſæ ſpecies imperfectæ nihil operantur, quia ex pluribus concurrentibus non augetur effectus, cùm non veniant ad integrationem

unius ſpeciei, ſicut ex pluribus teſtibus ſingularibus non reſultat una plena probatio. Quædam ſunt, quæ non requitunt certam ſpeciem; & tunc quod non proſunt ſingula, multa juvant, ut ait Bald. *in dict. l ſpadonem dict. §. qui ff. de excuſ. tut.*

Reſpondetur enim, quod objectio non obtinet, quando ex pluribus indiciis per plures teſtes ſingulares probatis, diceremus probari plene, ſed ſolum dicimus, quod teſultat ſemiplena probatio ad torturam ſufficiens, prout nunquam rortura infligi poteſt, niſi ex iodiciis reſultat ſemiplena probatio, ut notat Farinac. *q.36.num.231.* Semiplena autem probatio eſt ptobario imperfecta, ac proinde objectio non afficit. Atque ita cum dicimus ex pluribus indiciis ſemiplene probatis, poſſe deveniri ad torturam, intelligimus, quod ex earum imperfectis probarionibus reſultet ſemiplena probatio delicti, aliàs non procederet.

Si autem reus capiatur in flagranti crimine, puta in ipſo ſortilegio, vel alio crimine, tunc illico conſtitui poteſt abſque aliis indiciis præcedentibus, ut ait Farinac. *quaſt. 21. num. 148.* ubi licet aliàs vulgaris ſit concluſio, quod ſine indiciis nemo torquendus ſir, atque adeo neque examiuandus *l. in princ. ff. de quaſt. l. milites §. oportet C. eod.* Marſil. *conſ. 130. num. 34.* Farinac. *q.82. num.15.* reus tamen in flagranti captus, poteſt abſqoe aliis indiciis torqueri, eoque magis examinari juxta communem ſententiam, de qua Alban. *in l. defenſores num. 2. C. de defenſ. Civit.* & Clar. *q. 8. verſ. ſcias autem.*

Ur autem id procedat, duo requiruntur. Primum. quod conſtet de delicto. Secundum, quod reus fuerit captus in prædicto delicto, ut idem Fatinac. *dict quaſt. 21. num. 155.* In aliis vero delictis; pro quibus reus fuerit ex intervallo captus, omnino præcedere debent indicia ſufficientia, & legitima, aliàs ſi reus conſtitueretur, & confiteretur, confeſſio illa nullius eſſet momenti, etiamſi millies ratam habuerit, & poſtquam ratam habuerit, ſuperveniſſent indicia, ut voluit Baiard. in Clar. *in quaſt. 55. num. 31. & 37.* Immò ſubjungit idem Farinac. *d.q. 21.* & *d.n.148.* quod ſi reus in flagranti tepertus, non confiteretur, non poteſt contra eum deveniri ad aliquod rigoroſum examen ſine proceſſus legitimatione. Quod ſi teus in flagranti crimine captus, oeget delictum confrontantur ei teſtes, qui eundem in ipſo delicto reperiſſe teſtantur, & ipſo convicto, & adhuc in negatione perſiſtente, ipſum Judex torturæ ſubjicit, non ad ſciendum delictum, ſed ad habendum qualitates, & complices delicti. Concluditque *num. 152.* his verbis: deprehenſio igitur rei in flagranti crimine non operatur, ut poſſit ipſe reus torqueri, ubi aliàs non eſſet torquendus, ſed ſolum ut torqueatur ſine defenſionibus quando aliàs torquẽdus eſſet. Qood comptobatur *ex l. un. §. ne igitur C. de rapt. virg.* ubi licet Juſtinianus ſanciverit, quod raptores in flagranti crimioe comprehenſi, à parentibus virginum, vel viduarum interfici poſſint, tamen *in §. fin. autem* conſtituit, quod ſi ad manus Curiæ devenerint poſt legitimas, & juri cognitas probationes ſine fori præſcriptione duriſſimis pœnis afficiantur, & mortis condemnentur ſupplicio.

Et quoniam ſupta diximus de reo, ex intervallo ſine indiciis conſtituto, quod tunc ſi fateantur, confeſſio nullius eſſet momenti, cùm ad illius validitatem præcedere debeant indicia ut per Vermigl. *conſ. 370. num. 1.* ideo ſciendum eſt, quod ſicut quis agere ſine actione non poteſt *l. ſi pupilli §. videamus ff. de negot. geſt. l. quoties §. item ſi ff. de adminiſtr. tut.* ita conſtitui, & examinari reus ſine indiciis non debet. Quia conſtitutum videtur eſſe quædam actio, per quam reus experitur, & in jus vocatur. Quare ſicut in jus vocari quis non poteſt ſine actione, ita nec ſine indiciis quis conſtitui poteſt.

Attamen advertendum eſt, quod ut quis ſine indiciis conſtituatur, dupliciter intelligi poteſt. Uno modo, quando nulla ſpes adſit indiciorum. Altero modo, quando adſir ſpes aliqua. Primo modo non poteſt reus conſtitui. Secundo poteſt. Et ad hujus ſecundi modi intelligentiam pariter advertendum eſt, quod ſpes duplex eſt. Prima, quæ habet certam cauſam, & dicitur ſpes indubitata *l. penul. ff. quib. ad libert. prov.* Secunda eſt ſine certa cauſa, & dicitur ſpes revocabilis, ut *l. gallus §. quod ſi is ff. de lib. & poſth.* Nam quando reus conſtituitur cũ cauſa, hoc eſt quod adſit accuſatio, & quod delictum verè fuerit patratum, utique adeſſe ſpem indiciorum diximus. Et ideo multi volont, quod ſpontanea confeſſio, etiam ſine indiciis, valeat ad condemnandum, dummodo per indicia futura comprobetur, Farinac *q.81. num.13.* Nam confeſſio ſine cauſa, hoc eſt, habita ſine ullo motivo præcedente, ad conſtituendum reum non tenet, Giurb. *conſ. 16. num. 9.* Atque hinc eſt, quod aliquando reus ſtatim ac fuerit comprehenſus, id eſt celeriter, examinatur, & conſtituitur, Guaz. *defenſ. 23. cap. 1. num. 2.* etiam ſine indiciis. At verò quando reus conſtituitur ſine cauſa, tunc ſruſtra agitur, etiamſi poſtea ſuperveniat confeſſio, ex traditis à Baldo *in l. de quaſtione num. 3. C. de pact.* & à Boſſio *tit. de exam. reor. n.6.* à Scacc. *de judic. cap. 58.* & à Farinac. *conſ. 184. n.58.*

Ut autem hanc rem, quæ ſuſpicioſa eſt, perſpicuam faciamus, diſcutiendi ſunt caſus peculiares, ac proprii, ac inſuper diſtinguendum inter delicta occulta, & difficilis probationis, & non occulta, quæ facile probari poſſunt. Item inter Tribunalia ſuprema, & Judices inferiores; & inter pœnam mortis, & alias pœnas corporales, ut fuſtigationis, exilii, triremium. Si enim loquimur de delictis non occultis, & facilis probationis, non poteſt reus ob indicia indubitata pœna mortis, neque alia corporali puniri; ſed neceſſariò probandum eſt delictum contra teum. Quia tequiruntur ad hoc probationes certæ & luce clariores. Indiciis autem ſemper ſubeſt aliquod dubiũ, ut per Caſtr. *conſ. 299. n. 3.* Lopez *in l. 26. tit. 1. gloſ. 4. part. 7.* & Caren. *p. 2. tit 12. §. 2. n. 262.*

Si verò ſermo eſt de delictis atrocibus, occultis ac difficilis probationis, quale eſt crimen hæreſis, & ſortilegii, eſt iterum diſtinguendum, Quia vel ſermo eſt de Judicibus ſuptemis, ut eſt S. Congregatio Romana, & certum eſt, poſſe in hoc delicto ac ſimilibus ex indiciis indubitatis pœna corporali, ac etiam mortis reos punire, ut probat Caren. *loc. cit. num. 263.* Vel ſermo eſt de Judicibus, & Inquiſitoribus inferioribus, & hi non poſſunt ex indiciis indubitatis ſortilegum, vel hæteticum damnare in pœnam ordinariam ultimi ſupplicii, ſed ad torturam, vel ad aliam pœnam extraordinariam, ut per Carenam *ibid. n. 264.*

Regula quidem eſt, unicum indicium proximum ſufficere ad torturam. Quia, cùm indicium ſit per ſenſum viſus, vel auditus, ut exigitur ad cognitionem delicti, indicat immediate veritatem, & facit ſemiplenam probationem ipſius delicti, & ideo, *etiam* ſi unicum ſit, ſufficit ad torturam. Remora autem indicia plura requiruntur ad torturam, quia non indicant immediatè veritatem delicti, ſed per circumſtantias & per iſtas pervenitur ad delicti notitiam, ut tradit Bartol. *in l. fin. n. 6. ff. de quaſt.* quem ſequuntur communiter Doctores apud Farinac. *de indic. q. 37. numero quadrageſimo quinto, & ſeq.* Guazzin. *defenſ. 30. capite quarto, numero duodecimo* Pegner. *in prax. cap. 12. §. 9. num. 8.*

Sed Clarus *quaſt. 64. numero decimo quarto*, ſuſtinet etiam ex unico indicio remoto poſſe reum torqueri à Judice. Quod limitat Cantera *in quaſtione crim. capite ſecundo, de probat. per teſt. quaſtione prima, rubr. de indic. ſuffic ad tortur. numero ſexageſimo primo, dubio decimo nono*, quem ſequitur Carena *p. 3. titulo decimo, §. 4. numero 18.* tunc ſolum unicum indicium

remotum

remotum ſufficere ad torturam, quando facit ſemiplenam probationem. Quoniam ex Gloſſa communiter recepta *in leg. ſiquis ſſ. ad leg. Jul. majeſt.* & ex Bartolo *in l. maritus, & in l. fin. ſſ. de quaſt.* ea, quæ in civilibus faciunt ſemiplenam probationem, in criminalibus ſufficiunt ad torturam. Unicum autem iudicium remotum non ſemper facit ſemiplenam probationem, atque adeo neque ſemper dare poteſt Iudici jus ad reum torquendum. Æquitas enim non patitur, ut quis tam gravi tormento ſemper urgeatur pro indicio remoto, quod, ut plurimum, leve reputatur. Quod etiam tradunt Farinac. *loc. alleg.* Freitas *in addit ad tract. de confeſſ. ſollic. qu. 4. num. 25.* Miranda *de ordin. judic. tom. 2. q. 26. art. 4. concl. 4.* & Diana *p. 4. tr. 6. reſol. 4.*

Si autem indicia ſunt proxima, illorumque teſtis eſt omni exceptione major, ſufficit, ut probentur per unicum teſtem. Si verò ſunt remota, debent ſaltem per duos teſtes probari, qui ſint omni exceptione majores, & conteſtes in ſuis indiciis. Quia indicia remota, ut plurimum, ſunt levia, neque indicant immediate veritatem delicti, neque delictum ipſum, ſed tantum illius circumſtantias. Et ideo teſtes, qui deponunt de hujuſmodi indiciis remotis, debent eſſe plures, vel ſaltem duo omni exceptione majores, ac deponentes de iis, quæ animum Judicis ſuadere poſſint, reum vere deliquiſſe, ut per Farinac. *loc. cit.* & *de hæret. q. 185. num. 146.* Maldon. *conſ. 9. n. 6. p. 1.* Giurb. *conſ. 87. n. 29.* Caren. *p. 3. tit. 10. §. 6. n. 25.* Cyriac. *contr. 106. n. 41.* Dian. *d. p. 4. tr. 6. n. 25.* & Guaz. *d. defenſ. 30. cap. 31. n. 3.*

Si plura indicia remota ſint contra reum, & plures etiam teſtes, ſed omnes ſingulares, deponentes unus de uno indicio, & alter de altero, & ſic de cæteris, tunc Judex obſervare debet, an indicia ſint inter ſe diverſa, & valdè à delicto remota, ut exempli gratia, ſi delictum ſit homicidium Seii, & unus teſtis deponeret de fama, quod Titius illum occiderit, alter de inimicitia, quæ erat inter ipſos, & alter de fuga Titii, in hoc caſu non poteſt Titius torqueri. Quia teſtes ſunt ſingulares, & deponunt de indiciis valdè à delicto remotis. Quando verò teſtes ſingulares ſunt omni exceptione majores, & deponunt de indiciis non valdè à delicto remotis, ut quemadmodum ſupra dictum eſt, ſi unus deponeret, vidiſſe Seium vulneratum jacentem in terra, qui aſſeruit ſe à Titio vulneratum fuiſſe, alter deponeret, vidiſſe Titium cum gladio ſanguinoleto fugientem, & alter vidiſſe, eundem Titium ſe abſcondentem, utique Judex poſſet Titium torquere. Quia teſtes, quamvis ſint ſingulares, deponunt tamen de indiciis non valdè à delicto remotis, & ad eundem finem tendentibus, ut per Farinac. *de indic. q. 37. n. 38. & de hæreſ. d. qu. 185. num. 145.* Giurb. *d. conſ. 87. n. 29. & ſeq.* Souſa *in aph. lib. 2. cap. 39. nu. 20.* Locat. *poſt praxim. Inquiſ. q. 35.* Freit. *loc. cit. q. 22. n. 20.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. q. 25. n. 20.* Laym. *lib. 3. ſect. 5. tract. 6. cap. 4. n. 7.* Caren. *p. 3. tit. 10. §. 6. nu. 26.* & Dian. *p. 4. tr. 6. reſol. 5.* Qui etiam tradunt, quod cum teſtes ſingulares, qui deponunt de indiciis remotis, ſint plures quam duo, & omnes omni exceptione majores, & plura ſint indicia, poterit reus prudenti Judicis arbitrio torqueri.

Notatque Carena *ibid. nu 27.* quod ubi Iudex procedit ad torturam ex pluribus indiciis probatis per plures teſtes ſingulares, omni exceptione majores, tunc debet maxime temperare arbitrium ſuum, ac reum valdè moderatè torquere, cum procedat ad actum graviſſimi præjudicii ex probatione privilegiata ex pluribus indiciis non plene probatis. Quod pariter tradit Giurb. *conſ. 87. nu. 30.* Guazzin. *d. defenſ. 30. cap. 32. nu. 1.* addens, facilius poſſe ad torturam procedere ac ejuſmodi indiciis, non plenè probatis, Judices ſupremos, quàm alios inferiores.

Depoſitio vero unius teſtis, omni exceptione majoris, ſi reus ſit malæ famæ, ſufficiens eſt indicium ad torturam. Communiter enim tradunt Doctores, unum talem teſtem, etiam in criminalibus, facere ſemiplenam probationem, atque adeo indicium ſufficiens ad torturam, quamvis nulla alia indicia concurrant, ut Eymer. *p. 3. direct. q. 61. nu. 5.* ibique Pegna *com. 110. lit. G.* Roman. *conſ. 451. n. 4.* Clar. *in pr. qu. 21.* Gomez *tom. 3. var. reſol. cap. 13. n. 7.* Canteta *in qu. crim. cap. 2. de probat. per teſt. q. 1. n. 5.* Pegueta *in pr. cap. 12. §. 9. n. 7.* & alii, quos ſequitur Diana. *d. tr. 6. reſol. 6.*

Si verò inquiſitus ſit bonæ famæ, vitæque integræ, vel talis qualitatis, ut facile delictum præſumi non poſſit, ad illum torquendum non ſufficit unicus teſtis, etiamſi ſit omni exceptione major; ſed neceſſe eſt, ut alia etiam indicia probentur; quia tortura eſt pœna graviſſima, quæ non eſt imponenda alicui bonæ famæ, niſi delictum ſit pluſquam ſemiplenè probatum, ut per Simanch. *de cathol. inſtitut. titul. 65. num. 23.* Sanch. *conſ. lib. 6. cap. 3. dub 15. num. 3.* Sanctarel. *de hæreſ cap. 41. dub. 1. n. 1.* Decian. *tom. 1. lib. 5. cap. 36. n. 6.* Souſ. *in aph. lib. 2. cap. 39. num. 17.* Pegn. *loc. cit.* Zanard. *in direct. theol. p. 3. cap. 9.* & Dian. *loc cit.* Contrarium tamen aſſerit Cabal. *in reſol. crim. cent. 1. caſ. 84. nu. 15.* tendens ad torquendum reum bonæ famæ, etiam unicum teſtem ſufficere, aliàs vix poſſet aliquem reum torqueri, quia inquit, nullus eſt tam depravatæ vitæ, qui non facile his temporibus reperire poſſet teſtes, ejus bonam famam probantes. Ego id prudenti arbitrio Inquiſitoris relinquo,

Notat verò ibidem Diana, quod ſæpius vocatus conſuluerit, poſſe reum malæ vitæ ex unico teſte de viſu torqueri, etiamſi dictus teſtis non ſit omni exceptione major. Quod etiam affirmant Bajard *ad Clar. qu. 21. num. 15.* Carer. *in pr. nu. 110.* Menoch. *lib. 1. de præſumpt. qu. 89. cap. 6.* & Farinac. *quaſt. 37. num. 65.* Et ego adverto eum Simanch. & cum aliis apud ipſum ubi *ſupra numero 16. & ſeq.* non ſtatim ac ſemiplene probatum eſt delictum, veniendum eſſe ad torturam, ſed reo dandum eſſe copiam indiciorum, & concedendam dilationem, & appellationem, niſi hæc frivola ſit, ut ſe defendat.

Depoſitio autem ſocii criminis cum juramento, & judicialiter facta, eſt ſufficiens indicium ad reum torquendum in crimine excepto, ut in crimine hæreſis, maleficii, ſortilegii, læſæ majeſtatis, falſæ monetæ, ſodomiæ, furti famoſi ex Cyno *in l. ult. C. de accuſ.* Panorm. *in c. 1. de confeſ.* Leſſio *lib. 2. de juſt. c. 30. dub. ·. n. 39.* Cabal. *d. caſ. 84. n. 7.* Gomez *var. tom. 3. c. 12. nu. 18.* Blanch. *in tract. de indic. ad l. fin. de qu. n. 378. & ſeq.*

In crimine verò non excepto non eſt indicium ſufficiens ad rei torturam ex *leg. fin. C. de accuſ.* & ex *cap. veniens 20. de teſtib.* Tum quia hic facile alium nominat, ut illius auxilio, vel privilegio veniam ſperare poſſit; vel quia ex odio cupit, illum eodem ſupplicio puniri. Et tum etiam quia eo ipſo, quod quis eſt ſocius criminis, non eſt teſtis omni exceptione major, ut requiritur ad ſemiplenam probationem, & ad faciendum indicium ad torturam. Si verò cum dicto ſocii criminis concurrat alia præſumptio, vel aliud adminiculum, tunc erit indicium ſufficiens ex traditis à Canteta *in quaſt. crim. cap. 2. de prob. per teſt. qu. 1. num. 57.* Sanch. *loc. cit. num. 7.* Sylveſt. *v. indicium num. 5.* Armil. *eod. v. n. 6.* Angel. *eod. etiam v. n. 5.* Tabien. *pariter eod. v. n. 4.* Laym. *lib. 3. ſect. 5. tr. 9. cap. 5. n. 7.* Souſ. *in aph. lib. 2. cap. 39. n. 51.* Delr. *lib. 5. magic. q. 1. in append.* & Dian *d. p. 4. tr. 6. reſol. 7.*

Adminicula autem, quæ requiruntur, ut dictum ſocii criminis ſit indicium ad torturam, multa ſunt. Primum eſt, ſi cum dicto ſocii criminis concurrant teſtes

de auditu. Quia licet teſtes de auditu non faciant indicium ad torturam, neque probent, *l. teſtium ff. de teſtib. l. ſi arbiter ff. de prob.* & *cap. licet ex quadam de teſtib.* cum tamen negari non poſſit, facere aliqualem præſumptiooem, hæc præſumptio addita depoſitionis ſocii criminis, æquivalet depoſitioni teſtis omni exceptione majoris.

Secundum eſt, quando cum dicto ſocii criminis concurrit facta contra nominatum Quia fama ſupplet defectum deponentis.

Tertium, ſi cum dicta depoſitione concurrat fuga nominati ob eandem rationem.

Quartum, ſi concurrat arcta, ſive intimat familiaritas nominati cum tali ſocio. Quoniam habere cum improbis amicitiam, non leve reddit indicium ad torturam, immo in crimine hæreſis eſt ſpeciale delictum cum hæretico familiatitatem habere.

Quintum, quando concurrit frequens ac ſecreta collocutio inter nominatum & ſocium. Ita colligo ex Souſa *dict. lib. 2. cap. 26. num.* 24. Caved. *de indic. & tort. p. 2. cap. 5. num. 5.* Grammat. *conſ. 6. num. 3.* Ant. de Bell. *lib. 1. var. quaſt. 26. numer. 9.* Binsfeld. *in com. de malef. & math. leg. 9. de indic. §. 5.* Caſtropal. *p. 3. tr. 4. dub. 8. pun. 9. num. 7.* & Diana *loc. alleg.* Ego verò cum Menochio *de arbitr. lib. 2. cap. 474. numer. 47.* Peguera *dec. cr. 5. numero 33.* exiſtimo qualia hujusmodi adminicula eſſe debeant, ut dictum ſocii criminis ſit indicium ad torturam, remittendum eſſe Inquiſitorum arbitrio, qui perpendere debent qualitatem perſonæ nominatæ & nominantis, ac modum depoſitionis ita, ut ex illis certò credatur, depoſitionem eſſe veram, & nominatum eſſe delinquentem, quod rectè colligitur ex *cap. in fidei favorem de haret. in 6.*

Duorum antem ſociorum criminum depoſitio eſt ſufficiens indicium ad torturam, dummodo facta ſit cum joramento, & in tortura. Hoc eſt perſpicuum, & conſtat ex Pegna *in direct. p. 3. dict. com. 110. in append.* Menoch *de præſumpt. lib. 1. cap. 91. num. 3* Claro *in pr. cr. § fin. q. 21.* Caren. *p. 3 tit. 10. §. 8. num. 37. & ſeq.* Peguera *dec. tr. 5. num. 37. & 38.* Gotofred. *in l. fin. C. de accuſ.* Cyriac. *contr. 80. numero 3.* Ciarlin. *contr. cap. 10. num. 129.* Diana *d. tr. 6 reſol. 7.* Caſtropal. *dict. diſp. 8. pun. 9. nu. 7.* Delrio *dict. lib. 5. magic. ſect. 3. & in 2. append. q. 1. concl. 2.* & Farinac *d q. 385. num. 152.* Quoniam illa duplex depoſitio videtur æquivalere depoſitioni integri teſtis.

Quod ſi duo criminis ſocii non ſint conteſtes, ſed ſiogulares, ita diſtinguendem eſt. Aut hujuſmodi ſocii deponunt contra nominatum ſuper diverſis ctiminibus, ad unum minime tendentibus. Aut ſuper diverſis actibus ejusdem criminis. Si primo modo, quamvis Souſa *in aph. lib. 2. d. cap. 39. num. 55.* Clar. *d. quaſt. 21* Binsfeld. *de confeſ. malef. & ſagar. memb. 2. poſt. concl. 6.* & Diana *d. tr. 6. reſol. 7. num. 5.* affirment, quod duo ſocii criminis, etiamſi ſint ſingulares, indicium faciant ad tortutam; tamen ſubſcribo Carenæ *p. 3. dict. tit. 10. numer. 41.* Pegnæ *in direct. p. 3. dict. com. 110. in append.* Dec. *conſ. 189. nu. 8.* Natt. *conſ. 298. num. 9.* Petræ *de fideicom. qu. 12. numero 325.* Guazzin. *defenſ. 32. cap. 8. num. 4.* qui mordicus tenent, dictu duorum ſociorum criminis, ſi non ſint adminiculata, non ſacere indicium ad torturam niſi ipſi ſocii ſint conteſtes. Quia teſtes ſingulares tantum probant, quantum unus, & tantum unus quantum mille juxta protritam regulam Baldi *in leg. jusjurandi C. de teſtib.* de qua largiſſime Giurb. *conſ. cr. 79. num* 24. Idemque docent Farin. *de indic. q. 45. num. 45.* & Abav. *de reat. quaſt. 19. num. 10. & ſeq.* Adminicula autem; quæ requiruntur, ut dictum duorum ſociorum criminis ſingularium ſufficiat ad torturam, ſupra ſignavimus.

Si ſecundo modo, & ſocii criminis deponunt ſuper diverſis actibus ejuſdem delicti, tunc faciunt indicium ad torturam, quia revera deponunt de eodem delicto, & illi actus diverſi idem delictum inferuot. Ideò ſingularitas depoſitionis talium ſociorum obſtare non poteſt, quin reus torqueatur, ut per Giurb. *dict. conſ. 87. numero 29.* Abav. *d. q. 19. n. 3.* & Caren *loc. cit. n. 47.*

Ut verò ſocius criminis ſaciat indicium ad reum totquendum, requiritur, ut non patiatur alium defectum, niſi ſocietatis delicti ipſius delinquentis Quoniam ſi alio delicto ſit infamatus, vel ſit criminoſus, vel perjurus, vel etiam objectus, vel aliàs inhabilis, tunc ejus depoſitio non faceret indicium ad torturam, etiamſi io tortura ſuam depoſitiooem confirmaret per ea, quæ tradunt Royas *ſing. 188. num. 5.* Souſ. *d. lib. 2. cap. 25. num. 25.* & *dict. cap 39. num. 53.* Gigas *de crim. laſ. majeſt. lib. 2. quaſt. 7. num. 7.* Menoch. *de arb. dict. caſ. 474. numer. 54.* Ant. de Bell. *tract. var. lib. 1. qu. 26. num. 25.* Farin. *quaſt. 62. nu. 381. & ſeq.* Maſcard *de prob. como certio concluſ. 1311. n. 13. & 42.* Delr. *dict lib. 5. magic. ſect. 3.*

At quid in crimine hæreſis? Socium criminis hæreſis, qui alios defectus patitur, ſacere indicium ad torturam, negat Seſſe *com. 4. dec. 477. num 32.* ubi ſic ait; licet in crimine hæreſis admittatur ſocius hoc procedit, quando talis ſocius non eſt alio delicto infamatus, & ſic non datur contra eum duplex exceptio, & deſectus. Nam ſicut plura adminicula probant depoſitionem, ſic plures defectus eam deſtruunt. Cujus ſententiæ inhæret Diana cum aliis *dict. tract. 6. reſol. 8. num. 1.* Alias rationes, & Doctores vide apud Delrium mox citandum.

Diſſentit Delrius *dict. lib. 5. in append. 2. qu. 17.* qontenus docet, ſocium ctiminis in caſu hæteſis admittendum eſſe, etiamſi alios defectus patiatur. Primum quia lex criminoſos, & inſames admittens adteſtificandum in criminalibus exceptis, non diſtinguit inter eum, qui uno, vel pluribus criminibus involutus, aut ratione criminum ſæpius infamis notatus eſt. Deinde quia maleſici, exempli gratia, plurimis ac horrendis criminibus, ut plurimum ſunt innodati, & ſi maleficos aliis criminibus carere, neceſſe eſſet, nullus unquam eſſet teſtis idoneus. Poſtremo quia crimen maleficii non impedit, quin teſtis ſocii contra ſocium teſtimonium valeat. Ergo nec alia leviota crimina cum maleficio conjuncta impedimentum afferre poſſunt. Et ita, inquit Delrius, ſentiendum eſſe, quia Reipublicæ, ac juſtitiæ utilius eſt, & pro hac ſententia citat Bajardum, Clarum, Boſſium, at Joſephum Ludovicum, & adverſariotum argumenta diluit. Ego tamen utramque ſenteotiam ita concilio, ut admittendi ſint hujuſmodi teſtes, ſed cum ſuis plurimis defectibus, ad quorum proportionem habenda eſt ratio eorum fidei; nam hujusmodi depoſitiones non ſunt annullata, ſed tantum debilitatæ. Aliudque eſt diminui aliquid de fide teſtis, aliud verò teſtis dictum reprobari *l. 3. ff. de teſtib.* vide notata *in pract. Papienſis in form. oppoſ. contra teſtos, v. in facto eorum proprio nu. 7.* Publicè enim intereſt delicta probari ac puniti *l. ita vulneratus in fin. ff. ad leg. Aquil. l. ſi à reo §. ult. ff. de fide juſſ. l. Stichum in princ. de ſolut.*

Depoſitio aotem duorum ſociorum criminis contra nominatum bonæ famæ non eſt indicium ſufficiens ad torturam. Quia bona ſama talem effectum operatur, ut par eam elidatur illud indicium, quod ex dicto duorum ſociorum criminis reſultat. Docent id Grammat. *conſ. 70. n. 7.* Pariſ. *lib. 4. conſ. 151. n. 13.* Roland. à Valle *vol. 1. conſ. 16 numer. 14. & ſeq.* Bertazol. *lib. 1. conſ. 61. num. 19.* Peguera *dec. crim. 5. numero 32.* At ego id remittendum eſſe atbitrio Inquiſitorum cenſeo.

Quia

Quia ſi concurrerent alia adminicula & præſumptiones, quæ ſuperarent bonam famam, eſſet omnino hic nominatus torturæ ſubjiciendus.

Socius tamen criminis, qui nulla præcedente interrogatione, alios complices nominat, facit indicium ad torturam. Quia licet teſtis, ſponte ſe offerens examini, ſuſpectus à jure exiſtimatur, eſt tamen diſpar ratio in ſocio criminis, qui ſponte alios ſocios nominat. Quoniam iſte in hoc caſu non ſe ſubjicit examini ſponte, ſed coactè. Quia cùm à Judice, dato ei juramento imponitur, ut veritatem fateatur ſuper facto, de quo inquiritur, implicitè interrogatur de ſociis, qui intervenerunt. Sic apud Farinac. *loco citato num.* 189. Clar. *in pr. lib.* 1. *quæſt.* 21. Dian. *ibidem* Bordon. *tom.* 1. *cap.* 35. *num.* 16. Idemque eſt dicendum, quando ſocius criminis ſponte comparet. Quia, ut exoneret ſuam conſcientiam tenetur complices fateri ac ſi in proceſſu ab Inquiſitore interrogaretur. Teſtis autem ſponte ſe offerens ad id nullo modo tenetur. Et ideò teſtis reputatur ſuſpectus, ſed non criminis ſocius.

Socius verò criminis, ſi ad ſuggeſtionem Iudicis nominat alium complicem, non facit contra illum indicium ad torturam. Quia Iudex debet tantum in genere, non autem in ſpecie reum interrogare de aliis ſociis. Ideoque in hoc caſu nominatio illa nihil nominato nocere debet, ut bene notavit Clar. *ubi ſupra quæſtio* 21. Farin. *q.* 34. *num.* 132. Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 8. *n.* 53.

Ut autem criminis ſocius fidem faciat contra nominatos, certum eſt, illum debere ſuam depoſitionem juramento firmare. Quia dum deponit contra alium, fungitur vice teſtis, atque adeo non eſt ipſa adhibenda fides, niſi cum juramento. An verò ſi credendum ſit ob ſolum juramentum præſtitum abſque tortura? Negat Clar. *in pr. cr. paragrapho fin. quæſtio* 21. Quia cùm ſocius criminis ex proprio delicto ſit effectus infamis, non debet in teſtem admitti in tortura. Idem ſentiunt Marſil. *conſ.* 109. *num.* 13. *& ſeqq.* Genuen. *in pr. cap.* 68. *num.* 11. Delrius *libro quinto magic. ſect.* 9. Ricc. *p.* 3. *dec.* 298. Turrian. *lib.* 2. *deciſ.* 39. *num.* 7. Gabed. *de indic. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. Narbon. *in recopil. p* 2. *lib.* 8. *titul.* 12. *leg.* 2. *gloſ.* 5. *num.* 39. *&* 40. Zanard. *in direct. theol p.* 1. *cap.* 94. & Carena *loc. alleg. n.* 38.

At ſocium criminis fidem facere contra nominatos abſque tortura, & ſolo juramento præſtito, & indicium facere majus, vel minus pro perſonarum qualitate, ac criminum circumſtantiis aſſero cum Simancha *de cath. inſtit tit.* 53. *num.* 38. Royas *de hæret. p.* 2. *aſſert* 7. *num.* 155. Pegn. *in direct. p.* 3. *com.* 113. Freita *in addit. noviſ. ad tr. de confeſſ. ſollic. quæſt.* 4. *n.* 42. *& ſeq.* Ant. de Bell. *lib.* 1. *var. tract. quæſt.* 26. *num.* 6. Diana *p.* 4. *tract.* 6. *reſol.* 10. *num.* 3. Rationes in conſultatione de teſtibus adduxi. Quibus addo & ſequentes. Tum quia, ſi cœteri teſtes, non torquentur in S. Officio pro habenda veritate, ut alias etiam diximus, cur non ita permittendum eſt teſti inhabili; Curve ſocio criminis, qui tanquam teſtis, licet inhabilis habetur, & inducitur contra correum? Et tum quia ſocius criminis, maxime quando contra eum nihil aliud objicitur, niſi quod ſit ſocius criminis, eſt idoneus teſtis, ut tradit Honded. *conſ.* 106. *num.* 31. ideo, uti teſtis, non debet torqueri. Poteſt tamen, ac debet nonnunquam torqueri. Quod quando fieri debeat, arbitrio Inquiſitoris relinquo.

Ut etiam ſocii criminis depoſitio aliis indiciis adminiculata, faciat plenum indicium ad torturam debent Inquiſitores primum animadvertere qualitatem perſonæ nominatæ, & ipſius ſocii criminis nominantis, ac modum depoſitionis ita, ut certo credant nominatum eſſe delinquentem. Sic tradunt Maſcard. *lib.* 1. *de prob. concl.* 158. *num.* 3. & *lib.* 3. *concl.* 1311. *num.* 45. Menoch. *de arbitr. libro ſecundo caſ.* 474. *num.* 58. Farinac. *quæſtione quadrageſima tertia, numero* 177. & Caſtropal. *p.* 1. *tractat.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 9. *numero ſeptimo.*

Deinde, an ſocius criminis cum ab eo nominato inimicitias habeat, & gerat. Quia inimicorum dictis nulla fides eſt adhibenda. Facile enim mentiuntur, ut fuſius alibi monſtravimus, & in ſpecie Giurba, qui plures alios accumulat *conſ. cr.* 13. *num.* 7. Farinac. *quæſt.* 87. *numero* 102. Canter. *in quæſt. cr. cap.* 2. *de prob. per teſt. in rubr. de indic. ad tortur. num* 16.

Poſtremo, an ſocius criminis aliquem nominet ſpe gaudendi impunitate conceſſa vel à lege, vel ſpeciali Principis edicto Tunc enim, eum falſa dicere, præſumi poteſt juxta Farin. *dict. quæſt.* 43. *n.* 193. Cynac. *tom.* 3. *contr.* 488. *num.* 47. Giurb. *conſ. tract.* 22. *num.* 29 Ricc. *p.* 8. *collect.* 1562. & Carenam. *dict. §.* 8. *num.* 55.

Tum demum, quod ſicut dicta ſociorum criminis nominatos modis ſupradictis afficiunt, ita & eorum criminis remotio multum reis prodeſſe debet, ut contra Menochium *de arb. caſ.* 474. *n.* 13. tradunt Farin. *d. q.* 43. *num.* 12. Albav. *q.* 19. *num.* 16. & Carena *loc. citat. num.* 57. Quia ſicut non tollit, quin Fiſcus pro ſe ſocium criminis inducat in teſtem, ita non tollit, quin correus illius teſtimonio juvari poſſit ut ſervetur æqualitas *l. g. fin. C. de fruct. & lit. expenſ.* Guaz. *defenſ.* 25. *cap.* 2. *num.* 5.

Criminis autem ſocius in cauſa fidei dicitur primò qui mandat, ſive committit maleficium, vel ſortilegium, vel aliud crimen ad S. Officium ſpectans, ut *ex can. ita plane* 23. *quæſt.* 4. Secundo, qui particeps eſt ejuſdem maleficii, vel ſortilegii, vel alterius criminis, ut notat Archid. *in cap. quicumque de hæret. in* 6. Tertio qui delinquentibus favet per *l. quoniam liberi C. de teſtib* ibique Gloſſam & Salicetum. Quarto qui eſt criminis cauſa, vel occaſio, ut qui aliquem induceret ad maleficium, aut ſortilegium faciendum, quia illi cooperaretur ad illud committendum.

Solam malam famam non eſſe indicium ſufficiens ad torturam, quia fama popularis ſtultorum, improbotumque conſenſu excitatur, & vulgus hominum credulum, facile ſequitur dictum unius, & quammaxime proni ſunt homines ad malum ſuſpicandum credendum, & publicandum. Quod ratum eſt apud omnes, nominatim Gloſſ. *in cap. qualiter v. & famam de accuſ. & cap. cum juventute*, ubi etiam Gloſ. *v. ſequatur de purg. can.* Panorm. *in cap.* 1. *n. ult. eod. tit.* Bartol. *in l. milites C. de quæſt.* Angel. *de maleſ. v. quod fama numero* 41. & proſequuntur Eymer. *in direct. quæſt.* 61. *num.* 8. ibique Pegna *com.* 110. Clar. *§. fin. quæſt.* 21. Giurb. *conſ. cr.* 43. *num.* 18. *& ſeq.* Caren. *p.* 3. *tit.* §. 10. *num.* 64. Caſtropal. *d. p.* 9. *num* 9. & Diana *dict. p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 13. Falſa quippe ſæpe eſt & mala fama bonorum, quam Deus permittit ſuſcitari in humiliationem eorumdem *can. omnes* 6. *quæſt.* 1.

Et quidem explorati juris eſt ſolam famam, quæ eſt contra aliquem, quod delictum commiſerit, eſſe ſufficiens indicium ad inquirendum contra eum per textum *in cap. qualiter*, idque fateantur omnes, ut inquit Clar. *in prim. §. fin. quæſt.* 6. *ſub initio*, & *q.* 21. Quia fama ſuccedit loco accuſatoris Quandoque verò fama tribuit materiam indicendi purgationem canonicam, *can. presbyter ſi à plebe* 2. *q.* 7. & *cap. accidens de accuſ.* Aliquando tribuit materiam ſuſpendendi à beneficio & officio, donec ſe purgaverit, concurrentibus tamen requiſitis, de quibus per Mar. *Socin. in c. nos inter n.* 3. *de purg. can.* Interdum coadjuvat probationes jam

factas, ſive alia adminicula, ut *cap. præterea de teſtib.* gradum tamen probationis non facit, Socin. *in d. cap. qualiter num.* 35. quia in criminalibus probationes debent eſſe luce clariores, ut *l. ſciant cuncti C. de probat. can. ſciant 2. q.* 8. & *can. Epiphanium* 1. *quæſt.* 6. ubi probatur, ne ſemiplenam quidem facere probationem, niſi de crimine civiliter ageretur, & ſentit Gloſſ. *in cap. unicum* 1. *v. illorum de teſtib.* quam ait eſſe communiter approbatam Ber. *in dict. cap. qualiter num.* 78. & Dec. *ibi num.* 25. & ita etiam ſe habere communem praxim affirmat Salic. *in l. ea quidem num.* 133. *C. de accuſ.* & Bertach. *conſ.* 126. *num.* 11. *lib.* 7. quos ſequitur Clar. *in prin. §. fin. dict. quæſt.* 21. inquiens: Fama in criminalibus non probat, neque etiam ſemiplene. Unde ſine adminiculis non eſt ſufficiens indicium ad torturam, & ita tenent communiter Doctores, ut ait Marſil. *in l. de minore §. plurimum n.* 30. *ff. de qu.* & *conſ.* 3. *num.* 4. Hanc etiam dicunt communem opinionem Jaſ. *in repet. l. admonendi n.* 207. *ff. de injur.* Cravet. *conſil.* 41. *num.* 6. Blanch. *ad leg. fin. numero* 312. *ff. de quæſt.* Grammat. *conſ.* 42. *num.* 15. dicens, ita per acceſſores obſervari, Duegnas alios referens, & communem dicens *in reg.* 300. *in* 4. *fall. & in reg.* 301. *in princ.* aliique apud Farinac. *loco citato quæſt.* 47. *numero quarto.*

Et quamvis in hoc articulo magna ſit controverſia inter Doctores, & Jo. Andreas ad Specul. *in titul. de notor. crim. paragrapho fama v. veniens*, quam refert Marſil. *ind. leg. de minore dict. paragrapho plurimum numero trigeſimo & conſ.* 72. *numero decimo ſexto* atteſtetur, contrarium ſervari de conſuetudine, ut ſcilicet fama ſola ſit ſufficiens ad torturam, prout etiam ſe vidiſſe aliquando per Aſſeſſores obſervari, refert Gandin. *de malef. titul. de quæſtione numero trigeſimo nono.* Tamen Clarus *in dict. quæſtione vigeſima prima.* ait, ſe fuiſſe ſemper ſequutum communem opinionem, quam etiam audivit ſemper obſervari ab aliis juſtis Judicibus, ut ſcilicet nunquam procedatur ad torturam ex ſola fama, niſi cum ea concurrat aliquod aliud adminiculum, & ſubdit, ſe credere eam tutiorem ac veriorem. Et quamvis ad torquendum videatur ſufficere minus quam ſemiplena probatio, nihilominus cùm fama ſit indicium a delicto valde remotum, & multum fallax, ut quotidie experientia docet, putat Clarus, Judicem tutius facturum; ſi nullo alio adminiculo concurrente reum tormentis non ſubjiciat. In aliis autem quam criminalibus, an fama faciat plenam, vel ſemiplenam probationem, diſtingue plures caſus, ut plenè per Socin. *in dict. capit. qualiter numero* 621. *de accuſ.*

Quare ne ſola quidem fama ſufficit ad rem conſtituendum *can. ſi duo* 35. *quæſtione ſexta capit. inquiſitionis paragrapho quæſiviſti*, & *dict. capit. qualiter. de accuſ. cap. ſuper eo, qui cog. conſang. ux. ſuæ.* Nam ut ſæpe diximus, in criminibus luce meridiana clariores eſſe debent probationes *leg. fin. C. de probat.* Neque Judex, niſi juxta ea, quæ probata fuerint, ſtatuet, *l. illicitas §. veritas ff. de off. Præſ.* Poſtremo vanæ voces populi audiendæ non ſunt, nec ſecundum acclamationes ejus judicandum *dict. leg. fin. C. de probat.* in criminalibus potiſſimum. Movetur enim facile vulgus ad quamcumque ſententiam vel pretio, vel gratia, vel odio, vel concepta opinione *can. ſi ergo* 8. *quæſtione prima capit. Oſius de elect.* docenduſque, non ſequendus eſt populus *can. docendus d.* 62.

Verumtamen, quæ facta fuiſſe rumor admonet, à Judice diſſimulanda non ſunt, ſed ia ad veritatem perquirendam debet accingi, *cap. cum oporteat de accuſ.* Eſt enim rumor quædam ſpecies accuſationis, vel excuſationis, quæ licet interdum ſoleat eſſe varia & futilis, tamen ut plerumque ex veriſimili ſaltem præſumptione, ſi non vera ſit, concitatur, cui opem ferre poteſt inquiſitio, quæ ex officio Judicis procedit. Poſtquam tutò re cognita, certe pœna imponenda eſt, non antea. Ciceronis addam verba, ſive oraculum pro Cn. Plancio: *Si populus judicat, non delectu ducitur ſemper, aut ſapientia, ſed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non eſt enim Conſilium in vulgo, non diſcrimen, non diligentia, ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet non ferenda, non ſemper laudanda duxerunt. Movetur populus plerumque gratia, cedit precibus.* Et alibi pro Flacco: *Mementote dum audietis pſephiſmata, non audire vos teſtimonia, audire temeritatem vulgi, audire vocem tenuiſſimi cujuſque, audire ſtrepitum imperitorum, audire concionem concitatam leviſſimæ nationis.* Ideo nec in ejus incerta ſententia Judex calculum feret.

Requiritur profectò, ut reus ob malam famam torqueri poſſit, ut ſit vilis, & infamatus, & quod mala fama non ſit orta à malevolis, aut levibus hominibus, ſed ab honeſtis, ac fide dignis, ac per teſtes idoneos probata. Nec ſatis eſt, quod teſtes dicant, hanc eſſe publicam famam, niſi etiam rationem reddant, qua id neceſſariò concludant, ut rectè ſtatuunt Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 65. *numer.* 37. Sanch *lib.* 6. *conſil. moral. cap.* 3. *dub.* 15. *nu.* 19. Sylveſt. *v. indicium q.* 4. & *eod. v.* Angel. *numero quarto*, Armil. *numero quinto.* Tabiena *numero tertio.* Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 59. Diana & Pegna *loco allegato.*

Malam autem famam vehementem ex ſe ſolam non eſſe ſufficiens indicium ad torturam abſque aliis adminiculis, exiſtimant Binsfeldius *in com. de malef. & math. leg.* 9. *de indic. paragrapho* 6. & Caball. *in reſol. cr. cent.* 1. *caſ.* 84. *num.* 14. At communis ſententia docet famam vehementer malam ſufficere quidem ad torturam, ut apud Farinac. *quæſt.* 47. *n.* 28. Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *q.* 89. *n.* 12. *& conſ.* 788. *n.* 27. Mirand. *de ord. iudic tom* 2. *quæſt.* 26. *art.* 5. *concl.* 1. Peguer. *dec* 17. *num.* 16 Aldovin. *conſ.* 26. *nu.* 2. Pegn. *d. com.* 110. Carenam. *dd. p.* 3. *tit.* 10. *§.* 10. *numero* 75. Giurb. *cit. conſ.* 87. *num.* 21. *& conſ.* 13. *n.* 18.

Ut autem Judex agnoſcat, malam famam eſſe vehementem non ſolum animadvertere debet, quod rumor de reo per majorem partem Collegii, aut viciniæ, vel univerſitatis, in qua ipſe commoratur, ſparſus fuerit, ſed etiam cauſam, unde talis fama orta ſit. Atque ideo, ſi fama ortum habuerit à mille perſonis, & nulla appareat cauſa, unde talis fama orta ſit, non eſt vehemens, nec habenda eſt in conſideratione ac proinde nec eſt indicium ad torturam. Nec dicitur vehemens, quando illa ortum habuit à perſonis inhoneſtis, & non fide dignis, & numerus aliorum teſtium bonorum minime ſupplet illorum inhabilitatem in probatione famæ. Igitur tantum eſt dicere, famam vehementem facere indicium ad torturam, quantum dicere, famam adminiculatam ad torturam indicium facere. Et ſic hæ ſententiæ inter ſe non pugnant. Quod etiam explicant Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 65. *n.* 37. Pegn. *d. com.* 110. Câter. *in qu. crim. cap.* 2. *de prob. per teſt. q.* 1. *n.* 2. Bertazol. *vol.* 1. *conſ.* 213. *n.* 3. Pitignan. *in pr. cr. p.* 3. *cap.* 7. *in addit. litt.* B. Zanard. *in direct. p.* 3. *cap.* 95. & Diana *d. p.* 4. *tr.* 6. *reſol* 13.

Mala verò fama illius, qui ob alia crimina eſt malæ vitæ ac depravatis moribus imbutus, eſt indiciū ſufficiens ad torturam Qui enim depravatos habet mores, facilius in errores ac hæreſes incidunt quam alii, qui rectam vitam ducunt, & præſertim in illis erroribus, qui oriuntur ex eo vitio, quo ſunt implicati. Sic ad venerem multum proclives, facilius inducuntur ad credendum fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum. Et ideo adverſus tales ob ſolam malam famam legitime probatam, poterit Inquiſitor ad torturam procedere juxta Pegnam *d. com.* 110. & alios apud ipſum, ac Peguer. *d. dec.* 17. *n.* 13. Caren. *d.* § 10. *n.* 78.

Opinantur Peguera *d. dec.* 17. *numer.* 13. Laurent *deciſ.*

Aven.

Aven. 20. *num.* 13. bonam famam alicujus in genere tollere malam famam ejuſdem in genere, ac præſumptionem ex ea reſultantem. Aliter tamen cenſent Ghilauſen. *in arb. Jud. capit.* 6. *p.* 5. *num.* 136. Farinac. *qu.* 47. *numer.* 193. & Caren. *loc. cit. numer.* 78. *&* 81. quatenus tradunt, opinionem magis probatam eſſe, quod non obſtante probatione bonæ famæ in genere, non tolli malam famam in genere, ſed aliqualiter tantum diminui. Quod etiam ſequitur Boſſ. *de inquiſ. n.* 35. Et ideo non eſt inutilis probatio bonæ famæ, ut reus levius torqueatur, ut *ibid. n.* 192. admonet Farinacius.

Probata igitur bona fama in genere pro reo ex indiciis ſufficientibus, etiam ipſe torquendus eſt, quamvis levius, alias facillime poſſent rei tormenta evadere. Probatio autem bonæ famæ in genere non tollit indicia ſpecialia quæ exiſtunt contra reum, ut probat Clar. *qu.* 60. Et probatio malæ famæ in genere auget ſuſpicionem delicti ipſius inquiſiti, dummodo ſit in eodem genere delicti, ut per Farinac. *num.* 199. Peguer. *loc. cit.* & Caren. *ibid. n.* 82.

Fama autem mala alicujus criminis, de quo reus aliàs fuit infamatus, eſt indicium ad torturam. Quia fama præcedens adjuncta poſteriori, iſtam auget, & dum illa corroboratur novo adminiculo præſenti, facit vehementem præſumptionem adeo, ut torqueri poſſit ex doctrina Clari *q.* 21. *n.* 1. Delbene *co.* 1. *de offic. S. Inquiſ. dub.* 192. *ſect.* 40. *petit.* 3. *n.* 3.

Ad hoc autem, ut mala fama ſit indicium ad torturam ita probanda eſt. Primo ſaltem per duos teſtes, ut per Gloſ. *in can Deus omnipotens* 20. *qu.* 21. & *in l.* 3. *§. ejuſdem ff. de teſtibus* Bartol. cum aliis *in l. de minore §. plurimum ff. de quaſt. num.* 19. Clar. *quaſt.* 6. *num.* 12. Farinac. *qu.* 47. *nu.* 210. & Caren. *d. tit.* 10. *num* 66.

Secundo requiritur, ut dicti duo teſtes ſint omni exceptione majores. Quia cùm fama ſit indicium valde à crimine remotum, ejus teſtes, ut fidem faciant, debent eſſe omni exceptione majores, ut cum Canoniſtis *in d. capit. qualit. r de accuſ.* tradunt Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 749. *n.* 73. Mirand. *q.* 26. *n.* 95. Farinac. & Caren. & Diana *loc. cit.*

Tertio, quod dicti teſtes nominent perſonas, à quibus delictum audierunt. Quia cùm fama, ut plurimum, ortum habeat ab incerto autore *cap. veſtra de cohab. cler.* neceſſe eſt, ut probet, quod nominentur perſonæ, à quibus fama delicti ſparſa audita fuit, Farinac. *dict. qu.* 47. *n.* 229. *&* 330. Mirand. *ſupra nu.* 98. Carena *ibid. nu.* 67. & Diana *eo loco* qui etiam aiunt, perſonas nominatas debere eſſe bonæ opinionis & famæ, qui deponere debent, ſe audiviſſe à majori parte viciniæ, vel loci. Quia multiplex rumor populi inducit famam, ut inquit Gloſ. *in cap. cum in tua* 27. *ver. de plan. de ſponſal.*

Quartò, quod interrogati de quidditate famæ debeant reſpondere, quid illa ſit. Nemo enim poteſt deponere de eo, quod ignorat. Sufficit tamen rudis cognitio ſecundum capacitatem teſtium. Non enim tenentur reſpondere per terminos juris. De quo Scacc. *de indic. capit.* 84. *num.* 32. & Caren. *ubi ſupra num.* 72.

Et ſecundum Innocentium *in d. cap. qualiter nu.* 1. *de accuſ.* ita fama probatur. Teſtis deponere debet, eum, de quo agitur de tali crimine diffamatum eſſe, & interrogatus apud quos ſit diffamatus, reſpondere tenetur, apud tales, & niſi eo nominet, non videtur reddere cauſam ſui dicti. Nam aliter ſciri non poteſt, an illi ſint viles, & malevoli, an verò fide digni, de quo antea Judici conſtare debet. Debet ergo dicere apud tales, & tales eſt ſuſpectus, quia hæc ab eis audivi, vel vidi eos vitare ipſius familiaritatem. Subditque Innocentius, ſufficere, ſi dicatur, à duobus ſe audiviſſe, quia *d. cap.* qualiter loquitur in plurali, ibi *providis & boneſtis.* Ergo ſufficiunt duo *l. ubi numerus ff. de teſtib.*

Adverte tamen, quod non ſufficit, ſi teſtis dicat apud duos eſſe ſuſpectum, quia ex hoc non eſſet probata fama, ut *cap. inquiſitionis de accuſ.* ſed oportet eum addere in ſuo teſtimonio, quod hoc ipſum, quod audivit ab illis duobus, clamat major pars viciniæ. Et hoc intendit *dict. capit. qualiter*, dum ait, quod illi providi viri debeant dicere, quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat, textus *in capit. ſuper eo, de eo, qui cogn. conſangu. ux. ſua, & cap.* 2. *de purg. can.*

Quidam tamen, ut ſubjicit Innoc. *ibid. num.* 4. non improbabiliter dicunt, ſatis eſſe, ut teſtes etiam nullis perſonis expreſſis, dicant, rumor, & infamia eſt per viciniam. Reſervatur enim alteri parti facultas probandi infamiam hanc eſſe tantum apud viles, aut malevolos, vel ab ipſis ortum habuiſſe. Quo probato, non procedit inquiſitio arg. *can. in cunctis* 11. *qu.* 3 *& in d. capit. qualiter non cavetur*, ut teſtis debeat hoc dicere, ſed tantum, ut ſuperior non debeat ad inquiſitionem procedere, niſi clamoſa inſinuatio per bonos & graves ad eum pervenerit. Cum his dictis Innocentii concordant *in d. capit. qualiter* Jo. Andr. *numero* 11 Anchar. *num.* 33. Abb. *nu.* 1. *&* 4. Cardinal. *in §. hunc tamen num.* 9 & communiter Doctores, ut teſtatur Alex. *conſ.* 110. *poſt numer.* 4. *lib.* 1. Aretin. *in cap. cum oporteat num.* 58. *de accuſ.* ubi de magia communis, Gandin. *in rubr. quomodo de maleſic. cognoſc. per Inquiſit poſt nu.* 11. & alii, quos conſtipat Farinac. *de indit. & tort. qu.* 47 *num.* 227. *&* 236.

Mala tamen fama, orta poſt carcerationem rei, ſi id ſufficienter probetur, non eſt indicium ſufficiens ad torturam. Quia tunc fama non præſumitur orta ex veritate delicti, ſed ex illo actu carcerationis, quæ ſicut non eſt indicium ad torturam, ita neque fama, quæ ex ipſa orta eſt, Giurb. *conſ. cr.* 91. *num.* 44. Caren. *d. p.* 3. *tit.* 10. *§.* 10. *nu.* 73.

In delictis verò occultis, ac difficilis probationis, ſola fama facit indicium ad torturam, ut dicimus ex Claro *qu.* 21. qui teſtatur, ita paſſim vidiſſe obſervari. Cui ſubſcribunt Farin. *dict. quaſt.* 47. *nu.* 11 Giurb. *conſ. cr.* 13. ubi alii, Gilhauſen. *in arb. Jud. cap.* 6. *nu.* 27. Peguer. *dec.* 17. *num.* 17. & Caren. *ibid numer.* 77. Obſervandum tamen eſt, an fama hæc ortum traxerit à malevolis, quo caſu rectè ait Carena *num.* 68. quod nihil probat, licet contrarium aſſerat Scaccia; *d. cap.* 84. *num.* 31. ſed minus conſentanee ad ea, quæ ſuperius dicta ſunt.

Si teſtis dicat, ſe audiviſſe, ita publice dici; vel ita eſſe publicam vocem & famam, eſſe admittendam hujuſmodi teſtificationem, ut ſufficientem ad torturam tradunt Peguera *dict. dec.* 17. *numer.* 25. Paul. Gramat. *theor.* 22. *num.* 6. Burſat. *lib.* 1. *conſ.* 90. *num.* 6. & alii apud Maſcard. *de prob. lib.* 1. *concluſ.* 496. *num.* 19. *& lib.* 2. *concl.* 739 *nu.* 4. *&* 5.

Hæc tamen ſententia intelligenda eſt, quando teſtes adducerent cauſas & conjecturas veriſimiles, ex quibus ortum habuit talis fama. Nam alias non probarent famam, dicendo tantum, ſe ita publice dici audiviſſe, vel ſic eſſe publicam vocem & famam. Ideoque Bartol. *in l. de minore §. plurium nu.* 12. ibique Marſil. *num.* 54. *ff. de quaſt.* Navar. *in tr. de fama & infamia can. non ſunt audiendi* 2. *qu.* 3. *num.* 13. *& ſeq.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 65. *num.* 37. Mirand. *de ord. indic. d. tom.* 2. *qu.* 29. *ar.* 5. *concl.* 2. Farinac. *loc. cit.* aliique docent, non ſatis eſſe, quod teſtes dicant, ita eſſe publicam famam, niſi etiam rationem reddant, quare id neceſſariò concludant, & teſtes, etiam non interrogati dum deponunt ſuper famam, debent exprimere cauſas, indicia, & conjecturas, ex quibus orta fuit fama, aliter non probant. Quod etiam confirmat Carena *d. §.* 10. *nu.* 67.

Si autem teſtes, deponentes ſuper malæ fama, eſſent diverſi in nominibus perſonarum, à quibus illam audiverint, vel in tempore, & loco auditus, ut ſi unus teſtis diceret, ſe audiviſſe à Titio, & Seio, & alius à Marcello & Caio, & unus diceret ſe audiviſſe menſe Novembris in platea, alter menſe Aprilis in palatio Piſonis, probarent malam famam. Quia eorum teſtificatio in eundem finem dirigitur. Et quamvis videantur teſtes ſingulares, tamen ſingularitas non obſtat probationi famæ, quæ non variatur quoad ſubſtantiam, ſed tantum quoad circumſtantias accidentales; ut colligitur ex *l. ob carmen §. fin. ff. de teſtibus* & tradunt Bartol. *in d. l. de minore, d. §. plurimum num.* 24. *ff. de quæſt.* Innoc. *in d. capit. qualiter v. & famam de accuſ.* Pegn. *in direct. d. p.* 3. *com.* 19. Catena *ibid. num.* 69.

Similiter ſi teſtes non conveniant in cauſa ſcientiæ; quia videlicet unus dicit: Scio, quia ab illo audivi, vel audivi à talibus. Et alius dicit: quia ab hoc ortum eſt ſcandalum in vicinia; tamen quia omnes iſtæ cauſæ in eumdem finem diriguntur, verè probant famam, aut infamiam. Nam, ut teſtes probent famam, ſatis eſt, ſi dicant, ſe audiviſſe aut à talibus, aut à talibus publice dici, ut per Innocentium, & Pegnam *loc. cit.*

Moneo autem cum Pegna *ibidem*, famam de aliquo in eo loco eſſe quærendam, in quo ille verſatur, vel verſatus eſt ad textum *in d. l. de minore, §. plurimum ff. de quæſt.* ubi dicitur: *Cujus exiſtimationis quiſque in civitate ſua eſt.* Porro famam, atque rumorem pars altera conſenſum civitatis, & plublicum teſtimonium vocat; altero ſermonem ſine ullo certo autore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas, quod nulli non etiam innocentiſſimo poſſe accidere, fraude inimicorum falſa vulgantium. Exempla utrinque non deſunt.

Fama tamen, & unicus teſtis faciunt indicium ad torturam. Quia, ut inquit Eymer. *p.* 3. *direct. qu.* 61. *num.* 3. unus teſtis & fama dicuntur facere ſemiplenam probationem, & ideo dum ſimul concurrunt, pleniſſimum faciunt indicium ad torturam. Id probatur per textum *in capit. præterea de teſtibus* & per Gloſ. *in l.* 3. *v. convictus C. ad leg. Jul. majeſt.* ubi Cyrius, Bartolus, ac cœteri, ac proſequitur Gomez. *lib.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 7. *&* 10. Unde ſiquis ab uno teſte viſus fuerit Imagines Sanctorum conculcaſſe, fregiſſe, aut deleviſſe, ſimulque orta fuerit fama contra eum de hoc delicto, iſque coram fidei quæſitoribus negaret, proculdubio ex teſtimonio illius teſtis, & fama torqueri poterit. Hanc ſententiam eſſe communem, certam ac tutam tenent Eymer. *loc. cit.* & Pegna *com.* 110. *num.* 4.

Criminis verò confeſſio extrajudicialis ipſius rei eſt indicium ſufficiens ad torturam, ſi in ipſa confeſſione hæ circumſtantiæ concurrunt. Quod talis confeſſio ſit veriſimilis. Quia nemo præſumitur falsò ſibi crimen imponere. Si autem veriſimilis non ſit, non eſt indicium ad torturam ſufficiens; Nam quod inveriſimile eſt, habet ſpeciem falſitatis. Quod confeſſio non ſit generalis, ſed ſpecialis criminis commiſſi cum expreſſione loci & temporis. Quod non ſit facta jocoſe, ſed seriò, neque calore iracundiæ. Quia hæc nullam habere ſolet veritatem. Quod ſit plene probata à duobus teſtibus. Quia unus teſtis deponens de indiciis delicti, inſufficiens eſt ad torturam, ut pluribus comprobat Gomez. *d. to.* 3. *rubr. de tortur. reor. num.* 18. Clar. *in pr. cr. qu.* 22. *ſub initio*, Menoch. *lib.* 1. *præſumpt.* 89. *num.* 17. *& ſeq.* Pegna *d. com.* 110. Caren. *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 9. *num.* 58. *& ſeq.* ac Diana, & alii apud ipſum *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 12. Licet Anton. de Bell. *in tr. var. lib.* 1. *qu.* 13. *num.* 3. ac Boſſ. *tit. de confeſ. nu.* 45. cenſeant, confeſſionem extrajudicialem non requiri, ut ſit cum expreſſione loci & temporis, ut faciat indicium ad torturam, Quia non videtur veriſimile, aliquem extra judicium velle narrare integrum factum commiſſi criminis cum dictis circumſtantiis loci ac temporis. Quod & ego appobo.

Confeſſionem extrajudicialem commiſſi criminis, ſi non probetur per conteſtes, ſed per teſtes ſingulares, non eſſe indicium ſufficiens ad torturam, tenet Farinacius cum aliis *qu.* 82. *numer.* 45. *& qu.* 64. *num.* 145. Quia utraque illa depoſitio non æquivalet probationi concludenti, factæ a duobus conteſtibus.

At Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 10. & Albertin. *de agnoſc. qu.* 25. *numer.* 20. contendunt, in crimine hæreſis confeſſionem extrajudicialem ſufficienter probari per teſtes ſingulares ita, ut unus teſtis deponat de una confeſſione, & alter de altera. Quia, licet unuſquiſque per ſe ſolum non faceret indicium ſufficiens, hæ duæ tamen atteſtationes ſimul junctæ, indicium faciunt ad torturam, ſicuti, ut ait idem Souſa *ibidem cap.* 39. *num.* 55. duo ſocii criminis, etiamſi ſint ſingulares, indicium faciunt ad torturam.

Ego tamen puto cum Claro *in pr. quæſt.* 21. & cum Caſtropalao *d. p.* 1. *tr.* 4. *quæſt.* 8. *pun.* 9. *numer.* 4. id admittendum eſſe, quando teſtes ſingulares plures quam duo concurrerent ad probandum, ipſique eſſent probatæ vitæ, ac omni exceptione majores. Tunc enim ſufficienter ex eorum depoſitione reus poſſet torqueri. Nam veriſimile non eſt, tot teſtes depoſuiſſe talia, niſi reus eſſet culpabilis. Et cujuslibet teſtis depoſitio, licet non concludenter probet indicium, aliquam tamen, ſaltem levem, facit præſumptionem. Ergo, multiplicatis his depoſitionibus, ex illis reſultare poteſt major præſumptio, quàm ex concludenti probatione unius tantùm indicii.

Reum ſi revocat confeſſionem extrajudicialem, non eſſe torquendum, aſſerunt Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *qu.* 89. *num.* 25. Carrer. *in pr. leg. obſer. num.* 121. Marſil. *ſing.* 310. Albertin. *dict. qu.* 25. *num.* 22. & Sanch. *lib.* 6. *conſil. cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 8. Quoniam eſt confeſſio nudi facti

Contrarium tenendum eſt cum Clar. *dict. qu.* 21. *num.* 112. Cabal. *reſol. crim. cent.* 1. *caſ.* 81. *num.* 4. Farinac. *qu.* 82. *nu.* 28. Boſſ *tit. de confeſ. nu.* 55. Bisfeld. *in com. de malef. leg.* 9. *de indic.* §. 9. Mirand. *tom.* 2. *in ordin. indu. qu.* 26. *ar.* 7. *concl.* 1. firmantibus, quod ſi error talis confeſſionis non probetur, ſemper ipſa facit indicium ad torturam, & ita teſtantur de praxi.

Qui factum, vel dictum hæreticale confitetur extrajudicialiter, ſed negat intentionem habuiſſe hæreticandi, ejus confeſſio eſt indicium ad torturam. Ob talem enim confeſſionem poteſt torqueri, ut ſuam intentionem declaret, dum actus externus fuit hæreticalis, & conſequenter examinandus à Judice, ut tradunt luculenter Albertin. *loc. cit. qu.* 36. *prope finem*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 52. Pegna *p.* 3. *direct. d. com.* 110. *in append.* ubi ait: *Quicunque ſe jactando, vel glorianda, vel referendo dixit, ſe commiſiſſe aliquid hæreticale, & per teſtes legitimos conſtiterit de ejus confeſſione extrajudiciali, vocari poteſt à Iudice, & interrogari, & ubi expediens erit in carcerem mitti, & ſi neget, torqueri poterit ob illam confeſſionem.*

Sunt aliqui Doctores, quos refert Gomez. *d. to.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 8. tradentes, quando reus in tortura confitetur crimen confeſſum extrajudicialiter, non requiri poſtea aliam ratificationem. Quia ſufficit illa confeſſio extrajudicialis, quæ præceſſit, ut poſtea plene probet confeſſio, quæ ſequitur in tormento, ut reus definitive condemnetur ſine alia ratificatione, licet hæc alias ſemper regulariter requiratur.

At hæc ſententia non eſt in praxi obſervanda. Nullo enim jure nititur. Nam generaliter lex diſponit,

con-

confeſſionem factam in tormentis, ratificandam eſſe; eumque confeſſio extrajudicialis jam ſit operata ſuum effectum, ſcilicet, ut ex ea reus torqueri poſſit, non debet alium effectum operari ita, ut non requiratur ratificatio. Id etiam amplectuntur idem Gomez. *loc. alleg.* Pegna *dict. com.* 110. *in append.* Becan. *in* 2. 2. D. Thom. *q.* 67. *& de injuſt. Judic. q.* 10. *concl.* 2. *num.* 9. Cabal. *d. cent.* 1. *caſ.* 84. *num.* 6. Suarez de Paz *in pr. to* 1. *p.* 5. *c.* 3. *§.* 12. *n.* 26. & Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 12.

Sola variatio, vacillatio, vultus mutatio mendacium rei, dum ipſe Judici interroganti reſpondet, non ſunt indicia, quæ ſufficiant ad torturam. Nam ſæpè reis hæc obveniunt, vel ob verecundiam, vel ob pœnæ timorem, vel ob doloris magnitudinem, vel ob futuræ infamiæ recordationem, vel ob Judicis ſeveritatem. Ideo non probant indicium ad torturam, neque ſignum proximum delicti, ſed tantum remotum. Ad torturam namque requiritur indicium vehemens, urgens, & Sole clariùs. Hanc ſententiam aut communem Curret. *in pr. cr. num.* 119. aſſerens, ſolam variationem, aut mendacium, aut pallorem, titubationem, trepidationem ac ſimilia, quæ coram Judice fiunt, non facere indicium ad torturam, ſed quandam ſuſpicionem, cùm hoc ſit indicium remotum. Idemque tradunt Marſil. *in pr. cr. §. diligenter, & conſ.* 51. Grammat. *dec.* 34. Pegna *d com.* 110. Caſtropal. *d. pun.* 9. *nu.* 11. & Diana *d. p.* 9. 4. *tr.* 6. *reſol.* 15. apud quem alii.

Verum ſi ipſa variatio & mendacium alio indicio adjuvetur, tunc erit ſufficiens ad torturam, ut notant Eymer. *d. p.* 3. *qu.* 61. *nu.* 2. Farinac. *qu.* 52. *num.* 12. *&* 29. Clar. *in pr. §. fin. q.* 21. Zanard. *in direct. p.* 3. *cap.* 93. Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 17. *num.* 164. Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 80. Mirand. *d. tom.* 2. *qu.* 26. *ar.* 12. *concl.* 1. & Cantera *in quaſt. cr. cap.* 2. *de prob. per teſt. qu.* 1. *nu.* 20. At Giurba *conſ.* 87. *num.* 26. *& ſeq.* cum aliis docet, mendacium ſuper facto principali per ſe ſolum eſſe indicium ad torturam. Et multo magis quando plura adſunt mendacia, quia unum ab altero adminiculatur ad torturam.

Ego tamen exiſtimo cum Carena *p.* 3. *d. tit.* 10. *§.* 14. *numer.* 98. remittendum eſſe arbitrio Judicis, an, & quando ex variatione, ac mendaciis rei oriatur indicium ad torturam, perpenſa qualitate rei & mendacii, an ſcilicet ſit circa ſubſtantialia, anve circa accidentalia, an reus incontinenti ſe correxerit, necne, & præcipue an adſint alia adminicula.

Minæ autem faciendi maleficium alicui, ſi ſunt plenè probatæ, ac minans ſit potens, ac ſolitus eas exequi, & poſt eas intra breve tempus maleficium ſequutum fuit, faciunt indicium ad torturam; ſecus verò ſi hujuſmodi minæ non habeant dicta requiſita, vel ſi prolatæ ſint ex iracundia, vel ex jactantia, aut ex inconſideratione. Tunc enim non ſunt indicium ad torturam, dummodo tamen non adſint alia adminicula, quæ indicent maleficium. Nam, ſi hæc adeſſent, ex ipſis minis, & ex ſubſequuto maleficio poſſet quis torqueri, etiamſi non eſſet ſolitus ille eas exequi, *arg. l. metum C. quod met. cauſ.* Clar. *d. qu.* 21. Giurb. *conſ.* 91. *n.* 34. *& ſeq.* Farinac. *q.* 50. *n.* 7. *&* 9. *& conſ.* 102 *n.* 44 Peguera *dec.* 17. *num.* 11. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 3. & Carena *d. tit.* 10. *§.* 13.

Limito hanc doctrinam primò, ſi offenſus haberet alios inimicos, præter minantem. Tunc namque debet Judex eſſe valde circumſpectus, & advertere, an fortè alius inimicus illum offenderit. Secundo quando delictum non eſſet ſubſequutum incontinenti poſt minas, ſed poſt notabile tempus, quod Judicis arbitrio eſt decernendum, quia conſiderare debet qualitatem perſonarum, & an antea habuerit opportunitatem delicti committendi. Tertio, ſi minæ fuerint ambiguæ quæ poſſent indicare vindictam legitimam via juris, ut ſi dixerit; ulciſcar; ſolves; pœnitebit te; non ſic alibi, & alia hujuſmodi, & minator ſolitus ſit, via juris ſe ulciſci. Verum ſi conſuevit ſe vindicare via facti, tunc hæc verba eſſent indicium ad torturam. Quarto animadvertere debet Judex, an ſubſequutum crimen fuit ſpecificè juxta ipſas minas. Nam ſi crimen fuit alterius ſpeciei, nec continetur ſub ſpecie comminata, neque eſt gradus ad illam, ut ſi minæ ſint occidendi, & effectus ſequutus ſola fuit vulneratio, eſſet quidem gradus ad minas occidendi; quia vulnera nequeunt ad certam menſuram dari. In hoc ſane caſus minæ eſſent indicium ad torturam, ſecus autem ſi delictum ſequutum, eſſet alterius ſpeciei, ut ſi minæ fuerint vulnerandi, & delictum fuit furti. Quinto, ſi minæ non fuerunt abſolutæ, ſed conditionatæ, nempe faciam tibi hoc, ſi feceris illud. Tunc nihil operantur minæ, niſi conditione impleta. Sexto debent minæ probari per duos teſtes concordes in qualitate minarum, quamvis ſint diſcordes in loco & tempore; aliàs ſi eſſent omnino ſingulares, vel eſſet unicus teſtis, minæ non facerent indicium ad torturam, ſed tantum ad inquiſitionem faciendam. Septimo, ſi minæ fuerunt revocatæ animo ſedato, & revocatio per teſtes probetur. Octavo ſufficerent minæ ad torturam, ſi perſiſteret ipſarum cauſa, nempe honor læſus, odium, utilitas, aut ſimile, & minans habeat conſuetudinem exequendi, ſecus ſi cauſa defeciſſet. Ita colligo ex Farinacio, atque ex aliis apud ipſum *loc. cit.*

Inſtrumenta magica, vel libri ſortilegia, vel magiam continentes, ſi reperiantur apud ſortilegum, vel lamiam, ſunt indicium ad torturam, ut ſi reperiatur lamia cum unguentis, membris humanis, imaginibus cereis transfixis, ac hujuſmodi aliis. Quia ſicut ſi apud quempiam reperirentur inſtrumenta ad tondendas, vel adulterandas monetas, eſſet ille ſufficienter indiciatus ad torturam, ceu tradit Franch. *dec.* 440. Ricc. *p.* 2. *dec.* 43. Giurb. *conſ.* 85. *numero* 26. & Movar. *in collect. ſuper pragm. Regni collect.* 136. *num.* 12. ita ſimiliter dicendum eſt de ſortilegio, vel malefico, apud quem reperiuntur inſtrumenta magica, ut per Binsfeld. *in l. fin. C. de malef. & mathem. verſ. octavum indicium*, & Caren. *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 21. *nu.* 177. qui refert, ita fuiſſe declaratum à S. Romana Inquiſitione ſub anno 1599. etiamſi nulla alia indicia adſint, hoc ſolum ſufficere ad torturam, ut teſtatus Genuenſ. *in pr. cap.* 18. *n.* 13.

Indicium etiam ad torturam eſt, ſi apud aliquem reperiantur libri magici, vel ſortilegi, ut clavicula, quæ dicitur Salomonis, Almadel, Centum Regum, Opus mathematicum, opera Petri de Albano & ſimiles. Ex hujuſmodi enim librorum retentione inſurgit hæreſis ſuſpicio, & ſi retentores ſint malæ vitæ, malæque famæ, aut aliàs de hæreſi diffamati, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, ut videre eſt apud Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 38. *num.* 24. Zanchin. *tr. de haret. cap.* 7. *num.* 7. Binsfeld. *loc. cit.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. cath. q.* 28 *n.* 25. *& ſeq* Pegna *p* 2. *direct. com.* 3. Delrium. *lib.* 5. *magic. ſect.* 17. Genuen. *ubi ſupra cap.* 68. *nu.* 28. & Farinac. *de hæreſ. q.* 180 *n.* 28.

Advertit autem prudenter de more Pegna *ibidem*, quod in hac librorum retentione habenda eſt ratio perſonarum & librorum, & opus eſt conſilio, & judicio peritorum. Nam fieri aliquando poteſt, ut abſque hæreſis ſuſpicione hujuſmodi libri penes aliquem reperiri poſſint, ut ſi illos retinens ſit omnino imperitus, qui eos nec intelligat, nec legere ſciat. Vel ſi quis cum hæreditate, vel mercibus illos ſuſcepit occluſos nec adhuc exolvit. Vel ſi libri, licet ab hæreticis ſint conſcripti, nihil tamen contra fidem contineant, ſed tantum quæ ad Grammaticam, vel Medicinam, vel ad ſimiles profanas artes ſpectarent. Vel qui illos retineret, eſſet probatiſſimus vir, à quo procul omni malitia abeſſe putaretur. Ex quibus ver-

bis

bis perſpicue monſtatur quod retinens dictos libros, non ſemper eſt de hæreſi ſuſpectus, nec ſemper talis retentio eſt indicium ad torturam.

Si quoque hujuſmodi libros retineret Judæus, eſſet etiam indicium ad torturam. Nam licet talis prohibitio intelligenda ſit pro fidelibus baptizatis, quia iſti ſolum ſunt Eccleſiæ ſubjecti, attamen Judæi, qui Chriſtianorum dominio ſubduntur, dictos libros retinentes, incidunt in eaſdem Chriſtianorum pœnas, & puniri debent ab Inquiſitoribus S. Officii juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. editam anno 1581. incipientem, *Antiqua Judæorum*, ubi inter cauſas, & caſus, in quibus Inquiſitores procedere poſſunt adverſus Judæos, recenſuit Pontifex quoque retinentes libros prohibitos, ut refert Pegna *p. 2. d. com.* 3. & tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 35. *rubr. de Judæis n.* 11. Farinac. *d. q.* 180. *nu.* 10. & Caſtropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *dub.* 2. *nu.* 7.

Contumaciam cum ſubſequuta ſententia condemnationis facere indicium ad torturam, quando inquiſitus non probat ſuam innocentiam, cenſet Giurb. *conſ.* 13. *num.* 22. & 24. quem ſequitur Bordon. *to.* 1. *cap.* 35. *numero* 26. Verum dicendum eſt cum Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 17. *num.* 117. quod contumax, quandocumque venerit, etiamſi ejus ſtatua fuerit combuſta, eſt audiendus, & admittendus ad probandam ſuam innocentiam; ſed quamvis concludenter eam probaverit, adhuc tamen ex contumacia ſola, & ſententia contra eum, juris ordine ſervato, lata, eſſet arbitrio judicantium torturæ ſubjiciendus. Quia nimirum ejus contumacia juncta cum ſententia ſufficientet probet indicium ad torturam. Fuga malefici, aut ſortilegi, vel alterius ſuſpecti de hæreſi aliquando eſt indicium ad torturam. Nam ſi fuga arripiatur ante accuſationem, vel ante transmiſſam inquiſitionem eſt indicium ad torturam; quia præſumitur capta ob conſcientiam criminis, & ob timorem accuſationis, vel inquiſitionis, ut tradunt Farinac. *de indic. qu.* 48. Peguet. *dec.* 17. *numero* 31. Giurb. *conſ.* 13. *num.* 19. Binsfeld. *in l. fin. C. de maleſ. & mathem. verſ. ſeptimum fuga* & plerique alii, quos ſequitur Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 11. *nu.* 83. Similiter fuga eſt indicium ſufficiens ad torturam, ſi reus viſus eſſet exire fugiens, & pallens ab eo loco, in quo inventus eſt aliquis maleficiatus, vel res maleficiata, ut firmant Delrius *d. lib.* 5. *magic. ſect.* 4. Clar. *qu.* 21. *num.* 38. & Farinac. *de hæreſ. q* 65. *n* 48.

Si verò fuga arripiatur poſt accuſationem, vel inquiſitionem, tunc non eſt indicium ſufficiens ad torturam, niſi comitetur aliis adminiculis. Quia talis fuga non præſumitur capta ob criminis conſcientiam, ſed ob timorem moleſtiarum, & vexationum, quæ ex inquiſitione, & carcere oriuntur, ut per Caren. *ibid. num.* 84. Peguet. *d. dec.* 17. *num.* 32. Giurb. *ſupra num.* 20. Maſtril. *dec.* 296 *num* 230. *& ſeq.* Non eſt pariter indicium ſufficiens, quando aſſignari poteſt aliqua cauſa, ſaltem colorata illius fugæ, ut per eandem Peguet. *cit. num.* 32. Farin. *d. q.* 48. *nu.* 36. & Caren. *loc. cit. num.* 86.

Fuga verò à carcere, etiamſi ſolum ſit attentata, animo non redeundi, neque accedendi ad Superiorem, utique eſt Indicium de delicto ſufficiens ad torturam, ut ſtatuunt Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 26. *nu.* 34. Farinac. *qu.* 30. *num.* 85. & Diana *d. p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 14. Secus verò ſiquis è carcere arriperet fugam cum proteſtatione adeundi Superiorem, & ad illum vere accederet, etiamſi carceres frangeret. Quia non dicitur fugere qui adit Superiorem. Ille enim dicitur fugitivus, qui malitioſe fugit *l. fugitivus ff. de verb. ſignif.* Reverſus autem ad Superiorem non eſt vitioſus, cùm jura illum concedant, ut fuſe Maſtril. *d. dec.* 296. *nu.* 22. & 29. & Carena *d. n.* 86.

Torqueri etiam poteſt qui quomodocumque fugam arripuit, etiam poſt accuſationem & inquiſitionem, ſi cum ejus fuga conjungatur aliud indicium, nempe fama, communis ſuſpicio, vel aliqua alia præſumptio, ut per Clar. *d. q.* 21. *n.* 18. Gomez *to.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 10. & Maſcard. *lib.* 2. *de prob. concl.* 819. *n.* 4.

Qui autem fugam arripuit, & citatus comparet, abſtergit omnem ſuſpicionem, ut notant iidem Doctores, & multo magis ſi ſponte revertatur. Quia ex ſpontanea comparitione purgatur præſumptio, ut probat Farinac *ea q.* 48. *nu. item* 48.

Et qui quæritur, ut juſtè in carcerem trudatur, poteſt licite fugere, ſed non poteſt vim inferre miniſtris juſtitiæ, dum ipſum capere volunt. Quia juſte captus, poteſt fugere. Utitur enim jure ſuo, at non poteſt vim inferre captoribus, vel cuſtodibus; quia ex parte ipſorum bellum eſt juſtum, & juſte officium capturæ exercent, ut per Doctores, quos ſequitur Sanchez *lib.* 6. *conſil. cap.* 4. *dub.* 7. *n.* 6.

Dictum vero dæmonis per exorciſmos extortum non facit indicium ad torturam adverſus ab eo nominatum. Quia dæmon eſt pater mendacii. Unde Inquiſitores cautiſſime procedere debent ob aſſertiones exorciſtarum. Nam in his rebus exorciſtæ ſæpe falluntur, & niſi ſignum aliquod efficax adducant, non eſt eis adhibenda fides, ut per Homob. *de caſib. reſerv. p.* 2 *cap.* 2. & Caren. *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 27. *n.* 77. *in fine.*

Quare ex hac ſola dæmonis aſſertione hujuſmodi nominatus non ſolum condemnandus non eſt ad pœnam mortis, aut exilio ſive perpetuo, ſive temporali mulctandus, ſed neque quæſtioni dedendus, ne in dæmonum poteſtate, & arbitrio ponatur, ut vel optimos quoſque Chriſtianos hiſce mendaciis oneratos miſere torqueant, & perdant, quibus illi tanquam hoſtes crudeliſſimi perpetuò inſidiantur, neque rurſus ut pacatam Rempublicam turbent. Etſi enim non deſint magnorum virorum teſtimonia, qui dæmoniacis, id eſt dæmonibus ipſis exorciſmo coactis fidem adhibendam cenſeant etiam ad ſupplicium mortis infligendum, eſt tamen ea res nimis periculoſi exempli, ut Princeps mendacii pro veritatis teſte fidiſſimo habeatur.

Plane ſiqua veritatis indicia aliunde extarent, aut ſi perſona quæ accuſaretur, jam ante accuſationem pro ſortilega, & malefica publice habeatur, non eſſet dubitandum, quin etiam dæmonibus exorciſmo compulſis aliquid credendum eſſet, non ut ad mortis condemnationem ullo caſu, ſed ut ad quæſtionem, & tormenta deveniri poſſet; tandemque eò, quamſi nihil tormentorum vis exprimeret, ad exilii perpetui pœnam irrogandam, maxime ſi præcedentes inimicitiæ, ac minæ aliquæ probarentur, ſcilicet ſi de ipſo malefici effectu conſtaret, nec niſi quis maleficii autor fuiſſet, quæreretur.

Neque depoſitiones de viſu duarum lamiarum, atteſtantium, ſe vidiſſe inquiſitam in ſuo conventu dæmoniaco, faciunt indicium ad torturam. Quia lamiæ deponentes de viſu, poſſunt per illuſionem diabolicam decipi. Licet enim aliquando verè ad ludum, & conventum corporaliter transferantur à dæmone, negari tamen non poteſt, quin etiam aliquando decipiantur, & non corporaliter, ſed per illuſionem ipſius dæmonis in illo loco, ſive Conventu ſe eſſe opinentur, ſicque earum depoſitio de viſu poteſt eſſe falſa. Ideoque abſurdum eſſet dicere, quod ex talibus depoſitionibus oriatur indicium ſufficiens ad torturam, cùm hujuſmodi indicia eſſe debeant certa, & clara, non autem dubia & æquivoca, & ita monſtrant Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 37. *de lamiis nu.* 14. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 82. *nu.* 10. Farinac. *de hæreſ. qu.* 185. *nu.* 151. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. *§.* 5. *num.* 2. Tanner *to.* 3. *diſp.* 4. *q.* 5. *dub.* 2. Laym. *lib.* 3. *ſect.* 5. *tr.* 6. *cap.* 15. *num.* 8. Diana *d. p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 30. Caren. *d. tit.* 12. *§.* 26. & 27. *n.* 226. *& ſeq.*

Ab

Digitized by Google

Ab hac ſententia non eſt eſt recedendum, etſi contra cenſeant Delrius *lib.* 5. *magic. poſt. ſect.* 16. *append.* 2. *qu.* 8. Rinsfeld. *de confeſ. ſagar. membr.* 2. *poſt. concl.* 6. *dub.* 2. & Valentia *to.* 3. *diſp.* 6. *qu.* 13. *pun.* 4. *§.* 2. *num.* 3. Qui affirmant ex hujuſmodi depoſitionibus Lamiarum oriri urgentiſſimum indicium ad torturam. Nam illa in praxi ſervatur in S. Officio, teſte Carena, & Farinacio *loc. cit.* qui etiam referunt, ita fuiſſe decretum à S. Romana, & Suprema Inquiſitione. Et Scaccia ibidem atteſtatur, quendam ignarum Commiſſarium, qui tormentis ſubjecit quandam mulierem ex hujuſmodi depoſitionibus ex decreto ſupremæ Inquiſitionis debitas pœnas luiſſe, additque depoſitiones dictarum Lamiarum ne ſufficere quidem ad inquirendum, & ita fuiſſe à dicta Suprema Inquiſitione declaratum, ut refert etiam Carena *d. numer.* 227. Etenim, ut alias dixi: Sagis dicentibus, ſe vidiſſe tales, etiam eos nominando, in diabolicis ludis, non creditur in præjudicium aliorum, ut ſcriptum fuit Inquiſitori Mediolanenſi 1. Maii 1593.

Sunt & alia indicia ad torturam contra ſortilegos & maleficos, & alios de hæreſi ſuſpectos. Primum eſt, ſi apud ipſos repetiatur chirographum obligationis inter ſe & dæmonem, ut notat Zanget. *de quaſt. & tortur. cap.* 2. *num.* 200. & Carena *p.* 2. *tit.* 12. §. 23. *num.* 298. Secundum ſi maleficus tangendo aliquem, vel pomum, vel quid aliud illi exhibendo, ſtatim ille vel moriatur, vel afficiatur aliquo morbo, ut per Fabr. *in Cod. tit. de malef. & mathem. lib.* 9. *tit.* 12. *defin.* 2. *verſ. ſed ſiquid* & Caren. *ibid.* Tertium, ſi ſaga loquatur cum dæmone, & aſtantes audiant, ſed non videant dæmonem reſpondentem, ut ait Ghilaoſen. *in arb. judic. cr. cap.* 6. *p.* 7. *ſect.* 2. *nu.* 10. & Caren. *nu.* 195. Quartum, ſiquis ſe offerat, alios docere incantationes, Gilhauſen. *eo loco num.* 103. & Caren *num.* 297. Quintum indicium ad torturam inducitur contra Judices, qui negligunt punire maleficos, ad quos puniendum tenentur ex juſtitia ratione officii argum. *can. qui poteſt* 23. *qu.* 3. & *can. negligente* 2. *qu.* 7. & tradunt Simanch. *in pr. tit.* 15. Capyc. *dec.* 110. *num.* 69. Delrius *d. lib.* 5. *magic. ſect.* 4. *nu.* 1. Sextum eſt contra habitantes in domo, ſi in ea repetiatur maleficio læſus, vel occiſus aliquis, & conſtet non potuiſſe ab aliis occidi. Nam delictum in domo factum præſumitur ſactum ab exiſtentibus in domo, ut notant Novel. *in pr. crim. num.* 102. & 108. Farinac. *de indic. qu.* 50. *num.* 98. Mirande *de ord. judic. qu.* 26. *num.* 174 & Carena *p.* 3. *tit.* 10. *nu.* 18. Sicut etiam res furto ſublata, inventa in domo alicujus hominis malæ famæ, facit indicium ad torturam, niſi ille probet, ab alio talem rem habuiſſe, ut per Clar. *qu.* 21. *num.* 30. Septimum, ſiquis inventus eſſet non ſolum cum inſtrumentis maleficii ac ſortilegii, ut diximus, ſed etiam in loco delicti, vel valde propinquo, & quaſi contiguo, Hoc enim indicium eſt valde proximum, nec indiget alio adminiculo ad torturam, quia concurrunt duo indicia, nempe inſtrumentis & locus. Si verò eſſet inventus ſine inſtrumentis, tunc opus eſt ad torturam, ut concurrant aliæ præſumptiones, ut per Farinac. *loc. cit. num.* 33. & Delrius *ibidem.* Octavum, ſponte patrocinari maleficis, & contendere non eſſe credenda ea, quæ de illis certò narrantur, ſed vana eſſe ac levia, Id plane eſt indicium ad torturam, Delrius eo loco. Nonum defendere errores malefici, vel hæretici, ut Advocati, & Notarii, qui ſcienter ac ſponte & à Judice non deputati, ſua defenſione Judicis officium impediunt, ut colligitur *ex cap. accuſatus §. ult. de haret. in* 6. Decimum hujuſmodi reos favere, receptare, abſcondere, ſi ſcienter id fecerint, vel non vi coacti, ut per Turrecrem. *p.* 2. *ſum. de Eccleſ. lib.* 4. *cap.* 20. Delrium *ubi ſupra.* Undecimum non denunciare maleficum, vel ſortilegum, vel hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum Judicibus. Nam qui hoc non faceret, merito præſumeretur ſocius criminis argumento fautorum, & receptatorum, ut per Delrium *loc. alleg.*

Levia verò indicia contra reum non ſufficiunt ad illum torquendum. Quia cùm tortura ſit damnum irreparabile, & grave, non eſt inferenda, niſi præcedentis indiciis, gravibus, & urgentibus, ac legitime probatis, ita ut ſola rei confeſſio de eſſe videatur, ut patet *ex l.* 2. *ff. de quaſt.* & *ex l. milites §. oportet.* & *l. cum. cognitionaliter C. eod.* & ex Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 9. Sanctarello *de hareſ. cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 1. Simancha *in Enchir. tit.* 52. *num.* 5. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 2. & ex Pegna *p.* 3. *com.* 110. *num.* 6. ubi ait quod ex levibus indiciis, quemadmodum nemo capiendus eſt in hoc crimine, nec in carcerem mittendus juxta veriorem ſententiam, ita nemo eſt torquendus. Addo & ego, neque ſufficere indicia, probata per indicia. Abſurdum enim eſſet indicia probari per indicia, cum ea ratione daretur progreſſus in infinitum.

Nec quidem converſatio cum hominibus infamatis de eodem genere delicti eſt indicium ad torturam. Nam hujuſmodi converſatio eſt indicium valde generale ac remotum, tendens potius ad diffamationem, quàm ut per ſe ſit indicium delicti ſufficiens ad torturam, ut recte notat Delrius *loc. cit. num.* 11. Verum ſi talis converſatio eſſet cum hæreticis, dicendum eſt cum Carena *p.* 2. *tit.* 4. *§.* 7. *numer.* 68. quod aliquando eſt indicium vehemens, ac ſufficiens ad torturam contra converſantem, ut etiam advertit Royas *de haret. p.* 2. *num.* 77. Eymer. *in direct. p.* 2. *qu.* 56. *numer.* 8. ibique Pegna *com.* 81. *litt. D.* Farinac. *de hareſ. qu.* 182. *num.* 172. & interdum eſt indicium leve; & ideo conſideranda eſt qualitas perſonarum, loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum; ut obſervant Locat. *in Indic. v. credentes num.* 2. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 21. *num.* 9. & Farinac. *ibidem nu.* 166.

Siquis autem, commiſſo maleficio, ne ſibi imputetur, confeſtim advertit Tribunal. S. Officii, & ſollicitaverit inquiri, ac procedi contra delinquentem, cùm id non pertineat ad eum ſollicitare, daret indicium inquirendi contra ſe ipſum non autem ad torturam. Quia hæc ingeſtio, ac ſedulitas inſtantiæ ſuſpectum alium reddit de patrato maleficio, non verò ſufficienter indiciatum, ut exemplis oſtendit Marſil. *in pr. cr. num.* 150. §. *diligenter*, & Novel. *in pr. etiam cr. num.* 110.

Conſuetudo etiam alicujus peccati eſt ſolum indicium ad inquirendum, non ad torturam, ut ſiquis conſueverit frequenter pejerare, vel blaſphemare, vel obſcæniſſima verba proferre, aut dæmonem ſæpe nominare, & id genus alia. Hoc enim indicium ad malam ſamam reducitur, ut advertit Delrius *d. ſect.* 4. *n.* 20. Binsfeld. *com. in l. fin. de malef. & math. verſ. undecimum.* Sola autem fama ſine aliis adminiculis non facit indicium ad torturam, ut alibi ex communi Doctorum ſententia probavimus, quibus adde Torrebl. *de mag. lib.* 3. *cap.* 17. *nu.* 4. Purgaturque mala fama, ſi reus probet, ſe per triennium proximum benè vixiſſe, & fuiſſe bonæ famæ.

Stultitiam, vel à dæmone ſe vexatum, per dolum ſimulans, ne interrogetur de crimine, torqueri poteſt, probato dolo, qui ex vultu ipſius rei colligi poteſt: quia per exteriora comprehenduntur interiora, Boer *qu.* 1. *n.* 30. *ex cap, ex ſtudiis de praſumpt. cap.* 1. *de cler. non reſid. l. his, qui ff, de tut. & cur. auth. eloquentiſſimum C. de fid. inſtr,* Vide textum *in l. Divus*, in illis verbis, *nec ſubeſt ulla ſuſpicio, matrem ab eo ſimulatione dementia occiſum ff. de offic. Praſid.* Et ideo debent prudentes Judices, ſi quando contingat, ut reus vel demens, vel hebetioris ingenii eſſe dicatur, ut ob hanc cauſam mitius puniendus videatur, jubere adduci eum in ſecretam

cretam Congregationem, ut inſpiciatur ex vultu, & ex ſermone qualis re vera ille ſit, & quanta ejus ſermonibus, & dictis fides adhibenda, & an gravius, an mitius puniendus, alioqui non ſolet fieri hæc exhibitio *l. ult. C. de exhib. vel transm. reis. l. 2. C. de custod, reor.* Tametſi crimen tale ſit, cujus probandi gratia quæſtionem alioquin de reo haberi non oporteret. Siquidem dici ſolet, non eſſe inferendam torturam quoties pro delicto non imponitur pœna corporalis, ne alioqui præparatorium, ut aiunt, gravius ſit præparato, Clar. *pr. cr. qu.* 64. *num.* 4. Id enim favor veritatis elicit, cùm & in cauſa civili, ſi teſtis nolit de ea re, de qua conſtet poſſe eum, ſi velit, teſtimonium dicere, tormentis quoque ad teſtimonium dicendum adigatur, *tot. tit. de teſtib. cog.* & *ibi not.* Et generaliter certum eſt poſſe torqueri teſtem, quoties de falſo eſt ſuſpectus Clar. *loc. cit. qu.* 25. *nu.* 7. & *qu.* 53. *nu.* 1. & 15.

Malum nomen alicujus, & malam illius phyſiognomiam eſſe indicium, ſed leve alicujus delicti, volunt aliqui, nominatim Carena *p.* 2. *tit.* 12. *v. inter. indicia.* Quod fuit de oriente Baldi *in l.* 2. *num.* 5. *C. quor. appel. non recip.* & Par. de Pat. *de ſindic.* §. *mandavit.* Quoniam malum nomen ob malos mores non eſt ſufficiens ad probandum ſpeciale aliquod delictum, quod oomen illud ſignificat. Et ſimiliter mala phyſiognomia; quamvis ſoleant malefici, ac ſortilegi vultum deformem, atque terribilem habere, quia ſicut tractantes venenum argenti vivi efficiuntur tremuli ac pallidi, ita tractantes cum dæmonibus deformes, ac horribiles, ut notant Eymer. *p.* 3. *tit. de ſug. exter. necrom.* Caren. *p.* 2. *tit.* 12. §. 21. *numer.* 181. Hæc autem indicia dicuntur levia, & non ſufficiunt ad torturam, quia ſunt inanes præſumptiones, & potius probant, aliquem eſſe malum hominem in genere, quam maleficum aut ſortilegum, ut per Binsfeldium *in com. d. l. fin. numer.* 13. ac Delrium *d. lib.* 5. *magic. ſect.* 4.

Quinimmo Torre 2. 2. *quæſt.* 95. *ar.* 7. *diſp.* 2. putat quod in obſervatione legum juſtitiæ vindicativæ ac diſtributivæ attendere præſagia phyſionomica eſſe peccatum mortale injuſtitiæ. Quia in his non propenſiones, ſed actus conſiderari debent, puniri, enim debent malefactores, non autem inclinati ad mala, & à dignitate repelli debent qui non ſunt virtute prædıti, non verò qui ſunt vultu deformes.

Sed licet verum ſit, quod phyſiognomia vel mala, vel bona, ſe ſola nec leviſſimum quidem indicium faciat vel actualis malitiæ, vel actualis virtutis, maximè cum bonitas motum dependeat ex divina providentia & gratia Dei, nec mali actus eſſe poſſint, niſi Deo permittenre, negari tamen non poteſt, quod ex corpore bene, vel male conſtituto, & inclinationibus naturalibus, adjunctis aliis principiis, mala, vel bona phyſiognomia non præſtet aliquando adminiculum, vel indicium conſiderandum. Siquidem per ſe evidens eſt, animi mores corporis temperamentum ſeqoi, quod traditur à Galeno *in opuſc.* & ab Ariſtotele *initio libelli de phyſiognomia*, & à Seneca *lib.* 2. *de ira cap.* 18. & *ſeqq.* ſpectareque eodem poteſt, quod Pythagoræi, authore Proclo *in Alcibiade* 1. *Platonis pag.* 215. per ſigna in corpore conſtituta conjectabant aptitudinem hominis ad virtutem, & pronitatem ad certos affectus, nempe quia animus corporeæ conſtitutioni, quam ſigna illa produnt, ſolet ſe accommodare. Unde non male faciunt Judices, aut Superiores, ſi callent hanc artem, ut naturalem, ex phyſiognomia attendere inclinationes naturales hominum. Quis enim neget, non eſſe veriſimilius, quod Titius accuſatus de adulterio ſit verè adulter, ſi ex phyſiognomia cognoſcatur valde inclinatus ad venerea, quàm ſi cognoſcatur eſſe frigidus, & ad ſimilia non inclinatus. Id autem certum eſt, artem hanc phyſiognomiæ per ſe eſſe valde incertam, ita, ut ne quidem inclinationes naturales ex eo certò cognoſci poſſint. Frons, Facies, oculi ſæpe mentiuntur. Et illud: nolite judicare ex facie. Ac ideo, quod phyſiognomia nec etiam certo poſſit indicare naturalem conſtitutionem & naturales inclinationes inquiunt Torre *d. diſp.* 2. Delrius *lib.* 4. *magic. cap.* 3. *qu.* 4. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 38. *num.* 44. Souſ. *lib.* 1. *aph. cap.* 51. *nu.* 7.

Origo ſimiliter ex mala patria, in qua ſint multi ſortilegi, vel malefici, aut ſuſpecti de hæreſi, eſt indicium leve ac inſufficiens ad torturam, quia ex hoc nimis generalis ſuſpicio deducitur, ut per Simanch. *de cath. inſtit. cap.* 30. *num.* 8. & 9. ac Delrium *loc. cit. verſ. vigeſimum ſecundum.* Leve etiam indicium eſt, ſiquis natus ſit ex matre malefica, vel ex patre hæretico, licet tales fuerint ejus avia, & avus, vel ſi ab his parentibus educatus fuerit. Nam, licet hoc indicium ſit majus ſupradicto de patria, quia eſt periculoſius, leve tamen exiſtimatur, ac inſufficiens ad torturam, quia eſt incertum, niſi aliis vehementibus præſumptionibus juvetur, ut rectè advertunt Binsfeldius *ibid. num.* 15. Delrius eo loco, & Carena *ubi ſupra nu.* 183.

At quid de indicio ſtigmatis, ſeu ſigni, quod Satan ſuis mancipiis ſolet in aliqua parte corporis imprimere;

Negant hæc ſtigmata novatores, nominatim Godelmannus *lib.* 3. *de magis cap.* 3. *num.* 28. ubi explodit hæc ſtigmata, allegata lege Carolina, quæ inſimulatos magiæ, jubet eſſe innoxios, eorum verò criminatores ſubjicit mulctæ, & Wierus Sagarum patronus *lib.* 6. *de præſig. cap.* 24. in primis ſtatuit, omnia iſta eſſe ludibria imaginationis violatæ, nec ullum revera ejuſmodi ſtigma aliquando impreſſum eſſe à Satana, ut ut fallente imaginatione, aliqui in tormentis, vel apud Judicem, aut etiam extra judicium, fateantur ſtigma ſibi à Satana impreſſum eſſe. Quod ſi omnino evincatur, vel potius evinci ſupponatur, aliquod tale ſtigma reperiri in nonnullis, unde conſtare poterit, eam notam eſſe dæmoniacam, & Satana inurente impreſſam? Quare pro comperto habet Wierus, ac iteratò confirmat, omnia, quæ de ſtigmate Sagarum jactantur, commenta eſſe, & illuſiones imaginationis depravatæ juxta ea, quæ fuſiſſime diſputat *lib.* 3. *ejuſdem operis à capit.* 7. de facili læſione phantaſiæ, ac frequentibus erroribus ex vitio imaginationis, præſertim in mulieribus ob imbecillitatem indicii, ut ſtatuit *toto capit.* 6. Pacta porro maleficorum cum Satana, quibus ſubjungi ſupponitur impreſſio ſtigmatis ab eodem Wiero exploduntur, ut commentitia, de quo idem plene *lib.* 3. *de præſtig. cap.* 6. 7. & 8.

Verum, quidquid falſo, ac temere fundat Wierus, pro comperto habendum eſt, dari ſtigmata dæmoniaca, impreſſa Sagis, & Magis à Satana, indefinitè ſaltem loquendo. Agnoſcunt bas notas Scriptores fere omnes in maleficorum, & Sagarum diſquiſitione uerſati, ac præter cœteros Nider *lib.* 5. *formicaru*, Nicolaus Remigius *lib.* 1. *dæmonolatr. cap.* 5. Delrius *lib.* 2. *magic. qu.* 4. §. *decimo corporis*, Sebaſtianus Michaelis *ſchol.* 5. *in ſententiam Aveuionenſem*, Henricus Boguetus *diſp. de ſortiariis cap.* 44. Fontanus *in opuſculo*, Creſperus *de odio Satanæ diſcurſu* 15. Leloyer *lib.* 7. *de ſpectris cap.* 3. Petrus Ancoranus *lib.* 2. *de inconſtantia demonium diſcurſ.* 2. Torreblanca *lib.* 2. *dæmonologia cap.* 7. *nu.* 10. adducens Tertullianum *lib. de præſcript.* Et ex ipſis Novatoribus ſtigmata magica agnoſcunt Lambertus Danæus *dialog de ſortiariis*, Bodinus *lib.* 2. *dæm. cap.* 4. Thomas Eraſtus *lib. de lamiis pag.* 523. & Sennertus *lib.* 6. *medic. pract. pag.* 9. *cap.* 5.

Probatio

Probatio hujus veritatis non eſt quærenda alia, quàm quæ dicitur ex frequentiſſimo experimento. Quotidianum enim eſt, ut malefici & ſagæ, vel ſuamet confeſſione, vel participum accuſatione, vel diligentia Judicum deprehendantur notari hujuſmodi ſigno, inuſto per Sanatam, affectantem perverſa imitatione exprimere quod à Deo in anima fidelium fieri perſpectum habet. Conſignantur enim fideles quemadmodum olim in circumciſione, nunc in baptiſmo, charactere indelebili, quo transcribuntur in Dei familiam, ejuſque æterno obſequio mancipantur. At Satan eſt verè ſimius Dei, ut optime aſſumunt Tertullianus *lib. de præſcript. cap.* 40. *& lib. de coron. milit. cap.* 14. Nyſſen. *homil.* 14. *in Cant.* & pleriſque experimentis prolatis Joſephus à Coſta *lib.* 5. *hiſt. novi Orb.* Congerit in hanc rem plurima Henricus à Monteacuto in opere inſcripto *Dæmonis mimica*. Ide que ſin minus in animâ, quæ ejus viribus non ſubeſt, ſaltem in corpore ut magis ſibi devinciat, hos ſuos ſervos conſignat; quibus etiam autor eſt, ut eluendo Chriſtiano baptiſmo, denuo baptizentur in nomine Diaboli, & novo donentur nomine; unde plerumque contingit, ut hujuſmodi homines ſint binomii.

Ex quibus tamen non contendo hujuſmodi ſtigma eſſe indicium plane certum ad reos prorſus convincendum, & urgendum ad ultimum ſupplicium, aut etiam ſubjiciendum tormentis de quo, ſalva exiſtentia ſtigmatum, controverſia eſt inter Doctores. Ex iis enim, qui contra Wierium agnoſcunt imprimi à Satana ſtigmata ſuis hiſce mancipiis, plerique nihilominus nolunt Judices admodum inniti huic iodicio magiæ, & pacti. Quia neque fortaſſis eſt ſignum univerſale, cùm rumor ſit, pleroſque magos eſſe ejus expertes; neque eſt ejuſdem modi in omnibus ſignatis, nec in eadem parte corporis. In virorum enim corpore ſæpe imprimitur ſub labiis, ſub axillis, in humeris, in brachiis, & in mulieribus etiam in mammis, & aliquando confunditur cum nota genitiva, nec rarò poſt impreſſionem obliteratur à Satana.

Hinc ergo graves Doctores colligunt, deprehenſionem ſtigmatis in aliquo non eſſe certum indicium addictionis ad Satanæ obſequium, neque defectum ſtigmatis eſſe certum indicium innocentiæ ab hoc ſcelere. Ita Binsfeld. *com. ad tit. Cod. de maleſ. & methem. indic.* 14. Federicus Spee *in cautiou. crimin. de proceſſib. contra ſagas dub.* 43. & Delvius *lib.* 5. *magic. ſect.* 4. *num.* 28. Nec refragatur Fontanus, qui opuſculo vernaculo de his notis ſagarum, teſtatur, molitorem quendam periclitatum eſſe Judicii capitalis, eo quod à pleriſque pro mago haberetur ob notam genitivam ei in humero ſiniſtro impreſſam in materno utero, cùm mater hepar porcinum expetiiſſet, & ejus imaginem renero fœtui impreſſiſſet. Unde liquet, notam genitivam, aut nævum naturalem cum ſtigmate magico ob nonnullam ſimilitudinem confundi interdum poſſe; atque adeo iodicium ex tali nota petitum non videri plane evidens, ac indeclinabile etiam ad torquendum.

Alii autem quidam Doctores habent ſtigma pro indicio magiæ omnium urgentiſſimo ita, ut perſonam, in qua ſtigma ſit deprehenſum, habeant pro comperta hujus ſceleris, & addictionis ad Satanæ obſequium. Ita Henricus Boguetus *opuſc. de Sortiariis cap.* 50. & Petrus Ancoranus *lib.* 2. *diſcurſ.* 2.

Ego, tametſi abſolute ac ſimpliciter loquendo, exiſtimo Autores primæ ſententiæ admodum prudenter agere, quia hujuſmodi ſtigma incertum eſt indicium, atque adeo leve, & ad torturam inſufficiens, cùm indicia ad torturam debeant eſſe certa, legitima, & à jure probata, ut notat Carena *p.* 3. *tit.* 10. *num.* 184. Lubens tamen conceſſerim, quando conſtanti ipſorum maleficorum confeſſione nota deprehenditur, & in Satanam autorem refertur, acceditque inſenſibilitas partis notatæ adeo, ut penitiſſime transfixa, neque emittat cruorem; neque ſenſum doloris inferat, argumentum eſſe moraliter certum ad pronunciandum impreſſionem eſſe dæmoniacam, & reum hoc ſigno ſe Satanæ obſtrinxiſſe, ſtrictiore & firmiore nexu, quàm alterius generis peccatores: Ut ut verò res habeat quoad vim hujus indicii ad pœnam malefico decernendam, ipſumque ſubjiciendum, tormentis, ſatis in præſenti eſt, poni extra dubium ab utriuſque partis Doctoribus, quod vere dentur ſtigmata magica, & ſicut Deus in anima, ita Satan in corpore habeat ſignatos ſuos. Ea quæ contra dicunt Wierus, Pomponatius, & alii quidam quos non puduit S. Franciſci ſtigmata ad imaginationem fortem, tanquam ad phyſicam cauſam referre, diluam alibi, cùm de magis & ſagis diſceptaverim. Nec mirum. Nihil enim tam abſurde dici poteſt, quod non dicatur ab aliquo philoſophorum

Cauſa amoris, aut odii, aut ratio commodi, & utilitatis, quam mulier habuit efficiendi maleficium, eſt judicium commiſſi delicti, dummodo prius conſter de maleficio, ac de corpore delicti, ac deinde de cauſa, quæ dicitur illa, propter quam aliquid fit. Si itaque mulier iſta de maleficio inquiſita, de ſui natura inclinat ad illam cauſam, ob quam deliquiſſe imputatur, nempe in cauſa amoris, ſi probetur, eam eſſe libidinoſam, & intemperantem, in cauſa odii nimis vindicativam, in cauſa cupiditatis valde pecuniæ avidam, & avaram, tunc id eſſet commiſſi delicti, ac maleficii indicium. Eoque magis ſi alius non imputaretur de tali delicto, vel habuiſſe cauſam illud committendi. Ita Socin. *conſ.* 54. *prope finem lib.* 3. Baldus *conſ.* 427. *num.* 5. *vol. ult.* Caſon. *de indic. tr.* 2. *cap.* 3. *nu.* 7. *&* 11 & Farinac. *de indic. quæſtio* 52. *nu.* 147. Cauſa verò hujus delicti probanda eſt in ſpecie, non autem in genere. Quia teſtes depoonentes in genere, & oon in ſpecie, non probant, ut tradunt Doctores *in cap. Cum oporteat de acenſ.* idemque Caſon. *loc. cit. cap.* 2. *num.* 5. *&* 6. ac Farinac. *ibid. num.* 151. qui etiam inquiunt, ut cauſa delicti faciat indicium contra reum, debere eſſe veriſimilem, gravem, & non levem; quia nemo præſumitur ex levi cauſa delictum grave commiſiſſe, ut ait Maſcard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 904. *num.* 21. & requiritur etiam, ut reus ſi malæ famæ, vel aliquid aliud convertat, ut notant Farinac. *ex loco nu.* 153. Delrius *lib* 5, *magic. d. ſect.* 4. *verſ. decimum octavum* & Carena *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 21. *n.* 185.

Et quidem quod animi affectus & circa animam corpori adjunctam, ea omnia poteſt dæmon, quæ ex corporis affectione & externis occaſionibus apta ſunt proficiſci. Itaque & excitare certam cogitationem poteſt non quidem proxime, & per ſe ipſum, ſic enim illaberetur intellectui, quod ſæpiſſime negant Patres, ſed moto ad correſpondendum actum interno ſenſu, quem intellectus quoad ſimplicem rei apprehenſionem ſubſequitur. Et ita diſerte de dæmonum poteſtate in hoc negorio Marcus Eremita *tr. de baptiſmo poſt medium* poſſunt. & in voluntate eodem modo varios affectus indeliberatos excitare, ut odii, & amoris, teſte Porphyrio *lib.* 2. *de abſtin.* & Platone in ſympoſio, ut annotat Minutius *num.* 45, & tanquam compertum traditur à Tatiano contra Græcos *num.* 29. Origene *in fine lib.* 7. *contra Celſum.*, Arnobio *lib.* 1. *num.* 21. & à Philone *lib. de ſpecial. legib.* qui hanc magiæ ſpeciem vocat Pharmaciam. Gregoras tamen ad Syneſium de inſomniis Pharmaciam reſtringit ad vim magicam nocentem per cibum & potum, quod placuit etiam Suidæ verbo Goletia. Huc ſpectant quæ habet Pſellus tractans illud ex oraculis chaldaicis: *Tuum vas feræ terreſtres inhabitabunt*, ubi vim affectuum concitandorum tribuit dæmonibus.

Huc etiam ſpectant, quæ contra Wierium diſputat Binsfeldius *com. in tit. de malef. l. 4. quæſt. 1.* & mirabile ſanè eſt ſpurcum illum magorum & ſagarum patronum, Cornelii Agrippæ archimagi quondam diſcipulum, nunquam legiſſe, aut pro fabulis habuiſſe, quæ de magorum induſtria, & efficacitate ad concitandos amoris & odii affectus habentur apud probatiſſimos Scriptores. Quale illud, quod de Cypriano, quondam mago, poſtea fortiſſimo Chriſti martyre referunt Nazianz. *orat.* 18. & Eudocia Auguſta apud Photium *cod.* 184. paſſimque hiſtorici Sacri. Ejus enim vim in incendendo per magiam amoris affectu in pleriſque aliis efficacem, in ſola Juſtina ob fidem & pietatem fuiſſe irritam, produnt. Illuſtre etiam in hanc rem illud Baſilii cujusdam Magi apud S. Gregorium *lib. 1. dialog. cap.* 4. & alterius Memphitici Magi apud S. Hieronymum *in vita Hilarionis cap.* 16. & Carpocratis hæretici pariter ac Magi apud Euſebium *lib. 4. hiſt. cap.* 7. & Epiphanium *hæreſ.* 17. ſimiliterque & hæretici & Magi Marci apud Irenæum *lib. 1. cap.* 9. ut vel hinc appareat non ſine cauſa dictum à Tertulliano *lib. de præſcript. cap. 43. notata eſſe commercia hæreticorum cum magis quampluribus*, ac denique alterius apud Theodoretum *in religioſa hiſtoria ſect.* 13. qua Macedonii præclare geſta, deſcribuntur.

De affectu odii eſt par ratio, breviterque ac bene exponitur, & illuſtri exemplo declaratur apud Rodericum Sancium *p. 4. hiſt. Hiſpan. cap.* 14. De variis quoque affectuum à dæmone excitationibus legendus *Gerſon. tr. 8. ſuper Magnificat.* Unde ridicule omnino Abelardus exiſtimavit, has ſuggeſtiones, & illecebras peccati excitari in nobis à dæmone interventu lapidum & herbarum, prout vafer ille novit harum rerum diverſas vires diverſis incitandis, & incendendis vitiis convenire. Quod quidem frivolum eſt, univerſaliter loquendo, vel etiam agendo de ordinariis veteratoris illius in nos machinationibus. Quod tamen aliquas tentationes illis, quaſi incentivis adhibitis excitare poſſit, recte conceſſit S. Baſilius *in cap.* 8. Iſaiæ, & latius Caſtro *v. Tentatio.*

Sola verò inventio Sagæ in loco infanticidii, vel alterius ſortilegii de ſe non eſt ſufficiens indicium ad torturam, niſi alia concurrant, & præcipuè mala fama, quod ſit ſolita ſimilia patrare, aut aliud indicium interveniat. Tunc enim erit indicium ad torturam, aliàs erit ſolum quædam præſumptio, ſufficiens ad inquirendum, & ad capturam, non autem ad torquendum. Ita Blanch. *in pr. tr. de indic. num.* 301. Carrer. *in pr. item cr. tr. 2. ejuſdem tit. indic. 13. num. 11. & 13.* Menoch. *de præſumpt. lib. 1. quæſt. 89. num.* 100. & Farinac. *d. quæſt. 52. nu.* 137. Verum ſi inveniatur in loco delicti, vel loco propinquo cum inſtrumentis maleficii, poterit torqueri. Quia tunc concurrerent duo indicia, locus & inſtrumenta, eſſetque indicium valde proximum, ut ait Delrius *d. ſect. 4. vers. Decimum ſextum, & nos ſupra.*

Similiter ſi malefica, vel ſortilegus aliuſve de hæreſi ſuſpectus, ſæpè poſt ſui diffamationem, vel complicis capturam habitationem mutet, non eſt indicium ad torturam, niſi accedant alia indicia, præcipuè ſi probet juſtam cauſam migrandi habuiſſe de loco ad locum, ut per Delrium *loc. cit. vers. vigeſimum ſextum*, & Caren. *d. tit. 12. num.* 183.

Idemque dicendum eſt, ſi malefica, vel ſortilegus utatur quadam ſanctitatis oſtentatione externa; Licet enim maleficæ ac ſortilegi uti ſoleant quadam ſingularitate, ac Sanctitatis oſtentatione, nimirum veſtitu aſpero, diurna in Templis mora, & ſimilibus, hoc tamen eſt indicium valde leve ac remotum, & potius probans hypocriſim, quam maleficium, aut ſortilegium, ut diligenter Binsfeld. *in com. d. leg. final. vers.* 17. Carena *loc. cit. n.* 184. ac Delrius *ibid. vers. vigeſimum primum.*

Dubitatur, an pro certo habendum ſit Magarum, ſive Lamiarum indicio, ſiquæ fœminæ magiæ accuſatæ, inque judicium productæ, lachrimas non emitterent?

Affirmat Jacobus Sprengerus *in ſuo Maleficarum malleo*, quem ſequi non dubitavit Joannes Bodinus *in opere, quod dæmonologiam inſcripſit lib. 4. cap. 1.* ubi alia in hoc argumento, ita ſcribit. *Exploratum illud eſt, nunquam lachrimari ſagas; præſumptio validiſſima, quia fœminæ tempeſtive, & intempeſtive lachrymas, & ſuſpiria jaculatur.* Et poſtea: Si nihil fateantur, mutandæ veſtes, & pilus omnis abradendus, ita ad interrogationem veniendum: ſin probationis aliquid, aut violentæ præſumptiones habebuntur, adhibendus equuleus, quod olim Domitianus Imperator Appollonio Tyanæo feciſſe apud Philoſtratum Lemnium legitur, eum nudari plane, *& abradi jubens.* Locus Philoſtrati eſt *in lib. 7. de vita Apollonii cap.* 14. ubi tamen de denudatione nihil legitur, ſed ſolùm ut Domitianus capillos & barbam ei detonderi, ac præterea illum juſſerit vinciri. Eſt ſtatim: Si fateri abnuat, utile erit, perſuaderi ipſum à ſociis criminis accuſatum eſſe, licet tale nihil fuerit cogitatum. *Sic fortaſſe ulciſcendi animo par pari referet. Hæc omnia licent divino, & humano jure, quicquid Auguſtinus in libro de mendacio, & Aquinas ſentiant, in octo mendacii generibus, quæ exponunt copioſe, abſtinendum eſſe. Et cap. 2. Antiquata majorum norma, ream abſolvendum, niſi clara plane, integraque extaret probatio.* Et ibidem: *In criminibus adeo abſtruſis præſumptio, & conjecturalis probatio, ſufficit, non quidem ad judicium mortis ferendum, ſed ad quaslibet alias pœnas, excepta morte, irrogandas.* Et aliquanto poſt: *In hoc horrendo, & tam abſtruſo crimine, ut ad quæſtionem rapiatur reus, ſufficit unius teſtimonium, qui nullius infamia fuerit notatus. Damnatus, & infamis teſtis ad teſtimonium dicendam admittitur. In hac certe cauſa opus eſt mulieribus habere fidem, quamvis ſint infames ex facto, aut etiam ignominioſa, cujusmodi mulier impudica eſt.* Et deinceps: *Ab affinibus ejuſdem criminis ſufficienter probari judicatur, niſi capitalis eſt inimicus, qui dicit teſtimonium.* Nec multo poſt: *In tam horrendo crimine nihil neceſſe eſt religioſè hærere quænquam regulis procedendi refellendorum recipiendorumve teſtium ordinariis.* Et adhuc: *Hic ait, regulis juris conſtringi non oportere, ſed potiùs legitime ex jure agi, ſi ordo juris omittatur. Itaque teſtis, qui non citatus ſeſe obtulerit, ut contra Magum dicat teſtimonium, audiri debet, licet aliis in cauſis admitti, non ſit legitimum.* Nec aliena ab his ſunt, quæ dicit *cap. 3. & cap. 4. Dicitur vocem populi negligendam eſſe, eamque vanam exiſtimari l. decurionum ff. de pœn. Sed in Magorum cauſa vix fieri poteſt, ut vox popularis erret.* Ac item: *Hujus execrandi criminis judicium extra ordinem oportet fieri, diverſa à criminibus cæteris ratione, in quo ſiquis ordinem juris, forenſeſque formulas obſervare voluerit, jus divinum, & humanum plane pervertit.* Denique eodem *cap. 4. ejuſdem libri: Si non fleverit Saga: præſumptionem Paulus Grillandus, & Inquiſitores illi, quorum opera cremata fuerunt innumera, annotant valentiſſimam.*

At Bodinus, aliique, ut nonnulla alia, ita etiam & hoc inconſideratè diſſerit. Objectum fletus aliud

eſt

eſt per ſe, aliud per accidens. Per ſe eſt res triſtis, ut obitus conjugis, vel filii dilecti. Per accidens etiam res læta, ut poſtea exponam. Nec quælibet triſtitia lachrymas ciere idonea eſt Nam ſiquid non ſolum triſte ſit, ſed etiam atrox, ſic ſtupent, rigentque membra, ut nec lachrymula excat. Notum de Pſammeniro, Rege Ægyptio, ut cum amicum videret mendicantem non continuerit lachrymas, licet nullus emiſiſſet, cum magis miſera conſpiceret in liberis. Cujus ipſe hanc cauſam victori adferebat Cambyſi, quod unum miſerabile eſſet, alterum atrox.

Interdum autem hinc eſt triſtitia, inde lætitia. Itaque Seneca *epiſt. 99. aliàs* 100. cum egiſſet de lachrymis ex mœrore mero obortis, ſubjungit: *Has lachrymas per illiſionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ ſunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amiſimus, retractatur. Et ineſt quidem dulce triſtitia, cùm occurrunt ſermones eorum jucundi, converſatio hilaris, officioſa pietas. Tunc oculi in gaudio relaxantur.* Cenſeo tamen, tam quoque lachrymas provenire magis ex dolore, quod talem amiſeris, quàm gaudio ex memoria veteris voluptatis. At ſimile eſt ſi videas fratrem, vel amicum patriæ & amicis redditum poſt longam & miſeram captivitatem; ubi quin fletus præcipue obtingat ex recordatione prioris fortunæ, ambiguum non eſt. Et fortaſſe hoc etiam locum habuit, cùm Ptolemæus Philadelphus, ut apud Flavium Joſephum *lib.* 12. *antiq. cap.* 2. legere eſt, lachrymaret, ſacras videns Scripturas, ea redditas lingua, quam ipſe, & Græcorum alii intelligerent. Nam cur non potuerit dolere, quod & ipſe, & Græci tam diù tanto caruiſſent theſauro?

Interim etiam ubi merum eſt gaudium, lachrymæ provocantur. Uti enim triſtia lachrymas cient, meatibus ſic conſtrictis, ut lachrymæ exprimantur, velut è ſpongia, ſic lachrymæ erumpunt præ gaudio, meatibus ita laxatis, ut intra vaſa ſua non contineat ſe humor. Quam rationem adducit Alexander Aphrodis. *in problem. ſect.* 1. *partic.* 29.

Cauſa fletus proprie dicti eſt receptio ſpeciei animo triſtitiam adferentis. Hinc enim illa cordis ac ſpiritus compreſſio. Quam rationem etiam adducit B. Baſilius *homil. de gratiar. act.* his verbis: *Lachrymæ exoriri ſolent ex impetu quodam, & impreſſione minus præviſa, ac ſi illata eſſet plaga, qua percelleretur anima, & contraheretur, compreſſo, & coarctato ſpiritu circa cor.* Ex conſenſu autem cordis, & cerebri, etiam vaſa hujus coarctantur. Vapores igitur, qui fumigantes mœrentis cor obſidebant, in cerebrum delati, frigore ejus, & vaſorum compreſſione in aquam immutantur, quæ cum alias in corporis partes, tum etiam derivantur verſus glandulas, angulos oculorum occupantes. Quod idem Baſilius paulò poſt verba memorata exponit. Hæ glandulæ prius ex oculis diſtillant humorem, quem habent ex tertiæ concoctionis excremento. Sed, eo exhauſto, imbibunt humorem proximum è cerebro defluentem, ac pariter eundem exudant. Quæ humoris copia eſt cauſa, cur tam longo tempore ſufficiant homines in lachymas. Nec tamen exiſtimandum pariter, omnes ad lachrymas eſſe propenſos. Nam quis neſcit, facilius flere pueros, fœminas, & his ſimiliores viros, Omnino enim quibus mollior animus, magis dolent, eoque facilius plorant. At aliter animati ſunt homines cordati, qui incertum ſciunt rerum humanarum. Temperamentum etiam valet plurimum. Nam melancholicis, quia frigidi ſunt, ac ſicci, ſæpe ægre adeo lachrymas, quam ex pumice elicias aquam.

Ex quibus videre eſt, quàm imbecilli argumento Sprengerus, Grillandus, & Bodinus id adſeruerint. Quaſi aliud inde ſummum colligi poſſit, quàm eſſe eas temperamenti frigidi, ac ſicci. Quàm autem miſere erit mulieribus, ſi quæcunque eo fuerint temperamento, propterea exiſtimandæ ſint renunciaſſe Chriſto & cum Satana habere commercium? Atrox id crimen, & flammis dignum, ſed de quo non debeat pronunciari ex tam fallaci indicio. Ut enim verum eſſet, omnes Sagas eſſe melancholicas; non eo quotquot ſunt melancholicæ, etiam fuerint Sagæ. Plane, ut dixi, non is ſum, qui negem, eas extremo eſſe afficiendas ſupplicio, quæ Deo renunciantes, pactum inierint cum dæmone, ſed iſtam cum Bodino, ſi inſiſtamus viam, plures perituræ ſunt innocentes. Adde, quod fieri queat, ut interdum, etiam non melancholicæ, eæque Dei metuentiſſimæ, ſui, & familiæ honoris ſtudioſæ tam infame mortis genus exhorreſcentes, nec lachrymulam unam poſſint emittere. Nam mala atrocia ejus ſunt naturæ, ut ſic rigeſcat homo, & obſtupeſcat, ut flere prorſus nequeat. Quod ex adducto antea Pſammeniti exemplo liquet. Et Andromaches eſt *in Seneca Troidibus.*

Levia perpeſſæ ſumus,
Si flenda patimur.

An autem ſanguis, qui emittitur ex cadavere occiſi coram malefico homicida, ſit ſufficiens indicium ad torturam? Affirmant nonnulli, idque ajunt eſſe indicium magnum, verum, credibile, ac proximum. Probant hoc non quidem ratione aliqua, ſed ſolo experimento, & a communiter accidentibus, quod licet *ex lib. neque natales C. de probat.* & *ex cap. ſi Judæos extra de judic.* Referunt enim Paris de Puteo *de Sindicat. v. tortura cap.* 3. *num.* 19. Marſil. *in pr. §. diligenter num.* 181. Blanch. *de indic. ad l. fin. ff. de quæſt. num.* 408. Carrer. *in pr. cr. a. indic.* 17. *nu.* 2. Novel. *in pr. cr. num.* 94. & *in regul.* 184. Unde certum eſſe pronunciant, per præſentiam occiſoris cadaver vel ex vulnere, vel ex naribus, aut ex ore ſanguinem emittere, hancque ſanguinis emiſſionem non provenire ob incantationem, ſive ſortilegium, ſed eſſe quoddam à natura inſitum, de quo ratio reddi non poteſt; ut ait præcipuè Boer. *dec.* 166. Teſtatur autem Novelles id eveniſſe in civitate Venetiarum, dum eſſet Aſſeſſor ſub anno 1531. Idemque accidiſſe in multis Italiæ locis. Et Nicolaus Florentinus *ſerm.* 5. *tr.* 1. *cap* 6. relatus à Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 15. teſtis etiam eſt, quod ſuo tempore cadaver occiſi ſanguinem emiſerit coram interfectore, ex quo fuit captus, ac tortus, confeſſus eſt delictum, ac definitive condemnatus. Refert quoque Ledeſma ſub annum 1546. vidiſſe proceſſum originaliter, in quo duo interfectores coram occiſo poſiti, ex ejus cadavere ſanguis effluxit, & torti, ac confeſſi, fuerunt ad mortis pœnam condemnati. Ex his ergo caſibus, & aliis relatis à Neviz. *in ſylva nupt. ver. ſicut cadaver occiſi*, & à Carena *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 22. *num.* 188. atque ex Doctorum autoritate probatum id eſſe exiſtimant.

His accedit autoritas & ratio Platonis *lib.* 9. *de legib.* ubi conſultò, & inconſultò factis homicidiis exilii neceſſitatem ponit tantum. Diſcutit autem cauſam ſic: *Fertur*, inquit, *interfectum vi hominem, qui libere vixit, interfectori proximo ſtatim poſt mortem tempore iraſci, ac propter violentam mortem terrore, turbationeque plenum, maxime ſi viderit interfectorem inter ſuos vivere more ſolito, interfectorem ipſum, ejuſque actiones, vim ad hoc ſuppeditante memoria tunctis viribus terrere, atque turbare. Quare opus eſt, ne homicida interfecti hominis gratia, anno integro exulet à patria, omnique ea regione procul vitam ducat.* Hæc Plato Videtur & huic conſentire quod ad Cainum

num Deus ait. *Sanguis fratris tui clamat ad me*, *Genes.* 4.

Hùc pertinet mos ille antiquus ſervatus, dum ignorabatur autor cœdis apud Pollucem *lib.* 8. relatus, dum præferebatur haſta in funere peremptorum, ac præſcripti dies ad hoc ſtatuebantur, ut corpus videret, num vim aliquam quis ei intuliſſet. Referveſcit namque occiſi ſanguis, & quodammodo concûtitur mente occiſus, adverſatio, qui necem intulit, præſente, Sicuti in ſubmerſis per ſympatiam, ſi amici adſint, ſanguis floridus emittitur, ut utrumque probatum ſæpe à Magiſtratibus docet Levinus Lemnius *lib.* 2. *de occult. nat mirac. cap.* 7.

Addo & rationem ex iis, quæ ſcribit Galeotus Martius Narnienſis *libro de promiſcua doctrina cap.* 22. in hæc verba. *Reliquum eſt, ut rationem, & cauſam exquiramus, unde fit, cùm homo occiſus eſt, cujus ſanguis refrixit, ac fluere deſiit, comparente occiſore rurſus fluat. Quod ſæpe contigit, & nos quoque plerumque oculis vidimus, & Græcia de Patroclo hoc idem ait, Hectore homicida comparente. Sed hoc ultra ſpatium decem, aut duodecim horarum, ut plurimum contingit, rariſſime ulterius ſe extendit. Nonnulli ex occiſoris, & quidam ex occiſi ſpiritibus hoc accidere arbitrantur, quod abſonum eſt. Nam ad ſanguinis jam frigefacti motum non una pars ſpirituum ſatis eſt, ſed utraque concurrit. Cum enim occiſor furore ductus hominem aggreditur, cuncti ſpiritus, qui ſui ſunt, opus juvantes in occiſorem convolant, ſicuti de more eorum eſt; itidemque hominis trucidandi in occiſorem tendunt, quo ira corporis ſui proſilit ita, ut in occiſorem volent, ibique vivant. Cum ille occiſus eſt, ſanguis jam frigefactus fluere deſiit, ſed comparente occiſore ſpiritus utriuſque diverſo motu agitantur, quilibet ſuum corpus repetens, motum facit, unde & hominis occiſi ſpiritus redeuntes, ſedemque ſuam repetentes, & occiſores recedentes, ut ad corpus redeant, faciunt motum ejus rei, quam habitant (habitant autem ſanguinem) & hoc pacto ſanguis jam frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occiſoris & occiſi ſpiritibus vi multiplicata agitatus, rurſus fluitat, eſtque illis tantus proprii corporis affectus, ut plerumque latitantem hominem, ſed proxime exiſtentem, intra tempus, quod aſſignavimus, tot enim horis vivunt, recognoverint, ac repeſiverint. Hoc autem non in omnibus occiſis, ſed in pleriſque evenit; quoniam quorundam natura ita debilis eſt, ut eorum ſpiritus uno momento flaveſcant. Neceſſe ergo eſt, corpora, ubi hæc fieri debent, ſint calidiora, quoniam calore ſpiritus conſervantur.*

Quod Martius Narnienſis de cauſa ſpitituum inimicitiarum probavit, etiam P. de Appono *in commentariis in Ariſtotelis problemata in* 2. *p. problem.* 6. jam dixerat. Sed quod addit ultra ſpatium decem ac duodecim horarum non fieri, experimento compertum eſt ſe aliter habere, & poſt longius ſpatium fluere, ut potius ad quandam divinam vindictæ repoſcendæ rationem, quàm ad ſanguinis naturam referamus ut in peculiari Conſultatione alibi probavimus, ſanguine poſtulante vindictam à Deo *Gen.* 4. Quemadmodum in *Apocalypſi D. Joannis cap.* 6. legimus: *Poſt hæc vidi animas interfectorum clamantes ad Deum, & dicentes. Uſquequo, Domine, ſanctus, & verus non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terris?* Boerius etiam *cit. dec.* 166. *num.* 1. hac de re ſic ſcribit: *Et in Curia noſtra vidi proceſſum, per quem apparebat, puerum à matre interfectum octo diebus poſt, matre enim inſpiciente, ſanguinem ex naribus emiſiſſe. Et pariter in alio proceſſu alium mortuum duobus poſt menſibus exhumatum, ſanguinem ex plagis, homicida ſuper eum tranſeunte, emiſiſſe.*

Mirum certe hoc homicidii indicium, ſed non tantum, quantum quod Ariſtoteles ait *lib.* 3. *de part. animal. cap.* 10. In Caria Sacerdotis Jovis Hoploſimii caput, autore incerto, detexiſſe homicidam, & ab eo ſæpe auditū virū ſuper viro, Cercidas occidit, & inquiſitum virum Cercidam nomine, falſū, & punitum.

Hinc pendet ratio cujuſdam moris antiqui, eorum, qui cæſorum a ſe corporum per inſidias maxime, ſummas partes recidere, & ſecum ſub alis appenſas geſtare conſueverant, ſperantes hoc modo, infirmum reddi mortuum ad vindicandum facinus. Innuit & hoc Apollonius Rhodius *lib.* 4. *Argonaut.* additque ter ſanguinem cædis autores eorum, quos interemiſſent, lingere conſueviſſe. Hujus moris meminit Sophocles *in Electra*, & ibi Triclinus *in Scholiis* annotat.

Hiſce tamen minime obſtantibus aſſero cum Gomez, *tom.* 3. *var. d. cap.* 13. Delrio *d. lib.* 5. *magic. q.* 5. *ſect.* 4. *num.* 20. Joanne Zangerio *de indic. cap.* 2. *num.* 160. Ludovic. Ghelauſen. *in artr. jud. cap.* 6. *p* 7. *de quæſt. ſect.* 2. *num.* 78. *& ſeq.* Abavo *de reat. q.* 19. *num.* 54. Matthæo Stephano, *in centur.* 4. *quæſt.* 1[illegible] Farinacio *de indic. d. q.* 52. *num* 156. & pleriſque aliis, verius eſſe, talem ſanguinis effuſionem per ſe tantùm non ſufficere ad torturam, ac ita in praxi eſſe ſervandum. Tum quia hoc indicium eſt nobis incertiſſimum, & ex cauſis nobis incognitis ac valde remotis proveniens Tum quia tortura eſt actus graviſſimi præjudicii, & ſtante incertitudine, ſanctius eſt nocentem impunitum relinquere, quàm innocentem condemnare, *l. abſentem ff. de pœn.* Et tum etiam quia, licet indicia ſint arbitraria, debent tamen nobis eſſe certa, & à jure approbata. Hoc autem indicium nullo jure, nullave cauſa juridice concludente, nobis conſtat. Unde Carena refert *p.* 2. *d. tit.* 12. *num.* 192. ita fuiſſe conſultum ac judicatum in Senatu Mediolanenſi 28. Februarii 1636.

Et adverto, quod Marſilius *loc. cit.* fidem non adhibuit huic indicio, cum nullo jure probetur, ſed aliis ſupervenientibus indiciis, talem reum poſtea capi fecit, eique tortura illata, confeſſus fuit. Unde, fama concurrente, minis, inimicitia, aut alio adminiculo, tunc talis ſanguinis effuſio indicium erit ad torturam. Quod confirmant citati Doctores. Quando igitur in hoc caſu urgent alia indicia, poterit profecto Judex contra reum ad torturam devenire, & ut inquit Carena *ubi ſupra num.* 193. aliquando etiam pro qualitate indiciorum illum condemnare. Si verò nulla alia urgeant indicia, ſanguinis effuſio è cadavere ſolum ſufficiens erit ad inquirendum contra reum; nunquam autem erit indicium innocentiæ, ſi ad præſentiam prætenſi rei ſanguis è cadavere non emanaverit.

Siquis verò tenebatur ſolum ex charitate impedire & non impedivit, neque adeſt alia conjectura indicans illius cooperationem circa maleficium id non eſt indicium ſufficiens ad torturam. Secus autem ſi tenebatur ex officio impedire, & non impedivit argum. *can. qui poteſt* 23. *q.* 3. *& can. negligere* 2. *q.* 7. & juxta ea, quæ tradunt Simanch. *in pr. tit.* 15. *dec.* 130. *num.* 7. & Delrius *d. ſect.* 4. *num.* 1.

Certum denique eſt, indicia debere omnino præcedere torturam in quibuſcunque caſibus, etiam atrociſſimis, ac difficillimæ probationis, ut ſæpe diximus, probatque Farinac. *q.* 37. *num.* 79. *& ſeq.* In aliquibus tamen caſibus dari poteſt tortura non ad eruendam veritatem commiſſi criminis; nam tunc requiruntur indicia, ſed ob aliquam aliam juſtam cauſam. Ut ſi reus non vult reſpondere Judici interroganti, tunc dari poteſt tortura ad extorquendam reſponſionem, ut docet Bald. *in l. accuſationem n.* 11. *C. qui accuſ. non pot.* Brun. *de indic. quæſt.* 5. *num.* 4. Caravita *rit.* 259. *num.* 14. Mirand. *in ord. judic. to.* 2. *quæſt.* 26. *ar.* 4. *concl.* 5. Gomez *d. tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 5. Clar. *lib.* 5. *§. fin. quæſt.* 45. Souſa *in aphor. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 48. Locat. *in pr. v. tortura §. & ſcias.* Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 12. *num.* 119. & alii, quos ſectatur Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 34.

Quando reus eſt aſſaſſinus, & aliquem occidit, ac inter ipſum, & occiſum nulla aderat inimicitia, neque

occiſio-

Digitized by Google

occiſionis cauſa, poteſt torqueri uti mandatarius ad ſciendum mandantem, ut per Paulum J. C. *in l. & ſi cerens ff. ad Syllan.* Farin. *d. q. 37. n.* 154. & Carenam *ibid. num.* 120.

Bannitus etiam ad mortem damnatus torqueri poteſt, ut interrogetur in tortura ſuper aliis criminum ſocii, ac receptatoribus, ut per eundem Carenam *n.* 121.

Item Cuſtos bonorum torqueri poteſt ſuper furto bonorum, quorum erat Cuſtos, tradente Farinacio *d. q.* 87. *num.* 159. *& ſeq.*

Reus itidem confeſſus & convictus torqueri poteſt ad extorquendum complices juxta decretum B Pii V. ſub die 28. Julii anno 1569, his verbis emiſſum: *Inhærendo decretis factis per Fel. rec. Paulum* IV. *Sanctiſſimus Dominus noſter Pius V, decrevit, omnes & quoſcunque reos convictos, & confeſſos de hæreſi pro ulteriori veritate habenda, & ſuper complicibus fore torquendos arbitrio Judicum.* Quod refert Diana *d. tr* 6. *reſol.* 27.

At de his pro noſtro inſtituto ſatis abunde dictum ſit. Quandoquidem indicia, quæ ſunt ſufficientia ad torturam non licet omnino deſcribere, quia plerique arbitrio Judicis examinantur. Nam, ut ait Cicero 9. Verr. *Eſt boni Judicis parvis ex rebus conjecturam facere uniuscujuſque, & cupiditatis, & continentia præſumptionis, ſceleris patrati.* Indicia quippè ab indicando dicta ſunt, demonſtrativa ſigna veritatis latentis, ut in *l. inſtrumenta* & *l. fin. C. de probat.* ſigna certiſſima ſceleris Cicero quædam oſtendit 3. *in Catilinam*, adde *l. de minore §. tormenta ff. de quaſt. Ac mihi quidem*, inquit, *cum illa certiſſima viſa ſunt argumenta, atque indicia ſceleris, tabella, ſigna, manus, denique uniuscujuſque confeſſio; tum multo certiora illa, color, oculi, vultus, taciturnitas; ſic enim conſtupuerant, ſic enim terram intuebantur, ſi furtim inter ſe non nunquam conſpiciebant, ut non ab aliis judicari, ſe ipſi à ſe viderentur.* Indicia autem majoris certitudinis ſunt, quàm præſumptiones ſimplices, ut ait Gloſ. 1. *in l. Cum probatio ff. de prob.* Et quædam ad inquirendum contra ſuſpectum inducere poſſunt judicem, quæ tamen non ſunt idonea ad torquendum ſuſpectum.

Inter autem indicia eſt conſcientia ſceleris, quæ cum quibusdam indiciis ſuadet de occultis contra aliquem inquiri, & exponi eundem quæſtioni. Sic Beſſus cùm occidiſſet patrem, & nemo præter ipſum ſciret, cùm iret cœnatum, pergulam accepit, ut nidum hirundinum deturbaret. Quod cùm faceret, cur id faceret interrogatus, reſpondit, eo, quod nimium diutius mentitæ eſſent, exprobrantes, quod patrem occidiſſet. Quo indicio tortus, tandem faſſus eſt crimen, ut ait Plutarchus *lib. de ſera Numinis vindicta.* Conſcientia propria illi fuit criminis judex, cùm conſcientia cogat plura etiam de ſe ſuſpicari, ac plura dici de ſe putare, vel detegi, quæ aliter ſe habent, veluti ſorex ſuo indicio periit,

Sic narrat Procopius in hiſtoria Gothorum. Theodoricum cùm occidiſſet Symmachum immeritò, cùm in menſa oblatum ei fuiſſet caput piſcis, ſibi perſuaſiſſe, ſe videre caput Symmachi, atque ejus horrore in phreneſim incidiſſe, unde paulò poſt obiit:

Sic tua mors pulchre nunc morte rependitur æqua,
Symmache, nempè caput vindicat eccè caput.

Detexerunt, & indicarunt præter ordinem rerum grues Ibyci Rhegini ex Italia poëtæ lyrici interfectores, Is enim cùm occideretur in ſolitudine aliqua à latronibus, & ſupervolarent caſu grues, illis dixit, illæ meæ ultrices eruor; at poſtea ignoto crimine per multum tempus cùm latrones latuiſſent, accidit, ut unà in theatro ſedentes latrones cùm prætervolantes grues vidiſſent, dixerint: *En Ibyci ultrices.* Quæ verba cum quidam ex adſtantibus audiviſſet, Magiſtratui indicavit, à quo capti, tortique, crimen confeſſi ſunt, & damnati, Plutarch. *in libel. de facile loquac.* Per ſomnum etiam caupo homicida ſocii, ſocio in ſomnio detectus. Scribit enim Valentius Maximus *lib.* 1. *cap.* 7. ex duobus ſociis Arcadibus unum nocte quadam ad cauponam declinaſſe, & à caupone trucidatum ſocio in ſomnis apparuiſſe, opem imploraſſe, tandemque obſecraſſe; ut qui vitæ ſuæ auxilium ferre neglexiſſet, necis ſaltem ultionem non denegaret. Corpus enim ſuum à caupone trucidatum tum maxime ferri ad portam ſtercore coopertum, eum autē tam conſtantibus familiaris ſui precibus compulſum, protinus ad portam cucurriſſe, & plauſtrum, quod in quiete demonſtratum erat, comprehendiſſe, cauponemque ad capitale ſupplicium adduxiſſe. Per indicium ſortium jactarum deprehenſos eſſe in delicto occulto Jonatam 1. *Reg.* 14. & Achan. *Joſ.* 7. *Prov.* 16. & Jonam *Jon. cap.* 1. docet Mart. Narniens. *loc. cit. cap.* 21.

Refert Plutarchus, & ex eo Lipſius *epiſt.* 44. *centuria* 1. ad Belgas Pyrrhus Rex Epiri iter forte faciens populum videt limiti adſiſtentem. Accedit, quærit, audit, videtque canem ibi eſſe, qui multis interfecti heri ſui cadaver adſiſtat, triduo jam ſine cibo. Miratur, & miſertur, illum ſepeliri jubet, hunc comitem ſibi duci. Poſt aliquot dies exercitum luſtrat, ſeder in altiori loco, & ſpectat ſigillatim tranſeuntes. Canis ad pedes accubat, hactenus quietus; ſed cùm percuſſores Domini tranſirent, exilivit cum ferocia & invaſit, identidem ſe tamen ad Pyrrhum reflectens, & quaſi ſignificans, iſtos eſſe. Motus ipſe, atque alii, capiunt, examinant, convincunt, plectunt.

Simile in Heſiodo, poëta illo nobili, qui à Ganyctoris filiis clàm occiſus, indicem ac vindicem canem habuit. At minus antiquum, quod Divi Ambroſii fide ſe probat *lib.* 6. *hexam cap* 4. Antiochiæ miles in publico interfectus jacuit, incerto autore. Canis adſtitit, adſervavit, fide luctuque ſuo populum traxit Ecce & percuſſor ſe miſcuit, quàm ille ſtatim agnitum inſiluit, mordiens tenuit, & mox de capto, confeſſoque pœnas exegit,

Aliud etiam recentius, Dirmato Epiſcopo ſcriptum. In palatio Henrici Imperatoris, cognomento Aucupis, in multo populo canis quendam conſidentem conſpicatus, clam & tacite accedens, manum ejus dexteram rabido morſu invaſit, & abſtulit. Tum quaſi re bene geſta, capite & cauda plaudens, ad ſuos rediit. Mirari omnes, ille ultrò confiteri divina ultione merenti hoc ſibi accidiſſe. Nam diutius factum, inquit, cùm herum hujus invaſoris mei dormientem in via reperi, malo Genio atque animo impellente, occidi. ibi iſtum impugnantem, inſequentem, vix evaſi, & nunc cùm oblivione ſepulta hæc cenſerem inopinatò me invaſit, & (Deo ita placitum) punivit. Hæc Epiſcopus,

Sed omnia dicta, aut alia dicenda fortaſſe ſuperat, quod in Gallia eveniſſe verbis, ac fide Julii Cæſaris Scaligeri ponendum eſt, qui ita narrat: Offenſus amici ſive potentia, ſive perfidia quidam Regis aulicus, eum ex inſidiis obtruncat, atque in avio agro ſepelit. Venaticus canis ibi tum forte comes hero fuerat, is amore victus, diù ſedit in tumulo. Poſteaquam fames pietatem ſuperabit, atque in aulam ſine Domino reverſus eſt, rati illius contubernales, beſtiam temerè vagari, cibum ei dari jubent. Satur illa ad tumulum redit, it, redit toties, ut primum ſuſpicio invaderet animos incerta quædam, ac fluctuans, mox etiam certi eſſe ſibi viderentur, heri id fieri deſiderio. Abeuntem proſequuti, deprehenſa telluris tumore, effoſum cadaver, atque agnitum afficiunt ſepultura. Canis, exequiis peractis, ſocius fit eorum, quibus fuerat dux ad inveſtigandum. Tandem aliquando in aulam ubi homicida rediiſſet, eum canis conſpicatus magnis illico editis latratibus ægrè ab impetu cohibetur, quo tanquam indice aucta ſuſpicio in multorum animis certa fides evaſit. Cæterum beſtiæ perſeverantia in illius odio atque perſecutione, etiam Regem movit, ut juberet hominem

cauſam dicere. Ille negare factum, perſiſtere inficiatione. Canis ejus rationem latratibus, atque aſſaltibus obturbare, ut eam interpellationem pro facinoris exprobatione, quotquot aderant interpretarentur. Eò res deducta eſt, ut juſſu Regis homicida cum provocatore ſingulari certamine dimicaret. Picta eſt canis victoria in cœnaculo quodam regio. Pictura vetuſtate dilutior, atque obſcurior facta, Regum mandato ſemel atq; iterum inſtaurata eſt. Digna prorſus Gallica magnanimitate, quæ ære fuſili aſſequatur perpetuitatem.

Sunt & alia indicia apud interpretes declarata, quæ prætermitto, ne longior ſim, quàm res poſtulet. Qui illa ſcire deſiderat, legat præ cœteris abſolutum in hanc rem opus Farinacii, qui in rebus criminalibus Eudæmon eſt.

CONSULTATIO CLXI.

De Quæſtione, ſive Tortura Sortilegi, Sagæ, Hæretici, ac ſuſpecti de Hæreſi, ubi & de ea Parerga.

PEr Quæſtionem, ſive Torturam, aut Tormenta fit etiam occultorum, ac ſine teſtibus geſtorum probatio ex præſumptionibus quibuſdam, ut tortura videatur eſſe effectus præſumptionis *l. fin. ff. de quæſt.* Quæſtio autem generaliter dicitur, inquiſitio rei dubiæ, & non tantum tormenta continet, ſed omnem inquiſitionem ac defenſionem mortis *l. 1. §. quæſtionem ff. de S. C. Syllan.* Hæc duplex eſt, civilis & criminalis, hoc eſt de civilibus negotiis, vel de criminalibus. Quod facile erit diſtinguere ex his, quæ in diſputationem incidunt *cap. intelligentia de verb. ſignif.* Secundum verò communem tractationem Quæſtio de criminibus intelligitur, & Iudex quæſtionis is, qui cognoſcit de crimine publico *l. 1. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Et quæſitor, qui præeſt iudicio capitali, ac tormentis, cogitque fateri reatus. Ac proinde Quæſtio in criminalibus dicitur interrogatio, ac reſponſio per tormenta facta. Et ita per quæſtionem intelligere debemus tormenta ipſa, & corporis dolorem ad eruendam veritatem, & malam manſionem, *l. item apud Labeonem §. quæſtionis ff. de injur. can. illi, qui 5. qu. 5.*

Sunt enim tormentorum ad eam rem variæ ſpecies, quas norunt quilibet Judices, ut mala manſio, numellæ, taxilli, mantile, pondera & ſimilia, quæ torquendos corpus, doloremque incutiendo, ac tædio cogunt verum occultum tortos fateri. Quare & denegatio victus inter tormenta eſt, *d. l. item apud Labeonem l. 2. §. ſiquis autem de vi & vi arm. l. nemo carcerem. C. de exact. trib.* ferulæ juvenibus adhibitæ ad revelandam veritatem *l. fin. ibique Gloſ. v. ſervos,* ac Bartol. *in 1. oppoſ.* & Bald. *ff. de iis quib. ut indign. vide l. de minore ff. de quæſt.*

De criminibus quæſtio habetur, & pro his ſcrutandi *lib. 1. eod.* Id tamen non ſemper, neque in omni cauſa, nec in omni perſona, ſed cum capitalia, & atrociora maleficia aliter explorari, & inveſtigari non poſſunt, Paul. *in l. edictum D. Auguſt. eod. tit.* Si de crimine majeſtatis agatur, vel fraudati cenſus, *can. quæſtionem 12. qu. 1.* pro veneficio *l. 3. C. de quæſt.* pro ſuppoſito partu *l. ſuper ſtatu C. eod.* pro falſitate teſtamenti *l. Cum teſtamentum eod.* pro rebus ab hæreditate ſubtractis *l. fin. C. eod. l. fin. §. licentia C. de jur. delib.* Si teſtes vacillent tam in cauſa civili, quàm criminali propter ſuſpicionem falſi, *§. ſi verò ignoti auth. de teſtam l. ex libero, & l. unius §. teſtes ff. de quæſt. cap. litteris de præſcript.* Regula autem poni poteſt, pro criminibus, in quibus pœna capitalis imponitur, torturà ſtatui poſſe; ſed & propter mendacium quis torqueri poterit, Roman. *conſ.* 8. Bartol. *in l. fin. ff. de quæſt.* Boët. *dec. 63. num. 22.* & pro furto Bartol. *loc. alleg.*

Quæſtiones ſtatuuntur, non à privatis, ſed à Judice idoneo, qui habeat notionem cauſarum, quæ meri imperii dicuntur. Nam tortura ad pœnam ejus eſt generis, Bald. *in l. ſi ea C. de iis, quib. ut indign. per l. defenſores C. de defenſ. civit.* ut per pedaneos Judices imponi non poſſit Bartol. *in l. 3. ff. de juriſd omn. Judic.* Neque temerè ad eam perveniendum eſt, ſed ordine conſtituto, ut non niſi prius certum ſit, maleficium fuiſſe commiſſum, ad torturam perveniatur *lib. 1. §. item illud ff. ad S. C. Syllan.* Gloſſ. *in cap. dilecti de for. compet. l. ſiquis §. cœterum ff. ad leg. Corn. de fals. l. 1. §. hac verba ff. ne vis fiat ei.* Quia delictum eſt veluti præparatio pœnæ *l. aliud eſt fraus ff. de verb. ſignif.*

Dehinc aliqua indicia ſunt, eaque urgentia, quod qui torquendus eſt, illud commiſerit, *l. 1. & fin. & l. unius §. in ea ff. de quæſt. & l. milites C. eod.* Neque tortus, aut confeſſus in quæſtione exhibita ſine indiciis præcedentibus ſibi præjudicat, etſi in confeſſione perſeveraverit, *l. divus, l. maritus. & l. pen. ff. de quæſt. d. l. milites C. eod. l. 11. 2. & 3. C. ſi ex falſ. inſtrum. &c.* paucis exceptis, in quibus ſuſpicio, & præſumptio vehemens eſt pro indiciis, utquando torquentur ſervi pro criminibus adulterii dominarum, *can. quæſtionem 11. quæſt. 2.* aut ſi maritus dicatur uxorem occidiſſe *l. ult. C. ad Leg. Cornel. de ſicar.* Si agatur de occiſo domino, ut liquet *ex tit. ad S. C. Syllan.* Si certus ſit percuſſor *l. pen. ad Syllan.* & in ſimilibus.

Alioquin enim per ſe fallax iſta torturæ probatio. Quod ex verbis conſtat Ciceronis pro P. Syllæ. *quæſtiones,* inquit, *nobis ſervorum, ac tormenta minitatur, in quibus tanquam nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuſque tum animi, tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rebus, & anguſtiis nihil veritati loci relinquatur, &c.* Et ideo omnino eis non eſt fidendum. Nam plerique tanta patientia ſunt in tormentis, ut ea contemnant, neque per ea extorqueri ab iis veritas poſſit. Nota Calani Indi in ſubeundo igne conſtantia, ſive ſtulta immobilitas. Omitto taciturnitatem in tormentis Harmodii, & Ariſtonis, & alterius Theodori apud Livium torti à tyranno. Legeſis quæ de fortitudine alibi diximus. Alii autem tanta ſunt impatientia, ut malint in quovis mentiri, quàm tormenta pati. Habes exemplum apud Val. Maximum *lib. 8. cap. 4.* de M. Agrii argentarii ſervo. Quo fit, ut neque pertinaces, neque nimium timidi unquam, vel vix, verum fateantur. Et ut quidam, non tantum ſe, ſed etiam alios falsò criminentur, *l. 1. §. ſiquis ultrò, & §. quæſtioni, & d. l. edictum, d. l. de minore, §. tormenta ff. de quæſt.*

Addenda itaque ſunt indicia ante torturam, quæ cum ipſius confeſſione probabunt ſimul, non autem ſeorſum tortura; aut indicia etiam ſola per ſe, quia ex præſumptionibus ſolis nemo damnandus eſt capitaliter *l. abſentem ff. de pœn.* etſi ex indiciis indubitatis plerumque ad mulctam pecuniariam fiat damnatio, Alex. *conſ.* 15. *vol.* 1. Paul. de Caſtr. *conſ.* 197. Et ita puto intelligendum Bartolum *in l. Licet Imperator ff. de legat.* 1. cum Saliceto *in l. ea, quidem C. de accus.* & *in l. ſiquis per illum textum de adult.* & *in l. 3. ff. ad leg. Jul. majeſt.* qui dicunt ex indubitatis indiciis aliquem capitali pœna damnari poſſe, non ex dubiis, *l. fin. C. famil. erciſc.* Siquidem arbitror neminem capite damnandum, niſi ex lucidis ac indubitatis probationibus *l. fin. C. de prob. & d. l. abſentem ff de pœn.* in qua Trajanus Aſſiduo Severo reſcripſit, reddens rationem: *Satius enim eſſe impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare.* Convicto, vel confeſſo prius cum illis reo, *l. qui ſenten-*

ſententiam C. de pœn. Sed & illud receptum, ex indiciis ſi quædam pro reo, alia contra eundem facere poſſunt, neminem ſubjici torturæ, ſed potius abſolvendum, Hippol. *in pr. v. diligenter num.* 190. Boër. 161. *n.* 20. ubi ita judicatum ait. Quia in obſcuris, & in pœnis benignor ſententia ſequenda eſt, *l. ſemper ff. de reg. jur. cap. in pœnis. eod. in 6.* & una præſumptio aliam tollit, *l. cum de indebito ff. de prob l. divus ff. de integr. reſtit.* Ut bona fama elidit indicium contrarium *l. de minore §. plurium ff. de quaſt.* cum aliis alibi adductis. Sed & Felinus addit, extortam patris confeſſionem ex metu, ne torqueretur filius, non ei nocere, *in cap. afferte de praſumpt, per rationem §, fin. de noxal. act, & l. iſti quidem ff. quod met. cauſ.*

Poſt indicia verò perpenſa, an legitima ſint, & idonea, ad torturam perveniendum eſt. Jejunus ad illam reus ducendus eſt, qui ſaltem non comederit per decem præcedentes horas, Clar. *quaſt.* 69. *§. fin. n.* 39. ubi citat Autores. Modus per Judicem definitus, & gradus torturæ ſequendus, qui ſtatuit pro modo indiciorum. Nam pro indiciis non ſufficientibus, vel imperfectis, ut puta pro uno teſte de viſu, non majori omni exceptione, vel pro duobus loquentibus ſingulariter de diverſis ſeparatim indiciis, non ſtatuet plenam torturam, vel eculeum, ſed levem, vel metum torturæ, vel exhibitionem. Putant enim eſſe gradus torturæ quinque: Primum, minas de torquendo Secundum, conductionem ad locum tormentorum. Tertium, ſpoliationem, & ligaturam, nam hæc metum incutiunt, & habentur pro ſpecie torturæ, Bald. *in l. interpoſitas C. de tranſact.* quamvis certe non vere in his ſit tortura, & eo metu confeſſio voluntarie, non metu facta dicatur. Quartum, elevationem in eculeo. Quintum, ſuccuſſionem per funem, & lapium. Modus eſt uſitatus, adhibitis ponderibus interdum pedibus rei. Videtur de eo loqui *l. nullus C. ad leg. Jul. majeſt.* In Ligatura adhibent quidam taxillos, & hoc dicitur moderatio torturæ, quæ non permittitur omnibus Judicibus. E veſtigio autem ſententiæ torturæ dicta quæſtionis inſtrumenta explicabuntur, iiſque reus excruciabitur, antequam ad alios actus Judex divertat, niſi forte nox, aut juſta quæpiam cauſa in poſterum diem cogat negotium rejiciendum. Interim tamen ſummo ſilentio ſententia premenda, ne detur reo appellandi, vel reſponſiones falſo texendi occaſio.

Torturæ autem qualitas, & quantitas ſtatuetur ſecundum morem regionum, nullis adhibitis novis tormenti generibus, quæ magis ad carnifices immanes, ad Phalarydem, vel Peryllum, quàm ad Chriſtianos Judices pertinent. Varias ſpecies tormentorum enumerat Marſil. *in l. 1. n. 27 de quaſt.* Quare merito rei ſunt delicti ac necis, ſi modum excedant conſuetum. Ita enim quæſtionem haberi oportet, ut tortus ſalvus ſit vel innocentia, vel ſupplicio *l. quaſtionis ff de quaſtionis* ubi vide quando Judex accuſetur vel ex culpa, vel exceſſu torturæ Bartolum & Bellon. *conſ.* 84. *n.* 12. Clar. *ubi ſupra n.* 37. ſubinde actuarius, Judice verbis præeunte, notis mandabit tormenti genus, quantuſque illius fuerit impetus, quotieſque inflictus, qua fronte, conſtantia, duritieve illum ſuſtinuerit; quæ ante cruciatum, in ipſo cruciatu, & poſtea ſtatim reſponderit, *d. l. de minore, §. tormenta ff. de quaſt.* Tortura namque peracta, reſponſa ad indicium reducuntur, num vel ex confeſſione firmentur indicia, & ſufficiant ad condemnationem, an verò negatione purgata cenſeantur, & ſufficiant ad abſolutionem, vel totalem, vel à pœna corporali.

Quando quis confeſſus eſt in tortura, non ſtatim illa confeſſio probationem facit, niſi reus ratificet eandem à tortura remotus in juris auditorio Boer. *dec.* 163. *n.* 18. Panorm. *in cap. Cum in contemplatione n.* 17. *de reg. jur.* & ibi Jo. Andreas, idque expreſſe apud acta extra carceres, & tormenta. Atque illa ratificatio non ſtatim poſt torturam fieri debet, aut exquiri, ſed poſt lapſum ſaltem unius diei, ne metus tormentorum adhuc recens, qui mentem interdum turbat, perſeveret. Et in hoc arguendi ſunt præcipites Judices, qui nimia acceleratione cogunt quodammodo, quæ vera non ſunt, ſæpe fateri. Vide Angel. *in l. 1. C. de cuſtod. reor.* Bartol. *in l. 1. §. divus Severus ff de quaſt. n.* 3. Quod ſi in auditorio juris neget, & revocet, quæ fallus eſt in quæſtione, repeti debent tormenta, Bartol. *in l. unius §. reus eod.* Boſſ. *de tortur. n.* 34. qui ita in praxi ſervari ait, & Simanch. *de hæret. cap.* 63. *n.* 43. tanquam ex indicio confeſſionis novo, ſicut ex novis indiciis repeti poteſt tortura *l. repeti & d. l. unius §. 1. ff de quaſt l. & ſi certus ff. ad Syllan.* Sed ſi poſt repetitionem perſeveret coram Judice negativa extra tormenta, ſine novis indiciis denuo quæſtio repeti nequibit poſt tertiam torturam ſecundum aliorum ſententiam, ſecundum autem noſtram poſt ſecundam, de quo inferius, ne in infinitum procedatur ad tormenta, ſed erit abſolvendus, ſi convictus aliunde non ſit. Quod ſi in tormentis conſtanter neget reus, videtur purgaſſe indicia, Alber. *in rubr. C. de quaſt. n.* 9. & *ad l.* 2. *num.* 2. *ff. eod.* Boer. *d. dec.* 163 *num.* 12. & eſt ſub fidejuſſore ſaltem relaxandus. Marſil. *in d. l. repeti num.* 24. *ff. de quaſt.* Et hæc eſt communis praxis, quamvis Gomes *var. de cap.* 13. *num.* 19. dicat diffinitive abſolvendum. Quod pluribus in locis non ſervatur, ſed ibi ſtatuunt Judices, *non liquere.* Aliquando, etiamſi indicia plene purgata non ſint, decernuntur pro modo delicti, & indiciorum leviores pœnæ, quam pro crimine probato, debeantur, vel ad remos, vel ad pœnam pecuniariam.

Repetitio ſit torturæ, ſi videatur eſſe opus Judici ex cauſa, vel quia leviter tortus primùm fuit, ut iterum ſufficienter torqueatur, dummodo in prima tortura ſit proteſtatus Judex, quod eum jubeat à tortura deponi, ut iterum torqueatur, & ita dicat, cum deponitur, Judex ſe jubere animo repetendi. Si tamen ſufficienter ſemel tortus fuerit, & nihil confeſſus fuerit, non poteſt ſine novis indiciis repeti, ut tractant Dynus, & alii in *l repetendi ff. de quaſt.* Alber. *in d. rub. C. eod.* Alex. *conſ* 5. *num.* 4. *vol.* 1. Bartolus tamen *in d. l. unius §. reus* num. 1. teſtatur conſuetudinem in praxi ſervari, ut etiam repeti poſſit hic tortura; ſed ego deſiderarem judicium hic maturum Judicis, & arbitrium, expenſis circumſtantiis, ac indiciis urgentibus criminum, ne temerè fiat repetitio. Et melius fieret, ſi levi tortura Judices primùm tentarent, num poſſunt extorquere verum à reis; poſtquàm, ſi contemptu tormentorum videant pertinaciam, aut magis indicia colorari, non alienum erit à juſtitia durius illos torquere iterum juxta præcedentia indicia, ſi urgeant valde. Multum autem juvabit Judicem in hac tormentorum quæſtione abſolvenda, quomodo reus antea vixerit, & in qua opinione habitus fuerit, conſiderare, *d. l. de minore §. tormenta, & l. non omnes §. à barbaris ff. de re milit. l. tutor quoque §. quaritur ff. de ſuſpect. tutor.* & *cap. cum in juventute de præſumpt.*

De die verò torturæ inferendæ, in gravioribus ſceleribus, quæ notionis accelerationem deſiderant, non dubitatur, quin feſto quoque fieri poſſit, in aliis minime *l. 3. C. de quaſt.* quomodo autem interrogatio generalis eſſe debeat non in individuo, docet *l. 1. §. qui quaſtionem habituri ff. de quaſtione.*

Et quod incipiatur à timidiore *L. 18. eodem.* Et hæc intelligi par eſt de perſonis, quæ torqueri poſſunt.

Porrò jure omnes torqueri poſſunt in caſibus, ubi tormenta rectè cum ſufficientibus indiciis ſtatuuntur, & liberi & ſervi, & viri & mulieres *l. nemo C. de Epiſcop. aud.* Excipiuntur tamen jure ſcripto in dignitate aliqua conſtituti, illuſtres, & eorum progenies, nepotes, & pronepotes *L. Divo Marco C. de quæſt. decuriones*, niſi in crimine Majeſtatis *l. decuriones & ſeq. eod.* Innocentes *l. penul. eod. C.* Milites *l. milites eod.* Doctores, Cyn. *ad l. milites C. de quæſt. & in l. 4. C. ad leg. Jul. majeſt.* & ita ſervari in Ducatu Mediolanenſi, tradit Clar. *lib. 5. §. fin. q. 6. n. 16.* Clerici, niſi infames, Panor. *in d. cap. in contemplatione de reg. ju.* Senes decrepitæ ætatis, Tiraquel. *de pœn. temper. caus. 8. l. 3. §. ignoſcitur ff. ad Syllan.* Verendum enim, ne in tortura deficiant, & ſubtrahantur ita indicio, Servus adverſus Dominum, paucis exceptis, de quibus *in l. 1. 6. & 7. C. de quæſt. l. 3. & 50. ff. eod.* nec adverſus tutores, vel matres domini ſui *l. 2. C. eod* non liberi famuli adverſus dominos *l. 1. §. ſi ſervus ff. eod.* Nobiles *l. nullus C. ad leg. Jul. majeſt.* minores quatuordecim annorum, excepto crimine læſæ majeſtatis *d. l. de minore, l. ex Libero. §. 1. ff. de quæſt.* in quo torquentur, in aliis verò loris, vel ferula, vel virgis poſſunt terreri. Item mulier prægnans *l. prægnantis ff. de pœn.* ſed & de lactantibus placuit Senatui Mediolanenſi quandam fœminam teſtem, quæ puerum lactabat non eſſe torquendam, ut refert Clar. *q. 64. n. 25.* Verum aliquando ſi maximum ſit ſcelus, num terreri, vel exhibitione tormentorum debeant, & ſi indicia concludant, Judex vir bonus ipſe diſpiciet. Item excipitur qui de ſe confeſſus eſt, ne in caput aliud torqueretur *l. repeti §. 1. ff. de quæſt. l. 4. C. eod.* Sunt & aliæ perſonæ, jure à tormentorum examine exempti.

Fines torturæ ſunt pœna, indagatioque veritatis. Interdum enim tormenta ſtatuuntur ad pœnam criminis, cum in vinculis, vel numellis quis continetur, vel in hypogeis concluditur. Item dum ſuccuſſioni adducitur, vel ſi in mala manſione extenditur ob maleficia, aut ſi ligatur, ut *in l. ſi hominem ff. depos. d. l. item apud Labeonem §. quæſtionis verbo ff. de injur.* Poſſemus & ad pœnam referre tormenta fuſtigationis, verberum, & ſimilia, de quibus in pœnis criminum Doctores; & de hac tortura hic non agitur, ſed de ea, qua irrogatur ad veritatem eruendam in defectum probationum. Nam Judex, qui plenas probationes habet ejus, quod interrogat reũ torquendum, peccat mortaliter ſi eum ſubjiciat torturæ. Sed & is, qui inſtat, temerè accuſans, ex cujus accuſatione ſubjicitur reus quæſtioni, ſi nihil reus in tortura confeſſus fuerit, actionibus de calumnia converiri, & accuſari poteſt per abſolutum reum Solent tamen convictum de crimine negantem Judices communi praxi ſubjicere quæſtioni ad pleniſſimam probationem, ut ipſe ſuo ore confiteatur, etiam eo colore adhibito, ut de ſociis velint eam interrogare. In Italia quoque, quod pluribus Doctorum ſententiis probat Clarus §. *fin. lib. 1. in pr. cr. d. q. 64. n. 7.* Et quamvis jure communi quis non debeat interrogari de ſociis delicti, nec pro illis detegendis torqueri *l. repeti ff. de quæſt. l. fin. C. de accuſ.* aliud tamen ſervatur in praxi communi, idque Gloſſa ait *in l. non ideo minus*, & ibi Bald. *C. de accuſ.* Quare & qui mandato alterius occidit, poteſt torqueri ſuper eo, qui mandavit, & fur pro ſociis furti, Bartol. *in d. l. repeti ff. de quæſt.* Aret. *conſ. 61.* Ratio autem potior torturæ inferendæ, quia intereſt Reipublicæ delicta manifeſta eſſe ac detegi, ut puniantur *l. enim, qui nocentem ff. de injur. l. ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.* Atque ita more majorum inductum eſt, ut delicta, quæ clam committuntur, ſemotis teſtibus, per tormenta appareant, Cicero *in parti. orat.* Jul. Paul. *lib. 5. recept. ſent.* Inventa namque tortura in defectum probationum, Andr. de Iſern. *ad cap. 1. §. inſuper col. 1. de content. inter domin. & fidel. in uſibus feud.* Sed e eſt tortura purgationis inſtar accuſato, ut ſupra diximus,

His, univerſim, notatis, deveniendum nunc eſt ad caſus ſpeciales. Tortura non eſt inferenda in Tribunali S. officii priuſquam de dicto, aut de facto hæreticali conſtiterit. Quia non tam infertur ad inveſtigandum dictum, vel factum quam ad detegendam veritatem ex ore ipſius delinquentis. Nam delictum conſtare debet ſaltem per ſemiplenam probationem, ac per ſufficiens indicium ut tortura infligi poſſit, ut tradunt Brun. *de indic. p. 2. q. 5. n. 10.* Clar. *in pr. cr. §. fin. q. 64.* Pegna *p. 3. com. 11. in direct.* Ad torturam autem non eſt deveniendum quando abſque illa plene probari poteſt delictum, quia, ut probat Pegna *loc. cit.* ad illam non devenitur, niſi in defectum probationum. Eſt enim ipſa ſubſidium quoddam extremum ad inveſtigandam veritatem. Unde potius in delictis occultis, ac difficilis probationis, quàm in Claris, & manifeſtis infertur, ut patet ex *l. ult. C. de quæſt.* & ideò cum crimen hæreticale, ut plurimum perpatretur occulte, & conſiſtat in intellectu, in eo frequentet illa locum habet, ut agnoſcatur quid reus credat.

Antequam igitur ad illam deveniatur, neceſſario indicia ſufficientià præcedere oportet. Regula enim eſt, non eſſe à tortura inchoandum *l. 1. ff. de quæſt.* Indicia verò probata eſſe debent, ac etiam legitima, & à jure recepta, vel ſaltem à communi Doctorum ſuffragio, ut docent Eymer. *p. 3. in tertio mod. Ferm. proces.* ibique Pegna, Marſil. *in pr. cr. §. diligenter*, & *in l. 1. §. item ff. de quæſt. Bartol. in l. fin. n. 7. ff. eod.* ac plene Clar. *d. §. fin. q. 22.*

Nec ita facile ad torquendum reum eſt deveniendum, quia tormenta non inferuntur, niſi in defectum aliarum probationum. Et ideo prius perquirendæ ſunt aliæ probationes, quæ ſi non reperiantur, & Epiſcopus ac Inquiſitor probabiliter exiſtiment, denunciatum eſſe culpabilem, ſed metu, vel malitia negare veritatem, tunc utili, aliquo & honeſto modo, & interdum adhibitis ejus amicis, inducentibus ad veritatem dicendam, ſtudioſe procurent, ut veritatem ex ejus ore fateatur. Atque ita pluries monendus eſt, ac etiam ei ſummatim objicienda omnia indicia contra eum militantia, & tempore congruenter prorogato, ſi adhuc perſtiterit in negatione veritatis, tunc Epiſcopus & Inquiſitor, facto decreto, ut torqueatur citra præjudicium probatorum, ducendus eſt reus à lictoribus ad locum tormentorum, ut pro executione decreti torqueatur. Dum autem ligatur, iterum eſt monendus, ut veritatem dicat, quam ſi dicere nolit, & in negativa perſiſtat, torquendus eſt uſitatis tormentis, non autem inſolitis.

In Tribunalibus S. Officii regulariter infertur tortura moderata juxta qualitatem delicti, & indiciorum, ac perſonarum, ſine ſquaſſis, aut pondere ad pedes, nec unquam ultra ſpatium horæ, & ad hunc effectum horologium arenarium adhibetur. Neque tormentum vigiliæ in S. Officio, neque in Curiis Eccleſiaſticis adhibetur, ut decretum octavi Julii 1597. & ſeptimi Marti 1598. Neque tormentum funicellatum, 21. Maji 1609. Et tortura ipſa per unum brachium tantum non datur in S. Officio 23. Martii 1628. & 17. Aprilis ejuſdem anni. Dumque reus eſt in

tortura

tortura, Judices animo ſedato non inſolenti, neque importuno ſemel, iterum, ac tertiò monere illum debent duabus, vel tribus interrogationibus, ac veritatem, de qua aliàs interrogatus fuit, dicat, neque ſinat ſe amplius tormento cruciari & generaliter, non in ſpecie illum interrogent, niſi extra torturam habeant quaſi plenam probationem, & in tortura pluſquam ſemiplenam. Quia tunc poteſt reus interrogari in ſpecie, an tale delictum commiſerit ita tamen, ut primùm in genere, deinde in ſpecie id fiat, ut ait Scaccia *de judic. lib.* 1. *cap.* 86. *nu.* 38. *& ſeq.* Farinac. *de reo confeſ.* q. 83. *nu.* 97. & tradunt Eymer. *p.* 3. *tit. inſtructio circa quæſtiones reor. n.* 153. *& ſeq.* ibique Pegna *com.* 39. Ghilauſen. *in arb. judic. crim. cap.* 6. *p.* 7. *ſect.* 3. *num.* 22. Clar. *quæſt.* 64. & Carena *p.* 3. *tit.* 12. *§.* 22. *n.* 164. *& ſeq.*

Epiſcopus autem ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo Diœceſano nequit reum ad torturam exponere, ſed uterque intervenire debet, ſi commode eſſe poteſt ad illum condemnandum, ut torqueatur per textum in *Clem. multorum de hæreticis*, ubi in hanc ſententiam ita decernitur. *Duro tamen tradere carceri, ſive arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad cuſtodiam videatur. vel tormentis exponere reos, aut ad ſententiam procedere contra eos Epiſcopus ſine Inquiſitore, aut Inquiſitor ſine Epiſcopo Diœceſano, aut ejus Officiali, vel, Epiſcopali ſede vacante Capitulo ſuper hoc delegato, ſi ſui ad invicem copiam habere valeant intra octo dierum ſpatium, poſtquam ſe invicem requiſiverint, non valebit. Et ſi ſecus præſumptum fuerit, nullum ſit, & irritum ipſo jure.* Hoc igitur non ſervato, ſi reus in tortura delictum fateretur, talis confeſſio ei nocere non debet, etiamſi fuerit ratificata, coram eodem Judice, qui ſolus torturam impoſuit, quia eſt omnino irrita. Licet non ſit nulla, ſi ratificetur coram utroque Judice, ut per Doctores, quos refert Farinac. *d. q.* 186. *num.* 69. 71. *&* 72.

Hoc tamen intelligitur de tortura reorum, non autem de tortura teſtium. Hanc enim ſolus Epiſcopus, vel ſolus Inquiſitor imponere poteſt, nec etiam teſtem falſum poteſt punire, non informatinnibus, pœna ordinaria, ſed ſolum extraordinaria, Anchar. *in d. Clem. multorum num.* 8. Imol. *num.* 6. Zabarel. *num.* 5. Campeg. *ad Zanchin. cap.* 14. *lit.* A Eymer. *d. p.* 3. *qu.* 73. ibique Pegna *com.* 102. & 122. Intelligitur verò impoſita tortura, ſi reo imponuntur jejunia ad eruendam veritatem, Gloſ. *in d. Clem. v. tormentis*, Anchar. *nu.* 3. Imol. *num.* 6. Vitalin. *num.* 39. *&* 40. & Farinac. *d. q.* 186. *num.* 70. Quod etiam docent Eymer. *d. p.* 3. *qu.* 47. *&* 61. ac Pegna. *ibi com.* 100. Farinac. *de hæres. qu* 189. *n.* 65. ac Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 17.

In cauſis verò Lamiarum poſſunt procedere Inquiſitores ſine Epiſcopis diœceſanis contra illas ad torturam ex Conſtitutione Alexandri IV. quam refert Pegna *in addit. ad Lucernam Inquiſ. in tract. de ſtrigib.* ubi inter cætera ſic ait Pontifex: *Committimus & mandamus, ut etiam ſoli*, nempe Inquiſitores, *honeſto tamen comitatu, per vos eligendo, aſſociati, contra eaſdem*, ſcilicet Lamias, *utriuſque ſexus perſonas, diligenter inquiratis, eaſquo juſtitia mediante puniatis, & compeſcatis. Et ut melius commiſſionem hujuſmodi exequi poſſitis contra illas, vobis plenam, & omnimodam harum ſerie concedimus facultatem, non obſtantibus, &c.* Quo tamen loco annotat Pegna tutius quidem eſſe, ac decentius, ut Inquiſitores perinde in cauſis Lamiarum, ac in cauſis hæreticorum procedant, & proceſſus conficiant, requiſitis diœceſanis, ſecundum juris diſpoſitionem, Et nihilominus ſi ſoli velint procedere, id quidem facere poſſunt, & quod ſoli procedentes fecerint, ac decreverint ſive condemnando, ſive abſolvendo, id validum erit. Ita Pegna, & Carena *p.* 2. *tit.* 12. *§.* 159. *n.* 170.

Ego autem cenſeo, ſervandam eſſe, etiam in cauſis Lamiarum, citatam Clementinam, quæ continet decretum irritans, & declarat irritum quod ſecus fit, eſtque poſterior Conſtitutione Alexandri. Nam Clemens ad Pontificatũ aſſumptus fuit anno 1305. Alexander autem anno 1254. ac proinde per hoc decretum irritans inducitur forma, ſine qua actus ipſo jure corruit, ut notant Bald. *conſ.* 351. *nu.* 6. *lib.* 5. ac Doctores communiter, & Rota *in Romana ſocietatis Officii* 14. *Januarii* 1613. *Coram Pamphilio.* Unde cum actus careat ſua forma, & ſubſtantia, certum eſt, quod non poſſit ſubſiſtere, *l. Cùm hi §. Prætor ait, ff. de tranſact.* & *cap. tua nos de ſponſal.* Quod decretum irritans non ſolum operatur nullitatem actus ſtatim ac ſit juxta ea, quæ tradunt Sarnen. *ad regul. de annali quæſt.* 5 *in fine*, Caſſad. *dec.* 11. *num.* 4. *de regul. Cancel.* Rota *dec.* 142. *num.* 4. *p.* 2. Sed etiam tollit conſuetudinem aliter faciendi, ſiqua eſſet, ut obſervat Gabr. *concl.* 3. *n.* 40. & uberrime Gonzal. *ad reg* 8. *Cancel. gloſ.* 67. *nu.* 50. Idque juxta mentem d. Clementinæ, ut ſcilicet labis hæreticæ indago ſolennius, diligentius, & cautius peragatur.

Poſt indicia verò perpenſa, an legitima ſint, & idonea ad torturam ſtatuendam, dubitatum eſt, num reo edere teneatur Inquiſitor capita indiciorum, expreſſis etiam teſtium nominibus, ut reſpondeat. Et plures ſunt in hac parte ſententiæ, quas refert Clar. *§ fin. q.* 64. *num.* 26. Et reſolvit, opinionem communem eſſe, ſi petantur, ei debere, ſin minus, poſſe ſine editione Judicem ad torturam pervenire. Pluribus tamen in locis antequam ad ſententiam condemnationis torturæ perveniatur, melius ſit, cùm reus examinatur à Judice, ut reſpondeat libere quæ voluerit, viſiſque reſponſionibus ex ſcripto ſtatuatur, num exceptiones, & indicia contra illum facientia, elidant, ſi probentur; & tunc ad probandum revelantia ante torturæ mentionem admittatur. At, ſi nihil, quod relevet, deducatur, vel ſi nihil probetur, remanentibus urgentibus indiciis, ad ſententiam, & executionem torturæ perveniendum eſt, niſi provocatio fiat, quæ executionem differt, *l.* 2. *de appel. recip.* ibique interpretes. Guidop. *dec.* 74. cùm ejus executio non ſit reparabilis, ut meritò vetitum ſit ipſis Judicibus inferioribus poſt appellationem, etiam præſentare, ſeu exhibere reis torturam Bald. *ad d. l.* 2. & *ad l. generaliter §. ſed juramento col.* 2. *ff. eod.*

Communis tamen ſententia prævaluit, ideoque dandam eſſe reo etiam hæreſis, copiam indiciorum, antequam torqueatur, docent præ aliis Symanch. *in enchir. tit.* 52. *num.* 8. Genuens. *in pr. cap.* 68. *num.* 5. Souſa *in aphor. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 22. Param. *de orig. Inquiſ. lib.* 3. *quæſt.* 4. *num.* 53. Diana *loc. cit. reſol.* 28. & Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 21. *num.* 159. Immo dandam eſſe reo hujuſmodi copiam, etiamſi ab ipſo non petatur, tradunt Laurent. *decis. Avenionſi* 15. Farinac. *de indic. & tortur. quæſt.* 39. *num.* 90. & Carena *ibid.*

Nomina verò teſtium ei danda non ſunt per ea, quæ alibi diximus. Atque ita etiam decrevit S. Congregatio S. Officii, ſub die 14. Maii 1566. per hæc verba: *Illuſtriſſimi Cardinales Inquiſitores generales in Congregatione ordinaria decreverunt, dari nuda teſtium dicta, prout conſque obſervatum fuit abſque nominum publicatione, aliarumque circumſtantiarum, propter quas poſſet deveniri ad ipſorum teſtium notitiam. Et quod reſponſiones teſtium ſuper rei interrogatoriis pariter decreverunt, non eſſe dandas, ſi ex illarum publicatione deveniretur in notitiam, quinam fuerint teſtes ipſi.* Et hoc idem de non publicandis teſtium nominibus in cauſis fidei ſancitum fuit ab Innocentio IV. ab Urbano IV. in Concilio Bitterenſi *cap.* 30. & Narbonenſi *cap.* 22. ac in inſtructione Hiſpalenſi anno 1484. *cap.* 16. ac demum à Pio IV. in diplom. quod incipit, *Cum ſicut*, ac notat Pegna *p.* 3. *com.* 124. addens, quod ſi

reus

reus inſtaret, poſtularetque, ut ſibi concederetur defenſio ſecundum juris ordinem, & per conſequens, ut teſtium nomina ſimul cum dictis eorum ſibi ederentur, audiendus non eſſet. Et ſi ob id gravari ſe diceret, & appellaret, talis appellatio nullo modo eſſet admittenda; ſed ea non obſtante, immo rejecta, tanquam frivola & injuſta, ad ulteriora judicii acta eſt procedendum.

Admittenda etiam eſt ab Inquiſitoribus rei appellatio à ſententia torturæ. Quamvis enim beneficium appellationis denegetur hæreticis, eorumque fautoribus *in cap. ut inquiſitionis de hæret. in 6.* & *in l. Commiſſi v Omnes inſuper Federici Imperatoris*; quoniam appellatio inducta eſt, ne innocentes graventur *cap. ad noſtram de hæret.* Hæretici autem in cauſa hæreſis innocentes non ſunt, immo ſunt toti Eccleſiæ nocentes. Atque adeo appellatio ei denegari ſemper debet, quando ab Eccleſia per ſententiam declaratoriam tales judicantur, ut per Doctores communiter, qui etiam docent pronunciatam ſententiam definitivam adverſus hæreticum poſſe ſtatim executioni demandari, nec opus eſſe expectare terminum decem dierum, à jure conceſſum ad appellandum, quia non poteſt ab ipſa appellari, ut per Locat. *in Judic. v. appellatio, & v. ſententia num.* 3. Royam *ſing.* 179. *nu.* 2. Decian. *tr.* 4. *lib.* 5. *cap.* 20. *nu.* 26. Sicque appellatio hæreticis non conceditur ab hæreſis ſententia declaratoria: iis tamen conceditur appellatio à ſententiis, & actibus interlocutoriis, ut teſtantur Eymer. *p.* 3. *direct. rubr. de appel. num.* 121. ibique Pegna *com.* 31. Farinac. *de hæres. qu.* 185. *num.* 232. Param. *loc. cit. num.* 60. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 9. *de appel. num.* 3. *& in Enchir. tit.* 65. *num.* 2. Caren. *d. p.* 3. *tit.* 14. §. 1. *num.* 1. *& ſeq.* Ea quidem ratione, quia hujuſmodi actus, ac ſententiæ interlocutoriæ ordinantur ad eruendam veritatem, ut *ex l.* 2. *C. de appel. recip.* & tradunt Pegna *loc. cit.* Simanch. *in Enchir. tit.* 52. *num.* 11. *& tit.* 65. *num.* 2. Farinac. ubi ſupra *num.* 139. & Clar. *d. qu.* 64. Tortura autem datur ad eruendam veritatem, & ideo ab illius decreto poteſt appellari.

Solùm excipiendus eſt caſus, in quo evidenter conſtet frivolam allegari cauſam appellationis. Tunc enim rejicienda eſt appellatio, & ad ipſam torturam procedendum, ut probat textus *in cap. cum appellationibus de appel. in* 6. & *in d. l.* 2. *de appel. recip.* ac firmant Pegna *ibid.* & Farinac. *d. quæſtio* 185. *num.* 235.

Quando autem appellatio dicatur frivola, remittendum hoc eſſe arbitrio Inquiſitorum, cenſent Sous. *in aph. d. lib.* 2. *cap* 35. *num.* 6 Simanch. *in enchir. tit.* 52. *num.* 11. *& de cath. inſtit. tit.* 65. *n.* 1. Suarez de Paz. *in prax. tom.* 1 *p.* 5. *cap.* 3. §. 12. *num.* 81. Sanch. *in opuſc. lib.* 9. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 4. & aliis, quos refert ac ſequitur Diana *p.* 4. *tr.* 9. *reſol.* 20. ac Pegna *p.* 3. *com.* 31. *verſ. quæ autem.* Sed Farinacius *qu.* 38. *num.* 71. tradit, tunc appellationem frivolam & calumnioſam eſſe arbitrandam, quando in proceſſu apparent legitima ad torquendum indicia, & illa non fuerunt in termino conceſſo ad defendendum purgata. Quod etiam proſequitur Scacc. *de indic. tr.* 1. *lib.* 1. *cap.* 97. *num* 85. ac decernitur in inſtructione Toletana ſub anno 1561. *num.* 50. In dubio autem, an appellatio ſit frivola, & calumnioſa, ſive dubium ſit juris, ſive facti, Inquiſitores ad executionem torturæ procedere non debent. Quia in dubio ſuper eſt appellationi deferendum. Ex tortura enim oritur præjudicium irreparabile, idcoque ſuperſedendum eſt, & expectandum, quod Judex ſupremus decernat, num ſit admittenda, vel ne ipſa appellatio, ne periculo exponatur gravandi injuſte innocentem in iis, quæ irreparabilia ſunt. Quod etiam docent Farinac. *d. q.* 38. *num.* 30. citata inſtructio Toletana, & Pegna *d. com.* 31. ubi quoque advertit, quod appellatio ab interlocutoriis, ſive à gravamine, quo reus ſe gravari dicit, duo præcipue continere debet. Primum eſt gravamen, a quo appellatur, *cap. cum ſit Romana de appel.* Alterum eſt cauſa per quam gravamen impugnatur, quæ in appellatione exprimi debet, *cap. ut debitas, & cap. cum cauſam eod. tit.*

Siquis ergo ſimpliciter dixerit, appello à tali interlocutoria talis appellatio, non valeret, quia in ea nulla gravaminis cauſa exprimitur. Similiter ſiquis appellaverit, cauſam ſolum in genere, non in ſpecie proponendo, dicens; appello à tali ſententia interlocutoria, quia eſt injuſta, hujusmodi appellatio non eſſet valida, quia talis expreſſio propter nimiam generalitatem pro non facta habetur, *arg. l. ſi in rem ff. de rei vend. & l. Prætor dixit ff. de injur.* In appellatione igitur ita exprimenda eſt cauſa, ut ex inſpectione teneri appellationis concludatur evidenter, appellantem fuiſſe gravatum, & vera eſſe quæ in appellatione continentur, ut rectè Vitalin. *in Clem. appellanti num.* 27. *de appel.* & Pegna *loc. cit.*

Porrò ab interlocutoria ſententia appellari poteſt in cauſis fidei in Italia ad S. Congregationem. Romanæ Inquiſitionis. In Hiſpania ad Inquiſitorem generalem. In aliis verò partibus ad ſummum Pontificem. Si ſententia ab Inquiſitore ſolum lata ſit, à delegato ad delegantem appellatio eſt facienda *ex cap. ſuper §. porrò de offic. deleg.* & *l. præcipimus §. huic C. de appel.* Inquiſitor autem eſt Sedis Apoſtolicæ delegatus. Si vero lata ſit ſententia interlocutoria ab Epiſcopo & Inquiſitore ſimul, etiam ad Sedem Apoſtolicam appellatio facienda eſt, quia ut delegati Sedis Apoſtolicæ procedunt.

Quando verò Epiſcopus ratione ſui officii, & ex jure ordinario adverſus non exemptos procedit, in eo caſu Pegna *d. com.* 31. & Farinac. *d. quæſt.* 185. *n.* 240. exiſtimant, ad Sedem Apoſtolicam etiam eſſe appellandum, cujus eſt cauſas graves terminare, qualis eſt cauſa, quæ ad fidem ſpectat. Aſſerit tamen Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 7. *num.* 6. non carere probabilitate, in tali caſu appellari poſſe ad Metropolitanum, vel ad Pontificem, ſicut in aliis cauſis *juxta cap. ſi duobus de appel. can. quoties*, & *can. ad Romanam* 2. *q.* 6. Neque obſtat textus *in cap. majores de baptiſm.* ubi deciditur cauſas graves, nonniſi Pontificis autoritate terminandas eſſe. Quia judicare de legitima appellatione, & de cauſa, ubiquam appellatur non eſt ita gravis, quæ Pontificis autoritatem expoſtulet. Alias neque in prima inſtantia ab Epiſcopo judicari, & terminari poſſet. Si enim controverſia eſſet, an hoc, vel illud de fide ſit, hujus quæſtionis terminatio ad Pontificem ſpectaret, utpote ſumme Eccleſiæ neceſſaria. At quando controverſia eſt, an adverſus fidem hic deliquerit, quæ potius eſt quæſtio de facto, quam de jure, deciſio illius non eſt ita Eccleſiæ neceſſaria, quæ non poſſit ab aliis, præter Pontificem decidi. Verum iſta non refragantur. Nam ad ſolam Sedem Apoſtolicam ſpectat in hiſce materiis ea peragere, quæ fidei Catholicæ opportuniora, magiſque neceſſaria judicantur, atque adeo ipſa ſola debet cognoſcere de hac legitima appellatione, deque ejus cauſa, tanquam de cauſa gravi, ad hæreſim quoquomodo pertinente, & illi acceſſoria Oſt. *in cap. excommunicamus* 1. *§. Catholici*, ibique Jo. Andr. §. *volumus*, *& cap. ad abolendam prope fin. de hæret.*

Inquiſitor autem appellationem à ſententia interlocutoria admittens, deſinit in ea cauſa eſſe Judex *cap. Cum appellationibus, §. ſi verò Judex de appel. in* 6. Pegna *p.* 3. *d. com.* 31. Dixi in ea cauſa, quia ſi appellans fuerit ex alia nova cauſa denunciatus, in illa Inquiſitor remanet

Judex

Judex, prout erat antea, *cap. ad hac de appel.* & cum Eymerico tradunt Pegna *ibid.* ac alii. Nam appellatio ſolum ſuſpendit exercitium juriſdictionis in illa cauſa, in qua contingit appellatio, non autem in alia, niſi cauſa appellationis fuerit ſuſpicio Judicii. Tunc enim quia æqualiter in omnibus cauſis, procedit, non poteſt Judex reum compellere ad reſpondendum in aliis cauſis, niſi fuerint adeo graves, & manifeſtæ, ut ex ipſamet gravitate, & manifeſtione reus condemnatus exiſtat per textum *in cap. propoſuit de appel.* Et ſi illius punitio omitteretur, populus; aut multi ſcandalo afficerentur, per Pegn. *ubi ſupra* & Caſtropal. *d. pun. 7. num. 7.*

Advertendum autem eſt, quod ſicut à ſententia definitiva non appellat reus in S. Tribunali S. Officii, ita nec ejus hæres, à qua nedum appellatio, ſed etiam ploclamatio eſt interdicta. Vide Archid. *in cap. ut Inquiſitionis num. 8. & ſeq. de haret.* ac ibi Joan. Andr. *in v. proclamationibus*, Gemin. *num.* 8. Franch. *num.* 4. & Eymer. *d. p. 3. num.* 121. *& ſeqq.* Qualis verò debeat eſſe appellatio ab interlocutoria, & quomodo, & quando Judex illam admittere debeat, quidve debeat facere, quando appellatur lege apud Scaccium *in opere de appellat.* paſſimque alios.

Licet in jure communi nonnulli ratione dignitatis privilegium habeant, ne torqueri poſſint, uti ſunt nobiles nobilitate antiqua *l. nullus 4. C. ad leg. Jul. majeſt.* Idque ſervatur in Hiſpania, ſed non in Gallia, nec in Italia, ut notat Clar. *§. fin. quaſt. 64. num.* 6. Cantera *cap. 2. de prob. per teſt. num.* 69. Feudatarii, niſi ſuis privilegiis renunciaverint, Clar. *loc. cit.* & Carena *p. 3. tit.* 10. §. 19. *num.* 129. Quod ſervari teſtatur in Senatu Mediolanenſi. Officiales durante officio, niſi ob illud officium acquiſiviſſent dignitatem perpetuam, vel etiam finito officio eſſent privilegiati, Canter. *ibid. num.* 71. Quered. *de indic. & tortur. p. 2. cap.* 12. Doctores, Boſſ. *in tit. de indic. num.* 3. Clar. *ubi ſupra* & Farinac. *quaſt.* 41. *n.* 56. Milites, *l. milites C. de q.* Intellige de iis, qui hodie appellantur Equites, aut qui ſunt Capitanei, ut loquuntur, & ductores militum. Nam privati milites quotidie torquentur. Clar. *eo loco num.* 18. & Cantera *num.* 73. quamvis id non ſervetur in Gallia, teſte Dionyſio Gothoft. *in d. l. milites*, neque in Germania, ut ait Zanger. *de quaſt. & tortur. cap. 2. num.* 56. neque in ditione Mediolanenſi, ut offendi Clar. *ibid.* Decuriones, hoc eſt perſonæ in dignitate poſitæ *ex l. omnes C. decur. l. 12. & l. decuriones 16. C. de quaſt.* & Clar. *loc. alleg. num.* 17 *&* 20. ſubjiciens tamen contrarium ſervari de conſuetudine. Quæ conſuetudo ſervanda eſt maxime in cauſis criminalibus, & in materia torturæ, Clar. *d. quaſt.* 64. *num.* 19. 37. *& paſſim*, ſique gravitas criminis id exigat, & ſemiplena probatio proferatur, ut ſcilicet non tam facile torqueantur, quam cæteri, qui nullum habent privilegium, & qui, ut poſſint torqueri, ſufficit minor quam ſemiplena probatio ſecundum Gloſ. *in l. cum probatio de prob.* Indicium enim ſufficiens ad torturam illud eſt, quod pluſquam ſimplex præſũptio eſt, & minus quam ſemiplena probatio, Clar. *quaſt.* 20. *nu.* 1. *&* 4. Quaſi ſublato per criminis præſumptionem privilegio dignitatis, *arg. l. un. C. ubi Sent. vel Claris.* Putat tamen. Clar. *d. quaſt. 24. num.* 16. non valere hanc conſuetudinem, quæ admiſit. at Doctores, ac perſonæ poſitæ in indignitate torqueri poſſint. Sane ratio illa facere debet, ut tales perſonæ nec tam facile, nec tam graviter torqueantur. Presbyteri ſecundum opinionem Bartoli *in l. ex libero ff. de quaſt.* cujus tamen opinio cõmuniter reprobata eſt, ut teſtatur Clar. *q. 25. & d. q. 64. num.* 24. ubi tamen addit generaliter. Clericus nec niſi de mandato ſui Epiſcopi torquendos eſſe, & mitius quam laicos, licet gravius delinquant.

Omnes tamen ſupradicti, & alii quicunque in cauſis, fidei, & ad Tribunal. S. Officii ſpectantibus hoc privilegio non gaudent. Quia dum ceſſat in crimine læſæ majeſtatis humanæ per *l 4. C. ad leg. Jul. majeſt.* multò magis ceſſare debet in crimine læſæ Majeſtatis divinæ, cum longe gravius ſit divinam, quàm humanam offendere majeſtatem, *cap. vergentis de haret.* & monſtrant quæ adducunt Pegna *p. 3. d. com* 210. Angel. *de malef. v. fama publica*, Covar. *lib. 2. var. cap. 9 n.* 4. Paul. Ghirland. *de quaſt. & tortur. quaſt.* 6. *prope finem*, Gomez. *tom. 3. var. cap. 13. num.* 3. Royas *ſingul.* 209. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 95. *num. 44. & ſeq.* Carena *d. §. 19. num.* 136. ac Diana *d. p. 4. tr. 6. reſol. 29. num.* 4. Nobiles verò levius eſſe torquendos in S. Officio docent Delrius *lib. 5. magic. in append. quaſt.* 23. ac Simanch. *tit. 65. num.* 62. quia magis timent, ac ſentiunt tormenta, quam ignobiles.

Minores autem annis quatuordecim in dictis cauſis poſſe torqueri, affirmant Seſſe *tom. 4. dec. 476. num.* 20. Villadieg. *in polit. cap. 3. num.* 322. *& ſeq.* Guazzin. *to. 2. lib. 1. defens. 30. cap.* 9. Caſtropal. *d. diſp. 8. pun. n.* 14. Cantera *in quaſt. tangentib. reum quaſt. 9. num.* 1. & Caren. *d. §. 19. num.* 140. dummodo proximi ſint pubertati, & medicorum judicio periculum non adſit, ut eorum ſalus periclitetur & moderate torqueantur. Colligitur *ex l. de minore ff. de quaſt.* ubi ſic, habetur, *Exemptionem minoris quatuordecim annis non procedere in crimine laſa Majeſtatis, in quo omnes omnino, ſi ad teſtimonium provocentur, cùm res exegerit, torqueantur.* Si ergo torqueri poſſunt pro teſtimonio dicendo in crimine læſæ majeſtatis humanæ, potiori jure torqueri debent ob crimen læſæ majeſtatis divinæ.

At nõ eſſe torquendos minores annis quatuordecim, ſed tantum eſſe terrendos, etiam terrore reali, ut nudando, ligando, ad tormentum adducendo, non tamen ponendo, ſed ferula cædendo, aſſerimus cum Simancha *de cath. inſtit. tit. 65. num.* 45. Pegn. *d. com.* 110. *p.* 3. Delrio *d. lib. 5. magic. ſect.* 9. Suarez. de Paz. *in pr. tom. 1. p. 5. cap. 3. §. 12. num.* 50. Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 3. dub. 15. num.* 12. Miranda *in ord. judic. tom. 2. q. 26. ar. 13. concl.* 6. Roya *ſing.* 208. *num.* 5. Guazzin. *tom. 2. lib. 1. defenſ. 30. cap.* 9. Cantera *in quaſt. crim. cap. 2. de prob. per teſt. q. 1. num.* 71 Diana *d. reſol. 29. num.* 4. ac probatur ex textu ſingulari *in l. 1. §. impuberi ff. ad S. C. Syllan.* ubi dicitur: *de impubere nec quaſtio habeatur, & alias ſolet hoc in uſu obſervari, ut impuberes non torqueantur, terreri tantum ſolent, vel debent, vel ferula cædi*, traditque Pegna *p. 3. com.* 39. Si verò minores ingreſſi fuerint annum decimum quartum, erunt torquendi, ſed mitius, quàm majores, ut per Delrium *loc. cit.*

Ætas ſenilis, ſi non decrepita quoque ſit, non excuſat reum à tormentis Clar. *d. q. 64. nu.* 22. & Carena *d. §. 19. n.* 141. ſed facit tamen ut moderatior de eo haberi debeat quæſtio arbitrio Inquiſitoris, & talis, qualis per ætatem haberi poteſt, Grammat. *dec. 34. col.* 1. ſunt enim qui poſt ſexageſimum, adeoque ſeptuageſimum annũ ferre tormenta facilius poſſint, quam alii quadragenarii aut quinquagenarii, Itaque habitus corporis potius, quam annorum numerus erit inſpiciendus. Secus autẽ ſi ſenes ſint infirmæ ſalutis, ac debiles, ut ait Quered. *de indic. & tort. d. p. 2. cap. 11. num.* 11. Eo tamen caſu, quo torqueri ſenex per ætatem non poteſt terreri eum nihil prohibet ſi ita poſtulare videbitur atrocitas criminis; alioquin parum ſane refert, an quis torqueatur, an ei torturæ metus inferatur.

Septuagenarius verò, quòd non ſolum ſit ſenex, ſed etiam decrepitæ ætatis, torqueri non poteſt, quantiſcunque criminis indiciis, urgeatur. Ignoſcendum enim eſt ætati *l. 3. §. ignoſcitur ff. ad S. C. Syllan.* Clar. *d. n.* 22. ubi tamen addit, vidiſſe ſe torqueri reum majorem annis 65. eo ſcilicet modo, quo torqueri poterat, Canter. *cap. 2. de prob. p. teſt. nu.* 71. ubi ait quod decrepitas incipit anno ſeptuageſimoquinto. Poſſunt tamen decrepiti terreri, ut terrantur impuberi ſecundum Farinac. *quaſt.*

41. n. 24. Sed quod neque terreri poſſint, ni ex cauſa gravi, notat Carena loc. cit. num. 142. Unde nec facile injiciendus eis eſt metus tormentorum, cùm ſit veriſſimum, quod dici ſolet metum ipſum torturæ torturam eſſe. Sunt enim plures gradus torturæ, ut jam diximus, licet Clarus ea q. 64. num. 31. ſubjiciat tres tantùm gradus eſſe. Primum terrere. Secundum elevare, & in ſuſpenſo tenere, Tertium, ut ipſe ait, ſquaſſare. Cùm autem dicitur, metum torturæ torturam eſſe, non de primo modo intelligitur, niſi hoc poſteriori ſenſu primus modus tres priores antea dictos complectitur. Nec minus habere momenti ad extorquendum falſum ab eo, qui per ætatem tam juſtum metum ferre non poſſit. Eſt enim ea ætate vis animi quoque longè infirmior ob corporis infirmitatem. Ego tamen in caſibus contingentibus quando ſenectus excuſet à tortura remittendum eſſe arbitrio Inquiſitorum, attenta valetudine, robore, & quantitate delinquentis ac delicti, cenſeo cum Diana d.p.4.tract. 6.reſol. 29. num. 4. & Guazzino to. 2. lib. 2. d. de ens. 30. cap. 12. numer. 3. cumque aliis, quos ſequitur Rosbach. in pr. crim. tit. cap. 21. numero 12. Obſerva tamen non eo minus dici confeſſionem ſponte factam, quod facta ſit ab eo, cui Judex minatus eſt torturam, etiamſi eò ductus ille ſit ad furem & locum tormentorum. Dicitur enim levis ille terror, niſi proceſſum ſit ad ſpoliationem & ligaturam, Clar. d. n. 31. Nam & ligatura poteſt eſſe tortura ipſa, ſi ſit multum atrox, & ſtricta, ut idem Clarus ibi ſubjicit. Sanè ex quo reus ad locum torturæ deductus eſt, modò proceſſum ſit ad ſpoliationem, & ligaturam, non licet ei appellare, poteſtque ſperni impunè appellatio.

Mulieres verò prægnantes nec torqueri, neque terreri poſſe firmat Clar. d. q. 64. Carena loc. cit. num. 144. S. Zanger. cap. 1. num 41. & ſeq. aliique. An autem ſint verè prægnantes, inſpiciendæ ſunt ab obſtetricibus ex mandato Judicis, & ex earum relatione eſt procedendum ad torturam, & ita ſervari in S. Officio notant Carena ibid. Diana eo loco, & Caſtropal. d. pun. 9. num. 14. Poſt partum neque torquentur, niſi poſt quadraginta dies, ut ſentiunt Cantera in quaſt. crim. quaſt. 10. num. 1. Ghirland. de quaſt. lib. 4. qu. 6. nu. 7. ac Brun. de indi. p. 2. qu. 4. n. 2. puto tamen intra dictos dies poſſe terreri, cùm jam partus ſalvus ſit, ac liber à periculo

Energumeni, & à dæmone obſeſſi minime torqueri poſſunt ne quidem in Tribunali S. Inquiſitionis. Quia dæmon poſſet pro reo mendacium reſpondere ac Judici interroganti illudere, ut recte Ruginel. pract. quaſt. lib. 11. cap. 38. & Caren ubi ſupra num. 146. Unde Saga, ſi à dæmone obſeſſa ſit, non eſt ſuper intentione torquenda. Quia poteſt eſſe, quod pro ea dæmon reſpondeat. Quando verò delicta Sagarum, & illis & non dæmoni tribuenda ſint, docet Tyreus in diſp. dæmon. p. 1. cap. 17. Nec poſſunt torqueri hujuſmodi Sagæ ex eo, quod duæ aliæ deponant, ſe illam vidiſſe in Conventu aliarum Sagarum juxta praxim fundatam in decreto S. Inquiſitionis, de cujus uſu teſtatur Farin. de heret. q. 185. nu. 153. Nam eſſe poteſt, quod illæ per illuſionem fuerint deceptæ, & quod illarum præſentia in Conventu non fuerit realis, ſed imaginaria. Hinc eſt, quod depoſitio cujuſvis Sagæ de iis, quæ fiunt in Conventu Sagarum eſt dubia, & ſola non facit indicium ad torturam, ut alibi diximus. Et ſi aliter dixerint Binsfeld. de confeſ. Sagar. n. 2 poſt. 6. concl. dub. 2. Delrius lib. 5. magic. in append. 2. qu. 8. Valent. 2. 2. diſp. 6. qu. 11 pun. 4.

Laborantes febre quartana torqueri poſſe leviter ac ſine concuſſione, & non in die febris tradunt Franc. Marc. dec. 790. Baiàrd. ad Clar. d. q. 64. n. 73. Cavalcan. de brach. reg. p. 3. num. 117. & Quered. p. 2. cap. 12. num. 13. Tutius tamen eſt quod in hoc caſu Inquiſitores adhibeant judicium Medicorum. Non eſſe autem torquendos laborantes morbo gallico, brachio debilitato, vel difficultatem anhelitus patientes, docent Laderch. conſ. 184. Grammat. conſ. 40. Decian. reſp. 93. & Guazzin. d. defenſ. 30. cap. 16. num. 1. 2.

Nec minor annis vigintiquinque poteſt in Tribunali S. Officii torqueri, non dato ei curatore, cujus autoritate defendatur, an ſit torquendus, vel ne, alias illius confeſſio ſive in tortura, ſive extra torturam, etiamſi ſit juramento firmata, vel poſt torturam ratificata, ei nec nocere, neque præjudicare debet, ut alibi probavimus, ubi etiam diximus, quiſnam eſſe poſſit ejus curator in hoc Tribunali, & poſſe quidem eſſe ejus Advocatus vel quamlibet aliam perſonam gravem fidelē, ac bonæ cōſcientiæ nemo dubitat, etſi Cantera doceat, d. q. 6. de reo n. 3. quod Curator eſſe poſſit aliquis ex Officialibus S. Officii, At nos neque illum, neque ejus patrem eſſe poſſe Curatorem, ibi quoque monſtravimus. Non poteſt tamen Curator eſſe præſens, quando minor à Judice interrogatur vel torquetur. Quia quando à Judice interrogatur reſpondere debet juxta rei veritatem & ex propria ſcientia, & non ſecundū ea quæ à Curatore ſubminiſtrari poſſent. An autē poſſit Curator eſſe præſens in minoris tortura, affirmat Roland. lib. 1. conſil. 3. n. 8. ex l. clarum C. de autor. præſt. At conſuetudo in Tribunali S. Inquiſitionis eſt in contrarium. Quia in tortura non eſt neceſſaria autoritas Curatoris, cùm adſit præſentia Judicis, ad quem pertinet Officium torquendi, ut tradunt Garzia in ord. procee. in S. Officio fol. 29. Anton. de Bell. in tr. var. lib. 2. qu. 31. n. 17. Villadieg. in polit. cap. 3. n. 325. Chartar. de interrog. reor. lib. 4. cap. 1. n. 49. & Diana d. tr. 6. reſol. 31. Nullatenus ergo in minoris tortura requiritur Curatoris præſentia, ſed tantū in defenſione articuli, an ſit, vel ne ipſe minor torquendus. Et quando poſt torturam ratificat quæ fecit, vel dixit in tortura; tunc enim ut talis ratificatio valeat neceſſe eſt, ut fiat præſente Curatore, aliàs minor condemnari non poſſet, ſaltem ad pœnam ordinariam, ut docent citati Autores locis allegatis, & alii apud ipſos.

Sentiunt Cantera in quaſt. crim. q. 11. de reo n. 1. Diaz. in pr. cr. cap. 125. Guazzin. d. defens. 30. cap. 1. n. 7. ac Decian vol. 4. reſp. 124. n. 38. & alii, quos refert Diana d. tr. 6. reſol. 36. Clericos, & Religioſos de crimine non diffamatos non poſſe torqueri, etiamſi multa eſſent contra ipſos indicia.

At Simanchas de cathol inſtit tit. 6. n. 48. Panorm. in cap. gravis n. 6. de depos. Pegna p 3. d. com. 110. Salcedo ad Diaz cap. 128. verſ. Et hæc opinio hac, Farinac. cons. 38. num. 16. vol. 1. ac Bordon. to. 1. cap. 35 n. 60. & alii, quos ſequitur Diana loc. cit. docent, quod etſi Clerici ac Religioſi non poſſint torqueri ob alià crimina, niſi ſint diffamati, tamen in crimine ad S. Officium ſpectante, ad eos torquendos ſufficiunt legitima indicia quia crimen eſt exceptum, & adeſt majus periculum in Clericis, & Religioſis delinquentibus, qui poſſunt magis alios lædere, labeque hæreticali inficere, quàm in laicis. Ac, etiamſi ad eos torquendos, infamia eſſet neceſſaria, hæc certè ſufficienter oritur ex ſemiplena probatione, aliiſque indiciis, quæ eos ſuſpectos, & infamatos reddunt. Et quia modò alio delicta Eccleſiaſticorum, ut plurimum remanerent impunita, cùm ſoleant eſſe popularibus occulta: Ac demum quia nullo jure, nulla ve ratione ſufficienti probatur, ad eorum torturam neceſſariò requiri diffamationem.

Illud tamen verum eſt, quod quando Clerici, vel Religioſi ab Inquiſitoribus torquendi ſunt, mitius torquendi ſunt, quàm laici, cæteris paribus in eadem qualitate delicti, ac indiciorum ob eorum dignitatem, qua decorantur, ut per Pegn. d. com. 110 Marceraten. var. lib. 3. reſol, 44. caſ. 4. n. 4 Mirand. in ord. indic. to. 2. q. 26. ar. 2. concl. 2. Salced. ad Diaz. d. cap. 125. litt. A. Zanard. in direct. theol. p. 3. cap. 94. & Dian. loc. cit. n. 3. Secus verò ſi delicti enormitas & gravitas indiciorum arctiorem torturam infligendam ſuaderent.

Et

Et adverte, qood indicia ad torquendum Clericum vel Religioſum non debenr eſſe ordinaria, quæ ſuffi-ciunt contra laicum, ſed requiruntur graviota, urgen-tioraque ob præſumptionem bonitatis quam habent Clerici & Religioſi. Quod etiam notant Guazzinus & Diana *loc. alleg.* Farinac. *q.* 41. *numero* 9. Mirand. *d. q.*26.*art* 13.*concl.*2.

Confeſſarius autem non eſt torquendus ob ſolam denunciationem unius fœminæ bonæ famæ, quod eam in confeſſione ad turpia ſollicitaverit. Quamvis enim Zanard. *in direct. thol. p.* 3. *cap.* 88. aſſerat, con-feſſarium ſollicitantem in ſacra confeſſione, poſſe tor-queri ſuper dicto unius optimæ mulieris, non patienris aliquam exceptionem ex voluntariis, cùm ſimus in cri-mine occulto, attamen hæc ſententia non eſt ita ſim-pliciter admittēda. Tum quia Confeſſarius minime de-trudendus eſt in carcerem ex unius fœminæ, quantum-vis honeſtæ, denunciatione, ut docent Royas *de hæ-ret. p.* 2. *n.*32. Simanch. *in enchir. tit* 25.*nn.*5.*&* *tit.*16. *de cath. inſtit. nn.* 2. Carena *p.* 2. *tit.* 6. §. 1. 2. *nn.* 62. Sous. *de confeſ. ſollic. tr.* 2. *cap.* 21. *nn.* 6. Ergo multo minus ex tali delatione torquendus eſt. Unde S Offi-cium non procedit contra denunciatum ab una tan-tum muliere de ſollicitatione in confeſſione quando non concurrunt alia adminicula, nempe mala fama confeſſarii, & bona mulieris, de quibus eſt certior red-denda S. Congregatio, ut fuit in ea declaratum 23. Julii 1625. & omnibus Inquiſitoribus ſcriptum ne ad denunciationem unius mulieris procedant ad carcera-tionem denunciati, niſi conſtiterit de mala fama ipſius. & reddita certiora S. Congregatione 27. Maii 1627. & 8. Junii 1627.

Tum quia mulier nunquam eſt teſtis omni exceptio-ne major, ut aiunt Carena *d.* §. 12. *nn.* 62. Diana *d. p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 21. ac Molfeſ. *tr.* 7. *cap.* 24. *n.* 39. Teſti-monium enim fœminæ patitur exceptionem ſexus. Quare unica fœmina non facit ſemiplenam probatio-nem. Nam ſi duæ fœminæ hoc delictum minime pro-bant, ut teſtatur Sanctarel. *de hæres. cap.* 44. *concl.* 4. *n.* 6. ubi affatim hoc probat, & declaravit *S.* Coogre-gatio ſupremæ Inquiſitionis, teſte Genuenſi *in pr. cap.* 66. *in nova edit. &* *cap.* 81. *in antiqua.* Ad torturam autem deveniri non poteſt, niſi delictum ſit ſemiplene probatum, ut largiter Pegna. *p.* 2. *com.* 110. *litt. G.*

Inquiunt autem Caſtropalaus *p.*1.*tr.*4.*diſp.*11.*nn.*4. ac Delbene *to.*1.*diſp.*237.*ſect.* 14. *nn.* 22. quod, ſi con-feſſarius crimen probatum duobus teſtibus ſingulari-bus negaverit, Inquiſitores, ſi teſtes veriſimilibus in-diciis dictum ſuum comprobaverint, illum, etiam ne-gantem poſſint cōdemnare, niſi ipſe per exceptionem inimicitiæ teſtes repulerit, eumque abjurare faciant regulariter tamen iſtum torturæ ſubjicere non debent, quia regulariter hoc crimen non ſubjicitur pœnæ cor-porali; ideoque pro eruenda veritate, quæſtioni ſu-bjici non debent.

At verò tenendum eſt, quotieſcunque adſunt in-dicia ſufficientia ad torturam, reum torquendum eſſe pro eruenda veritate, ut tradit Carena *p.* 2. *tit.* 6. *n.*72. Quod ſi tortus indicia plenè non evacuaverit, ut ſæ-pe accidit in S. Officio, in quo regulariter non tam gravis tortura infertur, ſicut in aliis Tribunalibus, po-terit aliqua pœna puniri, ut ſuſpenſionis à confeſſioni-bus audiendis, maximè mulierum, & pœna exilii à loco delicti. Immo ſi verba ſollicitationis clarè ac directe important ſollicitationem, etiamſi reus neget, ſe ha-buiſſe intentionem ſollicitandi, ejus excuſatio non eſt admittenda, & tunc ſuper hac intentione non debet torqueri, licet ſit bonæ famæ, ſed conſtito per ejus confeſſionem de verbis ſollicitationis, habendus eſt pro convicto ſuper hac intentione, ut per eundem Carenam *n.* 73. Tum quia talis proteſtatio intentionis eſt contraria facto. Tum quia ſic facile rei evitarent pœnas S. Tribunalis. Et tum etiam, quia ſi in torturà perſiſteret negando, habuiſſe intentionem ſollicitandi, oriretur præjudicium Fiſco S. Officii, qui alias haberet contra reum fundatam ſuam intentionem. Sed hoc tamen apud me non caret difficultate, Nam in S. Officio qoi protulit propoſitionem manifeſte hæreti-cam, ſi neget internam credulitatem, torquetur ſuper intentione, & ſi ſuſtineat, damnatur non ut hæreticus, ſed ut de fide ſuſpectus. Et ita quod in hoc caſu reus ſit torquendus, voluit Molfeſ. *d. cap.* 24. *numero* 42. ab eodem Carena citatus. Eſt enim certa, & vulgata regula Tribunalis S. Officii, quod confitens factum hæreticale, vel non mere hæreticale, ſed potuit cum mentis errore fieri, eſt ſuper intentione torquendus, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.*75. *numero* 52. Can-ter. *in q. crim. rub. de hæret. cap.* 1. *numero* 69. *& ſeq.* Graff. *lib.* 2. *dec. cap.* 5. *numero* 15. ac Genuens. *in pr. cap.* 69. *numero* 8. *in nova edit.* Quod præcipue locum habet, ſi reus negans intentionem ſollicitandi, ali-quam cauſam ſuæ negationis, ac ſui dicti afferat.

Si autem ejus verba ſolum indirectè ac remote im-portant ſollicitationem, quia ſunt verba dubia, & ambigua, ut ſi laudetur fœminæ pulchritudo, tunc cùm verba dubia in hoc caſu accipiantur in deterio-rem ſignificationem, ut notat Acugna *de confeſ. ſollic. q.* 5. *numero* 21. Peytin. *to.* 2. *conſtit.* 4. Cregorii *XV.* §. 6. *numero* 21. Carena *p.* 2. *d. tit.* 6. §. 14. *numero* 73. Ideo ſi confeſſarius ſit malæ famæ, poteſt ſuper ejus in-tentione torqueri ita, tamen, ut etiamſi in tortura in negativa perſiſtat adhuc ſuſpendatur ad tempus à confeſſionibus mulierum, ut per Freit. *in addit. ad Acugnam loc. cit. numero* 40. Molfeſ. *numero* 43. & Caren. *d. tit.* 6. *numero* 42. Ubi quod ita ex mandato S. Congregationis fuit obſervatum Neapoli in con-feſſario, qui ſollicitaverat tactu ac ſignis, quæ, ut plurimum ſolent eſſe æquivoca. Veruntamen hoc ex-emplum non recte concludit; quia fortaſſis in illo caſu tactus, & ſigna manifeſtam ſollicitationem exprime-bant. Si autem reus ſit bonæ famæ diligenter interro-gandus eſt, ſuper ſua intentione, qua verba illa protu-lit ut per Souſam *lib.* 1. *aph. cap.* 34. *n.* 53. ipſique reo ſine tortura eſſe credendum, cenſuit Molfes. *loc. cit. n.* 42. ſed hoc eſt Judicis arbitrio relinquentium, qui accurate in hoc conſiderare debet omnes circumſtan-tias, & qualitates confeſſarii, pœnitentis, ac verbo-rum ſollicitationis.

Exiſtimat Carena *eo tit.* 6. *n.* 72. hujuſmodi reum interrogandum eſſe in tortura, an crediderit, licitum eſſe abuti Sacramento pœnitentiæ, ut medio ad res inhoneſtas obtinendum. Sed, ut alibi diximus, ſi at-tenderetur hæc ſola ſuſpicio, omne peccatum mortale eſſet de fide ſuſpectum, quia omne tale eſt illicitum. In Conſtitutione autem Pii IV. contra confeſſarios ſollicitantes non ſit fundamentum in hac ſuſpicione, quod ſcilicet abutens ſacramentis credat id licere, ſed quia intrat ſuſpicio, quod male ſentiat de fide ca-tholica, nimirum circa Sacramenta ipſa, vel quia illa neget, vel quia digna credat conſumptione, vel alium ejuſmodi errorem habeat, ex quo poſtea etiam erret credendo, non eſſe illicitum illis uti ad inhoneſta.

Sortilegus autem, ſi ſit ſufficienter indiciatus, & ne-get, torquendus eſt. Sic etiam ille, apud quem in-venta ſunt inſtrumenta faciendi ſortilegia, ut ſunt pen-tacula, vel res aptæ ad ſortilegium, torquetur ſuper illorum uſu. Ex quo enim quis habet apud ſe res hujuſmodi, præſumitur illis uſum fuiſſe. Sic enim Doctorem bonæ famæ juſſu *S.* Congregationis S. Officii fuiſſe tortum ſuper uſu pentaculi penes illum repertum, refert Genuenſis & ex eo Carena *d. tit.* 12. *numer.* 210.

Sortilegus, & quivis alius convictus de actu hæ-reticali, & negans habuiſſe intentionem contra fidem catholicam non eſt admittendus ad torturam,

ſed puniendus eſt pœna ordinaria, ſi teſtes depoſuerint non ſolum de ſortilegio hæreticali, ſive de aliis factis, vel verbis hæreticalibus, ſed etiam de illius intentione contra fidem, ut ſi teſtati ſint ab illo audiviſſe, firmiter credere, ſortilegium illud non eſſe peccatum, vel non eſſe prohibitum. Nam per ſuam negativam nullo modo infringit dicta teſtium, neque illi eſt aliqua ratione credendum. Nam quilibet ad pœnam evitandam præſumitur mendax. Nec tortura iovenra eſt ad delictum negandum, ſed ut reus cogatur illud fateri. Unde ex eadem cauſa oriri non debent contrarii effectus *l. meminerint C. unde vi*, *l. quod Labro. ff. de compens.* Et quod inductum fuit in favorem juſtitiæ contra reum ooo eſt retorquendum in favorem rei contra juſtitiam.

Si verò teſtes depoſuerint de actu externo tantum hæreticali, & non de intentione, & errore in intellectu, quia nunquam auditus fuit ipſe reus, ſe dixiſſe aliquam hæreſim credere, tunc ſine dubio torquendus eſt. Cum enim in faciem Eccleſiæ per ſortilegium redditus ſit vel vehementer, vel leviter ſuſpectus, delictumque hæreſis, & interioris cultus ſuperſtitioſis ſit occultum, & lateat in mente, per tormentum ejus ſacrum Tribunal certificari debet, an male ſortilegus de fide ſenſerit. Et ubi ſortilegus ſit de fide vehemenrer ſuſpectus, ſive etiam de interno cultu ſuperſtitioſo dæmoni exhibito, ex quo valde creſcit ſuſpicio hereſis, certum eſt, eum torquendum eſſe ſuper mala intentione contra fidem, ſi illam negat. At ſi ſolum ſit ſuſpectus de levi, poteſt eſſe, quod adeo leviter ſit ſuſpectus, quod ad tollendam hanc ſuſpicionem ſufficiat abjuratio de levi. Immo Genuenſis *in pr. d. cap.* 68. quem ſequitur Carena *d. tit.* 12. *numero* 253. ait, quod ex praxi S. Officii ſuſpecti de levi regulariter non torquentur. Quod ſi reus in negativa perſiſtat, puniendus eſt, non ut hæreticus formalis, ſed ut de hæreſi ſuſpectus juxta Farinac. *de tortur.q.*40 *numero* 16.Carena *tit.* 1. *de hæres.* §. 15 & Dian. *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 32. Præmittenda verò clauſula eſt in torturæ decreto, abſque præjudicio probatorum. Et in tortura reus non eſt examinandus ſuper delicto de quo jam conſtat, ſed tantum ſuper intenoione, de qua eſt vehemens ſuſpicio

Similiter ſi reus citatus compateat, & hæreticales actus feciſſe fateatur, neget tamen feciſſe cum intentione agendi contra fidem, & nullam rationabilem cauſam adducit hujus negatæ intentionis, torquendus eſt cum dicta clauſula. Et ſi in negativa perſeveret, damnandus eſt non ut hæreticus, ſed ut de hæreſi ſuſpectus ex Pegna *p.* 2. *com.* 59. & Simancha *de cath. inſtit. cap.* 65. *numero* 52.

Si verò ſpontè compareat antequam denunciatus ſit, optime tuetur. Quia dum ſic ſe manifeſtat, præſumitur veritatem integre manifeſtare. Quia nullam utilitatem ex dimidiata confeſſione conſequi poſſet, & leviora pœna punitur.

Torquendus etiam eſt ſortilegus ſuper complicibus. Tum quia crimen ſortilegii eſt de exceptis, Binsfeld. *de confeſ. maleſ. membr.* 2. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 3. & Farinac. *p.* 43. *numero* 67. Et tum quia ſortilegium eſt delictum laborioſiſſimæ probationis, io quo veritas haberi oon poteſt, niſi per ſocios criminis. Farinac. *loc. cit. numero* 68. & Binsfeld. *de conſ. fer. ſagar. numero* 2. *concl.* 6.

Et is caſus tantùm eſt, in quos reus, etiam ſufficienter convictus, ſubjicitur quæſtioni, nempe ad detegendos ſocios in atrocioribus criminibus, Tunc enim in favorem fidei catholicæ & publicæ utilitatis gratia uti ſemper, & ubique, præſertim in vindicandis criminibus, rationem haberi oportet, *l. ita vulneratus §. ult. ff. ad leg. Aquil. l. Stichum, aut Pamphilum poſt Princ. ff. de ſolut. l. ſi à reo §. ult. ff de fidiuſſor.* cum ſimilibus, de reo habenda quæſtio, & quidem acerrima, tanquam de cadavere; ut hoc ipſum ſciatur, an criminis ſocios, & quos habuerit, non an crimen ipſe admiſerit. Itaque quantumcunque pertinax ſit in negando, nihil ei proderit ad pœnam criminis ordinariam evitandam ob evidentes, quæ aliunde ſuppetunt criminis probationes, quia non in id torquetur, ut de ſe fateatur. Propter quam cauſam ſic concipi verba ſententiæ hoc caſu neceſſe eſt; Erit accuſatus, ſive denunciatus ſubjiciendus quæſtioni, ut habeatur veritas de complicibus. Quod tamen ounquam faciendum eſt, niſi ut detegantur ſocii criminis, idque cum proteſtatione, quod id fiat ſine præjudicio vel confeſſi, vel convicti criminis,

Sanè in tortura faciendæ ſunt reis aliquæ interrogationes ab Inquiſitoribus. Quapropter conſiderandum eſt cum Eymerico *p* 3. *numero* 86. ibique Pegna *com.*21. quod ſicut non omnium morborum eſt eadem medicina, ſic neque ad omnes hæreticos vel de hæreſi delatos idem modus interrogandi, inquirendi, & examinandi eſt ſervandus, ſed ſecundum varietatem, ac diverſitatem perſonarum; & errorum varius ac diverſus modus interrogandi, & examinandi prudenter eſt renendus. Curet igitur prudens, ac induſtrius Inquiſitor occaſionem, & modum accipere inquirendi hæreticos ac delaros, ſive ex accuſantium, vel denunciantium dictis, ſive ex teſtium reſponſis, ſive ex iis, quæ experimentum docuit, ſive ex iis, quæ proprii ingenii acumen aperit. Cautè inſuper reos in tortura interrogent, ne iis detur occaſio mentiendi contra ſe, & alios. Ideo generaliter, & non ſpeciatim, ſive nominatim ſunt interrogandi, nempe ut veritatem dicant de omnibus, de quibus ſunt accuſati, & nullo pacto falſum contra ſe, vel alios proferant. Nam ſi peculiariter de re aliqua, vel perſona interrogentur, eſſet potius eos irritare ad falſum, & ſuggerere, quàm inquirere.

Ait Carena *d. tit.* 15. *numero* 225. ſortilegum ad amorem interrogandum eſſe, an crediderit dæmonem poſſe cogere voluntatem alicujus ad amandum, vel ſi petierit à dæmone, ut ſuſcitet mortuum, an crediderit, dæmonem verè poſſe mortuum ſuſcitare, & an crediderit licere homini Chriſtiano operam dare hujuſmodi ſortilegiis. Et ſane in ſecundo caſu ſuſpicio illius hæreſis urget, at in primo valde raro invenietur Chriſtianus inter Catholicos, qui credat, dæmonem poſſe phyſicè cogere voluntatem, & ſpectata natura operis ad hoe, ut quis velit uti ſortilegio ad amorem, ſufficit credere, quod dæmon poſſit ita vehementer tentare aliquem, quod illum quodammodo moraliter cogat, & ita quod tentatus, ut plurimum tentationi conſentiat. In voluntatem enim alienam quamcunque parum juris habet dæmon. Suadere quippe, & blanda ac congruâ objecti propoſitione pellicere poteſt, ac ſolet, illos ipſos calles terens, quos Deus cum reverentia, ut Sapiens dixit, liberam voluntatem diſponens, ſectari ſolet, ut rectè tradit Lactantius *lib.* 6. *inſtit. cap.* 4. & 7. Cogere tamen voluntatem, ut ſe dedat, aut omnino impedire, ne feratur in partem, quæ placuerit, nequaquam poteſt, quamvis interdum cogere dicatur; quia valde urget quod duntaxat voluit Cyrillus 9. *in Joan. cap.* 19. cùm dixit, *dæmonem magnam vim habere ad imperandum iis, quos poſſidet, & cogere ad opus, etiam nolentes*; id eſt qui nollent, niſi ita arcte premerentur, & urgerentur ad male agendum. Nam ſimpliciter nolentes, noo poſſet dæmon cogere. Et eodem modo intelligo Autorem *operis imperfecti in Matth. hom.* 37. cùm ait: *Sicut navis, fracto gubernaculo illuc ducitur, quò tempeſtas voluerit, ſic & hominem divina gratia auxilio per peccatum perdito, agere non quod ipſe vult, ſed quod vult diabolus.* Quod autem abſolutè dæmon adigere alienam voluntatem nequeat, certiſſimum omninò eſt, beneque de dæmooe D. Auguſtinus *ſerm.*

197.*de*

tempore, *Alligatus eſt*, inquit, *tanquam canis innexus catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum, qui ſe illi mortifera ſecuritate conjunxerit. Iam videte, fratres, quàm ſtultus eſt homo ille, quem canis in catena poſitus mordet. Tu te illi per voluntates, & cupiditates ſeculi noli conjungere, & ille ad te non præſumit accedere. Latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere omnino non poteſt, niſi volentem. Non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.* Similia Pelagius *apud Auguſtinum lib. de nat. & grat. cap.* 58. Laudatus iccirco quoad hoc ab Auguſtino, eademque repetuntur *in ejuſdem Pelagii ad Demetriadem epiſtola ſub finem.* Ideo ſortilegium ad amorem, niſi aliunde ſit qualificatum, non infert vehementem hæreſis ſuſpicionem. In tertio autem caſu, niſi ex circumſtantia aliqua inſurgat ſuſpicio hujus hæreſis, quod ſit licitum uti ſortilegiis per ſe ex ſolo illicito uſu ſortilegii, talis ſuſpicio non oritur, nec ratione illius ſortilegus eſt torquandus ſuper intentione, niſi velimus dicere, quod omnes illicita agentes, ex hoc de illa hæreſi ſint ſuſpecti.

Lamias vero, quæ dicuntur accedere ad nocturnos ludos magicos, & cum dæmone conveniunt ac miſcentur, ita interrogandas eſſe, ait Grillandus *p. 7. numero* 7. ubi hanc tradit formulam, approbatam à Delrio *lib. 5. magic. ſect. 9. de tortura.* Quid ſit illa profeſſio quam faciunt cum dæmone, & quomodo, ac ordine ad illam accedant, & quibus cæremoniis, & ſolennitatibus in ea utantur? Ad quid ſe dæmoni obligent, & ſub qua forma verborum fiat ipſa obligatio? Quæ ſint ab eis ſarvanda, & ad quæ teneantur? Quæ præmia habeant, & quæ habere ſperent à ſuo Principe dæmone? Ex quibus rebus ſimplicibus, vel mixtis componant unguenta, quibus liniant corpora ſua, dum eunt ad ludos? Cum quibus etiam rebus faciant alia maleficia venefica? Quem ordinem ſervent, quando acceſſuræ ſunt ad ludos? Sitne verum, quod eant corporaliter, vel illa ſit illuſio, ſive viſio quædam, vel imago ſive ſpecies in mente, & intellectu? Et caſu quo accedant corporaliter, an ambulent pedibus propriis, vel aliter deferantur, & quomodo ac per quem; Item quomodo, & qualiter celebrent ſacrificia, offerant preces, ac munera dæmoni; Quæ ſint illis in præcipua obſervantia in dicta profeſſione; Et alia hujuſmodi, quæ Iudici ex præcedenti inquiſitione vel denunciatione videbuntur axquirenda. Poſtea poterint interrogari de ſingulis, & quando, & cum quibus hæc fuerint. In his perquam utile erit à levioribus, quæ facilius confitentur, ad graviora progredi. Ideoque ultimo demum loco de copula cum dæmone interrogare

Porrò ſi reus coram Iudice laico factum hæreticale à ſe commiſſum, fateretur ſpontaneè, & abſque ullo metu utique non ſufficeret talis confeſſio Inquiſitori ad illum condemnandum. Quia licet nulla ſit major confeſſio quam proprii oris, cum nemo præſumi poſſit ſibi falſò crimen imponere, ut habetur ex Gloſſa *in cap. ſignificaſti de adulter.* ac docent Gomez. *tom. 3. var. cap.* 13. *numero* 8. *&* 9. Clar. *§. fin. q.* 21. *verſ. confeſſio extrajudicialis*, & Farinac. *q.* 37. *numero* 47 Attamen eſt confeſſio coram Iudica incompetenre, ac proinde inſufficiens ad rei condemnationem, ut omnes fatentur *in cap. At ſi Clerici de judic.* & tradunt Farinac. *de reo confes.* & *convict. p.* 81. *numero* 188. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 30. *numero* 36. Cantera *cap.* 1. *de ver. confeſ. numero* 3. & Carena *p.* 3. *tit.* 8. 6. 3. *numero* 22. Sufficeret tamen hujuſmodi rei confeſſio ad illum torquendum, quia talia confeſſio habet vim confeſſionis extrajudicialis coram Iudice competenti. Confeſſio autem extrajudicialis eſt ſufficiens ad torturam, ut aliàs probavimus, & ideo ſufficit Inquiſitori ad reum torquendum, etiam ſi ipſe reus coram Inquiſitore talem confeſſionem revocaret, ut per Boſſ. *de confes. numero* 55. Clar. *loc. cit.* Farinac. *ibid. numero* 216. Caren. *eo loco numero* 23. ac Bordon. *tom.* 1. *cap.* 34. *numero* 18.

Confeſſionem autem rei à Iudice metu tormentorum extortam, ſi Iudicis terror eſt propinquus tormento, ut ſi terror inferatur in loco tormenti, & ibi reus ſpolietur ac ligetur prope torturam, ut fateri cogatur commiſſum delictum, ſi confiteatur, parem facimus confeſſioni factæ in tortura, quæ nulla eſt, niſi poſtea axtra torturam ratificetur. Paria enim ſunt confiteri in tormentis, ac metu tormentorum propinquorum, tradenta Baldo *in l. noviſſime ff. quod falſo tutore*, & *in l. interpoſita C. de tranſact.* ibique Cumano, & proſequente Gandino *de malef. rub. de quaſt. verſ. quod confeſſio dicatur facta vi tormentor.* Pegna *p.* 3. *com.* 39. *verſ. Illa verò eſt* & Bordon. *d. to.* 1. *cap.* 34. *numero* 31.

Si autem terror, qui reo infertur eſt remotus à tormento, & verbis tantum à Iudice injicitur, minante, ſe miris modis eum excruciaturum, niſi fateatur, & reus ſic perterritus fateatur, ejus confeſſio valet, etiamſi non ratificetur, & tanquam ſpontanea, & ſine tormentis facta, cenſenda eſt. Nam regula illa, terror, & tortura æquiparantur, locum habet in terrore, qui propinquus eſt tormento, ut annotarunt Gomez, *eo cap.* 13. *numero* 4. Bartol. *in l.* 1. *§. Divus Severus numero* 2. *ff. de quaſt.* & Gandin *loc. cit.* Et ita etiam tradunt Maſcard. *lib.* 2. *concl.* 357. *numero* 4. Farinac. *q.* 81. *numero* 83. *de reo confes. & convict.* ac Souſa *d. cap.* 30. *numero* 33.

Quod ſi plures pro eodem crimine torquendi ſint, inchoandum eſt à quo veriſimilius eſt veritatem facile eſſe dicendam, hoc eſt ab eo, qui timidior, debilior, ac deterior ſit. Ita monent Binsfeld. *in l. ſi excepta q.* 1. *concl.* 9. *C. de malef. & mathem.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 65. *numero* 66. Peguer. *in pr. cr. cap.* 12. *§.* 21. *numero* 5. & alii, quos ſectatur Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 26. Unda prius torquendus eſt qui teneræ eſt ætatis, quàm qui robuſtioris; prius fœmina, quam mas; prius uxor, quam maritus; prius filius, quàm pater per *l. unius facinoris ff. de quaſt. & l.* 1. *§. Idem ff. eod.* ibique Gothofred. & approbant Ghilauſen. *ſect.* 3. *numero* 36. *& ſeq.* Abavo *de reatib. q.* 29. *numero* 64. *&* 67. & Carena *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 21. *numero* 362. Quando verò plures torquendi eſſent æquales, præcipue quoad vires, tunc prius torquendus eſſet magis indiciatus, ut advertunt Villadieg. *in polit. cap.* 3. *numero* 326. Clar. *in pr. lib.* 5. *§. fin. q* 64. *numero* 29. aliiqus apud Dianam *loc. cit.*

Certum autem eſt, multos torturam, aliaque tormenta cum taciturnitate ac ſilentio ſuſtinere, vel quia dolorem non ſentiunt, vel quia loqui non poſſunt, etiamſi dolorem ſentiant, vel quia nec quidem dolorem ſentiunt, nec loqui poſſunt, quia profundo ſomno opprimuntur. Hoc autem evenit ſingulari opera, artificioque dæmonis multis modis, ac diverſis maleficiis, ut per Sprenger. *de malef. p.* 3. *q.* 14. *&* 15. ac Delrium *lib.* 5. *magic. ſect.* 9. de *tortura verſ. quoad tertium*, qui etiam referunt hoc maleficium componi ex corde, & aliis membris infantuli non baptizati, violenter necati & in pulverem redacti, quibus cineribus corpori inſperſis, vel occultatis rei hanc vim taciturnitatis ac ſilentii in tormentis conſequuntur. Solet etiam dæmon aliquando corpus ipſum rei ſublevare, & funes, quibus ligatur extendere & laxare, vel per res aliquas, habentes naturalem vim obſtupeſaciendi ſenſus, ut rei aut dolorem non ſentiant, vel efficere levior, ac tolerabilior ais videatur. Interdum verò tormenta, quæ corpori infligi videntur, dæmon aliò evertit,

aut vim eorum tollit priusquam corpua contingant, aut interponit inter tormentum & corpus aliquod medium denſum ac ſolidum, quod ab aſtantibus non aſpiciatur, & ſic dolor non ſentiatur. Quæ omnia, Deo permittente, dæmoni ipſi facillima ſunt. Quandoque etiam dæmon ſilentium inducere ſolet, præcluſis faucibus, & ore ipſius rei, ea tamen moderatione, ut non præfocetur, ſed loqui nequeat, vel organum auditus ſic ei obturat, ut Iudicis interrogantis voces omnino non audiat. Quorum omnium exempla refert Remigiua *lib. 3. dæmon. cap.* 8. Nonnunquam etiam reo prope aſſiſtit, ac dehortatur à confeſſione, hortaturque, ut brevia illa tormenta ſpe vitæ præſentis longioris fortiter ferat & ſeveriora ei tormenta minatur, ſi fateatur. Alias ſolet vel magica unguenta reo miniſtrare, vel membranulas, ſive chartulas variis characteribus ac ſignis inſcriptas ſuppeditare, quæ in locis ſecretiſſimis corporis abditæ ex pacto ſenſum adimunt doloris. Denique, ut ait Sprengerus loc. cit. per alia inſtrumenta rei maleficio afficiuntur, ut nihil fateri poſſent.

Ad eruendas has demoniacas fraudes utilitatis plurimum præſtabit primò carceris calamitates, reo proponere, multiplicatas informationes proborum virorum contra eum narrare, & verbis ac rationibus, ſpeque dubia addita, quod forte non damnabitur ad mortem, ſi veritatem non celet, ac libere fateatur. Ita referunt Sprengerus *in mall. malef p. 3. q.* 14. ac Deltius *d. ſect. 9. verſ. Ut hu*, per hujuſmodi informationes, ac verba maleficam taliter confortatam fuiſſe ut in terram ſpuens, quaſi in faciem dœmonis dixit: Faciam quod juſtum erit, & crimina ſua confeſſa fuit.

Secundo, ut dum miniſtri ſe parant ad torquendum, alii interea reum expolient, & ſi fuerit fœmina à fœminis expolietur, ne aliquid maleficii in veſtimentis lateat, & aliis induatur.

Tertio, non ſolum veſtes eſſe detrahendas, ſed etiam omnes capillos capitis, omneſque pilos barbæ, ac totius corporis, etiam in partibus ſecretioribus eradendos eſſe. Et ſi fœminæ ſint à fœminis, ſi marea, à maribus, ut caveatur inhoneſtas, & inverecundia. Et in hac raſura eſt obſervandum, ne maleficium lateat in aliquo corporis foramine. Referunt enim Jodochus *in pr. cr. cap. 37. numero* 21. & Diana *d. p. 4. tr. 6. reſol.* 37. quod quædam mulier, quam fucata ſanctimoniæ ſpecie omnes venerabantur, veluti veram Chriſti Apoſtolam, quia plurium matronarum filios & filias quaſi ſupra naturæ vim curabat. Hæc juſſa fuit capi, & in carcerem conjici, & ob conſtantem negationem ſui criminis torturæ tradita, ſed nec lamentabatur, neque dolebat, immo ſubridebat, & Iudicibus ipſis inſultabat, unde à tortura relaxatur, & iterum in carcerem conditur. Verùm poſtea novis indiciis habitis, torturæ rurſus adjudicatur, ſed prius omnes corporis pilos, & crines abradi, Iudices curarunt, etiam in pudendis, in quibua reperta fuit pergamena quædam, in qua inſcripta erant aliqua dœmonum nomina, & aliquæ cruces inter ſe diſtinctæ. Hæc autem pergamena Iudicibus exhibita, & illa torturæ tradita, plene paſſibilia facta, omnia apertè fatebatur, addens: Niſi à me ſchedulam iſtam abſtuliſſetis, nunquam à me quicquam perquirere potuiſſetis, quia per illam facta eram impaſſibilis. Rem ſimilem accidiſſe teſtatur Ambroſinus *de proces. informat. lib. 4. cap. 7. numero* 13. Ubi admonet in hoc caſu rei os, foramina narium, & aurium, anum, aut vulvam cautetium, addo & ungues, ac ſimilia inquirenda eſſe, ne quid ſuperſtirioſum in his locis lateat. Exempla aliquot exhibet Ghirlandus *tr. de ſortileg.*

Quarto, ne aliqua unctio magica in rei corpore adſit, totum ejus corpus prius aqua calida eſt abluendum diligenter, & poſtea aqua benedicta aſpergendum, quæ in ejus ore etiam effundatur. Utile quoque erit rei torquendi collo ſacras reliquias, vel agnum cereum benedictum appendere, dummodo non adſit periculum. His enim modis dœmonis vires infringi ſolent, quibus addo exorciſmum.

Quinto devotas ad Deum orationes cum iejuniis ac bonis operibus indicere debent Inquiſitores in hoc caſu ad invocandum divinum auxilium in generali, ut contra dæmonum quaſcunque infeſtationes, cœli tum auxilia implorentur juxta illud 2. Paralip. 20. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros ad Deum dirigamus.*

Qui autem tormenta jam paſſus tacuit, nec fateri crimen voluit, nonniſi novis accedentibus indiciis, iterum torqueri poteſt Clar. *d. q.* 64. *numero* 46. & nos *infra*, novum verò indicium, & quod ad repetendam quæſtionem ſufficiens ſit illud etiam eſſe creditur, ſi in ipſis tormentis compertus ſit habere chartulas, quibus per ſortilegium juvatur, ne quicquam ab eo exprimere tormenta poſſint. Nam quod dici ſolet, honeſtam eſſe rationem quamlibet redimendi ſanguinis *l. 1. ff. de bon. cor. qui mort. ſibi conſcrv.* & notata *in l. tranſigere C. de tranſact.* vix eſt, ut Chriſtiana religio in hoc dæmoniaco remedii genere poſſit admittere. Peccatum enim mortale eſt, & contra caput primum primæ tabulæ quoties ad iſtas artes confugitur, per quas dæmon invocatur. Nec unquam faciendum eſt malum ut inde eveniat bonum. Nec denique pro ſalute hujua mortalis vitæ periculum, damnumque animæ unquam incurrendum eſt. Certe negari non poteſt, quin hoc ipſo valde ſuſpectus fiat, qui tam impiis artibus ſibi conſulit, ne veritatem prodere compellatur. Cùm etiam ob mendacium locus ſit torturæ, Clar *in pr. cr. q. 2. numero* 39. Quid autem ſi eæ chartulæ repertæ ſint, & ereptæ reo, priusquam quæſtioni dederetur? Novum fortaſſe indicium non eſt, quod ante habitam quæſtioni emerſit. Sed tamen verius eſt ſufficere, quod ſententiam de habenda quæſtione redditam emerſerit. Quia ſcilicet de eo non potuit cogitari ſententiæ tempore, *l. non poteſt ff. de judic.*

Reus autem ſufficienter tortus, ſi in negativa perſtiterit, & poſtea nova indicia contra illum ſupervenerint, ſi nova indicia differant ſpecie à primis, & de ſe ſint ſufficientia ad torturam, ut ſi reus fuit tortus ob indicium famæ, & alia adminicula, & poſtea ſuperveniat indicium ſuæ confeſſionis extrajudicialis cum aliis adminiculis, eſt iterum torquendus. Quia indicium famæ differt ſpecie quoad ſubſtantiam ab indicio confeſſionis extrajudicialis, & per primam torturam fuit purgatum indicium famæ tantum. Ut ergo purgetur etiam ſecundum confeſſionis extrajudicialis cum aliis adminiculis, eſt iterum torquendus, ut præ cæteris Pegna *p. 3. com.* 29. Farinac. *de indic & tort. q.* 38. *numero* 79. Clar. *d. q.* 64. Quered. *de indic. p. 2. cap 7. numero* 6. & Carena *p. 1. tit. 10. §. 20. numero* 148. *ac ſeq.*

Secus

Secus autem dicendum eſt, ſi nova indicia non differant à primis, ut ſi reus tortus fuerit pro indicio famæ, & poſtea ſuperveniant alii teſtes, deponentes ſimiliter de fama, non eſt iterum torquendus. Quia non dicitur novum indicium ſuperveniſſe, ſed nova probatio prioris indicii, ut notat Clar. *loc. cit.* Locat. *in Iudic. Inquiſ. numero tortura*, Cabal. *reſol. crim. to. 1. cent. 2. caſ.* 195. *numero* 43. Et quia indicia priora fuerunt per torturam ſublata, nec poſſunt amplius pro indiciis deſervire, ut per Farinac. *de inquiſit. q. 4. numero 29. in addit. poſt. 3. volum. conſil.* Franch. *dec.* 577. Giurb. *conſ.* 50. *numero* 42. & Caren. *ibid. numero* 150.

Pariter ſi reus fuerit leviter tortus, & indicia contra eum ſint valde urgentia, poteſt iterum torqueri, etiamſi nova indicia non ſuperveniant. Quia tunc non cenſetur plene purgata priora indicia. Cavendum tamen eſt, ne quid nimis ſeverum committatur. Sæpe enim contingit ob ſævitiam tormentorum multos fateri, quæ non commiſerunt. Ut autem intelligatur, quando per torturam indicia ſint plene purgata, judicio prudentis Iudicis commenſuranda eſt qualitas perſonæ, & tortura inflicta cum gravitate indiciorum.

Reo autem ſufficienter convicto, ſi torquendus ſit ſuper intentione, & complicibus danda eſt tortura cum clauſula, citra præjudicium probatorum, ne perſiſtendo in negativa, purget probationes, quæ contra ſe extant. Et dum torquetur, non eſt interrogandus de delicto principali, de quo eſt convictus, ſed tantum de iis, quæ ſpectant ad inveſtigandum intentionem ſuam, & complices. Si namque reus interrogaretur ſuper delicto principali, & perſiſteret in negatione, purgaret omnes probationes contra ſe ipſum factas, nec puniri poſſet, pœna ordinaria, ſed tantum extraordinaria. Et tunc proteſtatio nihil operatur, quia eſſet contraria facto. Secus verò ſi reus non interrogaretur, niſi ſuper intentione, & complicibus. Tunc enim ſi in negativa perſiſteret, damnandus eſſet ad pœnam ordinariam. Quia per dictam proteſtationem ſalvum redditur Fiſco jus illum puniendi, ut per Boër. *dec.* 163. *numero* 13. Villagur. *in pr. lib. 7. cap. 2. concl.* 4. Boſſ. *tit. de indic. ante tortur. numero* 130. Decian. *conſ.* 93. *numero* 20 *vol.* 2. Pitigian. *in pr. cr. p. 3. cap. 6. in addit. lit.* B. Binsfeld. *in com. de malef. & mathem. leg. 7. q. 1. concl.* 3 Souſam *in aph. lib. 2. cap. 39. numero 44. & ſeq.* Delrium *d, lib. 5. ſect. 9. §. cæterum ſi reus*, Dianam *p. 4. tr. 6. reſol.* 32. & Catenam *p. 3. tit.* 10. *§.* 24. aliique communiter.

Quoties autem tam apertæ ſunt criminis probationes, ut de facti veritate Iudex dubitare nequeat, non ſolum fruſtra, ſed etiam inique faciet, ſi reum quæſtioni ac tormentis ſubjiciendum eſſe pronunciet. Clar. *d. q. 64. numero 7. &* 8. Ita enim fiet, ut ſi nihil ab eo tormenta extorſerint, aut abſolvi poſtea debeat, aut ſaltem mitius puniri, pœna ordinaria in extraordinariam commutanda, idem Clar. *ibid. numero* 38. tametſi probationum jam natarum autoritas excepta ſit, quod his verbis fieri ſolet: *ſine prajudicio probationum reſultantium ex proceſſu.* Non poteſt enim exceptio illa facere, quin tanta rei patientia & conſtantia de probationum fide aliquid detrahat, aut commiſerationi, quæ ſinceræ juſtitiæ comes eſt, aliquid adjiciat. Et tamen iniquum ſit ob id ſolum aut abſolvi, aut mitius puniri reum, quod obſtinatam hominis pervicaciam tormenta non fregerint, ſicut & alia ex parte inhumanum fuerit, reum cui omnimodo capitale ſupplicium ſubeundum eſt, ſive in tormentis crimen fateatur, ſive neget, tormentis quoque ſubjici nulla veniæ ſpe recreatum. Ita enim fit, ut ex eodem crimine reus bis condemnari videatur contra *l. ſanctio legum ff. de pœn.*

Quamvis autem Salycetus *in l. ſi ſibi C. de adult.* & *in l. 3. C. ad leg. Iul. majeſt. & in l. ea quidem C. de accus.* & Gomez *to. 3. var. cap* 13. *numero* 25. teneant, reis pluries tortis, ac negantibus delictum, eſſe eorum cauſam indeciſe relinquendam, Eymericus tamen *p. 3. in inſtruct. circa quaſt. reo. numero* 159. ibique Pegna *com.* 39. tradunt, quod verior ſententia eſt, in hoc caſu, reum eſſe expediendum, & ejus cauſam decidendam, ac debito fine terminandam. Quia eſt vulgaris illa regula, quod actore non probante, reus debet abſolvi. *l. actor C. de probat. l. quid accuſate C. de edendo.* Quod latiſſime probat Gomez. *loc. cit.* Et ab hac ſententia non eſt recedendum. Unde idem Pegna cum Eymerico ibidem ait, reum ſufficienter tortum liberandum eſſe abſque aliis pœnitentiis.

In tormentis autem reus expoſitus, ſi voluerit detegere veritatem, ſi requirat Iudices, quod per ſententiam expediatur, illam non poterunt ei denegare, & ferenda eſt, quod de tali crimine, de quo fuit delatus, meritis proceſſus diligenter diſcuſſis, non invenitur probatum aliquid legitime contra eum. Ita Eymericus *loc. cit.* ubi notat Pegna, quod *numero* 157. ſingularis eſt, ac tutiſſima, & penitus obſervanda hæc Eymerici doctrina de non iterandis tormentis, niſi nova indicia ſuperveniant. Eam tamen tradunt communiter Doctores ſpeciatim Bartol. *in l. unus §. 1. ff. de quaſt.* Odofredus, Cynus, & Salycetus *in l. fin. C. de quaſt.* Alex. *lib. 1. conſ. 5. numero* 5. Nova autem indicia dicuntur, quæ à primis differunt ſpecie & ſubſtantia.

Si reus in tortura confeſſus ſit delictum, & deinde noluit illud ratificare, ſed confeſſionem factam revocavit, poteſt iterum torqueri, etiamſi alia indicia non ſuperveniant. Nam illa confeſſio primum facta in tortura, dicitur novum indicium ſufficiens ad novam torturam, ut per Bartol. *in d. l. unus §. reus, ff. de quaſt* & hanc opinionem eſſe communem ajunt Boſſ *tit. de tort* & alii, quos ſequitur Clar. *§. fin. q. 21. & d. q.* 64. Aliàs enim prima tortura eſſet omnino inutilis, quia omnis reus, ut pœnam evaderet, nunquam delictum ratificaret. Verum in hoc caſu vitanda eſt crudelitas. Immanis enim carnificum ſævitia eſſet, nimis reum in tormentis detinere, quia ratificare noluit.

Si præcedentibus indiciis ad habendam de reo quæſtionem ſufficientibus, quæſtio habita ſit, quæ criminis confeſſionem extorſerit, etiam extra tormenta, ut fieri ſolet, repetitam. Hoc etiam omnino neceſſarium eſt, alioqui non ſufficeret illa confeſſio ad condemnandum, Clar. *d. q. 64. numero* 40. ſecus eſt in ſpontanea, idem Clar. *q. 65. in princ.* quæri interdum ſolet, an confeſſus revocare confeſſionem poſſit. Et placet non poſſe. Confeſſio enim, etſi ſola ſatis non probet, Clar. *d. q.* 64. *numero 44. in fine, & q. 65. per totam*, poteſt tamen fieri, ut præterea cum ejuſmodi indiciis conjuncta ſit, quæ indubitate probent veritatem, cum non præcedentibus indiciis non poſſit haberi quæſtio, Clar. *p. 55. numero* 14. Itaque nil prodeſſe poteſt hoc caſu revocatio, niſi reus probet falſam, & erroneam fuiſſe confeſſionem. Clar. *d. q.* 64. *numero 44. & q. 55. n.* 18. ſaltem per indicia contraria.

Certum plane eſt, non eſſe quenquam de homicidio condemnandum, quantumcunque probationes urge-

urgeant, & indubitatæ videantur, adeoque licet confeſſio ipſius concurrat, quin prius conſtet de corpore mortuo, Clar. *q.* 55. *numero* 10. *& ſeq. & d. q* 64. *numero* 3. junctis iis, quæ idem tractat *q.* 4. quando dicatur conſtare de delicto. Quod audiendus non ſit perire volens *l. non tantum in fin. ff. de appel. l.* 1. §. 1. *&* 5. *ff. de quaſt. l.* 1. *ff. de S. C. Syllan.* Nec deſunt exempla multorum poſt reorum ſupplicia reverſorum, quod falſo occiſi dicebantur, ut teſtatur Clar. *d. q.* 55. *numero* 10. *&* 11. ſed tamen non debet ea res facere, ut ſi graviſſimis indiciis reus urgeatur, eo minus quæſtioni ſubjiciendus ſit, quod de corpore mortuo nondum appatear, puta ſi aliquando appareant aliqua indicia criminis, ut in caſu quem refert Clar. *d. numero* 11. ex Chaſſaneo *ſuper conſuet. Burg. & q.* 4. *numero* 4. Etſi enim is potiſſimum habendæ quæſtionis uſus eſt, ut extra per vim tormentorum confeſſione rei, ſequatur mortis aut naturalis, aut civilis condemnatio; eſt enim tortura præparatorium ad mortem vel naturalem, vel civilem, vel ſaltem ad pœnam corporalem; alioqui non procedendum ad torturam, Clar. *q.* 64. *numero* 4. Tamen fieri poteſt, ut ea reus in tormentis fateatur, ex quorum cognitione ſciri poſſit, ubinam gentium cadaver extet, ut de corpore mortuo conſtare queat, nec quicquam deſit ad infligendam condemnationem. Idque indubitatum cenſeo, ſi de morte ex maleficio, vel aſſaſſinio agatur. Nam & quod magis eſt, ſunt qui in hoc ſceleris genere admittendum putent, ut qoamvis de corpote trucidato non conſtet, perveniatur tamen ad ſententiam condemnatoriam, non ſolum propter immanitatem flagitii, ſed ob id etiam, quod hujuſmodi hominum genus curare ſoleat, quantum poteſt, ne uſquam cadaver teperiri poſſit, ut in caſu illo Chaſſanei & Julii Clari, & de Sagis extant exempla de cadaveribus elixis ad unguentum dæmoniacum parandum. Adde Ias. *in l. jurisjurandi C. de teſtib.* Boër. *q.* 164. *numero* 10. & Alex. *conſ.* 19. *lib.* 7. Videtur tamen ſufficere, ut conſtet de corpote mortuo per famam, ceù tractat Boërius ex Baldo, qoem citat *d. numero* 10. ſed & in iis, quæ ſont valde difficilis probatioois ſola fama criminis poteſt facere indicium ad torturam, idem Clar. *q.* 21. *numero* 1.

Quod dici ſolet, melius eſſe abſolvi nocentem quàm innocentem damnari *l. abſentem ff. de pœn.* facit, ot quoties incertum eſt, qui ex pluribus reis crimen patraverit, non ſolum ad ultimi ſupplicii condemnationem pervenire non oporteat, ſed nec ad habendam de hoc, aut illo quæſtionem, Marſil. *ſing.* 217. hoc procedit, cum apparet, fieri non poſſe, ut omnium condemnandorum juſta cauſa ſit. Incertitudo enim facit, ut uterque debeat abſolvi, cùm pœna eſſet corporalis, ſecus ſi eſſet tantum pecuniaria, quia tunc melius eſſet utrunque condemnari, oe delicta maneant impunita. Sic diſtinguit Clar. *q.* 60. *numero* 31. nempe cùm delictum non potuerit ab omnibus committi. Alioqui ſi tale crimen proponatur, quod ab omnibus committi potuerit, & cujus præſumptione omnes æque urgeantur, habenda erit de omnibus quæſtio, ſi aliud nihil obſtet præter incertitudinem, *Clar. in §. homicidium numero* 37.

Reum, qui bis tortus, bis in tortura confeſſus eſt delictum, ſed bis etiam ſuam confeſſionem revocavit, oolendo illam ratificare, eſſe tertiò torquendum, aſſerunt Clarus *§. fin. q.* 21. Gomez. *to.* 3. *var. d. cap.* 13. *numero* 27. Delrius *lib.* 5. *magic. q* 32. aliique apud ipſum, & Baiard. *ad Clar. loc. cit numero* 140: ubi ait, hoc eſſe relinquendom arbitrio Iudicis, qui conſiderare debet gravitatem delicti, qualitatem rei, & qualia præceſſerint indicia, quæ omnia eſſe poſſunt adeo urgentia, ut ipſe Iudex recte poſſit arbitrari, eum etiam tertio eſſe torquendum.

At Simanchas *de cath. inſtit. tit.* 65. *n.* 82. Canter. *in quaſt. crim. cap.* 2. *de prob. per teſtes q.* 1. *n.* 67. Locat. *in pr. Inquis. v. Tortura §. ſed pone*, Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 39. Sanchez *conſil. mor. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *n.* 14. Pegna *p.* 3. *com.* 39. Farinac. *q.* 38. *n.* 106. Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 24. multique alii docent, non eſſe tertiò torquendum, niſi in uno tantum caſu, quando bis leviſſime fuerit tortus, & in poſteriori tortura nova indicia priori confeſſioni addident. Quia confeſſio io ſecunda tortura facta, ex ſe non addit aliud novum indicium; nam eſt eadem cum prima confeſſione, ac proinde non eſt ſufficiens, ut reus tertió torqueatur. Nec ulla aſſignari poteſt ratio, cur tertiò torqueri poſſit, & non quartò, & amplius, quicquid dicat Delrius de hac conſuetudine, quæ non eſt generalis, neque ab omnibus approbata.

Si igitur reus, de quo habita quæſtio eſt, extra tormenta confeſſus, poſtea, id eſt ſequenti die, confeſſionem revocaverit, ductus ſcilicet ad banchum juris ad ratificandum ſuam confeſſionem, quomodo loquitur Clar. *d. q.* 64. *numero* 43. iterum torquendus eſt, ac ita ut ne amplius quam ſemel, ac iterum ex eadem cauſa torqueatur, ad hoc ſcilicet, ut in ipſa confeſſione perſeveret, ot ait Clar. *ibid.* tamen ut tandiu ſit torquendus, donec in confeſſione ipſa perſeveret, ſed ut poſſit de novo torqueri, tanquam ſi novum aliquod indicium ſuperveniſſet, quomodo explicat idem Clar. *q.* 21. *numero* 26.

At ſi reus extra tormenta confeſſus, poſtea confeſſionem revocare velit, non eſt audiendus, ſed perinde condemnandus, ſi non probet erroneam confeſſionem, id eſt ab alio, quàm á ſe admiſſum delictum fuiſſe, Clar. *d. q.* 64. *numero* 44. *& q.* 51. *numero* 18. aut niſi aliqoa urgeant indicia pro revocatione. Boer. *q.* 165. *numero* 2. *&* 3. Rationem afferunt, quoniam qui cogi poteſt, ut confiteatur, multo magis cogendus eſt, ut in confeſſione perſeveret, Grammat. *dec.* 34. *numero* 60. & *dec.* 72. *numero* 4. *Matthesil. ſing.* 55.

Extra indicium autem facta criminis confeſſio, ſi repetita ſit in tormentis, poſtea retractari ſine cauſa non poteſt, id eſt niſi per confitentem probetur erronea. Nam nec ante torturam poſſet retractari quod ad hoc, ut evitaretur tortura, ut contra quoſdam diſputat Clar. *q.* 21. *numero* 17. Ideoque poteſt ex hujuſmodi confeſſione ſequi condemnatio, licet alioqui ſtandum non ſit confeſſioni factæ in tormentis, ſi non extra tormenta quoque perſeveret Neque ſola extrajudicialis confeſſio ſufficit ad probandum, ſed tantum ad faciendum indicium ut de reo quæſtio habeatur.

Ex qoo apparet quanto magis verum ſit, confeſſionem factam judicialiter, & extra tormenta, meumque, id eſt. poſt habitam quæſtionem, ſi ei confeſſioni congruat, quæ in tormentis facta eſt, ſufficere ad condemnationem, neque prodeſſe reo, quod eam revocet ex intervallo, ſi non aliquas pro ſe habeat probationes, aot ſaltem indicia probabilia ad probandum, quod confeſſio ſit erronea. Quod ſi ex contrario indicia aliqua contra reum faciant, nemo eſt, qui dubitet, quin cum ipſius confeſſione juncta ſufficiant ad condemnationem. Non enim hoc caſu locum habet, quod tractat Boer. *q.* 165. *n. ult.* quod ſi exſtent indicia pro & contra, non debet reus condemnari. ſed abſolvi. Nam confeſſio rei, non indicium, ſed probatio eſt. Nec quicquam intererit, an in eadem inſtantia, anve in cauſa appellationis revocetur confeſſio, quæ fuit geminata. Appellatio enim extinguit duntaxat judicatum *l.* 1. *§. ult.*

nlt. ff. ad S C. Turpil. l. furti §. 1. ff. de his, qui not. infam. non autem confeſſionis factas in inſtantia. Devolvit enim litem in ſuo ſtatu ad Iudicem appellationis.

Illæ autem duæ vices inferendi torturam non niſi de duobus diebus interpolatis, intelligendæ ſunt ita, ut inter ſingulas quæſtiones vigintiquatuor horarum intervallum intercedere oporter, ne tormentorum ſenſus adhuc durare videatur, ne alioqui eorundem tormentorum poteſtate nova confeſſio extorta videretur, Clar. *q. 64. n. 41.* ubi ait, tormenta tunc debere ſaltem per unum diem, vel per unam noctem requieſcere. Quod etiam tradunt Farinac. *d. q. 38. n. 7. Pegna d. q. 3. com. 39.* Carena. *p. 1. d. tit. 10. §. 20. n. 154.* ac Delrius *lib. 5. magic. in 2. append. q. 33.* ibi nullius ait meminiſſe, qui ſcripſerit uno die bis, aut ter, juxta ſuam ſententiam, reperi torturam poſſe, niſi quod Bajardus ad Clarum videatur inſinuare, quod commune illud dictum Pauli Caſtrenſis, & aliorum fallat in atrocioribus. Et quidem limitatio æquitate non caret, & in criminibus ad S. Officium ſpectantibus non raro foret neceſſaria. Sic enim in atrocioribus ſceleribus pluſquam tres ictus in qualibet tortura dari poſſe docuit Carrer. *tr. de indic. & tort. fol. 163.* certa enim regula in hujuſmodi tradi non poteſt. Obſervandum eſt nihilominus ſupradictum horarum intervallum, ut ſcilicet terror, ac dolor præcedens reſideat, & novus metus, ac cruciatus gravior, formidabiliorque efficiatur.

In tormentis igitur confeſſus reus, aut, quod hac parte idem eſt, in metu ipſo tormentorum, metus enim tortura eſt, ſi deventum ſit ad ſpoliationem, & ligaturam ex Claro *q. 64. n. 3.* nonniſi poſt quatuor & viginti horas repeti debet, ac interrogari, an in eiſdem confeſſionibus & reſponſionibus perſiſtere velit, Clar. *d. q. 64. n. 41.* ubi tamen addit, hoc poſitum eſſe arbitrio Iudicis, qui ſecundum qualitatem torturæ illatæ judicabit, quanto temporis ſpatio præſumatur ceſſare dolor ac metus tormentorum. Concludit tamen permittendum eſſe torto, ut ſolum per unum diem, vel per unam noctem requieſcat, ne ſi ante interrogetur, durare adhuc tormentorum metus videatur, ut dictum eſt. Sane nec longius tempus ei dandum eſt, ne intervertendæ veritatis quam confeſſus fuerat, rationes comminiſcatur. Qua de cauſa nec ducendus etiam eſſet ad illos carceres, in quibus ſunt alii carcerati, ne ab ijs perſuaderetur ſuam confeſſionem revocare. Idem eſt, ſi quis torqueatur interpolatis diebus, ſeu vicibus, quod ſit cum plura ſunt contra reum indicia, & urgentia, Clar. *loc. cit. n. 33.* quo caſu omnes illi actus torturæ habentur pro unica tortura. Sed hoc non ſolet fieri, niſi in atrociſſimis criminibus.

Obſervanda inſuper eſt in inferenda tortura diſtinctio perſonarum, habita ratione conditionis apponendæ in decreto de torquendo, *quatenus vires.* Unde alia erit ratio de viro, alia de muliere ſecundum Guid. de Surar. *de indic. & tort. n. 19. verſ. ſed Iudex conſideret torquendo, cujus ſit fortitudinis, vel debilitatis, cujus valetudinis, cujus ætatis*, Roman. *in annot.* & Bald. *de quæſt. & torm. cap. 1. n. 7. verſ. Item fœmina, quia inſtabile cor habet*, Ambert. de Antra *de quæſt. & tort. n. 3.* Chartar. *in prax. de interrog. reor lib. 4. cap. 1. n. 210.* mulieres enim ſunt viris debiliores, & timidiores, Ariſtot. *hiſt. anim. lib. 9. cap. 1.* D. Thom. *p. 1. q. 92. ar. 1. ad 2. & 2. 2. q. 165. ar. 2. in concl. ad 1.* Bald. *in rub. n. 1. de probib. cohab. Cler. & mulier.* Buratt. *conſ. 146. n. 5. verſ. mulieres, quæ non timenda timere ſolent, ac in levioribus trepidare lib. 4.* Boccac. *ad Conſtit. Marth. gloſ. 8. n. 2.* latius Traquel *de leg. connub. l. 9. n. 158.* Picc. *ad ſtat. Urb. cap. 1. n. 151. gloſ. 2. n. 6.* & Zach. *in quæſt. medicoleg. lib. 5. tit. 2. q. 12. n. 26.*

Nec ad eandem menſuram ac indiſtincte quiſque torquendus eſt per textum in *l. 3. §. ignoſcitur ff. ad S. C. Syllan.* & ut arguunt Doctores per *l. quæſtionum modum 7. & l. de minore 10. §. 1. ff. de quæſt.* Marſil. *in d. l. 7. n. 71.* ex mente aliorum inquit, quod Iudex non debet per ſe arbitrari, ſed cum conſilio peritiorum ex ratione textus *in cap. ne innitaris de conſtit.* ibique Barbos. *n. 4.* ex Rub. *dec. 99.* relata à Ricc. *collect. 977. ſub. initio*, Fermos *in d. cap. ne innitaris q. 1. n. 10.* Unde conſtare debet de judicio peritiorum, an reus ſit torquendus, & per quantum temporis ſpatium.

Torturæ autem efficacia tanta eſt, quod omnia indicia quomodolibet contra reum prætenſa ex quovis capite, non obſtante quavis proteſtatione præſervativa iudicia, penitus purgantur, ſaltem quoad pœnam ordinariam, & talis proteſtatio reputatur contraria facto, ſi fuerit interrogatus ante torturam de omnibus in proceſſu contentis, ſcilicet an diſpoſuerit dicere veritatem indefinite ex conſilio Cephali 32. *n. 18.* Boſſ. *tit. de confeſ. n. 29. & tit. de indic. ante torturam n. 130.* Cavalcan. *de brach. reg. p. 3.* admittit, poſſe cum proteſtatione, quando Iudex habet brachium regium, at ſecus, ut ibi *n. 271.* vana eſſet proteſtatio, Chartar. *loc. cit. lib. 9. cap. 2. n. 68. 70. & ſeqq. & in tr. de execut. ſent. capto bannito cap. 2. n. 70. cum binis ſeqq.* Quia tunc abſolute proteſtatio dicitur contraria facto, & ab ea receſſum, Bercaz. *conſ. 53. n. 24. & 25.* in ſpecie proteſtationis *conſ. 150. n. 12.* ubi cenſetur veritatem dixiſſe, *& conſ. 209. n. 12.* ibi, & quod procedit etiam factis proteſtationibus per Iudices *conſ. 266. n. 1. 2. & 3.* ubi etiam factis proteſtationibus, *& conſ. 333. n. 6. & 7. & conſ. 408. n. 16.* & *conſ. 427. n. 1.* & *conſ. 528. n. 1.* Farinac. *conſ. 10. n. 18.* Lazzarin. *ſub eod. conſ. n. 39.* Arrigon. *n. 47. conſ. 11. n. 30. & conſ. 175. n. 19. & 20.* rejecta opinione contraria & in terminis proteſtationis inſufficientis *de indic. & tort. q. 40. n. 20. & ſeqq.* Ex quibus ſine dubio dici poteſt, hanc declarationem, uti veriſſimam communiter eſſe à Doctoribus receptam, ſignate *n. 25.* ibi & id quando Iudex in tortura interrogat, ſive monet reum ad dicendam veritatem, Guazzin. *tom. 2. defens. 30. cap. 40. n. 6.* Scannarel. *de carcer. viſit. lib. 2. §. 1. cap. 30. n. 9. & 10 §. 6. cap. 3. n. 8. 9 & 10.* ibique, declaratio procedit, etiamſi Iudex proteſtetur ſe procedere ad torturam ſuper una parte indiciorum tantum, quia habetur nihilominus pro illata ſuper omnibus, & per illius ſuſtentationem illa purgata cenſentur, Ciax. *ad reor. defens. diſcept. 8. n. 53.* de Ballis *de indic. & quæſt. q. 6. numero 7.* ubi de magis communi.

Quare definitive reus eſt abſolvendus, cùm talis etiam ſit virtus, ac efficacia torturæ præter ſupradicta, ut inſerviat pro teſtimonio veritatis, & facit dictum torti verum juxta theoriam Alberici communiter amplexam *in l. edictum n. 2. ff. de quæſt.* ibique Marſil. *n. 2. & in pr. §. quoniam n. 40. & 41.* ac fuſius *ſing. 226. n. 2.* ibi & magis videtur verum illud, quod dicit, & negat cum perſeverantia ipſe reus, qui melius ſcit, an deliquerit, quàm alius, Iodoc. *in pr. cap. 40. n. 3.* Boëer. *dec. 163. n. 14.* ubi ait, quod beatus homo, qui ſe omnino tenere potuit in tormentis, quoniam abſolvetur, & melior quàm ante accuſationem reputabitur ex Jacobo de Bellooviſio, quem in his terminis ſequitur Grammat. *dec. 96. n. 2. & 3. & conſ. 64. n. 10.* Zuff. *de legitim. proceſ. q. 60. n. 49.* quia tortura loco defenſionibus ſuccedit & loco teſtium habetur.

Alter torturæ effectus eſt in caſu, in quo agitur ex prætenſis delictis, à ſociis commiſſis, quod tortura illata uni ex dictis ſociis exonerat ab indiciis prætenſis alios ſocios ex ratione textus *in l. 1. §. ſiquis ultro ff. de quæſt.* juxta Richardi diſputationem, quam ibi commemora-

memorat Bartolus *n.* 5 Ubi firmat in hoc caſu tales defenſiones prodeſſe aliis de eodem crimine ſimul notatis, Marſil. *n.* 45. Oſaſch. *dec.* 70. *n.* 19. *&* *n.* 21. de communi exemplificans in exculpatione ſocii criminis, & pro conſtanti Farinac. *conſ.* 190. *n.* 14. & *conſ.* 138. *n.* 25. in principio, & hoc idem firmavit Portius *ſub eod. conſ. numero* 31, idemque Farinac. *cons.* 161. *n.* 1.

Idque præſertim quando in cauſa proceditur de veto Com. Cardinalium ſupremæ Inquiſitionis. Tunc enim non poterit Iudex executor inferre torturam ſocio criminis ex indiciis pro ſufficientibus tunc habitis ab eiſdem Eminentiſſimis, & poſtea enervatis per ſuſtentationem unius ſocii criminis ex vulgari regula, quæ de novo emergunt &c. de novo proponendus erit articulus pro nova reſolutione habenda. Nam licet decretum S. Congregationis fuerit, quod rei torqueantur, attamen illud erat executioni mandandum indiciis tunc præponderatis exiſtentibus per ea. quæ tradunt Doctores ex ratione textus in *d. l.* 1. *§. fin. ff. de quaeſt.* & ad rem Bald. *in l. addictos* 7. *n.* 3. *C. de episcop. aud.* & in *l. nn. n.* 45. *verſ. dicit Innocentius* quod ſi poſt confeſſionem & condemnationem de innocentia liquet, non debet fieri executio corporalis, ut ipſe notat, *C. de confes.* Felin. *cap. conſanguinei* 41. *n.* 7. ibi, quod per novam notitiam innocentia rei etiam confeſſi, & etiam condemnari debet ſuſpendere executionem, *de ſent. & re judic.* Chartar. *de execut. ſent. capto bann. in præfat. n.* 60. Eo magis in caſu, in quo agitur non de confeſſo, non de condemnato, non de convicto, ſed de eo contra quem ad ſummum prætendi poterint indicia remota & habentia dubitationem.

Porrò inter alios ægrotos, qui torqueri nequeunt, recenſendi ſunt Epileptici, ſive qui morbo comitiali afficiuntur, ut per Joſeph, Ludovic. *decis. Lucen.* 13. *n.* 52. Farinac, *de indic. & tort q.* 41. *numero* 93. Lucatel. *in comp. lucubr. de tortur. inſpect.* 4. *n.* 8. Late Giurb. *cons.* 8. & in ſpecie morbi comitialis Zach. *lib.* 6. *medicoleg. tit.* 2. *q.* 4. *n.* 8. Quod conſtare poteſt etiam ex atteſtatione ſacerdotum, de quorum integerrima veritatis fide non eſt dubitandum per textum *in can.* 1. *d.* 41. *can. in ſcripturis de* 96. & apertius in *can. abſit* 14. *caus.* 11. *q.* 13. ibi: abſit, ut quiſquam ſiniſtrum de his arbitremur, qui apoſtolico gradu ſuccedente Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, quamvis fides ſint extrajudiciales, cùm aliàs Rota unicæ atteſtationi extrajudiciali perſonæ religioſæ crediderit coram Mantica *dec.* 325. *n.* 1. *&* 2. & còram Panzirolo *dec.* 11. *numero* 9. *p.* 7. *recent.* & coram Merlino *dec.* 714. *numero* 16. in quibus agebatur de concludenda ſimulatione, eoque magis in hoc caſu, in quo agitur ad defenſionem inquiſiti.

Signa autem imminentia epilepſiæ ſunt nervorum trepidario, ſplendores inſtar iridis, oculis obverſantes, odoris fœdi ſenſus, vertigo, venarum ſub lingua flavedo. Præſentis veró ſubitus lapſus, membrorum nou proportionata ad materiam, ut vocant faciei contorſio, mugitus, ſtridor, vel arcta colliſio dentium, digitorum ſtricta conſtrictio, urinæ, vel fæcum involuntaria emiſſio, ſpuma ovi candido ſimilis, oblivio eorum, quæ præceſſerunt, inordinatus linguæ motus, capitis dolor & rotatio, pallor faciei, turbulentæ inſomniorum imagines, tenebræ oculorũ. Recte quidem, nam de pallore faciei certi ſumus ex aſpectu, & pariter de oculis turbulentis. Secundum enim Archid. *in can. nec ſolo numero* 1. animæ perturbatio, vel hilaritas in oculis apparet, *caus.* 32 *q.* 5. Zaccut. *de medic. princip. lib.* 2. *hiſt.* 113. *dub.* 64.

Quod prognoſin attinet Epilepſia morbus eſt diuturnus, contumax, in infantibus, ſenibuſque, ut plurimum letalis exiſtit. Epilepſia hæreditaria immedicabilis eſt, quæ à cauſis externia, & prava victus ratione originem ducit, curationem admittit, Comitiales quippe morbi, quibus ante pubertatem contingunt, depoſitionem accipiunt, at quibus quintum & vigeſimum annum agentibus fiunt, eos fere ad mortem uſque comitantur. Priores per ætatis decurſum ad his affectibus liberantur, quoniam poſt pubertatem fulgor emicans nativi caloris producitur, qui cauſas morbificas potenter diſcutit. Adde, quod tunc in fœminia menſtrua erumpant, per quæ impuritates corporis expurgantur. Poſteriores autem cum his affectibus commoriuntur, quoniam illi, ut plurimum inemendabili vitio cerebri corripiuntur.

Vehemens Epilepſia ſæpe in paroxiſmo ægrotantem è medio tollit, vel enim in apoplexiam degenerat, vel propter pravitatem ſymptomatum, & violentam cerebri concuſſionem tota illiua œconomia evertitur, ut interdum particulæ illius diffringantur, & aliquando proceſſum mammillarium portiunculæ per nares explodantur. Epilepſia ab humore melancholico oriunda in melancholicam inſaniam interdum tranſit, quando videlicet iſte humor à ventriculis cerebri in ſubſtantiam illius tranſmittitur. Etenim idem humor dum cerebrum, ut partem inſtrumentalem ventriculos obſtruendo, aut tunicas eorum divellendo afficit, Epilepſiam efficit; dum verò ipſam cerebri ſubſtantiam, quæ functionum principum ſedes eſt, ut ſimularem partem oſtendit, naturale ipſius temperamentum variando, & animales ſpiritus corrumpendo delirium melancholicum inducit. Unde Hippocrates *lib.* 6. *de morb. vulg. ſect.* 8. *aphor.* 54. inquit *atra bile vexari morbo etiam comitiali corripi magna ex parte conſueverunt; & morbo comitiali laborantes atra bile vexari.* Iſti affectus in ſe invicem dupliciter degenerant, vel per materiæ morbificæ tranſpoſitionem, & ſic uno exoriente, alter deſinit, vel per materiæ propagationem, & tunc uterque affectus permanet, Epilepſia pituitoſa diù perſeverans ſucceſſu temporis in apoplexiam, vel paralyſim deſinit.

Inſanabilem eſſe, ait Rota *dec.* 236. *numero* 1. *p.* 2. *recent.* Secundum tamen varias ſpecies, de quibus Fernel. *de part. morb. & ſymptom. lib.* 5. *cap.* 3. ubi plerunque leviter exiſtit, cujus non tam expreſſa ſunt ſymptomata; nam vertigini finitima hæc eſt ut quaſi medio ordine inter vertiginem, & Epilepſiam Cauſa interior traditur humoris pituitoſi, aut melancholici ingena copia, quæ repente cerebri ventriculos, meatuſque inficiens, efficit, ut æger cohibito animali ſpiritu, corruat. Concinit Sennert. *inſtit. med. lib.* 2. *p.* 3. *cap.* 9. *ſect.* 1. *&* 2. *cap.* 6. & *medic. pract. lib.* 6. *p.* 1. *cap.* 5. Difficilis juxta hiſtoriam relatam à Panarolo *obſer. medic. pentecoſt.* 4. *obſer.* 47. Incurabilis apud Tamburin. *de jur. Abbat. tom.* 1. *diſp.* 5. *q.* 21. *numero* 28. Conciliantur juxta diſtinctionem ſuperius traditam.

Requiritur igitur ad hujuſmodi ægrotos torquendum judicium peritorum juxta *cap. ſignificaſti de homic.* ibi: *ut peritorum judicio medicorum*, ubi Barbos. *numero* 3. ſaltem duo, Bertaz. *cons.* 33. *numero* 12. Franc. Marc. *dec.* 70 *numero* 3. *p.* 2. Guazzin. *to.* 2. *defens.* 30. *cap.* 16. *numero* 1. aliique relati à Giurba *d. cons.* 8. *numero* 2. Medici autem, & non chirurgi, ſive Medici vulnerarii, qui non ex dignoſticis intrinſecis, ſed extrinſecis, tantum arguunt, & in ocularibus morbis, tumoribus, & apoſtematis verſantur, ut per Mercat. *in inſtit.* ad uſum & examen eorum, qui luxatoriam exercent artem, & per Petr. Servium *in ſuis inſtit. lib.* 3. *de chirurgia cap.* 2. *in princ.* quæ manualem operationem ſignificat, quæque complectitur omnia, quæ morbis curandis manus adhibentur.

Tem-

Tempus quoque torturæ menſurandum eſt, ut ſi decerneretur tortura per ſpatium mediæ horæ *circiter*, hæc dictio ex ſubjecta materia & ex ſua eſſentia, ſemper ad tempus, quamvis non determinatè. Speculat. *in pr. p. 2. lib. 2. de diſput. & alleg. Advoc. §. poſt hoc numero* 9. Barbos. *dict.* 15. *numero* 16. & eundem ſenſum habet dictio *circa*, quæ in hac re accipienda eſt continuativè ultra mediam horam, hoc eſt ad hora quadrantem, Redohan. *de Eccleſ. non alien. q.* 10. *numero* 16. Grat. *dict.* 29. *numero* 2. Romæ graviſſima tortura eſt per ſpatium horæ ex Conſtitutione Pauli III. 71. *alias* 44. *rub. de judic. crim.* §. 31. ſicque peritos Iudices, ac Medicos conſuluiſſe, conſtat ex Follet. *in pr. v. rei indurati numero* 16. Ubi ratò ultra horam, Chartar. *in pr. interrog. reos lib.* 4. *cap.* 1. *numero* 113. ubi ad ſummum per integram horam, ut qualitas delicti ac perſonæ & indiciorum poſtulat, præcipue ſi indicia debilitata ſint per torturam complicis, ut per Farinac. *de indic. & tort. q.* 38. *n.* 47. *& leg.* ubi ait, quod ad hanc torturæ ſpeciem nunquam Iudex devenire debet niſi prius indicia ſint urgentia, & bene probata, & ob id reus ſit ſuſpectiſſimus, & quod habeat membra robuſta, & quod crimen ſit atrox, & ſcandaloſum, ut puta ſi eſſet furtum magnæ rei, vel ſacræ, vel aliud turpe ſacrilegium, aut ſacrorum abuſus, aut homicidium grave, vel falſitatis litterarum Apoſtolicarum & ſimilia *numero* 54. cùm verè caſus ſit ad menſuram ſecundi, vel tertii gradus juxta notata per eundem Farinac. *loc. cit.* quod repetit Guazz. *d. to.* 2. *defens.* 30. *cap.* 22. *numero* 5. Scannarol. *de carc. viſit. lib.* 2. §. 6. *cap.* 3. *numero* 5. Ciarlin. *controv. to.* 2. *cap.* 181. *numero* 69.

Unde illa continuatio ultra mediam horam refertur ad exceſſum, cui ſi conjungitur & negativa complicis in tortura, ex qua remanſerunt vel extincta, vel debilitata omnia indicia contra reum adeo, ut contra ipſum nõ videatur eſſe locum torturæ, ac etiam negativa rei per curriculum ſemihoræ, & ultra, certè nedum repetitio, ſed illa exceſſiva continuatio videtur ſine indiciis illata, & ſic ſi fieret confeſſio, eſſet invalida, Foller. *in pr. v. etſi confiteantur nu.* 1. ubi ampliat, etiamſi agatur de crimine læſæ majeſtatis, & Iudex haberet liberum arbitrium *n.* 32. nec convalidari, etiamſi poſtea ſupervenìſſent indicia, Baldas. de Angel. ibi *in addit. numero* 1. ac etiamſi eſſet ratificata, Farinac. *tract. q.* 37. *n.* 100. & à *n.* 115. præſertim Romæ ex conſtitutione Pauli III. de qua Scannarola *d. lib.* 2. §. 7. *numero* 1. & ante eum Chartar. *d. lib.* 4. *cap.* 1. *numero* 51. *&* 133. ac fuſe Guazzin. *d. defens.* 30. *cap.* 38. *ac* 39. Nam tortura non infertur ad liquidandum delictum, cùm debeat prius de delicto liquere plene & concludenter, ſed ad liquidandam perſonam delinquentis, contra quam urgere debent indicia à Doctoribus ponderata, Brunor. à Sole *q.* 51. *numero* 186. Huazzin. *cit. defens.* 30. *cap.* 4. *numero* 26. & Cizzar. qui alios congerit *diſcept.* 22. *numero* 41.

Ex quibus ſatis liquet quod in hoc caſu non ſit locus repetitioni, & quod attendi debeat confeſſio rei facta in exceſſu primæ torturæ continuato per ligaturã manuum ſpatio trium circiter horarum. Unde ſtandum eſt revocationi primæ in omnibus, ac per omnia, etiamſi in repetitione confeſſus iterum fuerit, & poſtea non integram confeſſionem revocaverit, ſed illius partem, quia non afficit, attenta injuſtitia repetitionis, ut in ſpecie Farinac. *d. q.* 38. *numero* 78. *&* 82. & longa carceratione, ut per Giurb. 6. *d. cons.* 8. *per totum.*

Quod ſane comprobarent rei confeſſiones inconſtantes in tormentis juxta notata per Metend. *cons.* 91. *numero* 40. *lib.* 2. cùm ſatis dicatur de errore confeſſionis conſtare quotieſcunque viget metus, ut de communi Giurb. *cons.* 16. *numero* 12. Quia formido tormentorum ſemper durare præſumitur, donec nõ ſolum tortus, ſed territus ab eodem Iudice in carceribus detinetur, Petr. Calophat. *inter cons. crimin. diverſ. conſ.* 93. *numero* 22. & *ſeq. lib.* 2. & faciunt quæ ponderat Farinac. *q.* 43. *numero* 20. Quare ſemper urgeret negativa illa rei in prima tortura ſpatio ſemihoræ & ultra, neque ratificatio facta in parte confeſſionis in tortura, indebite repetita, habenda eſt, in conſideratione, ut per Bero. *q* 126. ubi ait quod ſiquis dicat primo ſe homicidio domi facto interveniſſe, poſtea dicat, illud in Eccleſia factum fuiſſe, confeſſio hujuſmodi, tanquam non certa, non nocet; nec dicendum eſt, quod enim ſimpliciter id, quod ab eo dictum eſt ratificaverit ipſe, confeſſionem ſecundam ratificaverit, quia ipſe generaliter ratificavit, & confirmavit id, quod ſemel dixit, & confeſſus eſt. Ideo ratificatio, tanquam generalis, & non ſpecifica non debet magis ad ultimam, quàm ad primam confeſſionem referri, & ſi ad utramque referretur, eſſet contraria, & incerta; quo fit, ut nocere non debeat, & quia confeſſio & probatio dubia non nocet, cum aliis, quos in id refert de Ballis *de quaſt. & torm. q.* 24. *n.* 1. *& ſeqq.*

Virtus quoque torturæ eſt quod qui infamis eſt, ſive juris, ſive facti infamia, adeo parum idoneus teſtis eſt in criminalibus, ut ne quidem indicium faciat ad habendam de reo quæſtionem quia teſtis infamis nullam poteſt fidem facere ſine tormentis Clar. *q.* 25 *in princ.* Excipe cauſam *l. famoſi ad leg. Iul. Majeſt.* & *cap. in fidei favorem de heret.* ut alibi diximus. Cui ſimilis ille eſt, qui ſe criminis ſocium fatetur. Hic enim propriam ſibi turpitudinem objicit. Sed tamen ſi quod extra tormenta teſtati ſunt, in tormentis repetierint, facient indicium, quod antea non fecerant, ut ex iis videre eſt, quæ tractat Clar. *d. q.* 35. ubi addit aliud exemplum de teſte vario & vacillante, qui firmat dictum ſuum in tortura. Idem de vili perſona etſi hoc tandem relinquat arbitrio Iudicis. Ideoque licet nihil priori teſtationi adjecerint, tamen quaſi ex nova cauſa locus erit habendæ de reo quæſtioni. Nec novum eſt, ut teſtis perſona, quæ alioqui minus eſſet integra, per patientiam tormentorum integra fiat.

Cui verò gratia criminis capitalis facta eſt à Principe; nec enim dubitatur, quin poſſit Princeps cujuſcunque criminis gratiam facere, Clar. *q.* 59 *per totam*, ſi ſocios criminis indicare nolit, licet de crimine graviſſimo agatur, puta quod ad læſæ majeſtatis divinæ, aut humanæ cauſam pertineat, non ideo torqueri poteſt. Abſurdum enim eſt, & iniquum torqueri pro aliorum delictis eum, qui proprii gratiam meruerit *l. ſancimus C. de pæn. & l. ult. C. de accuſat.* niſi tot condemnationis, aut habendæ quæſtionis cauſæ concurrant, ut beneficio Principis indignus videri debeat, ut ſi obrepſerit, vel ſubrepſerit Principi, Clar. *ibid. n.* 9. Quod cum evenit Principem ante omnia conſuli, in eamque rem ad eum reſcribi oportet, ut *in l. ſiquis filius §. quid tamen, ff. injuſt. rupt.*

Quoties autem juſta aliqua cauſa eſt, propter quam Epiſcopus & Inquiſitor putent moderatiorem habendam de reo quæſtionem, pro modo ſcilicet indiciorum, & qualitate criminum, ac perſonarum, Clar. *d. q.* 64. *numero* 33. debent ſecretiori placito id conſtituere, non eo ipſo, quod reo pronunciandum eſt, ne alioqui obſtinatioris mendacii materiam ea res præbeat reo. Illud ſane frequentius eſt, ut ei, qui quæſtionem habiturus eſt, in ſecretis mandatis detur, ne ſeverius, & inhumanius reum torqueat, puta modis exquiſitis, & non conſuetis, quod ſiquis adhibeat, hoc ipſo teneri debet, ſicut etſi torquendo modis conſuetis excedat modum conſuetum ita, ut, ſi forte reus in tortura moriatur, Iudex teneatur de homicidio, ſi exceſſerit dolo malo, aut ſi culpa, ſaltem juxta modum

Digitized by Google

dum culpæ, Clar. *d. q.* 64. *numero* 36. *& ſeq.* Quemadmodum ex contrario interdum, ſi criminis probationes, delictique circumſtantiæ id exigant, mandari ſolet, ut reus omnino inhumaniter & tanquam cadaver torqueatur, ſcilicet cum Iudici conſtitutum eſt, reum omnimodo ultimo ſupplicio affi- cere, etiamſi in tormentis negare perſtet, ob evidentes, quæ aliundè ſuppetunt criminis probationes. Quod tamen nunquam ſaciendum eſt, niſi ut detegantur ſocii criminis, idque cum proteſtatione, quod id fiat ſine præjudicio vel confeſſi, vel convicti criminis, ut per Clar. *d. q.* 64. *numero* 7. *&* 8. ubi addit, moderate torquendos eſſe, de quo ſupra; nullo tamen in eam rem decreto conſcripto.

Poſtquam autem Epiſcopos, & Inquiſitor mandaverint, ut à tortura reus deponatur, brachia adaptentur, & reveſtiatur. Mandare etiam debent, ut ad locum ſuum reportetur cum clauſula, illum torturæ iterum ſubjiciendum, quatenus opus ſit, ut advertit Clar. *d. q.* 64. Gilhauſen. *ſect.* 3. *numero* 51. Chartar. *in pr. interrog. reos lib.* 4. *cap.* 1. *numero* 116. Caren. *p.* 3. *tit.* 10. *§.* 23. *numero* 173. Deinde ſi reus confeſſus ſit, ut ad ejus condemnationem procedatur, neceſſarium eſt confeſſionem ſuam ratificare, ut patet ex Gloſſa *in l. ſervus C ad leg. Jul. de vi publ.* & tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 65. *numero* 67. Suarez de Paz. *in pr. to.* 1. *p.* 5. *cap.* 3. §. 13. *numero* 23. & *ſeq.*

Ratificatio verò delicti commiſſi, & confeſſi in tortura, fieri debet extra locum tormentorum, ut notatur à Gloſſa *in l.* 2. *v. aliquid C. quae. appel. non recip. & in in d. l. ſervus C. ad leg. Jul. de vi publ.* & à Simancha *de cath. inſtit d. tit.* 65. *n.* 67. Et ut advertit Farinac. *de hæres. q.* 185. *§.* 8. *numero* 150. ad effugiendam ſuggeſtionem, non lecta præcedenti confeſſione, moneatur reus ad repetendum, quod in ſua confeſſione per torturam, vel per quid aliud ſimile in effectu dixerit. Sicque per ipſum repetita dicta confeſſione in ſubſtantia, legatur poſtea per extenſum eadem confeſſio, & requiratur ab ipſo reo, an ea, quæ ipſi lecta fuerunt ſint illa eadem quæ confeſſus fuit per torturam, vel per quid aliud ſimile, & an ea tanquam vera confirmare, ſive ratificare velit, atque intendat.

Quando autem fieri debeat huiuſmodi ratificatio, Bartolus, & alii *in l.* 1. *§. Divus ſeverus ff. de quaſt.* docent, relinquendum id eſſe arbitrio Judicis. Putat tamen Gomez *tom.* 3. *var. d. cap.* 13. *numero* 24. quod tranſire debeat ſpatium unius diei naturalis vigintiquatuor horarum. Idemque ſentiunt Pegna *p.* 3 *direct. com.* 39. *numero* 158. & Sous. *in aph.* qui recte ſubdunt benignius eſſe, hanc ratificationem fieri poſt duos, vel tres dies ex tempore, quo inflicta fuit tortura, ne adhuc tormentorum dolor, ac vehemens animi turbatio durare videatur. Et ideo Inquiſitores in tertium diem ratificationem rei differre ſolent, ut notant Simanch. *de cath. inſtit. d. tit.* 65. *numero* 71. ac Miranda *in ord. indic. to.* 2. *q.* 26. *ar.* 17. *concl.* 5.

Si autem reus confeſſionem factam in tortura revocaverit, & poſt revocationem iterum illam confeſſus fuerit, valet hæc ejus confeſſio, ut ad pœnam ordinariam poſſit condemnari, ut per Canter. *in quaſt. crim. cap.* 2. *de prob. per teſt. q.* 1. *numero* 67. cum aliis, quos ipſe adducit.

Item ſi confeſſio in tortura fuerit extra torturam ratificata, & poſtea reus allegaverit ſe erraſſe in dicta confeſſione, & illam revocaverit, ſi errorem probaverit, cenſenda erit revocata, ut per Clarum, Boſſium & alios, quos ſequitur Cabal. *cent.* 2. *caſ.* 86. *numero* 4. Si autem errorem non probaverit, non iterum ad torturam deveniendum erit, ſed ad condemnationem.

Denique reus tortus, & negativus vel fuit tortus cum ſemiplena probatione tantum, & fuit negativus, & non eſt puniendus neque pœna ordinaria, neque extraordinaria, ſed eſt abſolvendus, Vel fuit tortus cum pluſquam ſemiplena probatione, ſi fuit negativus, non purgavit in totum qualitatem delicti, & ideo non eſt ſimpliciter abſolvendus, ſed aliqua pœna arbitrària puniendus. Ita ſtatuit Inſtructio Toletana anno 1561. *numero* 54. teſtaturque Cantera *loc. cit. cap.* 2. *q.* 22. *de reo*, ita communiter ſervari in S. Officio Inquiſitionis, Hiſpaniciæ. Idem docent Ricc. *p.* 1. *dec.* 73. *numero* 8. Binsfeldius *de malef. leg.* 7. *q.* 1. *concl.* 26. Boſſ. *tit. de inquis. numero* 30. Clar. *d. q.* 64. *numero* 38. ac Diana *p.* 4. *tr.* 6. *reſol.* 33. Et quamvis Simanchus *d. tit.* 651. *numero* affirmet, quod ſi reus in tortura negativus perſeveraverit, purgat omnia præcedentia indicia, tamen accipiendus eſt ſano modo, ſi nempe indicia arbitrio Inquiſitorum erant talia, ut per torturam cenſeantur purgata, ut notat ibidem ipſe Diana, & ita etiam accipiendum eſt, quod de hac re à nobis dictum eſt. Igitur quando indicia fuerunt gravia, & valde urgentia non purgantur per torturam quoad pœnam extraordinariam.

Porrò ſicut in tormentis quoque qui eſt locus frequentiſſimus; cùm pars altera quæſtionem, vera fatendi neceſſitatem vocet; altera ſæpe etiam cauſam falſa dicendi, quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas neceſſarium. Quid attinet plura de his? Crebra, imo quotidiana ſunt exempla. Quædam tamen in hac parte erunt propria cujuſque litis. Nam ſive de habenda quæſtione agetur, plurium intererit quis, & quem poſtulet, aut offerat & in quem, & ex qua cauſa: ſive jam erit habita, quis ei præfuerit, quis, & quomodo ſit tortus, an credibilia dixerit, an inter ſe conſtantia, perſeveraverit in eo, quod cœperat, an aliquid dolore mutaverit, prima parte quæſtionis, an procedente cruciatu, quæ utrinque tam infinita ſunt, quàm ipſa rerum varietas.

Parerga, quoad S. Officium eaque pauca, hæc ſunt. Tortura minuit abjurationem, quæ aliàs fit major, & quandoque inhabilis ad torturam abjurat. Quod ſecus eveniret, ſi inferretur ei tortura.

Tortura interdum remittitur ratione dignitatis inquiſiti.

Carcerati non debent pro tortura inferenda transferri ad palatium Epiſcopi; ſi autem Epiſcopus vult intereſſe torturæ, debet accedere ad S. Officium.

Epiſcopus in inferenda tortura adhibere debet aliquem ex ſuis Conſultoribus Iuriſperitum.

Epiſcopus carceratus interrogatur ſimpliciter ſuper intentione abſque tortura, quæ ratione dignitatis ipſi condonatur.

Inquiſitores in cauſis gravibus non debent devenire ad torturam, & actus irretractabiles, inconſulta S. Congregatione, niſi rei, ac temporis circumſtantiæ aliud permiſerint.

Tenetur Inquiſitor communicare proceſſum cum ordinario ante torturam. Non tamen tenetur mittere illius originalem ad domum Epiſcopi, nec è contra Epiſcopus ad domum Inquiſitoris, ſed communicatio & exhibitio proceſſus debet fieri in loco, in quo eſt conſtructus.

CON

CONSULTATIO CLXII.

De Sententia contra Hæreticos, atque alios in S. Officio inquiſitos cum, aliquot Parergis, ſive effatis.

PArtes Iudicis præcipuæ in judicando conſiſtunt, ideoque poſtquam materia diſpoſita eſt, ac inſtructum plene eſt judicium, ac ejus eſſe juriſdictionem conſtat, & de litigantium, ſive de reorum conditione, editioneque plena omnium facta vel per ipſos, vel per eorum procuratores, vel advocatos negotium ex integro explanatum fuit, non debet morari Iudex ſententiam ſuam.

Sententia Iudicialis eſt idem, quod judicium, nempe pronunciatio ejus, quod bonum, & æquum in propoſita controverſia Iudici videtur *l. ſi inti §. ſed ſi quæratur ff. ſi ſerv. vend. l. in propoſita ff. pro ſoc.* & *l. hac venditio ff. de contrah. empt.* abſolvendo, vel condemnando *l. 1. ff. de re judic.* vel judicium poſtremum ſuſpendendo, quod fit per interlocutoriam ſententiam. *Sententiam*, inquit Iulianus, *dicere æſtimatur is, qui ea mente id pronunciat, ut ſecundum hoc diſcedere eos, qui litigant, à tota controverſia velit, in l. dicere 23. ff. de recept. arb.* Iudicatum autem eſt id, de quo ſententia lata eſt, aut decretum eſt interpoſitum, ut dicitur *l. 2. ad Herennium.* Et rurſus Cicero clarius *de invent. Iudicatum eſt res aſſenſione, aut autoritate, aut judicio alicujus, aut aliquorum comprobata. Id tribus generibus ſpectatur, religioſo, communi, & approbato. Religioſum eſt, quod jurati legibus approbarunt. Commune eſt, quod vulgo omnes approbarunt, & ſequuti ſunt. Hujuſmodi ut majoribus natu aſſurgamus, ut ſupplicum miſereatur. Approbatum eſt, quod homines, cùm dubium eſſet, quale haberi oporteret, ſua conſtituerunt autoritate.*

Sententia duplex, interlocutoria, & definitiva. Interlocutoria eſt, quæ non decidit principale, vel in totum non finit negotium, ſed quæ ad principalis inſtructionem pertinet, & improprie ſententia dicitur, ac proinde *in tit. C. de ſententiis*, & interloquotionibus omnium Iudicium diſtinguitur à ſententia interloquutio. Ad hanc interloquutionem pertinent commiuationes, epiſtolæ ſubſcriptiones Iudicum *l. 2. 4. 5. 6. C.* comminat *vel epiſtol. &c. rei judic. autoritat. non haber. Quod enim magno conflictu ſententia decerni ſolet*, ut ait Conſtantinus Cæſar l. fin. C. eod. & l. fin. C. ſi per vim, vel alio mod. *id paucis litteris temere deſcriptis, definiri fas non eſt.* Id ipſum intelliges, ſi Iudex ſuadeat litigantibus, ut concordent, non enim tollit ideo illis actionem *l. ex ſtipulatu C. de ſent. & interloq. omn. iudic.* & ſic in ſimilibus. Tot enim ſunt interloquutoriæ ſententiæ formulæ, quot ſunt occaſiones interloquendi, Felin. *in rubr. de re judic.* & Bartol. *in l. quod juſſit. ff. eod.*

Definitiva ſententia contra eſt, quæ totum negotium terminat, & facit abſolvendo, vel condemnando *l. 1 ff. de re judic. l. 3. C. de ſent. & interloq. omn. Iud. l. 1. & tot. tit. C. ſent. reſcind. non poſ.* & *can. illa de accuſ.* Et propterea poſt definitivam ſententiam Iudex, qui pronunciavit, Iudex eſſe deſinit ejus negotii, ex quo nullum dubium ſupereſſet perfecta definitione debet in *l. Paulus reſpondit*, & *l. Iudex poſteaquam ff. de re judic. l. ſi operis* & *l. pœnam C. de pœn.* Neque eam emendare poteſt *l. 1. C. de ſenten. ex pericul. recit.* cùm tamen diverſum ſtatuatur in interloquutoria *l. quod juſſit ff. de re judic.* paucis exceptis, in quibus Iudex non poteſt etiam interloquutoriam revocare, ut notat Lanfranc. *ad cap. quoniam, v. interloquutiones numero 46. ac ſeq. de prob.* Ut ecce primo, ſi Iudex per interloquutionem deſinat eſſe Iudex, veluti ſi declaret ſe incompetentem Iudicem *l. dicere autem ff de recep. arb. cap. ſignificationibus de Offic. deleg.* Secundo ſi Iudex ferat ſententiam abſolutoriam ab obſervatione judicii, Angel. *in l. 1. C. ſent. reſc. non poſ.* Tertio quando exequutio ſequuta eſt interloquutionem, ex qua jus quæſitum eſt alicui, Bartol. *in l. poſt ſententiam C. de ſent. & interloc. omn. Iud.* Sed & quando retractatio interloquutoriæ permittitur, bis tantum licet, *l. un. junct. rubr. C. ne lic. in una, & ead. cauſ. ter. prov.* Et ſi cauſæ ſint graviores, & alicujus ponderis, neque ſemel, niſi cauſa cognita *l. à precedente C. de dilat.*

Feruntur iſtæ ſententiæ de contentionibus in judicium deductis *l. ut fundum ff. com. divid. l. illicitas §. veritas ff. de Offic. Præſ. cap. licet Heli de ſim.* & à Iudice, uti impoſita eſt judicandi neceſſitas *l. fin. §. judicandi ff. de mun. & hon.* & decidendi aliqua ſententia lites. In dubio enim ſi quidem agitur de facti quæſtione, poteſt abſolvere, nulla aut aliqua, ſed non ſufficiente propoſita probatione; *l. qui accuſare C. de eden.* At in facto, de quo conſtet, de jure hodie non licet dubitare Iudici, ſed bene, aut male, nodum debet diſſolvere, aut rumpere *l. cum reus C. de pœn.* alioquin ſi moras nectat Iudex, appellatur ab eo ob denegationem, ut dicunt, juris, vel juſtitiæ *juxta §. ſi vero, ut diſc. Iud. in auth. & §. non permittere de mand. Princip. eod.*

Neque hodie admitteretur illa formula judicandi *non liquere*, qua uſi ſunt antiqui, quando litigantium contentiones paribus conſtabant calculis, utrinque adductis paribus rationibus, ut Iudex cogeretur pronunciare, *non liquere*, ut ſi creditor aſſerens mutuum debitum cum debitore æqualis probitatis dicente ſolviſſe, concurreret. Ut fuit etiam in judicio & ſcholis ſæpe agitata controverſia, & adhuc lis ejus ſub Iudice, num is qui jactum retis emit, poſſit petere ſiquid pretioſius ipſis piſcibus, veluti aurum, captum ſit, quæ orta fuit olim inter Jonicos juvenes, qui jactum emerant, & Mileſios piſcatores, qui poſt venditionem, tripodem, menſamque auream mari extraxerunt, quæve ex Senatu Mileſiorum ad Apollinis judicium rejecta. Meminit de hac quæſtione, & ſimilibus Val. Max. *lib. 4. cap. 1.* Sueton. *lib. de illuſtr. reth.* Diogenes Laert. *lib. 1.* Implexa & involuta fuit etiam ea controverſia inter Protagoram, & Evathlum adoleſcentem, de qua Aul. Gell. *lib. 5. cap. 10. &* Diog. Laert. *in Protagora.* Aliud exemplum veneficæ apud eund. Aul. Gell. *lib, 12. cap. 7.*

Cicero etiam ad Officium Iudicis pertinere ait 3. *Offic.* & Val. Max. *lib 7. cap. 2.* quædam judicare nolle, ſicuti Licinius Fimbria, vir conſularis, noluit judicare de ſponſione facta à Marco Luctatio equite Romano, ſane honeſto, num vir bonus eſſet. Sapientet enim Iudex pronunciavit, ſe nunquam illam rem judicaturum; ne aut ſpoliaret fama probatum hominem, ſi contra judicaſſet, aut ſtatuiſſe videretur, virum bonum aliquem eſſe, cùm ea res innumerabilibus Officiis, & laudibus contineretur. Sicque plerunque Iudices coguntur judicium differre, quod certa ſententia non poſſunt ratione aliqua plene componere. Quare lites quædam remanent diutius ſub Iudice, & tempus aliquando quædam poſtea docet, quæ ſuſpenſas lites facilius poſſunt ſolvere.

Studere porro debet, ut quantum induſtria, & ingenio conſequi poterit, id in evolvenda difficultate impendat, allegata & probata primum conſideret *d. l. illicitas § veritas ff. de Offic. Præſ. can. iudicet 3. q. 7.* Tum in omnibus judiciis præteritam vitam conſiderare oportet, tum in cauſis S. Officii maxime, in quibus ipſa vita accuſatur; cum non poſſit facti proba-

probationes ex Officio ſupplere, quamvis in jure, quæ deſunt advocatis & clientibus eorum ſuppleat, *l. unica de advoc. in part. ſuppl. l. enim, quem temere ff. de jud.* Concipiet litis capita & quæſtiones, conferet rationes, & reſponſiones, dividet ſeparata, & ſi plures quæſtiones concurrant terminandæ, majorem præferet minori, & prius de majori, & de criminali, quam de civili; niſi utraque una ſententia poſſit decidi, puta quod, una in alteram inciderit, *l. pæn. & fin. C. de ord. cognit. l. 1. C. de iis, qui accuſ. non poſ.* Præjudiciales præponendæ ſunt in deciſione quæſtiones quoque. Nam & illæ natura aliis priores ſunt, veluti prius de conventione, quam reconventione *l. 1. C. de iis, qui accus. non poſſ.* prius de vi & poſſeſſione, quam de proprietate *l. qui cætum §. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ.* & ſic de ſimilibus, quæ ſervato ordine debent prius, vel poſterius præcedere. Quod autem prudentior debeat eſſe Iudex in deprehendendo ſcelere, quam reus in admittendo, hoc eſſe in cauſa puto, quod alter tantum pro ſe cogitat, alter pro parte utraque.

Nunquam aberrabit Iudex, ſi ſecundum leges judicet; nam & ſecundum leges, ut judicet, habet in mandatis, *l. nemo C. de ſent. & interloquut. omn. Iudicum.* Cicero *pro Cluentio* & hoc ipſum & partes alias Iudicis his verbis cedro, atque auro dignis, concludit: *Eſt ſapientis Iudicis meminiſſe ſe hominem, cogitare ſibi tantum eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit, & creditum. Et non ſolum ſibi ſoli poteſtatem datam, verum etiam fidem habitam eſſe, meminiſſe poſſe quem oderit, abſolvere; quem non oderit, condemnare; & ſempre non qua velit ipſe, ſed quid lex, & religio cogat, cogitare. Animadvertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, qua res in quæſtione verſetur, cum hæc ſunt videnda; tum illud eſt hominis magni, Iudicis, atque ſapientis, habere in conſilio legem, fidem, religionem, æquitatem. Libidinem autem, invidiam, metum, & cupiditates omnes amovere, maxime æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à Deo immortali accepimus, quæ a nobis divelli non poteſt.* Quod poſtremum idem repetit 3. *Officiorum*, ita inquiens: *Cum Iudici dicenda ſententia eſt, meminerit ſe Deum habere teſtem, id eſt, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius.* Cavere & debere ab odio, amore, cupidate invidia, errore, ſpe, idem tradit *2. Orat. pro Plancio*, & adduci Iudices ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ in *6. act. in Verrem.* Extat & his corrumpi judicium, teſtimonium *in can. quatuor modis 11. q. 13.* In ſumma Iudex omni ex parte incorruptus ex juſtitia, quæ virgo incorrupta eſt, cenſere ac perpendere debet judicanda, nec debet eſſe lege clementior in iis, quæ lex diſponit *§. oportet in auth. de judicib.* Iudicantes quippe eadem mente prædiros eſſe oportet, qua legiſlatores. Legem dico civilem & pontificiam, prout materia decidenda patitur. Iudiciorum enim & in eo differentias conſtitui putamus, ut alia regantur Canonibus, alia legibus alia utriſque, legibus, & Canonibus, Conſtant. Harmenopul. *lib. 1. prompt. jur. tit. 2.* Iudex autem, qui conſtitutiones Principum neglexerit, lege Cornelia de falſis punitur *l. 1. ff ad leg. Cornel. de falſ.* Lege apologiam Socratis *apud Platonem lib.* 2. & Platonem ipſum *lib. de regno.* Qua in re advertendum, quod ſcriptum ſequi calumniatoris eſt, boni verò Iudicis autoritatem, voluntatemque defendere. Quæ lex enim, quod ſenatuſconſultum, quod Magiſtratus Edictum non infirmari, aut convelli poteſt, ſi ad verba deflectere voluerimus, conſilium autem, qui ſcripſerunt, & rationem, & autoritatem relinquamus? Non enim ex verbis pendet jus, ſed verba ſerviunt hominum conſiliis, & autoritatibus nec verba veniunt in judicium, ſed ea res, cujus cauſa verba in leges conjecta ſunt, ut ait Cicero pro Cecinna.

Quod ſi de jure dubitat Iudex, debet majores Iudices conſulere, *l. enim, quem temere de judic.* Interdum etiam Principem, puta ſi leges ſint contrariæ, ſi reſcripta à Principe emanaverint in cauſa contraria. Nam horum interpretatio ad ſolum Principem, à quo proceſſerunt, pertinet *cap. 1. §. fin.* ibique Gloſſ. *in cap. 2. de confirm. util. vel inutil. l. 1. C. de legib.* Neque interim poteſt reus, vel litigator, qui reſcriptum impetravit, à ſententia, quæ interloquitur Principem conſulendum, provocare, cum poſſit poſt reſcriptum remiſſum à Principe, ſi velit, provocare, *l. 1. §. hinc conſequenter ff. de appel.*

Laborant aliquando Iudices propter defectum juriſdictionis, qua de cauſa minores majores Iudices, & majores Principem conſulunt, *l. ſi quid*, & *l. ſolent §. juncta Gloſſa de Offi. Proconſul. & leg.*

Interdum negotium aliquod inauditum, ac inuſitatum contingit, cùm natura novas deproperet edere formas *l. 2. C. de vet. jur. enucl. l. 2. ff. de Præf. Urb.* & tunc opus etiam eſt conſilio Principis, *§. fin. in auth. de judic.* Exemplo Moſis & Iudicum *Exod. 18.* & nova lege, quæ tantum à Principe poteſt conſtitui *l. fin. C. de legib.* Extra quos caſus, & alios ſimiles illis, non eſt permiſſum Iudici referre ſibi propoſitum negotium ad Principem, quod poſſit ex legum præſcripto ſine dilatione jus dicere *§. 1. in auth. ut Iud. non exp. ſacr. juſſ. & §. 1. in auth. in med. lit. non fiec. ſacr. form.* Quocirca relationem debet præcedere legitima negotii inſtructio, diligens, atque accurata conſultatio, quæſtione plene à litigantibus deſcripta, ut poſſit cauſa relationis juſta concipi *l. 1. 2. & 3. C. de relat. l. fin. ff. quand appel.*

Conſultatio autem fit per auditionem eorum, quæ à litigatoribus dicuntur, & præſcribuntur, & per Conjudicum ſententiam, & ſuffragia. Nec gravior, neque audacior injuria, quam indicta cauſa quenquam mortalium judicare, quod calumniator molitur, & ut ait Maximus Tyrius ſerm. philos. 2. *ubi conſtituto judicio reus agitur, nimis onerosum utrique erit ſi Index qui minime utrique dicendi pee ſe locum aſſignet, in hoc potius Tyrannum, quàm ſe Iudicem præbens.* Conſultandi modum tradit etiam Judicibus Plato *lib. 9. de legib. Ut audito negotio à Conjudicibus, ſenior ex illis qua dicta ſunt omni adhibita diligentia examinet, poſt eum cæteri omnes conſiderent. Qui autem nihil ſua diſcuſſione dignum cenſet, alteri examinandam ipſam relinquat.* Rogantur & ſententiæ plurium in judiciis definiendis voce nuoe, ut plurimum, adhibito numero aſſidentium vel Conſiliariorum, qui pro interloquutoriis, vel definitivis conſtitutionibus exigitur.

Relatione pendente non poteſt Judex definire, vel cognoſcere, donec reſponderit, vel reſcripſerit Princeps *l. 1. C. de relat. l. jubemus C. de appel.* Poſtquam autem reſponſum acceperit, in relatis & reſcriptis, & pariter in aliis, maturè judicium feret ad normam libelli, ſine præcipitatione, & cum deliberatione conſilii, niſi tam breves, ac leves ſint cauſæ, quæ nec conſultationem, neque ſcripturam requirant, *l. 2. & 3. & auth. niſi breves C. de ſent ex brevic. recit. l. 1. C. de exhib. reis.*

In omnibus tamen Deum præ oculis conſtituet cum juſtis legibus, & extra leges per æquitatem *cap. fin. de tranſact. l. quod ſi Epheſi ff. de eo, quod cert. loc.* Bartolom. *in l. 1. C. de legib.* certam ſtatuet ſententiam, vel per ſe, vel per relationem ad certum *§. Caveare de act. l. 2. 3. & 4. C. de ſent. quæ ſine cert. quant. l. ait Prætor §. 1. & l. in ſumma in pænæ. & l. & §. 1. ff. de eo judic.* Detrich. proferet litigato-

Litigatotibus ex ſcripto per ſe *l.* 1. *C. de ſent. ex brevic. recit. l. non diſtinguemus* §. *quæſitum de recept. arbitr. cap. audientiam de conſuet.* Ea tamen, quæ ſummarie ac de plano ex tempore in auditotio perorat a cauſis deciduntur, non egent ſcripto, vel alia pronunciatione, *auth. generaliter*, *C. de Epiſc. & Cler.* quamvis poſtea quod placuerit ex judicatia, tranſcriptum edatur litigantibus. Differt autem ſententia à decreto. Nam decretum eſt conſiderata proviſio Judicis citra abſolutionem, vel condemnationem. Sententia veró eſt pronunciatio Judicis continens abſolutionem, vel condemnationem, ut notant Simoncel. *de decret. in præſ. n.* 2. & Scacc. *de ſent. & re judic. gloſ.* 14. *q.* 2. *nu.* 47. *& ſeq.*

Atque hæc pro apparatu hujus materiæ ſatis ſint. Cætera enim paſſim ſunt omnibus obvia, idque ſolum ſubjicio; maximum bonæ ſententiæ præmium eſt benè judicaſſe.

Modus ſane ferendi ſententiam expreſſe ac diſtinctè docetur à Pegna ad Eymet *p.* 3 *com.* 40. & à Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 106. nempe quod cum ab Inquiſitore, & Epiſcopo, vel ejus Vicario, & Conſilio peritorum decretum fuerit, reum confeſſum, vel convictum eſſe ad pœnam condemnandum, & qua die, & hora, & quo loco pronuncienda ſit ſententia, citandus eſt reus, & vocandus, ut perſonaliter ſententiam audiat, recepturus debitam ſui delicti pœnam. Quam ſententiam ferre debent die, non nocte, niſi multitudo negotiorum aliter fieri non permittat, & in publico in ſcriptis illam proferant, aliter non valeret. Poſſunt tamen per alium, illam proferre.

Sententia verò condemnatoria ita ferenda eſt, ut in ea primò errorea delinquintis declarentur. Deinde diligens criminum inveſtigatio, citationes, monitiones, confeſſiones, probationes, legitimæ induciæ ad pœnitendum competentes, datæ, obduratus ipſius rei animus, ac reliqua, quæ ad juſtum proceſſum conficiendum enumerantur. Tandem pro qualitate criminis ſecundum leges, & regulas in hujuſmodi criminibus obſervandas, ſubjungatur ipſa ſententia, ut per eundem Pegnam *loc. cit.* Brunum *de hæret. lib.* 4. *cap.* 16. ac Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 60. *n.* 2.

In ſententia verò abſolutoria declarari non debet delatus innocens, & à culpa immunis, ſed tantum quod contra illum nihil probatum ſit. Nam contingere poteſt, ut quod nunc in proceſſu probatum non eſt, poſtea probetur, & dedecet ut in eodem judicio diverſæ proferantur ſententiæ, ut advertunt Eymer. *p.* 3. *direct. rubr. de forma abſolvendi delatum nu.* 143. ubi etiam Pegna *com.* 37. Scacc. *de judic. cap.* 56. *nu.* 1. & Farinac. *q.* 185. *n.* 172.

Verum, ſi manifeſte probatum fuerit denunciantem, vel accſatorem ac teſtes, falſum depoſuiſſe, tunc poſſet delatus, ut innocens abſolvi, ac declarari. Quin tunc non adeſſet probabile periculum retractandi ſententiam abſolutoriam, cùm conſtet de iniquitate delatoris ac teſtium, ac etiam de innocentia delati, ut per Pegnam *loc. cit.* & Farinac. *ib. n.* 173. cum aliis, quos adducit. Si autem delator ac teſtes dicta ſua retractaverint, tunc deligenter obſervandum eſt ne forte pretio corrupti id fecerint.

Sententia porrò ſi feratur ſine citatione partes condemnandæ, eſt certè invalida, & nulla. Nam citatio in hoc caſu eſt de jure naturæ, cùm ſit ſpecies defenſionis, ut ex *Clem. paſtoralis de re judic. &* ex Maranta *in pr. p.* 6. *cap. de citat. nu.* 3. atque adeo eſt de ſubſtantia judicii; nec ſine citationia actu ſubſiſtere poteſt ſententia contra hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, ut notant Param. *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 52. Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 27. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſq.* 8 *pun.* 5. *§.* 1. Decian. *lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 1. Pegna *p.* 3. *direct. com.* 104. & Carena *p.* 3. *tit.* 2. §. 1. *n.* 6. Etenim Judex dupliciter conſiderari poteſt. Uno modo quatenus ex teſtimoniis remanet inſtructus, ac informatus de veritate facti. Et hoc modo quoad ipſum non requiritur legitimatio. Alio modo quatenus ex dictis teſtimoniis intendat judicare, & cauſam decidere. Et hoc modo requiritur legitimatio, cum partes Judicis ſint audire reum, illumque vocari ad deducendum quidquid habet contra dicta teſtimonia, excipiat, opponat, neget, vel affirmet Idtirco opportet illum vocari ad eorum receptionem & iſta vocatio eſt pars ſubſtantialia legitimationia, quæ conſiſtit in citatione, quæ ubi non eſt, ibi nec reus, judicium, nec ferri ſententia poteſt, Bald. *in l. cum fratrem fratrem n.* 8. *C. de his, quib. uti indign.*

Vocandus igitur eſt reus ad audiendam prolationem ſententiæ *cap. cum olim de teſtibus.* ut præſentes ſint, quorum intereſt *l. de unoquoque & l. quaſitum eſt ff. de re judic.* Vel vocati contumaces pro præſentibus habeantur *l. ſi proluſoria. judicio §. fin. ff. de appel. l.* 2. *C. quomod. & quan. Jud.* Vel niſi præſente ejus Advocato, vel procuratore *l. ſi fiſcus ali us ff. de jur. fiſc.* eſtque ipſo jure nulla, ſi judex non pro tribunali ſedendo eam protulerit, *cap. ult. de ſent. & re judic. in* 6. In loco quoque publico & majorum ſuorum eam recitare debet *l. penult. ff. de jud. & jur. l. cum ſententiam C. de ſent. & interloq. om. Judic.* Quod intellige de Judice ordinario, non autem de delegato; nam delegatus & arbiter locum juris dicendi cauſa, honeſtum tamen, eligere poteſt, *l. ſi cum die §. ſi arbiter ff. de arbitr.* Bartol. & Angel. *in d. l. cum ſententiam*, & *l. ſi ut propenis* 2. *l. quom. & quan. Jud.* Epiſcopus tamen in quolibet loco ſuæ diæceſis ſententiam dicere poteſt, *cap. cum Epiſcopus de offic. Jud. ordin. in* 6. Marant. *p. ult.* 6. *par. princ. act.* 1. *n.* 73. *& ſeq cum* 11. *limitationibus, in quibus loco inſolito poſſit ferri ſententia.*

Similiter ſententia tam abſolutoria, quàm condemnatoria eſt invalida, niſi feratur in ſcriptis, ut conſtet de ejus juſtitia, & ne deinceps ex defectu ſcripturæ contingat occultari veritatem ſemel prolatam, & in judicio definitã, ut per Gloſ *in Clem. ſæpe v. in ſcriptis de verb. ſignif.* & ſic videtur ſanxiſſe Concilium Narbonenſe *cap.* 6. ut aſſerit Pegna *p.* 3. *com.* 40. *n.* 165. Farinac. *ubi ſupra n.* 166. Souſ. *d. cap.* 36. *num.* 6. Scacc. *de ſent. & re jud. gloſ.* 12. Caren. *p.* 3. *tit.* 11. §. 4. *nu.* 8. Delben. *de offic. Inquiſ. p.* 1. *dub.* 164. *ſect.* 4. & Maſin. *in prax. S. Offic. p.* 10. *aſſert.* 184. Utque in judicio probet, debet authentica fieri à Judice, vel à Notario, ſive actuario *ex l.* 2. *C. de ſent. ex brev. recit.* aliàs neque per teſtes, qui fuerunt præſentes, probari poſſet, ut notat Lanfranc. *in cap. quoniam n.* 72. *de prob.* Vetal. *p.* 2. *dec.* 90. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 37. *n.* 4.

Definitivam igitur ſententiam Judex in ſcriptis ac ote proprio recitare debet, nec nomen ſententiæ meretur habere, nec ab ea neceſſe eſt appellare *l.* 1. 2. *& ult. C. de ſent. ex brevic. recit. & cap. ult. de ſent. & re jud. in* 6. ſcriptura ſiquidem, quam prius Judex concipit, & poſtea in formam redigit, non eſt ſententia, ſed quædam prævia diſpoſitio ad ſententiam, Oldrad. *conſ.* 119. eſtque textus *in d. l.* 2. *& ſeq. C. de ſent. ex brevic. recit.* Unde licet appareat ſententiam manu Notarii publici ſcriptam eſſe, ſi tamen non appareat, quod fuerit lecta, & promulgata, ei minime ſtandum erit, Et ideo videmus in calce ſententiarum fere per Notarios adſcribi hæc verba, *lecta, lata, & ſententialiter promulgata*, Bald *in l. fidei commiſſa §.* 1. ac ibi Florian. *de S. Petro ff. de legat.* 3. Cum itaque ſententia in ſcriptis proferri debeat, conſulunt Doctores, ne Judex hæc verba, *in his ſcriptis*, proferendo definitivam, omittat, ſi tamen ea omiſerit, ſententia nihilominus valebit, Gloſ. *in cap. ult. illuſtrium de ſent. & re jud. in* 6. ſpeculat *tit. de ſent. prolat. §. juxta propoſitione*

ſitiones, &c. ubi & boc notat, quod ſi ſententia verbis primæ perſonæ concepta ſit, præſumi ſententiam in ſcriptis latam eſſe, niſi contrarium probetur. Si autem verbis ſecundæ, vel tertiæ perſonæ præſumi illam non fuiſſe in ſcriptis promulgatam, nec ſententiam valere, niſi dicatur expreſſe, in ſcriptis fuiſſe latam, Vant. *de nullit. ex defect. proces. n. 76.*

In ſententia ſive condemnatoria, ſive abſolutoria ſunt narrandi, ac exprimendi omnes errores, de quibus reus fuit poſtulatus. Et quoad ſententiam condemnatoriam Doctores conveniunt, eſſe exprimendos in ea omnes errores, quos reus gravatus, convictus, & confeſſus fuit, ac tempus, in quo in ipſis permanſit ut per Pegn. *p. 3. com.* 40. Souſ. *in aph. lib.* 1. *cap.* 36. *nu.* 25. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 60. *n.* 3. Caſtropal. *d. diſp. pun.* 811. *nu.* 10.

Eſſe etiam in abſolutoria exprimendos omnes errores, de quibus abſolvendus imputatus fuit, tenet, ac probat Bordon. *eo cap.* 37. *n.* 7. Quia utraque ſententia condemnatoria & abſolutoria componitur ex condemnatione, vel abſolutione alicujus delicti, tanquam ex materia & forma. Eſt enim quoddam compoſitum morale. Atqui ſententia non poteſt exiſtere, neque intelligi in ratione ſui compoſiti, neque in ſeipſa ſine ſuis partibus componentibus.

Ideoque neceſſariò hæ partes in illa ſunt exprimendæ, atque adeo narranda in eo ſunt delicta, quibus reus poſtulatus fuit, ut per condemnationem pœnis debitis plectatur, aut per abſolutionem declaretur ab illis immunis.

At biſce minime obſtantibus, non eſſe in ſententia abſolutoria errores commemorandos, firmant Pegna *d. p. 3. com.* 37. Farinac. *de hæreſ. q.* 185. *n.* 17. Caſtropal. *loc. cit. n.* 8. Maſin. *in pr. p.* 10. *aſſert.* 118. Carena *p.* 3. *tit.* 11. *§.* 7. *nu.* 23. & habetur in inſtructione Madriliana ſub anno 1561. *cap.* 62. Quia nullius utilitatis eſt talium errorum expreſſio, cùm probati non ſint, & potius audientibus poſſint ſuſpicionem generare contra injuſtè inquiſitum. Notant verò Albertin. *de agnſc. aſſert. q.* 25. *n.* 70. Souſa *in aph. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 18. Carena *loc. cit. n.* 25. ac Bordon. *ibid. num.* 8. quod ſi reus confeſſus ſit homicidium coram Inquiſitore, pro quo poſſet à Judice laico puniri pœna mortis in ſententia, quæ contra eum fertur in Tribunali Inquiſitionis, non eſt exprimendum hoc delictum, ne ex illius narrativa Judex laicus poſſit contra eum agere. Secus autem ſi cauſa ſit principaliter ſuper homicidii delicto ut ſi commiſſum ſit ex maleficio. Tunc enim eſſet utique exprimendum, ut ſententia ſit libello conformis.

Hoc autem certum, quod ſententiæ publicè legendæ non debent continere ſeriem facti, nec debent delicta confeſſa exprimi ad verbum, ne deveniatur in cognitionem facti, neve auditores erudiantur.

An autem ſententia condemnatoria, vel abſolutoria proferri poſſit ab Epiſcopo ſine Inquiſitore, aut ab Inquiſitore ſine Epiſcopo, alibi reſponſum.

Periti verò ſive in Theologia, ſive in jure Canonico vel civili, tenentur mandato Inquiſitoris, ſententiam proferentis conſilium præſtare ex *cap. ut commiſſi de hæret. in* 6. ubi ſic ſtatuitur. *Advocandi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, ut nobis aſſiſtant, & in hujuſmodi ſententiis præbeant conſilium opportunum, ac eis ſuper his verbis humiliter pareant, in virtute obedientiæ injungenda.* Idque etiamſi ipſis nullum ſalarium ſit aſſignatum. Quia, ut aliàs diximus omnes defendere ac procurare ſine ſalario, tenentur. Verum ſi eis offeratur ſalarium, poſſunt illud pro labore impenſo, licitè recipere, cùm id non ſit diſſentaneum, neque indecorum, ut per Pegnam *p.* 2. *direct. in d. cap. ut commiſſi nu.* 5. & 6. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 41. *num.* 13. Zanchio. *de hæret. cap.* 15. *num.* 3. Decian. *lib.* 5. *cap.* 14. *nu.* 10. & Farinac *de hæreſ. q.* 185. *n.* 190.

Eſſe autem iis totum proceſſum hoc eſt integrum illius ſummarium communicandum præcipitur *in cap. fin. §. jubemus de hæret. in* 6. his verbis: *Juris-peritis totum proceſſum ſuper quo deliberandum eſt Textò manifeſtari, & integraliter explicari, & ipſorum conſilio ad ſententiam, vel condemnationem procedi volumus.* Niſi enim intelligerent integre ac perfectè totam cauſam, non poſſent perfecte conſulere, neque incorruptũ ferre judicium, cum nemo de incognotis rectum judicium ferre poſſit, ut cum Eymerico advertit Pegna *p.* 3. *com.* 128. & Param. *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *qu.* 4. *n.* 56.

Nomina veró teſtium non videtur neceſſarium illis communicare? nam ſine hac nominum publicatione recte periti conſulere poſſunt. Unde laudabilis eſt Inquiſitorum conſuetudo, ut ne Conſultoribus quidem nomina teſtium publicentur, ſed abſque his nominibus proceſſus eis dantur ſuper quibus conſulere debent ex rationibus alibi adductis. Qualitates tamen teſtium omnino debent peritis manifeſtari, nempe an teſtes ſint religioſi, an ſeculares, an probatæ vitæ, an minus probatæ, an periti, graves, ac prudentes an imperiti, plebei, pauperes, juvenes, & aliæ hujuſmodi, ut his qualitatibus cognitis, facilius periti intelligant, quantum ſingulis teſtibus ſit deferendum, vel detrahendum, ut per Farinac. *d. q.* 185. *nu.* 196. ac Pegnam *d. p.* 3. *com.* 129.

Quandoque neceſſarium videtur, ut nomina teſtium, ac delatorum, ſive reorum peritis notificentur. Si enim dubium ſit, an teſtes fuerint cum reo inimici, & periti eos noverint, quod inimici fuerint, tunc Inquiſitores poſſunt, ac debent nomina teſtium, & delatorum ipſis peritis manifeſtare. Quia talis manifeſtatio ad decidendam cauſam videtur neceſſaria, vel ſaltem valde conveniens. Et in hoc caſu debent ſecretum peritis ſub juramento indicere, & ſi opus fuerit ſub pœna excommunicationis per textum in *cap. ſtatuta de hæret. in* 6. ac Pegnam & Farinacium *loc. cit.*

Quod ſi periti inter ſe diverſæ ſint opinionis, & alter opinetur in favorem rei, alter in favorem fiſci, in tali caſu probabilius eſt, teneri Inquiſitores ſequi opinionem probabiliorem. Sed ſi utriuſque periti opinio ſit æque probabilis ſive ex parte juris, ſive ex parte facti, Inquiſitores illam ſequi debent, quæ magis favet reo. Tum quia in dubio favorabiliores ſunt partes rei. Nemo enim condemnandus eſt ad pœnam, niſi pro certa cauſa, ut probant Farinac. *de reo confeſ. & convict. quæſt.* 86. *num.* 1. *& ſeq.* Guazzin *tom.* 2. *defenſ.* 33. *nu.* 14. *numer.* 1. *& ſeq.* Caren. *p.* 3. *tit.* 3. *§.* 1. *in* 3. Tum etiam quia in dubio quilibet præſumitur bonus, & delictum non præſumitur, niſi probetur, Dian. *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 106. Delbene *p.* 1. *de offic. S. Inquiſ. dub.* 194. *ſect.* 1. *n.* 8.

Verum quia cùm peritorum ac Conſultorum ſuffragia non ſint deciſiva, ſed tantum conſultiva, ut etiam alibi diximus, ſi Epiſcopus, & Inquiſitor conveniant in opinionem, eorum ſententiæ ſtandum eſt, quamvis Conſultores, ac periti numero plures, contrarium ſentiant, vel inter ſe diſcrepent. Quod tradit Pegna *p.* 3. *direct. com.* 127. ubi refert inſtructionem Madrilianam anni 1561. cap. 66. per hæc verba: *ſi Inquiſitores & Ordinarius fuerint conformes, quamvis conſultores diſcrepent, & ſint numero Plures, decretum Inquiſitorum, & Ordinarii executioni mandetur.*

Sententiam ſive abſolutoriam, ſive condemnatoriã, ſi ab Inquiſitore, & ab Epiſcopo illa feratur abſque peritorum conſilio, eſſe nullum aſſtruit Morla *in emp. jur. tit.* 12. *quæſt.* 10. *num.* 2. *&* Caſtropal. *d. diſp.* 8. *p. nu.* 11. *num.* 4. quia *in cap. ſtatuta §. jubemus de hæret.*

heret. in 6. Inquiſitoribus præcipitur advocare petitos hia verbis: Jubemus peritos adduci, & uti eorum conſilio, ſe velle, ut ad ſententiam, vel condemnationem procedatur. Idemque ſtatuitur *in d. cap. ut commiſſi de heret. in 6.* Hoc autem mandatum videtur inducere formam judicii, ac proinde ejus omiſſio irritat ſententiam. Nam forma deficiente, actus non ſubſiſtit, per textum in *cap. delecta de reſcript.* Confirmatur, quia ex *cap. novit. de his, qua fiunt à Prel. & ex cap. cum in veteri de elect.* irritatur electio propter omiſſum conſilium. Et Gloſſa *in cap. non eſt de conſuet. in 6.* ait, *quod ſi ſententia proferenda ſit cum alterius conſilio, & eo non expectato, proferatur, ſententia non valeat, neque appellatione opus ſit.* Ergo ſimiliter ſententia Inquiſitoris, & Epiſcopi, ſive ſit abſolutoria, ſive condemnatoria, abſque peritorum conſilio lata, eſt invalida & nulla.

Et quidem quod qoando quis tenetur adhibere aliquoa in coonſilium, teneatur etiam ſequi, quod conſuluerint, aſſerunt per *l. Titium in princ. ff. de admin. & peric. tut.* 19. Bartol. *& in l. 1. §. ſi plures nu. 7. ff. de exercit. act* Butr. *in cap. cum. olim. de arbitr.* Panorm. *ibid. nu.* 5. Franch. *in cap. fin. num. 5. de regular. in 6.* Gemin. *in cap. un. §. ibi vero n. 9. ne ſede vacante in 6.* Gonzal. *in reg. 8. Cancel. gloſ. 46. nu. 76.* Vant. *de nullit. defect. juriſ. num.* 152. Navar. *lib. 1. conſ. 9. nu. 13. de conſtit. in 2. edit.* Sanchez *lib. 5. in decal. cap. 4. num.* 65. Rodriquez *tom. 3. quaſt. regul. 17. ar. 7.* Suarez *tom. 3. qu. regul. 17. ar. 7.* Suarez. *to. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. num.* 19. Leſſius *lib. 2. de juſt. & jur. cap. 41. dub. 7. num.* 61. Vecch. *in prax. novit. diſp. 6. dub. 2. n.* 5. Sylveſt. *v. conſilium num.* 6. & deſumitur *ex d. cap. novit. de iis, quæ fiunt à Prel.*

Ratio autem eſt, quia quando à lege vel ſtatuto, vel à ſuperiore conferente juriſdictionem præſcribuntur Conſiliarii adhibendi, præſcribitur forma juriſdictionis exercendæ, & ipſa juriſdictio coarctatur ad conſilium conſultorum. Cùm igitur non poſſit valide exerceri juriſdictio, niſi ſecundum menſuram, & formam præſcriptam, debet exerceri cum conſenſu Conſiliariorum, quia conceditur alligata tali conſenſui, alioquin pereunte forma, perit etiam ipſa juriſdictio, & ſicut nõ poteſt quis excedere terminos propriæ juriſdictionis ſibi conceſſæ, ita nec etiam formam cum qua præſcribitur excedenda, alioquin actus erit nullus, quia pereunte forma perit ſubſtantia rei, *l. cum hi §. ſi pater ff. de tranſact. & l. qui Romæ §. Flavius ff. de verb. oblig.* & notant communiter Doctores. Unde non eſt eadem ratio, quando quis debet ex decentia operari cum alterius conſilio, ut in ſummo Pontifice, aut quando conſilium præſcribitur ab eo, qui non poteſt jus coarctare, ut ſi pater præſcriberet filiæ conſilium alicujus pro matrimonio; nam tunc non coarctatur juriſdictio, & ideo non eſt neceſſe ſequi conſilium, ut notant Bero. *in rubr. de conſtit. n.* 62. Gloſſ. *in cap. cum in veteri in fin. de elect.* Abbas, & alii *ibid.* Jaſ. *in l. turpia not. 3. ff. de legat.* 1. Gravet. *conſ.* 1. aliique ex *cap. cum olim de arbitr.* ubi Gloſſa & Doctores.

Accedit etiam, quod ſi non teneretur ſequi conſilium, fruſtraretur finis legis ac mens ipſius. Dum enim aſſignantur conſiliarii, & præſcribitur ob ipſa exercitium juriſdictionis cum conſilio ipſorum, intenditur, quod tale exercitium juriſdictionis reguletur ſecundum ipſorum conſilium, Si autem poſſet non ſequi, poſſet habere exercitium juriſdictionis non regulatum conſilio.

Nec dici poteſt, quod conſiliarii inſerviant, ut ex illis ſumatur lumen diligendi determinationem Quia id ſolum non intendit lex, quando præcipit quod aliquid fiat cum conſilio, ſed vult, quod determinatio reguletur conſilio. Non erit autem regulata, ſi determinans non ſequatur conſilium.

In hoc autem caſu quando Inquiſitor eligitur & accipit poteſtatem, lex loquitur, & mandat adhiberi conſilium conſultorum, & traditur ipſi poteſtas qualificata. Quare tenendum eſt, actus eſſe invalidos, ſi fiant abſque conſilio conſultorum. Quia non exercet juriſdictionem ſecundum formam traditam. Et ideo Rota *dec. 282. n. 2. lib. 3. coram Puteo in 1. edit.* notat, quod, deficiente conditione, deficit actus, ac proinde quando exigitur, quod fiat cum conſilio, tanquam cum conditione, erit nullus, ſi non adhibeatur conſilium.

At hiſce non obſtantibus, & conſentaneè ad alibi dicta, tenendum eſt, omiſſionem conſilii peritorum non irritare ſententiam latam. Quia conſilium in hoc caſu præſumitur mandari, ut ſententia feratur rectè, non autem ut feratur valide. Cùm enim præcipitur, aliquid agendum cum alterius conſilio habenti juriſdictionem, conſilium additum non habet rationem formæ ſubſtantialis illius actus, ſed per id tantum admonetur Judex, ut alterius conſilio utatur, ne ſine illo male ſe gerat. Unde illud præceptum ſignificat monitionem, non autem conditionem actus, ut docent Gloſſa, & cum ea Canoniſtæ *in clem. de offic. deleg. verſ. reperierint,* Panormit. *in cap. ex parte de conſtit.* Sylveſt. *v. Conſilium qu. 2. & 3.* Navar. *cap. 27. n. 37. & conſ. 3. de ſtat. monach. num.* 37. Gloſſ. *in Clem. de ſequeſtr. v. nullatenus,* & alii. Inquiſitores autem antequam Pontifex præcepiſſet adhiberi in ſententia peritorum conſilium, habebant ab Urbano IV. & à Clemente IV. poteſtatem ferendi ſententias abſque peritorum conſilio; atque adeò, prætermiſſo peritorum conſilio eorum ſententia non eſt invalida. Atque ita præ aliis ſubſtinent Carena *p. 1. tit. 8. §. 9. num.* 55. Diana *p. 4. tr. 7. reſol.* 38. Bordon. *tom. 1. cap. 37. num. 18. & ſeq.* ac Delben. *p. 1. dub. 194. ſect.* 2. Et confirmatur, quia, ut etiam alibi diximus *in d. cap. ut commiſſi de heret. in 6.* tribuitur facultas Inquiſitoribus vocandi peritos, *prout expedierit,* Ergo tacite inſinuatur, eos non eſſe neceſſario vocandos, ſi judicatum fuerit, non expedire.

Si quis ſit condemnandus, ut hæreticus, Inquiſitores non ſolum ferre poſſunt, ſed etiam debent, ſententiam ſecundum probabilem opinionem peritorum in illius favorem, relicta probabiliori contra eum, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit. 51. num. 11. & in enchir. tit. 34. num. 6. & 7.* Pegn. *in annot. ad Ambros. de Vignate de heret. qu. 11. ar. 2. nu.* 146. Param. *de orig. S. Inquiſ. lib. 3. q. 6. num.* 88. Farinac. *de hereſ. q. 187. nu.* 6. Caſtrop. *d. diſp. 8. pun. 10. num.* 1. Caren. *p. 3. t. 3. §. 1. 2. & 3.* Dianam *p. 3. reſol. 13. in addit.* Nam hoc crimen eſt graviſſimum, & graviſſima pœna punitur; atque adeo ſi in aliis delictis criminalibus probationes eſſe debent luce meridiana clariores, ut ſtatuitur *in l. ſciant cuncti C. de probat. & in can. ſciant cuncti 2. qu. 8. ult. ex eod. C.* ac probant Farinac. *de reo confeſſ. & convict. quaſt. 86. numer.* 1. & Caren. *loc. cit. num.* 1. potiori ratione in delicto hæreſis probationes clariſſimæ eſſe debent. Tales autem non ſunt quando delictum probatur probabilius, & adeſt defenſio probabilis in favorem delati.

Non obſtat, quod ait cum aliis Clarus *in §. hereſis, verſ. debes etiam,* quod in atrocioribus delictis minores probationes ſufficere videntur. Nam ut recte notat Cantera in *quaſt. crim. de probat. per teſt. cap. 2. qu. 1. num.* 60. hæc opinio eſt falſa. Non enim valet hoc argumentum. Aliquis eſt accuſatus de enormi crimine. Ergo vel commiſit illud, vel præſumitur commiſiſſe. Ibique reprehendit Judices, præſertim ſupremos, qui contrarium ſervant, & inter levia, & atrocia de-

ſta, reſpectu probationum, nullam faciunt differentiam, niſi ſolum reſpectu pœnæ. Eorum eſt hoc bellninum apophtegma: *ſe non é lapo, è canbigio.* Inſigniter enim durum videtur, cùm poſſet Judex abſolvere reum, ſtante opinione probabili in ejua favorem, debere illum ad ultimum ſupplicium damnare. Quod ſi opiniones verſentur circa factum, omnino dicendum eſt, Judicem non poſſe damnare reum ſecundum opinionem probabiliorem, relicta opinione probabili in ejus favorem, ut cum citatis Doctoribus tradit Diana *loc. allegate.*

Si quis verò ſit condemnandus, ut ſuſpectus da hæreſi, tunc Inquiſitores nullam habere debent rationem, quod in ejus favorem adſit opinio probabilis, & non ſequi probabiliorem. Quoniam ad condemnandum reum, tanquam ſuſpectum de hæreſi, ſufficit nedum opinio probabilior, ſed etiam probabilis, cùm ſit res indubitata, quod etiam ſuſpiciones ac præſumptiones ſufficiunt ad illum reddendum, ut de hæreſi ſuſpectum, neque in tali caſu ulla ipſi irrogatur injuria, ſi ut taliter ſuſpectus declaretur, & ut talis puniatur abjuratione ac pœna extraordinaria juxta textum *in cap. accuſatus de haret. in 6.* Et hujus ſententiæ ſunt Albertin. *tract. de agnoſc. aſſert. cath. & haret. qa. 34. nu. 56.* Menoch. *conſ. 82. n. 244. lib. 1* Pegn. *p. 2. com. 80.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 50. aa. 21. & tit. 51. nu. 12.* Royas *de haret. p. 2. n. 304 & ſeq.* Farinac. *de hareſ. qu. 187. nu. 9. 40. & 42.* Caſtropal. *d. pun. 10. n. 1.* & Carena *p. 3. titul. 3. §. 3. num. 13.*

In ferendis autem ſententiis poſſe Inquiſitores ſibi reſervare facultatem augendi, vel minuendi, vel commutandi pœnitentias, reis impoſitas, ait Pegna *in p. 3. direct. com. 44. n. 194.* Et hoc eſt nobile Inquiſitorum privilegium, ac de eis bene meritum, ut etiam poſt ſententiam pronunciatam juriſdictio eorum in eadem cauſa non expiret. Quod ſancitum fuit in Concilio Narbonenſi *cap. 7.* in hæc verba: *Illa ſemper retentione cautè adhibita, ut liceat vobis, ſeu aliis Inquiſitoribus, ſeu quibus hoc Romana Eccleſia, vel illi, cui ex officio competit, duxerit committendum, pro veſtro, & illorum arbitrio ac voluntate, injunctis pœnitentiis addere, vel detrahere ex cauſa rationabili.* Idemque decretum in Concilio Bitterenſi *cap. 22.* Unde notat Eymericus, ac Pegna *d. n. 194.* quod Inquiſitores in ſuis ſententiis ſemper addunt: *retinentes nobis ex certa ſcientia, & expreſſo, quod poſſimus libere dictam ſententiam, ſive pœnitentiam mitigare, aggravare, commutare*, &c. Neque tunc injuſte quidquam committitur, quia cauſa Religionis, ac fidei hoc ita fieri, poſtulat & ſuadet. Hæc enim cauſa cunctis rebus præferenda eſt, *l. ſunt perſona ff. de relig. & ſumpt. fun.*

Quinimmo, etiamſi Epiſcopus, & Inquiſitor per oblivionem, vel alias cauſas hanc poteſtatem expreſſe ſibi non reſervaſſent, adhuc poſſent pœnitentias minuere, vel augere, vel mutare, vel tollere. Quia hoc eis de jure competit, ut *in cap. ut commiſſi de haret. in 6.* Tutius tamen eſt, expreſſe in ipſa ſententia hujuſmodi facultatem ſibi retinere.

Verum hodie non poſſe Inquiſitores in Italia dictas pœnas minuere, neque augere, neque commutare ſine Epiſcopo, neque Epiſcopum ſine Inquiſitore ex decreto S. Congregationis juſſu Urbani VIII. edito, refert Bariola *in aphoriſm. lit. P. v. Pœna numer. 13.* & notat Carena *part. 3. titul. 11. §. 6. numer 21.* & Farinac. *de hareſ. quaſt. 186. numer. 76.* Immo quando rei condemnantur ex mandato S. Congregationis, etiamſi Epiſcopus ordinatius, & Inquiſitor ferant ſententiam, facultas augendi, minuendi, & commutandi pœnaa, reſervanda eſt S. Congregationi. Et ita ex praxi obſervatur, teſte *Carena loc. cit. §. 7. nu. 30. Qua de re* alibi & mox in parergis Neque in Hiſpania inferiores Inquiſitores habent hanc facultatem abſque Generalis Inquiſitoris eorum Regnorum, ut per Royam *ſing. 155. num. 4. & 5. ac de haret. part. 2. nu. 200. & 382.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 19. n. 20. &* Souſa *lib. 3. aphoriſm. cap. 37. num. 12.*

Cauſæ verò rationabiles augendi, vel minuendi, vel etiam penitus tollendi pœnitentiam, prudenter conſiderandæ ſunt. Illæ poſſunt eſſe infirma valetudo, inſignis pœnitentia, humilitas, & vera converſio: Sunt enim qui poſt lapſum ita commiſſa ſcelera deteſtantur, ut ſponte aſperrimam agant pœnitentiam, atque etiam majorem, illa quæ illis fuit injuncta.

Produnt ſe verò hac ratione qui lapſi ſunt, & fortius reſurgunt, Athletas bonos, ut eleganter tradit S. Ambroſius *in Pſalm. 36.* ad illud, *juſtus cùm ceciderit, non collidetur*, in quæ verba ſic diſſerit: *Athleta, ſi lapſus fuerit, non collidetur, etſi ab eo, qui ſuperior ſit prematur, manibus tamen ſe ſuſtinens, jure decertat, nec auſertur brachium, niſi fuerit fuſus in ventrem, aut diſtentus vinculo lacertorum. Inde ornatur crebra certamina, quia multa & incognita pleriſque ſunt genera ruinarum; Gracè enim ptomata nuncupantur. Ergo cum ſtringitur, & urgetur, ſæpe ſe volvit, & ſic ſupra, qui inferior habebatur, ſuperioremque dum ſurgit, elidit. Quod videtur Scriptura ſignificare cùm dicit, univerſum ſtratum verſaſti in infirmitate ejus. Itaque de eo dicitur: cùm ceciderit bonus athleta, non conturbabitur. Plerique enim volunt teneri quo maturius vincant, qui de arte præſumunt. Sed etiamſi aſſignatus, ut ipſo verbo utar, & primò, & ſecundò fuerit, non colliditur, licet ei interdum reparare luctamen, & vincere ſæpe contingit, cedere eum, qui ſecunda contentione ſuperaverit. Ita ergo etiam juſtus, etſi offendiculum incurrerit, & ceciderit, non relinquat tamen ſtudium devotionis, & fidei, ſobrietatem teneat, pœnitentiam gerat, ſæpe ſe ſeparet.* His autem poterint minui, vel mutari pœnitentiæ in alias leviores, aut etiam totæ remitti, ut aiunt Eymer. *n. 196.* ac Pegna *loc. cit.*

Contra verò graviores pœnitentiæ imponendæ ſunt reo propter ſuam inhoneſtam vitam, contentiones, malitiam, quæ ejus mentem, parum pietati, religioni, ac legi divinæ, ac injunctis ſibi mandatis obedientem indicant.

Porrò in cauſis fidei ſententiæ nunquam tranſeunt in rem judicatam, & poſſunt Inquiſitores, ſi novæ ſuperveniant probationes, de eodem crimine abſolutum comdemnare, & condemnatum vel abſolvere, vel mitius, vel gravius punire juxta decretum B. Pii V. in conſtitutione, quæ incipit, inter multiplices curas, ut refert Pegna *part. 3. com. 37.* & colligitur ex *dict. cap. ut commiſſi §. nec non de haret. in 6.* ac docent Royas *de haret. part. 2. aſſert. 49. & de privil. Inquiſ. num. 449.* Simanch. *de cath. inſtit. titul. 60. num. 13.* Pegna *ibid.* Farinac. *quaſt. 197. numer. 58.* Souſa *in aph. lib. 2. cap. 36. numer. 31.* Diana *part. 4. tractat. 8. reſol. 10. numer. 3.* Caſtropal. *dict. diſp. 8. pun. 11. num. 10* Quia favore fidei ſententia in hoc crimine nunquam tranſit in rem judicatam. Unde probationes ſupervenientes conjungi poſſunt cum præcedentibus inſufficientibus, & ob quarum inſufficientiam fuit reus abſolutus. Nam, etſi citatio, ac litis conteſtatio prius facta perit, eo quod perempta inſtantia, pereant acta ordinatoria, quæ inſtantiam illam ſequuntur per *L. Properandum §. & ſi quidem de judic. & l. item lite mortua ff. judic. ſolu.* Tamen non pereunt confeſſiones, probationes, declarationes teſtium, ac ſimilia, quæ ad litis deciſionem pertinent, *ut ex dict. l. properandum §. ultim. ut. & ex l. jubemus C. de liberal. cauſ.* traditque Alex. *conſ. 58. lib. 1*, Pegna *in dict. part. 3. com. 92.* Farinac. *de hareſ.*

hereſ. dict. quaſt. 185. *num.* 200. *ac* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 18. *num.* 20 Hinc quemadmodum ex ſupervenienti probatione innocentiæ auferri debet condemnatio, ita ex ſupervenienti probatione delicti revocatur ſententia abſolutoria, ut etiam notat Caren. *p.* 3. *tit.* 11. *§.* 5. *n.* 15.

Reus verò condemnatus pœna arbitraria ex eo, quod legitimæ criminis probationes non extiterint, ſuperveniente poſtea convincenti delicti probatione, ſi pœna arbitraria non eſt executioni demandata, ceſſat, & punitur pœna ordinaria Quoniam eſt nova ſententia novumque judicium, & pœna non excedit delictum. Si verò priori pœna arbitraria repetitur exequutioni demandata, tunc detrahendum eſt à pœna ordinaria, noviter imponenda, quantum arbitraria importaverat, ne reus pro uno delicto gravius quam meretur, puniatur, nempe pœna ordinaria commenſurata delicto, & pœna alia arbitraria contra textum *in can. cum afferamus* 24. *quaſt.* 1. Atque ita docent Royas *de haret. part.* 2. *aſſert.* 50. *n.* 391. Farinac. *dict. quaſt.* 195. *num.* 199. & Caſtropal. *d. pun.* 21. *nu.* 11.

Sententia autem abſolutoria, ſi pronunciata fuit ſuper facto, & cum declaratione, quod non fuit commiſſum delictum, ſeu talem propoſitionem non eſſe hæreticam, vel talem actionem non eſſe ſuperſtitioſam, tunc ſententia abſolutoria unius prodeſt aliis ſociis, & complicibus. Si verò ſententia non fuit lata ſuper facto, ſed ſuper tali perſona, exprimendo, talem inquiſitum eſſe abſolvendum, quia non commiſit delictum, de quo gravatus fuit, tunc ſentantia hæc lata in favorem unius, non prodeſt aliis, niſi ipſis requiſitis, & auditis. Sic tradunt Monoch. *de arbitr. caſ.* 351. *num.* 12. *& ſequent.* Guazz. *defenſ.* 2. *caſ.* 8. *num.* 12. Decian. *tractat.* IV. *lib.* 9. *cap.* 33. *num.* 7. Farinac. *de conſult. quaſt.* 134. *num.* 33. & Carena *part.* 3. *titul.* 9. *numer.* 101. qui etiam ſubjicit *num.* 102. Si mandatarius ſit confeſſus, mandans negativus, hic abſolvitur, ille damnatur. Si unus ſi præſens, alter abſens, contra iſtum perficitur proceſſus, ille expeditur.

In ſententia autem condemnatoria ſi unus appellavit, altero non appellante, poteſt Judex ſententiã non appellantis executioni mandare, ſed non poterit contra appellantem, ut patet ex *l. de unoquoque ff. de re jud & ex l. minoribus* C. *de his, quibus ut indign.* Et ſic appellatio unius non prodeſt alteri appellanti. Similiter ſententia condemnatoria mandantis delictum non præjudicat mandatario. Quia Poteſt mandatarius probare, ſe gravi metu coactum, illud commiſiſſe, & ſic ſaltem in partem liberari à pœna, mandanti definita. Ita quoque ſi mandatarius ſit condemnatus, ex ejus condemnatione non intelligitur mandans condemnatus, quia poteſt probare, ſe nunquam dediſſe illius delicti mandatum.

Crimen verò hæreſis, quia punitur, etiam pœna omiſſionis omnium bonorum, condemnatio unius nocet alteri. Nam ſi pater condemnatur, ut hæreticus, ejus ſententia nocet etiam filiis, quia redduntur inhabiles ad beneficium Eccleſiaſticum, & ad officium ſeculare, & ipſi ac omnes alii, qui poſt hæreſis crimen ab eo commiſſum, aliaque ejus bona acceperunt, ſive donatione, ſive alio contractu, illis bonis per confiſcationem privantur per textum *in l. quiſquis §. filii vero C. ad leg. Jul. majeſt. & in cap. cum ſecundum leges de haret. in* 6. ac probant Gomez *tom* 3. *var. cap.* 1. *num* 90. & Bartol. in l. cum *filius familias ff. de verb. oblig. colum.* 2. Item ſententia lata contra ſervum ob delictum capitale nocet Domino, dum poteſt executioni mandari, non audito ipſo Domino, & ſic de ſimilibus. Licet autem ſententia lata die dominico, vel aliis diebus feſtis non valeat *l.* 1. *l. omnes dies certos C. de fer. l. ſi feriatis ff. eod.* Gail. *lib.* 3. *obſ.* 54. *num.* 8. Marant. *act.* 1. *num.* 88. *p. ult.* 6. *p. princ.* Poſſunt tamen ſententiæ in cauſis fidei proferri diebus feſtis ex ſpeciali privilegio S. Tribunalis S. Officii. Ita enim ſub die 26. Julii 1605. decrevit ſacra, & ſuprema eminentiſſ. Cardinalium congregatio, ut notat Carena *part.* 2. *tit.* 1. *§.* 33. *numer.* 191. Eſtque valde conveniens, ut ait Jo. Andr. *in dict. cap. ut commiſſi de haret. in* 6. Quia diebus feſtis major adeſt confluentis populi multitudo ad ſententiam audiendam, & ad videndos reorum cruciatus ac pœnas, ut inde diſcant timere, & à malo committendo avocentur. Horrendum enim, ac tremendum ſpectaculum, & quaſi imago futuri judicii eſt, videre, & audire hujuſmodi condemnatorias ſententias ferre ac pronunciare. Et ideo diebus feſtis publicandas eſſe, docet Pegna *part.* 3. *com.* 45. *num.* 197. Carena *loc. cit.* Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 98. ac Bordon. *tom.* 1. *cap.* 37. *num.* 10. Idque favore Religionis.

Contra fugitivum autem, vel abſentem ſententia in cauſa fidei, ita ferenda eſt. Si delictum fugitivi, vel abſentis non ſit plene probatum, ipſe citandus eſt domi, ubi habitat, & Eccleſiæ Cathedrali, ac parochiali ſuæ domus, ut intra triginta dies ad reſpondendum compareat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Hæc citatio fit tribus vicibus, & in qualibet illarum idem tempus aſſignatur, & accuſatur ejus contumacia. Vel talis temporis citatio eſſe debet peremptoria, id eſt una, pro tribus, ut notat Pegna *in part.* 3. *com.* 39 in qua citandus eſt reus ad omnia & ſingula judicii acta cum expreſſione, quod Inquiſitores ſententiam contra ipſum pronuntiabunt, niſi compareat per textum *in l. ad peremptoriam cum l. ſequent. ff. de judic: & can. de illicita* 24. *quaſt.* 3. Hoc termino tranſacto, declaratur reus in excommunicationem incidiſſe, & annus integer expectatur, ut compareat, quo elapſo, & non comparente, tanquam hæreticus contumax per ſententiam declaratur, ut *in cap. cum contumacia de haret. in* 6. & ſtatua cum ejus effigie in publicum producitur, cui titulus affigitur, continens nomen & cognomen abſentis contumacis qui condemnatur, & curiæ ſeculari traditur comburenda, ejuſque bona publicantur, ut per Farinac. *de hereſ. quaſt.* 190. *§.* 12. *num.* 22.

Si autem rei delictum abſentis contumacis ſit plene probatum, non expectatur annus ad ſententiam in eum proferendam, ut ait Simanch. *in enchir. tit.* 46. *num.* 5. ſed, accuſata ejus contumacia in S. Tribunali, publicè condemnatur, admiſſo tamen ad illius defenſionem excuſatore, qui allegare poſſit, reum ſic citatum, fuiſſe legitime impeditum ad comparendum intra terminum ſignatum. Et pro qualitate excuſationis denuo prorogari ſolet terminus ad comparendum, ut obſervat Caſtropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. *§.* 3. *n.* 2.

Elapſo anno, non requiritur contra reum contumacem ſententia condemnatoria, ſed cenſetur ipſo jure lata, quia lex illum condemnat juxta textum *in auth. Gazaros C. de haret.* ubi ſtatuitur: *Si ſic per annum permanſerint, ex tunc omnes, tanquam hareticos condemnamus.* Elapſo itaque anno, ipſo jure cenſetur facta condemnatio. Et ita docent Oſtienſis, Joan. Andreas, Anania, Panormitanus, Felinus, aliique communiter *in cap. excommunicamus l. §. qui autem de haret.* & Franch. *in cap. cum contumacia eod. titul. in* 6.

Non obſtant verba illa: *Ex tunc velut haretici condemnentur*, quæ ſequuntur in *dict. cap. excommuni-*

camus & *d. cap. cum contumacia.* Verbum enim illud *condemnentur*, indicat, non latam ipſo jure ſententiam, ſed potius ferendam. Non, inquam, obſtant, quia prædicta *Anth. Gazaros* fuit in hoc crimine approbata, *in cap. Ut Inquiſitionis de haret. in 6.*

Et nihilominus Inquiſitores neceſſariò facere debent ſententias declaratorias, elapſo anno, contra hujuſmodi abſentes contumaces, incurriſſe pœnas à lege ſtatutas contra hæreticos contumaces,& coram populo eorum ſtatuas producere, illaſque curiæ ſeculari tradere comburendas,ut per Eymer. *part. 5. direct. num.* 216. ibique Pegna *com.* 49. Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 2. *num.* 8. Caſtropal. *part.* 1: *tract.* 4. *diſput.* 8 *pun.*16. *§.* 3.*nu.* 1.& Careo. *p.* 3.*tit.*11.*§*.13. *num.* 56.

Qui vero per ſententiam poſt annum,velut hæreticus contumax eſt declaratus,& curiæ ſeculari tradendua, ſi poſtea compareat, eſt audiendus quantum attinet ad excuſandum crimen, ac probandam ſuam innocentiam, non obſtante quocumque tempore ei aſſignato, jam elapſo per *textum in l. annus ff. de requir. reis*, ubi ſic conſtituitur: *ſciendum eſt, nulla temporis præſcriptione à cauſa defenſione ſummoveri eum, qui requirendus, adnotatus eſt*, tradunt Simanch. *loc. cit. num.* 20. *& tit.* 14. *num.* 10. ac Pegna *ibid. num.* 214. Quod vero ad ſua bona recuperanda, non auditur, niſi conſtiterit, vel de ejus innocentia, vel de legitimo impedimento, ut per eoſdem Doctores *loc. cit.*

Quod ſi talis reus profugus & contumax in ſacris ordinibus fuerit conſtitutua,Epiſcopus pontificalibus indutua cum Inquiſitore degradabit eum,non realiter auferendo ab eo perſonaliter ea, quæ ſunt ejus officii, cum non ſit præſens, ſed verbaliter, & ut mandant canonicæ ſanctiones, contra eum ſententiam depoſitionis, ac degradationis ferentes in ſcriptis, deponentes eum ab omni officio ſacerdotali, & à ſacris ordinibus, ac etiam à verbi Dei prædicatione, & à confeſſionibus audiendis. Et ſi velint Epiſcopus & Inquiſitor poſſunt eum relinquere per ſententiam brachio ſeculari, & à foro Eccleſiaſtico ejicere; licet non realiter tradendo, quia non eſt præſens. Poſſunt etiam, ſi velint, mitius ſe habere, declarando eum impœnitentem hæreticum, ſed non eum relinquendo brachio ſeculari, neque à ſuo foro expellendo, ut ſi voluerit pœnitere, poſſit liberè ac ſine quæſtione admitti ad miſericordiam, ut abjuret. Ita Eymer. *part.* 3. *num.* 215. ac Pegna *dict. com.* 46. ubi ait,quod iſte ſecundus modus eſt potiua in praxi ſervandus, ut ſi degradatus converti voluerit, abſque cootroverſia poſſit ab ipſis Inquiſitoribus recipi, ne Judex ſecularis dicat, ſe acquiſiviſſe juriſdictionem in illum per hujuſmodi fictam traditionem ſibi factam.

Hic autem in ſacris conſtitutua contumax, verbaliter degradatus, ac ficte relictus Curiæ ſeculari, poteſt à Judice ſeculari puniri, ac ultimo ſupplicio affici, ſed tutius eſt,ac humanius, ut realiter degradetur. Quia jura, quæ de degradatione loquuntur ad effectum, ut aliquis curiæ ſeculari tradatur, de actuali,& reali videntur loqui, ut *cap. excommunicamus* 2. *de haret. cap. quoniam de haret. in* 6. *cap. degradatis de pæn.* Quibus in locis nomine degradationis intelligitur vera, propria & realia degradatio. Depoſitio autem verbalia vocari ſolet ficta & impropria, ut advertit Clar. *in pract. crim. §. fin. quæſt.* 44. Alioquin populua non ſine ſcandalo ſuſpicaret, Clericum in ſacris conſtitutum, abſque actuali degradatione, ultimo ſupplicio puniri. At de hac degradatione, vide *ſeq. conſult.*

Sententiam in cauſa fidei, & quomodo eſſe etiam ferendam contra memoriam defuncti, alibi fuſe probavimus. Si enim defuncti memoria damnanda fuerit de hæreſi,ejus ſtatua in publicum producenda eſt,cui majoribus characteribus deſcriptum affigitur nomen illius, & coram illa, ac ſi defunctus ipſe vivus,ac co præſena eſſet, recitantur omnes errores hæreticales qui legitimè contra defunctum probati fuerunt, & ſic condemnantur, & ejus ſtatua curiæ ſeculari traditur,quam Judex ſecularis comburit,ac combuſſiſſet defunctum ipſum, ſi vixiſſet, ac impœnitens deceſſiſſet. Defunctus vero exhumatur, ejuſque oſſa Eccleſiaſtica ſepultura privantur, ac ejus filii declarantus inhabiles ad officia publica, & beneficia Eccleſiaſtica 1. *cap. qaicumque de heretic in* 6. & Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* 8.Atque hæc S. Officii conſuetudo pro lege ſervanda eſt ad terrorem aliis incutiendum, ut notat Pegna *com.* 92. Hoc enim modo propter immanitatem criminia fertur ſententia contra mortuum, Gloſſ. *in §. interdum autem v. damnata inſtit. de hered. qua ab inteſt.* Et propter eandem immanitatem reus mortuus tradi poteſt beſtiа in cibum, ut per Gloſſ. *un. in. l. un. ff. arb. furt. caſ.* ſic ſub Paulo V. ſummo Pontifice viſum fuit cadaver Marci Antonii de Dominis olim Archiepiſcopi Spalatrenſis hæreſiarchæ relapſi, in arce S. Angeli vita functi, poſtea in acie Campi Floræ unà cum illius imagine publice concrematum fuiſſe. Ob quam immanitatem etiam pecus traditur morti, ut *in can. mulier* 15. *quæſt.* 1. Alia his ſimilia ponit Ludovic. Romanos *conſil.* 428. *numer.* 13. *& in l. ſi verò §. de viro in* 42. *fall. ff. ſol. matrim.* Quod ſi defunctus ſit abſolvendus ab hæreſi, ejus ſententia abſolutoria publicè pronunciari debet. Quia cum edicta contra ipſum publicè propoſita fuerint non ſine illius famæ detrimento, ut etiam fama eo modo, quo poteſt, reſtituatur, publicé pronunciandua eſt abſolutus. Nec ejus ſtatua in publicum producenda eſt, nec errores, de quibus accuſabatur nominandi ſunt, cùm probati non fuerint, ac ita ſtatuit inſtructio Madriliana ſub anno 1561. *capit.* 62. At ſi poſt abſolutum defunctum alii teſtes contra eum ſupervenirent, iterum cauſa tractari poteſt. Quia in hoc crimine favore fidei ſententiæ latæ non traſeunt in rem judicatam, ut dictum eſt, & priora teſtimonia vim ſuam integram conſervabunt, cumque his, quæ ſupervenerunt conjungi poterunt ad faciendam plenam probationem.

An autem & quatenus ab Inquiſitorū ſententia detur appellatio, alibi etiam diſcuſſum eſt. Sane ad validitatem ſententiæ condemnatoriæ hæretici impœnitentis etiam laici non requiritur præſentia Judicis ſecularis. Quia præſentia Judicis ſecularis ſolum requiritur in prolatione ſententiæ, ut executioni ſtatim demandetur. Judex enim ſecularis in hoc crimine judicando, utpote mere Eccleſiaſtico, nulla ratione ſe ingererė poteſt, ac proinde ſine ipſius præſentia ſententia valida eſt. Nec ob ejus valorem, ſed ob ejus executionem præſentia Judicia ſecularis requiritur. Et hoc ſenſu dicitur *in cap. excomunicamus §. damnati* præſentibus ſecularibus poteſtatibus, *de haret.* Expoſtulatur enim Judicis præſentia non pro ſententia, ſed pro debita illius executione. Epiſcopus namque & Inquiſitor poteſtatem habent inquirendi, & condemnandi hos deliquentes ratione officii ſibi commiſſi, atque adeo præſentia Judicis ſecularis expoſtulari non poteſt, ut neceſſaria validitati ſententiæ. Quare ſi Judex laicus prolationi ſententiæ præſens eſſe non poſſet, vel nollet, poſſet Inquiſitor in ejus abſentia ſententiam proferre, ac per Notarium intimare, & condemnatum ejus poteſtati relinquere, ſicuti tradunt Pegna *part.* 3. *com.* 48. *num.* 210. Carena *part.* 3. *titul.* 11. §.7. *num.* 32. Caſtropal *dict. diſp.* 8. *pun.* 11. *num.* 13.

Non obſtat, quod cognitio cauſarum hæreticalium ad

ad Magiſtratum ſecularem de jure civili pertinet *l. quicumque*, & *l. cuncti Cod. de hæret. §. ſi vero in auth. de Sanctis Epiſcop. ex l. 1. §. fin. Cod. de ſum. Trinit.* Nam de jure Canonico *in cap. ut Inquiſitionis de hæret. in 6.* ad Judices Eccleſiaſticos ſpectare cœpit. Quia eſt mere Eccleſiaſticum, adeo ut Judex laicus nec contra laicum poſſit cognoſcere, vel judicare, aut quoquomodo ſe ingerere *d. cap. Inquiſitionis §. prohibemus de hæret. in 6.* Unde in eo Judices ſeculares nullum jus habent, *cap. accuſatus §. ult. cap. ſtatutum 2. cap. ut officium §. ult. de hæret. in 6.* Innocent. IV. *conſtit.* 1. & Julius III. *conſtit.* 3. Quo. iam ex divinis litteris, ſacriſque Canonibus crimen hoc eſt jodicandum ut ex forma præſcripta à Deo, dum ait Joan. *cap. 13. Si quis non manſerit in me, mittetur foras*, ecce excommunicationis pœnam, *& areſcat* ecce perſeverantiam, *& colligent eum, & in ignem mittent, & ardebit*, ecce tandem pœnam mortis. Et apud Dom. Matth. *cap. 18. ſi peccaverit, &c. dic. Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audiverit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Ideoque à ſolis Judicibus Eccleſiaſticis cognoſci debet, ſolumque debet Judex laicus ſuſpectos de hæreſi retinere, ut eos Judici Eccleſiaſtico tradat, ut præcipit idem Innocentius *d. conſtitutione* 1. §. 4. Et ita docent Gloſſ. *in dict. cap. ut Inquiſitionis not. a.* ibique Monach. & Archid. *v. prohibemus*, Joan. Andr. *n.* 1. Gemin. *n.* 3. Franch. *numero primo* Salicet. *in l. Manichæos Cod. de hæret.* Panorm. *in cap. ad abolendam eod. tit. num. 7. & 12. ibique* Socin. *num.* 9. Anan. *n.* 8. Jo. Andr. *in cap. ex communicamus 2. num. 1. ibique* Butr. *num.* 5. Panorm. *num.* 1. Socin. *n. item* 1. Anan. *n. quoque* 1. Sylveſtr. *v. hæreticus 2. num.* 8. Peregr. *de jur. fiſc. lib. 4. titul. 5. nu. 29.* Simanchus *de cath. inſtit. tit. 36. num. 1. & in enchir. tit. 6. num. 1. & tit. 60. num. 1.* Alph. de Caſtro *lib. 1. cap. 23.* Albertin. *de agnoſc. qu. 25 nu 43.* Zanchin. *de hæret. cap. 8. nu. 1. & 2. ibique* Campeg. *lit. A.* Gundiſal. *qu. 7. nu. 20. & qu. 20. nu. 3.* Clar. *in pr. §. hæreſis num. 4.* Decian. *lib. 5. cap. 25. nu. 1. & 2.* Scaccia *de judic. cap. 15. nu. 2.* Param *lib. 3. qu. 7. nu. 30.* Farinac. *de hæreſ. qu. 186. nu. 152.* Seſſe *de inhib. cap. 30. nu. 2* Imola *in empor. jur. tom. 1. tit. 1. nu. 136.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 14.* Carena *p. 2. tit. 3. nu. 13.* Locat *in judic. Inquiſ. v. Judex nu. 57.* Angel. *in tract. de maleſ. v. nec non ad denunciationem num. 24. idem* Socin. *in cap cum ſit generale nu. 22. de for. compet.* Roland. à Valle *conſ. 8. num. 5. lib. 3.* Tuſch. *litt. H. concl. 95. num. 1.* Clar. *§. hæreſis num. 4. & §. fin. quæſt. 96.* Alciat. *in cap. 1. de offic. Ordin. num.* 13. Boſſ. *titul. de hæret. num.* 10. Carrer. *eod. tit. num.* 65. Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæſt. 6. & tom. 2. lib. 3. cap. 3. quæſt.* 2. aliique paſſim, ac præ cæteris conſtitutio ſpecialis Julii tertii, licet à diverſis apud Pegnā perperam reclamanre Marſilio Patavino *in defenſ. pac. part. 2. capit.* 10. Non obſtantibus appellationibus, ſive proclamationibus, damnatorum, cùm tam de jure pontificio, quàm de jure imperiali beneficium appellationis, ſive proclamationis hæreticis, eorumque credentibus, fautoribus receptatoribus, ac defenſoribus ſit interdictum, 3. *cap. Inquiſitionis §. utque de hæreſi ac hæret. in 6.* ibique Gloſ. *in ſig. caſ. & in §. utque de hæreſi, & in v. indulate*, Jo. And. *num.* 1. Archid. *num. 13. cum. binis ſequ.* Franch *n.* 3.

Quid vero dicendum de appellatione à ſententia interloquutoria, & an etiam interdicta ſit ſupplicatio, ſive recurſus per viam querelæ, alibi diximus. Quod ſi alicubi, ut in Gallia ab Epiſcopo, vel Inquiſitore provocetur ad Curiam ſupremam per viam abuſus, ſi dicatur contra ſacras conſtitutiones, & jura pontificia, vel conſtitutiones regias, à Judice Epiſcopo, vel Inquiſitore, vel eorum officialibus fuiſſe proceſſum, vel judicatum, cum Princeps Galliæ ut quilibet alius debeat curare, ne ſub prætextu religionis vel opprimantur innocentes, vel violentur jura pontificia, id quidem ex privilegio Sedis Apoſtolicæ ſit, ut in pluribus aliis caſibus, quos privilegiatos appellant.

Idque etiamſi agatur de quæſtione facti per *cit. cap. ut Inquiſitionis §. prohibemus.* Quia lex non diſtinguit Et quia ibi ſancitur per hæc verba: *Prohibemus quoque diſtinctius Poteſtatibus, Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorumque officialibus ſupradictis, ne ipſi de hoc crimine, cùm mere ſit Eccleſiaſticum, quoquo modo cognoſcant & judicent.* Dictio enim illa *quoquo modo* cùm ſit generalis, omnia comprehendens, *l. 1. u. quoquomodo ff. de teſtam. mil.* & notat Ruinus *conſ. 98. numer. 11. vol. 2.* omnem ſpeciem cognitionis excludit ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, Doctores, quos citat, & ſequitur Sanctarel. *de hæreſ. cap. 60. dub 4. num.* 21. traduntque Felin. *in cap. cum ſit de for. compet.* Alex. *in l. Titia num. 13. ff. ſolut. matr.* Dec. *in cap. 2. num. 24. de judic.* Tuſch. *v. Judex Eccleſiaſticus conc. 446. num. 4.* Mour. *de Enſalm. ſect. 3. cap. 1. num.* 34. Farinac. *de hæreſ. quæſt. 18. §. 4. numer. 101. contra Cevall. part. 2. quæſt. 56. num.* 39. Freitas *in 3. edit. de confeſ. ſollic. quæſt. 5. num.* 86. & Pereira *de man. reg. p. 2. cap. 29. n. 4. & cap. 43. nu. 4. & cap. 44. n. 14. & cap. 50. n. 16. & cap. 52. n. 41. & cap. 63. n. 18 & ſeq.* ubi quamvis pro parte affirmativa multas rationes adduxerit, quod ſcilicet quæſtio facti criminis hæreſis non ſit magis ſpiritualis, quàm quæſtio facti aliarum rerum ſpiritualium, de quibus Judex ſecularis de facto cognoſcit, prout eſt cauſa beneficialis, matrimonialis &c. ſi tamen forte, contingat quæſtio facti hæreſis, & Judex ſecularis in hoc caſu velit ſe immiſcere, poſſit à Judice Eccleſiaſtico inhiberi ne procedat.

At licet illi quæſtioni, an Judex laicus ſi contra aliquem excipiatur, quod ſit hæreticus poſſit inquirere, & cognoſcere, an hoc ſit verum ad effectum videndi, an exceptionem admittere debeat, reſpondet Carena *p. 2. tit. 3. n.* 15. quod Judex laicus in quæſtione facti non poteſt inquirere, an aliquis ſit hæreticus principaliter ut illum puniat, ſed neque per modum exceptionis, ſi inquiri debeat, an aliquis ſit, vel ne hæreticus, ſive an aliqua propoſitio ſit, vel ne hæretica. Quia hujuſmodi quæſtiones non poſſunt eſſe meri facti, ſed ſunt ſimul quæſtiones juris. Si verò quæſtio facti non ſit de eo, an aliquis ſit, vel ne hæreticus, ſive an ut hæreticus ſit declaratus ab Eccleſia, vel condemnatus, poteſt Judex laicus hoc inquirere, ac de hoc judicare. Quia hæc quæſtio eſt nudi facti, ſejuncti ab omni juris controverſia, & eſt quæſtio mere incidens ordinata non ad puniendum hæreticum principaliter, ſed ſolum ad effectum non admittendi eum in judicio, vel ejus filios ad honores, aut dignitates. Sic enim, licet excommunicatio ſpectet ad forum Eccleſiaſticum ſi tamen contra aliquem excipiatur, quod ſit excommunicatus, etſi non poſſit Judex laicus cognoſcere de jure excommunicationis, poteſt tamen cognoſcere de nudo facto, an ſcilicet ſit verum, quod ille verè ab Eccleſia fuerit excomunicatus, vel ut talis denunciatus, ut per Franch *in cap. 1. §. ſi quis igitur. vers. an Judex ſecularis, de except. in 6.* ac per Ricciull. *de jur. perſon. lib. 4. cap. 31. n. 15. & 16.*

Nihillominus quod Judex laicus, nec principaliter, neque incidenter; nec directe, neque indirecte, neque in quæſtione nudi facti poſſit de crimine hæreſis cognoſcere ac judicare convincitur ex illo verbo quoquomodo *d. cap.* Ut Inquiſitionis, ibique advertunt Gloſſa, Jo. Andr. *ſuper fin.* Gemin. *n.* 4. Simanch. *de cath.*

inſtit. tit. 36.n. 1. Pariſ. *conſ. 2.n.* 107. *lib.*4. Farinac. *de hæreſ. qu.*186.*n.*154. Delbene *dub.* 196. *nu.* 6. Fermoſ. *in cap. vergentis de hæret. alleg.* 46. *n.* 8. Unde ipſe Catena cognoſcens rem hanc eſſe periculoſam, ſe remittit judicio S. Congregationis S. Officii, ſicque dum Judex laicus format proceſſum contra aliquem de delicto ſpectante ad ſuum forum, ſi incidenter ad ejus notitiam perveniat, aliquem eſſe hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, non poteſt contra illum procedere. Hincque fit ut ſi agenti in foro ſeculari objiciatur, quod ſit excommunicatus, non poſſit Judex laicus de hoc incidenti excommunicationis cognoſcere, ſed debet remittere ad Eccleſiaſticum, ut per Vincent. *in cap. tuam de ord. cogn* qui idem dicit, ſi objiciatur, quod ſit ſimoniacus, intruſus, vel perjurus, & ſequuntur *Oſt. ibi n.* 7. Jo. Andr. *n.* 10. Abb. *n* 9. quicquid contra ſcripſerit Bartol. *in l. Titia n.* 5. *ff. ſol. matr.* obſtat diſtinctio Ancharani *in cap. ea, quæ in 2. & 3. q. de regul. jur. in* 6. quod ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa, quæ per viros Eccleſiaſticos conferuntur, & miniſtrantur, & de quibus ipſi tantummodo ſunt capaces active & paſſive, ſunt de foro Eccleſiæ præciſe, etiam incidenter mota, in illis verò ſpiritualibus, de quibus laici participant, ut ſunt matrimonia, juramenta, crimina, & ſimilia, Judex laicus eſt competens, cùm eſt quæſtio ſuper facto. Quam diſtinctionem ſequuntur Albertin. *de agnoſc. aſſert. q.*25.*n.*54. Farinac. *de inquiſ. q.*8.*n.*20. & Carol. de Graſſ. *de effect. cler. effect.* 1. *nu.* 403. ubi alios adducit.

Nam hæc diſtinctio eſt velut ariſta, ſubtilis, ſed fragilis. Non enim ſubſiſtit ſecundum membrum, quod in ſpiritualibus, quæ cadunt in laicum active, Judex ſecularis ſit competens, cùm eſt quæſtio ſuper facto. Nam ſimonia proculdubio cadit in laicum active *can. reperiuntur 1. q. 1. cap. tum eſſent de ſimon.* Eſt tamen de quæſtione facti, an laicus ſit ſimoniacus, Judex ſecularis non cognoſcit etiam incidenter ſecundum opinionem Vincentii, quam ſequuntur omnes *in d. cap. tuam de ord. cognit.* Et de crimine hæreſis fatetur idem Ancharanus. Quare nec ſuper ejus facto Judex ſecularis eſt competens, eſtque textus in *cap. ſecundum Apoſtolum de hæret. in* 6. quia eſt crimen mere Eccleſiaſticum, ut ex præallegato *§. prohibemus d. cap. ut Inquiſit. de hæret. in* 6. Ratio generalis eſt, quia de quæſtione ſpirituali judex laicus ob ejus incapacitatem nec principaliter neque incidenter, nec per reconventionem poteſt cognoſcere, *cap. decernimus, & cap quanto de judic. cap. lator, & cap. cauſam 1. & 2. qui fil. ſint legit.* & notant *in d. cap. tuam* Gloſſ *ult. Innoc. n.* 1. Oſt. *n.* 2. & 7. Abb. *antiq. in fin.* Jo. Andr. *n.* 1. Abb. Sicul. *n.* 3. *aliique.*

Hinc patet, non eſſe faciendam vim, an materia cadat in laicum active, vel paſſive, ſed tantummodo, an res, circa quam incidit quæſtio facti, ſit ſpiritualis, quia tunc nec de ipſa quidem quæſtione facti Judex laicus poteſt cognoſcere, ut alibi probavi *ex cap. ſi Judex de ſent. excom. in* 6. quod locum habet non ſolum ſuper quæſtione facti, an quis ſit Clericus, ſed etiam ſuper quæſtione, an captus inceſſerit in habitu & tonſura, ſitque remittendus ad Iudicem Eccleſiaſticum Quæ minus videntur habere ſpiritualitatis annexum, & nihilominus de hac quæſtione facti non cognoſcit, niſi Judex Eccleſiaſticus, ut ex communi ſententia fuſe probat Covar. *pr. quæſt. cap.* 33. *num.* 1. & alias cenſuit S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum. Rationem hujus concluſionis eſt, tum quia ex facto jus oritur *l. ſi ex plaga §. ult. ff. ad leg. Aquil.* Dec. *in cap. decernimus num.* 188. *de judic.* Unde quæſtio juris à quæſtione facti ſeparari non poteſt, ut per Fulgoſ. *conſil.* 133. Qua ratione id totum deferendum eſt ad Judicē Eccleſiaſticum, quia dignior, *cap. quanto de judic.* Et tum quia quæſtio facti ad quæſtionem juris ordinatur, ſicque de illa idem, quod de quæſtione juris eſt judicandum, ut tradit Bartol. *in re ſimili in l. ſolent nu.* 14. *ff. de alim. & cib. leg.*

Nec obſtat reſponſio Jaſonis *in l. quoties C. n.* 7. *de judic.* quam cenſet veriſſimam Ripa *in d. decernimus nu.* 17. quod licet ex facto jus oriatur, non tamen oritur jus ſpirituale, de quo contenditur. Et quamvis cauſa ſpiritualis ſit, de cauſa tamen facti non diſceptatur, ſed de ipſo facto. Unde apparet, quæſtionem facti eſſe ſeparabilem à quæſtione juris, licet quæſtio juris à facto ſeparari non poſſit.

Nam contrarium evincitur *ex d. cap. ſi Judex laicus de ſent. excom. in* 6. ubi quæſtio facti, an quis ſit Clericus dicitur eſſe de re Eccleſiaſtica, & ſpirituali, ideoque ad Judicem Eccleſiaſticum pertinere, & tamen ibi non diſceptatur de cauſa facti, ſcilicet de Ordine ipſo, ſed ſolum de facto, id eſt an Ordo fuerit collatus. Ergo quando cauſa facti eſt ſpiritualis, etiam factum ipſum propter connexitatem reputatur ſpirituale, ac pertinet ad forum Eccleſiaſticum.

Minus obſtat, quod in cauſa uſurarum Judex laicus ſit competens, cùm incidit quæſtio ſuper facto, ut per Bart. *in l. 2. n. 4. ff. de juriſd. omn. Jud.* Card. *in d. cap. tuam n.* 5. Butr. *n.* 17. Feder. de Sen. *conſ.* 96. *n.* 2. pluresque alii. Nam reſpondetur primo, hanc eſſe arduam quæſtionem, in qua ſunt variæ doctorum ſententiæ, quas examinat Marian. Socin. *in cap. cum ſit generale à n.* 19. *de for. comp* & nihil concludit, ſed cogitandum relinquit ac tres principales opiniones proſequitur ibi *Felin. n.* 1. At demus veriorem eſſe illam opinionem, quod Judex laicus poſſit procedere ubi quæſtio facti eſt omnino abſtracta à quæſtione juris, quam dicit communem, & ſequitur Abb. *in d. cap. cum ſit generale nu.* 17. Tunc aio, non licere arguere à cauſa uſurarum ad cauſam hæreſis. Quia cauſa uſurarum à pleriſque dicitur eſſe mixti fori, ſicuti perjurii, ſacrilegii, & adulterii, & propterea in prædictis criminibus Judex laicus eſt competens, non ſolum incidenter, ſed etiam principaliter, & eſt locus præventioni, ut notant omnes *in d. cap. cum ſit generale.* At cauſa hæreſis eſt mere Eccleſiaſtica, & de foro Eccleſiæ, ac de illa principaliter, neque incidenter, nec quoquomodo atque adeo nec quæſtione facti, etiam nudi, Judex laicus poteſt cognoſcere, per dictum textum *in cap. ut Inquiſitionis §. prohibemus de hæret. in* 6.

Et quidem ex cōtraria ſententia plures ſequerentur abſurditates. Nam oporteret coram Judice laico diſceptare de quæſtionibus, an ad hæreſim probandam requiratur vera probatio, an verò ſufficiat præſumpta, & in ſpecie circa intentionem reorum. Item an probetur per famam, vel per confeſſionē, & quid ſi fama opponatur confeſſioni, vel contra, anve teſtes ſuper his recipiendi debeant eſſe omni exceptione majores, ut contendūt ſcriptores profani. Hujuſmodi enim articuli non reſpiciunt quæſtionē juris, an hæc vel illa actio, & propoſitio ſit hæreticalis, ſed quæſtionem facti, an cōmiſſum ſit crimen hæreſis, & ideo ſi de his teſtes deponerent, utique oporteret, Judicem laicum cognoſcere, an inde reſultaret hæreſis probatio, & tamen nemo eſt, qui non videat, quàm ſit abſurdum, quod hæ, ac ſimiles quæſtiones diſcutiātur, ac termineutur in foro ſeculari.

Solum igitur Judex laicus in cauſa hæreſis eſt merus executor, contra hæreticos, facta degradatione, & traditione, ac relicta in executione, ut in *d. §. prohibemus, & in cap. cum ſecundum leges de hæret. in* 6. *& notat. Abb. in cap. ad abolendam nu.* 7. *&* 12. Mar. Socin. *n.* 9. *de hæret.* ac ita, ut ne quidem poſſit judicialiter cognoſcere, an ſententia lata à Judicibus fidei ſit juſta, ſive injuſta, anve ſit valida, anve invalida, nec de proceſſu neque de delicto, nec principaliter, neque incidenter, nec de quæſtione juris, neque nudi facti, aut quoquomodo, etiamſi damnato imponenda ſit pœna mortis, ſed id omne juſtitiæ,

ac

ac providentiæ Judicum fidei ſit remiſſum, nulluſque detur recognitioni locus, nt per Panorm. & Anchar. *in cap. at ſi Clerici de judic.* Imol. *in cap. 1. de offic. ordin.* Caſſan. *in Conſ.* Burg. *rubr. dos Judices §. 8. num.* 14. albertin. *de agnoſc. aſſert. qu. 25. num.* 43. Diaz. *in pr. cap.* 141. Simanch. *de cath. inſtit. tit. 16. num.* 5. Clar. *in pr. qu.* 96. Pegna plures referens *cap.* 3. *com* 85. Farinac. *de hæreſ. qu. 186. n. 161. & qu. 97. num.* 103. Sanctarel. *de hæreſ. cap. 40. dub. 4. num.* 24. Cantera *quæſt. crim. cap. 1. num.* 59. Caſtropal. *part. 1. tract. 4. diſp. 8. pun. 14. num.* 6. Carena *p. 2. tit. 2. num. 44. & p. 3. tit. 13. num.* 11. Delbene *dub. 169. num.* 11. & alii, quos refert Barboſa *in d. cap.* Ut Inquiſitionis *nu. 4. de hæret. in 6.* Quidquid dicant aliqui legiſtæ, quorum objectionibus ſubtiliter, ac copioſè reſpondet Felinus *in cap. ad abolendam n. 5. de hæret.* Bero *in cap. at ſi Clerici num. 79. de judic.* Marſil. poſt alios *in tract. de bann. v. Judice num.* 129. ac notat Abb. *in cap. ea, quæ num. 14. de ſtat. Monach.* inquiens Bartolum in hoc erraſſe *in l. divus ff. de cuſtod. reor.*

Ideoque Inquiſitor Judici laico proceſſum à ſe factum oſtendere non debet, ſed Judex ſecularis abſque mora ſententiam Judicis Eccleſiaſtici debet executioni mandare, quod ſi abſque cauſa diſtulerit, poterit ad id ab Inquiſitore compelli per cenſuras Eccleſiaſticas. Neque tamen Inquiſitor id faciens, exprimere debet pœnam mortis, jubendo expreſſe judici laico, ut condemnatum comburat, vel morte afficiat, ſed jubendo, ut ſententiam à ſe latam, exequatur. Hic enim modus loquendi habetur in conſti. tutione. Ad audientiam Alexandri IV. & in conſtitutione Honeſtis petentium votis Leonis X. Vel jubendo Judici ſeculari, ut ſervet leges & conſtitutiones editas contra hæreticos, quo loquendi modo utitur Innocentius IV. in conſtitutione *Ad extirpanda §. damnatos* & abſque irregularitatis timore, Quia non debet præcipere Inquiſitor, ut Judex laicus pœnam mortis in reum exequatur, ſed ut exequatur ſententiam à ſe latam vel melius, ut ſervet conſtitutiones ac leges contra hæreticos emanatas, ut diximus. Et ſic eum mors directè non petatur, nulla eſt ratio irregularitatis contrahendæ, ut tradunt Pegna *particul. 3. com.* 85. Caſtropal. *part. 1. tractat. 4. diſput. 8. pun. 14. numer.* 10. Caren *p. 1, titul. 11. §. 6. num.* 31. Diana *part. 1. tract. 1. reſol. 134, & part. 4. tract. 1. reſol. 59. & tract. 8. reſol.* 26. Campeg. *in addit. ad Zanch. cap.* 8. Locat. *in pr. Inquiſ. u. Judex numer. 57. & 66.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 66. num.* 3. Verum id, quod ad evitandam irregularitatem, non videtur mihi tutum. Unde, ne incurrant in illam Conſultores, Inquiſitores, aliique officiales inſervientes S. Officio, decretum eſt ſub die 9. Octobris 1566. & 29. Novembris 1607. Per cenſuras autem excommunicationis, & alias hujuſmodi compellendi ſunt Magiſtratus, ſi reſiſtant, & ſi adhuc noluerint obedire, compellendi ſunt aliis juris remediis, pœniſque arbitrariis pro qualitate dilationis, & contumaciæ; ut per Pegnam *in part. 3. direct. quæſt. 36. com.* 85. & Farinac. *dict. quæſt. 186. numer.* 163. Quod tamen, ut maturius fiat, erit ſignificandum ſupremo Tribunali. Quinimmo recuſans exequi ſententiam à Judice Eccleſiaſtico latam, vel omittens hæreticis puniendis auxilium præſtare, cùm fuerit requiſitus, redditur ſuſpectus fautoriæ, ac proinde tanquam fautor hæreticorum puniri poterit ut per eundem Pegn. *loc. cit.* & Farinac. *ibid. n. 164. & Graff. lib. 4. deciſ. c. 18. n.* 22.

Quod verò dicitur, Magiſtratum laicum ſtatim ſine mora debere condemnatos recipere ac punire, id fieri cenſebitur, ſi fiat intra quinque vel ſex dies, ut habetur ex dict. Conſtitutione *Ad extirpanda §. damnatos* Innocentii IV. & ex conſtitutione *Dilectus filius* Innocentii VIII. *apud* Pegnam *com.* 85. ubi monet in hoc ſervandam eſſe conſuetudinem Provinciarum. Quod etiam advertit Farinac. *dict. quæſt. 186. numer.* 162. Diaz *ibid. quæſt. 144. n.* 2. ac Delben. *dict. dub. 196. n.* 13.

Quod ſi Judex, ſive Magiſtratus ſecularis ſciat etiam certò, ſententiam contra hæreticum latam eſſe injuſtam, quia ex falſis teſtibus hæreſis fuit probata, vel nullam, quia neceſſarius juris ordo non fuit ſervatus, non idcirco poteſt ipſe proceſſum diſcutere, ac de injuſtitia, vel nullitate ſententiæ judicialiter cognoſcere. An autem tunc poſſit, ſaltem ſuperſedere ab executione ſententiæ, ne morti tradat innocentem, affirmat Delbene *dub. 197 num. 1. & ſequent* Quia tunc non ex autoritate publica, ſed privata reus condemnaretur. Quod eſt iniquum ac intrinſecè malum, ac proinde executor exequi non debebit, quia Judex nullam habet autoritatem in vitam innocentis, cum hæc ſoli Deo ſit ſubjecta, Decian. *lib. 5. cap. 25. num. 3. & 4.* Repert. Inquiſ. *v. executor*, Conrad. Brun. *de hæret. part. 4. c. 15. n. 10. & ſequent.* Gundiſalv. *eod. argum. quæſt. 19. numer. 6. & 7.* Farinac. *de pun. temper. quæſt. 97. numer. 77. 88. 92. & ſequent.* Leſſ. *de juſt. lib. 2. cap. 26. dub. 10. num.* 78. Caſtropal. *part. 1. tract. 4. diſp. 8. pun. 14. num.* 7.

Negat Carena *part. 3. titul. 14. numer.* 9. etiamſi reus dicat ſe habere ſecretum communicandum Principi quod concernat ejus ſalutem.

Hanc ſententiam negativam tenendam eſſe autumo ex pluribus rationibus. Primo quia Judex laicus non eſt Judex ſententiæ Judicis Eccleſiaſtici, ſed merùs tantum exequutor & cuſtos, ideoque tenetur illam cuſtodire ac exequi, & nullam exceptionem in eam admittere debet pertextum *in cap paſtoralis de offic. & poteſt. Judic. deleg. ubi ad hanc rem ita decernitur §. quia vero: Quæſiſti, an ſi ipſam ſententiam injuſtam eſſe cognoverit, debeat eam executioni mandare, an ſit ei potius ſubſiſtendum? Attendentes itaque, quod non cognitio, ſed executio tantum demandatur eidem, reſpondemus, quod cùm Ordinarius teneatur obſequi delegato, etſi ſciat ſententiam illam injuſtam, exequi nihilominus tenetur tandem, niſi apud eum efficere poſſit ut ab hoc onere ipſum abſolvat.* Quibus ex verbis colligitur, quod cùm Judici laico ſolum executio, & nulla cognitio demandetur, efficitur, ut etiamſi certò ac evidenter ſciat, aut exiſtimet, ſententiam latam contra reum eſſe injuſtam, aut nullam debere illam exequi, ſolumque poteſt, ac debet Inquiſitorem rogare, ut ab illo onere ſe abſolvat. Quod ſi non obtinuerit, obſequatur: Nam fecit, quod debebat.

Quod ſane multo magis procedit, ſi nullitas ſententiæ certò ac evidenter non appareat. Tunc enim nec quidem poteſt, etiam ad effectum ſuperſedendi à ſententiæ executione, & cauſam remittendi Superiori, probationes decipere, ac proceſſum examinare, neque illius acta cognoſcere. Nam, licet hoc in aliis delictis fieri poſſit, quando incontinenti probationes afferuntur, ut docent Navar. *in cap. cum contingat in 1. rem. numer. 7. & 8. de reſcript.* Salzed *ad* Diaz *cap. 154. numer.* 14. & Farinac. *quæſt. 97. num. 91. & ſequent.* in crimine tamen hæreſis ob favorem fidei hoc prohibetur *dict.* conſtitutione Innocentii VIII. & tradit Simanch. *cath. inſtitut. titul. 36. numer.* 7. & Farinac. *loc. cit. num.* 108.

Deinde quia, ſi Judex ex magis communi ſententia quam habet D. Thom. 2. 2. *qu. 67. art.* 2. & ſequuntur Alens 3. *p. q. 40. memb. 6. ar.* 2. Richard. *in 4. d.* 18.

4. d.

4. *d.* 18. *art.* 3. *q.* 26. Major etiam *in* 4. *d.* 33. *qu.* 4. D. Antonin. 3. *p. tit.* 9. *cap.* 2. §. 6. Palud. *in* 4. *d.* 18. *qu.* 6. Petrus à Tarantaſia, qui poſtea Innocentius V. *quod lib.* 3. *qu.* 25. Altiſiodor. 3. *p. ſum. tit. in quib. ſit obediendum* Sylveſt. *u. Judex cap.* 2. §. 5. Abulens. *in cap.* 23. Exod *qu.* 6. Turrecrem. & Archid. *in cap. ſi Sacerdos de offic. ordin.* Bartol. *in l. illicitas* §. *veritas ff. de offic. Præſid.* Jo. Andr. *in ſpecul. tit. de allegat. & diſput.* §. *ſatis nu.* 13. Felin & Imol. *in d. cap. paſtoralis d.* §. *Quia vero*, ibique Innoc. & *in cap. venerabilis de conſil.* Gloſſa & Alciatus *in cap.* 1. *de offic. Ordin.* Covar. *lib.* 1. *var. c.* 1. Navar. *in can. ſi quis de pœnit. d.* 7. *num.* 128. aliique tam antiqui, quàm recentiores, debet judicare contra veritatem, quàm certò novit propterea, quæ in contrarium proponuntur. Quia cum nō agat niſi, ut perſona publica, duo illa, quæ maximè requiruntur in ipſo, nempe poteſtas & ſcientia debent eſſe publicæ, ut quemadmodum id tantum debeat agere, quod poreſtas, publica illi tribuit, ita quoque oporteat judicare juxta ea, quæ per ſcientiam publicam ipſi conſtant.

Etenim Judex debet judicare ſecundum jus divinum & humanum; utroque autem jure tenetur in judicando ſtare teſtibus. Jure quidem divino Deuter. 17. *Cum accuſatus fuerit aliquis adoraſſe Solem vel Lunam &c. inquires diligenter, & ſi verum eſſe reperiris, interficies illum.* Et ſubdit. *In ore duorum, vel trium teſtium peribit omnis, qui interficietur.* Ubi cùm præmiſiſſet, inquirendam eſſe veritatem, docet illam veritatem eſſe ſequendam, non quam Judex privatim noverit, ſed quæ conſtiterit ore duorum, vel trium teſtium. Et *cap.* 19. hoc idem magis explicatur. *Non ſtabit*, inquit, *teſtis unus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quem locum citat Chriſtus Matth. *cap.* 16. agens de correctione fraterna: *Si correctus, inquit, à te non fuerit emendatus, adhibe duos vel tres teſtes.* Cur ita? ut vel ab illis efficacius corrigatur, vel ſi non corrigatur, deferatur ad Judicem Eccleſiæ, qui illum prius paternè ſin minus juridice corripiat de illo delicto & per teſtes illos judicet, additque hæc verba. *Ut in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Quaſi dicat: non poteſt Judex aliter judicare, niſi ex dicto duorum, vel trium teſtium, quicquid ipſe privatim ſciat. Quod ſanè confirmatur. Nam *Deuteron.* 17. ex quo loco argumentantur adverſarii, ita legitur, *Aſcendes ad Sacerdotes, qui fuerunt illo tempore, qui dicent tibi judicii veritatem.* Quibus ex verbis hanc efficio, concludoque rationem Judex debet jodicare juxta judicii veritatem, Sed veritas ſumitur à parte rei, veritas autem judicii ex probatione juridica. Ergo Judex debet judicare ſecundum probationem juridicam. Major certa eſt ex illo Deuteronomii loco. Minor patet. Nam ex omnium Doctorum ſententia illud dicitur verum in judicio, quod juridice probatur, illud ſimiliter non verum in judicio, quod non probatur juridice, ut habetur *l. non novam C. de judic. & l. penult. ff. de probat. & cap.* 1. *& cap. laudabilem de frigid.* Unde Daniel *cap.* 13. illos ſalſos teſtes, licet certò noſſet ſalſos eſſe, non rejecit, nec liberavit Suſannam, quantumvis certiſſimo ac divina revelatione noſſet innocentem, donec juridice ex confeſſione ipſorum oſtenderet, illam eſſe innocentem.

Jure autem humano idem conſtat ex *d. l. illicitas* §. *veritas ff. de off. Præſid.* ubi ſic decernitur: *Sententiam ferendam eſſe à Judice ex fide eorum, quæ probantur in judicio.* Nec refragatur gloſſa Culderini, & aliorum, nimirum *ex fide eorum, quæ probatur per teſtes veros.* Tunc quia *ſive teſtes veri* ſint, ſive ſalſi, & quos judice Judex repellere non poteſt, faciunt fidem in judicio. Et tum quia ſi ſecundum ſolos teſtes veros, eorumque fidem eſſet judicandum, non poſſet Judex ſecundum ipſos judicare, niſi aliàs rei veritatem ſciret à parte rei, & teſtes illos verum dicere, quod eſt ridiculum. Ac tum quia *in d. cap. paſtoralis de offic. deleg. d.* §. quia verò, præcipit Innocentius III. ut Ordinarius requiſitus à delegato, ut exequatur ejus ſententiam, illam executioni mandet, cùm juridice lata ſit, etiamſi privatim ſciat eſſe illam injuſtam. Sed eodem modo ſe debet habere Judex in ferenda ſententia, ſicut executor in illa executioni mandanda. Ergo tenetur etiam Judex judicare ſecundum quod juridice ſibi probatur, etiamſi privatim ſciat oppoſitum eſſe verum. Ergo multo magis ad id tenétur merus executor.

Poſtremo, quia ſi Judex laicus exequi non debeat ſententiam Inquiſitoris, id quidem eſt, vel quia cognoſcit injuſtitiam ex actis, vel aliunde. Non ex actis, cùm apud ipſum facta non fuerint, neque poſſit ipſe illa examinare. Neque aliunde. Nam ſi ea, ut privata perſona legit, exinde ſolum hauriret ſcientiam privatam. Ex ſcientia autem privata moveri non poteſt ad ſententiæ executionem ſuperſedendam. Sicuti ſimiliter in ſententiæ prolatione Judex moveri non debet ex ſcientia privata, ſed publica. Quod etiam tradit Simanch. *dict. tit.* 36. *num.* 6. *& ſequent. & in Enchir. tit.* 66. *numer.* 4. *& ſeq.* & ad hoc inclinat Farinac. *quæſt.* 67. *de pœn. temp. num.* 107. *& ſequent. ac de hæreſ. quæſt.* 186. *à num.* 168. aliique, qui tenent, quod Judex laicus quantumcunque cognoſcat injuſtitiam, vel nullitatem ſententiæ Judicis Eccleſiaſtici, adhuc tamen teneatur ſententiam exequi. Quinimmo Locatus *in prax. Inquiſ. d. u. Judex numer.* 57. *&* 66. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 66. *num.* 3. Campeg. *ad Zanchin. d. cap.* 8. Caſtropal. *dict. pœn.* 14. *num.* 10. Diana *dict. part.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 134. *& part.* 4. *tract.* 1. *reſol.* 59. *& tract.* 8. *reſol.* 26. docent, poſſe Inquiſitorem inquirere contra Judicem laicum, tanquam fautorem hæreticorum, etiamſi differat ſententiæ executionem ſub prætextu, quod ſit injuſta. Quia nullo modo Judex laicus poteſt ſe ingerere in cognitione cauſarum Tribunalis S. Officii, cujus tantum eſt merus executor.

Alioquin autem plura ſequerentur abſurda. Nam cum S. Tribunali, & publica judicia ſint ob bonum Reipublicæ, ſi executor ſententiam juridice probatam non teneretur ſecundum illam exequi, ſed ſecundum ſuam privatam ſcientiam, populus, qui non judicat de occultis, meritò pertubaretur, videndo executorem non ſtare publicæ probationi, ac ſententiæ, juſteque ſuſpicaretur executorem in illa cauſæ amore, vel odio duci, ac fingere, quæ dicit, dareturque occaſio executoribus relinquendi multos nocentes impunitos, qui verè nocentes eſſent, illoque ſupplicio digni hoc prætextu ſe certo noſſe illorum innocentiam.

Tenetur itaque Judex laicus, pœna mortis punire hæreticum ſibi puniendum traditum. Nam hæc pœna eſt adverſus illum ſtatuta per leges Imperiales, à ſummis Pontificibus approbatas, & quia *ex d. cap. Ut Inquiſitionis d.* §. *prohibemus de hæret. in* 6. tenetur ſtatim, & abſque ulla dilatione exequi Inquiſitorum ſententiam atque ex *d.* Conſtitutione Innocentii VIII. *dilectus filius*, in qua ſic legitur, *Eiſdem officialibus ſecularibus ſub excommunicationis pœna, & aliis cenſuris Eccleſiaſticis præcipiatis, atque mandetis, ut intra, ſex dies, poſtquam legitime fuerint requiſiti, ſine aliqua dictorum proceſſuum, per vos agitatorum viſione, ſententias per vos latas, contra hujuſmodi hæreticos prompte exequantur, appellatione remota.* Et ita docent Pegna *p.* 3. *q.* 36. *com.* 85. Farinac. *d. quæſt.* 97. *n.* 105. *& de hæreſ. d. q.* 186. *num.* 162. *&* 165. Diaz. *pr. cr. can. cap.* 144. *n.* 2. Caſtropal. *d. pun.* 14. *n.* 6. *paſſimque alii.*

Hinc

Hinc Princeps, ſive Judex ſecularis non poteſt condere ſtatuta, quibus præſcribatur modus procedendi, vel puniendi crimen hæreſis; diverſus ab eo, quem Eccleſia præſcribit, ac obſervet per textum *in cap. ſtatutum de hæret. in 6.* & probat Farinac. *d. qu.* 186. *nu.* 155. Nam adverſantur juriſdictioni Judicum fidei, idque eſſet cognoſere de crimine, ac præſcribere modum procedendi in crimine hæreſis, quod eſt mere Eccleſiaſticum, atque adeo, non ad ſecularem juriſdictionem pertinens, ſed ad Eccleſiaſticam, contra quam ſtatuta laicorum nullius ſunt momenti, dum à ſummo Pontifice non approbantur, *d. cap. Inquiſitionis ſub initio*, & cap. *quæ in Eccleſiarum de conſtit.* ibique Gloſſa, & Doctores, quos refert Decian. *lib.* 5. *c.* 26. *n.* 4. Boſſ. *tit. de hæret. n.* 83. *& ſeq.* ac nos alibi ſæpe.

Poteſt tamen poteſtas laica contra hæreticos alias pœnas, præter eas, quæ jure canonico ſunt impoſitæ, dummodo eis non ſint contrariæ, imponere, proſequi, ac exercere, ut proinde Principes ſeculares poſſe facere, ut in ſuis dominiis antiquæ pœnæ in uſu revocentur, ac in firma obſervatione permaneant, ut ex communi tradunt Pegna *in p. 3. qu. 86. com.* 135. Farinac. *d. q.* 186. *n.* 167. Carrer. *de hæret. nu.* 64. Decian. *d. lib. 5. cap.* 35. *nu.* 2. Cardinal. de Lugo *tract. de fide diſp.* 24. Catena *p. 2. tit. 3. §. 4. num.* 83. Quia hujuſmodi ſtatuta ſunt favorabilia Eccleſiæ ac ejus juriſdictioni, & in augumentum fidei, Inquiſitionibus cum juriſdictio Epiſcoporum, ac Inquiſitorum amplietur, & promoveatur, quod facere debent Principes, ut probat, Contad. Brun. *lib. 3. de hæret. cap. 9. &* 10. Ideoque Romani Pontifices Principum ſecularium leges adverſus hæreticos ac de hæreſi ſuſpectos prolatas, non reprobant, ſed confirmant, ut liquet *ex d. cap. ut Inquiſitionis de hæret. in 6.* ubi Bonifacius VIII. approbat leges civiles in devotionem Eccleſiæ, & hæreticorum excidium latas, quatenus legibus canonicis non obſtent. Monet poteſtates ſeculares in inveſtigandis, & capiendis hæreticis obedire. Mandat prædictis poteſtatibus, ut reos condemnatos ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore, ſibique relictos puniendos, ſine dilatione, appellatione; vel proclamatione, pœnis debitis afficiant. Prohibet, ne de hoc crimine, utpote mere Eccleſiaſtico, quoquomodo cognoſcant, neve reos è carcere liberent, vel condemnatoriam ſententiam retardent. Quod ſi contra facere præſumpſerunt excõmunicatione innodentur, & ſi in illa per annum perſtiterint, tanquam hæretici condemnentur. Idemque conſtat ex quamplurimis conſtitutionibus ſummorum Pontificum apud Pegnam. Et hoc ipſum planè facerent ſummi Pontifices, ſi Princeps aliquis, vel Reſpublica, vel Civitas in ſuis ditionibus conderent novas leges, quibus novæ hæreſes aut naſci impedirentur, aut natæ facilius extirparentur. Unde ſi Judex Eccleſiaſticus omiſiſſet in ſententia ponere publicationem bonorum, poſſet illam Judex laicus addere, Decian. *d. cap.* 25. *num.* 2. Et Princeps ſecularis poſſet ſtatuere, quod Judæi, aliive infideles in ſuis dominiis commorantes teneantur hæreticos denunciare, aliaque hujuſmodi facere. Atque ideo etiam ſeculares Magiſtratus poſſunt hæreticos capere, in carceres conjicere, ut eos tradant Judici Eccleſiaſtico, Clar. *in pr. §. hæreſis num.* 4. Afflict. *in conſtit. Regni tit. de hæret. num.* 33. Farinac. *d. q.* 186. *num.* 158. Valereque ſtatuta ſecularium Principum ſuper publicatione bonorum pro illa parte, quæ illis applicatur de jure Canonico, vel ex conſuetudine á ſede Apoſtolica approbata, inquit Farinac. *d. q.* 186. *n.* 156. ex Pariſio *conſ. 2. nu. 14. lib.* 4. ac Decian. *lib. 5. d. cap.* 25. *n.* 87. cenſuitque Pegna, recipi poſſe Principum ſtatuta quibus conſtituerentur, ut vel omnia bona publicata tribuerentur officio Inquiſitionis, vel aliter ſervatis cõſtitutionibus Apoſtolicis expenderentur.

Parerga Inquiſitores in ſententiis ferendis, & in quibus reſervatur mitigatio pœnarum, ponant clauſulam, *Nobis reſervamus.* Quia cum ab ipſis, & Vicariis Epiſcopalibus promulgentur, mitigatio pœnarum utique eſt reſervanda. At poſtea hujuſmodi mitigatio ac moderatio reſervata fuit Congregationi Em. Cardinalibus ſupremæ Inquiſitionis. Non enim amplius poterunt ipſi ex ſe illas commutare. Sed demum Inquiſitor una cum Epiſcopo mitigat, & commutat pœnas impoſitas damnatis à S Officio in ſententiis latis ab Epiſcopo, & Inquiſitore. Ad utrumque enim commutatio ſpectat. Quod ſervandum eſt tam in proceſſu facto in curia Epiſcopali, quam in S Officio. Commutare tamen illas non poſſunt in pœnas pecuniarias inconſulta S. Congregatione, cûm abſque licentia tales mulctæ imponi non poſſint.

Inquiſitores tranſmittere debent omnes ſententias ad S. Officium, non autem proceſſus, niſi in arduis, ſed ſummarium ante expeditionem, & reſponſum acceptent.

In ſententiis minorum non poſſunt apponere clauſulam citra pœnam relapſus abſque ſpeciali commiſſione S. Congregationis.

Inquiſitores debent ipſimet ſententias pronunciare in cauſis, quæ fiunt à ſuis Vicariis.

Inquiſitores poſſunt ferre ſententias contra ſponte comparentes, illoſque abſq; Ordinarii interventu expedire. In illis verò cauſis, in quibus formatur proceſſus, debet ſervari Clem. I. de hæret.

Inquiſitores omnes Italiæ prohibeant, ne ſui Vicarii regulares pro ſententiis, examine teſtium, decreto, ſive actu, aut alio quocunque titulo, vel prætextu aliquid recipiant, ſed gratis omnia expediantur. Sacra enim Congregatio quotannis juxta qualitatem laborum exhibere mercedem. Unde generalibus Ordinum præceptum eſt, ut Inquiſitoribus, fratribus notariis, & Vicariis provideant de victu, & aliis rebus neceſſariis.

CONSULTATIO CLXIII.

De Degradatione, quod ad cauſam hæreſis. Quotuplex ea ſit. De qua degradatione loquatur textus in cap. Quoniam 1. *de hæret. in 6. An in degradatione activa comprehendatur capitulum. Quid de Epiſcopo confirmato, & conſecrato. An Epiſcopus facultatem degradandi poſſit delegare? Quid de Prælatis regularibus circa ſuos ſubditos? Quid de ſolo Inquiſitore? Quid ſit de forma & ſubſtantia judicii in cauſa fidei? Abbates, vel Prælati an ſint vocandi, ut conjudices. Horumque convocatio an ſit de forma degradationis in Tribunali S. Inquiſitionis. Quænam perſonæ convocandæ, ut aſſiſtant degradationi? In quibus caſibus fieri debeat degradatio ex cauſa hæreſis? An ſit licitum in electione Epiſcopi Clericum in ſacris ex cauſa hæreſis tradere Curiæ ſeculari, vel perpetuo carceri? Quinam ſint effectus degradationis? Et an aliquis degradari poſſit ſine accuſatore procedente Judice per viam Inquiſitionis? Ubi alias præſertim S Concilii Tridentini decretum ſuper degradatione, ab ejus S. Congregatione explicatum, & Parerga aliquot de degradatione, non vulgaria.*

Scandalum grave eſt, ac dedecus Eccleſiæ habere incorrigibiles ac ſceleratos adminiſtros; unde merito movendi illinc ſunt *cap. qualiter & quando*, ut à villicatione villicus iniquitate in Evangelio Luc. *cap.* 16. & hujuſmodi pœnam dicimus depoſitionem. Depoſitio autem eſt, ſive ex autoratio, de dignitate, gradu vel ordine deturbatio, vel eorum privatio, degradationis nomen vulgò uſurpatum à gradu. Veruntamen depoſitio verbalis proprie remotio eſt per ſententiam; degradatio realis, ſolennis & cum executione emanci-

patio

patio Curiæ ſeculari facta, adempto clericatu. Atque depoſitio duplex. Alia ab officio, ſeu beneficio ſimul *cap. fin. de celebr. miſſ.* vel ſeparatim, *cap. 2. de pœn. in 6. c.* novimus *de verb. ſignif.* ſpecul. *tit. de accuſ. §. 2. can. accidens. d. 50.* & à dignitate. Alia ab Ordine, quæ proprie exautoratio, ſive degradatio contra Clericum in ſacris conſtitutum, ut *in cap. pen. de purg. can.* Depoſitio priorum verbalis eſt privatio, vel ademptio beneficii, quæ à ſolo Epiſcopo fieri poteſt, & tamen non ſine crimine, vel cauſa. Nam ſi quis non potuerit propter ſupervenientem infirmitatem officio, vel beneficio per ſe ſatisfacere, non eſt deponendus, ſed coadjutor ei dandus *can. ſcripſit cum ſeq. 7. q. 1. cap. 1. 3. 4. & tot. tit. de Cler. ægrot.* Plura exempla depoſitorum Epiſcoporum, & poſtea reconciliatorum priſtinæ Eccleſiæ referuntur à Cyrillo in epiſtola ad Joannem Antiochenum, quam refert in ſua epitome Gratianus *in can.* Joannes Chryſoſtomus *d. 50.* Deponitur ab adminiſtratione beneficii, non autem à beneficio, propter grave ſcandalum leproſus *cap. tua de Cler. ægrot.* Abbas factus inutilis, qui probe non exercet munus amovetur penitus *can. ſi quis Abbas 18. q. 2.* ſicuti & de Judicibus, & adminiſtrantibus Rempublicam, reſcripſerunt Valentinianus, Theodoſius, Arcadius Cæſares *l. 3. C. de offic. Præf. præt. Orient. & Illyrici.* Immo vero ipſe Imperator inutilis à ſummo Pontifice loco ſubmovetur, & alius ei ſurrogatur, vel propter hæreſim, ſi incorrigibilis, ſi tyrannus, ſi fatuus perjurus, paganus, Eccleſiæ perſecutor, ut in *cap. 2. de ſent. & re jud. in 6. cap. venerabilem de elect. & can. alius 15. q. 6.* Alexander III. ſummus Pontifex *cap. at ſi Cleric. de judic.* Clericos confeſſos in jure, vel convictos legitima probatione ob crimina, quæ merentur ſuſpenſionem, vel depoſitionem, poſſe à proprio Epiſcopo vel ſuſpendi à ſuis ordinibus, vel altaris miniſterio perpetuò removeri, tradit, & penè notat Panorm. in *d. cap. at ſi Clerici*, depoſitionem eſſe remotionem perpetuam ab altaris miniſterio: Graviſſima hæc quidem pœna, & idcirco non impouitur, niſi pro caſibus à jure decretis, *can. domi §. de his d. 50. can. 1. d. 35.* & *dec. in d. cap. at ſi Clerici*, aut pro delicto graviori *cap. tua de pœn.* Panorm. *in cap. fin. de celebr. miſſ.* quod enorme dicunt.

Locum etiam habet jure Canonico dignitatis amiſſio, *cap. ſuper eo de elect. cap. ex tenore de temp. ordin.* item cinguli militaris privatio *can. nullus 11. q. 1. cap. 2. de pœnit. & remiſ.* Atque ideo Felinus *in d. cap. qualiter ii. 25. de accuſ.* notat poſt antiquiores juris pontificii interpreres, quod ubicunque jure civili impoſita eſt pœna mortis prò aliqoo delicto, in locum ipſius intelligatur ſurrogata depoſitio, niſi alia pœna imponatur ordinaria pro eo delicto eodem jure pontificio. Bertachinus *tr. de Epiſcop. p. 8. lib. 4. tit. de cauſ. mater. degrad.* & Oſt. *in ſum. tit. de accuſ. §. quis ſit effectus* colligunt caſus, in quibus depoſitio fieri poteſt, ideo in illis recenſendis non immotabor.

Suſpenſio ab officio, & beneficio minor eſt, quàm depoſitio, *cap. inter ſollicitudines de purg. can.* & depoſitio minor, quam privatio participationis corporis & ſanguinis Domini. Nam ſi depoſitus ab officio celebrat, hac ſacroſancta participatione excommunicatione perpetua quandiù vixerit, privatur, dempto viatico ſub mortis tempus præbendo, *d. can. accedens d. 50.*

Hic notandom, depoſitum Clericum non fieri de foro Judicis ſecularis, probat *cap. cum non ab homine de judic. & cap. at ſi Clerici eod. tit.* & docet Diaz *in pr. crim. can. cap. 27.* Panorm. poſt *Card. in d. cap. cum non ab homine*, ac Innoc. *in cap. de homic. in 6.* Et ideo ei non traditur puniendus ſemper, ſed pœna canonica per Judices Eccleſiaſticos punitur, videlicet detruſione in monaſterium *d. cap. inter ſollicitudines de purg. can. vel alib.* In quo differt à degradatis, qui veluti incorrigibiles relinquuntur pœnæ ſeculari omnibus privilegiis clericalibus exuti: Et quamvis videantur incorrigibiles qui deponuntur, tamen aliquantula eſt ſpes reſipiſcentiæ, ac proinde antequam Judici ſeculari tradantur, ſuis legibus puniendi, oportet eoſdem depoſitos, non ſe corrigentes, vel perſeverantes in crimine, adhuc Eccleſiaſtica medicina revocari, ſi fieri poſſet ab Epiſcopo, per excommunicationem, & deinde anathemate, quæ ſi depoſitus contemnat, & ita in profundum malorum deciderit, tunc curiæ ſeculari relinquitur, Cæleſt. *in d. cap. cum non ab homine de judic.* Quinimmo nec opus eſſe degradatione, ut Clericus incorrigibilis poſſit comprimi à Judice ſeculari, ſed ſufficere declarari per Eccleſiaſticum Judicem, eſſe incorrigibilem, tradunt Jo. Andr. Butr. & Aret. *in d. cap. cum non ab homine.* At de hoc nos alibi diximus.

Dubitatum autem fuit aliquando, an qui ordinatus eſt à ſummo Pontifice, vel ab eo beneficium, ſeu Sacerdotium conſequutus eſt, poſſit ob crimen á ſuo Epiſcopo ab iis deponi. Placuitque tandem aliquibus, quod à beneficio poſſit, ab Ordine non poſſit, niſi per Papam, *collect. in cap. per tuas de major. & obed.* Siculus autem Abbas Panormitanus *in d. cap. per tuas*, & in Ordine admittit per Epiſcopum factam ejus Clerici depoſitionem, quod Felino placet *in d. cap. per tuas.* Vide deciſionem Capellæ Tholoſ. 292. & ibi Aufterium, cùm reatus omne privilegium excludat, *can. privilegium 12. q. 3. auth. qua provincia, C. ubi de crim. agi oport.*

Depoſitio, ſeu degradatio realis, ſeu actualis eſt, quando poſt ſententiam verbalem inſignia Ordinum ſolemniter detrahuntur. Vocant hanc jura depoſitionem ſolennem *can. Epiſcopus 11. q. 3. cap. 2. de pœn. in 6.* forma, & ſolemnitas eſt *d. cap. 2.* ut coram Judice ſeculari, cui tradendus eſt degradandus, publicè ſuperior, qui deponit tondeat rei caput. Radat vitro, vel ferro loca capitis & manuum, in quibus unctio facta eſt tempore ordinationis. Exuat eum habitu clericali, & induat laicali, & ſic Judici laico concedat puniendum. Qui & huic judicio, quando crimen hanc pœnam mereri videbitur, intereſſe debet, ut poſtea ſtatim puniat, *§. ſi tamen de crimin. & §. aliud palam, ut Cler. apud propr. Epiſcop. &c. collat. 6. tit. 11. in auth.* Idcirco reus antea indutus exhibetur veſtibus ſui Ordinis, ut ſi presbyter ſacerdotalibus cum calice in manu, ac ſi celebrare vellet. Diaconus ut diaconus. Item ſubdiaconus, & Epiſcopus degradandus quilibet ſuo habitu. Et poſtea ab extremo uſque ad noviſſimum gradum fit eorum ademptio, ordine, ut presbytero primùm adimatur calix, & deinceps alia ordine retrogrado, qno ei data ſunt. Sic in Epiſcopalibus ornamentis, & aliorum ordinibus intelligi par eſt *d. can. Epiſcopus 11. q. 3.* Si vero agatur de ſummo Pontifice deponendo, ad Concilium generale recurrendum eſt in cauſis, in quibus deponi poteſt, ut *in can. ſi Papa 40.* Videndus & Petrus de Monte *de poteſt. Concil. quæſt.* quando Concilium ſit ſupra Papam.

Extat verò ad rem noſtram *cap. quoniam de hæret. in 6.* ubi, cùm numerus Epiſcoporum ad degradationem Clericorum à ſacris Canonibus inſtitutus, non poterat facilè conveniri, Gregorius nonus conceſſit, quod ſolus Epiſcopus, congregatis tamen Abbatibus, aliiſque Prælatis, ac religioſis perſonis, & litteratis ſuæ diœceſis, Clericum ſacerdotem, vel in ſacris Ordinibus conſtitutum, cùm pro hæreſi fuerit Curiæ ſeculari tradendus, aut perpetuo carceri mancipandus, poſſit degradari. Numerus enim conſtitutus hic erat. Ad degradationem Epiſcopi, duodecim Epiſcopi, ſex ad degradationem presbyteri, tres ad degradationem diaconi, ut ex Concilio Carthag. 1. & 2. *in can. ſi tumidus, & can. Felix. 15. qu. 7*

Abb.

Abb. in cap. non poteſt de re judic. Sylveſt. *v. degradatio num.* 1. Clar. *in pr. &* §. *fin. qu.* 74. Hic autem numerus erat ad degradationem Clerici in ſacris neceſſarius, præter Epiſcopum degradantem, *can. ſi autem*, 15. *q.* 6. Gemin. *in d. cap. quoniam num.* 8. poſt Jo. Andr. & Albertin. *num.* 49. ac Specul. *tit. de accuſat.* § 2. Idemque numerus trium Epiſcoporum erat neceſſarius ad depoſitionem ſubdiaconi, ex quo ordo ſubdiaconatus fuit in ſacrum Ordinem receptus, Gloſ. *in d. cap. quoniam v. Canonibus*, & *in cap.* 2. *de pæn. eod. v. lib.* 2. ibique Jo. Andr. Archid. & Franch. *n.* 2. ac Specul. *tit. de accuſat.* §. 12.

Hunc igitur numerum Epiſcoporum convocare, non erat facile. Rem enim difficillimam reddebat & obligatio reſidendi, quam habent Epiſcopi, & apparatus Equitatuum ac ſupellectilium ac diſtantia locorum, maxime ubi diœceſes ſunt magnæ, ac præſertim ubi ex Inſulis maris Epiſcopi convocandi eſſent, qui cùm ſint Judices ordinarii ſuis expenſis venire deberent ad judicium degradationis, ut ex Barthol. Brix. ait Turrect. *in can. ſi autem is*, *q.* 7. & ex Archidiacono probat Albertin. *in d. cap. quoniam num.* 4.

Hinc autem notandum eſt, quod licet id, quod eſt difficile conncietur impoſſibile, hoc tamen non comprobatur de impoſſibilitate, neque id comprobatur in caſu, in quo lex diſponit, quia lex non diſponit de impoſſibili. Ideoque lex antiquorum Canonum non erat de impoſſibili, ſed de poſſibili, etſi non de facili. Sicque poſſibile, & facile diſtinguuntur ita, ut non omne poſſibile ſit facile, ſed omne facile ſit poſſibile.

Sane degradatio eſt genus quoddam ad depoſitionem, ac degradationem actualem, quæ magis propriè dicitur degradatio. Degradatio verò in genere eſt perpetua ſeparatio Clerici ab altari. Hæc autem diſtinguitur in verbalem, & actualem, ſive ſolennem *cap. degradatio de pæn. in* 6. ad cujus diſtinctionis evidentiam diſtinguitur degradatio in paſſivam & activam. Paſſiva eſt in degradato, & importat eſſe ſeparatum perpetuò ab altari, & hæc non poteſt diſtingui in verbalem & actualem, niſi extrinſecè ex connotatione degradationis activæ, ſed ſemper eſt privatio perpetua Ordinum quantum ad executionem illorum, quamvis major ac longe extenſior ſit hæc privatio, prout infertur ex degradatione ſolenni. Degradatio verò activa eſt juridica actio, per quam à Judice Eccleſiaſtico ſententiam ferente, Clericus juſte ſeparatur perpetuò ab altari ſine ſpe reſtitutionis. Atque hæc eſt illa quæ dividitur in verbalem, actualem ac ſolennem, in qua explicanda multi confuſe loquuntur.

Sunt enim qui videntur velle, quod conſiſtat in illa ſolennitate, in qua degradatus publicè ac ſolenniter expoliatur inſtrumentis, ac indumentis ſui Ordinis. Unde aiunt, quod degradatio actualis ſit executio degradationis verbalis, ut ex Panorm. *in c. qualiter & quando* 2. *de accuſ.* tradit Sylveſt. *v. degradatio n.* 1. & ſententiam, per quam decernitur, ut aliquis degradetur, diſtinguunt ab actuali degradatione, illamque ſub verbali collocant, ut Albertin. *in d. c. quoniam n.* 33. *& ſeq.*

At veritas eſt, quod actualis, & exercita illa expoliatio degradati, facta juxta formam ſtatutam à Bonifacio VIII. *in d. capit. degradatio de pæn. in* 6. eſt complementum degradationis actualis eo modo, quo executio ſententiæ eſt complementum illius, cùm ſit illius executio; ſed tamen hæc degradatio in recto ac principaliter importat ſententiam degradationis. Unde hæc actualis & ſolennis degradatio eſt ſententia lata à Judice imponente degradationem ſolennem, quæ ſit executioni demandata. Et ſic verbalis degradatio eſt ſententia, per quam decernitur, quod Clericus ſit perpetuò ac ſine ſpe reſtitutionis, ſeparatus ab altari, non autem decernitur, quod ſit degradandus *ſolenniter*, ſed ſolùm, quod in facto ſit privatus Ordinum exercitio, & altaris miniſterio. Sententia verò, quæ infert in exercitio ſolennem degradationem, non ſub verbali, ſed ſub actuali ſolenni degradatione continetur.

Hæc igitur activa degradatio diſtinguitur in verbalem & actualem, ſive ſolennem, *d. cap. degradatio de pæn.* Verbalis conſiſtit in ſententia, per quam Clericus privatur exercitio Ordinum, ſive ſeparatur ab altari. Actualis verò eſt verbalis degradationis executio, Panorm. *in d. c. qualiter & quando de accuſ.* Sylveſt. *d. v. degradatio n.* 1. Specul. *d. tit. de accuſ.* §. 2. Albertin. *d. n.* 33. & juxta formam traditam à Bonifacio VIII. *in d. capit.* degradatio fit, quando ſolenniter Clericus indutus veſtimentis ſui Ordinis, & habens ejuſdem Ordinis inſtrumenta, illis expoliatur, ut dictum eſt.

Verbalis fieri poteſt dupliciter. Aut per ſententiam non inducentem actualem & ſolennem degradationem, ſed ſolum privantem Clericum miniſterio altaris, ac ſui Ordinis, & ſecundum Albertin. *loc. cit. qu.* 14. importat terminum pœnæ, quia per modum termini importat ſeparationem ab altari, nec ordinatur ulterius vel ad degradationem actualem, vel ad relinquendum reum Curiæ ſeculari. Aut per ſententiam inducentem etiam degradationem ſolennem, quia ſcilicet per eam, non ſolum decernitur, quod Clericus ſit perpetuò ſeparatus ab altari, ſed etiam quod ſolenniter, & actu ſpolietur inſtrumentis ſui Ordinis, & exuatur habitu, ac privilegio clericali. Et ſic prima eſt degradatio purè verbalis, & eſt illa, quæ propriè dicitur depoſitio. Secunda eſt ſimul actualis, quia infert actionem, & regulariter ſine illa non eſt, Albertin. *ibid. num.* 34. ac Specul. *d.* §. 2.

Cùm autem *in d. cap. quoniam* 1. *de hæret. in* 6. dicatur quod ad degradationem requiritur ex ſacris Canonibus certus numerus Epiſcoporum, & poſtea conceditur, quod in cauſa hæreſis ſolus Epiſcopus, convocatis Abbatibus, Prælatis, religioſis viris, ac litteratis, poſſit degradare, id intelligendum eſſe de actuali degradatione, volunt Archid. & Gemin. ac Franch. *in d. cap. quoniam*, & Jo. Andr. *in d. cap. degradatio de pæn.* & ex eo Gemin *n.* 6. ſed Albertin. *d. n.* 35. *& ſeq.* vult, textum illum intelligendum eſſe de ſola degradatione verbali.

In hac re certum eſt, antiquos Canones, requirentes certum numerum Epiſcoporum ad degradandum Clericum, loquutos fuiſſe etiam de degradatione verbali, nimirum de examine cauſæ, ac illius definitione. Sic enim *in can.* 1. 15. *qu.* 7. decernitur, presbyterum & diaconum non deſiciendum ſine conſilii examine. Et quod ſolus Epiſcopus honorem auferre non poteſt. Et quod nec ab uno damnari, nec, uno judicante, poterunt honoris ſui privilegiis exui, ſed præſertim definiri oportet ſynodali judicio. His conſentiunt, quæ habentur *ead. qu.* 7. *can. fin.* & *can. ſi quis tumidus*, & *can. felix ead.* ubi dicitur cauſas audiendas eſſe à vicinis Epiſcopis. Et conſonant quæ decernuntur *cauſ.* 6. *qu.* 4. *per totum* ac expreſſe *d. cap. degradatio*, ubi Bonifacius VIII. ad degradationem verbalem dicit ex ſacris Canonibus neceſſarium fuiſſe certum Epiſcoporum numerum. Ideoque dicendum eſt, etiam ad degradationem verbalem fuiſſe neceſſarium ex antiquis Canonibus numerum præfixum Epiſcoporum.

Certum quoque eſt, quod antiqui illi Canones non diſtinxerunt inter degradationem verbalem inductivam actualis degradationis, & actualem degradationem. Unica enim completa actio eſt juridica ſententia degradationis, & actualis degradatio, quæ non eſt, niſi executio, & complementum illius ſententiæ. Ac ſicuti numerus Epiſcoporum requiritur in examine cauſæ, ne ſententia ex peculiari odio Epiſcopi, ſi ipſe ſolus judicaret, forſan eſſet injuſta *can.* 1. *& fin.* 5. *q.* 7. ita eadem Epiſcoporum aſſiſtentia requirebatur, ut degradatio eſſet ſolennis. Loquebantur item Canones illi de degradatione actuali. Tum quia non diſtinxerunt inter verbalem & actualem. Tum quia intelligi debent de degradatione, effectum ſortita, & completa. Et tum quia loquuti ſunt de degradatione

neceſſaria ad hoc, ut Clericus in ſacris tradatur Curiæ ſeculari, quæ eſt degradatio juridica actualiter executioni demandata. Tum quia *in cap. novimus de verb. ſignif.* ad degradationem, quæ fit ad effectum tradendi Clericum Curiæ ſeculari, requiritur præſentia ſecularis poteſtatis. Multo magis igitur ad illam erat neceſſaria præſentia omnium illorum, qui erant in cauſa Judices, vel neceſſarii aſſeſſores. Ac tum quia, ut patet ex forma actualis degradationis, hæc habet modum cujuſdam judicialis ſententiæ, dicente Epiſcopo, *Autoritate Dei* &c. deponimus, degradamus, ſpoliamus, &c. *d. cap.* degradatio *de pœn. in 6.* Non ergo conveniebat, hanc degradationem fieri, niſi coram Epiſcopis, qui in cauſa erant tunc Judices.

Non obſtat, quod antiqui Canones, loquentes de degradatione actuali, neceſſaria ad tradendum Clericum Curiæ ſeculari, nullam mentionem faciunt de illo Epiſcoporum numero, ut *can. Clericus 3. q. 4. can. ſiquis ſacerdotum 5. q. 1. cap. ad abolendam in princ.* & *cap. excommunicamus 1. §. 1. de hæret.* & *cap. ad falſariorum de crim. falſ.* & *d. cap. novimus de verb. ſignif.* Nam, admiſſo, quod hi textus intelligendi ſint de degradatione actuali, quod eſt veriſſimum. Quia loquuntur de degradatione ſimpliciter, ſequitur, quod ubi Canones loquuntur de degradatione, ut eſt medium ad ulteriorem pœnam, ſcilicet ad pœnam mortis, vel perpetui carceris, nomine degradationis intelligitur degradatio juridica & actualiter executioni demandata. De hac igitur etiam intelligendi ſunt alii Canones, ad degradationem certum numerum Epiſcoporum requirentes. Deinde quia non eſt dicendum, quod hi canones loquantur de degradatione actuali, ut diſtincta, & ſeparata à ſententia, & à verbali degradatione. Quia judicialis, & juridica degradatio claudit juſtam ſententiam indicentem degradationem. Si igitur non eſſet neceſſarius Epiſcoporum numerus ex eo, quia hi Canones id non exprimunt, hic numerus non fuiſſet neceſſarius ad verbalem degradationem. Quod quidem non admittitur, quia eſt contrarium Canonibus citatis. Poſtremo, quia hi Canones, ſi non exprimunt, non tamen rejiciunt neceſſitatem dicti numeri Epiſcoporum, cumque in illis non agatur de forma, & modo degradandi, non fuit neceſſe, quod hanc ſolennitatem exprimerent, quæ in numero Epiſcoporum conſiſtit.

Minus obſtat, quod Bonifacius VIII. *in d. c. degradatio de pœn. in 6.* dum loquitur de actuali degradatione ſolius Epiſcopi meminit. Quoniam ſi hæc objectio aliquid probaret, probaret etiam, quod in ſolenni degradatione, nec Cleri, neque alicujus præſentiã eſſet neceſſaria, & quod ſolennis degradatio clandeſtine fieri deberet; quia ibi Bonifacius VIII. dum exhibet formã degradandi, nullius præſentiã exprimit. Dicendũ igitur, quod Pontifex ibi ſtatuit tantum degradandi formam, qua Epiſcopus uti debeat, præſentia verò aliorũ ad illam ſminã non pertinet, quia ſolus Epiſcopus eſt, qui degradandum Eccleſiaſticis indumentis expoliare debet, ac Ordinum inſtrumentis privare, & ideo Pontifex ſolius Epiſcopi mentionem facit.

Tenendum igitur eſt, quod antiqua jura, quæ loquuntur de degradatione, ut neceſſaria ad ulteriorem pœnam, ſive de degradatione, ut actualiter, ac ſolenniter habita, loquuntur quoque de illa, ut comprehendit verbalem & actualem, de illa vero ut executioni demandata. Nam primus, qui diſtinxit degradationem in verbalem, & actualem, fuit Bonifacius VIII. *in d. c. degradatio*, & ideo juxta antiquos canones, etiam ad actualem neceſſarius erat dictus numerus Epiſcoporum. Nunc vero antiqua jura quod ad cauſas fidei correcta ſunt per *d. c. quoniam 1. de hæret.* & univerſim quoad degradationẽ Clericorũ in ſacris per S. Conciliũ Tridentinũ *ſeſſ. 13. c. 4. de refor.* de quo infra, & ita ſolus Epiſcopus poteſt degradare.

An autẽ idcirco, quod ſolus Epiſcopus poſſit degradare, excludatur Capitulum? Negant Gloſſa *in d. c. quoniam v. ſolus*, ibique Monach. Archid. Jo. Andr. Zenzel. & Geminian. *n.* 8. & Franch. *n.* 3. Exiſtimant enim, quod Epiſcopus ad examen cauſæ, & ad ſententiã contra degradandũ non poſſit procedere ſine Capitulo. Adducunt ad id *can. ſi autem 15. q. 7. can. Epiſcopus*, & *can. nullum 18. q. 7.*

At in hoc diſtinguendum eſt inter degradationẽ Clericorum exiſtentium in minoribus Ordinibus, vel inter degradationem purè verbalem, quæ eſt depoſitio, & inter degradationem verbalem actualem, per quam Clericus in ſacris conſtitutus actualiter & ſolenniter degradatur. Ad illas degradationes, etiam de jure antiquo, non erat neceſſarius numerus Epiſcoporũ. Erat tamen neceſſarium Capitulũ, ut probatur ex juribus citatis, & ex *can. nullus Epiſcopus 15. q. 7.* & *in can. ſiquid d. 86.* & ſic in illis ſolus Epiſcopus cum Capitulo ad degradationem procedebat, Panorm. *in c. non poteſt de re judic.* Specul. *d. tit. de accuſ. §. 1.* & notat ex Archidiacono Gemin. *in d. c. quoniã qu. 1.* Sed in degradatione actuali verbali, qua per ſententiam Clericus exiſtens in ſacris damnabatur ad ſolennem degradationem, non erat neceſſaria aſſiſtentia Capituli ad examen cauſæ, & ad verbalem degradationem. Quia, cùm eſſet neceſſaria aſſiſtentia, & præſentia Epiſcoporum, non erat opus vel cõſilio, vel judicio, aut ſuffragio Capituli. Præter Epiſcopos enim nullius alterius aſſiſtentia & auctoritas erat neceſſaria. Unde cùm in præſenti ſimus in caſu, in quo de jure antiquo non erat neceſſaria præſentia Capituli, & Gregorius nonus *in d. c. quoniam* auferens neceſſitatem convocandi Epiſcopos, ſubroget eorum loco Abbates, Prælatos, &c. nulla facta mẽtione Capituli, dici non poteſt, quod ſolus Epiſcopus, etiam excluſo Capitulo nequeat Clericum in ſacris conſtitutum, verbaliter degradare, ut late probat Albertin. *eo loco nu. 57. & ſeq.* Lex enim corrigens, & limitans legem, loquitur in caſu legis correctæ, ac limitatæ, & exceptio eſt de regula, & in caſu regulæ loquitur. Si verò loquamur de pura præſentia, & aſſiſtentia neceſſaria ad ſolennitatem actualis degradationis, debet hæc fieri ab Epiſcopo, convocato Clero Eccleſiæ ſuæ ſecundum quod ipſi videbitur expedire.

Verum hodie res hæc nullam habet difficultatem. Nam non ſolum conſuetudo, qua Epiſcopi præſcripſerũt, ut in cauſis criminalibus procedant ſine Capitulo ad punitionem delinquentium, eſt rationabilis ac legitima *c. 3. de cõſuet. in 6.* Sed etiam extat decretum S. Concilii Trid. *Seſſ. 13. c. 4 de refor.* per quod Epiſcopus nedum per ſe ipſum, ſed etiam per ſuum Vicarium poteſt procedere ad degradationem, etiam presbyterorum, ut per Suar. *de cenſur. diſp. 30. ſect. 1. n. 19.* Avil. *eod. tit. p. 5. diſp. 5. dub. 2. concl. 3.* Sayr. *eod. argum. lib. 5. c. 20. n. 19.* & apud ipſum plures alii. Quod tamen ita intelligi debet, ut ad degradationem verbalem, præparatoriam ad ſolennem, etiam Vicarius generalis Epiſcopi, de ipſius Epiſcopi commiſſione poſſit procedere; actualem verò degradationẽ ſolus Epiſcopus facere poſſit, ut in d. decreto Concilii ſtatuitur.

Solus autem Epiſcopus conſecratus poteſt ad degradationem, actualem & ſolennem procedere & Clericũ Ordinibus privare, illũque ab altari ſeparare, ita ut non poſſit illam cõmittere Abbatibus presbyteris, ac ſolenniter benedictis. Quia hæc eſt actus Ordinis Epiſcopalis *c. degradatio de pœn. in 6.* & notatur *in c. cum non ab homine de judic.* Oſt. *in c. dilectus.* & *c. irrefragabili de offic. Ordin.* ac Doctores *in c. cum contingat de form. comp.* Quæ autem ſunt Ordinis Epiſcopalis, non poſſunt Clericis inferioris ordinis, id eſt non epiſcopalis, demandari, ut patet *ex c. aqua de conſecr. Eccleſ. vel altar.* Hinc dicebat Archid. *in c. dilectio nu. 1. v. mucrone, de ſent. excom. in 6.* duplex eſt mucro ſpiritualis. Alius diſciplinans, ſive medicinalis, ut excommunicatio, qui non ad punitionem, ſed ad correctionem tantum vibratur. Alius eradicans, ſive mortalis, ut degradatio, qui non tantum ad correctionem, ſed etiam ad punitionem infligitur, & hic eſt mucro Epiſcopi ſpecialiſſimus. Unde nullus non ordinatus in Epiſcopum poteſt illum vibrare. Quod dictum ſequuntur Jo. Andr. *in c. 1. num. 4. v. cum ab omni mucrone*, & Anchar. *n. 2. in 5. notab. de homicid. in 6.*

Nec

Nec obſtat, ſi dicatur, hujuſmodi Abbatibus poteſt ab Epiſcopo cõmitti, ut minores ordines cõferant, ut ex declaratione S. Congregationis Cõcilii in cauſa Bononienſi apud Fagnan. *in d c aqua à n.*8. ubi eam tuetur ab impetu modernorũ, & referunt Azor. licet corrupte, *inſtit. mor. p.*1. *lib.*12. *c.*1. *q* 1. Quaranta *in ſum. Bull. v. Ordo, verſ. Abbatibus*, & habetur in libris publicis ejuſdẽ S. Congregationis ſuper *c.*5 *ſeſſ* 6. *de refor.* Ergo videtur etiã eis cõmitti poſſe, ut ordines auferãt per degradationẽ, quia ejus eſt deponere, cujus eſt ordinare, *can. nullus Primas* 9. *q.* 3. Oſt. *in c. cum contingat, n.* 2. & Jo. Andr. *n.* 10 *de for comp.*

Nam reſpondetur, in Ordinibus cõferendis Abbates benedictos fuiſſe ſpeciali privilegio aſſectos à ſeptima Synodo, ut *in can. quoniã d.*69. at non fuerunt aſſecti aliquo privilegio in ordinibus auferendis. Nec licet arguere ab ordinatione ad degradationem. Quia ſpiritualia facilius cõſtruũtur, quam deſtruuntur, ut in hac ipſa materia degradationis ait Gloſſa *in d. c. degradatio v. Canonibus de pæn. in* 6. Cum tamen contrarium in corporalibus ſit, quæ difficilius ædificantur, quam deſtruantur, *c. inter corporalia de translat. Epiſcop.* Unde Epiſcopus ſolus ordinem conferre poteſt, ſolus auferre non poteſt, ut inquit textus *in can.* fin. 15. *q.* 7. ut in degradatione presbyteri, diaconi, ac ſubdiaconi diximus ex Cõcilio Agathenſi *can.* 1. *d. can. fin. can. ſiquis, can. felix, & can. ſi autem ead. cauſ. & qu.* Gloſ. 1. *in d. c. quoniã de hæret. in* 6. *&* Abb. *in c. non poteſt de re jud.* etſi hodie ſervandum ſit decretum S. Concilii Trid. *c.* 4. *ſeſſ.* 13. & ita quoque ſentiunt *in d. c. quoniam de hæret. in* 6. Jo. And. quem ſequitur Gemin. *n.* 8. & Franch. *n.* 3 Panormit. *in c. tranſmiſſ. de elect.* Ad degradationem verò verbalẽ, etiam præparatoriã ad actualẽ, poteſt procedere Epiſcopus confirmatus licet nõdum conſecratus, Albertin. *ibid q.* 6. *n.* 6 Quia hæc eſt actus juriſdictionis.

Epiſcopus verò degradationem verbalem non poteſt committere, niſi ſuo Vicario generali ex citato decreto Tridentino. Actualẽ verò degradationem ſolum poteſt delegare alteri Epiſcopo conſecrato. Epiſcopi enim ea, quæ ſunt Ordinis, aliis Epiſcopis delegant. Et S. Concilium Tridentinum, dum inquit, quod Epiſcopus *per ſe ipſum ſolum id faciat*, dictio *ſolum* excludit quamcunque alium non Epiſcopum. Eſtque ſenſus, quod Epiſcopus non poteſt id facere per ſuum Vicarium, vel alium non Epiſcopum, Panorm. *in d. c. tranſmiſſam de elect.*

Prælati autẽ regulares non poſſunt degradare ſuos ſubditos, niſi hoc illis cõpetat ex privilegio, vel ex cõſuetudine. Quod eſt certum de actuali degradatione; quia non poteſt fieri, niſi ab Epiſcopo conſecrato. Certumque etiam eſt de degradatione verbali. Quia cùm Prælati regulares non poſſint cognoſcere de hæreſi, ne quidem ex hac cauſa poſſunt aliquem verbaliter degradare. Ubi verò non ſit eis prohibitum cognoſcere de delicto, pro quo ſit impoſita degradatio, neque illis erit prohibitum ſuum ſubditum regularem de tali delicto, in legitimo judicio convictum, vel confeſſum, degradare verbaliter.

Suppoſito autem quod ex Clementina 1. *de hæret* § 1. cauſas fidei nec Epiſcopus ſine inquiſitore, neque Inquiſitor ſine Epiſcopo terminare poſſit, ac per ſententiã definere, ſed tamen unus eorum ſine alio id facere queat, ſi alter requiſitus, & ſpatio octo dictum expectatus ſui copiam ad hoc facere noluerit, quæritur an hoc caſu Inquiſitor ſine Epiſcopo poſſit ad Clerici hæretici degradationem procedere? Eſt certum, non poſſe Inquiſitorem actualiter degradare, cùm id requirat Epiſcopum conſecratum. Unde ſolius Epiſcopi eſt, clericos actualiter & ſolenniter degradare *d c. degradatio de pæn. in* 6. & Concilium Trid *loc. cit.* Sed verbaliter degradare, ſive ſententiam degradationis actualis, cauſa cognita, proferre, eſt actus juriſdictionis, quam in cauſa fidei habet Inquiſitor. Atque adeò in caſu prædicto ſolus Inquiſitor poteſt Clericum degradare verbaliter ſine Epiſcopo. Tunc enim vigore *d. Clem.* 1. ad illum ſolum cauſa devolvitur. Quod etiam tradit Albertin. *in d. cap. quoniam quæſt.* 3. *n.* 3. ac Pegna *in* 2. *p. com.* 63. Quin etiam in hoc caſu poteſt Inquiſitor actualem degradationem alicui Epiſcopo conſecrato committere, ut cauſæ expediantur, ac ſententia debitæ executioni demandetur.

An autem ſit de forma, & ſubſtantia judicii quod in cauſa fidei ad exaurorandũ Clericum, in ſacris conſtitutum, Inquiſitor evocet Abbates, Prælatos, religioſos viros ac litteratos, ut *in d. cap. quoniam*, decernitur, ac in *d. cap.* 4. *ſeſſ.* 13. Concilii Tridentini, ubi ſtatuitur, quod Epiſcopus adhibeat ad hoc munus Abbates, vel alios in dignitate conſtitutos, ut illi aſſiſtant, ita ut, hoc non ſervato, proceſſus, & ſententia ſit ipſo jure nulla. Hujus quæſtionis hæc affinis eſt, an Abbates iſti, vel Prælati convocandi ſint ut Conjudices, anve ut Adſeſſores, habentes votum deciſivum, an potius ut Conſiliarii, an etiam ſolum ad actus ſolemnitatem?

Decretum S. Concilii Tridentini eſt in hæc verba. *Cum vero tam gravia nonnunquam ſint delicta, ab Eccleſiaſticis commiſſa perſonis, ut ob eorum atrocitatem è ſacris Ordinibus deponenda, & Curiæ ſint tradendæ ſeculari, in quo ſecundum ſacros Canones certus Epiſcoporum numerus requiritur, quos ſi omnes adhibere difficile eſſet debita juris executio differretur; ſi quando autem intervenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur, propterea ſtatuit, & decrevit, Epiſcopo per ſe, Vicarium in ſpiritualibus generalem contra Clericum, in ſacris etiam presbyteratus, Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem, & per ſe ipſum etiam ad actualem atque ſolennem degradationem ab ipſis Ordinibus, & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia in numero à Canonibus definito requiritur, etiam abſque illis procedere liceat, adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, uſum mitræ & baculi ex privilegio Apoſtolico habentibus, ſi in Civitate, aut diœceſi reperiri, & commode intereſſe poſſint, alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant.*

Videtur profecto, quod dicti Abbates convocandi ſint, ut Conjudices. Primò quia Epiſcopi, ſine quibus Epiſcopus loci non poterat aliquem degradare, convocabantur, ut Conjudices. Id patet & *can.* 1. 15. *quæſt.* 7. his verbis. *Nullus noſtrum ſine conſilii examine quemlibet presbyterum, vel diaconum dejicere audeat.* Et mox. *Nec uno judicante poterunt honoris ſui privilegio exui.* Eadem habentur *can fin.* & *can. ſiquis timidus*, & *can. felix. ead. cauſ. & quæſt.* Atque ita, quod iſti Epiſcopi eſſent Conjudices cum proprio Clerici Epiſcopo, docuerunt Franch. *in d. cap. degradatio nu.* 2. *de pæn. in* 6. Sylveſt. *v. degradatio num.* 3. Abbates autem iſti, ac Prælati ſunt ſurrogati in locum Epiſcoporum, qui convocandi eſſent, niſi obſtaret *d. cap quoniam, & d. decretum Tridentinum.* Atqui ſurrogatum ſapit naturam illius, cui ſurrogatur ut communiter docent Doctores *in l. ſi cum* 9. *qui injuriam ff. ſiquis caut. plen.* & notat Gabr. *conc.* 2. *de reg. jur.* Surd. *conſ.* 26. *nu.* 5. *& conc.* 35. *n.* 9. Quia ſurrogata res cenſetur eadem cum principali, & ſub eadem diſpoſitione comprehenditur, *§. fin igitur defunct. vers. Unde conſequens, auth. de hæred. ab inteſt. ven.* Bald. in *l. per diverſas num.* 21. *C. mandati*, Decian. *conſ.* 52. *n.* 53. *lib.* 1. & Rota coram Merlino *dec.* 445 *nu.* 1. Ideoque etiam iſti Abbates ac Prælati ſunt convocandi, ut Conjudices. Quod etiam habetur ex *cap. non poteſt de re judic.* in quo ita ſtatuitur. *Non poteſt quenquam à ſacerdotali gradu, niſi juſtis ex cauſis concors Sacerdotum ſententia ſubmovere.* Quare licet *in d. cap. quoniam* tollatur neceſſitas convocandi Epiſcopos, non tamen in hoc corriguntur antiqua jura, quod, ad degradandum Clericum, in ſacris conſtitutum, non ſufficiat unus Epiſcopus, ſed plures Conjudices requirantur. Et ita, quod etiam nunc poſt decretum S. Concilii iſti Abbates convocandi ſint, ut Conjudices Aſſeſſores, tenent Suarez *de cenſur. diſp.* 30. *ſect.* 1. *nu.* 20. & Bonacin. pariter *de cenſur. diſp.* 4. *pun. un. n.* 13.

Ac proinde hæc convocatio Abbatum ac Prælatorum eſt ſubſtantialis, ac de forma. Tum quia non poteſt

fieri judicium ſine Judice. In degradatione autem non ſolusEpiſcopus,ſed ſimul cumEpiſcopo ſuntJudicesAbbates, ac Prælati Et ideo ſine illis nulla eſt degradatio.

Deinde quia id colligitur *ex d. cap. quoniam*, in quo dicitur: *convocatis Abbatibus*. Ablativus enim abſolutus importat conditionem, ut tradunt Bartolus, aliique *in auth. matri & avia C. quando mul. tut. offic. fung.* & communitet *in l. a teſtatore ff. de condit. & demonſt.* Rota coram Buratto *dec. 696. n. 2.* & conſequenter importat etiam formam juxta ea, quæ tradunt Bald. *in d. auth.* Bec. *conſ. 39. num.* 19. ac Surd. *conſ.* 371. *n.* 69.

In hac quæſtione certum eſt, quod de jure antiquo Epiſcopi convocandi ad degradationem, erant Conjudices, audiebant cauſam, illiuſque per definitivam ſententiam modum ac finem imponebant. Perſpicui enim ſunt textus citati, nominatim *d. cap. non poteſt*, quod eſt S. Gregorii Papæ. At quod Abbates, ac Prælati, convocandi ad degradationem, debeant eſſe conjudices cum Epiſcopo, incertum aliis videtur, mihi tamen minime dubium, quod non ſunt Conjudices. Nam decreto S. Concilii Tridentini, ut declaravit ejus S. Congregatio, corrigitur *d. can. ſiquis tumidus cum duob. ſeqq. 15. q. 7.* & *d. cap. degradatio de pæn. in 6.* & ampliatur *d. cap. quoniam de heret. eod.* Primò in eo, ut non ſolùm Epiſcopus ipſe per ſe, ſed ejus quoque Vicarius poſſit ad verbalem degradationem procedere. Deinde ut non ſolùm in caſu hæreſis, ſed etiam in omnibus, in quibus ad actualem degradationem procedendum ſit. Declaratur etiam *d. cap. quoniam*, ut debeant aſſiſtere totidem Abbates, uſum mitræ & baculi ex privilegio Apoſtolico habentes, quot Epiſcopi requirebantur; nam *in d. cap. quoniam*, numerus non erat præfinitus. Demum ampliatur in eo, ut ſi commode in civitate, vel diæceſi reperiri non poſſint, ſufficiantur viri in eorum locum in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti. Unde, ſi eſſent laici, quantumvis graves, ac juris ſcientia commendabiles, non poſſent aſſiſtere, qui tamen olim Appellatione autem perſonarum, in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutarum, de quibus Concilium loquitur, Prælatos Regulares Mendicantium non comprehendi, dixit S. Congregatio, cum non habeant nomen dignitatis & Abbates non debere intereſſe examinationi cauſæ, vel proceſſus, ſed tantum poſſe ſolenni, & actuali degradationi aſſiſtere ut aſſeſſores, & poſſe Ordinarium alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, etiam non diæceſanas, ſcientia Sacræ Theologiæ commendabiles, adhibere. Idque fundatur in verbis S. Concilii, quod diſtinguit inter verbalem, & actualem degradationem, primam tribuens Epiſcopo ac etiam ejus Vicario generali, ac ſubdens, quod Epiſcopus poſſit per ſe ipſum ad actualẽ degradationem procedere, *adhibitis tamen &c.* Hæc autẽ clauſula refertur ad degradationem actualẽ, de qua parum antea loquebatur, non ad verbalẽ. Idipſum de mente Concilii tenet Aldret *de relig. diſciplina tuen. lib. 2. cap. 17. n. 15.* volens quod hujuſmodi Abbates ac Prælati ſolũ convocãdi ſint ad ſolennitatem.

Spectato etiam *d. Cap. quoniam de heret. in 6.* non aliud dicendum cenſeo. Nam illud non requirit, niſi præſentiam horum Abbatum, ac Prælatorum. Textus verò ſuprà citati expreſſe loquuntur, etiam de degradatione verbali, & volunt, quod hæc cauſa judicetur à pluribus Epiſcopis. Hoc autem ipſum expreſſiſſet Pontifex *in d. cap. quoniam* de Abbatibus ac Prælatis, ſi illos, ut Judices, convocandos eſſe voluiſſet. Quare cum id in eo non legatur, non poteſt dici, quod ſint ſurrogati in locum Epiſcoporum quantum ad cauſam definiendam, ſed ſolum quantum ad aſſiſtentiam perſonalem præſtandam in actuali ac ſolenni degradatione.

Idque comprobatur, quia deſignatio Judicum debet eſſe determinata, & certa, & ideo ubi antiqui Canones voluerunt, quod plures Epiſcopi aſſiſterent, ut conjudices Epiſcopo loci, decreverunt illorum numerum. At Gregorius nonus *in d. cap. quoniam* non ſolum indefinite, nullo determinato numero, jubet convocari quamplures viros diverſæ conditionis, ſed etiam, ut habetur ex ejus verbis, *de quibus expedire videbitur* in arbitrio Epiſcopi ponit convocari, quos judicaverit expedire, ut fatetur idem Albertin. *loc. cit n.* 45. Et quod plus eſt, vult convocari etiam religioſas perſonas. Immo quod amplius eſt, etiam literatos, & quidem etiam laicos, ut notant Gemin. *in d. cap. quoniam n. 4. & 5.* Franch. *n. 3.* & Albertin. *q. 3.* Laicos autem repugnant eſſe Judices in cauſa Eccleſiaſtica, quia ſunt incapaces juriſdictionis Eccleſiaſticæ, neque eis hæc ibi tribuitur. Ex quibus probe conjicitur, quod Abbates, ac Prælati aliique non ſunt convocandi, ut Judices, præſertim in cauſa hæreſis. Quia in cauſa fidei Judices privative quoad alios, ſunt Epiſcopi, & Inquiſitores, ac proinde Abbates, Prælati, & cœteri non ſurrogantur in locum Epiſcoporum, qui convocabantur, ut Judices.

Nec quidem ſurrogantur, ut Conſiliarii. Quia non poteſt dici, quod ſurrogantur loco Epiſcoporum, qui non erant Conſiliarii, ſed Judices, cum iis competat ſolum, quod dent conſilium, non autem quod proferant ſententiam, ut ex Jo. Andrea tenet Albertin. *d n.* 45. Ideoque non poteſt dici, quod ii locum ſer.ent Epiſcoporum, cùm non ſint Judices. Quare quod ſint Conſiliarii, aliunde probandum eſt; Hoc enim non probatur ex eo quod ſunt ſurrogati in locum Epiſcoporum.

His accedit *cap. ex commiſſi de heret. in 6.* ubi conceditur Inquiſitoribus, ut ad definiendas cauſas fidei eligere ſibi poſſint Conſiliarios, qui etiam de jure communi non habent, niſi votum conſultivum, ut alibi probavimus. Unde in alio ſenſu non poteſt intelligi, *d. cap. quoniam*, Quod ſi in contrarium intelligeretur, eſſet correctum per *d. cap. ex commiſſi.* atque adeo *d. cap. quoniam* non eſt intelligendum, ut velit Abbates, ac Prælatos eſſe vel ut conjudices, vel ut conſiliarios, ſed ut aſſiſtentes.

Nec obſtat, quod ablativus abſolutus importet conditionem, & conditio formam. Quia id non ſemper eſt verum, ſed comprobatur ſolum juxta ſubjectam materiam. In hoc autem caſu non poteſt importare conditionem, ac formam, ſi dicti Abbates, ac Prælati &c. convocandi ſunt tantùm ad ſolennitatem.

Tenendum itaque eſt, convocationem hujuſmodi non eſſe de forma degradationis, ſed tantum de ſolemnitate cum ii non ſint convocandi, niſi ad exhibendam præſentiam ſolennitati degradationis; nec in Tribunali S. Officii dictos Abbates, ac Prælatos eſſe convocandos, ut Judices; quia hoc judicium privativè quoad quoſcunque pertinet ad Epiſcopum, & Inquiſitorem, ut aliàs probatum eſt; neque ut Conſiliarios, quia idem Tribunal habet ſuos Conſultores, ſed duntaxat convocandos eſſe pro ſolennitate actus.

Dubitatur verò in ſententia illorum, qui ajunt, Epiſcopos, ſive Abbates, ac Prælatos eſſe Conjudices, ſive Conſiliarios cum Epiſcopo ad degradandum verbaliter Clericum in ſacris, an requiratur omnium conſenſus, an potius ſufficiat major pars illorum. Multi ponderantes verbum illud *concors*, quod exprimitur *in d. cap. non poteſt de re judic* tenent, requiri conſenſum omnium Conjudicum. Ita præ aliis Panorm. *ibi n.* 10. & Felin. *n.* 8. tr[?]ditq; Bonac. *Loc cit. n.* 14. & apud illum Alterius, & Tuſchus. At non requiri aſſerimus, & juxta doctrinam Cardinal *in d. cap. non poteſt*, dicimus, tunc ſolum eſſe neceſſarium conſenſum omnium, quando requiritur concors conſenſus omnium & ſingulorum; quia qui conſentire debent, id faciunt, uti ſinguli, non autem quando conſentiunt, uti Collegium. Quia cum verum ſit, quod illud, quod fit à majori parte Collegii cenſeri debeat, ac ſi factum ſit à toto Collegio concorditer, ideo ſufficit factum à majori parte, per ea, quæ adducit Felin. *in d. cap. non poteſt n.* 8. Unde idem Panorm. *in cap. 1. n. 7. de arbitr. in 6.* aſſertionem ſuam limitat, ut ſi de facto Conjudices in hoc caſu ſint plures, quàm ſex, aut reſpective quàm tres, ſufficiat conſenſus ſex, ubi ſex requiruntur, ac trium, ubi requiruntur tres.

Porrò perſonæ convocandæ ab Epiſcopo ut aſſiſtant degra-

degradationi *ex d. cap. quoniam*, primò nominantur Abbates, quos eſſe Prælatos deducitur ex illa dictione *& aliis Prælatis*. Dictio enim *aliis* regulariter ſignificat ſimilitudinem, eſtque repetitiva ſimilium qualitatum Glos. *in l. ſi fugitivi C. de ſerv. fugit.* ibique Bald. Salicet. & Paul. de Caſtro. Dum ergo dicitur cōvocatis Abbatibus, aliis Prælatis, ſequitur, quod Abbates inter Prælatos numerentur, *cap. 1 de ætat. & qual. cap. præſentia de offic. in ord. 6.* Gemin & Albertin. *in d. cap. quoniam n. 29.* Inter alios verò Prælatos comprehendi debent etiam Prælati regulares. Nam & Abbates ſunt Prælati regulares, eiſque ſimiles ſunt alii Prælati regulares, non tamen mendicantium.

Secundo nominantur perſonæ religioſæ, ſub quo nomine non ſolum veniunt regulares, ſed etiam ſacerdotes, vel Clerici ſeculares *can. denique d. 4. can. nnus itaq; in fine 1. q. 1.* Jo. Andr. & Gemin. *in d. cap. quoniam, alibi* Albertin. *q. 1. præſertim* in hoc caſu favorabili, in quo ſub nomine religioſi veniunt etiam Clerici ſeculares, ſi materia illis adaptatur, ſicuti adaptatur hæc aſſiſtentia, ſub nomine tamen Sacerdotum non venire regulares, vult Albertin. *d. q. 1. n. 7.* Unde ſi teſtator relinquat legatum pro miſſis celebrandis à Sacerdotibus, non poſſunt celebrari à Regularibus, idque propter communem uſum loquendi. At verum non puto, quod nomen Sacerdotis in communi uſu loquendi ſignificet ſolos Sacerdotes ſeculares, nec quod in materia adaptabili ſub nomine Sacerdotis non veniant Regulares, qui tam proprie ſunt Sacerdotes, quam ſeculares, nec unquam eſt veriſimile, quod teſtator voluerit excludere regulares Sacerdotes, & quod majorem fiduciam habuerit in miſſis Sacerdotum ſecularium, quàm regularium.

Tertio nominantur litterati viri in Theologia, vel jure Canonico, ſive civili periti, etiam laici, Franch *in d. cap. Quoniam, n. 3.* ibique Gemin. *n. 4.* & Albertin. *q. 2.* Nam & laici, etiam conjugati, in cauſis Eccleſiaſticis, poſſunt eſſe Conſiliarii, aut aſſeſſores, dummodo ſint viri probi, & honeſti, ac in jure periti, ut per Eymeric. *p. 3. direct. q. 77. n. 1.* Convocandi verò ſunt è diæceſi Epiſcopi, & quatenus opus ſit, etiam è diæceſi aliena, etiamſi aſſumendi ſint, ut præbeant conſilium. Nec vitiaretur actus ex eo, quod perſonæ iſtæ non fuiſſent aſſumptæ è diæceſi proprii Epiſcopi, ut per Gemin. *ibid. n. 6.* & Franch. *n. 3.*

In terminis verò S. Concilii Tridentini Abbates convocandi debent habere uſum mitræ ac baculi, vel eſſe perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ. Unde non intereſt, quod iſtæ perſonæ ſint ſeculares vel regulares. Nam & Abbatia dignitas regularis eſt, & Prælatos regulares habere dignitatem, aſſumique poſſe, ut ſint delegati Papæ, probant Doctores *in cap. Statutum de reſcript. ib. 6.* Excipio Prælatos Mendicantium, ut ſupra; Cumque S. Concilium Tridentinum loquatur in genere de degradatione, non correxit antiqua jura diſponentia in ſpecie de degradatione ex cauſa hæreſis. Ideoq; in degradando Clerico in Sacris conſtituto ex cauſa fidei non eſt neceſſe, quod Abbates habeant uſum mitræ, & baculi, nec quod perſonæ adjunctæ ſint omnes in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ſed ſufficit quod ſint Religioſæ, ac litteratæ. Inſuper vel iſtæ perſonæ convocandæ ſunt, ut dent conſilium in cauſa definienda, & ſic quamvis commendabile ſit quod ſint in dignitate conſtitutæ; magis tamen neceſſe eſt, ac ſufficit, quod ſint probæ, honeſtæ, ac litteratæ, ut dicitur *in cap. ut commiſſi de hæret in 6.* Si verò convocandæ ſint ad ſolemnitatem actus, qui eò erit ſolemnior quò aſſiſtentes erunt digniores, convocandi ſunt Abbates, ac Prælati inferiores Epiſcopo, ſi adfuerint.

Degradatio autem in cauſa hæreſis fieri debet, quando hæreticus tradēdus eſt Curiæ ſeculari, & quando eſt immurandus, *ex d. cap. Quoniam de hæret. in 6.* Quando igitur Clericus hæreticus conſtitutus in Sacris tradendus eſt Curiæ Seculari, prius eſt degradandus actualiter, *cap. ad abolendam §. præterea, & cap. excommunicamus 1. & 2. §. damnati eod. tit.* ad quoa textus Canoniſtæ, aliique paſſim, quos abundè refert Farinac. *de hæreſ. q. 189. § 2. n. 12.* Idque eſt neceſſarium, ut degradatus ac privatus privilegio Clericali ſubditus maneat Laïcæ poteſtati, poſſitque ab ea puniri. An verò Clericus tradendus Curiæ ſeculari non conſtitutus in Sacris degradandus ſit actualiter, anvè verbaliter, mox dicetur.

Item ſi Clericus eſſet immutādus, hoc eſt perpetuo carceri damnandus. Non diſtingui enim carcerem à muro, notat Gloſſa *in d. cap. quoniam not. 1.* Eymeric. *d. p. 3. q. 94. ex cap. excommunicamus ult. de hæret.* & *ex d. cap. ut commiſſi verſ. illorum*, & cap. *accuſatus in fin. eod. tit.* Et licet de hac re fuerit antiquitus dubitatum, an ſcilicet damnati ad perpetuos Carceres prius actualiter degradari debeant, dubium tamen abſtulit Urbanus IV. in reſcripto, cujus initium: *Conſultus:* relatum ab Eymerico *p. 1. pag 85.* ac ita, quod carceri perpetuo damnandus prius debeat degradari de jure, docuerunt *ex d. cap. quoniam* Archid. *n 1. Franch. n. 2.* Gemin *n. 3.* Albertin. *n. 27. 28. & 55.* Calderin. *rubr. de hæret. redeuntibus n. 55.* Panorm. *in d. cap. excommunicamus 2. n. 2.* ibique Anchar. *n. 5.* Felin. *verſ. Et quod Clericus* Socin. *n. 4.* Repertor. Inquis. *d. v. degradatio*, Eymer. *d. p. 3. q. 94.* Pegna *in p. 2. tit. 1. §. 32. n. 180.* Delbene *p. 1. dub. 161. pet. 3. n. 1.* & Farinacius alios referens *d. q. 189. §. 2 n. 13.* Tametſi hodie ex benignitate S. officii hujuſmodi damnati ad perpetuos Carceres ſolùm verbaliter ſoleant degradari, Locat. *loc. cit. v. Clericus*, & *d. v. degradatio*, Pegna ad Eymeric. *p. 1. com. 65. & 69.* Carena ac Delbene *ubi ſupra nn. 5.* & Farinac. *d. q. 189. n. 16.* Quia tamen de jure immurandus ex cauſa hæreſis poteſt actualiter degradari, ideo etiam nunc id fieri poſſet in caſu particulari ex circumſtantiis graviſſimis. Unde Farinac. *d. n 16.* teſtatur hos aliquando degradatos fuiſſe actualiter per S. Congregationem S. Officii. Eſtque ſpeciale in crimine hæreſis, ut damnati ad perpetuos Carceres degradentur actualiter, ut ait Franch. *in d. cap. quoniam n. 2.* & licet id locum habere in damnato ad perpetuos Carceres, etiam ex aliis delictis dicat Albertin. *in d. cap. quoniam n. 28.* quem ſequitur Farinac. *d. q. 189* Vera tamen eſt ſententia Franchi, quam ſequitur Delbene *d. q. 162 pet. 3. n 4.* Etenim *cap. tua de pœn.* & *Can. ſi Epiſcopus d. 50.* intelliguntur de degradatione verbali.

Damnatos etiam in perpetuum ad triremes, degradandos eſſe actualiter, volunt Campeg ad Zanchin. *de hæret. cap. 10. litt. G. v. pœnas*, Pegna *in p. 3. com 65.* Farinac. *q. 189. §. 2. n. 15.* ac Delbene *d. pet.* Fundantur in identitate rationis, quæ eſt inter iſtum & damnatum ad perpetuum Carcerem. At immeritò, cum id non reperiatur in jure expreſſum, nec Doctores, aut Judices extēdere poſſunt pœnas graviſſimas ad caſus in Lege non expreſſos ex ſola ſimilitudine, aut identitate rationis Et idem Farinaccius d. n. 16. docet, quod iſti damnati ad triremes in perpetuum degradantur verbaliter, quæ pœna connaturalis eſt dānationi ad triremes in perpetuum, cum omnino ſeparatus ſit ab altari Clericus, qui perpetuo debet remigare. Quid autem in hoc ſervādum, & quomodo hæ ſententiæ concilientur, dicā in Parergis.

Hinc duo notanda ſunt. Alterum quod ubi in jure imponitur pœna degradationis ſimpliciter, id juxta regulam in pœnis *de reg. jur. in 6.* accipi debet in mitiorem partem, ac ita, ut intelligatur de degradatione verbali, ut per Albertin. *in d. cap quoniam num. 23.* Salell. *lib. 6. reg. 450. n. 92.* Delbene *d q 162. n. 15.* Henriq. *lib. 13 de excom. cap. 55. n. 5.* Diaz. in *pr. crim. cap 140. n. 4.* Quod tamen limitant, niſi jura loquantur de degradatione ut ordinata ad ulteriorem pœnam mortis, vel niſi ſint jura antiqua, quibus in caſibus ſemper intelligi debent de degradatione actuali.

Alterum eſt, quod nunc ſolùm quando Clericus damnatur ad mortem, regulariter degradatur actualiter, non verò quando damnatur ad perpetuum carcerem, vel ad triremes, vel quando punitur alia pœna. Quia in his ex cōnſuetudine datur degradatio verbalis, Pegna *d. colum. 65.* Farinac. *d. q. 189. n. 16.* ac Delbene *d. pet. 3 n. 5.*

Contrà verò, quando alicui Clerico imponitur pœna mortis, degradatio à jure impoſita, de actuali debet intelligi, Pegna *p. 3. com. 69.*

Clerici verò in minoribus ordinati, etiamſi tradantur brachio ſeculari, non degradantur actualiter ac ſolemniter, ſed ſolùm verbaliter. Panorm. *in cap. Clerici 2. de vit. & honeſt. Cleric.* Locat. *d. v. degradatio*, Repert. *eod. verb.* Farinac. *d. q. 189. §. 2. n. 17.* ac delbene *quæſt. 162. pet. 3. n. 5.*

Verum quia Bonifacius VIII. *in cap. degradationis de pœn. in 6.* præſcribens pœnam ſolemnis degradationis, ſic ait: *Clericus degradandus veſtibus Sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud inſtrumentum, ſive ornamentum ad ordinem ſuum ſpectans, ac ſi deberet in officio ſolemniter miniſtrare, ad Epiſcopi præſentiam adducatur, cui Epiſcopus publicè ſingula, ſive ſint veſtes, calix, liber, ſivè quævis alia, quæ illi juxta morem Ordinandorum Clericorum in ſua Ordinatione ab Epiſcopo fuerint tradita, ſivè collata, ſingularitèr auferat, ab illo veſtimento ſive ornamento, quod datum, vel traditum fuerat ultimo inchoando & deſcendendo gradatim, degradationem continet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ, tuncque radatur caput ejus, ſive tondeatur, ne tonſura ſive Clericatus veſtigium remaneat in eodem.*

Ex his verbis oſtenditur Clericum, etiam primæ tonſuræ degradandum eſſe actualiter, cum Curiæ ſeculari tradatur, primamque tonſuram eſſe ordinem. Nam ſolemnis degradatio nihil aliud eſt, quam actualis depoſitio ab Ordinibus ſuſceptis, ut ibi dicitur, & in Pontificali Romano in rubr. de form. degrad. verſ. & talis degradatio, Clericus primæ tonſuræ ſolemniter degradatur, ut conſtat ex illis verbis: *Degradationem continet uſque ad primam veſtem, quæ datur in collatione tonſuræ.* Concordat textus *in can. ſi quis Epiſcopus 27. q. 1.* qui loquitur de depoſitione Pſalmiſtæ, & de ſolemni degradatione intelligitur ab Hugone, ut refert Archid. *in d. cap. degradatione n. 4. verſ. Clericus cujuſcumque gradus.* Idemque tenet *ibi* Jo. Andr. *n. 4. v. primam veſtem*, dicens: *Quia in tonſura, vel Pſalmiſtatu nihil traditur, videtur aliquibus degradationi locum non eſſe, ſed iſta littera probat contrarium.* Sequitur ibi Gemin. *col. 4. verſ. quæro, an degradatio poſſit fieri in exiſtente in prima tonſura*, & Franch. *in §. actualis n. 4. in vit. notab.* Ergo Clericus primæ tonſuræ actualiter deponitur ab ordine & conſequenter ordinem habet, aliàs non eſſet poſſibile, ut actu deponeretur ab Ordine, quem non haberet actu, ſed tantùm potentia & diſpoſitione.

Confirmatur ponderando illa verba: *Exuimus te Ordine, beneficio, & privilegio Clericali.* Quæ non minus ſunt referenda ad Clericos primæ tonſuræ quàm aliorum Ordinum, cum textus de omnium degradatione promiſcuè loquatur, *cap. majores, verſ. cæterum, ex vi litteræ de Baptiſm.* pateſque manifeſtè ex Pontificali Romano *in tit. de degradatione à prima tonſura*, ubi forma degradationis Clerici primæ tonſuræ ita præſcribitur: *Autoritate Dei Omnipotentis &c. tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis ornatu atque deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali &c.* Si igitur tonſuratus ſpoliatur, & exuitur Ordine, neceſſe eſt, ut Ordinem habeat, cum privatio præſupponat habitum, *cap. ad diſſolvendum de deſponſ. impub. cap. ex parte de reſt. ſpol. L. Deum ff. de verb. oblig.* atque ita in hanc rem arguit Archid. *in can. Subdiaconus in princ.* & ibi etiam præpoſ. *n. 1. verſ. ſi enim non imprimeret characterem, non deponeretur d. 77.*

Præterea ab officiis, ſeu dignitatibus non fit actualis degradatio, ſed verbalis tantum depoſitio, ſive privatio per ſententiam, ut declarat Pontificale Romanum, *in d. tit. de degradat. form.* in hæc verba *Talis degradatio ſolemnis depoſitio vocatur. Propriè tamen loquendo, quis à dignitatibus & honoribus deponitur, ſed ab Ordinibus degradatur.* Sed à prima tonſura fit actualis degradatio, ut oſtenſum eſt. Ergo prima tonſura non eſt officium, ſed propriè Ordo. Propterea enim in ejus externa ablatione requiritur factum actualis degradationis. Quia ſicut in Collatione Sacramenti non ſufficit ſola voluntas, aut verbum, ut ſuprà diximus, ſed opus eſt facto, ideſt Conſecratione, ita in Sacramenti exteriori ablatione, ſivè dum ordinis veſtigia auferuntur, voluntas aut verbum non ſufficit, ſed neceſſaria eſt actualis degradatio. Nihil enim tàm naturale eſt, quam eo genere quodque diſſolvere, quo colligatum eſt *l. nihil & l. fere 2. ff. de reg. Jur.*

Ad hæc in ſacramento Ordinis materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ut definitur in Concilio Florentino *in inſtruct. Armen. ſive in decreto fidei poſt Seſſ. 25. in §. Sextum Sacramentum.* & in actu traditionis inſtrumenti Character imprimitur, ut in d. Pontificali Romano *in tit. de Epiſcopo conſecrante* ibi *Moneat ordinandos, ut inſtrumenta, in quibus Character imprimitur, tangant.* & docet S. Bonav. *in 4. d. 24. p. 2. art. 1. q. 4. n. 58.* In collatione autem Primæ tonſuræ traditur veſtis, ut dicitur *in d. cap. degradatio*, ibi *uſque ad primam veſtem, quæ traditur in collatione primæ tonſuræ:* Ergo in eo actu Character imprimitur. Et quamvis Jo. Monach. ibi dicat, traditionem veſtis, ideſt Superpellicii, non eſſe neceſſitatis, ſed congruitatis, tamen eum rejellit Jo. Andr. *ibid. n. 4.*

Et quidem opinionem Jo. Monachi falſam eſſe convincitur ex materia & forma, quæ in collatione tonſuræ adhibentur, ut *in d. Pontific. tit. de Cleric. fac.* ibi: Pontifex ſedet cum mitra, & accipiens in manibus Superpellicium dicit ſingulis: *Induat te Deus novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis.* Et mox imponit illud ſeriatim cuilibet repetendo: *Induat te.* Quod autem ſpectat ad materiam exiſtimo Characterem imprimi in traditione Superpellicii, quę videtur res proportionata ad miniſterium canendi divinas laudes, non autem in ipſa tonſuratione; Quia in eo actu tantummodo tondentur capilli, & nihil traditur, & ſic deeſt materia, quæ in Sacramento ordinis eſt illud, per cujus traditionem confertur ordo, ut dictum eſt nec Pontificale ibidem habet tonſos pro ordinatis, niſi poſt traditionem veſtis. Quod verò ad formam veriùs videtur, eam contineri ſub illis verbis Pontificalis: *Induat te Deus novum hominem &c.* Quæ pronunciantur à Pontifice ſedente cum mitra in ipſo actu traditionis veſtis, & in ſingulis ordinandis repetuntur.

Nec difficultatem ingerit, quod ait Abb. antiq. *in cap. cùm contingat in princ. de ætat. & qual.* & Oſt. *ibid. v. Eccleſia*, videlicet formam in collatione tonſuræ ſive Pſalmiſtatus eſſe illam, quæ habetur *in can. Pſalmiſta d. 23.* ideſt: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus comprobes.* Tum quia Pontificale Romanum *rubr. de offic. Pſalmiſtatus*, elatis verbis *d. Can. Pſalmiſta* ſubdit in fine: *Et ſi Epiſcopus Clericum ordinans hæc faciat, benè facit.* Quod ſatis clarè indicant verba illa: *Vide* &c. in ordinatione Clerici primæ tonſuræ, non eſſe neceſſitatis, ſed congruitatis. Tum quia illius formæ nulla fit mentio *in tit. de Cler. fac.* ubi habetur ritus ſervandus in collatione tonſuræ; Quod tamen omitti non potuiſſet, ſi illa eſſet forma eſſentialis, alioquin Eccleſia Romana docuiſſet ritum non integrum in ordinatione Clerici, quod ſine errore affirmari non poteſt.

Quare, cum certum ſit in collatione tonſuræ, formam eſſe adhibendam, ut apertè probatur *in d. cap. cum contingat*, illis verbis: *juxta formam Eccleſiæ datam:* oportet fateri, formam contineri ſub verbis, quibus ex præſcripto Pontificalis utitur Pontifex in collatione primæ tonſuræ, videlicet: *Induat te* &c. cum ibi *in tit. de Cleric. fac.* Aliam non habeamus. Niſi fortè dixerimus Pontificale expreſſiſſe formam illam; *Vide ut quod ore cantas* &c. *in tit. de offic. Pſalmiſtatus*, quem poſuit paulò ante titulum *de Cleric. fac.* & cum Pſalmiſtatus juxta Pontificale ſit officium annexum primæ tonſuræ, & ideo pro tonſura ipſa à Sacris Canonibus, & Canoniſtis accipiatur, ſatis fuit, ut Pontificale prædictam formam exprimeret ſuo loco, ubi in ſpecie egit de

Pſal-

Pſalmiſtatu, licet illam non repetierit *in tit. de Cleric. fac.* Quod ex eo etiam confirmari poteſt, quia *in tit. de degradatione à prima tonſura*, expreſſè cavetur, ut Epiſcopus ſi velit, dicat Clerico degradando: *Quod ore cantaſti, corde non credidiſti, nec opere implevisti, ideo officium cantandi in Eccleſia Dei à te amovemus.* Quod neceſſariò ſupponit, illa verba fuiſſe prolata, & poteſtatem canendi traditam in collatione primæ tonſuræ. Et tenendo hanc opinionem Abbatis antiqui, quæ videtur à Canoniſtis recepta, non obſtant verba, quæ ponuntur in fine rubricæ de officio Pſalmiſtatus. Quoniam in principio ibi dicitur: *Pſalmiſta poteſt abſque licentia Epiſcopi ſola juſſione presbyteri officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero: Vide ut quod ore cantas, corde credas &c.* Dum autem poſtea ſubjungitur: *Si Epiſcopus Clericum ordinans hæc faciat, bene facit.* Senſus eorum verborum videtur eſſe, Pſalmiſta ſive Clericus primæ tonſuræ ordinari poteſt, etiam à Presbytero ſine juſſione Epiſcopi, per illa verba: *Vide, ut quod ore cantas, corde credas &c.* Sed ſi Epiſcopus ipſe Clericum ordinet pronunciando illa verba *bene facit.* Quo ſenſu congruentia non refertur ad formam, ſive prolationem verborum, ſed ad ipſam Ordinationem, licet primus intellectus videatur magis congruere litteræ. Scio tamen, quod aliud cenſent Theologi de prima tonſura ac præ aliis Vaſques *in 3. p. D. Thom. tom. 1. diſp. 237. c. 2. n.* 18. At hic ego Canoniſtam ago, alibi Theologum.

Advertendum tamen eſt quod ad imponendam degradationem attenditur tempus ferendæ ſententiæ. Undè pro delicto commiſſo à Laico, ad Clericatum poſtea promoto, imponi debet degradatio, antequam ille puniatur pœna mortis, Anchar. *in d. cap. quoniam not. ult.*

Eſſe autem in electione Epiſcopi, Clericum in Sacris conſtitutum, ex cauſa hæreſis tradere Curiæ Seculari, vel perpetuo carceri, cenſent Anchar & Franc. *in d. cap. Quoniam n. 2.* Moventur tum ex dictione *aut* disjunctiva, qua ibi utitur Gregorius Nonus inquiens: *fuerit ſeculari Curia relinquendus, aut perpetuò immurandus leg. ſi ex toto §. 1. ff. de leg.* 1. *& l. ille aut ille in princ. ff. de leg.* 3. nec ponitur niſi inter diverſa, ut notant Bartol. *in d. ſupra §. officium in fin ff. de aqu pluv arc* Alex *in rubr. ff. de vulg. & pupill. n.* 4. Bald *conſ.* 378. *nu.* 9. *vol.* 5. Tum ex doctrina ejuſdem Bartol. *in l. quicumque C. de ſerv. fugit.* At nos ſtatuimus, non eſſe arbitrarium Epiſcopi, vel Inquiſitoris, alteram ex dictis pœnis inferre, ſed in caſu, in quo Clericus de jure damnandus eſt perpetuo carceri, ad illum damnari debet. Quare doctrina Bartoli huic caſui non adaptatur. Quia pœna eſt decreta à jure, & non eſt taxata alternativè. Si enim hæreticus eſt impœnitens, jura præcipiunt, ut tradatur Curiæ ſeculari *cap. ad abolendam*, & *cap. excommunicamus §. damnati de hæret.* Similiter ſi eſt hæreticus relapſus, tradendus eſt Curiæ ſeculari, *cap. ſuper eo eod. tit. in 6.* Si autem hæreticus redit ad fidem, damnatur perpetuo Carceri *cap. penult. §. fin. eod.* Hinc verba illa d. *cap. quoniam* enunciativè, non autem diſpoſitivè intelligenda ſunt, Quia hæretici altera ex illis pœnis de jure puniuntur, & in diverſis caſibus ſecundum quod jura diſponunt. Et dictio *aut* talis eſt naturæ, ut etiam disjunctivè omnia comprobet, ut per Doctores *in l. hæc verba ff. de verbor ſignific. l. Quintus Mutius ff. de aur. & arg. leg.* tradítque Riminald. *ſen. conſ.* 187. *nu.* 15. *lib.* 1. Decian. *conſ.* 42. *num.* 10. *lib.* 1. *& Honded. conſ.* 53. *nu* 18. *& conſ* 86. *nu.* 13. *vol.* 2.

Effectus verò degradationis unus eſt, generalis & communis tam degradationi verbali, quam actuali, privatio ſcilicet executionis cujuſcumque Ordinis, ad quem Clericus fuit ordinatus, atque adeò privatio perpetua beneficiorum, dignitatum, & officiorum, Sylveſtr. *d. v. degradatio num.* 1. Et hæc depoſitio diſtinguitur à ſuſpenſione, etiam in perpetuum. Quia ſuſpenſio per ſe ac directè privat ſolum exercitio ordinum, vel fructibus beneficiorum, vel exercitio officii reſpectivè juxta illius qualitatem. Sed depoſitio, quò ad fieri poteſt, privat radice, & ſic privat titulo beneficii, & officii. Et quamvis non privet titulo Ordinis, quia Character Ordinis eſt indelebilis, privat tamen illo quodam modo virtualiter & importat ſeparationem ab altari, & privationem exercitii Ordinum, à qua nunquam datur liberatio, ſive ſolutio, nequidem ſpe reſtitutionis, ac ſi ille qui eſt depoſitus ab Ordine non eſſet ordinatus. Ab officiis verò, vel dignitatibus non fit ſolemnis & actualis degradatio, ſed verbalis tantum depoſitio, ſeu privatio per ſententiam, ut diſertis verbis declarat Pontificale Romanum *in tit. de degradat. form* ibi: *Propriè loquendo quis à dignitatibus, & honoribus deponitur, ſed ab Ordinibus degradatur* Ratio diverſitatis eſt, quia officia, & dignitates, ſicut nuda voluntate, ac verbo conferri poſſunt, ita & auferri, Gloſſ. *in d. cap. aqua de conſecrat. Eccleſ. & alt. v. juriſdictionis*, D. Thom. 2. 2. *q.* 184 *art.* 6. *ad* 2. At verò in collatione Sacramentali Ordinis, ſola voluntas aut verbum non ſufficit, ſed opus eſt facto. Quia ſacra Ordinatio verbis & ſignis exterioribus perficitur, ut in decreto S Concilii Tridentini *Seſſ.* 23. *de Sacram. Ordin. cap.* 3. Et conſequenter etiam in externa ordinis ablatione non ſufficit verbalis depoſitio, ſed exigitur factum actualis degradationis, qua miles cœleſtis militiæ ſuſceptis ordinibus, ac inſignibus Clericalibus ſpoliatur, ut habetur *in d. cap. degradatio §. actualis*; quia res per quaſcumque cauſas naſcitur, & per eaſdem diſſolvitur dicit textus *in cap.* 1. *de reg jur.* Bald. *conſ.* 28 *n.* 1 *lib.* 3. Undè, ut idem Baldus dicebat *in cap. bona memoria* 1. *n.* 3. *de poſtul Prælat* Si Cardinalis depoſitus non retinet dignitatem, tamen retinet Ordinem Sacrum, qui erat impreſſus, quia mortificari quidem poteſt, ſed non funditus mori, de quo latiùs per Abbatem poſt D Thomam, quem citat *in cap. ſi quis presbyter, n.* 6 *de Cler. excom. miniſt.*

Diſtinguuntur etiam degradatio verbalis, & actualis. Nam degradatus puta degradatione verbali, non amittit privilegium Canonis, ac fori, ut per Albertin *in d. cap. quoniam q* 14. *n.* 3. Panorm. *in cap. tua de pœn* Sylveſtr. *d. v. degradatio* 8. Pegna *p.* 3. *com.* 40. *§. Poſtremo* Clat. *in pr. quæſt.* 36. Menoch. *lib.* 8 *conſ* 789. *n.* 9. Scacc. *de judic p.* 1. *cap.* 11. *n.* 73 Salzed. ad Diaz. *cap.* 145. Farinac. *p.* 1 *quæſt.* 8 *n* 71. ac Delbene *d. q.* 162. *pet.* 3 *n.* 9. *& ſeq.* Unde injiciens in eum manum incidit in pœnam Canonis *ſi quis ſuadente* 17 *quæſt.* 4. Quia ex ea depoſitione non cenſetur traditus Curiæ ſeculari, niſi tamen hic Clericus verbaliter degradatus eſſet incorrigibilis; Tum enim ob incorrigibilitatem utrumque privilegium amittit. Angel. *v. degradatio num.* 1. Sylveſt. *eod. v. num.* 8. Navar *in Sum. cap.* 27. *nu.* 8. Diaz. *in pr. crim. cap* 139. ac Delben. *loc. cit. nu.* 11.

Degradatus verò degradatione actuali, amittit omne privilegium Clericale, ita quod illum percutiens non incurrat in pœnam *d. can. ſi quis ſuadente.* Ideo & à Laico judicari poteſt ut Laicus, ita quod Judex ſecularis abſque alia traditione poſſit illum capere, Panorm. *in d. cap. tuæ n.* 2. *de pœn.* & *in cap. ex parte n.* 3. *de Cler. conjug.* Franch. *in cap.* 2. *§. fin. de præb. in* 6. Menoch. *de arbitr. caſ.* 115. Carol. de Gral. *de effect. Cleric.* 1. *num.* 813. Pegna *in direct. p* 3. *com.* 49. Sylveſtr. Diaz Scaccia *loc. alleg.* ac Delben. *d. pet.* 3. *num.* 12. & apud eum Bobadilla, Vivius, Chartarius, & alii, & Farinac. *quæſt.* 8. *n.* 73. Et hinc differunt in reſtitutione depoſitus, & degradatus *Can. ideo* 1. *q.* 6. Solus tamen Papa poteſt reſtituere degradatum & depoſitum *c.* 1. *&* 2. *d.* 50.

Clericus verò in ſacris degradatus verbaliter in abſentia ob contumaciam, & ſic verbaliter traditus Curiæ ſeculari, fictione juris ſe habet ac ſi eſſet actualiter degradatus, adeo ut Judex ſecularis poſſit illum capere ac punire etiam pœna mortis ſine alia degradatione, quamvis tutius ſit, quod actualiter prius degradetur, & quod Judex ſecularis id petere debeat à Judice Eccleſiaſtico, ut per Delben, *d. pet.* 3. *n.* 19. Attamen tenendum eſt cum Pegna *d. com.* 49. ubi inter alia inquit cum Eymer. *p.* 3 *tit. de* 13. *mod. form. proceſſ. n.* 115. Quod in hoc caſu mitius

Digitized by Google

poſſint ſe habere Inquiſitores, ut ſcilicet non expellant reum de ſuo foro, ſed ita declarent illum hæreticum impœnitentem, ut tamen non expellant à ſuo foro, ea ratione moti, ut ſi reus ſine quæſtione vel controverſia converti voluerit, poſſit ab Inquiſitoribus recipi, ne Judex ſecularis dicat ſe acquiſiviſſe ſuper illum juriſdictionem per talem fictam traditionem ſibi factam. Idemque ajunt *Farinac. quæſt.* 8. *num.* 109. Scacc. *ubi ſupra*, & Catena *part.* 3 *tit.* 11. §. 13. *num.* 56.

Additque Pegna ibidem, quod licet Clericus, verbaliter degradatus, ac fictè Curiæ ſeculari traditus jure poſſit à Judice ſeculari puniri, ac morte affici, tutius tamen eſt, & humanius, ut priùs actualiter degradetur. Quia jura loquẽtia de degradatione ad effectum tradendi reum Curiæ ſeculari, loquuntur de degradatione actuali. Et quia indecens eſt, & ſcandaloſum, Clericum in Sacris non degradatum ultimo ſupplicio affici.

Subditque ſtatim ſapienter ac pie idem Pegna quod, quidquid ſit de aliis delictis, & caſibus, in quibus damnatus in contumaciam, & verbaliter degradatus, ac fictè Curiæ ſeculari traditus, ſi deveniat ad manus Judicis ſecularis, non audiatur, etiamſi pœniteat, & converti velit; tamen non eſt ita ſentiendum in crimine hæreſis, quod eſt occultum ac mentale in damnato. Quia non eſt tutum, ut abſenti contumaci redeunti, etiam degradato denegetur audientia, ſed melius eſt, ut ſemper admittatur, & ad proponendam excuſationem de crimine, & ad miſericordiam ſi humiliter petierit. Et hoc præcipuè obſervandum erit, cum Abſens ſolùm per fictas juris præſumptiones fuerit convictus de crimine, ut quia per annum ſuſtinuit excommunicationem ex cauſa fidei, juxta textum *in cap. cum contumacia, de hæret. in* 6. Ita Pegna *loc. cit.* ubi pariter exiſtimat melius eſſe, quod Judices ſeculares, etiam in Laicis priùs conſulerent Inquiſitores, & ab ipſis audirent, quid eſſet agendum, quodque melius eſſet, ſi Inquiſitores, in talibus ſententiis ferendis, præciperent Magiſtratibus ſecularibus, ut quoties hujuſmodi ſic damnatos invenerint, ac cœperint, id ſignificare debeant.

Poſtquam autem Clericus propter hæreſim fuit degradatus, ac traditus Curiæ ſeculari, Eccleſia nihil amplius habet quod faciat in illum, *cap. cum non ab homine in fin. de Judic.* Ideoque Inquiſitores non debent amplius inſtare ad hujuſmodi damnatum ſeducendum, ut per Zanchin. *de hæret. cap.* 18. ibique Campeg. *v. Eccleſiaſticus*, Repert. Inquiſ. *v. Judex, & v. pœna*, & Farinac. *de hæreſi q. quæſt.* 189. *n.* 18.

Cæterum non poſſe aliquem degradari ſine accuſatore Judice procedente per viam Inquiſitionis, tradit Bonacina *de Cenſur. diſp.* 4. *pun.* 1. *num.* 11. *ex cap. dilectus filius de Simon.* Et quia juxta jus Canonicum finis inquiſitionis non eſt degradatio ſive depoſitio. At verò ſatis eſt nunc dicere, quod, loquendo de degradatione actuali, de qua loquitur *d. cap. quoniam*, quæ ordinatur ad relinquendum Clericum, in Sacris conſtitutum, Curiæ Seculari, ſivè ad immutandum, hæc quæſtio non habet difficultatem, quia degradatio non datur, ſi non datur traditio Curiæ Seculari, vel immutatio. Alterutram enim de jure præcedit degradatio, quamvis hodiè ex praxi immutationem non præcedat degradatio actualis, ſed ſolum verbalis, Quocumque autem modo Judex procedat, etiamſi per viam inquiſitionis ſpecialis, ex inquiſitione enim generali non proceditur ad has pœnas contra aliquem, ſi invenit Clericum in ſacris hæreticum impœnitentem, eum damnare debet, ut prævia degradatione tradatur brachio ſeculari.

Parerga. Degradatio actualis aliquando imponitur iis, qui ad triremes perpetuas damnantur, & aliquando etiam fuerunt degradati damnati ad tempus.

De praxi tamen magis ſolent verbaliter, quam actualiter degradari, etiam qui damnantur in perpetuum.

Unde Sanctiſſimus dixit, non eſſe in uſu, quod rei actualiter degradentur, quamvis agatur de damnato ad triremes in perpetuum, ſed ſolùm quando puniuntur ultimo ſupplicio.

Et aliquando ii fuerunt condemnati ſimpliciter abſque aliqua degradatione.

Actualiter degradatis, ſi contigerit eos degradari extrà caſum mortis, non conceditur licentia celebrandi.

Degradatio reorum S. Officii fit ſumptu Cameræ Apoſtolicæ.

Hic tamen notandum, in degradato, etiam actualiter, remanere Characterem Ordinis, ac poteſtatem, quamvis interdictum ſit exercitium. Ac proindè degradatus Presbyter conſecrans in forma Eccleſiæ, quamvis valdè peccet, quò ad ſe pertinet, conſecrando, ut *in can. accedens* 10. *d.* 50. tamen verè conficit corpus Chriſti, ac verum Sacramentum, ut docent Theologi uno ſenſu *in* 4. *ſent. d.* 14. & D. Thomas *p.* 3. *quæſt.* 8. *art.* 8. retinereque Ordinis Characterem degradatum docet etiam *Can. quod quidam* 1. *quæſt.* 1. *can. licitè* 32. *quæſt.* 7. alioquin ex ſua malitia reportaret commodum, Sylveſt. *d. v. degradatio q.* 8. Tabiena *eod. v. num. pariter* 8. Navar. *d. orat. cap.* 17. *&* 21. *n.* 17. Delbene *loc. cit. n* 12. Sic Baptiſmus non amittitur ab eo, qui poſtea ab unitate fidei diſcedit, neque poteſtas baptizandi ab eo, qui dejicitur, *can. oſtenditur, de conſecr. d.* 4. Quare contrariæ ſententiæ ſunt rejiciendæ, de quibus agit Gloſſ. *fin. ad d. cap. degradatio de pœn. in* 6. & *in can. acerbus v. Presbyter d.* 50. Sic etiam præter illum remanentem Characterem, degradatus tenetur dicere Officium Ordinis per *cap. dolentes de celebratione miſſar.* quo præcipitur omnibus ordinatis dicere officium divinum ſive precum hic enim & ordinem degradatus retinet. Non poterit tamen dicere *Dominus vobiſcum* & ſimilia, quæ ad dignitatem Ordinis pertinent, ut ait Angel. *in Sum. v. degradatio nu.* 4. Ita dignitate omnino adempta alicui, non abolerur in eo perſonæ dignitatis omnino memoria, & eſt ob eam quædam adhuc privilegia indulgentur, ut in decutione damnato, qui ob ipſum non torquetur. *l. fin. ff. de decur.* Sed & notabile, quod Epiſcopi degradati, ac dejecti ab Epiſcopali dignitate poſſunt iterùm reſtitui, nulla conſecratione nova facta, ſicut obſervavit Joannes Gerſon. *tract. de auferibilit. Papa Conſid.* 6.

Consultatio CXLIV.

De Abjuratione Hæreticorum, ejuſque requiſitis, cujus Parerga alibi adducta. Ac de Purgatione Canonica. Pauca, ſed inſigniora.

Abjuratio ſolennis eſt deteſtatio criminum contra fidem cum aſſertione Catholicæ veritatis, ac promiſſione, juramento firmata, nunquam incidendi in errores abjuratos, ac permanendi in catholica fide. Sic habetur *ex can. Ego Berengarius de conſecr. d.* 2. *ex cap. ad abolendam de hæret.* & *ex cap. Accuſatus eod. tit. in* 6. & ex pluribus aliis juris Canonici, Conciliorum, & Sanctorum Patrum locis, ut notant Pegna *in direct. p.* 3. *com.* 40. aliique communiter.

Eſt quadruplex. De levi. De vehementi. De violenta. De formali. Nam quiſque cui injungitur in S. Officio, aut eſt de hæreſi leviter ſuſpectus, aut vehementer, aut violenter, aut vere ac formaliter hæreticus, ut per Eymer. *d. p.* 2. *direct. num.* 161. ibique Pegna *eo com.* 40. Souſa *in aphor. Inquiſ. lib.* 1. *cap.* 40. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 188. *nu.* 13. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 7. *pun.* 1. *num.* 1. & Carena *p.* 3. *tit.* 12. §. 3. *n.* 4.

Differunt autem inter ſe. Nam levis imponitur, quando delatus de hæreſi, non convincitur talis, nec dictis, aut factis evidentibus, nec teſtium productione legitima, nec propria confeſſione, & contra eum adſunt tantum levia & modica indicia ex quibus leviter, aut rarò infertur crimen ſuſpicatum. Et ſi poſt abjurationem in eandem hæreſis ſuſpicionem relabitur, non punitur pœna relapſis debita, licet gravius puniatur, quàm ſi antea non abjuraſſet, ut ex *d. cap. accuſatus de hæret. in* 6. tradit Eymer. *de quarto modo termin. proceſ. per abjur. de levi.*

Abjuratio de levi imponitur minori decem & octo annis, qui aliàs propter delictum debeat abjurare de vehementi 6 Februarii 1601. & abjurati de levi poſſunt permitti audire ſacras confeſſiones, niſi aliud eis obſtiterit impedimentum, vel niſi in ſententia fuerint ſuſpenſi, vel niſi eis fuerit propter crimen in confeſſione commiſſum pœna impoſita, 12. Maii 1595. Abjuranti autem de levi regulariter non eſt danda tortura ſuper intentione, quæ per torturam eſſet ſublata.

Abjuratio de hæreſi vehementer eſt, quando quis, licet nec facti evidentia, nec teſtium productione legitima, nec propria confeſſione convincatur, quod in hæreſim inciderit, adſunt tamen gravia & magna indicia probata, quæ illum reddunt de prædicta hæreſi vehementer ſuſpectum, & efficaciter ac frequenter hæreſim concludunt, & ideo de vehementi talis dicitur abjurare. Qui ſi poſtea relabitur, punitur pœna relapſi, id eſt traditur brachio ſeculari, ultimo ſupplicio puniendus juxta *d. cap. accuſatus*, atque ita etiam Eymer. *loc. cit.* & Pegna *p. 2. com.* 80. Locat *in Judic. Inquiſ. v. ſuſpicio num.* 10. Zecch. *in ſum. tit. de fide, rubr. de hæret. cap.* 11. *num.* 5. & Caſtropal. *ibid. num.* 2.

Abjurantes autem de vehementi, vel de formali tenere debent in manu candelam accenſam. Et qui abjuravit de vehementi, non eſt hæreticus formalis, cùm iterum debeat abjurare de vehementi. Abjuratio de vehementi impoſita puero ætatis annorum duodecim, qui ſumpſit Euchariſtiam ex ignorantia, & timore magiſtri.

Abjuratio de violenti fit, quando hæreſis ſuſpicio ex verbis, aut factis eſt maxima ita, ut violentet, cogatque Judicem ad credendum ſic facientem, vel dicentem eſſe hæreticum, & ut talem eſſe damnandum. Quia eſt præſumptio juris ac de jure, quæ in contrarium probationem directam non admittit, ut conſtat *ex cap. contra Chriſtianos, cap. quicunque. cap. excommunicamus §. qui autem de hæret. in* 6. & advertunt Eymer. *loc cit.* Pegna *d. com* 80. *&* Farinac. *de hæres. quæſt* 187. *num.* 46. Admittit tamen probationem indirectam, nempe ſi inquiſitus probare velit, falſos eſſe teſtes contra ſe examinatos, aut indicia, ex quibus violenter præſumptio ducitur, non eſſe vera, ut per Pegnam *eo loco,* Simanch. *de Cathol. inſtit. tit.* 51 *rubr. de prob. num.* 13. & Farinac. *ubi ſupra num.* 5.

Qui ergo de hæreſi violenter ſuſpectus invenitur, prout de hæreſi convicto, ut hæreticus habendus eſt, ac per omnia judicandus *ex d. cap. excommunicamus* 1. *§. qui verò de hæret. in* 6. & *ex cap. Cum Contumacia, & cap. ut Officium eod. tit. & lib* Unde vel fatetur crimen, & voluerit hæreſim abjurare, & ad pœnitentiam recipiendus eſt *ex d. cap. ad abolendam de hæret.* & *ex cap.* 22 *communicamus* 2. *§. fin. eod. tit. in* 6. Vel fatetur crimen, ſed noluerit abjurare, & tradendus eſt Curiæ ſeculari puniendus *ex d. cap. ad abolendam.* Vel noluerit crimen, poſtquam eſt convictus, fateri, neque abjurare, & tanquam hæreticus impœnitens eſt condemnandus per *d. cap. ad abolendam*, & notant Eymer. *loc. cit. num.* 16. ac Pegna *ibid. com.* 80. Hæc tamen abjuratio non eſt amplius in uſu apud S. Officium cujus S. Congregatio ſub die 5. Septembris 1597. & 26 Novembris 1598. ita declaravit: Abjuratio de violenti non datur, niſi in caſu capitali cum contumacia Et reducitur ad abjurationem de vehementi, 21. Octobris 1614. Sed omnes abjurant vel de levi, vel de vehementi, vel de formali, ut etiam teſtantur Farinac. *d. quæſt.* 187. *n.* 51. Caſtropal. *d. pun.* 1. *n.* 12. & Carena *p.* 3. *tit.* 12. *§.* 3. *n.* 7.

Abjuratio de formali injungitur hæretico pœnitenti, qui judicialiter confeſſus, vel convictus fuit de hæreſi formali, & manifeſta, & vult ad Eccleſiæ gremium redire. Talis enim, etſi multis annis ſteterit in hæretica pravitate, ac etiam dogmatizaverit, multoſque in errores induxerit, ſi poſtea cum effectu illas hæreſes conſenſerit abjurare, & ſatisfactionem congruam arbitrio Epiſcopi & Inquiſitoris exhibere, non eſt tradendus brachio ſeculari, ultimo ſupplicio feriendus, & ſi eſt Clericus, non eſt degradandus, ſed ad miſericordiam eſt admittendus per *d. cap. ad abolendam §. præſenti de hæret.* Sed abjurata hæretica pravitate, eſt in perpetuum carcerem detrudendus *ex d. cap. excommunicamus* 1. *§. ſiquis.* Quia illius converſio, & abjuratio præſumitur eſſe facta potius metu mortis quàm amore veritatis. Et propterea non eſt libere dimittendus, ne ſi ficte fuerit converſus, alios corrumpere poſſit, ut per Concilium Toletanum *cap.* 10. Eymer. *p.* 3. *de octavo modo term. proc. n.* 188. Pegna *com.* 44. & *com.* 46. *n* 20. Locat. *in Iudic. v. abjuratio n.* 1. Farinac. *de hæres. quæſt.* 194. *n.* 24. *& ſeq.*

Abjurantes autem uti hæretici formales non admittuntur ad officia publica & honores, & admiſſi removentur, niſi doceant de diſpenſatione. Debentque deferre habitellum, niſi ſint ſponte comparentes. Abjurans verò de formali, & poſtea habilitatus ad beneficia, Canonicatus, & dignitates, an poſſit obtinere Canonicatum in Cathedrali, non obſtante ſtatuto prohibente, ne quis de aliquo crimine ſuſpectus, aut læſæ majeſtatis vel aliàs le is opinionis, eligatur in Canonicum, Sanctiſſimus dixit, nihil eſſe reſpondendum, ſed relinquendum deciſioni Rotæ. Et quidem in hoc caſu in quo adeſt ſtatutum particulare, ne quis de aliquo crimine ſuſpectus admittatur ad Canonicatum, id eſſet ex vi ſtatuti, non autem abjurationis. Qui pluries abjuravit de formali ſub ficto nomine ob lucrum, eſt verberibus mulctandus.

Sed quid de hoc caſu? Quidam Cretenſis ex parentibus Catholicis natus, mortuo patre, & nupta iterum ejus matre cum Turca, fuit à vitrico aliò translatus, & vocatus Mahumetes. Factus deinde à Græcis captivus unà cum aliis tranſportatus fuit in Inſulam Melitenſem, ubi ſex annis permanſit. Denunciatus ab uno ex captivis, quod apoſtaverit à fide Catholica ad Turcam in ætate ſex, vel ſeptem annorum, & ab alio in quinto vel ſexto ætatis ſuæ anno, fuit carceribus mancipatus, & conſtitutus, falſus eſt apoſtaſiam, ut ſuprà, ſed hortatu, ac minis ſui vitrici, nec de fide Catholica aliud ſciebat, quam ſignare ſe Cruce, & reipſa ſe ſignavit; unde cupiebat redire ad rectam ac veram in Chriſtum fidem.

Ego cenſui, quod, prævia abjuratione de formali, inſtrueretur, nec ei daretur libertas, inconſulta S. Congregatione. Vel, facta profeſſione fidei, inſtrueretur abſque alia abjuratione.

Ut autem abjuratio rite ac juris ordine fiat, primum neceſſariò requiritur, ut hæreſis ſuſpicio, ſive de levi, ſive de vehementi, ſit plene probata per teſtes, vel per propriam rei confeſſionem, ut tradunt Farinac. *d. quæſt.* 187. *num.* 34 Caſtropal. *d. pun.* 1. *nu.* 9. & Carena *d. p* 3. *tit.* 12. *§* 5. *num.* 18.

Deinde ut abjurantes non ſolum damnent, ac deteſtentur hæreſim, quam tenuerunt, ſed etiam ejus autores, & autorum libros, *can. ſaluberrimum* 1. *quæſt.* 7. Simanch. *de cath inſtit. tit.* 1 *rubr. de abjur. n* 4. *&* 6.

Mox, ut non tantum dictam hæreſim abjurent, ſed etiam cùm ipſa abjurare debent omnes & qualeſcunque alias hæreſes generaliter, non ſolum quando abjuratio eſt de vehementi, vel de violenti, vel de formali, verùm etiam quando eſt de levi Neque enim tunc debet omitti generalis deteſtatio omnium aliarum hæreſium. Ita tenantur ſervari in Officio S. Romanæ Inquiſitionis Pegna *d. p* 3. *com* 40. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 95. Farinac. *de hæres. quæſt* 194. *n.* 13. Decian. *tr. cr. lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 10. Zecch. *in ſum. p.* 1. *d. rubr. de hæres. cap.* 11. *num.* 5 Carena *d. tit.* 12. *num.* 38.

Item, ut confiteantur, Catholicam fidem veram eſſe, ut præcipitur in Synodo Epheſina, & probat Simanch. *de cath. inſtit. lib.* 1. *rubr. de abjurat. num.* 4. *&* 7.

Tum requiritur juramentum deteſtandi omnem hæreſim, & ad illam amplius non redire, & confiteri ſemper fidem Catholicam, & ad omne Eccleſiæ mandatum obedire, ut *in can. quoties* 1. *q.* 7. & *in d. can Ego Berengarius de conſecr. d.* 2. & Notat Royas *ſing.* 8. *n.* 16. & Farinac. *loc. cit. num.* 16.

Ad

Digitized by Google

Ad hæc requiritur, ut abjuratio fiat per ſcripturam ſcriptam, vel ſaltem ſubſcriptam manu abjurantis, quæ contineat deteſtationem præteriti erroris, ac veræ fidei confeſſionem, ut ſi forte ipſe abjurans relabatur, poſſit ſua propria manu convinci *can. ſiquis noluerit, can. quoties*, & *can. maximum 1. quæſt. 7. & d. can.* Ego Berengarius, & alibi. Si verò ſcribere neſciat, tunc Inquiſitor, & Notarius ſe ſubſcribant. Ita Decian. *ubi ſupra num. 6. & 9.* Delrius *lib. 5. magic. ſect. 12. vers. hæc omnia*, Farinac. *ubi ſupr. num. 15.* ac Pegna *p. 3. com. 49.*

Præterea hæc Scriptura eſſe debet ſcripta in lingua vulgari, ut ab omnibus intelligatur, niſi abjuratio ſit facienda coram perſonis Eccleſiaſticis tantum, linguam latinam intelligentibus, ut per Eymer. *p. 3. de quinto mod. termin. proc. nu. 169.* & *in rubr. de ſexto mod. nu. 276.* Royas *d. ſing. 1. nu. 16.* Zecch. *in ſum. d. rubr. de hæres. cap. 11. n. 18.* & Farinac. *de hæres. d. quæſt. 194. n. 18.*

Poſt hæc abjuratio fieri debet cum veſtitu pœnitentiæ, duplici cruce ſignato, ut per Simançb. *de cath. inſtit. tit. 47. nu. 9. & ſeq.* ac Royas *d. ſing. 1. nu. 23. & 24.* ut ſic magis humilientur hæretici. Verùm qui tantum ſuſpecti ſunt de hæreſi, etiam de vehementi, non eſt eis injungenda pœnitentia delationis habitus cum Cruce. Quia hujuſmodi Cruces ſunt inſignia hæretici pœnitentis, ſuſpecti autem de hæreſi non habentur, ut hæretici, quod notant Eymer. *p. 3. num. 175.* ibique Pegna *com. 41. lit. F* & Farinac. *de hæres. q. 193. num. 92.*

Poſtremò abjuratio fieri debet publice, & in loco publico, ac etiam, ut plurimum in die feſto, ut reus tali rubore ac verecundia ſuffuſus cum pœnis adjunctus, deinceps talia non committat, & multitudo populi facilius congregari poſſit ad videndum rei pœnas, & cruciatus, ac inde diſcant omnes timere & hæreticam pravitatem fugere per notata à Farinacio *loc. cit. n. 4. & 5. ex d. cap. ad Abolendam. §. præterea, v. publice de hæret.* & Conſtit. Martini V. edita anno 1418. quæ incipit *Interjunctas*, relata à Pegna inter literas Apoſtolicas.

Tum demum fieri debet poſt ſententiam latam ab Epiſcopo & Inquiſitore, non antea, ut ſervatur in generali Inquiſitionis Romanæ Officio, teſtantibus Pegna *d. p. 3. com. 41.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 1. rubr. de abjurat. num. 29.* & Farinac. *loc. cit. num. 17.*

Ultimo de abjuratione facta fieri debet inſtrumentum publicum juxta decretum Concilii Narbonenſis *c. 6.* ac Pegnam *d. p. 3. com. 40.* & Farinac. *ibid. num. 20.*

Fieri poteſt etiam publicè. Primò, quando reus, antequam ſit denunciatus, ſpontè coram Inquiſitore comparet, & ſuum errorem fatetur, paratus corrigi, & pœnitentiam agere. Symanch. *d. tit. de abjur. n. 24.* Royas *ſing. 23. num. 8.* Locat. *in Indic. v. Ordinarius num. 2.* Farinac. *ubi ſupra n. 8.* & Carena *p. 3. tit. 12. §. 6. num. 23.* Iſte enim abjurat tantummodò coram Inquiſitore, Ordinario, Notario ac duobus teſtibus in ſecreto Auditorio S. Officii.

Secundò quando denunciatus non vocatus comparet, vel denunciatus eſt nobilis, aut Sacerdos bonæ famæ. Cum iſtis enim agi poteſt honeſtiori abjuratione, ut per Locat. *in 3. cas. Placentia deciſo*, Rolaud. *lib. 3. conſil. 63. n. 7.* Farinac. *d. quæſt. 194. nu. 91* Caren. *p. 2. tit. 7. §. 13. nu. 70. & p. 3. tit. 12. §. 6. num. 26.* ubi ait, in S. Officio Cremonæ hoc arbitrio uſi ſunt aliquando Inquiſitores, dum aliquos nobiles admiſerant ad abjurationem de vehementi in aula Epiſcopi, & aliquando in aula S. Officii, januis apertis, & aliquando clauſis coram Congregatione tantùm.

Tertiò non debent Inquiſitores in ullo caſu cogere Confeſſarium, ad venerea ſollicitantem, ad abjurandum de vehementi publice, ne ſeculares ex hoc retrahantur à Sacramento pœnitentiæ, ſed talis abjuratio ad ſummum fieri debet coram Inquiſitore, Conſultoribus Eccleſiaſticis, & aliis Sacerdotibus & Curatis, ut per Caren. *p. 3. tit. 12. §. 6. n. 29.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 9. pun. 11. num. 11.* Param. *de orig. S. Inquis. lib. 9. quæſt. 10. num. 165.*

Abjurationes, ſicut etiam ſententiæ in cauſis fidei ſæpe publice fiunt in Eccleſia, & in die feſto, ut eſt praxis Inquiſitorum Italiæ; vel publice, & in die feſto, ſed non in Eccleſia, ut fit in Hiſpania. Videantur de his Scacc. *de ſent. & re jud.* Eymer. *p. 3. nu. 188. & ſeq.* Pegna *ibi com. 45.* Navar. *de orat. & hor. can. cap. 5.* Diana *p. 4. l. tr. 8. reſol. 98.* Salzed. *ad Diaz. cap. 114.* Hac autem occaſione, quatenus expedire viſum fuerit, convocantur parochi & alii. Quod valde expedire dixit Jo. Andr. *in cap. ut commiſſi num. 6. de hæret.* & Guido Falcod. *q. 15.* Pegna *com. 42.* Quando verò abjurationes, & ſententiæ pronuntiantur publicè in aula S. Officii convocari ſolent, ſi non totus Clerus, & populus, quamplures perſonæ, quorum intereſt, ut ſint hujuſmodi actibus præſentes.

Quarto abjuratio de levi regulariter non fit publice, ſed ſecreto in domo Epiſcopi, vel Inquiſitoris, Pegna *p. 3. com. 40.* Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 1. n. 24* Farinac. *d. quæſt. 194. nu. 30.* Gemien. *in prax. cap. 84. n. 9.* Scacc. *de judic. cap. 59. n. 10.* & Caren. *loc. cit. num. 28.* Aliquando tamen ob crimen publicum, & ſcandaloſum etiam fieri debet publice. Quia publice errantes, publice etiam ſunt corrigendi ad aliorum exemplum, ut per Eymer *d. p. 3. de quarto mod. termin. proc. per abjur. de lev.* Caren. *ubi ſupra*, Royas *d. ſing. 1. num. 26.* Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 81. num. 3.*

Quinto ex cauſa bene Inquiſitoribus viſa, abjuratio etiam de vehementi, fieri poteſt ſecretò, ut docent Roland. à Val. *lib. 3. conſ. 637.* Farinac. *ibid. num. 9.* Carena *loc. cit. num. 26.* Decian. *d. lib. 5. cap. 47. nu. 7. & cap. 38. nn. 6.* ut ſi abjuratio iodicenda ſit patrifamilias, habenti filias nubiles, & ſi publice abjuraret, ejus filiæ ob id matrimonium difficillime contraherent. Tunc adeſſet rationabilis cauſa, ob quam poſſent Inquiſitores arbitrari, ut abjuratio ſecreto fieret. Sous. *in aphor. lib. 4. cap. 13. n. 6.* & Carena *p. 3. tit. 13. §. 4. num. 61.*

Fuit aliquorum ſententia dicentium, abjurationem eſſe faciendam ſecreto, etiam ob hæreſim tantum mentalem, ut refert Farinac. *d. quæſt. 194. nu. 6.* Quia hoc peccatum ſola mente conſummatur, & credendo quis pertinaciter aliquid contra fidem, eſt perfecte hæreticus; atque adeo incurrit omnes hæretici pœnas, ideoque abjurare tenetur ſecretò, dum peccatum ſecretum.

At verò tenendum eſt, neminem incurrere pœnas hæreſis, niſi aliquo verbo, vel facto hæreſim, in mente latitantem explicat. Quia licet hoc crimen verè ac perfecte ſola mente conſummetur, tamen Eccleſia caret juriſdictione judicandi de actibus internis, & omnino occultis, ac proinde punire nequit eum, qui mente & corde tantum abſque ullo exteriori ſigno hæreſim committit, neque ad abjurandum illum damnare. Quia hæreticus pure mentalis nec reconciliatione, nec Inquiſitorum abſolutione indiget, ſed à quovis confeſſario abſolvi poteſt, ut tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit. 32. num. 17.* Covar. *reg. peccatum p. 2. num. 7.* Farinac. *loc. cit. num. 7.* Gutier. *quæſt. can. lib. 1. cap. 13. num. 8.* & Sanch. *in decal. lib. 2. cap. 8. nu. 3.*

Nullus verò pœnitens hæreticus ad miſericordiam admittendus eſt ſine abjuratione. Omnes enim hæretici pœnitentes, aut de hæreſi ſuſpecti abjurare debent, quia jura de abjuratione loquentia generaliter loquuntur, ac generaliter intelligi debent, *l. 1. §. generaliter ff. de legat. præſt.* Ideoque ab abjuratione nullum privilegium, nullave dignitas excuſat, ſive ſint Reges, ſive ſint Imperatores, ſive ſint Prælati, ſive Cardinales, ſi in hæreſim incurrerint, abjurare tenentur, ut omnes abjurationis rubore, quaſi quodam vinculo adſtricti, in catholicæ Eccleſiæ unitate per-

manere

manetè cogantur, ut per Eymer. *p. 3. rubr. de quart. mod. termin. proces.* ibique Pegn. *com.* 40. Decian. *d. lib. 5. cap.* 47. *numero* 4 Zecch. *dict. rubr. de hæreſ. nu.* 17. & Farinac. *dict. quæſt.* 194. *nu.* 24.

Ac ita, ut etiam ſuſpectus vehementer de hæreſi, etſi non ſit confeſſus, neque convictus, teneatur abjurare. Quia hæreſis ſuſpicio vehemens, quamvis non ſufficiat ad condemnandum aliquem, ut hæreticum ad pœnam ordinariam, ſufficit tamen ad condemnandum in pœnam extraordinariam, & ad abjurandum. Ad hoc enim minor probatio requiritur in crimine hæreſis, ut docent Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 50. *rubr. de præſumpt. num.* 21. *& titul.* 51. *num.* 12. Locat. *in Iudic. v. ſuſpicio numero ſeptimo.* Repert. Inquiſ. *v. abſolutio*, Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *quæſt.* 10. *num.* 11. Decian. *loco citato nu* 2. Eymer. *p.* 2. *quæſtio.* 55. *numer.* 12. *& p.* 3. *numer.* 166. Cantera *in quæſt. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *nu.* 56. & Farinac. *de hæreſ. quæſtio.* 187. *num.* 40. *& d. quæſt.* 194. *num.* 26.

Ex Concilio Tholoſano ſub annum 1229. celebrato, *cap.* 11. & ex Concilio Biterenſi paucis poſt annis congregato *cap.* 31. ſtatutum eſt, ut maſculi à quartodecimo anno, & fœminæ à duodecimo & ſupra, abjurent omnem hæreſim. Ita refert Pegna *p.* 3. *direct. com.* 40. Unde ſiquis infra hanc ætatem deliquerit, aliis pœnis erit coercendus, non autem compellendus ad abjurationem.

Et licet in quadam Inſtructione Vallifolitana edita ſub anno 1488. indicari videatur quod in minori ætate delinquentes, ſi fuerint doli capaces, abjurare etiam debeant, hanc tamen ſententiam non eſſe admittendam ait Pegna *loco citato* niſi de malitia pueri, ac de errore illius intellectus, & notitia contrariæ veritatis ac de cœteris, quæ ſolent crimen hæreſis comitari, conſtiterit. Quoniam abjuratio eſt graviſſima pœna, ad quam ſe obligat, qui abjurat. Et propterea in tali ætate non eſt facile imponenda; & quando imponitur in pupillari ætate de levi tantum eſt injungenda. Quia ætas fragilis, judicium inconſtans, rationabilis ignorantia credendorum, & aliæ circumſtantiæ multum detrahunt delictis puerorum, ac plurimum etiam minuunt hæreſis ſuſpicionem. At ſi de hæreſi formali conſtaret, nec ſupradicta excuſarent, abjuratio de formali eſſet facienda. Et ita etiam tradunt Souſ. *in aph. lib.* 2. *capit.* 40. *numero quarto*, Farinac. *de hæreſ. dict. quæſtion.* 194. *num. tertio*, & Carena *dict. p.* 3 *tit.* 12. *§.* 9.

Abjurationem autem eſſe pœnam inter graves numerandam, & non tantum ſignum pœnitentiæ abjurantis conſtat, quia per ſententiam injungitur ex praxi ſupremæ Inquiſitionis Romanæ, ut notant Pegna *p.* 3. *com.* 42. Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 1. *de abjurat. num.* 29. Farinac. *dict. quæſt.* 194. *num.* 17. Souſ. *in aph. lib.* 2. *capit.* 40. *numero ſeptimo.* & Carena *dict. pag.* 2. *titulo duodecimo*, §. 4. *numero* 12. Et abjurantes de levi, ſi ſint Regulares, redduntur inhabiles ad officia, & dignitates Religionis ex decreto S. Congregationis, S. Officii annuente Urbano VIII. ut refert Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſolut.* 64. & abjurantes de vehementi non admittuntur ad confeſſiones audiendum, ut ait *ibidem* Diana & Carena, *loc. cit. num.* 11. *&* 14.

Caſus porrò in jure expreſſi, in quos incidentes ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, ac de vehementi abjurare debent, decem enumerantur ab Eymerico *p.* 2. *direct. q.* 56.

Primus eſt. Quandocunque aliquis vocatur ad reſpondendum in cauſa fidei, & non comparet intra terminum competentem aſſignatum eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, ut ex *capit. Cùm contumacia de hæret. in* 6. & conſequenter debet de vehementi abjurare.

Secundus, Quicunque ſcienter impedit directè, vel indirectè, aut quovis modo Inquiſitionis Officium, ut colligitur ex Conſtitutione Urbani IV. edita anno 1261. incip. *Præ cunctis noſtræ mentis.* Et ex ratione. Nam impediens Inquiſitionis Officium incurrit excommunicationem in qua ſi per annum inſorduerit, & violenter de hæreſi convictus, & ut hæreticus condemnandus *ex cap. ut Inquiſitionis de hæret. in* 6. Violenta autem hæreſis ſuſpicio non oritur ex levi ſuſpicione, ſed ex vehementi. Atque adeò impediens Inquiſitionis officium, antequam annus tranſeat, eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus, & ut talis abjurare debet.

Tertius. Quando quis ſcienter præſtat auxilium, conſilium, vel favorem impedientibus Inquiſitionis negotium, vehementer de hæreſi ſuſpectus habendus eſt *ex d. cap. Ut Inquiſitionis §. fi. ubi* notandum cum Pegna *com.* 61. quod ſaltem in iis, qui indirectè impediunt S. Inquiſitionis officium, vel impedientibus præſtant auxilium, conſilium & favorem, conſideranda eſt qualitas perſonarum, & factorum. Nam ſi quis ratione affectionis erga conſanguineos, aut amiciſſimos impedierit, vel auxilium, conſilium, aut favorem dederit in cauſis ad S. Officium ſpectantibus, quamvis ſit acriter puniendus, non eſt tamen credendus de hæreſi ſemper vehementer ſuſpectus. Quod præſertim habet locum in illis, qui non adeo callent fidei cauſas, quales ſunt ruſtici, ac plebei. Quamobrem antequam abjuratio de vehementi talibus imponatur, diligenter eſt perſonarum qualitas perpendenda ob periculum relapſus, & traditionis Curiæ ſecularis.

Ut autem perfectè, plenèque ſciatur, quando, & qualiter ſortilegi abjurare debeant, hæc ſubjicio. Certum eſt, quod ſortilegi, ſi fateantur hæreſim, de qua ſunt ſuſpecti, & cum pertinacia in illa non perſiſtant, ſed pœniteant, abjurare debent de formali.

Si verò ſortilegus hæreſim negat, obſervandum eſt primò, an factum hæreticale, ratione cujus ſunt ſuſpecti de hæreſi, ſit ſufficienter probatum, & de eo plene conſtet in proceſſu per ejus confeſſionem, vel quia ſortilegus de illo eſt convictus per rei evidentiam, aut per teſtes.

Nam ſi de facto hæreticali non conſtat plenè, ſed ſolum per præſumptiones, non poteſt cogi, ut abjuret. Aliàs enim præſumptio ex præſumptione oriretur, ſcilicet præſumptio hæreſis ex præſumptione facti, ſapientis hæreſim contra regulam *l.* 2. *Cod. de dot. promiſ.* Rota *deciſ.* 800. *num.* 17. *p.* 1. *div.* Menoch. *præſumpt.* 132. *in* 8. *declarat.* & *nos* ſæpè. Quod in hac re notandum eſſe, advertunt Carena *pag.* 2. *titul.* 12. *num.* 241. & *Salell. lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 913.

Conſtito igitur de facto ſapienti hæreſim, indicenda eſt abjuratio. Ut autem videatur qualis abjuratio indici poſſit, conſiderandum eſt, quod ex conditione perſonæ ſuſpicio hæreſis poteſt augeri, & minui, immo & omninò tolli. Unde non ſufficit, quod factum per ſe ex communi Doctorum ſenſu ſapiat manifeſtè hæreſim, vel inducat vehementem ſuſpicionem hæreſis, ut ſortilegus cogatur ad abjurandum de vehementi. Quia poteſt contingere, ut ex conditione perſonæ minuatur vel tollatur ſuſpicio, ut per Pegnam *p.* 2. *com.* 3. *&* 81. Caren. *dict. titul.* 12. *numero* 241. & Salell. *dict. cap.* 5. *numero* 921. *&* 936.

Undè ſi ſortilegus putaverit, res adhibitas eſſe cauſas naturalis effectus, & illis uſus eſt, ut cauſis naturalibus cum intentione excludente omnem dæmonii invocationem, & auxilium, etiamſi in hoc erraverit, non eſt ſortilegus. Pariter in variis obſervationibus continentibus ſacras orationes, & quæ

ſolum

ſolum ſunt ſuperſtitioſæ ex aliqua vana circumſtantia, ot ex numero orationum, vel ex tempore, quo fieri debere aſſeritur, vel ex alia vana circumſtantia, ſi vanus obſervator, nonniſi in auxilio divino confiſus eſt, & non judicavit, orationes illas habere infallibiliter effectum, ſed à Deo ſperavit effectum, ut obtinendum ex beneplacito divinæ voluntatis, ac ejus miſericordiæ, quamvis erraverit in obſervatione illius vanæ circumſtantiæ, non idcirco eſt ſacrilegus, nec de hæreſi ſuſpectus, licet ſit ſuperſtitioſus, ſi ignorantia probabilis eum non excuſet. Tunc enim illa vana obſervatio pertinet ad primam ſpeciem ſuperſtitionis, in qua cultus imprudens, & vanus tribuitus vero Deo, & regulariter à mulieribus ac ſimplicibus in hoc ſenſu, non ſapiente hæreſim, hujuſmodi vanæ obſervationes aſſumuntur, cujus tamen contrarium in viris doctis jure præſumitur. Sic igitur contingere poteſt, quod ignorantia, etiam craſſa, licet non excuſet ab aliqua culpa, excuſet tamen ab hæreſis præſumptione, vel omninò, vel ſaltem à vehementi: Quod tamen non contingit, ubi vanus obſervator ſcit, quod vanæ obſervatiooes non ſunt cauſæ naturalis effectus intenti, & ad illum obtineodum non innititur ſolo Dei auxilio, ex illius liberalitate obtinendo.

Et ideò, quod etiam ab abjuratione de formali excuſet ſortilegi ſimplicitas, annotarunt Carena *loco citato, numero* 244. & Salell. *ibidem numero* 921. Ut ſi in ſortilegio ad amorem moliercula reſponderet, ſe crediſiſſe dæmooem poſſe cogere voluntatem, non ob id cogenda eſt ad abjurandum de formali. Quia ſimplicitas mulieris illam excuſat. Adduntque citati Doctores, illam excuſari etiam ex eo, quia ejus dictum poteſt intelligi de quadam coactione morali juxta illud: *trahit ſua quemque voluptas.*

Si præterea ſimus in caſu hæreſis, quæ eſt circa articulum quem omnes non tenentur explicitè credere, ignorantia etiam craſſa, excludens tamen fraudem, ac dolum, licet coram Deo in foro conſcientiæ oon excuſet à culpa hæreſis, poteſt tamen in foro externo excuſare ab externa hæreſi, & ab abjuratione de formali. Hinc aliud eſt, aliquem non excuſari ab hæreſi. Aliud illum non excuſari, quod ſit hæreticus, ut optimè D. Thomas *in* 4. *diſt*. 13. *q*. 22. Cùm enim ad hoc, ut aliquis ſit cenſendus hæreticus, ſit neceſſaria pertinacia, talis non eſt, qui in iis, quæ non tenetur explicitè ſcire & credere, ſi ſit paratus credere quotieſcumque ſibi ſufficienter conſtiterit illa, eſſe de fide, & ideò talis non debet abjurare, ut hæreticus de formali. Qua de re infrà quoque: Quod de jure Canonico certum eſt, nemioem eſſe hæreticum ſimpliciter ac perfectè, niſi qui ſcientes, & cum pertinacia negat aliquem articulum fidei.

Et nihilominus exiſtimat Salell. *Libro* 5. *capite* 5. *numero* 900. *&* 905. Quod ſortilegi, habentes pactum expreſſum cum dæmone regulariter abjurare debent de formali. Verum id ab eo dicitur, quia regulariter hujuſmodi pactum non fit, niſi oegando baptiſmum, & adorando dæmonem, ſicque pactum hoc eſt hæreticum ratione rei conventæ ſive adjunctæ hæreſis externæ. Si vero non cooſtaret de hac hæreſi adjuncta: ſed ſolum illa præſumeretur ex eo, quod pactum non ſolet eſſe ſine illa, tunc paciſcens non eſſet hæreticus externus, ſed præſumeretur talis, & ideò locum non haberet abjuratio de formali.

At verò ſi ſortilegium ex adjuncta hæreſi formali non eſt hæreticum, ſed ſolum eſt hæreticale, & ſapiens hæreſim, ſi ſapit illam manifeſtè, prævia tortura ſuper intentione, ſi ſortilegus præſumptam hæreſim negat, abjurat de vehementi, cùm remaneat de hæreſi vehementer ſuſpectus, ut eſt in uſu, niſi tamen ex circumſtantia perſonæ, ut ſupra dictum eſt, ſuſpicio minuatur.

Quod ſi ſortilegium non ſit qualificatum, & ſic non ſapiat hæreſim manifeſtè, ſed ſolum levem ſuſpicionem hæreſis inducat, indicendum illi eſſe purgationem Canonicam nobilibus, ac probis viris, dixit Leo *in theſaur. part.* 5. ſed Zanardus exiſtimat, hos ſortilegos non eſſe cogendos ad abjurandum de levi, purgare tamen debent torturâ levem ſuſpicionem.

At decipitur, quia cenſet, ſortilegium, quod dicunt non hæreticale, non eſſe factum de ſe hæreticum, neque inducere ſuſpicionem hæreſis. Nullum enim datur ſortilegium, quod aliquo modo non ſit hæreticale. Et dari quidem facta, ſive ſortilegia, quæ non ſapiunt hæreſim manifeſtè, & ſic quod non inducant ſuſpicionem vehementem hæreſis, ſed levem, habetur *ex capit. accuſatus ſub initio*, *&* §. *ſanè.* Et quanquam hæc ſuſpicio levis poſſit purgari per torturam, melius tamen judicatum fuit, illam purgari per abjurationem de levi, atque ideo, ex praxi hujuſmodi ſortilegi regularites non torqueotur, ſed abjurant de levi, ut per Genuen. *in pr. cap.* 68. *&* 84. Caren. *pag.* 2. *titulo duodecimo numero* 251. Salell. *libro quinto, capit.* 5. *numero* 913. Immò aliquando nec de levi, ſed cum ſola correctione, ac pœnitentia ſalutari dimittuntur, quando apparet quod ſit mera ſimplicitas, ſitque leviſſima ſuſpicio hæreſis, Salell. *d. cap.* 5. *numero* 920.

Non indicitur verò purgatio Canonica, quia hæc fragilis, fallax, & iocerta eſt, ideoque melius eſt ad alia remedia, & ad alias pœnas arbitrarias devenire, ut per Pegn. *p.* 2. *com.* 14. & Farinac. *de hæreſi quaſt.* 194. *numero ſexageſimo quarto*, ubi teſtatur purgationem hanc in ſupremo Tribunali S. Inquiſitionis Romanæ jam ferè ab aula receſſiſſe, aitque Carena *dict. titul.* 12. *numero* 249. hoc idem ſervari in Hiſpania, ut colligitur ex *quadam inſtructione Madriliana edita ſub anno* 1561. *cap.* 47. cujus verba refert Pegna *loc. cit.* Ac de his modò non plura.

Quartus. Quando quis citatos hæreticos, vel eorum credentes inſtruit, quod ſubticeant veritatem, vel ut aſſerant falſitatem. Is enim de hæreſi vehementer ſuſpectus habendus eſt, ut patet ex *cap. accuſatus* §. *fin. de hæret. in* 6. *&* *in cap. non inferenda* 23. *quaſt.* 2. ubi dicitur cum D. Ambroſio *lib.* 1. *de offic. cap.* 30. qui non repellit à ſocio injuriam, ſi poteſt, tam eſt in vitio, quàm ille, qui facit. Et ideò de vehementi abjurare debet.

Quintus. Quando excommunicatus ex cauſa fidei citatus, contumaciter diſcedit, nec comparet, vel captos pro hæretica pravitate liberat, vel fidei negotio ſe opponit, vel alio quovis modo, excommunicationem per annum animo pertinaci ſuſtinuerit, eſt ipſo jure de hæreſi vehementer ſuſpectus, tum quia contumacia in cauſa fidei inducit ſuſpicionem vehementem de hæreſi. Tum quia videtur de ſacramentis Eccleſiæ male ſentire, ut ait Oſtienſ. *in ſum. titul. de hæret.* §. *qualiter.* Et tum quia, ut ſupra dictum eſt, antequam annus tranſeat, eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus. Nàm cum annus tranſierit, non vehementer, ſed violenter eſt ipſo jure ſuſpectus, & ut hæreticus condemnandus *ex dict. capit. Ut Inquiſitionis*. Quare abſque dubio de vehementi debet abjurare.

Sextus. Omnes hæreticorum fautores, defenſores, & receptatores debent etiam de vehementi abjurare, quia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, & ſunt excommunicati, ut *ex capit. excommunicamus* 1. *paragraf. credentes de hæret.* Quinimmò pro qualitate criminis indicitur iis

abjuratio,

abjuratio. Nam ſi conſtat, illos eſſe hæreticos, abjurant de formali. Si verò de hæreſi ſunt vehementer ſuſpecti, abjurant de vehementi cum hoc tamen diſcrimine. Quia ſi apparet illos faviſſe alicui hæreſi in ſpecie, quia benè ſciebant hæreticum tenere illam hæreſim, & ſic ſunt ſuſpecti de illa hæreſi, abjurare debent illam, in ſpecie. Sed ſi non apparet, illos faviſſe alicui determinatæ hæreſi, ut quia ſciebant eum cui favorem præſtiterunt, eſſe hæreticum, ſed in ſpecie ejus hæreſim ignorabant, tunc abjurant omnem hæreſim in genere. Regula itaque illa, quod àbjuratio generalis non ſubſiſtat, fallit in fautoribus hæreticorum, ut notant Eymer. *p. 2. quæſt.* 54 *num.* 4. ibique Pegna *Litt. C.* Repertor. Inquiſ. *v. fautores* Duard. *in Bul. Cœna Can. q.* 33. *n.* 34 & Carena *p. 2. tit. 4. n.* 89.

Septimus. Quicunque propter agnitorum hæreticorum familiaritatem eſt de hæreſi infamatus ratione dictæ familiaritatis, vehementer eſt de hæreſi ſuſpectus *ex cap. inter ſollicitudines de purg. can.* ubi apparet, quod ratione infamiæ de hæreſi fuit cuidam indicta publica abjuratio.

Octavus, quicunque eos, quos ſcit hæreticos, ſcienter receptat, deducit, viſitat, ſive comitatur, ac dona, ſive munera eis largitur, ſive mittit, ſive alios favores impendit, & excuſari non poſſit, quin ſint in favorem magis culpæ, quàm perſonæ, ſuſpectus vehementer de hæreſi eſt habendus ex *d. cap. accuſatus §. illis quoque de hæret. in 6.* ubi apparet, quod is abjuravit ex ſuſpicione vehementi. Et notat Pegna *dict. com.* 61, quod hujuſmodi receptatores, ſi ratione ſanguinis, & naturalis affectionis, non fidei contemptu, aut hæreſis amore id fecerint, putandum eſt, eos receptaſſe conſanguineos, non tanquam hæreticos, ſed tamquam conſanguineos, ideòque mitius eſſe puniendos, non tamen eſſe ab omni pœna excuſandos, quia non ſunt omninò immunes à delicto. Unde filius receptans patrem hæreticum, uxor virum, frater fratrem, & è contra, levius puniendi ſunt, quàm ſi alios non ita conjunctos receptaſſent, aut defendiſſent. Neceſſe tamen eſt, ut receptans non participet in crimine cum receptatis. Nam ſi particeps ejuſdem criminis fuerit, ordinaria pœna puniendus erit. Idemque aiunt, plerique, dicendum eſſe de amicis, non de quibuslibet, ſed de ſummis atque intimis per ea, quæ alibi adduximus.

Nonus. Quando quis in cauſa fidei examinatus judicialiter & convictus, negat, quod antea affirmavit, vel mendacium aſſeruit, vel perjurium commiſit, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementer, ut in *cap. Litteras de præſumpt.* & idcirco ad vehementer abjurandum cogendus eſt.

Decimus habetur in Concilio Tarraconenſi, & refertur ab eodem Eymerico ibidem, quod qui dicit, aut facit aliquid ſemel contra fidem, ſuſpectus ſit leviter de hæreſi. Qui autem bis, vel ter, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementer. Qui autem pluries ac frequenter ſit ſuſpectus vehementiſſimè ac proinde abjurare debet ſimiliter de vehementi.

Præter hos caſus ſunt & alii benè multi, ex quibus vehemens hæreſis ſuſpicio oriri poteſt, & in quibus abjurandum eſt de vehementi, ſed ad ſupradictos reducuntur.

Non denunciantes hæreticos Inquiſitoribus, vel locorum Ordinariis, abjurare debent de vehementi, quia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, ac præſumuntur hæreticorum fautores, præcipuè ſi denunciantes ſint cruce ſignati, qui ex officio ac juramento præſtito tenentur hæreticos denunciare, ut per Pegn. *in direct. p. 2. com.* 181. Decian. *lib. 5. cap. 51. nu.* 25. Royas *ſing. 5. n 6. & ſeq.* & Zech. *dict. rubr. de hæret. cap. 11. n.* 5. Id tamen, ut notat Carena *p. 2. tit. 9. ſ. 43.* locum non habet quando nulla adeſt probabilis cauſa non revelandi, vel ſi in judicio interrogatus, eos ſcienter celaret. Quod etiam obſervant Pegna, & Royas *loc. cit.* Zanchin. *de hæret. cap. 5. n. 4.* & Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 197. *num.* 48. Unde ſi ob metum, cadentem in conſtantem virum denunciare omitteret, non eſſet de hæreſi ſuſpectus, ut aſſerunt Sanctarel. *de hæreſ. cap. 9. num.* 16. & Farinac. *dict. quæſt.* 197 *nu.* 53. eſſetque tantum de levi ſuſpectus qui omitteret denunciare non in defenſionem hæreſis, ſed ob conſanguinitatem, vel amicitiam cum hæretico, ut per Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæſt. 53. concl. 1. n.* 17. & Caren. *loco citato numero* 46. ubi advertit, quæ dicta ſunt procedere in non denunciante hæreticos, ſecus verò dicendum in omittente denunciare ſuſpectos de hæreſi, licet poſſint iſti puniri pœnis in edictis Inquiſitorum ſtatutis, Retinentes Libros ſortilegos, aut hæreticos. De quibus infra.

Sortilegi verò ſub quorum nomine continentur etiam divinatores, malefici, incantatores, magi, arioli, aruſpices, aliique, ut docent Zanchin. *de hæret. cap.* 22 *n. 1 & ſeq.* ibique Campeg. *lit. A* & Farinac. *loc. cit. n.* 3. abjurare debent de vehemente hæreſia ſuſpicione primò, quando dæmonibus exhibet cultum latriæ, qui ſolo Deo debetur, nempe ſi in ſortilegiis dæmonem adoraverint, vel ei ſacrificium obtulerint, vel ſervitutem ac obedientiam promiſerint, vel ab eo petierint, quæ à ſolo Deo fieri poſſunt, ut mortui reſurrectionem, cæci illuminationem, infirmi inſtantaneam ſalutem, transformationem hominis in animal brutum, intima cordis alterius ſcire, ac ſimilia. Qui enim dæmonem invocat ad faciendum, vel indicandum, quæ à ſolo Deo fieri & indicari poſſunt tribuit ei honorem divinum, ideòque eſt vehementer de hæreſi ſuſpectus, ut docent Eymeric. *in extravag. Joannis XXII. nu. 12. & p. 2. direct. q.* 43. ibique Pegna, Scacc. *de indic. lib. 1. cap. 12. num. 26. & ſeq.* Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 181. *num.* 9. Delrius *lib. 5. magic. ſect.* 15. Zanard. *in ſum. tom. 2. cap.* 64. & Carena *p. 2. tit. 12. §. 4. n. 26. & ſeq.*

Item abjurare debent de vehementi, qui dæmoni tribuunt cultum duliæ debitum Angelis, & Sanctis, qui ſunt in cœlo, nempe qui in ſortilegiis invocant dæmonem, ut ſanctum, vel venerantur ut gubernatorem mundi, vel in ejus honorem altare erigunt, candelas & lampades accendunt, genua flectunt, humi ſe proſternunt, preces effundunt, laudes ac hymnos canunt, corpus ſuum jejuniis macerant, & id genus alia faciunt. Nam hi omnes ſunt ſimiliter de hæreſi manifeſtè ſuſpecti, ut per eoſdem Doctores, locis allegatis.

Qui ineunt pactum expreſſum cum dæmone, etiamſi ſortilegia ſint circa ea, quæ dæmonis facultatem non excedunt, abjurare etiam debent de vehementi. Quia inire pactum cum dæmone ſpecies eſt idololatriæ & apoſtaſiæ à fide, ut ait Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 63. & ideò ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti, ut firmant Eymer. *p. 2. q. 43. num.* 7. ibique Pegna *com.* 68. Delrius, Zanardus, & Carena *ubi ſupra.* Genuenſ. *in pr. cap. 18. num.* 11. & conſequenter debent de vehementi abjurare.

Pariter qui in ſortilegiis, divinationibus, maleficiis, & ſimilibus abutuntur ſanctiſſima Euchariſtia, vel ſacro chriſmate, aut oleo ſancto, vel ſanctorum reliquiis, vel Agnus Dei, vel Aqua ſacra, vel candelis benedictis, vel aliis ſacramentalibus, vel verbis ſacræ Scripturæ, vel orationibus S. Eccleſiæ, ut Pater noſter, Ave Maria, debent abjurare de vehementi. Quia præſumitur malè de hiſce rebus ſentire, ac in eis ineſſe vim operandi ſortilegia, maleficia, & alios nefandos effectus. Quod eſt manifeſtè hæreticum, ut notant Binsfeld. *in com. ad l. eorum C. de malef. & mathem. q. 2. concl.* 5. Suarez *de relig. lib. 2. de ſuperſt. c. 9. num.* 10. Graff. *lib. 2. deciſ. cap. 5. num.* 13. Delrius *ibid.* Farinac. *de hæreſ. q. 181. n. 19. & ſeq.* Caren. *loc. cit. n.* 23.

Ii quoque qui baptiſant magnetem, vel animal brutum, vel imaginem cujuslibet materiæ, aut rebaptiſant pueros, vel circa eoſdem abutuntur ſacramento Confirmationis, vel Ordinis, debent abjurare de vehementi ob eandem rationem; oſtendunt enim male ſentire de his ſacramentis; ideoque hoc ſortilegium, ut manifeſtè hæreticale reputatur, ſicut ſtatuit Adrianus IV. *in extravag.* dudum, edita anno 1523. relata à Pegna, & tenet Gloſſa *in cap. accuſatus 5. ſanc. v. ſaperent de haret. in 6.* Sylveſt. *v. hareticus 2. nu. 4.* Roſſella *in ſum. eod. v. nu. 3.*

Nec non abjurare debent de vehementi, qui ſortilegia faciunt ad nocendum hominibus, vel animalibus, vel terræ frugibus. Nam, ut decernitur in Conſtitutione Innocentii VIII. emiſſa ſub anno 1481. quæ incipit, *ſummis deſiderantes affectibus*, & in Conſtitutione Alexandri VI. Cujus initium, *Cum acceperimus*, apud Pegnam, & *in d. l. eorum C. de maleſ.* notantque Decian. *in tr. 11. lib. 2. capit. 17. nu. 36.* & Farinac. *de hareſ. qu. 181. nu. 31.* ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Pariter qui de hujuſmodi ſortilegiis maleficos conſulunt, aut ea fieri petunt, ut probat Delrius *d. lib. 5. magic. ſect. 16.* quia iſti ſunt maleficiorum cooperatores, & in eaſdem incidunt pœnas, in quas ipſi malefici.

Similiter qui dæmonem alligatum in annulo, vel in ſpeculo, aut in phiala, vel in alia qualibet re credunt retinere, quamvis falſum ſit, dæmones ab hominibus in his rebus poſſe alligari; nam ſimulant ſe ibi alligatos, ut alios alligent ac deſpiciant. Qui ergo hujuſmodis à dæmone petunt aliquid, & reſponſum accipiunt, ſuaque deſideria implent, præſumuntur hæretici, cum hujuſmodi reſponſiones haberi non poſſint, niſi ex fœdere inito cum ipſo dæmone, qui certè, nec etiam reſponderet, niſi per illicitas invocationes, ac venerationes. Ideoque inter magicas, & hæreticales ſuperſtitiones hoc ſortilegium enumeratur à Joanne XXII. *in extravagante* quæ incipit, *ſuper illius ſpecula*, & ab Eymerico *p. 2. direct. qu. 43. nu. 9.* ibique à Pegna, à Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 63. nu. 29.* à Campegio *in addit. ad Zanchin. de haret. cap. 22. litt. G.* à Farinacio *de hareſ. qu. 181. nu. 28.* ac per conſequens abjurare debent de vehementi.

Præterea, qui tacitè dæmonem invocat figuris, caracteribus, verbis, ac ſignis ignotis, & ſuperſtitioſis ad aliquid faciendum, ſimiliter de vehementi abjurare debet. Quia hæc, natura ſua, nullam habent virtutem Ergo dæmon per illa operatur. Atque adeo, qui illis utitur, de hæreſi vehementer ſuſpectus eſt, ut tradunt Eymericus, *p. 2. qu. 43. num. 2.* ibique Pegna *com. 68. litt L.* Campeg. *loc. cit. lit. E.* Azor. *p. 1 lib. 9. c. 26. q 6.* Tolet. *in ſum. lib. 4. Cap. 14. num. 6.* & Graffius *lib. 2. deciſ. cap. 5. nu. 10.*

Eodem modo abjurare debet de vehementi, qui à dæmone ſcire inquirit futura, quæ vel abſolute pendent à divina voluntate, ut ſunt myſteria ſupernaturalia, gubernationes, ac mutationes Regnorum ac rerum publicarum, vel pendent à Libero hominis arbitrio, vel quæ ſunt omnino futura contingentia, & certam ac determinatam cauſam non habent, vel ſecreta cordium, eorum cogitationes, & alia quæ ſunt penitus occulta, & naturaliter ſciri nequeunt, ipſiſque dæmonibus ſunt ignota, ut per Pegnam *loc. cit.* Delrium *lib. quarto magic. capite ſecundo quaſtio. ſecunda*, Zanchin *de hareſ. capite vigeſimo ſecundo numero quarto* Binsfeldium *ubi ſupra not. decima Concl. nona*, & Farinac. *d. quaſt.* 181. *numero octavo & ſequ.*

Idemque dicendum eſt de eo, qui, ad inveniendà furta, vel ad ſciendum aliquid occultum, accipit phialam plenam aqua Luſtrali, & ante illam ponit puerum, vel puellam virginem cum candela benedicta accenſa in manu reſpicientem dictam aquam, & quædam verba dicentem, & tunc aliquando apparere ſolet in phiala imago Latronis, vel rei ablatæ, vel loci, ubi eſt repoſita, vel alterius rei, aut negotii occulti, quod quæritur. Ita etiam de eo qui ad id utitur cribro farinaceo forficibus appenſo, dicens aliqua verba ignota; & nominando Latrones ſuſpectos, ſimul ac nominatur verus Latro ex ſe volvitur. Hæc enim ſortilegia *manifeſtam* hæreſim ſapiunt, ut de primo probat Barbat. *lib. 1. conſ.* 55. quem ſequitur Locat. *in judic. v. divinationes numero quarto* Decian. *in tr. cr. lib. 5. capit. 7. numero quarto*, ac Pegna *p. ſecunda quaſt. 43. Com.* 68 *lit. G.* ubi ait, quod Necromantici ſolent lucidam ampullam, aut quid ſimile coram puero, vel puella ſtatuere, in qua dæmonum arte apparent ſpectra, & ſimulacra eorum, quæ ſcire cupiunt, & quæ ipſi videre non poſſunt, videntur tamen ab innocentibus pueris, & puellis, & ab illis referuntur. Idque ipſum quoque dicendum quando immiſcentur aliqua verba ſacra, ut Evangelium, Symbolum, Pater noſter, Ave Maria, Pſalmus, Orationes, aut ſacræ Scripturæ verba.

Debet itidem abjurare de vehementi qui circulos in terra faciunt, illoſque aliquibus ſignis muniunt, & puerum in medio collocant, aut quid ſimile faciunt, ac dæmonem invocant, quia de hæreſi vehementer ſuſpecti ſunt, etiamſi in tali actu non appareat, quod dæmoni aliquis honor exhibeatur. Samper enim in tali ſortilegio aliquis honor dæmoni exhibetur ut per Zech. *p. prima de ſed. cap. decimo quinto numero quinto* Campeg. *in addit. ad Zanch. de haret. capite vigeſimo ſeptimo lit. E.* Farinac. *d. quaſtion.* 181. *paragrapho ſecundo numero ſeptimo*, & Carena *p. ſecunda tit. duodecimo paragrapho* 10. *numero* 56. Circulus enim eſt ſymbolum, hoc eſt, nota divinitatis.

Sic etiam de vehementi abjurare debet, qui per artes magicas, & ſortilegia quærit familiaritatem, & amicitiam, vel auxilium dæmonis, vel ei promittit quamcumque rem, ut ſuum deſiderium adimpleat, aut in dæmonis honorem aliquid oſculatur, vel defert. Nam hæ ſunt ſpecies idololatriæ, ut advertit Pegna *p. ſecunda com.* 68. & fuit definitum à Theologis Pariſienſibus annno 1395. ut teſtatur Gerſon. *tom. primo tr. de error. circa artem magicam.*

Et ut ille, ita iſte abjurare debet de vehementi, qui per ſortilegia cum dæmonis invocatione, aut cum mixtione rei ſacræ, vel ſacramentalium, curat morbos, ſedat tempeſtates, maleficia tollit, facturas diſſolvit, & magica remedia infirmis applicat. Nam etiam qui dæmonem ad bonum effectum conſequendum his invocat, ſuſpectus de hæreſi vehementer præſumitur. Hujuſmodi autem ſortilegia eò ſuperſtitioſiora ſunt, quò ſanctiores res quæ in eis miſcentur. Res enim Deo debitæ at dedicatæ in ſortilegiis adhibitæ, dæmoni offeruntur. Et ideo jure Canonico, & ſecundum legem divinam, nunquam licitum eſt petere diſſolutionem maleficii vel aliud aliquid ob bonum finem à malefico, vel ſortilego, qui non niſi alio maleficio, vel dæmonis auxilio illud diſſolvit, ut tradunt Simanch. *de Cath. inſtit. tit. ſexageſimo ſecundo numero decimo nono & ſeq.* Farinac. *dict. qu.* 181. *numero trigeſimo tertio* ac Pegn. *§. 2. com.* 68. ubi firmat hæreticum eſſe, uti magicis artibus, vel aliis quibuſcumque ſuperſtitionibus à Deo, & ab Eccleſia prohibitis ad bonum finem, & maleficia maleficiia expellere. Qua da ra aliàs contra Delrium.

Inſuper

Inſuper de vehementi abjurare debent Lamiæ, ſive ſtriges, quæ ſive corporaliter transferantur a dæmone ad conventus magicos, ubi aiunt fieri convivia, tripudia, dæmonis adorationes, nefarii concubitus, ac ſimilia, ſive dæmon, cum ipſæ Lamiæ dormiunt, in ipſarum phantaſia hæc omnia repreſentat, ac ſi reipſa fierent; ita ut ſibi perſuadeant, ſe ea omnia re vera egiſſe, quamvis non egerint, ſed ſomniaverint. Nam etiam illæ, quæ in ſomno deluſæ ſunt, puniri debent ob deſiderium & conatum faciendi ea, quæ conſopitæ ſibi facere videntur. Hac enim ratione ſe ungunt, ac ſignis magicis ſignant, ut illa faciant re ipſa, & poſtea cùm putant facta, approbant. Eoque magis, quia, plurimum apoſtatæ ſunt à fide Catholica, Chriſtum negant, dæmoni obedientiam promittunt, ac multa faciunt, quæ hæreſim manifeſtam ſapiunt. ut præ cæteris docent Sylveſt, *v. hæreſis* 3. *numero*. 10. Locat *in judic. v. Lamia*, Royas *ſing.* 98. *numero*. 6. Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 37. Eymeric. *p.* 2. *direct. quæſt.* 43. *numero. octavo*, Delrius *libro quinto*, *magic. ſect.* 15. *&* 19. & Farinac. *de hæreſ. dict. quæſtione* 181. *numero. quadrageſimo quinto.*

Dæmonem verò invocans in ſortilegio ad amorem, vel odium provocandum, ſi credidit, dæmonem poſſe cogere tali medio viri, vel mulieris voluntatem ad amandum, vel odio habendum, abjurare debet, non ſolum de vehementi, ſed de formali, quia tractandus eſt, ut hæreticus, nu ignorantia illum excuſaret, ut per Alphonſ. à Caſtro *de juſt. hæret. pun. lib.* 1. *cap.* 1. *in fin.* Pegna *p.* 2 *com.* 68. Binsfeld. *in com. l.* 4. *C. de malef. & mathem. quæſt.* 2. *concl.* 4. Graff. *lib.* 2. *deciſ. cap.* 5. *numero. vigeſimo ſecundo*, Farinac. *de hæreſ. dict. quæſt.* 181. *numero*. 86. Delrium *lib.* 3. *magic. quæſt.* 3. *ſect.* 5. & Caren. *p.* 2. *titul.* 12. *numero*. 51. ideo ſuper credulitate iſta diligenter examinandus, & interrogandus eſt, quia dæmones nullius hominis voluntatem ad amandum, vel odio habendum cogere poſſunt, ſed ſuadere tantum, movendo phantaſmata in hominis imaginatione, ut ejus voluntas alliciatur ad deſiderium actus venerei, non cum uno potius, quàm cum altero, ſed cum aliquo in genere, Vide D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 80. *articulo* 3. ibique Caietanum, ac Medinam, & Theologos communiter; fuitque error quorundam hæreticorum, dicentium, dæmonem ſola ſua virtute, ſine nobis, in nobis cauſare peccatum, quem Auguſtinus tribuere videtur Valentino *lib. de hæreſ. cap.* 11. inquiens de illo, malitiam, non arbitrio tribuit, ſed naturæ mundi, id eſt generi dæmonum, eumdem errorem tribuit Armenis, & Albanenſibus Caſtro *v. peccatum hæreſi.* 3. Prateolus *ibidem*. & Scrader *lib.* 7. *de viſib. monarch hæreſ.* 118. *&* 151. ubi tribuit etiam Albigenſibus, quos cum Albanenſibus confundit, &, ut rectè advertit Porrecta, fuit etiam hæreſis Manichæorum, Armenorum, & Lutheranorum de quo Directorium Inquiſitorum, ibique Pegna, Bellarminus, Gravina, Alvarez *de auxiliis*, & alii: facilè tamen fieri poteſt, ut ſi eo tempore ſortilegus amator ad illam mulierem accedat, & inſtanter eam urgeat, ſuæ voluntati illa conſentiat, ut ex communi ſententia notant Delrius, Farinacius, ut alii locis allegatis. Appetitus ſiquidem ſenſitivus concitatur ad aliquas paſſiones ſecundum quendam ordinatum motum cordis, vel ſpirituum. Unde ad hoc etiam dæmon poteſt cooperari. Et ex hoc, quod paſſiones aliquæ concitentur in appetitu ſenſitivo, ſequitur, quod & motum, ſive intentionem ſenſibilem prædicto modo reductam ad principium apprehenſivum magis homo percipiat. Quia, ut inquit Ariſtoteles *de ſomn. & vigil.* amantes modica similitudine in apprehenſione rei amatæ moventur Contingit etiam, quando paſſio eſt concitata, ut id, quod proponitur imaginationi judicetur proſequendum, quia ei, qui à paſſione detinetur, videtur eſſe bonum id, ad quod per paſſionem inclinatur, & per hunc modum interius dæmon inducit ad peccandum. At de his alibi

Si autem ſortilegus in intellectu non erraverit, nec crediderit, poſſe dæmonem cogere hominis voluntatem, ſed in ſortilegio iniverit pactum expreſſum cum dæmone, vel verbis deprecativis illum invocaverit, vel miſcuerit ſacramenta Eccleſiæ, ut hoſtiam conſecratam, vel Oleum ſanctum Chriſmatis aut extremæ Unctionis, vel verba ſacræ Scripturæ aut orationes Eccleſiæ, vel particulas hoſtiarum, & alias ſanctorum reliquias, vel ſacramentalia, vel fruſtula indumentorum ſacerdotalium, aut ſanctorum imagines conculcaverit, vel fœdaverit, cruces dejecerit, vel confregerit in his, ac hujuſmodi caſibus injungenda eſt abjuratio de vehementi, quia vehementer eſt de hæreſi ſuſpectus, ut affirmant Eymer *p.* 2. *direct. quæſt.* 43. ibique Pegna, Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 21. *numero* 13. Menoch, *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 7. *numero* 20. & Farinac., *dict. quæſt* 181. *num.* 85. & ab Inquiſitoribus jure puniri poteſt, ut *ex dict. cap. accuſatus de hæret. in* 6.,

Si verò nec errorem quis habuerit in intellectu, neque abuſus fuerit Sacramentis, neque rebus ſacris, neque Sacramentalibus, neque verbis S. Scripturæ, neque Eccleſiæ orationibus, nec dæmonem verbis deprecativis invocaverit, nec cum eo pactum expreſſum inierit, & ſortilegium ad tentandam mulieris pudicitiam commiſerit, non eſt ei injungenda abjuratio de vehementi Quia licet graviſſimè peccavit, non tamen eſt, neque fuit de hæreſi vehementer ſuſpectus, tum quia nihil hæreticale effecit, tum quia per tale ſortilegium petiit à dæmone, ut mulierem tentaret, quod eſt ipſius proprium. Tentator enim appellatur *Matth.* 4. & tum quia in his ſortilegiis, ſeu philtris nulla eſt vis ad compellendam alterius liberam voluntatem ad amandum, vel odiendum, ut tradunt Eymeric. *dict. quæſt.* 43. Pegna *com.* 68. Binfeld. *in d. com. l.* 4. *C de malef. & mathem. quæſt.* 2. *concl.* 3. Scacc. *de judic. tom.* 1. *cap.* 12. *nu.* 16. Caren. *p.* 2. *tit.* 12. *n.* 28.

Hinc hæreſim non ſapit id, quod aliquando fieri ſolet ab aliquibus mulierculis, quæ credunt hominum amorem provocare cum quibuſdam levibus actionibus, aut verbis, non tamen hæreticalibus, nec hæreſim ſapientibus, ut notat Farin *eo n.* 85.

Neque hæreſim ſapit, quamvis grave ſit peccatum, præbere pocula amatoria, quæ naturaliter ad libidinem provocant; Conſtat enim, ut notat Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 2. ex teſtimoniis Ariſtotelis, Theophraſti, Dioſcoridis, Plinii, Galeni & aliorum, qui in ſimplicem rerum conſideratione verſati ſunt, & tractarunt multas eſſe herbas, fructus, ac lapides, quibus adhibitis, amoris & concupiſcentiæ flammis homines incendere poſſunt. Quia amor & concupiſcentia eſt affectio facultatis ſentientis, quæ vi ſpirituum, & humorum excitari, incendi, confirmari, & è contra remitti, minui, & extingui poteſt. Et licet nulla ſit in rebus naturalibus vis, quæ ex ſua natura excitet, ac incendat ad amandum vel odio proſequendum aliquem hominem particularem, naturaliter tamen fieri poteſt, ut certo populi, aut ſibi genere ſumpto, generatim amor, vel odium in nobis excitetur ut teſtatur Medina *libro primo*, *de recta in Deum fide cap.* 7. & dum in dictis caſibus non eſt manifeſta ſuſpicio hæreſis, neque injungenda eſt abjuratio. Regula enim eſt, quod quando quis committit delictum,

quod inducit vehementis hæreſis ſuſpicionem, debet de vehementi abjurare. Si autem levem inducit ſuſpicionem, de levi emittit abjurationem. Si verò nulla adſit hæreſis ſuſpicio, abjuratio nulla eſt injungenda, ut obſervant Locat. *v. ſuſpicio §. ſuſpectus*, Ricciul. *de jur. perſon. lib. 5. capit.* 11. *numero* 30. Torreblanc *de magia lib. 3. cap.* 20. *numer* 1. & Diana *§. 4. tract. 7. reſolut.* 1. *numero* 2. Unde non adhæreo ſententiæ Fagundez *lib. 1. in 1. prac. decal. cap.* 41. *num.* 19. quod hæ naturales proprietates ope dæmonis fuerunt inventæ & parefactæ.

Verùm ego, rem hanc demum his paucis abſolvo. Eſt philtrum quicquid ad amorem conciliandum adhibetur. Eſt duplex aliud, quod pharmacum propriè eſt, ad amorem conciliandum datum, & vulgò poculum amatorium nominatum, de quo Sennert. *lib. 1. pract. p. 2. capite decimo* & *in inſtit. lib. 2. p. 3. ſect. 2. cap.* 4. Quod quidem Venerem forſan excitare, amorem verò hominis certi conciliare non valet, imò interdum pro amore furorem, ac inſaniam inducit, de quo Ovid. *lib. 2. de arte amandi.*

Philtra enim nocent animis vimque furoris habent.

Unde à Veneficis quæ ſanguinem menſtruum, ſeu philtri, ſeu alterius veneni loco exhibent, plerumque alia mala medicamenta admiſcentur. Addo ex Henrico ab Heer, qui ſe experientia didiciſſe teſtatur, calculum ex homine exectum, in pulverem comminutum cum aqua, vel ſucco naſturtii aquatici, propinatum, philtro potatis, vel amore furentibus multum profuiſſe diceret hic fortè Fagundez, id eſſe inventum dæmonis. Hoc tamen negare nolim, interdum etiam dæmon hic concurrere, & quod ipſe præſtat, philtris ac poculis ejuſmodi adſcribi.

Aliud eſt, in quo ſunt ceremoniæ quædam, ac veneficia, quæ ad amorem conciliandum, dæmone ſuadente, adhibentur, de quo Virgilius in pharmaceutria.

Limus ut hic dureſcit, & hac ut cera liqueſcit,
Uno eodemque igni, ſic noſtro Daphnis amore

Et: *Terna tibi primùm triplici diverſa colore*
Licia circundo, terque hac altaria circum
Effigiem duco; imaginem ſcilicet amati.

Et: *Necte tribus nodis ternos, Amarylli colores,*
Necte, Amarylli, modo, & Veneris-
-dic vincula necto.

Et: *Daphnis me malus urit ego hanc in Daphnide*
Laurum.

De quibus omnibus prolixè agit Delrius *lib. 3. magic. p. 1. quæſt.* 2. qui ibi videatur: mihi ſatis eſt hoc monere, talia ad amorem conciliandum nihil facere, ſed ſi quid ex voto ſagatum ſuccedit, id omne dæmonem præſtare, qui & humores ac ſpiritus in libidinem accendere, & amaſiæ, vel amaſij imaginem, ot ſummè pulchram, & amabilem, crebro phantaſiæ objicere, ac memoriæ fortiter imprimere poteſt.

Contrà ſi odium excitare vult, rem, quæ etiam pulchra eſt, ut maximè deformem exhibere valet. Cujus rei exemplum eſt apud Baptiſtam Codronchium *lib. 3. de venef. cap.* 6. mulieris ſcilicet, quæ maritum abſentem ardentiſſimè amabat, qui tamen ſi appropinquabat, tam deformis, turpis, horrendus, & monſtruoſus apparebat, ut mortem ſubire, quàm illum ferre mallet.

Imagines cereas conficiens abſque ulla dæmonis invocatione, ut eas pungens, mulierem provocet vel vitam inimici lædat, & cruciet, licet magis videatur eſſe ſuperſtitioſus, quàm hæreticus, ut ait Eymeric. *p. 2. quæſt.* 43. ſemper tamen peccat mortaliter. Et quia effectus ſequi non poteſt, niſi in dæmonis invocatione, vel ex ejus pacto expreſſo, aut tacito, ideò talis ſortilegus ob dæmonis invocationem vel pactum eſt de hæreſi ſuſpectus, ut tradunt Simanch. *de cath. inſtit. titul* 21. *numero* 13. Menoch. *lib. 5. numero* 20. qui alios refert, & Farinac *dict. quæſt.* 181. *numero* 8. atque idcircò Inquiſitores in eum procedere poſſunt, & abjurandum de vehementi compellere.

Invocatio autem dæmonis, ſive in populo amatorio, ſive in alio ſortilegio, verbis non deprecativis, ſed imperativis, quod ſapiat hæreſim, aſſerunt Farinac. *de hæreſ. quæſtion.* 87. *numero* 88. Barthol. Spina *in apolog.* 4. Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 30. *num.* 17. & Diana *p. 4. tract. 7. reſol.* 10. alios referens. Eorum ratio eſt quia ridiculum eſt, dicere quod dæmones invocentur per modum imperii, ex quo non eſt poteſtas aliqua ſuper terram, quæ cõparetur ei, dæmoneſque, ut fatuos irrideant, atque decipiant, fingunt ſe cogi, ac timere. Unde in his philtris præſumendum eſt pactum expreſſum intervenire per quod hæreticale maleficium cenſendum eſt, etſi non ratione operis, ſaltem ratione operantis.

At in hac re certum exiſtimo, quod ſic invocans graviſſimè peccat, atque adeò graviter etiam eſt puniendus. Verumtamen ſi invocatio verbis imperativis fiat, non eſt ad abjurandum cogendus. Nam etſi D. Auguſtinus *lib. 10. de civit. cap.* 11. veriſſimè dicat, *ridiculum eſſe invocari dæmones per modum imperii, aut eis comminando præcipere. Non enim eſt poteſtas in terra, quæ comparetur eis, ut dicitur Iob* 41 *neque hominum dominio ſubduntur*; Nihilominus, quia cùm invocantur, etiam imperativè, hominibus aliquando obediunt, vel obedire fingunt, ut eos decipiant, tunc illos ſic invocans, non committit ſortilegium hæreticale, quia talis invocatio eſt ſine cultu, ac reverentia, & abſque omni cogitatione ſubjiciendi ſe dæmoni. Immò fieri poteſt cum actu interioris odii erga ipſum, ut notat Cajetanus 2. 2 *quæſtion.* 95. *art.* 4. Ideòque ad abjurandum non eſt cogendus. Philtra enim, quando dæmon in iis invocatur per modum imperii, non eſſe hæreticalia, firmant Pegna *in com. ad 2. p. directſ. quæſtion.* 43. *Litt. N.* Rinsfeld. *de malef. & math. quæſtione* 2. aliique apud Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 87. quia tunc poſtulatur dæmonis auxilium ad tentandum, quod eſt ipſius proprium.

Secùs autem eſt, quando dæmon invocatur verbis deprecativis. Tunc enim ei tribuitur honor, ſaltem duliæ, ſicuti ſignum eſt reverentiæ, ac devotionis ſanctos precibus invocare. Ideò contra ſic invocantem vehemens oritur hæreſis ſuſpicio, ut docent Eymeric. *dict. quæſt.* 43. Pegn. *com.* 68 Scaccia *de judic. lib. 1. cap.* 12. *numer.* 30. Suarez *de relig. tom. 1. lib. 2. cap.* 19. *num.* 10. Binsfeld. *in d. l. 4. C. de malef. & mathem. quæſt. 2. concl.* 1. Graff. *p. 1. deciſ. lib. 2. cap* 5. *numero* 8. Zanard. *com. 2. ſum. cap.* 64. Farinac. *de hæreſ. dict. quæſt.* 181. *numero* 11. & Caren. *p. 2. titul.* 12. *num.* 61. *& ſeq.*

Sed tamen ut dæmonis invocatio per verba imperativa non ſit ſortilegium hæreticale, requiritur neceſſariò, ut fiat abſque ullo cultu, ac miſtione rei ſacræ, nec invocetur dæmon, ut potens operari, etiam Deo non permittente, vel ut Dei amicus, nec credat hoc non eſſe grave peccatum, nec ullum adſit pactum cum ipſo dæmone.

Apud quem autem inventa ſunt inſtrumenta ad conficiendum ſortilegia, vel libri ſortilegia continentes, prævià tortura ſuper uſu ac intentione, ſi nihil reſultat, abjurat de levi, Genuen. *in pr. capit.* 18. *numero* 13. ubi quod hoc fuit deciſum à S. Congregatione S. Oficii, Salell. *lib. 5. cap.* 5. *num.* 937. Pegn. *p. 2. com.* 3. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 184. *num.* 28. Caren. *p. 2. titul.* 22. *num.* 178.

numero 178. Quod verum eſt etiamſi libri contineant ſortilegia qualificata, ut ad amorem, Caren. *loc. cit.* Hæc verò abjuratio indicitur ratione retentionis inſtrumentorum, & librorum, de qua conſtat, non verò ratione uſus, qui non eſt probatus.

Schiſmaticus verò ita eſt expediendus. Conſtare debet de ſchiſmate, vel etiam de ejus hæreſi, ſi damnandus ſit in pœnam ordinariam ſchiſmaticorum, vel etiam hæreticorum, ſi autem plenè non conſtet de ſchiſmate, ſed adſint indicia ad torturam, torquendus eſt ſuper veritate. Quod ſi tortus neget, licet maneat inditiatus, & ſuſpectus de ſchiſmate, non eſt undè torqueri debeat ſuper intentione, quia ſuſpicio hæreſis non adeſt, ubi de facto hæreticali non conſtat, alioquin ſuſpicio deduceretur ex ſuſpicione, quod non licet. Sic ergo reus pœna extraordinaria pro qualitate ſuſpicionis puniendus erit ſine abjuratione. Sed ſi conſtat de ſchiſmate, non autem de hæreſi, tunc reus torquendus erit ſuper intentione, & ſi nihil amergat, regulariter prævia abjuratione de vehementi damnandus erit pro qualitate ſchiſmatis. Sed ſi ſchiſmaticus fateatur hæreſim, judicandus erit ut hæreticus, prævia abjuratione de formali, vel ſi ſit impœnitens, ſine abjuratione tradendus erit Curiæ ſeculari. Duo autem debet abjurare ſchiſmaticus, ſchiſma & hæreſim, ſi ſit ſimul hæreticus, vel ſuſpicionem hæreſis, ſi conſtet de ſchiſmate, ſed ſi non conſtet de ſchiſmate, ſed de eo ſola adſit ſuſpicio, tunc reus non abjurat hæreſim, ſed abjurat tanquam ſuſpectus de ſchiſmate. Ita Simanch. *cath. inſtit. tit. de abjur. num.* 15. Royas *ſing.* 1 *num.* 16. Jacobat. *de concil. lib.* 7. *art.* 3. Decian. *lib.* 5. *cap.* 68. *num.* 2. Pegn. *p.* 2. *art. qu.* 48. *com.* 73. Farinac. *de hæreſ. qu.* 184. *num.* 35. Duard. *in Bul. cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 65. *num.* 12. Caren. *p.* 2. *titul.* 3. *numer.* 36. *& ſequent.* & Salell. *lib.* 5. *capit.* 5. *à num.* 123.

Aſtrologi autem facientes judicia de futuris contingentibus liberis, etiamſi dicant, ſe non ea affirmare, ut certa, ſubduntur judicio Inquiſitorum ex Conſtitutione Sixti V. quia præſumuntur de jure, illos id affirmare, ut ſe excuſent. Ab Inquiſitoribus igitur poſſunt ac debent interrogari de fide, & ſi fateantur, ſe credidiſſe, aſtra poſſe cogere voluntates humanas, vel aliam hæreſim, tractantur, ut hæretici. Et ſi pœniteant, abjurant de formali. Sed ſi hæreticam intentionem negant, ſi conſtet, eos prædixiſſe futura libera ut certò, & infallibiliter futura, ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti, & abjurare debent de vehementi. Sed ſi prædixerint hujuſmodi futura abſolutè, non ſpecificando, an affirment illa, ut futura certò, vel ſolum conjecturaliter, vel conditionatè, quantum ſit ex vi ſcientiæ Aſtrologiæ, non erunt ex hoc de vehementi ſuſpecti de hæreſi, quia prædictio illa ſuſcipit interpretationem excludentem hæreſim; Talis tamen modus prædicendi non eſt immunis à ſuſpicione de levi. Quoniam affirmare abſolutè, quod aliquid ſit futurum, ex modo loquendi importat majorem certitudinem, quam ſit conditionalis, aut conjecturalis. Sed ubi expreſſe Aſtrologus dicit, ſe non prædicere futura libera, niſi ut futura ex ea conjectura, quæ ex ſua ſcientia haberi poteſt, non eſt locus ſuſpicioni hæreſis etiam de levi niſi præſumptæ ex alia præſumptione, quod ſcilicet illa expreſſio ſit poſita ad occultandum errorem. Sed hæc non ſufficit, ut Aſtrologus cogatur abjurare, ne de levi quidem, ut per Zanard. *p.* 1. *cap.* 5. & Caren. *p.* 2. *tit.* 12. *num.* 255.

Blaſphemans verò hæreticaliter ex conſuetudine, & ex habitu, qui ad omnem levem animi motum, & tam in ludo, quàm extra ludum, & tam in ira quam extra iram blaſphemat, debet abjurare de vehementi, quia eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, ut per Zanard. *in ſum. p.* 1. *cap.* 11. Lazar. *de blaſphem. qu.* 6. *num.* 17. Genuenſ. *in pr. cap.* 68. *num.* 8. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 178. *numer.* 76. Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 6. *num.* 29. & multo magis injungenda ei eſt abjuratio de vehementi, ſi admonitus, blaſphemare non ceſſet, ut colligitur ex *can. qui in Eccleſia* 24. *q.* 3. Et ſi exiſtimaverit blaſphemare non eſſe peccatum, debet de formali abjurare, quia eſſet hæreticus, ut notat Afflictus *in Conſtit. Regn. de hæreſ. rubr.* 1. *numero* 48. & Farinac. *loc. cit.*

Blaſphemans autem hæreticaliter ex conſuetudine tantum in ira, cogendus eſt abjurare tantùm de levi, quia leviter eſt de hæreſi ſuſpectus Lazar. & Zanard. *loc. alleg.* Caren. *p.* 2. *tit.* 7 *num.* 68. Diana *p.* 4. *tract.* 7. *reſol.* 8. *numero* 2. ac Seſſe *tom.* 4. *dec.* 170. *num.* 24. ubi refert, blaſphemantem, *Renego Deum & B. Virginem* abjuraſſe de levi. Et ſimiliter ad abjurandum de levi fuiſſe coactum quendam, qui ſemel, ac iterùm hæreticaliter blaſphemaverat. Notat verò Diana *ibid. numero* 3. id eſſe regulariter intelligendum. Nam interdum ex qualitate blaſphemantis, & blaſphemarum erit imponenda abjuratio de vehementi, ſicque in actu publico in Sicilia ſub die 16. Octobris 1633. ipſo conſulenta, duos blaſphemos de vehementi abjuraſſe. Notatque etiam Caren. *ubi ſupra num.* 70. cum Eymerico, blaphemantem bis, vel ter in ira cogendum eſſe ad abjurendum, uti leviter de hæreſi ſuſpectum. Zanard. verò eit *in ſum. p.* 1. *cap.* 11. qood blaſphemantes hæreticaliter in ira iterum, aut tertiò, non ſolent abjurare, ſi ira magna fuit, ejuſque cauſa juſta, & *p.* 2. *cap.* 64. ab omni abjuratione etiam excuſat blaſphemantes ex ebrietate magna, ſi illicò ac noverint ſe deliquiſſe. Coram præſentibus pectus obtunderint, vel alta voce dixerint: *Peccavi, Domine, miſerere.* At in hoc ſervandam eſſe praxim uniuſcujuſque Tribunalis, cenſeo cum Caren. Si autem quis ſemel tantum blaſphemiam hæreticalem protulerit, in ira, non ſolet abjurare, ſed, gravi objurgatione ei facta, dimitti ſolet cum pœnitentiis ſalutaribus; & aliquando ſi perſona ſit vilis cogitur ſtare præ foribus Eccleſiæ cum candela accenſa in manu. Recidivus verò pro prima vice, dum apparet de illius pertinacia & incorrigibilitate, damnatur ad triremes per quinquennium prævia tortura ſuper intentiona, & abjuratione de vehementi. Si quis autem, ut à carceribus Curiæ laicalis, ſe liberet, protulerit blaſphemias hæreticales, poterit abſque ulla abjuratione, præmiſſis tribus ictibus funis tortorii, ob temerariam loquutionem, & ad exemplum aliorum, remitti ad eoſdem carceres laicales, cum præcepto, quod abſtineat à ſimilibus ſub pœna triremium.

Ille autem dicitur blaſphemare ex conſuetudine hæreticaliter, qui frequenter hæreticales blaſphemias profert. Conſuetudo enim oritur ex frequentatis actibus. Quot verò actus requirantur, ut quis dicatur frequenter blaſphemare, arbitrio prudentia judicis relinquitur. Quæ namque à lege indefinite ſunt judicis arbitrio ſunt definienda, *l.* 1. *ff. de jur. delib. cap. de cauſis de offic. deleg.* Menoch. *de arbitr. caſ.* 375. & Carena *p.* 2. *titul.* 7. *§.* 5. *numero* 26. ſed Bordonus *tom* 1. *cap.* 26. *numero* 14. ait, Inquiſitorem in hoc ſequi poſſe forum pœnitentiala, judicando, conſuetum blaſphemum illum, qui probatur ſepties blaſphemaſſe in diverſis diebus. Tunc enim ipſe Inquiſitor nititur probabili judicio.

Qui autem unico impetu protulit plures blaſphemias, ſemel blaſphemaſſe dicitur propter unitatem temporis continui. Quia cenſetur dare unitatem moralem numericam illis pluribus blaſphemiis *arg. leg. cum plures ff. de evict. l. cum ejuſdem §. ædiles aiunt ff. de ædil. edict.* Eſt tamen talis blaſphemus

ob multiplicationem blaſphemiarum in uno actu acrius puniendus. ut notant Caren. *loco citato*, *numero* 21. *cum Bellon. conſ. fin. numero* 18. Azeved. *ad Reg. Conſtit. lib.* 8. *tit.* 4. *leg.* 1. *numer.* 42. & Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 10. *num.* 7.

Hanc autem conſuetudinem blaſphemandi probari per teſtes ſingulares, aſſerit Riminald. *conſ.* 7. *numero* 21. & 83. Negant Alexand. *conſ.* 72. *tom.* 1. Boër *deciſ.* 301. *numero* 11. Decian. *tract.* 15. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 4. *numero* 8. & *cap.* 5. *numero* 5. Maſcard. *de probat. concl.* 194. *numero* 2. *lib.* 1. & Farin. *de teſtib. quaſt.* 65. *numero* 289. aliique & quidem ab hac opinione, communiter recepta, non eſt recedendum.

Proferente blaſphemias non hæreticales, non ſunt de hæreſi ſuſpecti, ac proinde nec abjurare tenentur, neque Inquiſitores de eis cognoſcunt, ut per Eymer. *p.* 2. *quaſt.* 41. *numero* 1. ibique Pegn. *com.* 66. *litt. A.* hoc autem crimen eſt mixti fori, & datur locus præventioni inter Judicem Eccleſiaſticum & ſæcularem *ex cap.* 2. *de maled.* de quo alibi prolixè.

Blaſphemantes autem facto ſacras ſtatuas vel ſacras imagines, eas vulnerantes, frangentes, deturpantes, lapidibus appetentes regulariter cogendi ſunt abjurare de vehementi. Quoniam in omnium ſententia ſunt de hæreſi vehementer ſuſpecti. Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 33. *numero* 18. Farin. *de hæreſ. quaſt* 178. *numero* 53. Zanard. *in ſum. cap.* 64. Souza *in ph. lib.* 2. *c.* 42. *n.* 14. Alph. de Caſtro *de juſt. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 12. & 15. Caren. *pag.* 2. *titul.* 7. *§.* 7. *numero* 38. Genuen. *in pr. capit.* 18. *numero* 11. Hæc enim ſine vehementi hæreſis ſuſpicione fieri non poſſunt, cùm ſit hæreſia damnata in ſeptima ſynodo aſſerere, imagines non eſſe veneratione dignas. Et quia præſumuntur malè ſentire de cultu ſacrorum imaginum & de canonizatione ſanctorum. Graviuſque delictum exiſtimatur blaſphemare facto, quàm verbis. Facta enim pejora ſunt verbis, *l. de pupillo §. meminiſſe ff. de nov. op. nunc. cap. dilecti de appel.* cum ibi Gloſſa. Nam verbum præterit, inquinatio permanet. Neque eſt veriſimile, quod is, qui rectam fidem habet, perpetrare ſudeat hoc facinus, in quo nihil eſt, quod allicere, aut movere poſſit voluntatem ad illarum injuriam, niſi pertinax error intellectus, male ſentientis de illarum veneratione. Nam peccata illa, quæ ex ſuo objecto non trahunt voluptatem, veriſimile nimis eſt, quod perpetrentur voluntate mota ab intellectu errante.

Quod ſi publicè hoc crimen commiſerint, ſive hæreticalem animum fateantur, ſive negent, tradendi ſunt curiæ ſeculari, ultimo ſupplicio plectendi ob impii facinoris qualitatem. At ita ſervatum fuiſſe tradunt Anchar *conſ.* 15. & Caſſan. *conſ.* 1. *in* 5. *præſup. numero* 69. *apud Souſam. loc. cit. num.* 16. & Carena *tit.* 7. *§.* 7. *numero* 42. ubi refert, quod Bononiæ tres rei, qui pluries imagines ſacras conſputarunt, juſſu ſupremi Tribunalis S. Inquiſitionis Romanæ fuerunt brachio ſeculari traditi anno 1633. & debitas tanto ſceleri pœnas perſolverunt. Nec immeritò: Nam, ut ait Chryſoſtomus in oratione apud Simanch. *loc. cit.* qui injuriam infert imagini, eum qui per imaginem repræſentatur, injuria cenſetur affeciſſe. Sic qui imaginem Imperatoris violat, non ſecus ac, ſi Imperatorem ipſum, violare cenſetur.

Etenim qui ſtatuas, aut Imagines Imperatoris jam conſecratas conflaverint, aliudve quid ſimile admiſerint, legi *Juliæ Majeſtatis* tenentur ex reſponſo Venuleii *l. qui ſtatuas ff. ad leg. Jul. majeſtatis*, qui tamen vetuſtate confectas reficit, non tenetur ſecundum Martianum. Et L. Ennius Eques Romæ Maieſtatis poſtulatus, quod effigiem Principis promiſcuum ad uſum vertiſſet, quem tamen inter reos recipi, Atteio Capitone Juriſconſulto contra cenſente, Tiberius vetuit, ut auctor Tacitus *lib.* 3. Noluerunt Severus, & Antonius teneri majeſtatis crimine eos, qui lapide jactato incertò, fortuitò ſtatuam Principis tetigerint *l. non contrahit ff. ad leg. Iul. majeſt.* alioquin Modeſtinus refert *l. famoſi ff. eod.* crimen majeſtatis facto, vel violatis ſtatuis, vel Imaginibus maximè exerceri in milites, & ſcribit Ælius Spartianus in Anton. Carac. damnatos à Baſſiano, aliàs, ab Antonio Caracalla, qui orinam in eo loco fecerant, in quo ſtatuæ, aut imagines erant Principis, & ſub Domitiano mulier, quod exuta fuiſſet ante ſtatuam, interfecta eſt, teſte Xiphilino ex Dione in Domitiano. Cum à Totila Roma ſecundò capta fuiſſet, Ruſticiana ſive Juſtiniana mulier nobilis in judicium arrepta, quæ Theodorici Regis ſtatuas frangi delerique feciſſet in patris Symmachi, & Boetii conjugis ultionem, qui Theodorici juſſu fuerant interfecti. Cœterum mulieris pietas & amor in defunctos plus valuit apud Clementem Totilam, quàm regia majeſtas, ut ait Joannes Magnus Gothus *lib.* 13. *hiſt. Goth. cap.* 22. Cautum ex Senatuſconſulto Scævol. *in l. Senatuſconſulto ff. de min.* Calliſtrat. *in l. Capitalium. §. ad ſtatuas ff. de pæn.* ne quis imaginem Imperatoris injuriam, vel invidiam alterius portet. Diodorus Siculus *lib.* 13. *biblioth.* imaginum contemptum, & offenſam ad invidiam trahit eorum, quorum ſunt imagines, atque ita ſenſiſſe populum Athenienſem tradit, agens de bello, contra ſiculos decreto. *Iam claſſe procincta*, inquit, *ſtatuæ, quæ per urbem diſpoſitæ erant, innumera multitudo, nocte una omnes detruncatis capitibus reperta ſunt. Quod tantum facinus populus haudquaquam caſu aliquo, eventuque contigiſſe arbitratus, ſed ab iis potius patratum, qui gloria aliqua elati ad ſolvendum ſtatuam popularem invigilarent, odio, iraque ſævire, atque infrendere capit, ejuſque ſi qui autores inveſtigare intenſe atque obnixè, magnis indici præmiis propoſitis.* Idipſum & refert Thucidides *lib.* 6.

Comedentes verò carnes diebus prohibitis, abſque juſta cauſa, non confitentes ſua peccata, nec ſactam Euchariſtiam ſumentes, ſingulis annis, ſunt cogendi ad abjurandum, tanquam de hæreſi ſuſpecti. Quoniam, ut tradit Pegna *p.* 3. *com.* 24 *cum Zanchinn de hæret. cap.* 35. *numero* 2. ibique Campegio & cum Felino *in cap. ad abolendam numero* 2. *de hæret.* Eccleſiaſtica ſacramenta non recipere, Eccleſiæ præcepta non ſervare, quo tempore recipienda & ſervanda ſunt ſecundum Eccleſiæ leges & conſuetudinem, ut non confiteri, non recipere Euchariſtiam, non jejunare cùm poſſis, non abſtinere ab uſu carnium cùm debeas, & ſimilia, ſunt ſigna externa, quæ ſuſpicionem malæ credulitatis pariunt. Quinimò, ait Decian. *tr. cr. lib.* 5. *cap.* 17. *nu.* 35. hæreticum eſſe cenſendum illum, qui ſingulis annis Euchariſtiam non recipit, nec communicandi animum habet. Secus autem ſi non communicaſſet ob aliquam cauſam, & haberet animum quandoque communicandi. Tunc enim, non hæreticus, ſed excommunicatus cenſendus eſt.

Eadem planè aſſerit quoad Comeſtionem carnium Sanctarellus *de hæreſ. capit.* 41. *dub.* 3. *numero* 5. Voluitque Genuen. *dict. capit.* 18. *numero* 11. quod ii dicantur vehementer de hæreſi ſuſpecti, & Farinac. *de hæreſ. quaſtion.* 178. *numero* 80. addit, quod ſi ii credant, non eſſe peccatum comedere carnem, diebus prohibitis ab Eccleſia, poterint, tanquam hæretici puniri. Nec diſſentiunt Repert. Inquiſ. *v. cognoſcere*, Royas *ſingul.* 98. *numero* 6. Zecch. *in ſum tom.* 1. *titul. de fideic. capit.* 11. *numero* 5. ac Diana *part.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 38. Carena verò *pag.* 2. *titul.* 15. *§.* 3. *numero* 7. & 8. poſtquam dixerat cum aliis, veſcentem

carnibus

carnibus abſque licentia & neceſſitate, diebus prohibitis, eſſe ſuſpectum de hæreſi vehementer, licet hoc interdum ab ingluvie, ac voracitate prodire poſſit, adjicit, hoc intelligendum eſſe, ut procedat, dummodò ultra carentiam licentiæ ac defectum cauſæ, concurrant etiam quod pluries comederit carnes, quod reprehenſus, reprehenſionem deſpexerit, vel protulerit verba illa hæreticorum: *Quod intrat per os, non conquinat animam*, & quod inquiſitus ſit malæ vitæ, ac famæ, ut potè quod Eccleſiæ Sacramentis non utatur, nec Eccleſias frequentet, &c. Hiſce enim concurrentibus, non eſt dubitandum, quin vehemens oriatur ex dicta comeſtione vetita hæreſis ſuſpicio, aliàs levis ſuſpicio tantummodo orietur. Et conſequenter ex his arguitur, quod ſit illi injungenda vehemens, vel levis abjuratio ſecundum vehementem aut levem hæreſis ſuſpicionem quod deſumitur ex traditis à Pegn. *par.* 2 *com.* 80. ubi ait, quod vehemens ſuſpicio hæreſis oritur ex ſignis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, quod qui talis facit, eſt hæreticus.

Ego autem fateor quod omnia ſupradicta poſſunt effici ſine mentis errore. At ex hoc haud ſequitur, quin Inquiſitores nequeant procedere contra talia facientes. Itaque eorum arbitrio id committo, penſatis circumſtantiis, & qualitatibus facti temporis, ac perſonarum, an ii de levi, anvè de vehementi abjurare debeant.

Perſeverans in peccato mortali eſt etiam de hæreſi ſuſpectus, & ideò contra talem procedere poteſt Inquiſitor. Quia licet hæreſis non videatur probari concludenter ex graviſſimis criminibus, negari tamen non poteſt, quin ex illis oriatur contra criminoſum non levis hæreſis ſuſpicio, ut per Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 50. *rubr. de præſumpt. numero* 30. Repert. Inquiſ. *d. v. cognoſcere*, Anan. *in dict. cap. ad abolendam num.* 26. *de hæret.* Felin. *in cap. excommunicamus* 1. *n.* 4. *eod. tit.*

Qui diſcedit à communi uſu fidelium circa cultum divinum, fugit bonorum virorum conſortium nunquam agit pœnitentiam, nunquam audit divina officia, nunquam Eccleſiæ ſacramenta recipit, neque ejus, neque Dei mandata obſervat, ſine dubio de hæreſi ſuſpectus redditur, & ſecundum hanc ſuſpicionem abjurare ab Inquiſitoribus cogendus eſt, Repertor. Inquiſ. *loc. cit.* ac Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 6. *num.* 27.

Porrò indicta ab Eccleſia jejunia, ut ſunt quadrageſimæ, quartæ ac ſextæ feriæ, item ſabbati & cætera, ſervanda eſſe, negànt Montanus, qui *repudiata una Eccleſiæ quadrageſima, tres introduxit, quaſi tres paſſi ſint ſalvatores*, Hieronym. *epiſt. ad Marcellam.*

Manichæi *contemptis ab Eccleſia mandatis jejuniis, die dominica tantum jejunabant*, Ambroſius *epiſt.* 83.

Euſtathius, *præſcripta ab Eccleſia jejunia averſando, dominicis tantùm diebus jejunandum docuit*, Sorratea *lib.* 2. *cap.* 33.

Aërius Ponticus prohibens jejunium quartæ feriæ proſabbati, & quadrageſimæ, *ſi quis verò*, inquit, *jejunare velit, hoc faciat, ſed quando voluerit. Non enim ſumus ſub lege.* Epiphanius, Auguſtinus, & Damaſcenus de Aërianis.

Mahumetus *quadrageſimale jejunium, ut Eccleſia obſervat, abrogavit, ac in quadrageſimam unius lunæ, quæ quovis anni tempore obveniret, tranſmutavit.*

Vualdenſes *jejunia ab Eccleſia indicta contemnunt, nec volunt ullius eſſe meriti.* Guido *de hæreſib.*

Flagellantes docebant, *jejunia per Sacerdotes indicta non eſſe obſervanda, niſi tantum Vigiliam Nativitatis Domini, & Aſſumptionis B. Mariæ*, Bernardus Lutzemburgenſis.

Eraſmius Roterodamus in paraphraſi 2. *cap.* Marci: *Triſtia ſunt jejunia, quæ præſcribit lex, & ob hoc ingrata Deo, qui diligit hilarem datorem.*

Lutherus de d ꝺſtr nia hom n a v t ındis: *Erroneum eſt, & plenum mendacium, quod certis temporibus anni vigiliis Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum jejuniis neceſſitatem imponunt ſub gravi peccato, tanquam Eccleſiæ decreto, & mandato. Nam jejunia quod ad dies & cibos attinet, libera, & adiaphora in perpetuum eſſe debent.*

Joannes Calvinus *lib.* 4. *inſtit. cap.* 12. §. 20. ait: *Tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſervatio, quia & vulgus eximium aliquod obſequium ſe præſtare Deo in ea exiſtimabat, & Paſtores eam commendabant pro ſancta Chriſti imitatione; ſed fuit mera cacozelia, & ſuperſtitionis plena, quod titulo ac colore imitationes Chriſti ornabant.*

Nicolaus Hemmingius, *ad cap.* 6. *poſter. ad Corinth. Statutum & ordinarium jejunium eſt, quod certo tempore anni, menſis, aut ſeptimanæ eſt affixum, quale eſt apud Papiſtas quadrageſimale, quod vocant jejunium, item quatuor temporum, Apoſtolorum, &c. in quibus nihil ſani, ſed mera ſuperſtitio, multiplex impietatis, ab Apoſtolo damnata, imperium tenet.*

Confeſſio miniſtrorum Eccleſiæ in Helvetia, ac Tiguri anno 1568. impreſſa cap. 24. *Quadrageſimale jejunium vetuſtatis habet teſtimonia, ſed nulla ex litteris Apoſtolicis. Ergo non poteſt, nec debet imponi fidelibus.*

Aſſerunt S. Litteræ. Levitic 23. verſ. 27. *decimo die menſis hujus ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus affligetiſque animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum Domino, &* 29. *Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis ſuis.*

Zachariæ 8. numero 14. *Hæc dicit Dominus exercituum & c. &* 19. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui Juda in gaudium & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras. Veritatem tantam & pacem diligite.*

Aſſerunt etiam Patres Græci. Clemens Romanus ſub anno 80: in can. Apoſtol. 68. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paſcha quadrageſimam non jejunat, vel quartum diem, vel paraſceven, præterquam ſi propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur. Si laicus ſit, ſegregetur.* Idem Conſtitut. Apoſtol. *lib.* 5. *cap.* 12. *&* 14. *& lib.* 7. *cap.* 24.

S. Ignatius ſub anno 100. epiſt. ad Philippenſes. *Feſtivitates ne dehoneſtetis. Quadrageſimale jejunium ne ſpernatis. Continet enim exemplum converſationis dominicæ, &c.* Irenæus ſub anno 180. *epiſt. ad Victorem apud Euſebium lib.* 3. *hiſt. cap.* 24. & Clemens Alexandrinus ſub anno 200. *lib.* 7. *cap.* 7. *Strom. Novit fidelis jejunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & ſexti. Dicitur autem illa quidem Mercurii, hic verò Veneris. Ecce enim jejunat in vita, & ab avaritia, & à libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia.*

Origenes ſub anno 230. *homil.* 10. *in Levit. & in Iob lib.* 1. Dionyſius Alexandrinus ſub anno 260. *epiſt. ad Baſilidem de tempore quo Chriſtus reſurrexit, & hora, qua Paſchatis jejunium ſolvere fas ſit.* Petrus Alexandrinus ſub anno 300. *can. ult.* Euſebius Cæſarienſis ſub anno 320. *Eccleſiaſt. hiſt. libro ſecundo, capite decimo ſexto*, Synodus Gangrenſis ſub anno 324. cap. 19. *Si quis eorum, qui in propoſito ſunt continentiæ, præter neceſſitatem corporalem, & ſuperbiens, jejunia communia totius Eccleſiæ putaverit contemnenda*

Google

perfectam in ſua ſcientia vindicans rationem, anathema ſit. Concilium Nicænum ſub anno 325. cap. 5. Fiant autem Concilia ſemel quidem ante dies Quadrageſimæ, ut omnibus, ſi qua ſunt ſimultatibus amputatis, mundum & ſolenne Deo munus poſſit offerri. Secundum vero agatur circa tempus autumni. Athanaſius ſub anno 340. Hæc aut ſub Paſcha in ſacra quadrageſima acta ſunt, per quod tempus jejuniis dediti erant. Concilium Laodicænum ſub anno 360. can. 49. non oportet in quadrageſima panem offerre, niſi ſabbatis & ſolis Dominicis. Et can. 50. Non oportet in quadrageſima poſtrema ſeptimana jejunium ſolvere, & totam quadrageſimam injuria afficere, ſed oportet totam quadrageſimam jejunare aridis veſcentes. Et can. 52. Non oportet in quadrageſima nuptias, vel natalitia celebrare.

Ephræm ſub anno 370. Cantico in laudem & amorem doctrinæ & ſapientiæ. Baſilius Magnus ſub anno 370. homil. 2. de laudibus jejunii, & homil. decima quarta in ebrietatem, & luxum, quibus die Paſcha populum affectum vidit. Cyrillus Hieroſolymitanus ſub an. 370. Catech. 4. Valentinianus, Valens, & Gratianus Imperatores ſub anno 370. in l. quadraginta C. de fer. Quadraginta diebus, qui auſpicio cæremoniarum paſchale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeatur criminalium quæſtionum. Nectarius Conſtantinopolitanus ſub anno 380. narratione propter quam cauſam in primo ſabbato ſanctorum jejuniorum celebramus memoriam Theodori martyris capite quarto Gregorius Nazianzenus ſub anno 380. orat. 40. quæ eſt in ſanctum baptiſma & de ſilentio, quod jejunii tempore coluit. Epiphanius ſub eodem anno 380. hæreſi 75. contra Aerianos. Et in compendiaria vera doctrina de fide Catholica & Apoſtolica Eccleſiæ. Theophilus Alexandrinus ſub anno 390. epiſt. 1. paſchali, & epiſt. 3. Honorius, & Theodoſius Imperatores ſub anno 400. in Cod. de fer. Provinciarum Præſides moneantur, ut in quæſtionibus Latronum, & maxime Iſaurorum, nullum quadrageſimale tempus, nec venerabilem Paſchæ diem exiſtiment excipiendum. Joannes Chryſoſtomus ſub eodem anno 400. homil. 1. & 11. in Geneſim, & ad populum Antiochenum homil. ſeptuageſima tertia de ſancta quadrageſima jejunio. Palladius monachus ſub eodem anno capit. 19. & 20. ſect. 17. de duobus Macariis, & capit. 52. ſect. 48. Palladius Epiſcopus Helinopolitanus ſub anno 420. in vit. Joannis Chryſoſtomi, Joannes Caſſianus ſub eodem tempore collat. vigeſimo primo, capite vigeſimo quarto, Germanus & capit. 25. Theonas, & capit. 27. & cap. 28. Sozomenus ſub anno 4 0. lib. 7. capit. 19. Socrates eodem anno lib. 5. capit. 21. & lib. 7. capit. 22. Baſilius Seleucius ſub anno 450. orat. 3. de Lazari exuſcitatione, Victor Antiochenus anno 460. ad cap 2. & ad cap. 24. Marci, Dorotheus Archimandrita anno 520. de ſancto jejunio doctrina 15. Euthymius Eremita anno 540. de S. Saba capit. 51. Joannes Neſteuts anno 580. in Nomocanone, Gregorius presbyter anno 600. oratione de Sanctis 318. Patribus Nicænæ Synodi cap. 8. Leontius de Simeone Salo ſub anno 610. Sophronius Hieroſolymitanus anno 630. de vita Mariæ Ægyptiacæ, Synodus Trullenſis anno 710. can. 29. & can. 52. & can. 89. Joannes Damaſcenus ſub anno 730. libro de hæreſib. Nicephorus Confeſſor anno 786. capit. 1. Methodius Conſtantinopolitanus anno 800. de iis, qui abnegarunt per diverſos modos, & ætates, Theoſterictus anno 820. oratione funebri in S. Nicetam, Anaſtaſius Nicænus anno 850. quæſt. 77. Simeon Metaphraſtes anno 950. de S. Athanaſio Epiſcopo, & de S. Athanaſia, Theodorus Balſamon anno 1130. in Canonem Apoſt. 69. Manuel Patriarcha Conſtantinop. anno 1250. interrogat. 2. & reſponſ. 6. Athanaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1300. Georgius Codinus anno 1400. de officialib. Palatii Conſtantinop. fol. 218. Zaga Zabo Epiſcopus Æthiopis anno 1536. in confeſſione fidei, Joannes Baſilius Dux Moſcoviæ anno 1576. de Theologia Moſcovitica cap. 10. Alexander Gaguinus in deſcriptione Sarmatiæ Europeæ.

Aſſerunt etiam Patres Latini. Theleſphorus anno 127. epiſt. ad omnes univerſaliter capit. 1. Cognoſcite à nobis, & à cunctis Epiſcopis in hac ſancta & Apoſtolica ſede congregatis, ſtatutum eſſe, ut ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes Clerici, in ſortem Domini vocati, à carne jejunent, quia ſicut diſcreta eſſe debet vita Clericorum à laicorum converſatione, ita & in jejunio debet fieri diſcretio. Tertullianus anno 200. lib. 2. ad uxorem cap. 4. & lib. contra Pſychicos, id eſt Catholicos ſcripto capit. 13. ibi: Præter Paſcha jejunantes. Alludit ad jejunia Eccleſiæ, Præter, id eſt, extra Paſcha, ſive Quadrageſimam, & inter cætera ad quatuor Tempora, quæ ſub Calixto hoc pene tempore, quo liber hic ſcriptus eſt, inſtituta ſunt; ſemijejunia appellans quartæ, & ſextæ Sabbati, utpote in quibus ad horam nonam jejunia ſolvuntur. Calixtus anno 218. epiſt. ad Benedictum Epiſcopum capit. 1. Urbanus Papa anno 224. apud Gratianum d. 76. Statuimus, ut jejunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur. Primum initio quadrageſimæ. Secundum in hebdomade Pentecoſtes. Tertium verò in Septembri, quartum in Decembri more ſolito fiat. Cyprianus anno 250. ſerm. de jejunio & tentationibus Chriſti, Euſebius Papa anno 309. apud Gratianum de conſecrat. d. 5. & apud Ivonem capit. 19. Concilium Elibertinum anno 313. cap. 23. Hilarius anno 35 . capit. 15. in Matth. & in hymno jejunantium. Liberius anno 351. in decretis cap. 10. Ambroſius anno 370. Serm. 23. & ſerm. 25. & ſerm. 36. de quadrag. ac de Elia & jejunio cap. 13. & in hymno de jejunio quadrageſimali ex more docti myſtico ſervemus hoc jejunio &c. Philaſtrius anno 380. lib. de hæreſ. hæreſ. 97. Prudentius eodem anno Cathemerinon hymno jejunantium. Hieronymus anno 390. ad capit. 4. epiſt. ad Galat. & epiſt. 7. ad Lætam cap. 5. & epiſt. 54. ad Marcellam, & ad cap. 58. Eſaiæ. Ruffinus eodem anno præfat. in lib. 3 Origenis Periarchon, & epiſt. ad Paulinum, Concilium Carthaginenſe quartum can. 63. & can. 64. qui die dominico ſtudioſe jejunat, non credatur catholicus. Auguſtinus anno 400. de hæreſib. cap. 53. & epiſt. 86. ad Caſulanum presbyterum, & epiſt. 118. ad Januarium c. 2. & epiſt. 119. ad eundem cap. 15. Quadrageſima ſane jejuniorum habet autoritatem & in veteribus libris ex jejunio Moyſis, & Heliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonſtrans Evangelium non diſſentire à lege & Prophetis. In perſona quippe Moyſis lex, in perſona Heliæ Prophetæ accipiuntur, & in pſal. 110. & ſerm. 55. & 62. de tempore, Innocentius primus anno 402. epiſt. 1. capit. 4. Paulinus Nolanus anno 410. epiſt. 24. Severus Minoricenſis Epiſcopus anno 420. epiſt. ad Eccleſiam, Maximus Taurinenſis anno 430. homil. 3. de jejunio quadrageſimæ, & homil. 4. & homil. 3. de Pentecoſte, Sixtus Tertius anno 433. de caſtitate, diſputans alia ante, alia ſub lege, alia poſt natum Chriſtum licita, vel illicita piis fuiſſe, Petrus Chryſologus anno 440. ſerm. 11. & ſerm. 166. Leo primus anno 450. ſerm. 3. de jejun. ſeptimi menſis c. 2. & ſerm. 1. c. 3. de quadrageſima, & ſerm. 5. c. 3. & ſerm. 11. c. 1. & ſerm. 2. de Pentecoſte c. 9. Cæſarius Arelatenſis anno 470. ſerm. 8. de eo, quod dicitur: Frange eſurienti panem tuum, Conſtantius presbyter anno 480 Vita S. Germani lib. 1. c. 23. Sidonius anno 480. lib. 7. epiſt. 1. ad Mamercum Eugippius Abbas anno 500. Vita S. Severini c. 39. quadrageſimæ tempore una per hebdomadam refectione contentus, æquali vultus hilaritate fulgebat, Concilium Aurelianenſe primum anno 500. c. 12. Placuit etiam, ut omnes Eccleſiæ filii, exceptis diebus Dominicis, in quadrageſima, etiam die ſabbato, ſacerdotali ordinatione, & diſtinctionis comminatione jejunent, Concilium Gerundenſe anno 517. c. 2. & 3. Benedictus anno 530. in Regula c. 49. Caſſiodorus anno 540. in pſalm. 40. Concilium

Aure-

Aurelianenſe quartum anno 547. *c.* 2. *Hoc etiam decernimus obſervandum, ut quadrageſima ab omnibus Eccleſiis æqualiter teneatur.* Synodus Turonenſis ſecunda *c.* 18. Fortunatus anno 570. de *S. Radegunde lib.* 1.*cap.* 4.Concilium Bracarenſe primum anno 572. *cap.* 16. & Secundum anno 573.*cap.*9. Concilium Matiſconenſe primum anno 576. *cap.*9. Gregorius Turonenſis anno 580. *lib. de vitis Patrum cap. de Senoch. Abbate* Gregorius Magnus anno 590.*lib.*3.*dialog.c.*33. *& homil.* 16. *in Evangelia, & hymno in jejunio quadrageſimali: Audi, benigne Conditor, Noſtras preces cum fletibus &c.* Iſidorus Hiſpalenſis anno 620. *de Eccleſiaſt. offic. lib.*1. *cap.*36.*&* 37.*&* 38.*&* 39. *&* 40. *de jejunio Kalendarum Novembrium, & Januariarum, &c.*42. Eligius anno 640. *homil.*3.*de quadrageſima laudibus, & homil.*8.*& homil.* 16. Concilium Toletanum quartum anno 643.*c.*7.& Toletanum octavum anno 654. *c.* 9. Beda anno 700. *ad cap.* 4. *Lucæ, & lib.* 5. *hiſt. Anglic. c.* 2. *& vita S.Cuthberti c.*5.Alcuinus anno 750. *lib.de divin.offic.c.*12.*de quadrageſima,& c.* 28.*de quatuor temporibus annis*, Carolus Magnus anno 780. *lib.* 5. *legum c.*86.Concilium Moguntinũ an.813.*c.*34.*&* 35. Quod ſiquis indictum jejunium ſuperbiendo contempſerit, ut obſervare cum cæteris Chriſtianis noluerit, ut Gangrenſi Concilio præcipitur, ut anathematizetur, niſi emendare ſe ſtudeat, Haymo anno 820. *Dominica invocavit*, Amalarius Treverenſis anno 830. *de offic. Eccleſ.lib.*1.*c.*4. Rabanus Maurus anno 850. *lib.*2.*de inſtit. Cleric. c.* 18. *Obſervatio quadrageſimæ in univerſo Orbe inſtitutione Apoſtolica obſervatur circa confinium dominicæ paſſionis,* &c. 23. Nicolaus primus anno 860. *ad conſulta Bulgarorum c.* 44. *&* 45.*&* 48. *Nec uxorem ducere, nec convivia facere in quadrageſimali tempore convenire poſſe ullatenus arbitramur*, Joannes diaconus anno 870. *Vita S. Gregorii lib.* 1.*c.* 7.Concilium Triburienſe anno 895.*cap.*35.Regino Prumienſis anno 920. *lib.*1.*de diſciplina Eccleſiaſtica c.* 276. Vuitichindus anno 950. *lib.*3.*annalium*,Smaragdus Abbas anno 950.*ad cap.* 49. *regula Benedicti*, Otho primus Imperator anno 950.*lib.*5.*legum Francicarum tit.* 3. *In nativitate Domini, in Epiphania, in ſtatutis jejuniorum diebus, & in diebus Quadrageſimalibus judiciarios motus exequi penitus prohibemus*, Berno Angienſis anno 1020. *de rebus, quæ ad miſſam ſpectant cap.* 7. *de jejunio quatuor temporum*, Concilium Salegunſtadienſe anno 1023. *c.* 1. *&* 2. Humbertus anno 1040.*contra Nicetam*, Fetrus Damianus anno 1050. *tract. de ordine Eremitar. & facultatib. eremi fontis Avellani*, Joannes Micrologus anno 1060. *de Eccleſiaſt. obſervat. c.* 24. *de jejunio vernali*, Petrus Alphonſus *anno* 1106.*tit.* 12.Rupertus Tuitienſis anno 1120.*de divin.offic.lib.*3.*c.*5.*& lib.* 4.*c.*9. Honorius Auguſtodunenſis anno 1120.*Serm.in Dominica* 1. *quadrageſimæ*, Bernardus anno 1130.*in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli, & ſerm.* 1. *de quadrageſima, & ſerm.* 3. *de eadem*, Hugo Victoribus 1130. *de ſpecialibus miſſarum obſervationibus lib.* 3.*c.* 1. Innocentius Tertius anno 1200. *ſerm.* 1. *in die cinerum*, Jacobus Vitriacus anno 1220. *Dominica in quadrageſima, & in c. Jejunus ex lib. ſapientiæ*, Conradus Urſpergenſis Abbas anno 1226. *in chron. de anno* 1124. *de Ottone Epiſcopo Bambergenſi*, Hugo Cardinalis 1240. *ad c.* 2. *Marci*, Vvilhelmus Durandus anno 1280. *in rationali divin. offic. lib.* 6. *c.* 7. *de jejuniis*, Jacobus Genuenſis anno 1280. *Dominica in quadrageſima ſer.* 2. Albertus Patavinus anno 1300.*ſerm.*3.Durandus à S.Portiano anno 1310. *lib.* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 9. Ludolphus Saxo Carthuſianus anno 1330.*Vita Chriſti p.*1.*c.*22.Guido Carmelita anno 1340.*de Aerianis*, Joannes Bromiardus anno 1400.*in ſum.præd.de jejunio*, Joannes Gerſon anno 1420.*opuſculo tripartito de præcept. decalog.* Bernardinus Senenſis anno 1440. *tom.*1.*de ſacro jejunio ſer.* 5. *ar.* 2. Joannes Capiſtranus anno 1440. *ſerm. in capite jejunii*, Dionyſius Carthuſianus anno 1450. *ſerm.* 1. *in epiſt. dominica* 1. *quadrageſimæ, & ſerm.* 3. *ſuper Evangel. ejuſdem Dominicæ*, Joannes à Turrecremata anno 1460. *tract.* 115. *ſuper regul. Benedicti*, Baptiſta Mantuanus anno 1500. *lib.* 2. *Faſtorum de quadrageſima* & Concilium Moguntinum anno 1549.

Statutis jejuniorum temporibus à certis ciborum generibus abſtinendum eſſe, negant Nicolaitæ, & Valentiniani, qui cibos, etiam idolis immolatos, audacter edebant. Irenæus *lib.* 1. *cap.* 1. *&* 27.

Aerius tempore jejuniorum omni genere carnium delicatiſſime utebatur, Epiphanius *de Aerianis*.

Jovinianus dicebat, à certis cibis abſtinentiam non prodeſſe, nec ullius eſſe meriti, Hieronymus *lib.* 1. *contra Jovinianum*, Auguſtinus *lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum hæreſi* 82.

Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum *lib.*3.*c.* 3.*&* 4. *contra eum ſcripto: ſi quadrageſima*, inquit, *non ſuperſtitioſe à vobis colitur, ſed divina lege quotannis omni ſtudio per orbem terrarum in conventu catholico ſervatur, videte, ne ſumma dementia ſit, hoc à Paulo dictum putare, quod dæmoniorum doctrina ſit omnis abſtinentia cibi.*

Vvaldenſes dicunt, quod comedere carnes in quadrageſima, & in diebus jejuniorum non ſit peccatum, cùm eas comedere non prohibuerit Chriſtus, Guido de Valdenſibus *errore* 22.

Lollardi jejunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam ſexta feria Paraſceves veſcebantur, Trithemius in *Chron. Hirſaugienſi de anno* 1315.

Eraſmus Roterodamus *epiſtola præpoſita paraphraſi primæ ad Corinth. Mihi, ait, purioris Chriſtianiſmi videtur, magiſque conſentaneum Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ, ſi nullum certum cibi genus præſcribatur, ſed admoneantur omnes, ut quiſque pro corporis habitu veſcatur, quæ maxime conducunt bonæ valetudini, non ad luxum, ſed ad ſobrietatem cum gratiarum actione, ac ſtudio bonæ mentis.*

Et in *paraphraſi cap.* 8. *prioris ad Corinth. Approbo quod dicis, eſca non commendat nos Deo. Cum enim Deus univerſa creaverit ad uſus humanos, neque quicquam à nobis exigat præter vitæ pietatem, quid illius refert piſcium, an quadrupedum, an volatilium carnibus veſcamur? Nihil enim pietati quicquam vel addit, vel adimit horum delectus; ſuperſtitioſum facere poteſt, pium nequaquam. Chriſtus nullum horum diſcrimen docuit. Proinde temeritas eſt, ſiquis homunculus conetur quemquam hujuſmodi conſtitutionibus onerare. Pro ſuo quiſque corporis affectu veſcatur quibus velit, modo ſobrie, parceque ſuper omnibus gratias agens Deo.*

Epiſtola ad *Epiſcopum Baſilienſem: Paulatim irrepſit conſuetudo, quæ diem Veneris piſculentum nobis reddidit. Deinde ubi hoc ſucceſſit, adjuncta eſt & ſabbato dies. Nunc etiam Mercurii periclitatur, ob idque genus obſervatiunculatum videmus homines affligi, & denique mori, ſibique Chriſtianos videri, cùm ſint Judæi.*

Lutherus *ſerm. de ſimulachris, & delectu ciborum: Verum eſt, nos liberos eſſe omnique eſca ſive carnibus, ſive piſcibus, ovis, aut butyro liberè veſci poſſe id, quod nemo inficias ibit. Si quis te vi adigere vellet, ut Papa in ſuis Conſtitutionibus fecit, ut feria ſexta à carnium eſu tibi temperes, & piſces comederes, ſimiliter tempore jejunii piſcibus, non ovis, aut butyro, & id genus aliis victitares, hic nullo modo te à libertate, in qua à Deo poſitus es, deturbari permittas, ſed contra potius, ut talem male uras, facito, ſic ipſi in os offendendo, dicas: Ecce tu, quia carnis eſum mihi interdicis, & ex libertate mea præceptum mihi facere conaris ob eam maxime rem, ut tibi doleat, jam veſcor carne.*

Et de *doctrinis hominum vitandis. Liberum & conceſſum eſt fidelibus, & iis, qui agnoverunt veritatem veſci lacte, butyro, caſeo, carne quolibet die, ſive Dominica, ſive Veneris, ſive in quadrageſima, ſive in Adventu.*

Et *contra Ambroſium Catharinum: Octava Antichriſti*

chriſti facies eſt, delectus ille ciborum, & jejuniorum, quæ libera per omnes dies ſunt. At hodie ſic jejunatur, non ut caro mortificetur, ſed quia bonum opus ſit, hoc, vel illo cibo abſtinuiſſe, quo cœlum mercantur, quid autem hoc aliud quàm impia facies eſt?

Huldaricus Zwinglius *libro de delectu*, & *libero ciborum eſu*: Quovis die, quovis ciborum genere veſci licere aſſerit.

Joannes Calvinus *lib. 4. inſtit. c. 12. §. 21. Latæ ſunt impiæ leges, quæ conſcientias exitialibus vinculis ſtringunt. Interdictus eſt carnium eſus, quaſi hominem contaminaret. Additæ ſunt ſacrilegiæ opiniones aliæ ſuper alias, donec in profundum omnium errorum ventum eſt*

Aſſerunt ſacræ litteræ Geneſis *c. 1. v. 29. & c. 2. v. 16. & c. 9. v. 3.* Levit. 10. *v.* 8. *Numer. 6. v.* 2. Judic. 13. *v.* 3. Jerem. 35. *v.* 1. Daniel. 1. *nu.* 8. 12. *&* 15. *& c.* 30. *v.* 2. 1. Machab. 1. *v.* 65. Matth. 3. *v.* 4. Luc. 1. *v.* 13. Act. 15. *v.* 2. Rom. 14. *v.* 19. 1. Corinth. 8. *v.* 13. *&* 1. Timoth. 5. *v.* 23.

Aſſerunt Patres Græci. Clemens Romanus *can. Apoſtol.* 50. *&* 52. & Conſtitut. Apoſtol. *lib.* 5. *c.* 17. Hegeſippus *lib. 3. de Jacobo Juſto*, Irenæus *lib 1. cap. 1. de hæreſib. Valentinianorum*, Clemens Alexandrinus *lib.* 2. *pedag. cap.* 1. Concilium Ancyranum *can.* 14. Euſebius Cæſarienſis *lib. 5. hiſt. cap.* 1. Concilium Gangrenſe *can.* 2 Athanaſius *in vita D. Antonii*, Baſilius Magnus *in Conſtit monaſt. cap. 26. & ad Amphilochium de differentia ciborum*, Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* 4. Epiphanius *hæreſ. 75. & in compendiaria doctrina*, Theophilus Alexandrinus *epiſt. 3. paſchali*, Joannes Chryſoſtomus *homil. 1. in Geneſim*, & *homil. 2. & ſerm. 5. de jejunio, & homil. 6. ad popul. Antiochen.* Palladius *hiſt. ſanct. Patr. cap. 20. de S. Macario & c. 145. de Candida*, Nilus Abbas *de interemptione Patrum Synæ, &c.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 7. contra Julianum*, Socrates *lib. 5. cap.* 21. loquens de diverſis jejunii obſervationibus, Theodoretus *epitom. divinorum decret. cap. de abſtinentia, & in hiſt. ſanctor. Patr. cap. 26. de Simeone Stylite*, Diadochus *de perfectione ſpirituali c.* 43. Procopius *de ædific. Juſtiniani orat.* 1. Antiochus *homil. 7. de jejunio*, Georgius presbyter *in Vita Theodori Archimandritæ*, Synodus Trullenſis *an.* 56. Joannes Damaſcenus *lib. de hæreſib. & ad Cometam de jejunio*, Theoſterictus *de S. Niceta*, Anaſtaſius Nicænus *quæſt.* 77. Simeon Metaphraſtes *de S. Athanaſia caput.* 7. Joannes Zonaras *in Canonem Apoſtolorum* 51. Theodorus Balſamon *in can.* 51. *Apoſtol.* Nicetas Coniates *lib. 4. annal. de imperio Comnem.* Nicephorus Calliſtus *lib. 17. c.* 32. Nicephorus Gregoras *lib. 7. annal.* Joannes Cantacuzenus *apolog.* 4. Georgius Codinus *de offic. al. palatii Conſtantinopol. fol.* 118. Græci *in Horologio*, Zaga Zabo *in confeſſ. fid. Æthyopic.*

Chriſtiani in Moſchovia. Joannes Faber *de relig. Moſchovitar.* Paulus Jovius *de legat. Baſilii Magni Principis Moſcoviæ ad Clementem VII.* Joannes Laſiſcius *in caput. 10. de theol Moſcovit.* Martinus Cruſius *Turcogræciæ lib. 3. fol.* 273.

Aſſerunt & Patres Latini, Theleſphorus *epiſt. ad omnes univerſaliter c.* 1. Tertullianus *de cultu fœminarum c. 9. & de reſurrectione carnis c. 8. & de jejuniis c. 1. &* 15. Ambroſius *lib. 3. de Virginib.* Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum c. 10. & lib. 2. c. 6. & c. 9. & c. 11. & epiſt. 7. ad Lætam cap. 5. & epiſt. 27. cap. 8. in epitaphio Paulæ, & cap. 10. & in Vita Pauli Eremitæ, & in Vita Hilarionis, & ad cap. 10. Danielis, & de viris illuſtribus in Jovino*, Auguſtinus *lib. 30. contra Fauſtum Manichæum cap. 5. & tract. 73. in Evangel. Joan. & ſerm. 64. de tempore*, Concilium Carthaginenſe quartum *cap.* 85. Gaudentius Brixienſis *tract. 15. de Machab.* Maximus Taurinenſis *homil. 3. de jejunio quadrageſimæ*, Sixtius Tertius *de malis doctoribus & operibus fidei*, Leo primus *ferm. 4. de jejunio quadrageſimali c. 4. & 5.* Proſper *de vita contemplativa lib. 2. c.* 22. Gennadius Maſſilienſis *de Eccleſiaſt. dogmatib. c.* 68. Fulgentius *de fide ad Petrum c. 3. & c.* 42. Concilium Aurelianenſe primum *c.* 29. Concilium Gerundenſe *can.* 3. Benedictus Abbas *in regula cap.* 36. Gordianus *Vita S. Placidi c.* 52. Fortunatus *Vita S. Radegundis lib. 1. cap.* 7. Gregorius Magnus *lib. 1. dialog. c.* 1. Iſidorus Hiſpalenſis *de offic. Eccleſiaſt. lib. 1. cap.* 44. Eligius *homil. 9. de vulnerato & Samaritano, & homil.* 16. Concilium Toletanum quartum *c.* 10. Concilium Toletanum octavum *cap.* 9. Fructuoſus Epiſcopus Bracarenſis apud Smaragdum Abbatem in Regulam Benedicti *c.* 39. & apud Gratianum *de conſecrat. d.* 5 Aribo Friſigenſis *Vita S. Corbiniani c.* 13. Paulus Diaconus *de geſtis Epiſcoporum* Metenſium *de S. Arnulpho, & rerum Romanarum lib. 16. anno* 19. Concilium Moguntinum *c.* 34. Leo quartus *de conſecrat. d.* 3. Rabanus Maurus *de univerſo lib. 4. c. 10. & de inſtit. Cleric. lib. 2. c.* 25. Nicolaus Primus ad Conſulta Bulgarorum *c. 4. & c.* 5. Petrus Damianus *epiſt.* 1. ad fratres, qui indicta ſibi mandata erant tranſgreſſi, Gregorius ſeptimus de *conſecrat. d.* 5. Anſelmus Cantuarienſis *ad cap. 4. prioris ad Timoth.* Bernardus *homil. 66. in Cantic.* Otto Friſingenſis *lib. 7. chron. cap.* 35. Adam Victorinus *dialog. de inſtructione animæ*, Conradus Urſpergenſis in *chron. de anno* 1124. Rodericus Toletanus *rerum hiſpanicar. lib. 8. c.* 14 Rainerus Piſanus *in Pantheologia de jejunio cap.* 4. Hugo Pratenſis *ſerm.* 3. Ludolphus Saxo Carthuſianus vitæ Chriſti *p. 2. c.* 53. Joannes Gerſon *in ſum Theologia lib. 4. de jejunio.* Joannes Trithemius *homil.* 15. & Concilium Moguntinum *c.* 47. Concilium Tridentinum *ſeſſ 25. de reform. c. de delectu cibor. jejunii &c.*

Sufficit horum Autorum locos indicaſſe, quibus hæretici, etiam noſtri temporis confutentur, eos adeant, & Bellarminum, ac alios, qui contra hæreticos ſcripſerunt, nominatim Joannem Bruderium à Gandavo *in compendio concertationum hujus ſeculi de delectu cibor. & jejunio, tit. 35. art. 1. & ſeqq.* & Zachariam Boverium *in demonſtrat. vera & falſa Religionis lib. 2. exam. 2. art. 24. errore 6.*

An autem parvitas materiæ excuſet comedentem carnes die jejunii, adeo, ut ſi quis motus hæreſi internas illas comedat die prohibito in parva quantitate, ſit hæreticus externus & abjurare debeat?

Et an comedens carnes frequenter diebus prohibitis, ſed in parvitate materiæ, ſit ſuſpectus de hæreſi, ac propterea denunciandus? quove modo abjurare debeat?

Ad primum tenendum eſt, dari parvitatem materiæ in comeſtione carnis excuſantem à mortali diebus jejunii. Sic docent Sanchez *lib. 2. in decal. c. 8. nu.* 17. Meroll. *tom. 1. diſp. 2. c 4 dub. 7. nu.* 111. Tanner. *diſp. 3. in 2. 2. q. 3. dub. 5. nu.* 93. Petr. Hurtad. *diſp. 83. de fid. ſect. 3. §.* 21. Anton. de Leon. *in quæſt. mor. de cocholate p. 3. nu.* 3. Diana *p. 1. tr. qu. reſol. 43 & p. 5. reſol.* 32. Bonacin. *diſp. ult. de præc. Eccleſ. q. 1. pun. 2. num.* 2. Trullench. *lib. 3. in decal. cap. 2. dub. 2. num.* 5. Baſſeus *v. jejunium 1. num. 8. & Leander. p. 3. in præcept. Eccleſ. tr. 5. diſp. 2. qu.* 11.

Nam in iis, quæ habent latitudinem in diſſonantia ad præceptum, ſive ad rectam rationem, ſicut datur magis & minus in ipſa diſſonantia, ita etiam datur aliquid minimum fundans minimam diſſonantiam, atque adeo non ſufficiens ad mortale, ut patet in furto, in quo parvitas rei furatæ non conſtituit peccatum mortale. Diſſonantia autem ad præceptum & ad rectam rationem comeſtionis carnis die jejunii habet latitudinem, nec conſiſtit in indiviſibili. Quia præceptum prohibet carnes ut ſuſtentativas, & refectivas corporis, ſeu potius prohibet refectionem ex carnibus. Unde quia refectio habet latitudinem, & poteſt in ratione re-

ſectionis

ſectionis eſſe major, & minor, ita etiam diſſonantia, quam dicit, ut refectio ad præceptum, erit major, & minor juxta quantitatem refectionis, & aliquando adeo parva, ut non dicat integram malitiam oppoſitam præcepto, ac proinde ſit malitia tantum venialia.

Parvitatem autem materiæ in hac re cenſendam eſſe ait Anton. de Leon, ac Diana *loc. cit.* quantitatem illam, quæ ſolent ſumere coqui, & pincernæ ad prægustandum cibos. Leander vero *qu. decima tertia* eſſe vult octavam partem unciæ. Ego exiſtimo, quod moraliter penſanda ſit ita, ut illa cenſeatur parvitas materiæ, quæ moraliter non ſufficit, ut quis dicatur reſici per talem cibum. Quare poteſt aſſignari tertia pars unciæ circiter, moraliter ponderata, quia hæc quantitas parum nutrimenti poteſt afferre.

Atque hinc aio cum Sanchez, Meroila, Hortado, ac Diana ſupra citatis, quod ſiquis motus hæreſi interna comedat carnes die prohibito in hac parva quantitate, non icciteo erit hæreticus externus, atque adeo neque incurreret pœnas latas contra hæreticos externos, neque ad abjurandum eſſet cogendus. Nam ille cenſetur hæreticus externus, qui externo ſigno explicat hæreſim internam ita, ut per tale ſignum poſſit hæreſis in aliorum cognitionem devenire. Talis autem comeſtio non explicat internam hæreſim, ducendo in cognitionem ipſius, quamvis alioquin ex hæreſi interna procedat, ſed potius indicat guloſitatis vitium. Et cùm de ſe non ſit actio externa peccaminoſa mortaliter, non poteſt eſſe ea, cui tanquam hæreſi externæ imponuntur pœnæ contra hæreticos, cùm iſtæ imponantur tantum pro peccato mortali externo, explicante internum. Verum id arbitrio prudentis Inquiſitoris relinquo, attentis circumſtantiis locorum, ac perſonarum.

Ad ſecundum. Videtur negative reſpondendum. Nam icirco eſus carnium cenſetur contrariari profeſſioni fidei, quia præſefert contemptum præcepti Eccleſiæ; ex quo infertur, quod non recte de ipſa ſentiat. Stante autem parvitate materiæ oppoſitum colligitur. Nam oſtenditur, quod magni ſit præceptum Eccleſiæ. Quia non obſtante inclinatione gulæ, non intenditur graviter ipſi contrariari, ſed tantum leviter, ac proinde potius arguitur æſtimatio præcepti, licet non tanta, quanta deberet eſſe. Deinde in his omnibus comeſtionibus non intervenit peccatum mortale; ergo neque poſſunt generare ſuſpicionem contra fidem. Quia tranſgreſſio præceptorum Eccleſiæ tunc ſolum generat ſuſpicionem contra fidem, quando inducit, depoſitum fuiſſe timorem violandi præceptum, quod non contingit, niſi deveniatur ad peccatum mortale.

Ego tamen tutius eſſe cenſeo hujuſmodi comedentem eſſe denunciandum, ac interrogandum ſuper intentione, adque abjurationem admittendum juxta ſuas reſponſiones, ſaltem de levi cum admonitionibus. Quia conſenſus fidelium putat, eſum carnium, etiam in parva quantitate, diebus prohibitis adverſari fidei profeſſioni, & frequenter in die prohibito editas, poteſt conſtituere peccatum mortale, quemadmodum qui vult pluribus furari ſummam reſpectu eorum notabilem, ita ut quid minimum duntaxat à ſingulis auferre intendat, peccat mortaliter ob intentionem illam pravam. Quia licet damnum ſingulis illatum, ſit exiguum, ſufficit, quod omnibus conjunctim illatum, ſit grave, illudque à fure intendatur. Immo ex probabiliori ſententia peccat mortaliter quoties aliquid, quantumvis exiguum, ex ea intentione ſurripit. Quia toties intentionem illam mortaliter pravam, renovat.

Sed quid de Idolothytis? Certum eſt, quod non licet illis veſci, quando hoc videretur quædam cooperatio, & conſenſus in idololatriam. Nam tunc concurrit confeſſio fidei obligans abſtinere à tali cibo, & proinde manducans, peccaret contra ipſam. Ut ſi à tyranno quis cogeretur veſci in hunc finem. Tunc enim potius mors appetenda eſt, quam manducare. Unde *libro tertio Machab. capite ſexto*, laudatur Eleazarus, quod noluerit carnes porcinas manducare, quia jubebatur manducare in contemptum Religionis. Facit *can. nolite can. non ſolum ſecundo undecim. quaſt. tertia & capit. ſacris, de his, quæ vi, metuve.* Similiter nec etiam licitum eſt veſci, quando ob infirmitatem proximi adeſſet ſcandalum. Quod ſatis indicat Apoſtolus *poſterioris ad Corinth. cap.* 8. Et hoc tantum voluit Auguſtinus *de bono conjugali capit. decimo ſexto* & refertur in *can. ſicut ſatius* 31. *qu.* 4.

Quando autem manducatio Idolothytorum non eſt contra exteriorem fidei, & non adeſt ſcandalum puſillorum, licet illa manducare. Ita Gloſſa *in d. can. ſicut ſatius v. Fame*, ibique Archid. & Turrecr. Marquard. *in tr. de Iudæis p. quarta capite quarto numero vigeſimo tertio* Victoria *relect. de temper. numero tertio* Vaſquez *prim. ſecund. diſp. centeſima ſexageſima ſecunda capite quinto.* Salas *diſp. undecima de Legib. ſect ſecunda numero vigeſimo ſexto* quamvis ſolum videatur loqui in extrema neceſſitate, Balth. Gomez de Ameſcua *lib. ſecundo de poteſt. in ſe ipſum capit. ſext. numero duodecimo* & declaratur ab Apoſtolo *poſterioris ad Corinth. capit. octavo* per hæc verba: *Quidam autem conſcientia uſque nunc idoli quaſi idolothytum manducant, & conſcientia ipſorum, cùm ſit infirma, polluitur. Eſca autem nos non commendat Deo. Neque ſi manducaverimus, abundabimus, neque ſi non manducaverimus, deficiemus. Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis* Pergit oſtendere, quod tantum ratione ſcandali abſtinendum ſit.

At in hoc etiam tutius cenſeo, hujuſmodi comedentem eſſe denunciandum, interrogandum ut ſupra, & cogendum ad abjurationem juxta ſuſpicionis gradum & prudenti arbitrio Inquiſitoris. Nam licet adhuc cibi inſtituti ſint à Deo propter noſtram ſubſtentationem, eſt tamen ab ipſis abſtinendum propter ſcandalum, quod exhiberetur ex quadam extrinſeca apparentia conſenſus in venerationem Idoli. Neque id ceſſat omnino apud omnes Chriſtianos. Nam, etſi cognoſcant, & profiteantur unum eſſe verum Deum, non tamen exinde ceſſat præſumptio talis peccati. Hinc D Auguſtinus *epiſt. centeſima quinquageſima quarta in fine* ait, *melius eſſe, etiam in extrema neceſſitate famis, idolothytum in Idolo poſitum reſpuere.* Ob quam cauſam etiam Leo Papa *epiſt. ſeptuageſima ſeptima ad Nicetam capite primo* loquens de captivis, qui apud Gentiles comederant idolothyta ob indigentiam, ait, *debere agere pœnitentiam, quia nimirum adhuc vigebat lex Eccleſiaſtica, id prohibens.*

Catholicus autem exiſtens in terris hæreticorum, aut infidelium, poteſt comedere carnes, quando prohibentur, ut per Azor. *p. prima inſtit. moral. lib. ſeptimo capit. decimo octavo quæſtione ſeptima & lib. octavo capite vigeſimo ſeptimo quæſtione tertia.* Villalob. *p. prima ſum. tr. vigeſimo tertio diſſ. quarta numero decimo tertio* Fagundez

præcept.

præcept. quarto Eccleſ. libro primo capit. nono num. 21. Lublin. *p. prima ſum. v. Jejunium numero* 15. & Boſſium *to. tertio moral. tit.* 21. *paragrapho primo, numero* 97. Nam abſtinentia à carnibus eſt de præcepto Eccleſiaſtico, quod non obligat cum periculo gravi. Eſt autem grave periculum in terris hæreticorum, aut infidelium prodere ſe Catholicum. Nec de ſe carnium eſus eſt ſignum infidelitatis, aut hæreticæ profeſſionis, ſed eſt de ſe indifferens; unde etiam Catholicis eſt licitus ex cauſa. Neque apud illas gentes eſt ſignum de ſe proteſtativum hæreſis, aut infidelitatis. Nam licet carnes comedant, quia non ſunt Catholici, non tamen comedunt, ut ſe proteſtentur hæreticos, aut infideles. Unda non eſt cibos aſſumptus in proteſtationem hæreſis, aut infidelitatis, quamvis adhibeatur ex hæreſi, aut infidelitate. Catholici autem non tenentur ab his abſtinere, ſed tantum ab iis, quæ ſunt in proteſtationem falſæ ſectæ.

Secus autem ſi carnes apponerentur comedendæ publica autoritate in proteſtationem falſæ ſectæ, aut in odium vel contemptum Catholicæ Religionis. Tunc enim potius catholicus deberet mori, quàm illas comedere, exemplo Eleazari, quia comeſtio eſſet contra exteriorem confeſſionem fidei.

Nec poteſt catholicus comedere carnes, dum eſt apud hæreticos, vel infideles ratione loci, quia nimirum ibi locus ſit exemptus à lege eccleſiaſtica, & præceptum non comedendi carnes ibi non habeat vim, quemadmodum contingit quando apud Catholicos aliqua lex eccleſiaſtica eſt abrogata. Quoniam jus commune eccleſiaſticum non eſt affixum loco, cùm non ſit poſitum pro certa aliqua communitate affixa certo loco determinato, ſed pro tota communitate fidelium, ſparſa per totum Orbem, & iccirco ejus obligatio non relinquitur, relicto loco, ſed ſequitur perſonas. Et in tantum poteſt recipere aliquam reſtrictionem quoad aliquod præceptum, in quantum fideles invicem communicant in eadem Eccleſia; & proinde ſi apud aliquos abrogatum eſt quoad aliquod præceptum, accedens ad talem locum ratione communicationis cum ipſis in eadem Eccleſia, poteſt uti tali abrogatione. At Catholicus, apud hæreticos degens, ex una parte affert ſecum obligationem juris communis, & non communicat cum hæreticis, aut infidelibus, ſed remanet in eadem communitate fidelium, atque ideo debet cum fidelibus ſe conformare, & non cum hæreticis, aut infidelibus in obſervatione juris communis. Ex quo fit, quod, ſecluſo periculo, tenetur jejunare, & abſtinere à carnibus, quando id præcipitur ab Eccleſia, & proinde non poterit in ſecreto illas comedere, quando prohibeatur, ſi tamen ſuppetant alii cibi, alias redditur & ipſa ſuſpectus de hæreſi, debetqua abjurare arbitrio Inquiſitorum.

Abjurare debet de vehementi, qui cum hæreticis pertinaciter negaret Sacramenta veteris legis non habuiſſe eandem virtutem, & efficaciam, quam habent Sacramenta novæ legis. Id enim negat Calvinus *lib. quarto inſtit. capit. decimo quarto paragrapho vigeſimo tertio. Hoc*, ait, *dogma ſcholaſticum, quo tam longum diſcrimen inter veteris, & nova legis ſacramenta notatur, perinde ac ſi illa non aliud quam Dei gratiam adumbraverint, hac verò præſentem conferant, penitus explodendum eſt*, & in *antidoro Concilii Tridentini ad can. ſecund. ſeſſ. ſeptima. Vulgare eſt apud Sophiſtas dogma Sacramenta legis Moſaica figuraſſe gratiam, noſtra verò exhibere. Nos autem Deum aſſerimus ſemper in ſuis promiſſis fuiſſe veracem, nec quicquam ſignaſſe ab initio, quod non Patribus reipſa exhibuerit. Nam ſub Moiſe conſtabat circumciſionis veritas; Et tunc eandem fuiſſe eſcam ſpiritualem, qua participabant, eundemque potum ſpiritualem, teſtis eſt Paulus.*

Martinus Lutherus *in captivitate Babilonica capit. de baptiſmo: Error eſt Sacramenta nova legis differre à Sacramentis veteris legis penes efficaciam ſignificationis &c. Fieri non poteſt, ut Sacramenta nova differant ab antiquis Sacramentis.*

Aſſerunt tamen ſacræ litteræ. *Pſal. tertio verſic. ſeptimo* & *pſal. quinquageſimo verſic. decimo octavo Iſaia primo verſic. undecimo Jeremia undecimo verſic. decimo quinto. Amos quinto verſic. vigeſimo ſecundo Roman. quarto & prioris Corinth. ſeptimo verſic. decimo nono Galat. quarto verſic. nono & capit. ſexta verſic. decimo quinto & Philip. tertio* Paulus dicit, ſe arbitrari detrimentum juſtitiam quæ eſt ex lege. Et hoc aliquoties repetit. Quod certè non diceret, ſi ex ulla legali cœremonia juſtificatus fuiſſet. Unde circumciſionem per contemptum conciſionem vocat. *Videte*, inquit, *conciſionem.* Nam, ut exponit Chryſoſtomus, circumciditur, quod aptè expolitur, reſecatis ſuperfluis, conciditur, quod temere, & præter artem conciditur in fruſta. Ibidem Apoſtolus ait, ſe non habere fiduciam in carne, & per fiduciam in carne exponit ipſe fiduciam in circumciſione, aliiſque id genus rebus & *Coloſ. 2. verſic. 20. Hebr. 7. verſic. 18. & cap. 9. & cap.* 10. ubi ait, legem umbram habuiſſe, non ipſam imaginem rerum; nec potuiſſe accedentes perfectos facere, ac potuiſſe auferre peccata, & mandare conſcientiam. Quod intelligi debet in ordine ad juſtificationem ex opere operato. Nam alioqui negari non poteſt, quin & placuerint ex obedientia, & devotione offerentis. Nam vocatur odor ſuaviſſimus Domino, *Levit.* 1.

Probant id Patres græci. Dionyſius Areopagita *de Eccleſ. hierarch. cap.* 5. *p.* 1. Juſtinus martyr. *dialogo cum Tryphone*, Irenæus *lib.* 4. *cap.* 30. Origines *lib. ſecundo contra Celſum. & homil. tertia in Gener.* Athanas. *orat. in illud.* Omnia tradita ſunt mihi à Parte, Baſilius Magnus *lib. de Spiritu ſancto cap. decimo quarto* Epiphanius *hæreſ. octav. quæ eſt Epicureorum*, Joannes Chryſoſtomus *homil. vigeſima ſeptima in Geneſ. & homil. trigeſima nona. & homil. quadrageſima & homil. decima quarta in epiſt. ad Hebr.* Cyrillus Alexandrinus *lib. decimo in Iulianum*, Iſidorus Peluſiota *lib. ſecundo epiſt. centeſima decima quinta* Theodoretus *qu. ſexageſima ſeptima in Geneſim*, Procopius Gazæus *ad cap. ſeptimo Geneſ.* Joannes Damaſcenus *orthodox. fid. lib. quarto cap.* 26. Theophilactus *ad cap.* 2. *ad Roman.* Simeon Metaphraſtes *orat. de circumciſ. Domini*, Oecumenius *ad cap.* 4. *epiſt. ad Roman.*

Probant id etiam Patres Latini. Tertullianus *lib. contra Iudæos cap.* 2. Cyprianus *lib.* 1. *contra Iudæos cap.* 8. *& lib.* 3. *epiſt.* 8. *ad Fidum.* Ambroſius *epiſt.* 72. *ad Irenæum. & ad cap.* 4. *ad Roman. & lib.* 1. *de ſacram. c.* 4. *& cap.* 6. *ac de his, qui myſteriis initiantur c.* 8. Auguſtinus *ad pſal.* 73. *& epiſt.* 19. *ad Hieronymum & lib.* 19. *contra Fauſtum c.* 13. Eucherius Lugdunenſis *ſablato poſt S. Dominic. Quadrageſima*, Laurentius Novarienſis *homil. de pœnit.* Arator *lib.* 2. *hiſt Apoſtolic.* Beda *lib var. qu.* Haymo *ad cap.* 4. *ad Rom.* Radulphus Ardens *homil. de circumciſ. Domin.* Petrus Alphonſus *tit.* 12. Hugo Victorinus *ad c.* 4. *ad Roman. & eruditionis theologica lib.* 4. *p.* 6. *cap.* 3. Petrus Lombardus *lib.* 4. *ſent. diſt.* 1. Godfridus Viterbienſis *p.* 13. *chron. cap. quod non per circumciſionem, ſed per baptiſmum promiſſa fuit olim remiſſio peccatorum*, Innocentius Tertius *epiſt. ad Archiepiſcopum Arelatenſem*, Jacobus Vitriacus *hiſt. Occid. cap.* 35. Thomas Aquinas *p. tertia quæſt.* 61. *Sacramenta veteris legis Apoſtolus ad Galat. quarto vocat egena*

&

& infirma elementa, quia gratiam non continebant, nec cauſabant. Noſtra autem Sacramenta gratiam continent, & cauſant. Richardus de Media Villa *libro 4. ſenten. diſtinctione. 1. articulo. 6. quæſt. 4.* Joannes Scotus *lib. 4. ſent. diſt. 2. q. 1.* Hugo Pratenſis *de epiſt. in circumcis. Domin.* Franciſcus Maronius *in lib. 4. ſe t. diſt. 2.* Ludolphus Sax. Carthuſianus *Vita Chriſti par. 1. cap. 10.* Thomas Argeotinenſis *libro 4. diſt. 1. quæſt. 3. ar. 3.* Thomas Vvaldenſis *tom. 2. de Sacramen. Euchar. capit. 34.* Joannes Gerſon. *tract. quæſt. ſuper Magnificat,* Eugenius quartus *in Concilio Ferrarienſi,* Nicolaus de Nyſe *ſuper ſenten. tr. 6. p. 3. quæſt. 2.*

Solum autem potuerant conferre gratiam ex opere operantis excitando ipſum ad aliquem actum, per quem juſtificaretur, aut acquireret novam gratiam. Parvulis verò fuiſſe collatam gratiam ad applicationem ſigni ſenſibilis, non tanquam inſtrumenti producentis gratiam, ſed tanquam conditionis, ad cujus poſitionem Deus infunderet gratiam. Et hoc pacto fuiſſe neceſſariam etiam fidem profitentium nomine parvulorum. Ita D. Auguſtinus *lib. 2. de nupc. cap. 11.* & Innocentius tertius *in capit. majoris de baptiſm.* & probatur ex Concilio Tridentino, ex quo Sacramenta novæ legis non differunt ſolis ceremoniis à Sacramentis veteris legis, ut definit *ſeſſ. 7. can. 2.* ſed quia conferunt gratiam ex opere operato, Sacramenta vero veteris legis non conferebant. Ideoque remedium peccati originalis non erat inſtrumentum gratiæ, ſed tantum conditio. Quia Concilium definit contra hæreticos, qui etiam intelligebant de Sacramento, quod erat remedium originalis.

Remedium autem originalis conferebat gratiam adultis, non ex vi propria, ſed ſecundum fidem & diſpoſitionem ſuſcipientis. Unde ad *Rom. 4.* Apoſtolus probat, Abraham non fuiſſe juſtificatum per circumciſionem, ſed per fidem. Et confirmat ad Romar. 3. in quo habetur, quod nemo juſtificabatur ex operibus legis. Remedium autem originalis erat opus legis.

Neque circumciſio habuit de ſe vim juſtificandi. Apoſtolus namque ad *Galat. 3.* arguit, quod ſi opera legis habuiſſent vim juſtificandi, gratis Chriſtus mortuus eſſet. Et includit etiam circumciſionem, cùm ſit eadem ratio. *Et cap. 6.* habet: Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium. Et *in epiſt. ad Roman.* univerſaliter oſtendit, quod opera legis non habebant vim juſtificandi, & ad *Hebr. 10.* habet, quod lex nunquam potuit facere perfectos.

Abjurare etiam debet de vehementi, qui cum hæreticis negat, in adminiſtratione Sacramentorum Sacerdotis malam vitam, & doctrinam nihil obeſſe, ſi modò juxta inſtitutum, & intentionem Eccleſiæ ſuo munere fungatur.

Negat id enim Agrippinus *apud Auguſtinum de bapriſm. lib. 2. cap. 6.* & *apud Vincentium Lorinenſem de hæreſib. cap. 9.* Id quoque Cyprianus cum multis aliis Africanis Epiſcopis, Concilio Carthaginenſi celebrato decrevit, baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos. De quo vide ejuſdem Cypriani *epiſt. ad Quintum, ad Pompejum, & ad Jubeanum.*

Donatiſtæ volebant, *Sacramenta à Catholicis, quos hæreticos putabant, adminiſtrata, nullius eſſe virtutis, & omnes peccatores manifeſte arcebant à Sacramentorum adminiſtratione.* Ambroſius *ad cap. 1. prioris ad Corinth.* Auguſtinus *contra epiſtolam Parmeniani lib. 3. cap. 2.* & contra Creſconium *lib. 2. cap. 28.*

Luciferiani admittebant quidem baptiſma collatum ab hæreticis, ſed non ordinationem. Hieronymus *dialog. contra Luciferianos 3.*

Pſeudoapoſtolici negabant, homines malos poſſe efficaciter Sacramenta adminiſtrare. Bernardus *ſerm. 66. ſuper Cantica. 6.*

Vvaldenſes dicunt, *presbyteros, qui graviter peccant, nec Euchariſtiam conficere, nec alios à peccatis abſolvere. Quod presbyterum non dignitas, ſed vita meritum faceret, & omnis poteſtas, tam Laicalis, quam clericalis amittatur per peccatum mortale.* Thomas Aquinas *lib. 4. contra Gentes,* Nicolaus Lyranus *ad cap. 7. epiſt. ad Hebr.* Guido *de Vualdenſib.* Æneas Sylvius *hiſt. Bohemica capit. 35.* Antonius *4. p. ſum. tit. 11. cap. 7 §. 2. & 5. 16.*

Albigenſes dicunt, *quod obeſt ſubdito, & Sacramento vita mala Prælatorum.* Item *quod nullus malus poteſt eſſe Epiſcopus.* Antoninus *loc. cit.*

Gerardus Sagarellus, & Dulcinus Novatienſis dicunt, *quod nullus Papa Romanus poteſt aliquem abſolvere à peccato, niſi ſit ita ſanctus, ſicut fuit B. Petrus Apoſtolus, vivendo in omnimoda paupertate ſine proprio.* Nicolaus Emericus *p. 2. quæſt. 11.*

Joannes Vuiclefus *articul. 4. ſi Epiſcopus vel Sacerdos eſt in mortali peccato, non conficit, non ordinat, non baptizat, non conſecrat. Et 2. par. ſerm. Dom. in monte Valde injuſtus propter indignitatem perſonæ, pro qua oratur, communiter non additur. Quæ ergo dementia neceſſitandi Deum ad audiendum ſacerdotem reprobum, mediante oratione blaſphema taliter deprecantis?*

Joannes Huſſ. de decimis *Quid ergo miri ſi ad bonum ſenſum conceditur, quod nullus exiſtens in peccato mortali eſt Epiſcopus, Sacerdos, vel Chriſtianus? Patet verum eſſe articulum. Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non baptizat.*

Anabaptiſtæ docent, Sacramenta non eſſe efficacia, niſi à probis, & fidelibus adminiſtrentur. Martinus Kemnitius *p. 2. exam. Concilii Trident.* Bullingerus adverſus Anabaptiſtas *lib. 3. cap 7.*

Caſpar Zuenckfeldius *lib. de Sacra Scriptura pag. 21. Miniſtri,* inquit, *Eccleſiæ inepti, & non timentes Deum, miniſterium ſuum in docendo verbo, & porrigendis Sacramentis expedire non poſſunt.*

Piccardi reſponſione edita adverſus Lelicenſes, dicunt, *malum Sacerdotem Sacramenta polluere.* Et in confeſſione ſua dicunt, *res iſtas miniſteriales ex ſe non conferre Sanctitatem, & eas pollui, ſi ad earum adminiſtrationem malus Sacerdos acceſſerit.* Antonius Poſſevinus in examine ſectæ Piccardicæ.

Sed aſſerunt Sacræ litteræ. *Matth. 23. v. 2. Joan. 1. v. 33. Hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto, Joan. 11. v. 49. 1. Corinth. 3 v. 7. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

Aſſerunt quoque Patres Græci. Euſebius *apud Damaſcenum in parallelis lib. 1. cap. 44.* Gregorius Nazianzenus *orat 40.* quæ eſt oratio in Sanctum baptiſma, Joannes Chryſoſtomus in Joannem *homil. 85.* & in prioris *ad Corinth. homil 8. & homil 11. in Epiſt. ad Theſſ.* Nilus Abbas in quodam fragmento tractatus parænetici, Iſidorus Peluſiota *lib 2. epiſt. 110. & lib. 2. epiſt. 37. & lib. 2 epiſt. 340.* Theophylactus *ad cap. 20. Joannis* Cathymius *ad capit 11. Joannis,* Nicetas *in orationem 40. Nazianzeni,* Nicolaus Cabaſilas *cap. 4. 6. de Sacrificio,* Beſſarion Nicænus *libro de Euchariſtia.* Hieremias Conſtantinopolitanus *reſponſo 1. cap. 8.*

Et Patres Latini. Cyprianus *de baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis, & de Cœna Domini*, Concilium Arelatenſe primum *cap.* 8. Concilium Nicænum apud *Auguſtinum lib.* 2. *de baptiſmo c.* 3. *& ſequentibus*. Concilium Carthaginenſe primum *cap.* 1. Ambroſius *de iis, qui myſteriis initiantur cap.* 5. *& lib.* 1. *de Spiritu ſancto in prologo*, Optatus Milevitanus *lib.* 5. *contra Parmenianum*, Hieronymus *dialogo contra Luciferianos cap.* 2. *Orthodoxus*, Siricius Papa *epiſt. ad Himericum Tarraconenſem Epiſcopum cap.* 1. Innocentius primus *epiſt.* 22. *ad Epiſcopos Macedonia.* Collatio Carthaginenſis *collat.* 54. Auguſtinus *libro* 1. *contra Donatiſtas capit.* 10. *& libro.* 4. *capit.* 4. & contra Creſconium *lib.* 4. *c.* 20. *& tractatu* 5. *in Evangelium Joannis*, Leo Magnus *epiſt.* 79. *ad Nicetam cap.* 7. *& epiſt.* 92. *cap.* 16. Proſper Aquitanus *lib. ſententiarum ex Auguſtino cap.* 325. Anaſtaſius ſecundus *epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem cap.* 7. Aratus *lib.* 2. *Actuum Apoſtolicorum*, Gregorius Magnus *lib.* 9. *epiſt* 61. *& cauſa* 1. *q.* 1. *can. multi*, Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 6. *etymol. cap.* 18. *& de divinis Offic. l.* 2. *cap.* 24. Theodorus Cantuarienſis *in Pœnitentiali rubr.* 41. Beda *ad c.* 3. *Joannis*, Gregorius Tertius *epiſt ad Bonifacium* Zacharias Papa *epiſt.* 4. *ad Bonifacium*, Alcuinus *ad cap.* 6. *Joannis*, Rabanus Maurus *de Univerſo lib.* 1. *cap.* 11. Nicolaus primus *ad Conſulta. Bulgarorum cap.* 71. Paſchaſius Rarbertus *de corpore & ſanguine Domini cap.* 12. Odo Cluniacenſis *lib.* 1. *collat. cap.* 21. Luitprandus Ticinenſis *lib.* 1. *cap.* 8. Berno Argienſis *de iis, quæ ſpectant ad Miſſam. cap.* 1. Petrus Damianus *epiſt.* 15. *cap.* 4. *& cap.* 9. *de baptiſmo, & Eucharistia*, Guitmundus Averſanus *lib.* 3. *de Sacramentis paulo ante finem*, Algerus *lib.* 3. *de Sacramento cap.* 3. Anſelmus *ad cap.* 1. *prioris ad Corinthios*, Ivo Carnotenſis *epiſt.* 180. Sigibertus Gemblacenſis *in chronicis de anno* 1074. Hugo Victorious *in* 1. *ad Corinth. quæſt.* 102. Petrus Lombardus *lib.* 4. *ſent. diſt.* 5. Jacobus Vitriacus *feria* 5. *in Cœna Domini*, Guilhelmus Alvernus *de Sacramento baptiſmi cap.* 2. Vincentius Burgundus *in ſpeculo hiſtoriali lib.* 8. *cap.* 25. Thomas Aquinas *lib.* 4. *contra Gentiles cap.* 77. *&* 3. *par, ſum. quæſt.* 64. Bonaventura *lib.* 4. *ſenten. diſt.* 5. *q.* 1. *& diſt.* 13. *q.* 2. Gulielmus Duraneus *in rationali diviner. Offic. lib.* 4. *cap.* 1. Joannes Scotus *in l.* 4. *ſent. diſt.* 5 *quæſt.* 1. Antonius Andreas *lib.* 4. *ſent. diſt.* 5. *quæſt.* 1. Nicolaus Lyranus *ad cap.* 7. *ad Hebræos*, Ludolphus Carthuſianus *vita Chriſti p.* 1. *cap.* 13. Huido Carmelita de Vualdenſibus *c.* 7. Brigitta *lib.* 1. *revelationum cap.* 47. Thomas Argentinenſes *in lib.* 4. *ſent. diſt.* 5. *q.* 1. *art.* 1. *& diſt.* 13 *q.* 1. Catharina Senenſis *tract.* 3. *cap.* 115. Joannes Hildesheimenſis Carmelita *epiſt. ad Notarium Soloienſis oppidi*, Thomas Uvaldenſis *tom.* 2. *de ſacram. cap.* 1. Joannes Gerſon *in ſum. theologica lib.* 4. *de Sacram. Euchariſt.* Bernardinus Senenſis *tom.* 1. *Serm.* 19. Joannes de Turrecrem, *in ſum. de Eccleſia lib.* 1. *cap.* 99. Goncilium Conſtantienſe *ſect.* 8. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de Sacramentis in genere can.* 12. *ſiquis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut non conferre, anathema ſit.*

Eſt igitur hoc de fide jam definitum à Siricio Papa, Innocentio primo, Leone Magno, Anaſtaſio ſecundo, Concilio Nicæno, Concilio Carthaginenſi primo, Arelatenſi primo, Conſtantienſi, ac Tridentino locis allegatis. Et probatur. Nam miniſter non confert ſacramentum in virtute propria, ſed in virtute Dei, ut miniſter Chriſti. *Hic eſt qui baptizat.* Unde etiam Apoſtolus dicebat, non fuiſſe baptizatos in nomine Pauli. Ergo non dependent à fide ac probitate miniſtri. Quia ſi dependeret, miniſtraret nomine proprio, & ordo Eccleſiaſticus eſſet maxime incertus, ac perturbatus, ut arguit Auguſtinus *lib.* 1. *contra epiſtolas Petiliani cap.* 3.

Neque effectus Sacramenti, nempe gratia, & character dependet à fide, & probitate miniſtri. Quod etiam eſt de fide ex citatis Locis. Nam, poſita validitate Sacramenti, habetur efficacia ipſius, atque adeo producit ſuum effectum, niſi reperiat obicem, ut definit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 7. *de Sacram. in gener.*

Abjurare debet de vehementi, & qui negat in aliquibus Sacramentis, ut Baptiſmo, confirmatione, & Ordine, imprimi animæ characterum, ſeu ſignum aliquod ſpirituale, ac indelebile.

Nam illud negant Joannes Uviclefus *lib.* 4. *trialogi cap.* 15. *characterem Sacramentalem affirmat nec Scriptura, nec ratione poſſe probari*, Thomas Uvaldenſis *tom.* 2. *de Sacram. cap.* 109.

Martinus Lutherus *in captivit. Babilonic. cap. de Ordine: Commentum illud characteris indelebilis jam olim irriſum eſt. Concedo, ut Papa hunc characterem, imprimat, ignorante Chriſto. Cæterum ſi ruat hoc Sacramentum, & commentum aliquando, vix conſiſtet ipſe Papatus cum ſuis characteribus.*

Joannes Calvinus *contra Synodi Tridentina ſeſſionis* 7. *can.* 9. *Quod de charactere indelebili fabulantur, veteribus ignotum fuit, & magis conſentaneum eſt incantationibus magicis, quam ſanæ Evangelicæ Doctrinæ.*

Aſſerunt verò Sacræ Litteræ. Iſaiæ 66. *vers.* 18. *Ezech.* 9. *v.* 4. 2. *Corinth.* 1. *v.* 21. *Qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Ephes. 1. *v.* 13. *In quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Ephes. 4. *v.* 30. *Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei in quo ſignati eſtis in die redemptionis.*

Aſſerunt & Patres Græci. Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſt. hierarch. *c.* 2. *p.* 1. *& p.* 3. *Hunc ita accedentem divina Majeſtas in ſui conſortium intus admittit, eique lucem ſuam perinde atque ſignum aliquod tradidit, ſanctum efficiens, & Sanctorum ſortis, ordiniſque participem* Baſilius Magnus exhortatione ad Baptiſmum, Cyrillus Alexandrinus in præfat. catecheſeon anno 370. *Magnum ſane eſt propoſitum hoc baptiſma, captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio, veſtimentum candidum, ſignaculum Sanctum, & indelebile.* Et catecheſi 3. 16. *&* 17. Gregorius Nazianzenus *orat.* 40. *in Sanctum Batiſma*, Epiphanius *hæreſi* 8. Joannes Chryſoſtomus *orat.* 2. *in epiſt. ad Ephes.* Thodoretus *ad cap.* 1. *poſter. ad Corinth. & ad c.* 1. *ad Ephes.*

Aſſerunt etiam Patres Latini. Ambroſius *de Spiritu ſancto lib.* 1. *cap.* 6. *& de iis, qui myſteriis initiantur cap.* 7. Auguſtinus *de baptiſmo lib.* 6. *cap.* 1. *& contra Creſconium lib.* 1. *cap.* 30. *& in Joannem tr.* 6. *& epiſt.* 50. *ad Bonifacium, loquens de hæreticis ad Eccleſiam redeuntibus, & contra Epiſtolam Parmeniani lib.* 1. *cap.* 13. Primaſius *ad cap.* 1. *ad Ephes. & c.* 4. *in quo ſignati eſtis.* Novum ſignum habere cœpiſtis. *In die redemptionis.* In die baptiſmi ſignaculum Spiritus ſancti accepiſtis. Gregorius Magnus *lib.* 2. *epiſt.* 32. *& lib.* 12. *epiſt.* 32. Haymo *ad c.* 1. *poſter. ad Corinth. & ad cap.* 1. *ad Ephes.* Anſelmus *ad cap.* 1. *ad Ephes.* Guilhelmus Alvernus *de Sacramento Confirmationis* Innocentius III. *in cap. maiores de baptiſmo* Thomas Aquinas 3 *p. q.* 63. *ar.* 1. Ricardus de Mediavilla *lib.* 4. *ſent. diſt.* 5. *art.* 2. *quæſt.* 1. Joannes Scot. *in reportationibus ſuper* 4. *ſentent. diſt* 6. *q.* 8. Nicolaus Lyranus *ad cap.* 1. *poſter. ad Corinth. & ad cap.* 4. *ad Ephes.* Auguſtinus Triumphus *de poteſt. Eccleſ. q.* 58. *ar.* 7. Concilium Florentinum *in decreto Eugenii*, Tridentinum *ſeſſ.* 7. *can.* 9. *de Sacram. in genere*, eſtque de fide.

Con-

Confirmatur. Hæc Sacramenta non poſſunt reiterari. Ergo cum ipſa quoque conferant gratiam, & gratia poſſit ſemper augeri, debent habere aliquam repugnantiam ex parte effectus, quia nimirum conferant aliquid, quod nec augeri, nec multiplicari poſſit. Hoc autem eſt character.

Atque hinc colligitur contra Vaſquez 3. p. diſp. 134. *cap.* 2. eſſe de fide, quod character ſit aliquid reale in anima. Et etiam contra Durandum *in* 4. *diſt.* 4. *q.* 2. *num* 11 qui vult eſſe reſpectum rationis. Nam Concilium Florentinum, & Tridentinum locis citatis definiunt, quod character imprimatur in anima indelebiliter, ac proinde convenit animæ, nemine cogitante, ac permanente. Quod non eſſet verum, ſi eſſet reſpectus rationis. Sed de his atque hujuſmodi aliis jam diximus antea.

De contemptoribus cenſurarum Eccleſiaſticarum alibi dictum eſt. Aliquando abjurant de levi, aliquando de vehementi ſecundum gradum ſuſpicionis. Unde ex voto Congregationis Inquiſitionis Cremonenſis fuit habitus pro ſuſpecto de vehementi de hæreſi quoad articulum cenſurarum & clavium qui dixerat: *Anco li ſcommunicati mangiano*, & quod, non obſtante cenſura miſſam audiebat: teſte Carena *p.* 2. *tit.* 17. §. 2. *num.* 5.

Quid autem dicendum ſit de inſordeſcentibus per annum in excommunicatione, aliiſve cenſuris Eccleſiaſticis, ſaltem quando eſſent excommunicati pro crimine hæreſis, alibi etiam dixi. Nam licet de jure certum ſit quemlibet inſordeſcentem in cenſuris etiam pro cauſa vili, eſſe de hæreſi ſuſpectum, ut ex S. Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *capit.* 3. *de refor.* Quod tuentur Doctores, quos ſequitur Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 4. *pun.* 2. *nu.* 5. Carena *tit.* 8. §. 4. *num.* 16. Unde Campanilis *in diverſor. jur. Canon. rubr.* 11. *cap.* 15. *num.* 31. ait, quod inſordeſcentes ex quacunque cauſa per Epiſcopos ſive Inquiſitores citari poſſunt, tanquam de fide leviter ſuſpecti. Non poſſe autem condemnari, ut hæreticos, ſed cogi poſſe ad ſe purgandum, ut ſuſpectos de levi, tradit *Sayr. de cenſur. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. Ugolin. *eod. tit. tab.* 1. *cap.* 14. §. 3 *num.* 3 Rubeus *in repet. cap. per veſtras in princ.* 9. 18. *nu.* 24. *de donat. inter vir. & uxor.* Gonzal. *in regu. Cancel. glos.* 15. *n.* 108. qui ita intelligi ait Tridentinum. Quod ſi purgare ſe noluerint, & pertinaciter perſeveraverint in excommunicatione, fiunt ſuſpecti vehementer, & ſi in eo ſtatu perſiſtant alio anno, declarandi erunt hæretici, tanquam ex violenta præſumptione, Pegna *p.* 1. *direct. q.* 47. *num.* 7. & 8.

De conſuetudine tamen contra inſordeſcentes in excommunicatione lata ob aliam cauſam, quàm hæreſi S. Officium Inquiſitionis non procedit. Quomodo autem procedat contra inſordeſcentes in cenſura, lata in cauſa hæreſis, vide integram conſultationem noſtram 18. *tom.* 7. 37.

Qui Euchariſtiæ ſacramentum, quod ad refectionem ſpiritualem eſt inſtitutum, ad corporalem ſatietatem adhiberet, ex hoc facto ſuſpicionem hæreſis ſaltem de levi, ab Inquiſitoribus puniendam præſtaret, atque adeo ſaltem de levi ad abjurandum cogi poterit. Nam ageret quod directè opponitur primario fini hujus Sacramenti, qui eſt ſpiritualis nutritio, ut habetur in Concilio Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 2. per quod damnatur hæreſis Armenorum dicentium, quod cibus Euchariſtiæ, ſoli corporis ſaluti prodeſt. Hinc tale factum ab Inquiſitione Sicula fuit qualificatum, ut hæreticale, & in publico actu fidei celebrato Panormi ſub die 30. Novembris 1638. poſt abjurationem de levi, fuit reus verberibus plexus, & ad triennalem carcerem damnatus.

Infirmus, qui petit, ac ſumit ſciens, an ſcandalum aliis præbeat, hoſtiam non conſecratam, eſſe de hæreſi vehementer ſuſpectum, inquit Albertin. *in rubr. de hæret. in* 6. *q.* 13. *num.* 66. *ac ſeqq.* niſi conſtet, ſe hoſtiam non conſecratam ſumpſiſſe ob magnam reverentiam, quam habet in Sacroſanctam Euchariſtiam. Repertorium verò Inquiſitor. *v. hæreſis* §. 4. ait ſapere hæreſim manifeſtam. At Simanchas *de cath. inſtit. tit.* 30. *rubr. de hæres. nu.* 19 ſentire videtur, hunc infirmum eſſe de hæreſi valdè ſuſpectum, cùm non ſit credendum, catholicum hominem decedere unquam velle, niſi accepto prius illo diviniſſimo viatico. Igitur puto compellendum eſſe ad abjurandum de vehementi.

Celebrans Miſſæ Sacrificium, vel miniſtrans pœnitentiæ Sacramentum in presbyteratus Ordine non conſtitutus abjurare debet de vehementi, quia eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus. Nam regulariter quicunq; Sacramentis abutitur, redditur ſuſpectus vehementer de hæreſi, ut patet ex Conſtitutione Pauli IV. in hæc verba. *Nos in animum inducere nequeuntes &c. Miſſam celebrans, vel ſacramentum pœnitentiæ miniſtrans, cùm Sacerdos non ſit, abutitur his Sacramentis, exiſtimans ſaltem facto ipſo, alios præter Sacerdotes, poſſe illa ſacramenta adminiſtrare.* Ergo eſt non leviter, ſed vehementer de hæreſi ſuſpectus, ac de vehementi abjurare cogendus eſt. Facto enim ipſo catholicam veritatem impugnat, ut ait Gregorius XIII *in ſua Conſtitutione*, hiſce præſertim temporibus, quibus hæretici temerè audent proferre, quod etiam ſeculares horum Sacramentorum ſunt miniſtri, ut apud Bellarmin *tom.* 2. *contr. lib.* 1. *c.* 24. & 25. Atque ita docent Pegna *in direct. par.* 2. *com.* 81. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 12. & 15. Ricciul. *de jure perſon. lib.* 5. *cap.* 11. *num.* 7. Franc. Leon. *in theſ. for. Eccleſ. p.* 3. *cap.* 37. *num.* 35. Delrius *lib. magic. ſect.* 15. & *lib.* 3. *p.* 1. *q.* 3 *ſect.* 1. Salell. *lib.* 5. *c.* 5. *num.* 386. Carena *p.* 2. *tit.* 11. §. 1. *num.* 3. ac ſervatur in S. Romana Inquiſitione.

Hinc cum N. N. inquiſitus in S. Officio Mediolanenſi, quod celebraverit bis in die, examinatus, faſſus fuiſſet, & antequam diſcederet ſponte depoſuiſſet, Miſſam celebraſſe, cùm non eſſet Sacerdos, unde carceribus mancipatus factiſq; diligentiis ex Officio, repertum fuit, eundem audiviſſe etiam confeſſiones ſacramentales, factis defenſionibus, fuit declaratus à Smo. ſponte comparens, prævia abjuratione de vehementi. Quod verò ad celebrationem bis in die Sanctiſſimus illum damnavit ad Ergaſtulum per biennium, non autem nomine S. Officii, cum ad S. Officium non ſpectet hujuſmodi cognitio, niſi in caſu, de quo alibi.

At in Hiſpana Inquiſitione hujuſmodi rei habentur tantum ſuſpecti de levi, teſte Souſa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 14. & Caſtropalao *d. p.* 1. *tr.* 4 *diſp.* 8. *pun.* 16. §. 9. *num.* 2. Quod etiam ſervatur in Inquiſitione Sicula, ut teſtatur Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 91. niſi tamen ex qualitate perſonæ ac circumſtantiæ ſuſpicio de vehementi oriretur, ut ſi reus eſſet de Provincia infecta hæreſi Lutherana. De pœnis in hos delinquentes alibi diximus.

Sed quid ſi non Sacerdos confeſſionem audiat, ſed abſolutionem non impertiatur? Rodriguez *to.* 2. *quæſt. regul.* 28. *art.* 2. Roderic. à Cugna *de confeſ. ſollicit. quæſt.* 13. *num.* 14. Sanctarel. *de hæres. c.* 41. *dub.* 2. *num.* 5. Barbos. *in cap.* 1. *numer.* 7. *de Cler. non ord. miniſtr.* Joannes Sanch. *in ſelect. diſp.* 11. *numer.* 36. Diana *p.* 4 *tr.* 7. *reſol.* 11. Carena *p.* 2. *tit.* 11. §. 3. *num.* 14. & Albertin. *in nam. qualific. cap.* 25. *n.* 7. aſſerunt, Conſtitutiones Pontificias locum non habere in eo, qui cùm presbyter non ſit, confeſſiones audit, niſi ſimul abſolvat. Colligunt id ex illis verbis conſtitutionis Gregorii XIII. *& confeſſiones audire, & abſolutionem impertiri.* Requiritur ergo copulativorum concurſus. Item ex Conſtitutione Clementis VIII. in qua fit mentio de Conſtitutione Pauli IV. & Sixti V. circa eandem materiam. In ea ſiquidem ſic habetur: *Dum ſci-*

licet inique ſibi aſſumant gradum Sacerdotalem, & autoritatem abſolvendi à peccatis. Probatque id Carena; quia ideo in dictis Conſtitutionibus horum criminum rei judicio Inquiſitorum ſubjiciuntur, quia facto catholicam veritatem impugnant, ingerendo ſe in adminiſtrationem Sacramentorum, cùm Sacerdotes non ſint. At qui non abſolvit, nullum adminiſtrat, neque adminiſtrare intendit Sacramentum. Igitur talis non erit obnoxius pœnis dictarum Conſtitutionum. Confirmant. Quia hujuſmodi Conſtitutiones ſunt maxime pœnales. Ergo potius ſunt reſtringendæ quoad fieri poteſt.

Exiſtimat tamen Albergtinus *locat. cit. numero* 10. quod licet non Sacerdos audiens confeſſiones, & non abſolvens, non ſubjiciatur pœnis latis in Conſtitutionibus Pontificiis, ex alio tamen capite ab Inquiſitoribus pœna extraordinaria puniri poteſt, & ab iis cauſa cognoſci ob injuriam, quam infert Confeſſionis Sacramento. Quod antea docuerat Joannes Sanch. *eo loco.* Unde obſervat Carena *titulo* 17. §. 2. *numer.* 9. Quod S. Officio puniri debent qui per jocum confeſſiones audiunt.

Hiſce tamen non obſtantibus tenendum eſt cum Souſa *in opuſc. de ſollic. tr.* 2. *cap.* 9. *num.* 3. 4 *&* 7. *& in aphor. lib.* 1. *cap.* 33. *numero* 3. & cum Freita *de confeſſ. ſollic. quæſt.* 13. *numero* 36. ac Trimarch. *de confeſſar. abut. Sacramen. pœnit. diſputatione* 7. *ſectione* 2. *numero* 12. qui tradunt præfatas conſtitutiones habere locum etiam in audiente confeſſiones, etſi non abſolvat. Nam licet Pontifex Gregorius *in ſua Conſtitutione* prius utatur illis verbis: *Confeſſiones audire, & abſolutionem impertiri*, poſtea tamen utitur his verbis: *Confeſſiones audiunt.* Priora autem verba, quibus connectit confeſſionem & abſolutionem ſunt in parte narrativa Conſtitutionis, poſteriora verò in parte deciſiva, quæ oſtendunt intentionem ac voluntatem Pontificis. Ego autem hanc ſubjungo rationem. Quia non Sacerdos, audiens confeſſiones, & non abſolvens, facto catholicam veritatem impugnat. Nam cenſetur, quod nedum credat cum hæreticis, aſſerentibus, quod etiam ſæculares ſunt Sacramenti pœnitentiæ miniſtri, ſed quod hoc Sacramentum in ſola confeſſione conſiſtat, non in abſolutione. Quod eſt ſummè hæreticale ac ſummè injurioſum Sacramento pœnitentiæ, quod formaliter etiam conſiſtit in abſolutione, ut forma, & in actibus pœnitentis, ut materia, ut deſumitur ex Concilio *Tridem. ſeſſione* 14. *cap.* 3. ac D. Thoma 3. *parte quæſtione* 84. *articulo* 2. *&* 3. *ibique* Cajetano. Et ita tunc tenendum eſt ex Decreto Urbani VIII. quo declaravit anno 1630 in Conſtitutione à ſe edita contra celebrantes, vel confeſſiones audientes, non exiſtentes Sacerdotes, ſuam intentionem fuiſſe ac eſſe comprehendere, ac comprehenſos fuiſſe, ac eſſe, non ſolum illos, qui ad presbyteratum non promoti confeſſiones Fidelium audiunt, & abſolutionem impertiuntur, ſed etiam illos, qui confeſſiones præfatas audiunt abſque eo, quod verba abſolutionis proferant, & abſolvant. Ideoq; debent abjurare de vehementi.

Pariter in Hiſpana Inquiſitione in ſacris Ordinibus ordinati, ac Regulares profeſſi matrimonium contrahentes abjurant de levi, niſi qualitas perſonæ, ac circumſtantiæ concurrerint, ut eſſe neceſſe ad abjurandum de vehementi illos cogere, ut ſi Clericus in Sacris, vel Religioſus profeſſus eſſet de regione infecta hæreſi Lutherana. Nam tunc redderetur ſuſpectus ratione ſuæ regionis, ut teſtatur Simaneh. *de cath. inſt. tit.* 40. *n.* 6. & in Enchirid. *tit.* 15. *n.* 6. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſ.* 8. *p.* 16. §. 8. *n.* 2. ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 5. *n.* 3. Unde communiter hujuſmodi rei non torquentur, ut obſervat *Caſtrop. n.* 8. & puniuntur eadem pœna, qua polygami, & aliquando graviori ob ſuſpicionem Lutheranæ hæreſis. Ordinarie tamen imponitur eis abjuratio de levi, tanquam de hæreſi leviter ſuſpectis.

Verum in Italia, aliiſque locis hujuſmodi rei abjurare ſolent de vehementi. Quia male ſentire cenſentur de Eccleſiæ Sacramentis, ſuntque de hæreſi vehementer ſuſpecti, ut per Pegnam, *p.* 2. *com.* 81. Farinac. *de hæres. q.* 178. *n.* 68. Carenam *p.* 1. *tit.* 17. §. *num.* 10. Simanch *in Enchir. tit.* 22. *num.* 1. & Canteram *quæſt. crim. de her. num.* 70. *& ſeq.*

Idem dicendum eſt de marito, qui uxore vivente, ſacros Ordines ſuſcipit, niſi ipſa in monaſterium de illius conſenſu prius ingreſſa fuerit, & profeſſionem emiſerit. Nam eadem pœnâ punitur qui poſt ſacros Ordines ſuſceptos uxorem ducit, ac qui poſt conſummatum matrimonium Sacros Ordines recipit, ac proinde debet cogi ad eandem abjurationem de vehementi. Parum enim refert, an matrimonium Ordines Sacros ſubſequatur, an illos præcedat, cum in utroque caſu & Sacramento matrimonii, & Sacrorum Ordinum, & Clericorum cœlibatui par fiat injuria, ut animadvertit Simanch. *de cath. inſtit.* 9. *tit.* 40. *n.* 14. Farinac *de hæres. q.* 183. *n.* 73. Carena *loc. cit. n.* 12. & nos alibi, ubi & de Græcis diſſeruimus.

Quid autem ſentiendum ſit de Clerico in ſacris conſtituto, ac de Religioſo profeſſo, in ſacris conſtituto, ac de Religioſo profeſſo, qui matrimonium non contrahit, ſed tantum ſponſalia? Ricc. *in p. var. reſ.* 73. negat, hoc crimen ſpectare ad Inquiſitores. Quia aliud eſt matrimonium, aliud promiſſio matrimonii. Aliud illud contrahere, aliud promiſſio de illo contrahendo *cap. penult. de elect. in* 6. ubi Gloſ. *v. exprimendum.* Ac ideo nulla eſt ei abjuratio injungenda.

In Inquiſitione verò Hiſpana, ubi delictum attentatum de polygamia dubitatur, an pertineat ad Inquiſitores, poteſt eſſe ſpecialis difficultas. Negat item Souſa *in aphor. l.* 1. *c.* 33 *n.* 6. conjugatum contrahentem ſponſalia cum ſecunda reddi ſuſpectum de fide. Unde Diana *p.* 4 *tr.* 8. *reſol.* 4. ait, determinationem hujus caſus poſcendam eſſe à ſuprema Hiſpaniarum Inquiſitione. Aſſerit tamen Traſmiera *lib.* 2 *q.* 3. *n.* 16. inquiens hoc crimen ad Tribunal Inquiſitionis pertinere, eodemque fere modo ſentiendum eſſe ait de Religioſo profeſſo aut Clerico in ſacris conſtituto, ſponſalia celebrante *lib.* 3. *q* 12. *n.* 23. maxime quando reus ita delictum attentaverit, ut omnino id re ipſa effeciſſet, niſi forte impeditus eſſet, vel quia innotuit ejus prava voluntas, vel alia de cauſa; ſecus autem ſi ea ſe reſipiſcens deſierit hoc ſcelus perpetrare.

Verior ſententia eſt, ac uſu recepta in S. Tribunali S. Inquiſitionis Romanæ, quod ſic contrahens ſponſalia, ut ſuſpectus de hæreſi ſubdatur foro & judicio Inquiſitorum, ut per Coſtam *de remed. ſubſid. remed.* 15. *n.* 18 qui alios adducit, Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 4. *n.* 10. Carena *p* 1 *tit.* 5. § 6. *n.* 33. Nam certum eſt, quod hic verè voluit uxorem ducere, ſicque abuti Sacramento matrimonii. Ex quo abuſu oritur ſuſpicio hæreſis. Et quamvis revera non ducat uxorem, dum contrahit ſponſalia, oſtendit, quod eſt diſpoſitus ad illam ducendam. Quod ſufficit, ut cenſeatur de hæreſi ſuſpectus. Nam crimen hæreſis etiam ſola mente, ac prava intentione perficitur, ut per Menoch. *de arbitr. cas.* 370. *n.* 7. cumque ſit leviter ſuſpectus de hæreſi, quia in eo non intervenit abuſus Sacramenti, ex quo oritur vehemens ſuſpicio hæreſis, ſed tantum prava animi diſpoſitio ad abuſum Sacramenti, debet ſaltem abjurare de levi. Qua de re etiam infra.

Polygamus, qui, vivente prima uxore, aliam duxit, ſolet in Hiſpania abjurare de levi Simanch *de cat. inſt. tit.* 40. *n.* 6. Gutierez *l.* 1. *p. quæſt.* 8 *n* 1 *& ſeq.* Carena *p.* 2. *tit.* 5.

tit. 5. §. 11. *n.* 57. & Traſmiera de *polyg. l.* 2. *q.* 1. *n.* 29. Rationem adducunt, quia Hiſpani ſolum reſpiciunt ad libidinem, & concupiſcentiam polygami, quæ regulariter ſolet eſſe prima cauſa impulſiva, & origo tale facinus perpetrandi.

Et quidem libido jam olim Hiſpaniam duriſſima ſeptem ſeculorum involvit ſervitute. Cùm Rodericus Rex Cavam, Juliani Comitis filiam virginem, quam neque gratia flectere, neque blanditiis fallere, neque minis frangere poterat, invitam atque reluctantem vitiavit Julianus enim à filia acceptę injuriæ ſenſu in furorem acta animatus, ut contumeliam ſuæ familiæ illatam vindicaret, legiones Arabum ac Mahumetanorum ab oris Africæ in Hiſpaniam accerſivit, & ultionem privatam cum patriæ proditione, & jugo peregrino, quod ſub Ferdinando poſtremo vix tandem excuſſum eſt, nefando ſcelere conjunxit, Joannes Mariana *de reb. Hiſpan. lib.* 6. *cap* 21. Renat. de Luſinga *de Imper. increm. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. Et ne antiquis inhæream, nuper Antonius Prior Cratenſis anno 1492. cùm in Regno Portugalliæ poſt tot acceptas clades, publice non amplius eſſet tutus, in mediis tamen calamitatibus nondum laſciviæ oblitus erat, & matronæ honeſtæ difficulter contra ipſius libidinem ſe tuebantur, Conestag. de Portugal. & Caſtel. conjunct. *libro.* 9. Hanc inſatiabilem gentis ſalacitatem tum alia hodie oſtendunt plurima, tum maxime Urbs Valentia, ubi Venus illicita tanta licentia dominatur, ut meretricia opera nullibi ſit honoratior, atque libido tam habitatione, quàm veſtitu, ac famulitio præ honeſtate habeat prærogativam. Et in Luſitania multi, ut quæſtum faciant è vernis natis, ancillas tanquam columbas alunt, quarum concubitu adeo non offenduntur, ut etiam admiſſariis gaudeant, cùm partus ventri cedat.

Aiunt tamen, quod ſi polygamus originem trahit ex gente Mahumetana, vel è regione hæreſi Lutherana vel Calviniana infecta, tunc etiam in Hiſpana Inquiſitione præſumitur, quod ſectam ſequatur Mahumeti, vel dogma Lutheri, aut Calvini, Simanch. *d. tit.* 40 *numer.* 4. & in tali caſu vehemens orietur hæreſis ſuſpicio contra hujuſmodi reum, ut per Locat. *in Judicial. v. hæreticus n.* 22. & Traſmier *loc. cit. numer.* 4. qui *num.* 21. ſubdit, eſſe etiam de vehementi ſuſpectum in Hiſpana Inquiſitione, qui plures, quàm duas eodem tempore contrahit nuptias.

Contra hanc praxim, & contra doctrinam traditam à Traſmiera arguit Carena *par.* 1. *d. tit.* 5. *numer.* 58. primò, quod minus conſequenter in hac re loquuntur Doctores Hiſpani, qui cogunt polygamos ac abjurandum tantummodo de levi, & ſortilegos, qui abutuntur ſacramento Baptiſmi, imagines ſcilicet baptizando, abjurare faciant de vehementi, cùm par ratio militet in utroque caſu.

Secundo, quia ſi ex ſimplici, & unica polygamia oritur ſuſpicio levis de hæreſi, non poterit ex duplici polygamia reſultare vehemens ſuſpicio. Ex duabus enim levibus ſuſpicionibus non conſurgit ſuſpicio vehemens, ſicuti neque ex duabus vehementis ſuſpicio violenta, Farinac. *de hæres. q.* 195. *num.* 14.

Ad primum argumentum reſpondet nonnemo, quod diſpar eſt ratio. Nam ideo baptizans imaginem eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, quia præſefert aliquid, quod eſt hæreſis manifeſta, ut quod illæ imagines ſint capaces Sacramenti baptiſmi, ut per Pegnam *par.* 2. *direct. com.* 67. At in polygamia conſideratur, quod in delictis, quæ circa carnis fragilitatem verſantur, videtur potiſſimum locum habere depravata voluntas, quæ mentem ſæpe excæcare, & conſilium obnubilare ſolet. Præterea ſæpe imagines baptizans illis utitur ad ſortilegia perpetranda, quæ omnia reddunt operantem de hæreſi manifeſte ſuſpectum; ſiquidem niſi is crederet, talia Sacramenta habere virtutem ad maleficiorum operationem, illa non adhibuiſſet. Aſt in polygamis non videtur manifeſte hæc deordinatio mentis, ſed tantum inordinatus affectus voluntatis & concupiſcentiæ propter libidinem.

Et ad ſecundum. Quicquid ſit, an ex duabus ſuſpicionibus de levi oriatur una ſuſpicio de vehementi, ut docet Locatus *in Judic. v. abjuratio numer.* 1. quod neque Farinacius *loc. cit.* abſolute negat, ſed tantum aliis cogitandum relinquit, quia illi durum videtur, nec tamen negat, quin ex duabus vehementibus ſuſpicionibus oriatur ſuſpicio violenta, ſed tantum ait Farinacius, eum, qui abjuravit de vehementi, ſi ſecundo lapſu nonniſi de vehementi ſuſpicione conſtiterit, non debere dici relapſum. Solum aiunt, quod reiterans illicitas nuptias polygamus redditur de vehementi ſuſpectus de hæreſi. Quia magis abutitur ſacramento matrimonii, & majorem illius contemptum habere videtur, ac magis depravata voluntas in hujuſmodi reo apparet, ad eum plane modum; quo de blaſphemantibus hæreticaliter docet Eymeric. *p.* 2. *direct. quæſt.* 41. *numero* 5. & Repert. Inquiſ. *v. blaſphemia*, ubi dicitur, quod qui pluries ac frequenter in ludo, ac extra ludum in tales blaſphemias prorumpit, debet cogi ad abjurandum, ut vehementer ſuſpectus juxta *cap. accuſatus ſub initio de hæret.* Si autem non frequenter, ſed raiò, tunc videtur abjurare debere, ut leviter ſuſpectus juxta *idem cap. accuſatus.* Pari ratione qui unicam committit polygamiam, conſiderans Inquiſitio Hiſpana carnis fragilitatem, ejuſque concupiſcentiam ex depravata tantum voluntate, habetur leviter de hæreſi ſuſpectus, cùm verò quis plures, quàm duas contrahit nuptias, erit de vehementi ſuſpectus, quia præter inordinatum affectum voluntatis, magis manifeſtatur deordinatio mentis majorque contemptus Sacramenti matrimonii.

Neque abſurdum exiſtimari debet interdum ex delicto ſemel commiſſo oriri levem ſuſpicionem ex iterato autem vehementem, quod quidem aperte aſſerit Eymeric. *loc. cit. quæſt.* 56. *num* 10. & probat ex Concilio Tarraconenſi, ubi habetur, quod qui dicit, vel facit aliquid contra fidem, & hoc ſemel, ſuſpectus ſit leviter de hæreſi. Qui autem bis, vel ter ſuſpectus ſit de hæreſi vehementer. Qui autem pluries ac frequenter, ſuſpectus ſit de hæreſi vehementiſſime. Hæc de praxi Hiſpanæ Inquiſitionis.

At in ſupremo Tribunali Sanctæ Inquiſitionis Romanæ polygamus ſemper abjurare ſolet de vehementi, quia præſumitur male ſentire de Sacramento matrimonii, ac opinari licitum eſſe plures uxores ſimul ducere, prout ſentiunt Anabaptiſtæ, Lutherani, Mahumetani, aliique, ut per Farinac. *de hæres. quæſt.* 178. *num* 68. Gerſon. in *tr. de poteſt. conſid.* 12. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 50. *num.* 27. & Enchir. *tit.* 41. *nu.* 3. Albert. *de hæret. quæſt.* 34. *num.* 46. Pegnam *d. s. com.* 80. Delrium *lib.* 5. *magic. ſect.* 12. Fernandez de Otheio *q. jur. par.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 4. Carenam *loc. cit. num.* 58. ubi refert, quatuor polygamos Romæ in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam abjuraſſe de vehementi die 18. Maii 1597. Si enim ſortilegus ex amore abutens Sacramento Euchariſtiæ, vel Olei conſecrati, vel Baptiſmi, regulariter eſt ſuſpectus de

vebementi, ita etiam præſumendum eſt de abutente Sacramento matrimonii, de hæreſi eſſe vehementer ſuſpectum. Atque ita etiam declaravit ſæpius S. Congregatio S. Offieli, præſertim ſub die 7. Martii 1602. Et ſub die 4. Septembris 1614.

Rationem autem cur Romana Inquiſitio imponat polygamo abjurationem de vehementi, illam ajunt Doctores Hiſpaoi eſſe, quia obſervat, infectionem hæreſis. Hiſpana verò libidinem, vel cupiditatem, ut præ cæteris ait Traſmiera *loc. alleg. nu.* 1. quia nimirum apud Inquiſitiooem Romanam plures inventi ſunt, qui ideo polygamiam contraxerint, quia hæreſi, aliove errore laborarent, quare meritò talis animadverſio in illa eſt inducta. Apud verò Inquiſitionem Hiſpanam, quia, ut plurimum, hujuſmodi polygami libidine aut avaritia ducti, quæ miſeros homines cogunt *traſcendere fines*, ut ait Lucret. *lib.* 2. hoc ſcelus committunt, propterea majori miſericordia tractantur. Vel etiam ex juris præſumptione id provenit, attenta gravitate, ac frequentia hujus delicti, & quod Lutherani Italiæ propinqui ex una parte, & Turcæ ex alia, qui admittunt pluralitatem uxorum, merito ac prudenter Summi Pontifices præſumpſerunt, hoc delictum ex hæreſi Lutherana, vel infidelitate Turcica provenire & ideo tales deliquentes, ut ſuſpectos de vebementi habendos eſſe. Quare attendens Romana Inquiſitio periculum, quod hæretica labes inducere ſolet, ubi periculum hæreſis eſt, contra illam præſumit; Hiſpana verò Inquiſitio flammas conſiderans, quas luxuria excitare ſolet, ac mentes perturbare, humanæ fragilitati indulgentius compatitur, ut per Tramieram *loc. cit.*

Hoc diſcrimen, ut tandem aliquando ingenuè loqoar, mihi placet. Nam ſuſpicio hæreſis de vehementi in polygamo, reſultat ex facto ipſo, ut probavi *in primo tomo.* Unde licet per torturam intentio purgetur, adhuc tameo remanet abuſus Sacramenti, & ſacrorum rituum Eccleſiæ, abjuratione de vehementi coërcendus. Cætera per injuriam imponuntur Italis. Nam ut nihil loquar de Chriſtianis novis; quo nomine Luſitanorum bene magna pars veniunt, qui avitam Judaicam religionem à majoribus illorum, mortis, exilii, ſervitutis, & aliorum periculorum metu, lingua quidam jurantibus, ſed mentem injuratam gerentibus deſertam, adhuc animo retinent, chriſtianam autem actibus fingunt, ſervantque, tanquam legibus juſſam, non tanquam Deo gratam. Vide de hiſce Hier. Coneſtag. de Portugal. & Caſtel. coojunct. *lib.* 1. Quis hodie populus tot *Renegatos*, ſic appellantur illa hominum portenta, quæ Chriſti ſacris impie repudiatis, ad diram vaferrimi impoſtoris Mahumetis ſuperſtitionem deſciſcunt, qood chriſtianum Imperium tot Chriſti hoſtes hodie parturit. Quis putet bonam Hiſpaniæ partem contagio Mahumetiſmi laborare? Quis credat in bello illo Africano, quo Sebaſtianus Rex Portugalliæ, ætate ac prudentia fere puer, funeſto prælio occubuit, Molejum Molucum, Mauritaniæ Regem in exercitu ſuo quindecim circiter millia militum Renegatorum, & eos pleroſque ex Andaluzia oriundos, habuiſſe? Nicol. Clenard. *epiſt. lib.* 1. *ad Latom.* anno Chriſti 1578. Coneſtag. *loc. cit. lib.* 2. Itaque creditu eſt multo facilius, non amore, neque avaritia, cæteriſque pravæ mentis cupidiotbus in polygamiam ruere Hiſpanos, ſed abuſu ſacramenti matrimonii ob ſuſpicionem Mahumetanam, etſi ante, ut ipſi ajunt de Italis, Mahumetem ac Lutherum eſſent polygami.

At nil mirum, cùm Hiſpanorum jactationes non ſemel audiantur, quibus homines ſupra alios ſcilicet Religionis amantes in invidiam aliorum Regum, Principumque tam diu gloriati ſunt, quod nunquam paci cum hæreticis, quos ipſi vocant, ſubſcripſerint, ſitque Hiſpanæ dominationis lex fundamentalis, ut nonniſi Catbolicos ferat ſubditos, ut ex Concilio Toletano VI.

Hinc Recaredo Regi Hiſpaniæ ab univerſo Concilio Toletano tertio ſub annum 589. ſic acclamatum legimus: *Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Recaredo Regi? Cui à Deo æterna Corona, niſi vero orthodoxo Recaredo Regi? Cui præſens gloria, & æterna, niſi vero amatori Dei Recaredo Regi? Ipſe novarum plebium in Eccleſia catholica Conquiſitor. Ipſe mereatur veraciter Apoſtolicum meritum, qui Apoſtolicum implevit Officium. Ipſe ſit Deo, & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deum glorificavit in terris.* Nota munus Conquiſitorum in Regibus Hiſpaniarum ex hoc Concilio. Idem in Concilio Toletano ſub anno 597. *Chriſtianiſſimus* vocatur, quemadmodum & anno 599. in Concilio Barcinonenſi.

Similiter autem & Cintbilanus Gothorum in Hiſpania, Galliaque Rex à Concilio Toletano Sexto *cap.* 19. *Chriſtianiſſimi* appellatione ornatur anno 638. Sed & Siſerutbum Regem anno 616. pulſis ex Hiſpania Judæis, *Chriſtianiſſimum* cognominatum fuiſſe graviſſimi Scriptores fidem faciunt. Regem Ervigium Leo Papa anno 684. *prace leniſſimum, atque Chriſtianiſſimum Regem* appellat. Gregorius quoque ſeptimus Ramirum & Sanctium tertium Aragonorum Reges *Chriſtianiſſimos* vocat. Quo titulo ſimiliter Alfonſus magnus Legionis, & Caſtellæ Rex à Joanne Papa octavo afficitur.

Carolum Magnum anno Domini 813. in Moguntino Concilio *Chriſtianiſſimi* appellatione bunestari, Papyrius Maſſonius, homo Gallus, aſſentientibus aliis hiſtoricis, annotavit. Sed is nempe hooos, non tanquam Regi, verum ut Imperatori, tum non niſi à provinciali Concilio, delatus fuit. Imperatoribus enim id cognumen ab Eccleſia tribui ſolere, ex Conciliorum veterum actis, & ſanctorum Patum ſcriptis apparet. Itaque Caroli Magni poſteris, qui non ſimul Imperatores eſſent, eum titulum nuſquam tribui legimus. Joannes Papa XXII. Clemens V. Bonifacius VIII. & Martinus V. conſtanter *Illuſtres* Galliæ Reges, nunquam verò, quod conſtet, *Chriſtianiſſimos* appellant. Et Pius ſecundus in Mantuano Concilio anno 1460. Carolum VII Galliæ Regem primum fuiſſe teſtatur qui ultro ſibi adſcito *Chriſtianiſſimi* titulo cæteris ſe Principibus omnibus prætulerit.

Verum quoniam amplius, ac dignius Catholici, quàm Chriſtianiſſimi nomen videtur, cùm qui Catholicus ſit, eum jam Chriſtianum eſſe, omnes intelligant. Quam ob cauſam Chriſti Eccleſiam, non Chriſtianam ſed Catholicam in fidei Symbolo Apoſtolis vocare viſum fuit; propterea Eccleſia appellationem ſuam cum Hiſpaniæ Regibus honoris cauſa communicare voluit, ut qui Regem Catholicum nominari audiunt, ſtatim de Hiſpaniæ Rege ſermonem eſſe ſciant.

Alfonſum primum Hiſpaniæ Regem, Pelagii Regis generum, tumuli ejus inſcriptio Catholicum nominat, quod ipſum omnes variarum nationum ſcriptores faciunt, & Cardinalis Baronius, minime alioquin in Hiſpanos ambitioſus, duplici titulo id ei cognomen aſſerit ſub anno 704. Primum quia Catholicam propagavit Religionem. Deinde, quoniam ſucceſſerit Recaredo, cui totius Concilii acclamatio eum honorem prius detulerat. Subinde verò Alfonſi ſucceſſores eodem cognomine inſigniri ſolitos, tabulis & monumentis publicis, quæ hodieque extant, doceri poteſt, nominatimque ex Caſtellæ Regibus Ordo-

nium

nium primum circa annum 827. Sanctium Craſſum 930. Alfonſum ſextum 1066. Alfonium Octavum 1160. Joannem primum 1379. Ex Aragoniis verò Petrum primum circa annum 1094. & Petrum ſecundum 1205. Id etiam hodie Carolo primo Hiſpaniarum Regi propter veram apud Deum, hominesq; gloriam divino munere à tot Regibus ad ſe propagatam, omnino faciendum eſſe intelligit.

Et nihilominus utraque praxi, hoc S. Congregationis decreto conciliari poteſt: In crimine polygamiæ ſi Curia ſecularis prævenerit, Inquiſitor debet examinare polygamum in ſpectantibus ad ſidem, & ſuper intentione illum abjurare faciet de levi, vel de vehementi juxta facti qualitatem. Poſtea ſinat, ut Curia ſecularis, quæ prævenit in carceratione exequatur pœnam triremium 14. Maij 1591.

Ideoque interim advertendum eſt, quod ibi polygamus habetur ſolum, ut ſuſpectus de levi, ſi ſemel delinquat, non debet haberi, ut ſuſpectus de vehementi ex eo, quod pluries delictum polygamiæ committat. Nam doctrina illa Locati *eo v. abjuratio n. 1. & v. ſuſpicio num.* 18. quod ex pluribus ſuſpicionibus de levi conſurgat ſuſpicio de vehementi, & ex duabus vehementibus ſuſpicio violenta, merito fuit judicata dura à Farinacio *de hæres. q.* 195. *n.* 24. Et quidem non eſt in jure fundata, & præcipue quantum ad ſuſpicionem violentam, ex qua reus puniri poteſt pœna ordinaria Quia hæc non poteſt locum habere, niſi in caſibus in jure expreſſis, cùm ſolius Principis ſit decernere quòd & quando ex præſumptione poſſit reus vel tradi brachio ſeculari, vel ex rigore pœna ordinaria puniri.

Etenim multiplicatio actuum, qui non ſunt neceſſario ex hæreſi, ſed poſſunt eſſe ex multiplici alia cauſa, ſi actus tales ſunt, quod ex uno non oritur, niſi levis ſuſpicio, idem dicendum eſt de aliis cæteris paribus, & ſic multiplicantur leves ſuſpiciones; ſed ex illis diſparatis, & quæ non habent inter ſe connexionem, & rationem partis non conſurgit una integra ſuſpicio, quæ ſit vehemens, ſed unum aggregatum per accidens ex pluribus ſuſpicionibus & multiplicatio individuorum unius ſpeciei non conſtituit ſpeciem aliam diſtinctam. Ideoque, licet aliquis ter, quater, & amplius ſit polygamus, abjurat tamen in Italia de vehementi, & ſicut gravius peccavit, ita gravius punitur pœna triremium ſeptennali vel decennali, vel etiam gravius pro qualitate criminis. Unde qui abjurat de vehementi ac deinde cohabitat cum ſecunda uxore, non obſtante præcepto de non cohabitando, repetit abjurationem, & damnatur ad triremes.

Porrò dicendi ſunt ac puniendi, ut polygami primò manifeſtus polygamus, qui ſciens alterum conjugem vivere, contrahit matrimonium per verba de præſenti cum alia. Quod eſt certum. Cum autem *in cap. Dominus de ſecund. nupt. & in cap. in præſentia de ſponſal.* ſtatutum ſit, ne Epiſcopi permittant matrimonio copulatos ad aliud matrimonium accedere celebrandum, donec certum nuncium recipiat de morte conjugum, ideo ſecundò ut polygamus punitur, qui ex prætenſa morte alterius conjugis non ſervata forma *d. cap. Dominus, & cap. in præſentia* contrahit cum altera Nam ſaltem ſe exponit periculo polygamiæ, & idcirco ab Inquiſitoribus eſt puniendus. Ejuſdem enim ſpeciei eſt peccatum illius, qui ſe exponit periculo delinquendi, & ejus, qui delinquit, Caren. *p.* 2. *tit* 5. *num.* 31. ubi refert ex decreto S. Congregationis, mulierem, quæ, non ſervata dicta forma, contraxerat Cremonæ, fuiſſe coactam ad abjurandum de vehementi, & damnatam fuiſſe ad inſerviendum hoſpitali per ſex menſes, & Parochus, qui matrimonio interfuit, licet mulierem, quæ tenellæ erat ætatis, crediſſet eſſe virginem, ſuſpenſus fuit ab officio per quinquennium, etſi ex benignitate ſupremi Tribunalis fuerit poſt ſex menſes reſtitutus.

In hoc autem caſu inquirendum eſt, an conjux, qui prætenditur mortuus, fuerit verè mortuus tempore ſecundi matrimonii, alioquin ſecundum matrimonium neque irritum, neque validum poterit declarari, & interim conjuges ſeparandi ſunt, cùm non liceat eis ſimul habitare *capus.* 1. 2. 3. *&* 4. *de ſponſ. duor.* Facta inquiſitione, ſi probetur, quod prior conjux vivat tempore, quo contractum eſt ſecundum matrimonium, hoc declarabitur nullum, & contrahens punitur, ut polygamus, ſicut verè eſt polygamus. Nec poterit allegare bonam fidem, cùm non bona, ſed mala fides ac dolus præſumatur in eo, qui facit, quod non debet. Neque ignorantiam; quia cùm hæc ignorantia juris, non admittitur in foro externo, niſi penſatis circumſtantiis perſonæ, loci, & facti juxta notata a Doctoribus in *cap.* ut animarum *q.* 7. de conſtit. At ſi, facta diſquiſitione, conſtiterit, primam illam conjugem mortuam fuiſſe tempore ſecundi matrimonii, adhuc punietur, qui ſecundum matrimonium contraxit, non ſervata dicta forma, licet mitius, quia verè non eſt polygamus. Si verò mors prioris conjugis fuiſſet notoria & certa, ex eo tamen quod contraxerit ſecundum matrimonium, non declarata morte illius in foro Ordinarii, ut ex *d. cap. Dominus*, & *cap. in præſentia fieri debet*, non punietur in S. Officio, ut mox dicetur in caſu ſimili.

Cùm igitur mors alterius conjugis debeat eſſe certa, & non ſufficiat probabilis *d. cap. in præſentia*, hæc certò prius probari debet. Nec ſufficit ad mortem probandam unus teſtis de viſu, niſi ſimul adſint teſtes, qui probent famam, & vocem publicam mortis, vel niſi ob loci magnam diſtantiam non poſſit haberi major probatio, ut per Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 26. ubi latè docet quomodo mors probari debeat, & per Carenam *p.* 2. *tit.* 5. *§.* 4. *n.* 25. qua de re nos alibi.

Unde presbyteri quidam inquiſiti in S. Officio Mantuano de celebratione matrimoniorum plurium polygamorum ſine legitimis probationibus, Sanctiſſimus declaravit, ut prævia interrogatione, an crederent, vel crediderint, licere presbytero curam animarum agenti tempore belli, aut peſtis, dum itinera ſunt clauſa, celebrare matrimonia, non factis diligentiis à S. Concilio Tridentino præſcriptis Si rectè reſponderint, damnentur ad carcerem triennalem cum ſuſpenſione perpetua à cura animarum, & exilio à locis delictorum. Quod verò ad matrimonia, ut ſuprà celebrata, mandavit verificari mors priorum maritorum, ac interim conjuges moneri, ne inſimul cohabitent. Ita ſub anno 1632.

Tertiò punitur in S. Officio, qui prætextu nullitatis primi matrimonii, illa nullitate non declarata per Ordinarium, contraxit ſecundum matrimonium, Sed ſi nullitas prioris matrimonii non ſit notoria, Inquiſitor debet cognoſcere de hac nullitate & in ejus foro eſt reus puniendus. Quod ſi, examinata cauſa, primum matrimonium repertum fuerit validum, punitur, ut polygamus, & ſecundum matrimonium declaratur nullum. Si verò primum matrimonium fuerit repertum nullum, adhuc ille punitur pro ejus temeritate, Farinac. *de hæreſ. q.* 178. *num.* 71. Malin. *in pr. p* 9. *aſſ* 41. & Caren. *d. tit.* 5. *num.* 31.

Et tamen in hoc caſu, ſi primum matrimonium fuerit declaratum nullum, excuſandum eſſe reum ab abjuratione, vult Traſmiera *de polyg. lib* 2. *q.* 7. *n.* 39. Quod non approbat Carena *d. n.* 31. ea ductus ra-

tione, quia videtur diſpoſitus ad contrahendum ſecundum, etiamſi illud primum ſit validum. Verùm id non poteſt rectè deduci. Quia ex quo contrahit ſecundum matrimonium ex eo, quod credit primum eſſe irritum, potius deducitur, quod non contraheret, ſi crederet validum. Aliam igitur rationem nos reddimus, quia ille temere contraxit ſecundum matrimonium, & ſe expoſuit periculo polygamiæ. In his enim non licet ſequi opinionem probabilem vel probabiliorem, ſed jus poſitivum, ac divinum, quæ exigunt, ut non contrahatur ſecundum matrimonium, niſi nullitas primi ſit certa, & ideo jura volunt, ut non contrahatur ſecundum, niſi declarata nullitate primi. Unde ſaltem ubi nullitas primi non ſit indubitata, vel notoria, temere agit, qui ſecundum contrahit. Si verò nullitas primi matrimonii ſit patens tunc ſi conjux convolet ad ſecundum, non præmiſſa declaratione primi, cognoſcere de hoc delicto non pertinet ad Inquiſitorem, ſed Ordinarium, & punitur reus juxta diſpoſitionem *cap. Cum in Apoſtolica de ſponſal.* Farinac. *loc. cit. d. n.* 71. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. §. 8. *n.* 1. & Carena *eo n.* 31.

At quid ſi nullitas primi matrimonii ſit certa, ſed non patens, quia fuit irritum ex defectu conſenſus? In hoc caſu dicenti ſe non conſenſiſſe in primum matrimonium, non eſt credendum. Nam ejus aſſertio eſt contra ejuſdem aſſertionem, qui in facie Eccleſiæ ſuum conſenſum præbuit, ab ea pro vero acceptum, & approbatum, ideoque in foro externo ei non creditur, niſi id probet, ut diſerte Sanchez *lib.* 2. *diſp.* 33. *num.* 3. *& diſp.* 45. *q.* 1. ubi tradit indicia & conjecturas, ex quibus defectus conſenſus poſſit probari. Ex hoc igitur defectu non licet conjugi tranſire ad ſecundum matrimonium, niſi in judicio Eccleſiæ prius nullitas fuerit declarata, ut firmat idem Sanchez *d. q.* 1. *num.* 13. Quare, ſi non probet defectum conſenſus in primum matrimonium, & contrahat ſecundum, habebitur pro polygamo, & abjurabit, punieturque juxta delicti qualitatem.

Si quis verò contraxerit matrimonium nullum, niſi nullitas ſit patens, ac indubitata, contrahens ſubjicietur foro S. Officii, ut ex Traſmiera *lib.* 1. *q.* 9. & Carena *d. n.* 31. Qui tamen hoc limitant, niſi ſecundum matrimonium ſit nullum ex defectu conſenſus. At neque hæc limitatio locum habet. Quia ſi defectus conſenſus eſt patens, id comprobatur in omni impedimento dirimente, ſi latet, jam nullitas non eſt patens, ſpectatque ad S. Officium cognoſcere de hac nullitate. Si verò contrahens ſecundum matrimonium proteſtetur, quod per quæcunque verba non intendit vere conſentire, & matrimonium contrahere, ad Inquiſitorem etiam ſpectabit de hac proteſtatione cognoſcere, ejuſque valorem examinare, ut per Caren. *eod. num.* 31. Quanti autem valeat hæc proteſtatio fuſe oſtendit Sanch. *d. diſp.* 45. *q.* 2.

Quarto inter polygamos recenſetur, & in S. Officio punitur attentans polygamiam, qui ſcilicet proxime attentat contrahere ſecundum matrimonium, primo exiſtente valido. Unde qui contrahit ſponſalia cum ſecunda eſt de hæreſi ſuſpectus, & in S. Officio punitur. Eſt contra Riccium ſuperius adductum. Nam in foro externo ex ſponſalibus, quæ ſunt præparatoria ad matrimonium, ſatis conſtat de voluntate contrahendi ſecundum matrimonium, cum ex præparatoriis ad præparatum deducatur efficax argumentum, Menoch. *conſ.* 788. *num.* 13. ſicque ex voluntate contrahendi ſecundum matrimonium aliqua ſuſpicio hæreſis oritur.

Et quamvis leges diſponentes de matrimonio regulariter non procedant in ſponſalibus de futuro, id tamen non obſtat. Quia lex divina prohibens ſecundum matrimonium, ſimul prohibet voluntatem illud attentantem, ſufficitque in propoſito, quod attentatum aliquam hæreſis ſuſpicionem inducat. Quare licet hoc attentatum non ſubjiciatur omnibus legibus diſponentibus de matrimonio, ac proinde hoc delictum non ſit puniendum pœna ordinaria per leges ſtatutas in contrahentes ſecundum matrimonium per verba de præſenti, puniendum tamen eſt per Judices, ad quos pertinet punire matrimonium contrahentes, ut per Carenam *p.* 2. *tit* 5. §. 4. *num.* 33. *&* §. 7. *a nu.* 35. Eſtque hic attendenda regula illa, quod quando attentatum eſt delictum punibile, tunc Judex competens delicti conſumati eſt etiam Judex competens attentati. Quod in hoc caſu maxime comprobatur, ſi ſponſalia contracta ſint coram Parocho & ſint factæ publicationes. Quinimmo in illis partibus, in quibus S. Concilium Tridentinum non obligat, & ſponſalia de futuro, ſequuta copula, tranſeunt in matrimonium de præſenti, qui ſic ſponſalia contraxit, & copulam habuit, puniendus eſt, ut polygamus, Caren. *loc. cit. num.* 46. ubi ex Cantera *quaſt. crim. p.* 4. *nu.* 59. tradit, quod in Civitate Murciæ quidam Marinus fuit punitus pœna contrahentium binas nuptias, & quod ita fuit judicatum in ſupremo Tribunali Hiſpaniarum.

Quoniam vero in hoc caſu non datur exterior abuſus Sacramenti, quia non contrahitur ſecundum matrimonium, ſed tantum datur præparatio ad illud, idcircò id attentans abjurat de levi, Caren. *p.* 2. *tit.* 5. §. 4. *n.* 60. *Salell. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 285. & declaravit S. Congregatio his verbis: *Qui attentavit ducere ſecundam uxorem, abjurat de levi, & manet pra foribus Eccleſia* 29. *Novembris* 1628. quidam tamen fuerunt damnati ad triremes, ut 1634. 1637 ac ſæpe aliàs Ac licet Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 35. hos attentantes liberat ab omni ſuſpicione, dicens eos puniendos eſſe à ſuis Ordinariis, id tamen procul vero eſt. Nam puniuntur à S. Officio, ut eſt probatum, & habentur quodammodo ſuſpecti de hæreſi. Illud autem verum eſt, quod ipſe Souſa ſubjungit *num.* 7. quod ſcilicet contrahens ſponſalia cum duabus mulieribus, non eſt de fide ſuſpectus, quia ex hoc non attentat duplex matrimonium, cùm ipſe nullius ſit maritus, & ſi alteram duxerit in uxorem, ſponſalia cum altera inita, erunt irrita, nec tenetur, vivente illa, quam duxit, aliam ducere ideoque hic caſus non pertinet ad S. Officium. Maritus autem, qui viva ſua uxore, nec cum alia contraxit matrimonium, neque ſponſalia, ſed tantummodo tractavit de alia ducenda, omiſſa omni abjuratione, debet mitè pœnis arbitrariis puniri ab Inquiſitoribus. quod approbat Carena *ibid. num.* 35.

Quinto ratione polygamiæ, puniuntur in S. Officio qui ei cooperantur, nempe qui ſcienter ducit in uxorem eam, quæ habet virum, vel è contra. Iſti enim maxime pro ſua parte, abutuntur Sacramento matrimonii, & ſunt ſocii criminis hæreticalis. Neque excuſantur, ut vult Cantera *p.* 4. *cap.* 4. *n.* 29. quod præſumantur id facere calore libidinis. Nam interim cooperantur, ac ſunt conſocii in crimine polygamiæ & non evitant omnem hæreſis ſuſpicionem, niſi ignorantia illos excuſet, Souſa *lib.* 1. *aph. c.* 35. *n.* 9. & Caren. *p.* 2. *tr.* 5. §. 4. *n.* 47.

Item mandantes & conſulentes, ac procurator, qui nomine ſui principalis contrahit ſecundum matrimonium. Omnes enim iſti cooperantur polygamiæ, & à S. Officio puniuntur, tanquàm de hæreſi ſuſpecti. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* Carena *loc. cit. num.* 51. Salell. *lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 206. *&* 208. *& lib.* 5. *c.* 5. *num.* 262.

Teſtes in judicio Ordinarii examinati, & falsò deponentes de morte alicujus conjugis, ac de alterius libertate, ut ſecundum matrimonium contrahere

poſſit.

poſſit. Quamvis enim iſti falſum deponant in alio foro, ſcilicet in foro Ordinarii loci, tamen indicium univerſale criminis polygamiæ, quod ſpectat ad S. Officium, abſorbet judicium particulare horum teſtium juxta *l. per minorem cauſam ff. de judic.* Proceditque regula certa, quod ubi cooperatio eſt delictum punibile, cognitio illius pertinet ad Judicem, ad quem pertinet cognoſcere de principali delicto. Teſtes autem deponentes falſo de libertate conjugis cooperantur polygamiæ, cùm ſint cauſa, quod ligato vinculo matrimonii detur ab Ordinario licentia contrahendi ſecundum matrimonium contra leges. Meritò igitur teſtes iſti à S. Officio puniuntur, ut conſtat ex praxi, & teſtantur Carena *p. 2. tit. 5. num.* 97. ac Salell. *lib 6. cap* 8. *num.* 208.

Si autem hi teſtes negent, ſe depoſuiſſe id, quod in proceſſu formato pro illorum examine continetur, & per Notarium fuit ſcriptum ſi depoſuerunt coram Judice ad id deputato, ut fieri debet ex inſtructione S. Officii ſuper probatione ſtatus liberi, & decretorum S Congregationis, vel ſaltem ſubſcripſerunt etiam per ſolum ſignum Crucis depoſitioni, ſtandum eſt ſcripturæ Notarii, etiam ad effectum puniendi eos criminaliter, ut per Doctores, quos refert, ac ſequitur Catena *d. tit.* 5. *num.* 68 Si verò eorum depoſitio fuit ſubſcripta ſolum à Notario, cùm ſit incertum, quis ſit reus falſitatis, nec teſtes, neque Notarius poteſt condemnari, ut Doctores, quos adducit Farinac. *de hæreſ. q.* 158. *num.* 104. & alii, quos ſequitur Catena *ibid. num.* 64. *ubi monet.* 71. ait, quod ne quidem datur locus torturæ ex dicto Notarii contra teſtes, neque ex dicto unius teſtis contra Notarium, niſi teſtes ſint plures quàm duo, vel Notarius ſit malæ famæ, & teſtes ſint alicujus exiſtimationis. Quod ſi Notarius ſit bonæ famæ, etiamſi duo teſtes ſint bonæ famæ, ſi non concurrant alia indicia coadjuvantia, non eſt deveniendum ad torturam. Eadem docet Salel. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 213. Ideoque in S Officio, in quo regulariter non ſolet comprehendi reus, niſi contra illum adſint indicia ad torturam, non datur in hoc caſu locus carcerationi, niſi in caſibus, in quibus dantur indicia ad torturam. Ex atteſtationibus tamen duorum ſimilium teſtium poſſe Notarium vocari, ac ſubjici examini, & quatenus etiam non ſe gravet; poſſe tam ipſum, quàm teſtes ſub aliqua fidejuſſione retineri, ut ſe præſentent toties quoties, voluit idem Carena *eo loco num.* 73.

Ut autem crimen polygamiæ conſtet, tria ſunt probanda. Duo matrimonia, & quod prior conjux viveret tempore, quo fuit contractum ſecundum matrimonium. Matrimonia facile probantur ex fidibus Parochorum deſumptis e libris matrimoniorum, quæ in hac materia plenè probant, matrimonia fuiſſe contracta, ut per Nicol. à Janua *de ſcript. privat. lib.* 5. *tit. de libr.* Plebanor Ricc. *in prax. Epiſc. tit. de matrim.* & Caren. *d. p.* 2 *tit.* 5. *numer.* 52. Probantur etiam per teſtes, qui eſſe debent omni exceptione majores, cùm tractetur de validitate, vel nullitate matrimonii. Idque maxime verum eſt, cùm non habeatur fides Parochi, & reus eſt negativus. Quod ſi ſecundum matrimonium fuit ſolum attentatum per ſponſalia, utrumque horum probandum eſt, ſcilicet exiſtentia primi matrimonij, & ſponſalia pro ſecundo, & hæc probantur per teſtes, ac per inſtrumenta dotalia, quæ ſponſalia quodam modo probant, aut per fidem Parochi deponentis de ſponſalibus, vel de publicationibus matrimonialibus à ſe factis. Parocho enim in his, quæ ſpectant ad officium ſuum, debetur plena fides, Nicol. a Janua *loc. cit.*

Quod autem viveret alter conjux tempore, quo contractum fuit ſecundum matrimonium, vel contracta fuerunt ſecunda ſponſalia, probandum etiam eſt. Ideo enim ſecundum matrimonium eſt illicitum, ac inducit polygamiam, quia conjux contrahens ſecundum matrimonium, non eſt ſolutus vinculo primi matrimonii: ad probandum autem vitam alterius conjugis non ſufficit præſumptio, quod quilibet præſumitur vivere centum annis. Quibus modis vita probari poſſit, latiſſime tradit Farinac. *in fragm. crim. à nu.* 308.

Comprobanda etiam eſt identitas perſonæ, quod nimirum eadem ſit perſona, quæ contraxit utrumque matrimonium Ea probatur, vel per rei confeſſionem, vel per teſtes modo tradito à Scacc. *lib.* 1. *de judic. cap.* 82. *num.* 19.

Polygami autem ita expediendi ſunt ſecundum Albertinum de *agnoſcend. aſſert. q.* 36. *num.* 18. Cùm quis factum hæreticale commiſerit, ſi neget intentionem malam non eſt torquendus ſuper intentione, ſed deveniendum eſt ad condemnationem, ac punitionem. At hoc adverſatur juri & praxi. Diſtinguendum igitur eſt inter factum hæreticum, & hæreticale. Factum hæreticale immediatè indicat malam voluntatem, quæ quidem non neceſſariò ex hæreſi, ſed ex multiplici alia mala concupiſcentia poteſt oriri Et idcirco ex facto hæreticali, etiam pleniſſime probato, non deducitur neceſſariò hæreſis, ideoque ſi reus neget intentionem hæreticam, torquendus eſt ſuper intentione, ſi ſuſpicio hæreſis ſit vehemens. Ubi verò dictum, vel factum eſt formaliter hæreticum, quia nimirum tanquam ſignum ad placitum, ex uſu, aut inſtitutione ſignificat internum proferentis, vel agentis conceptum, qui eſt hæreticus, tunc etiam datur locus torturæ, ſi dictum, vel factum ſit ſignum ambiguum, vel ſi reus alleget ignorantiam, vel dicat ſe finxiſſe, ac mentitum fuiſſe, & adducat ſui dicti aliquam cauſam, ut quia ex metu operatus ſit extrinſecus contra ſuam internam intentionem. Sed quando dictum, vel factum eſt formaliter hæreticum, eſtque manifeſtum ac certum, ſumuſque in materia, quam reus ſcire potuit, ac expreſſe credere debuit, nec excuſatio ignorantiæ admitti debet, non poteſt reus negare hæreticam intentionem, niſi dicendo, quod mentitus eſt, & finxit. Quod non eſt credendum in materia tam gravi, niſi adducat cauſam fictionis, & mendacii. Et iden tunc ille non eſt torquendus, ſed puniendus. Sufficit tamen, ut non puniatur ſine tortura, ſi qualiſcunque cauſa ſuæ fictionis ab eo allegetur Polygamia autem non eſt factum hæreticum, ſed hæreticale, quod plerunque oritur ex libidine, aut avaritia. Et ideo, ſi polygamus neget intentionem hæreticam, torquendus eſt ſuper intentione. In modo autem torturæ ſervari debet conſuetudo locorum, ita tamen, ut non debeat excedere ſemihoræ curriculum, expediturque cum abjuratione de vehementi publica, vel privata, damnatur ad triremes, ad reficienda damna ſecundæ uxoris, ut ſæpius decretum eſt, præcipue ſub die 7. Martii 1601. Fuitque monitus quidam Inquiſitor, qui quendam polygamum abjurare fecit de levi 4. Septembris 1614.

Quod ſi reus vel ſine tortura, vel cum tortura fateatur intentionem hæreticam & pœniteat, abjurat de formali. Si verò neget, & polygamia ſit conſummata, ex praxi ſacræ ac ſupremæ Inquiſitionis Romanæ abjurat de vehementi. Quamvis enim Pegna *p.* 2. *com.* 81. ſenſerit ex qualitate polygami aliquando oriri ſolum levem ſuſpicionem, & aliquando nullam, attamen Carena *p.* 1. *tit.* 5. *num.* 59. quem ſequitur Salell. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 148. exiſtimat vix dari poſſe caſum, in quo vehemens ſuſpicio minuatur, & ruſtici etiam de vehementi abjurant. Quia cùm polyga-

mia

mia ſit prohibita jure naturæ, vix poteſt dari probabilis ignorantia malitiæ illius, & in omnibus reperiatur abuſus Sacramenti, ex quo oritur ſuſpicio vehemens. Verùm ſuſpicio in hac parte non minuitur ſolum ex ignorantia prohibitionis legis, ſed ex cauſa polygamiæ, aliena ab hæreſi, & ideo poteſt conſtare, quod polygamia non fuerit, niſi ex libidine, vel ex avaritia, ut ſaltem minuatur ſuſpicio, etſi non tollatur.

Hanc tamen aſſertionem limitant aliqui, ut non procedat, quando conjux habet ſufficientem probationem mortis alterius conjugis, vel nullitatis prioris matrimonii, & contrahat ſecundum, etiam ſi prima conjux vivat, aut primum matrimonium ſit validum, quia non contrahit ſcienter ſecundum, & probabiliter putat, ſe poſſe valide ac ſine fidei offenſione contrahere, ut per Souſam *lib.* 1. *aph. c.* 35. *num.* 10. & Farinac. *de hæreſ. q.* 140. §. 2 *n.* 42. *ubi num.* 11 ait, quod arbitrarium eſt Judici judicare, quæ ſit ſufficiens probatio ad excuſandum contrahentem ſecundum matrimonium. Cenſentq; Covar. *lib.* 4. *decretal. p* 2 *cap.* 7. §. 3. *n.* 3. & 4. Sanchez *lib.* 2. *de matr. diſp.* 46. *num.* 5. & Farinac. *loc. cit.* quod requiritur ad hanc excuſationem certa, plena & tanta probatio, quanta requiritur ad hoc, ut Eccleſia det facultatem contrahendi. At nos hanc limitationem rejicimus cum Carena *eo tit.* 5. *n.* 19. ubi refert & quod ex mandato S. Congregationis fuit coacta abjurare de vehementi mulier, quæ cum ſecundo viro contraxerat, non ſervata forma *d. cap. Dominus de ſecund. nupt.* de quo *alibi*.

Attentantes polygamiam, diximus, abjurare de levi. Idem dicimus de mandantibus, & conſulentibus, quod ſcilicet abjurant de levi, ut per Salell *lib.* 5. *cap* 5. *nu.* 271. exiſtimat tamen Carena *loc. cit.* quod conſulentes polygamiam eiſdem pœnis, & eadem abjuratione puniantur ac polygami. Verum regulariter, niſi aliud lex expreſſerit, ſub lege, ac pœnis latis contra aliquod delictum non comprehenduntur mandantes, & conſulentes, & iſti mitius puniuntur. Nec iſti committunt polygamiam, ſed illius ſunt cauſa moralis, neque eſt in ipſis tam urgens cauſa ſuſpicionis, longeque facilius poteſt contingere quod ex aliquo commodo temporali moveantur ad mandandum, & conſulendum.

De procuratore major eſt difficultas. Quia iſte, licet nomine alieno, ſecundum matrimonium contrahit & abutitur Sacramento. Ideo videtur dicendum, quod abjurare debeat de vehementi.

Teſtes verò falſi, qui falſum depoſuerunt ſuper libertate conjugis, quod non abjurent, ne de levi quidem ex praxi, ſibi nota, teſtatur Salelles *d. lib.* 5. *cap.* 5. *nu.* 278. qui de hoc miratur, cur omittatur hæc abjuratio, fateturque ſe id non capere, cùm de fautoria in dictis falſis teſtibus innoteſcat, cupitque ſe doceri, ſeque, ac omnia ſua ſubjicit judicio S Congregationis. Augetur & admiratio, quia teſtes in cauſa polygamiæ, falſum deponentes, puniuntur in S. Officio, etiamſi ſint teſtes ſponte comparentes. At ego id nec affirmo, nec refello. Tantum adverto. Hac in re ſervandam eſſe praxim cujuſque Tribunalis, & ſuo pondere pendendas circumſtantias criminis ac perſonarum, & ad illarum proportionem compelli debent ad abjurationem vel de vehementi, vel de levi.

Quod vero ad attentantes polygamiam, vel illam mandantes, aut conſulentes, vel ei cooperantes hoc inſuper animadvertendum eſt, quod ſi pœniteant ante contractam polygamiam, ut ſi quis contraxerit ſponſalia cum ſecunda in foro exteriori, ex religione recedit à ſponſalibus ac proteſtatione facta, illamque irritam velit eſſe, ac ita ſe declaret; vel mandans revocet mandatum, vel conſulens retrahat conſilium, & oppoſitum ſuadeat, tollitur hæreſis ſuſpicio, nec debent cogi ad abjurandum. Quia per hujuſmodi pœnitentiam purgatur omnem hæreſis ſuſpicionem, ut per Salell. *d. lib* 5 *cap* 5. *num.* 286. Optimus enim eſt portus pœnitenti mutatio conſilii. Adverto tamen cum Hatmiera, quod ſi per ipſum non ſteterit, ſed ex aliquo impedimento contigerit, quin ſponſalia, inita cum ſecunda, executioni demandentur, remanet contra illum ſuſpicio de levi, quia non reſcidit ſponſalia, ſed perſiſtit in voluntate quod ad ſe attinet illa perficiendi, ut *ſuprà* notavimus.

Pœna autem, qua puniuntur polygami hæc eſt. Si polygamia eſt conſummata, ejus ordinaria pœna eſt pœna triremium in quinquennium, quæ tamen augetur, ſi polygamia ſit multiplex, in ſeptennium, in decennium, in perpetuum. Quinetiam pro enormitate delicti polygamus traditur Curiæ ſeculari, ſi viſum fuerit Eminentiſſimis Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus ex decreto Urbani VIII quod incipit, *cum itaque*, editum 20. Junii 1637. Lege Simanch. *de cath. inſtit. tit* 4. *nu* 6. & in Enchir. *tit* 12 *num.* 6 Param. *de orig. Inquiſ lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 11. *nu.* 71. Farinac. *de hæreſ. q.* 1-8. *nu.* 73. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16 §. 8 *nu.* 2. Souſ. *lib* 1. *aphor cap. nu.* 10 Caren *par* 2. *tit.* 5. §. 4. *n.* 67. Salell. *lib* 6. *cap.* 8. *num* 19. & alios. Pœna etiam augetur, ſi adhibiti fuerunt falſi teſtes. Tunc enim polygamus damnatur ad triremes in ſeptennium & amplius arbitrio Inquiſitorum.

Si verò polygamus ſit inhabilis ad triremes, ſitque ignobilis ac vilis, arbitratu Eminentiſſimi Senatus multatur verberibus cum infami mitra, & carcere, vel exilio; ſicut ad carceres damnantur nobiles, ſi viſum fuerit, eos non eſſe ad triremes vel ad exilium damnandos, vel puniuntur pœna pecuniaria, aut aliquorum bonorum publicatione. Pro qualitate vero criminis damnantur ad carceres in longum tempus, etiam in perpetuum, ſi qualitas delicti hoc requirat, ut habetur ex citato decreto Urbani VIII. Qua de re vide Gutrier. *pract. quæſt lib.* 2. *quæſt.* 6. Ferdinand. de Ottero *q* 9. *nu.* 3. & 4. & Tranſmier. *de polyg. lib.* 3 *q.* 8. & *ſeq.* ac alios ſuprà citatos.

Mitiori verò pœna punitur, qui poſt adhibitam diligentiam, certus moraliter de ſua libertate contraxit ſecundum matrimonium, *ut per Dian p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 4. Salell. *d. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 195. Ac longe mitiori, qui ex eo ſolum gravatur, quod vere mortuâ prima conjuge, contraxerit ſecundum matrimonium, non ſervata forma *d. cap. Dominus de ſecund. nupt.* Sive non declarata prius ejus libertate, & non obtenta licentia ab Ordinario.

Attentantes etiam polygamiam, illa non ſequuta, puniuntur mitius, & damnantur ad carcerem per aliquod tempus, vel ad exilium, aut in aliquem locum relegantur, vel ſi plebei ſint, afficiuntur aliqua pœna publica, ut manendi pro valvis Eccleſiæ, vel aliis pœnis Inquiſitorum arbitrio. Siquis verò pluries in polygamiam attentatam relapſus fuerit, damnatur etiam ad triremes, Carena *d. tit.* 1. *num.* 64. & Salell. *d. cap.* 8. *n.* 198.

Qui autem cooperantur polygamiæ, ut ſi vir ducat eam, quæ eſt alteri nupta, puniri etiam debent. De hac Carena *loc. cit. num.* 65. generaliter ait, quod, quæ dicta fuerunt à ſe antea, locum habent quod ad abjurationem, ac pœnas in viro ſcienter ducente uxorem alterius, & in muliere ducente alterius virum. At non eſt credendum hos in rigore eſſe puniendos, ut polygamos, quia non ſunt tales in rigore. Sunt tamen puniendi graviter ad arbitrium, quia cooperantur polygamiæ.

De mandantibus, & Conſulentibus ajunt nonnulli eos puniendos eſſe eiſdem pœnis, quibus polygami

lygami. Nam regula communis eſt quod conſulens aliquod delictum, punitur, eadem pœna, qua delinquens, ut videre eſt apud Farinac. *in prax. p. 5. q. 129. à nu. 23.* Immo aliquando majori, ut notat Albertin. *de agnoſc. q 30. nu. 6.* exemplo medici qui dedit filio poculum venenatum, quo patrem per inſidias necaret. Igitur conſulens alieni polygamiam, multoque magis mandans non ſunt minori pœna puniendi, Diana *d. p. 4. tr. 7. reſol. 4.* ubi ex Moura refert, eadem pœna qua filiam polygamam, fuiſſe punitam matrem, quæ filiæ dedit conſilium de polygamia. Quod ſequuntur Carena *p. 2. tit. 5. num. 51.* & Sallel. *lib. 6. cap. 81. num. 106.* ubi ex Tranſiniera *lib. 3. q. 5. num 1.* probat, quod non eſt improbabile, conſulentem majori pœna eſſe puniendum. Tum quia in conſulente eſt major præſumptio erroris, cum conſilium ſpectet ad intellectum, in quo reſidet error. Tum quia circumſtantia luxuriæ, aut lucrandi dotem, quæ minuunt ſuſpicionem erroris, non ſunt in conſulente, ſicuti ſunt in contrahente ſecundum matrimonium.

At hæ Salellis rationes non magni apud me ſunt momenti. Non prima, quia ſuſpicio erroris non oritur ex potentia intellectiva, ſed ex objecto, & in re propoſita eſt ex abuſu Sacramenti, & ex eo, quod apud hæreticos ac infideles viget hic error, quod non prohibeatur ducere ſimul plures uxores. Circa hoc autem objectum pejus ſe habet intellectus polygami, qui judicat polygamiam eſſe eligendam, ac illam efficaciter imperat, & exequutioni mandat, quàm intellectus conſulentis, qui illam ſolum conſulit, non efficaciter imperat

Neque ſecunda. Nam eſto in conſulente non ſit motivum luxuriæ, aut lucrandi dotem, propè innumera tamen alia ſunt motiva, ut amicitiæ, conſequendi aliquod commodum ex ſecundo matrimonio, immo & odium polygami, ut ex polygamia ille puniatur, & alia bene multa, ex quibus, ſalva fide, poteſt moveri ad polygamiam ſuadendam.

Regula verò illa, quod conſulentes, ac delinquentes eadem pœna puniantur, plurimas patitur exceptiones, tuncque vera eſt, quando lex perſonalis prohibens delictum expreſſe comprehendit etiam mandantes, conſulentes, & cooperantes. Ubi autem non exprimuntur ad eſt regula contraria, quod pœnæ latæ contra delinquentem non extenduntur ad mandantes, & conſulentes. Unde, licet puniendi ſint, non tamen pœna ordinaria puniendi ſunt. Et ita probabimus cum communi ſententia, quod mandantes & conſulentes ſolicitationem ad venerea in ſacra confeſſione non ſubduntur pœnis Conſtitutionis Gregorianæ Quia non eodem modo delinquit, qui ſolum moraliter influit in delictum, ac ille, qui phyſice, ac reapſe illud committit. Sicque in caſu, quo arbitrio Judicum iſti damnandi ſint ad triremes, pro minori tempore damnandi ſunt.

Teſtes quod attinet, qui falsò teſtimonium dixerunt ſuper libertate alicujus, ut de morte ejus uxoris, ut ille poſſit aliam ducere, ſequuta polygamia, eos puniri pœna delinquentis, dixerunt Carena *d. tit. 5. num. 67* quem & in hoc etiam, ut ferè ſemper, ſequitur Salell. *d. lib. 6. c. 8. num. 211.* qui hoc etiam oſtendit ad inducentes ad teſtificandum. At verò praxim eſſe in S. Officio, ut teſtes falſi damnentur ad triremes, vel ſi ſint inhabiles, ad alias pœnas, tradit Farinac. *de hæreſ q. 188. num. 39.*

Tum præterea polygami hanc pœnam incurrunt, ut, ſi mortua prima uxore, vel primo marito, velint cum ſecunda matrimonium contrahere, non poſſint ſine diſpenſatione Apoſtolica, quæ tamen paſſim conceditur.

Cæterum, vivente prima conjuge, qui contraxit cum ſecunda, cogitur cohabitare cum prima. Quod ſi renuat, & continuet cohabitare cum ſecunda, punitur ab Inquiſitore. Teſtatur tamen Carena *p. 1. tit. 5. num 66.* quod quindecim annis, quibus in S. Officiis fuerat verſatus, nunquam viderit procedi contra hujuſmodi mulieres, uti de hæreſi ſuſpectas, ad abjurationem, ſed ſolum contra contemptrices præcepti ad alias pœnas. Verum hac de re extat decretum S. Congregationis in hæc verba: *Qui abjuravit de vehementi ob polygamiam, & deinde cohabitat cum ſecunda uxore, non obſtante præcepto de non cohabitando, repetit abjurationem, & damnatur ad triremes per decennium die. 1635.* Et petenti licentiam converſandi cum ſecunda prætenſa uxore ob periculum vitæ, fuit denegata anno 1631.

Polygamus autem ſponte comparens, mitius eſt puniendus Quod etiam tradit Caſtropal. *d. p. tr. 4. diſp. 8. pun 16. §. 8. n. 2.* ſubdens, quod Compoſtellæ hujuſmodi polygamus non fuit detentus, pendente cauſa, in carceribus ſecretis, ſed in aliqua domo particulari: Idque approbat Carena *d tit. 5. num. 66.*

Similitudinarii verò polygami ſunt Clerici in ſacris conſtituti, ac Religioſi profeſſi, matrimonium contrahentes. Hi ſunt ipſo facto excommunicati per Clem. *un. de conſang. & affin.* & hanc excommunicationem incurrunt etiam Religioſi ſocietatis Jeſu qui tria vota propria ſcholarum, vel coadjutorum emiſere Sanch *l. 7. de matr. diſp. 48. num. 17.* cùm ſint verè Religioſi. Eam tamen non incurrunt contrahentes clandeſtine, cùm hujuſmodi matrimonium poſt S. Concilium Tridentinum in facie Eccleſiæ non ſubſiſtat, ſitque manifeſte irritum. Neque eam incurrunt mandantes, & conſulentes, cùm d. Clementina de ſolis contrahentibus loquatur, ut tradunt etiam Sanchez *loc. cit. diſp. 25 & 48.* Caren *p. 2. tit. 17. n. 10* & Salell. *lib. 6 c. 8.* Non tamen ſufficit ad hanc pœnam matrimonium fictè contractum, Sanch. *diſp. 21. n. 9. ejuſdem l 7*

Notandum primò, quod iſta excommunicatio non eſt abſolute reſervata, ſed ante ſeparationem non poſſunt abſolvi, quia adeſt occaſio proxima, & quia, durante tali conjunctione, durat dicta cenſura, ſed poſt ſeparationem, ſi fuerant excommunicati denunciati, ſolus Epiſcopus poterit eos abſolvere. Si non fuerant denunciati, poterunt etiam abſolvi à proprio confeſſario per Gloſ. *in d. Clem. v obtinere.* Unde Farinac. *q. 178. n. 97.* qui dicit, abſolutionem Epiſcopo reſervari, & Sanchez *d. diſp. 48. n. 1.* Suarez *diſp 23. de cenſ. ſect. 5. à n. 11.* ac Tolet. *lib. 1. c. 39.* qui aiunt, eam excommunicationem nulli reſervari, ſunt intelligendi cum prædicta diſtinctione.

Notandum ſecundò, quod ad incurrendam hanc cenſuram, ſufficit matrimonium contractum, etſi non conſumatum, Suarez *ib. n. 20.* Sanchez *eo loco n. 6.* licet quoad alias pœnas externi fori requiratur matrimonium conſumatum.

Notandum tertiò, quod dicta conſtitutio procedit in omni perſona religioſa, etiam militari, dummodo ſit vere ac proprie religioſa, ſcilicet per tria vota eſſentialia, quales ſunt milites S. Joannis Hieroſolymitani, quorum profeſſio non ſolum irritat ſubſequens matrimonium, ſed etiam matrimonium ratum non conſumatum antecedens, ut Sanch. *de matr. lib. 2. diſp. 18. n. 8.* Non autem continentur Religioſi S. Stephani, vel S. Mauritii, aliive, qui uti poſſunt matrimonio. Quia iſti non ſunt ſimpliciter, nec propriè Religioſi, Rota *dec. 218. p. 1. poſth.* Farinac.

Ex hac Clementina habes etiam matrimonium à Religioſo, vel à Religioſa propriè dictis contractum, vel à Clerico in ſacris, eſſe nullius momenti, ratione

voti

voti ſolennis ordinis, vel voti eſſentialis Religionis, ut *c. un. de vot. in 6.* & Concilium Trid. *ſeſſ.* 24. c. 9. Matrimonia autẽ contracta ab aliis, qui vota habent ſimplicia caſtitatis, & non ſunt verè ac propriè Religioſi, valida ſunt, quamvis contrahentes graviter peccent. Ita *d. cap. un. de vot.*

Ex quibus ſequitur, Religioſos militares, alioſve, qui non abſolutè tria vota emittunt, ſed limitata, nimirum caſtitatis ita, ut uxorem non accipiant ſine conſenſu magni Magiſtri, vel ut cum una tantum, & virgine, matrimonium non poſſunt licitè contrahere contra votum, ſed tamen validè contrahunt, ut per Dian. *p. 3. tr. 2. reſol.* 30. *Suar. de relig. tom. 4 lib. 1. cap. 4. num.* 28. *& ſeq.*

Suſpenſionem etiam incurrere Clericos in ſacris matrimonium contrahendo alii ajunt, alii magis probabiliter negant, Suarez *de cenſur. diſp. 49. ſect. 5. n. 4.* Sanchez *d. diſp.* 85. *num. 2. cum ſeq.*

Irregularitatem autem contrahere Clericum, qui in ſacris uxorem ducit, eſt communis ſententia, Sanchez *d. diſp* 85. *n.* 10. Suar. *loc cit. diſp 49. ſect. 4. n. 6 ex can. quotquot 27. q* 1. Et aliqui dicunt, eſſe irregularem ex defectu ob bigamiam ſimilitudinariam, alii ex delicto ob ſacrilegium, ſed prima eſt communior, ut Sanch *d. diſp.* 85. & Garz *p. 2. de benef. c. 6. n. 15.* Sylveſt. *u. bigamia n.* 3 Angel. *eod. u. n* 7. Roſel. *nu.* 3 Amil. *nu* 7. *D. Anton. 3. p tit. 28. c.* 3. Navar. *in ſum. c. 17. n.* 195. Salell. *lib. 6. c. 5. n.* 220. Quicquid ſit de hac re poteſt Epiſcopus ſuper tali irregularitate diſpenſare poſt pœnitentiam, ac vitæ emendationem triennalem Laym. *de irreg. lib. 1. cap. 6. num.* 6. Suar. *d. diſp. 49. ſect. 6. num.* 7. Moniales quoque contrahentes matrimonium efficiuntur bigamæ, ut non poſſint obtinere gradus, ad quos admittuntur ſolæ virgines moniales, ut per Farinac. *d. q.* 138. *num.* 96.

Privationem item beneficiorum Eccleſiaſticorum ipſo facto incurrere Clericos, ſi matrimonium contrahant in ſacris Ordinibus conſtitui, multi ajunt, alii magis communiter negant, ut Sanch. *de matr. diſp.* 43 *nu.* 4. Filiuc. *tr. eo. nu.* 154. Garz. *p. 15. cap. 8. num.* 17. ſi autem ſit Clericus in minoribus, tunc omnes dicunt, eum ipſo facto beneficia amittere per matrimonii contractum Garz. *d. c.* 8 *num.* 1 ſimiliter & penſiones, Barboſ. *in cap. 1. num. 6. de Cler. non reſid.* Et tenetur ante omnem ſententiam dimittere, Sanch. *d. lib. 7. diſp. 42. nu.* 10. Quod limitatur, ut non procedat hæc privatio in Clerico in minoribus contrahente ſponſalia per verba de futuro, Buratt. *deciſ.* 143. *numer.* 5. vocans communem ſententiam.

Quod verò ad alias pœnas iſti polygami puniuntur ſicut polygami propriè dicti, ſive delictum ſit conſumatum, ſive ſit attentatum. Et quoniam ipſi ſunt verè ſuſpecti de hæreſi, idcirco poteſt contra eos procedere Inquiſitor, Simanch. *de cath. inſtit. tit. 40. n.* 9. Pegna *p. 2. Com.* 74. Decian. *lib. 5. cap. 22. nu* 40 Menoch. *de arb. Caſ* 546. *num.* 49 Azor. *p. 1 lib. 8. cap.* 21 *q.* 20. *&* 11. quod verum eſt, etiamſi clam contraxerint, ut fuſe probat Farinac *de hæreſ q.* 183. *nu.* 73. ideo abjurant ſecundum conſuetudinem Tribunalium, & ex praxi Univerſalis Inquiſitoris Romanæ abjurant de vehementi, ut per Caren. *p. 2. tit. 17. nu.* 10. & hoc idem dicendum eſt de Græco, ſi poſt ſuſceptos ſacros ordines uxorem ducat, vel tentet ducere, Traſmiera *l. 3. q. 12. num.* 14. & Salell. *d. cap* 8. *nu* 223. quod ſi hoc fecerint cum errore in intellectu, exiſtimantes id licitum contra definitionem S. Concilii Trid *ſeſſ.* 24 *c.* 9. tunc crimen hæreſis formalis, ejuſque pœnas incurrunt Farinac. *ibidem num.* 95. abjurantque de formali.

Idque extenditur ad maritum, qui viva uxore ipſa, vel ea conſentiente, vel non conſentiente, Sacros Ordines ſuſceperit, niſi in caſu, in quo ejus uxor monaſterium ſponte ingrediatur, ibique profeſſionem vel quando uxor commiſerit adulterium Iſte enim, probatione ſervata, punitur in S. Officio quemadmodum punitur Religioſus profeſſus, vel Clericus in ſacris Conſtitutus, Simanch. *de titulo 40 num* 14. Farinac. *de hæreſ. q.* 186 *num.* 74. Caren. *d. tit. 17. n.* 12. Salell. *d. cap.* 8. *num.* 224. Traſm. *d. lib. 2. q.* 13. Græcis tamen catholicis permittitur, ut habentes unicam uxorem ac virginem, poſſint ad Sacros Ordines promoveri abſque aliqua pœna.

Cum autem Græci, mortua uxore cum alia contrahere non poſſint, dubitat Caren. *d. tit.* 17. *nu* 14. an etiam, vidua relicta ſacerdotis Græci, poſſit alteri nubere abſque diſpenſatione Ipſe negativam partem magis probat. Ego diſtinguo: Si uxor conſenſerit, ut maritus Græcus promoveretur ad Sacros Ordines, eo defuncto, non poteſt nubere alteri ſine diſpenſatione, ſecus verò ſi non conſenſerit, D. Thom. *in ſupplem. q.* 53. *ar. 4. ad* 4. Azor. *inſti. m ral. lib. 13. c. 14. q.* 7. Verum hac in re ita S. Congregatio 7. Januarii 1611. decrevit Cum muliere Græca, mortuo ejus viro presbytero, diſpenſatur, ut cum alio contrahere poſſit, non obſtante Græcorum conſuetudine, quod relicta presbyteri alteri nubere non poſſit. Sed quid cum ſacerdote ritus latini contrahente matrimonium cum muliere ritus Græci? Præviis examine, ab uratione, ac reaſſumptione habitus clericalis, reconciliatur. Hactenus de Polygamia, quæ præ aliis criminibus frequentiſſime verſatur in S. Tribunali Inquiſitionis.

Nunc age ſis agamus de Abjuratione confeſſario, ad venerea ſollicitanti indicenda. Certum eſt ex ſummorum Pontificum conſtitutionibus, nominatim Pauli IV. ſub die 16. Aprilis 1561. ac Pii IV. ſub die 6. Aprilis 1564. ex decretis Clementis VIII ſub die 3. decembris 1598. quæ videntur habere locum ſolummodo in Hiſpaniis, & Pauli V. ſub die 16. Septembris 1608. & ex generali conſtitutione Gregorii XV. ſub die 30. Auguſti 1622. confeſſarios ſollicitantes ad inhoneſta in ſacra confeſſione eſſe de hæreſi ſuſpectos. Doctores tamen id non explicant Sollicitantes itaque ad turpia ſunt de hæreſi ſuſpecti, quia ſpeciali fini ſacramenti pœnitentiæ opponuntur. Cùm enim ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum ex ſua primaria & formali natura ad remittendum peccata, contra hujus Sacramenti ſpecialem finem operatur, qui eo abutitur ad committendum enormiſſimum ſcelus impudicitiæ, ideoque ſuſpicionem præbet, quod malè ſentiat de Sacramento pœnitentiæ; ut deſumitur ex verbis illis conſtitutionis Gregorianæ: *Sacerdotes ad Sacras confeſſiones audiendas deputati ſacroſancto pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia abutuntur, & pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigunt.*

Et quia ſollicitans cauſam præbet hæreticis blaſphemandi Eccleſiæ Sacramenta ſpeciatim Sacramentum pœnitentiæ, quod nimirum ſit aptè inventum pro impudicis Sacerdotibus ad ſuas atque alienas ſuis lenociniis explendas libidines, ut proinde Calvinus *lib. 3. inſtit. c. 4* § 29 effutiat confeſſionem auricularem ex dæmonis officina eſſe depromptam, & Lutherus monſtrum illud cucullatum contra Latomum, nego, inquit, *in totum confeſſionem eſſe exigendam:* Sic etiam Philippus Melanchton *in exam. ordin.* Zvinglius *contra confeſſionem Lutheri* confeſſionem Sacramentalem veluti rem peſtilentem, & Eccleſiæ multis nominibus noxiam impudentiſſimè damnant.

Qualis autem ſuſpicio de hæreſi oriatur ex ſollicitatione, non conveniunt Doctores. Eſſe hujuſmodi ſollicitantes ſolum ſuſpectos de levi aſſerunt Seſſe *to.*

4. *dec.* 449. *num.* 3. *ac dec.* 454. *num.* 6. Paramus *de orig. S. Inquiſitionis lib.* 3. *q.* 10. *num.* 15. Souſa *de conf. ſollic. tr.* 1. *cap.* 5. *num.* 6. Acugna *eod. tract. qu.* 2. *num.* 20. Cathopal. *tom.* 3. *tr.* 4. *diſp.* 9. *pun.* 6. *num.* 1. ac omnes fere Doctores Hiſpani. Atque hinc eſt, quod in Hiſpana Inquiſitione hujusmodi rei non totquentur, ut notant Souſa *loc. cit. tr.* 2. *cap.* 13. *Concluſ.* 3. *num.* 11. *& in aphor. lib.* 1. *cap.* 34. *numero* 64. *& ſeq.* Cathopal. *ibid pun.* 11. *num.* 4. *&* Acugna *q.* 13. *num.* 14. Ideoque, tanquam leviter de hæreſi ſuſpecti abjuſant tantum de levi, ut iidem Doctores teſtantur, quibus adde Dianam *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 7. ac ita obſervari in Regnis Hiſpaniarum teſtis etiam eſt Caren. *p.* 2. *tit.* 6. *§.* 15. *num.* 74. Quoniam apud illam nationem ſagaciſſimam, pariter ac ſalaciſſimam, cenſetur, confeſſarium potius ex libidine, quàm ex voluntare abutendi Sacramento pœnitentiæ ad venerea ſollicitaſſe.

Nos autem hanc rem ità perſpicuè definimus. Sollicitatio tripliciter à Confeſſario fieri poteſt. In confeſſione, vel prætextu confeſſionis. Paulò ante, vel paulò poſt confeſſionem. In confeſſionario extra actum confeſſionis. Si primo modo Confeſſarius ſollicitavit, aiunt ſupra citati Autores, eſſe illum de hæreſi leviter ſuſpectum.

At eſſe de hæreſi vehementer ſuſpectum, firmiſſime aſſeveramus cum Pegna *p.* 2. *Com.* 81. Bariola *in floſcul. de Confeſ. Sollic.* Genuenſi *in prax. Archiep. cap.* 66. *num.* 2. Modio *de Sacram. ordin. cap.* 27. *num.* 6. Caren. *loc. cit. num.* 75. Leone *in Theſaur. p.* 3. *cap.* 37. *nu.* 35. ac Firmachio *de Confeſ. abut. diſp.* 4. *ſect.* 4. *num.* 34. eſtque praxis univerſalis Inquiſitionis Romanæ, de qua teſtantur Bariola & Caren. Undè quidam Confeſſarius, qui ob ſollicitationis crimen abjuraverat de levi, fuit iterum in civitate Cremonenſi ex mandato ſupremi Tribunalis vocatus, & abjurare de vehementi coactus. Quinimmo ſi hujusmodi ſollicitans, docuerit pœnitentes, non eſſe peccarum hanc ſollicitationem, vel tactus impudicos, & confiteantur ſe hæreticam credulitatem habuiſſe, vel docuiſſe, abjurare debet de formali, tanquam hæreticus. Si autem in tortura hanc credulitatem negaverit, abjurare debet de vehementi, ut etiam notant Carena *p.* 2. *tit.* 6. *§.* 15. *n.* 76. *& §.* 17. *n.* 88. Param. *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 165.

Nam tota hæc ſuſpicio, & abjuratio fundatur in abuſu Sacramenti pœnitentiæ, ut patet ex conſtitutione Pauli IV. & Gregorii XV. Non enim ob tale crimen minor injuria fit huic Sacramento, quàm cæteris Sacramentis, Euchariſtiæ, Baptiſmi, Matrimonii, ob eorum abuſum. Sicut ergo qui abutitur aliis Sacramentis, abjurare debet de vehementi, ita etiam qui abutitur Sacramento pœnitentiæ.

Sollicitans verò paulò ante, vel paulò poſt auditam confeſſionem, quod non ſit compellendus ad abjurandum cenſet Souſa *tr.* 1. *de Confeſſ. ſollic. cap.* 18. *num.* 13. quia non videtur de hæreſi ſuſpectus. Nam dum potuit ſollicitare in actu Confeſſionis, in quo ſollicitandi occaſio erat opportunior, muliere peccata carnis manifeſtante, & in tam opportuna occaſione noluit, ſed ſollicitationem diſtulit, vel anticipavit, manifeſte oſtendit, noluiſſe injuriam Sacramento inferre, ejuſque perfectionem maculare.

Tenendum tamen eſt, hujusmodi ſollicitanti eſſe injungendam abjurationem de vehementi. Nam Confeſſarius qui paulò ante, vel paulò poſt Confeſſionem ſollicitat pœnitentem, dicitur ſollicitare in ipſa Confeſſione. Paria enim ſunt aliquid fieri in actu Confeſſionis, aut parum ante, vel poſt, ut habetur in Gloſ. *l. Pomponius §. raro ff. de offic. Proconſ.* ſtatuitque Gregorius XV. Confeſſarios ſollicitantes abuti Sacramento, ſive in actu confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediate. Verùm, quia ob dictam Souſæ rationem majorem injuriam infert Sacramento, magisque de hæreſi ſuſpectus eſt, qui in actu Confeſſionis ſollicitat, quàm qui ante, vel poſt immediatè, ideo juxta facti circumſtantias poterit aliquando injungi abjuratio de levi.

Confeſſario autem, qui in confeſſionario tantum, extra actum Confeſſionis, ad turpia ſollicitat, fingens confeſſionem audire, quam non audit, non eſſe injungendam abjurationem, ſuſtinent Caren. *d. §.* 15. *num.* 76. Souſa *in aphor. lib* 1. *cap.* 34. *num.* 68. & Salell. *lib.* 5. *num.* 318. Quia cum in hoc caſu ceſſet abuſus Sacramenti, ceſſare etiam debet hæreſis ſuſpicio, & conſequenter abjuratio. Unde Caren. *§* 16. impugnat Dianam, contrarium tuentem, illiusque rationibus reſpondere nititur, Docet tamen, Confeſſarium iſtum eſſe puniendum in Tribunali S. Inquiſitionis arbitrio Inquiſitorum.

Affirmativam tamen Sententiam tenendam eſſe, autumo cum Diana *p.* 4. *tr.* 5. *reſol.* 50. Fagundez *in* 2. *prac. Eccleſia lib* 4. *cap.* 3. *num.* 80. Eſcobar *de confeſ. ſollic. p.* 1. *qu.* 1. *n.* 16. Joſepho Januar. *de caſibus reſer. reſol.* 55. *num.* 9. qui docent, ſuſpectos eſſe de hæreſi, non ſolum Confeſſarios ſollicitantes in Confeſſione, vel ante, aut poſt immediate, ſed etiam ſollicitantes in confeſſario, & ibi loquentes turpia, nulla habita, neque ſimulata Confeſſione, & ideo abjurare debent, & hanc eſſe praxim Romanæ, ac univerſalis Inquiſitionis, ait Diana *loc. cit* ac ita etiam ſentiendum nonnemo exiſtimat ex praxi Inquiſitionis Hiſpanæ.

Nam licet Gregorius in ſua Conſtitutione non exprimat ſic ſollicitantes eſſe de hæreſi ſuſpectos, id tamen ſupponi ex conſtitutione Pauli IV. à ſe confirmata, & quia idem Gregorius enumerat hunc caſum cum aliis ſupradictis abſolute, ac ſine ulla diſtinctione, & poſtea ſubdit: ut Inquiſitores, & Ordinarii ſuper his inquirant & procedant, prout in cauſis fidei. Ergo ſummus Pontifex ſupponit ſollicitantes in confeſſionario eſſe etiam de fide ſuſpectos. Si enim non eſſent de hæreſi ſuſpecti, nulla poſſet aſſignari ratio, cur neceſſario eſſent denunciandi ad Tribunal S. Officii, ad quod duntaxat pertinet cognoſcere cauſas fidei, vel habentes connexionem cum fide.

Reſpondet Carena, quod Gregorius ſolum committit hoc crimen ſollicitationis abutendo confeſſionario Inquiſitoribus puniendum, non tamen ex hoc declarat tales abutentes loco ad Cõfeſſiones electo vel Confeſſiones ſimulantes audire, eſſe de hæreſi ſuſpectos, ad eum plane modum, quo in Regno Luſitaniæ ex conſtitutione Pii IV. & Gregorii XIII. Inquiſitores cognoſcunt crimen Sodomiæ, ut refert Souſa in *aphor. lib.* 5. *cap.* 59. *num.* 10. quod etiam ſervatur in Regno Aragoniæ, Valentiæ & Barcinonæ ex conſtitutione Clementis VII. ut teſtatur Caſtropal. tom. 5. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 12. *nu.* 11. & tamen in tali caſu crimen nefandum committentes nullo modo abjurant, ne de levi quidem, ut refert Moura *de incarnat. ſect.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. *&* . . . . . . *loc. cit.* Ergo eodem modo obſervandum eſt cum hujusmodi ſollicitantibus.

Sed Carenæ ita non gravatè reſcribo. Et ſi Inquiſitores in Regnis Hiſpaniarum contra ſodomitas procedant, crimen tamen Sodomiæ non mutat ſuam delicti ſecularis naturam, licet mutet forum.

Unde Inquiſitores puniunt tales reos juxta Leges ſeculares, & municipalia ſtatuta ex conceſſione Pii IV. apud Souſam *ibid. num.* 28. Quod ſi Gregorius XIII. dedit facultatem Inquiſitoribus procedendi in hoc crimine, *ſicuti in cauſis fidei*, hoc tantum intelligitur quoad modum procedendi, de quo extat declaratio Urbani VIII. ad Inquiſitorem Luſitaniæ ſub anno 1622. die S. Martii in Epiſtola Cardinalis Mellini, quam refert Souſa *ubi ſupra num.* 11. Quare in his cauſis ſolent tradi nomina teſtium, ſicuti in cauſis ſecularibus

laribus. Non eſt igitur par ratio de ſollicitatione facta prætextu confeſſionis, vel abutendo ſolum Confeſſionario. Quia hoc crimen committitur Inquiſitoribus quoad ſubſtantiam delicti, & quoad modum procedendi, ſicuti alia crimina ſollicitationis ex conſtitutione Pauli IV. ac proinde tales ſollicitantes, uti de hæreſi ſuſpecti, debent abjure ſicuti olim abjurabant,

Et quidem Carena, Souſa, & Salelles decepti ſunt ex falſo principio, ſcilicet quod abuſus confesſionarii, prout eſt abuſus puri loci, & non ſimulata Confeſſione non ſit caſus S. Officii, cujus oppoſitum probavimua antea, cum de crimine ſollicitationis ageremus. Ubi verò adeſt ſimulatio confeſſionis, jam ſimul adeſt abuſus Sacramenti atque adeo hæreſis ſuſpicio vehemens, ſicque talia ſollicitans abjurare debet de vehementi, ut docuit Diana *ea reſol.* 5. Idemque dicitur de ſollicitante extra Confeſſionarium immediate ante, vel poſt confeſſionem, ac in aliis caſibus contentis, & expreſſis in conſtitutione Gregorii, niſi ex circumſtantiis minuatur ſuſpicio, & ſufficiat abjuratio de levi,

Retinentem libros ſortilegos vel hæreſim continentes, eſſe hæreticum, ac pro hæretico habendum, docent Archid. *in cap. filiu ſub initio de haret. in 6. & in can. ſane 24. q. 2. in principio*, Anan. *in cap. ſiquis Epiſcopus num.* 5. in Gloſ. *fin. de harec.* aliique relati à Pegna *p. 2. direct. Com.* 3. *ad Cap. ſtacernitatis de haret.* & à Farinac. *de haréſ. q.* 180. *n.* 34.

Contraria tamen ſententia probabilior ac verior tenenda eſt, quod ſcilicet talis retinena ex eo ſolum non judicatur hæreticus, licet veriſſimè ſit de hæreſi ſuſpectus. Conſtat ex conſtitutione Pii IV. quæ incipit *cùm pro munere* apud Pegnam ubi expreſſe dicitur: *Eamque ob cauſam in eum, uti de hareſi ſuſpectum inquiri.* Et ita ſentiunt Pegna *loc. cit.* Decian. *tr. cr. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 26. Farinac. *d. q.* 180. *num.* 33. alios referens Param. *de orig. Inquiſ. lib.* 3. *q.* 9 *num.* 147. *ac ſeqq.* Azeved. *ad Reg. Hiſpan. Conſtit. lib. c. tit.* 7. *leg.* 27. *n.* 16. Sanctarel. *de hareſ. cap.* 41. *dub.* 3. *n.* 5. Duard. *ad Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 1. *q.* 51. *nu.* 21. *ac ſeqq.* Genuen. *in pr. cap.* 18. *num.* 12. *Carena tit.* 10. §. 3. *n.* 23. ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 6.

Quare licet regula generali in criminibus accuſandis probationes debeant eſſe luce meridiana clariores *l. fin. C. de prob.* in crimine tamen hæreſeos ſuſpicione leviori cum argumento proceditur *l.* 2. *C. de haret.* Hinc Marſil. *in pr. cr.* §. *diligenter num.* 92. ait, quod ia, apud quem libri hæreticorum repetiuntur, præſumitur hæreticus. Idipſum ait Felin. *ad cap. ſiquis Epiſcopus de haret.* Verumtameo cum hoc judicio, & præſumptione concurrere debere tradit alias graviſſimas conjecturas, eo quod permiſſum ſit interdum ad refutandas hæreſes, & malas doctrinas legere libros, improbatæ alioquin lectionis *in can. legimus d.* 38. & ego certe etiam in tanto crimine, quo inſici poſſet bona fama pii ac docti viri, exiſtimarem potius deſiderari firmiores, & apertiores probatiooes ad ſuſpicionem judiciorum hæreſeos, Vidi enim in praxi malicias ſæpe, & impoſturas hominum, dum prætextu levis ſuſpicionis quidam voluerunt ſe vindicare de inimicis. Sicque rectius Oſtenſis in *ſum. de haret.* §. *qualiter*, ait neminem ſuſpicione, vel præſumptione etiam probabili de hæreſi damnari debere. Siquis tamen fama vulgari ſuſpectus habeatur de hæreſi, poterit procedi ad Inquiſitionem, ut in aliis criminalibus juxta ſententiam Angeli *in tr. crim.* §. *fama publica n.* 1. *cum binis ſeqq.* eſtque textus expreſſus *cap.* 2. § *ſunt hujuſmodi de cenſib. in* 6.

Quod tamen limito, niſi quia apud ſe librum haberet, à ſe compoſitum, in quo ex profeſſo hæreſes continentur, & Catholicæ veritates ex inſtituto oppugnantur. In hoc enim caſu talis retinens, uti hæreticus eſt habendus, ac condemnandua, ut rectè cum aliis notat Pegna *loc. cit.* Farinac. *ibid. num.* 16. Repertor. Inquiſ. *v. libri* ac Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 17. Idipſum etiam ſentiendum eſt, ſi cum hac retentione aliquæ urgentiſſimæ conjecturæ exiſterent, ut per Farinac. *eo loco n.* 35. ac Duard. *ibid. n* 24.

Ex hujuſmodi autem retentione Librorum hæreticorum, vel ob hæreſim prohibitorum vehementem oriri hæreſis ſuſpicionem contra retinentem, ait *Zanchin. de haret. cap.* 7. *numero* 7. Repertor Inquiſ. *d. v. libri.* Locat. *eod. v.* ac Delrius *ea ſect.* 17. Opinatur vero Decian. *d. cap.* 46. *numero* 26, levem tantummodo ſuſpicionem oriri. Ego tamen cenſeo Inquiſitorum arbitrio id eſſe relinquendum, nam ſiquis inconſiderate fortuitò, negligenter retinuerit, vel legerit librum hæreticum, ſi parùm, ſi ſemel, ſi reprehenſus illicò obtemperaverit, ſi ſtatim ac novit librum eſſe damnatum Inquiſitoribus illum tradiderit, ſi protinùs abſolutionem poſtulaverit, is leviter tantum eſt ſuſpectus. Si verò libenter, ſtudioſèque penès ſe librum hæretici, vel pro hæreſi damnatum retinuerit, totumque legerit, aut ſæpius, ſi ſedulò exquirat, unde tales Libros habere poſſit, ſi ex longinquis regionibus ſibi deferri curet, tunc prævià torturâ ſuper credulitate propoſitionum hæreticarum, & ad ſciendum complices, à quibus Libros habuerit, & an hæreſim, vel ſortilegia docuerit, ſi in illa ſeipſum non gravet, ad abjurationem de vehementi cogendus eſt, Pegna *p.* 2. *Com.* 59. & Farin. *de hareſ, q.* 80. *n.* 8. *& 9.* Itaque abjurare debent aliquando de vehementi, quandoque de levi, interdum nullo modo.

Nam ſi ſint expertes doctrinæ, vel legere neſciant, omittenda eſt abjuratio, quia ceſſat penitus hæreſis ſuſpicio. Similiter ſi ſint bonæ famæ, ac vitæ, nec unquam alìàs de hæreſi ſuſpecti, aut diffamati fuerint. Aut ſi in dictis libris non adſint propoſitiones hæreticæ, nec directe, neque indirecte ad hæreſim pertinentes, ſed tantum temerariæ, & ſcandaloſæ, illos retinentes puniendi ſunt pœnis arbitrariis, non tamen ad abjurandum cogendi. Quia ubi non eſt materia hæreſis, vel ejus ſuſpicio, nec quidem eſt locus abjurationi, Burſat. *vol.* 4. *Conſ.* 344. *num.* 18.

Si verò inquiſiti ob retentionem dictorum librorum non ſint verſati in materiis illis, de quibus libri tractant, & interrogati ab Inquiſitore, veritatem ſtatim ac ſincerè fateantur, tàm quoad ſeipſos quàm quoad complices, tunc abjurare debent de levi, ſicuti de levi quoque abjurare debent quando negant illos legiſſe, vel affirmant ibi appoſitos fuiſſe à ſuis inimicis, ſi hoc probent. Nam præſumptio militat contra eos, libros illos legiſſe ex diuturna ipſorum retentione. Neque veriſimile eſt fuiſſe ab inimicis ibi appoſitos, niſi probetur.

Scriptores etiam hujuſmodi librorum ſunt de hæreſi ſuſpecti ad eum plane modum, quo retinentes, ut per Rimin. *jun. Conſ.* 414. *numero* 21. *ac ſeqq.* Pegna *in direct. p.* 2. *Com.* 17. ubi ait, quod ſi ſcienter eos libros tranſcribunt, uti fautores hæreticorum, puniuntur, Azor. *tom.* 1. *inſtit. mor. lib.* 8. *cap.* 17. *q.* 5. Farinac. *d. q.* 180. *n.* 18. & Carena *loc. cit.* §. 5. *num.* 28. Item approbantes hæreticorum Libroa è provinciis hæreticis ad Catholicas ſunt de hæreſi ſuſpecti, dummodo ſciant, ſe libros hæreticos deferre, ſecus vero ſi illos aſportarent in faſces incluſos, neſcientes, quid ibi contineatur. Tunc enim omnis hæreſis ſuſpicio ceſſaret, Azor. *d. q.* 5. Pegna *d. com.* 17. Farinac. loc. *cit. n*, 15. & Carena *ibid. n.* 29.

Nec non corrumpentes libroa Catholicos, ac inter Catholicas doctrinas dogmata hæretica commiſcen-

tes

tes eodem modo ſunt de hæreſi ſuſpecti, Pegna *ubi ſupra*, & Farinac. *num.* 14. Carena *num.* 30.

At ſimiliter impreſſores librorum hæreticorum, ſi noverint illos eſſe hæreticos, eandem ſuſpicionem incurrunt, de qua re, ac de pœnis in hujuſmodi impreſſores vide Conſtitutionem Leonis X. cujus initium, *Domine*, & Conſtitutionem Pii IV. incip. *Cum pro munere* apud Pegnam ac decretum S. Romanæ Inquiſitionis editum anno 1543. relatum ab eodem Pegna. Vide etiam Sanchez *lib. 2. decal. cap.* 10. *num.* 57. Farinac. *eod. loc. num.* 19. & Carenam *ibid. num.* 31. qui etiam advertit, quod in iſtis gradus ſuſpicionis obſervandus eſt, conſideratis circumſtantiis, & qualitatibus, ut ſuperiùs dictum eſt.

Quam verò juſtè in odium hæreticorum, ac impiarum doctrinarum exterminium, etiam retinente hos libros, anathemati ſubjiciantur, patet ex eo quod Pontificio jure *Can. ſane* 2.24. *q.* 2. 15. apud quem talis Liber reperitur, hæreticus eſt reputandus, Archidiaconus, & alii ſupra relati Graſſius *lib.* 4. *dec. aur. cap.* 18. *num.* 36. Gambarupta, qui id explicat de caſib. reſervatis. *ad cap.* 1. *Bull. Cœn. num.* 35. quod exinde conſtitutionibus Julii III. *cum meditatio*, & B. Pii V. *Dominici gregis* confirmatum eſt. Quamvis, ex mitiori ſententia Pegnæ. *Loc. relato* Royæ *ſing.* 124. Azorii *eo lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 10. Souſæ *relat. Bul. Cœn. diſput.* 16. *num.* 3. ac Bonacinæ *to.* 3. *diſp.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *num.* 17. probabile exiſtimem tunc tantum retinentem præſumi abſolutè hæreticum, quando ipſe conſcripſerit, ſecus, vero circumſtantias eſſe attendendas, ut ſuſpicio firmetur, ut poſt prædictos docet Farinac. *dicta queſt.* 180. *num.* 35. & Duard. *lib.* 2. *tom. in Bulla Cœn. ca.* 1. *q.* 61. *num.* 23. qui cum Farinac. *num.* 40. inquit, quod in foro externo non eſt ſuſpectus de hæreſi, neque ut hæreticus punitur, qui hujuſmodi libros à ſeipſo combuſſerit, licet non recte agat, cùm debeat illos Inquiſitoribus deferre, quod intellige quantùm ad combuſtionem à ſe ipſo factam, ſeu, ex eo, quod Inquiſitoribus eos non detulerit. Quia aliàs eſt ſuſpectus de hæreſi, apud quem hujuſmodi libros erat reperire, non verò, qui dum combuſſerit, licet per ſe ipſum, non habet. Si enim ſuſpicio ſit, ab ipſo librum fuiſſe compoſitum, aut notabili tempore retentum, ratione hujus ſuſpicionis præſumi poteſt in foro externo hæreticus, & hæreticorum pœnis obnoxius, ac proinde excommunicatus etiam in Bulla Cœnæ juxta decretum Julii tertii, & aliorum Pontificum.

Furantem Sacram Pyxidem cum particulis conſecratis eſſe vehementer de hæreſi ſuſpectum alibi fuſe probavimus. Nunc ſubjicio in hanc rem hanc Conſtitutionem: *Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad noſtri Apoſtolatus auditum deteſtanda quorundam iniquitatis filiorum pervenit audacia; qui omnis impietatis terminos ſupergreſſi, manus ſacrilegas ne a Sancto quidem Sanctorum, anguſtiſſimo ſcilicet Euchariſtiæ Sacramento, quod tranſiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus in memoriam cruenti illius Sacrificii, quo ſe ipſum pro generis humani redemptione in ara Crucis Deo Patri immolavit, ineffabili divini amoris ſui largitate Corpus ſuum in cibum, & Sanguinem in potum nobis tribuendo inſtituit continere tanti, tamque tremendi formidine miſterii compelluntur. Quocircà ad reprimendam horrendam ejuſmodi impietatem, quæ animum noſtrum ipſa ſui immanitate confudit in nomine ejuſdem Domini Jeſu Chriſti exurgentes motu proprio, non ad alicujus, ſuper hoc oblatæ petitionis, inſtantiam, ſed ex mera ſcientia, & deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Chriſtiana, adverſus hæreticam pravitatem generalium Inquiſitorum, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatorum Conſilio, hac noſtra perpetuo valitura conſtitutione autoritate Apoſtolica ſtatuimus, & decernimus, ut deinceps omnes, & ſinguli utriuſque ſexus, qui de furto hoſtiæ conſecratæ, ſive unius, vel plurium particularum conſecratarum cum ſacra pyxide, vel ſine illa per legitima indicia judicialiter juxta Sancti Officii Inquiſitionis contra hæreticam pravitatem, autoritate Apoſtolica inſtituti, regulas, & praxim confeſſi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius ordine, ſeu mandato hoſtiam, ſive unam, vel plures particulas conſecratas prædictas apud ſe retinuerit, vel aliò transferre, ſeu aſportare præſumpſerint condignis pœnis, & animadverſionibus pro facinoris atrocitate puniantur; & niſi conſtiterit non fuiſſe ad malum finem, etiam pro prima vice Curiæ ſeculari tradantur, non obſtante minori ætate, dummodo vigeſimum attingant annum, quibus pœnis etiam mandantes ſubjaceant. Porrò omnimodam cognitionem cauſarum furti hoſtiæ conſecratæ, ſive unius, vel plurium particularum conſecratarum hujuſmodi cum pyxide, vel ſine illa tanquam delicti hæreſim, vel vehementem hæreſis ſuſpicionem continentis ad Judices Eccleſiaſticos, & ad Sanctæ Inquiſitionis Officium prædictum privative ſpectare, eadem autoritate harum ſerie, & motu ſimili declaramus, decernentes præſentes noſtras litteras, & in eis contenta quæcunque &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1676. quarto Idus Martii, Pontificatus noſtri anno primo.* Sicque hujuſmodi ſurripientes abjurare debent vel de formali, vel de vehementi ſecundum facti gravitatem ac illorum intentionem.

An autem in ea comprehendantur Clerici, & Regulares? Affirmative reſpondeo juxta ea, quæ alibi dixi *tom.* 6. *Conſult.* 66. & quatenus non comprehendantur & clare, ac explicite ſint exprimendi, cenſeo id potius faciendum eſſe per Conſtitutionem, quam per Decretum Conſtitutio enim generalis alia Conſtitutione generali confirmari, ampliari ac declarari fere ſemper ſolet, decretum decreto. Sic decretum Pauli V. de conceptione Beatæ Mariæ Virginis ampliatum, ac declaratum fuit à Gregorio XV. decreto ſuo, in generali Congregatione Inquiſitionis edito, ſub anno 1622. die 24. Maij. Sic Conſtitutio Pauli IV. de confeſſar. ſollicit. fuit confirmata, ampliata, & declarata per alias Conſtitutiones Clementis VIII. & Gregorii XV. Sic etiam ampliationem Conſtitutionis ejuſdem Clementis VIII. Contra non promotos ad ſacrum presbyteratus ordinem, ſacramentales Confeſſiones audientes, vel Miſſam celebrantes, & Conſtitutionem Sixti V. contra exercentes artem Aſtrologiæ judiciariæ Urbanus VIII. ſuis Conſtitutionibus ampliavit declaravitque.

Perſpicuè quoque id conſtat ex conſtitutione Gregorii XV. innovantis ac extendentis Conſtitutionem Clementis VIII. contra hæreticos in locis Italiæ, ac Inſularum adjacentium quovis prætextu commorantes, in qua ſub initio ita legitur: *Romani Pontificis &c. munus exigit, ut pro incumbente Dominici Gregis cura & ſollicitudine prædeceſſorum ſuorum conſtitutiones, eas præſertim, quæ ad ſanctæ fidei Catholicæ conſervationem pertinent, quò ſuum perpetuum ſortiantur effectum, & inviolabiliter obſerventur, innovet, & extendat, prout, rerum, ac temporum qualitatibus, debitè compenſatis, conſpicit in Domino ſalubriter expedire*. Et ſane id obſervandum fuit à B. Pio V. in ſua Conſtitutione *ſi de protegendis* in cujus §. 2. poſt dictionem illam generalem, voluit pro majori claritate, & ad tollendum omnes difficultates in §. 5. nominatim exprimere, non ſolum Clericos, & Regulares, ſed etiam Epiſcopos.

Cæterum examinandum propono, an expediat comprehendere in adducta conſtitutione caſum furti

 ſacræ

ſacræ pyxidis, non cum ſurreptione, ſed cum projectione particularum conſecrararum? Hic caſus ſæpius contingit, & non pridem in civitare Neapolitana cum ingenti præjudicio juriſdictionia S. Officii, de quo dixi tom. 8. Conſult. 86. ubi retuli, Proreges ipſos Neapolitanos pluries poſtulaſſe à Sancta Sede, quod hic caſus cognoſcatur à S. Officio privativè quoad alios: quare affirmativè reſpondeo.

Qualis vero ſuſpicio oriatur contra pœnitentem, & Eccleſiæ reconciliatum, injuncta ſibi pœnitentia, ſi eam non adimpleat, variant Doctores, oriri ex hoc non levem fidei ſuſpicionem, ait Diana *p. 4. tr. 7. reſol.* 14. vehementem aſſerit Carena, ſive inobſervatio conſiſtat in omittendo, ſive in committendo. violentam, contendit Repertor Inquiſ. *v. Carcer.* At ego exiſtimo, quod hæc ſuſpicio ex circumſtantiis perſonæ, & qualitate contemptus erit judicanda levis, aut vehemena

Dubitatur, an Regularium Superiores, non denonciantes ſuoa ſubditos de hæreſi ſuſpectos, ſive impedientes quoquomodo, vel retardanres Religioſos, ſibi ſubditos, nè hujuſmodi de hæreſi ſuſpectos denuncient, ſint ſuſpecti de hæreſi?

In hac re certum eſt, quod omittena hæreticos denunciare, cùm teneatur, præter alias pœnas, ſuſpectus etiam eſt de hæreſi, fautorque idcirco hæreticorum dicitur, ut per Repertorium *v. fautores*, Decian. *lib. 5. cap.* 51. *num.* 25. Pegn. *in direct. p.* 2. *com.* 68. Duard. *ad Bull. Cœn. lib.* 2. *Can.* 1. *q.* 32. *num.* 29. Farinac. *de* hæreſ. *q.* 197. *§.* 2. *num.* 38. Sanctarel. *eod. argum. Cap.* 9. *num.* 19. qui alios refert, ac per Carenam *p.* 2. *tit.* 9. §. 8. *num.* 26. ubi notat cum Farinacio, id maxime locum habere in cruce ſignatis, ad qoos ex officio, atque ex proprio juramento hujuſmodi munus pertinet, de quo etiam nos aliàs.

Pat autem ratio militare videtur in hoc caſu: Nam Paulus V. in ſua Conſtitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex* edita anno 1606. præcipit Regularium Superioribus, ut quaſi ex officio debeant ſuos ſubditos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos revelare Inquiſiroribus, & hinc eſt, quod excommunicatio, in dicta Conſtitutione contenta, ſolum contra Superiores lata eſt, ut obſervat Bonacina *tom* 3. *de Cenſur. in parte diſp.* 2. *q.* 9. *pun.* 7. *n.* 6. Quod ſane nulli dubium eſt, procedere in omittente denunciare hæreticos formales. Sed difficultaa eſt de Superioribus non revelantibus ſuſpectos de hæreſi, vel de iis qui aliqua ratione impedire vel tetardare audent perſonas hujoſmodi denunciandas.

Carena *p.*2. *tit.*9. *§.*8. *n.*40. Loquens univerſim de omittentibus denunciare ſuſpectos de hæreſi, ait, quod táles non denunciantes non ſunt de hæreſi ſuſpecti, licet puniri poſſint, pœnis in edictis. Inquiſitorum ſtatutis. Movetur ex eo quod alioquin contra omnes regulas juris præſumptio oriretur ex præſumptione, & ſuſpicio ex ſuſpicione. Ex qua regula idem dici poſſet de Superioribus, omittentibus denuociare ſuos ſubditos de bæreſi ſuſpectos.

Tenendum nihilominus eſt cum Fliuccio *tom.* 1. *tr.* 15. *cap.* 8. *num.* 196. ubi ait, Superiores Regularium, qui Religioſos ſuos de hæreſi ſuſpectos non denunciaverint Inquiſitoribus, vel ordinariia locorum vicinioribus eſſe de hæreſi ſuſpectos. Quæ ſententia ex eo mihi comprobatur, quia prælibatua Paulus V. *in dicta Conſtitutione §.* 3. expreſſe loquitur de Regularibus non revelantibus ſuos ſubditos de hæreſi ſuſpectos, vel audientibus impedire, vel retardare hujuſmodi perſonas ſuſpectaa denunciandas. Quod ſi contra prædicta deliquerint, eoa omnes incurrere in pœnas, contra fautores hæreticorum, & impedienres Inquiſitionis Officium ſtatutas. Fautores autem hæreticorum, & impedientes S. Officium ſunt de hæreſi ſuſpecti Ergo & Regularium Superiores ſuos ſubditos non revelantes, non ſolum pœnis ſtatutis in edictis Inquiſitorum ſunt puniendi, ſed etiam erunt de hæreſi ſuſpecti, ut pote fautores hæreticorum & impedientes S. Officium, atque adeo debent abjurare vel de vehementi, ut ſupra dictum eſt, vel juxta gradum ſuſpicionia.

Ex quibus reſpondeo Carenæ, hanc hæreſis ſuſpicionem non oriri ex ſuſpicione, ſed ex fautoria, quæ re vera crimen eſt, unde ab Eccleſia punitur excommunicatione ſummo Pontifici reſervata, ut in dicta Conſtitutione Pauli V.

Id tamen adverto, quod, ut incurratur excommunicatio per actionem impediendi, requiritur audacia, ſive præſumptio: Nam in citata Conſtitutione dicitur; quomodo id impedire, vel retardare audeant, vel præſumant. Quare ex eadem ratione videtur requiri eadem audacia ad incurrendam hæreſis ſuſpicionem, ac pœnam fautoriæ. Evaditque ſuperior regularia excommunicationis pœnam, & hæreſia ſuſpicionem, ſi per ſe ipſum non denunciant Religioſum ſubditum, quem de hæreſi ſuſpectum eſſe audivit, ſed curat eum denunciari ab eo à quo audivit: Nam ſatisfacit fini, ac intentioni Legis, dummodo tamen denunciatio Superioris per ſe majorem notitiam & cognitionem non pariat, quàm per alium, à quo audivit.

Qui abjuravit de vehementi non poteſt amplius admitti ad Sacras Confeſſiones audiendas. Ita declaravit S. Congregatio S. Officii, & referunt locat. *in fine praxis Inquiſ* Genuenſ. *in prax. cap.* 45. *num.* 2. Ricc. *p.* 2. *dec.* 218. Dian. *tom.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 83. Alph. de Leon. *de offic. & poteſt. Confeſ. p.* 2. *recol.* 1. *n.* 211.

De iis vero qui de levi tantum abjurant, refert idem Genuenſis, fuiſſe dubitatum in Curia Archiepiſcopali, an quidem Sacerdos, qui abjuraverat hæreſim de levi, eſſet admittendua ad audiendas fidelium Confeſſiones, & relata re ad S. Congregationem generalis Inquiſitionia S. Officii, fuit reſcriptum die 6. Martij 1596. dictum Sacerdotem non eſſe impeditum exercere Ordines & Sacramenta miniſtrare, ac etiam fidelium ſæcularium Confeſſiones audire, quamvis abjuraſſet de levi. Quod etiam ait Diana *loc. cit.* Ego autem hanc adduco declarationem, *abjurantes de levi poſſunt permitti ad audiendum Confeſſiones, niſi aliud eis obſtiterit impedimentum, vel niſi in ſententia fuerint ſuſpenſi, vel fuerint propter delictum in Confeſſione commiſſum pœnitentiati?* ita in Literis datis Inquiſitori Januenſi die 12. Maij 1695.

Regulares autem de levi abjurantes non reddi inhabiles ad gradus, & dignitates Religionia, etiamſi abjuraſſent de vehementi, aiunt Acugna *in tr. de Confeſſ ſollic. q.* 24. *num.* 22. ibiqoe Freitas *in addit. num.* 70. Souſa *eod. tit. tr.* 2. *cap.* 16. *num.* 6. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 56. *§.* 1. *in Gloſ. lit. K.* & Garz. *tom.* 2. *de beneſ. p.* 11. *cap.* 10. *nu.* 87. aliique apud ipſos, aſſerentes, Confeſſarium, ſive convictum, ſive confeſſum de ſollicitatione ad venerea, non manere inhabilem ad gradus & dignitates Eccleſiaſticas, quia nullus eſt textus, neque Doctor, qui per abjurationem de levi inducat inhabilitatem ad dignitates & officia.

At Nunc extat in contrarium decretum Urbani VIII. editum die 1. Octobria 1616. quod referunt Pegrinis in Conſt. 9. Pauli V. §. 2. *num.* 29. & Catena *p.* 3. *tit.* 12. *§.* 4. *num.* 14. quodque & nos

nos integrum aliàs retulimus cum ſui declarationibus.

Suſpectum vehementer de hæreſi poſt abjurationem de vehementi, incurrere irregularitatem, aut ſaltem tanquam irregularem habendum eſſe, docet Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 8. Communis tamen Sententia eſt, nullam incurrere irregularitatem. Quia non damnatur, ut hæreticus, neque imponitur ei aliqua pœna ob hæreſim, ſed ob ea geſta, ex quibus hæreſis ſuſpicio orta eſt, à qua ſe purgat per abjurationem. In jure autem imponitur pœna irregularitatis hæreticis, non vero abjurantibus, ut ſuſpectis de hæreſi. Atque ita Farinac. *de hæreſ. q.* 192. *§* 5. *nu.* 80. Navar. *lib.* 5. *de hæret. Conſ.* 16. *num.* 1. Poſtel. *in addit. ad dub. regul. v. irregularitas numero* 20. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 25. *numero* 12. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 56. *numero* 1. Souza *in aph. lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 80. paſſimque alii. Ac poſſe Clericum poſt pœnitentiam, & abjurationem exercere ſuſceptos Ordines, tradunt Avila *de Cenſur. p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 2. *Sayr. eod. tr. Lib. item* 7. *cap.* 12. *numero* 16. *&* Diana *p.* 4. *tr.* 2. *reſol.* 48. *& tr.* 4. *reſol.* 38. & declaravit Sacra Congregatio his verbis = *abjuratio de levi, vel de vehementi non declarat aliquem hæreticum, neque impedit conſequi Dignitates.* 22. Auguſti 1613. *neque reddit abjurantem inhabilem ad beneficia, nec efficit eum irregularem* 3. Julii 1624.

Id autem notandum eſt, quod indicia, quæ ſufficiunt ad torturam, non ſemper ſufficiant ad abjurationem de vehementi. Aliquando enim poſſunt Inquiſitores torquere reum, non autem compellere ad abjurationem, ut per Pegnam *p.* 3. *Com.* 39. & Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 110. Nam abjuratio eſt pœna gravior torturâ ob periculum relapſus. Ideoque indicia ſufficientia ad torturam infligendam non ſemper ſufficiunt ad imponendam abjurationem. Notandum item, quod licet reus fuerit tortus, poteſt tamen ei abjuratio de levi tantum imponi. Quod etiam aiunt Diana *loc. cit.* & Cantera *in quæſt. crim. cap.* 1. *de hæret. numer.* 95. ac Genuenſ. *in pr. cap.* 18. *numero* 13. *& cap.* 68. *numer.* 12.

Sola verò infamia eſt quidem ſufficiens ad inquirendum, ac procedendum contra ſuſpectum de hæreſi, ut docent Zanchin. *de hæret. cap.* 11. *nu.* 3. Locat. *in pr. v. accuſatio §. ponamus*, ibique Mandoſ. *in addit. lit. O.* de quo alibi. Eſt etiam ſufficiens ad purgationem Canonicam indicendam, dummodo publica vox & fama clamet contra hujusmodi ſuſpectos, vel de ipſorum diffamatione apud bonos & graves viros coram Inquiſitore, vel Epiſcopo legitimè conſtiterit, ut cum Eymerico advertit Pegna *p.* 2. *com.* 82. *litt. A* qui etiam ſubdit *litt. C.* quod diffamatio, aut infamia de hæreſi perfecte probatur per duos teſtes probos & graves ex Concilio Tholoſano, *C.* 16. *§. illos autem.* Quod ſi duo teſtes fuerint viles, vel infames, vel malevoli, aut inimici, quamvis ſufficiant, ut ad inquirendum procedatur, non tamen ſufficiunt, ut ad inquirendum procedatur, non tamen ſufficiunt, ut diffamato pœna ordinaria imponatur, ſed mitiùs erit tractandus; nec ad purgationem erit cogendus, niſi plenior probatio accedat, vel alia indicia, & adminicula ſimul cum diffamatione concurrant. Nam duo teſtes minus idonei ſolum in cauſis, in quibus ad teſtificandum admittuntur, nunquam ſufficiunt ad hoc, ut ex eorum dictis reo pœna ordinaria imponatur. Igitur purgatio tantum diffamatis injungitur.

Si verò, præter infamiam, aliæ ſuſpicionum hæreſis adeſſent indicia, erit quoque abjuratio imponenda, ut docent Eymer. *p.* 3 *in tertio mod. term. fid. proc.* Pegna *ibique*, ac Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 82. Idque juxta gradum ſuſpicionum.

Si qui autem abjurare noluerit de formali, ſi ſit confeſſus vel convictus, aut in hæreſi manifeſte deprehenſus, dicitur pertinax hæreticus, habetur pro convicto, & Curiæ ſeculari tradendus eſt, ut in Conſtitutione Martini V. quæ incipit *Inter cunctas* edita anno 1418. *& ex cap. ad abolendam §. præſenti vero de hæret. in* 6. & tradunt Eymeric. *p.* 2. *direct. q.* 55. *n.* 15. ibique Pegna *Com.* 80. Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 1. *n.* 25. Param. *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 23. & Farinac. *de hæreſ. q.* 194. *n.* 24. & plures alii, quos ipſe citat.

Si verò non ſit confeſſus, neque convictus, neque in hæreſi deprehenſus, ſed de hæreſi vehementer ſuſpectus, tunc non ſtatim tradendus eſt Curiæ ſeculari, ſed prius excommunicandus eſt, & ſi in excommunicatione ob cauſam fidei lata, per annum perſtiterit tanquam hæreticus impœnitens erit condemnandus, & brachio ſeculari tradendus, *cap. excommunicamus §. qui vero de hæreſ. in* 6. Doctores modò citati, ac Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 12. Locat. *in Judic. v. ſuſpicio num.* 8. & Carena *p.* 3. *tit.* 12. *§.* 11. *n.* 47.

Si autem ſit leviter de hæreſi ſuſpectus, ac de levi abjurare recuſaverit, eſt etiam excommunicandus, & ſi per annum integrum in excommunicatione perſevereraverit, velut hæreticus eſt condemnandus, ut per Oſtienſ. *in d. cap. excommunicamus*, Eymericum *p.* 2. *q.* 55. *nu.* 9. *& alios.*

Fuit aliquorum ſententia, & præ aliis Campegii ad Zanchinum, ut refert Pegna *p.* 3. *com.* 97. poſſe ſolum Inquiſitorem, vel ſolum Epiſcopum abjurationem de hæreſi pœnitentibus, vel ſuſpectis indicere. Quia hæc abjurationis ſententia non videtur contra illos, ſed pro illis, cùm abſolvantur à cenſuris, concilientur Eccleſiæ, illique reſtituantur in gratiam.

At nihilominus, etſi ſummò jure hæc ſententia defendi poſſit, contraria tamen tutior eſt, ac uſu recepta. Nam abjurationis ſententia non poteſt proprie dici abſolutoria, immo magis participat de condemnatoriis. Quia hujuſmodi rei verè non abſolvuntur, neque liberantur omnino, ſed per abjurationem obligantur ad pœnas relapſis debitas, & ipſa abjuratio pœna quædam eſt, & condemnatio. Ad condemnandum enim uterque requiritur. Ideo non ſolum in ſententiis ferendis circa hæreticos, qui brachio ſeculari traduntur, verum etiam in abjurationibus quibuscunque ac purgationibus Canonicis etiam indicendis, omnino Epiſcopus & Inquiſitor ſimul intervenire debent. Quod inſinuaſſe videtur Innocentius IV. in reſcripto, cujus initium eſt: *Tunc potiſſime §. ſi vero aliqui*, relato à Pegna *inter litteras Apoſtolicas.* Et hanc ſententiam ſequuntur Pegna *loc. cit.* Comenſis *in Lucern. Inquiſ. v. abſolvere num.* 2. Simanch. *tit.* 1. *num.* 26. *& in addit. ad. Zanchin. cap.* 1. Zanardus *in direct. p.* 2. *cap.* 6. *q.* 15. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *nu.* 16. & omnino docet Farinac. *de hæreſ. q.* 186. *num.* 79. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 13. *num.* 17. Carena *p.* 1. *tit.* 4. *num.* 14. ac Delben. *dub.* 195. *num.* 1. *& ſeqq.* Cùm enim abjuratio non inducatur, neque indici poſſit, niſi dependenter à ſententia, quia non poteſt quis cogi ad abjurandum in judicio, niſi in judicio conſtet, quod ſit hæreticus, vel ſuſpectus de hæreſi, & ut talis ſit condemnandus, ideo nec Epiſcopus ſine Inquiſitore, nec Inquiſitor ſine Epiſcopo poteſt aliquem cogere ad abjurandum, juxta *Clem.* 1. *de hæret.*

An autem id verum etiam ſit in ſponte comparentibus

tibus, admittendis ad abjurationem, alibi etiam dictum eſt.

Si autem ſolus Epiſcopus, vel ſolus inquiſitor ad abjurationem reum admitteret, eam validam eſſe videtur. Quia licet ex ſupradictis cenſeatur prohibita talis abjuratio, eſt tamen de illis prohibitionibus, quæ ſi fiant facta tenent. Etenim nullus extat textus qui illam irritat. Præterea olim antequam deſtinati fuiſſent Inquiſitores, coram ſolo Epiſcopo abjuratio fiebat, & ab ipſo tantum injungebatur. A veteri autem jure non eſt recedendum, niſi correctum reperiatur, *§. fin. auth. de non alien. reb. Eccleſ.* & Gloſ. *in Clem. 1. verb. contra eos, de hæret.* Et quod non mutatur ſtare non prohibetur, *l. ſancimus C. de teſtam.* Ergo abjuratio facta ob decretum ſolius Epiſcopi, vel ſolius Inquiſitoris altero non contradicente, neque appellante, valida eſt, Pegna & Zanard. *loc. cit. Farinac. de hæreſ. q. 186. num. 79.* Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 40.* Qui etiam docent ſi abjurantem eſſe ſubjectum pœnæ relapſus.

At nos conſequenter ad modò, & alibi dicta cenſemus hujusmodi abjurationem irritam eſſe. Quia ex noſtra ſententia Epiſcopus ſolus, vel ſolus Inquiſitor non poteſt reum ad abjurationem admittere. In caſibus autem prohibitis, ſi alter ſine altero procedat, acta ſunt ipſo jure irrita per *d. Clem. 1. §. propter de hæret.* ubi *Gloſ. in ipſo jure*, Imol. *nu. 13.* Vitalin. *n. 57. & 60.* Zabarel. *n. 1. in 5. notab.* locat. *v. tortura.*

Suſpecto vehementer de una tantum hæreſi, eſt injungenda abjuratio, non ſolum de illa, in quam deliquit, ſed de omnibus aliis generaliter *per cap. Accuſatus de hæret. in 6. cap. inter ſollicitudines de purg. can.* & *cap. litteras de præſumpt.* & tradunt *Eymeric. p. 2. q. 55. n. 12. & p. 3. n. 184.* ibique Pegna, aliique communiter.

Illis verò, qui leviter tantum de hæreſi ſuſpecti reperti ſunt, non eſſe imponendam generalem de omni alia hæreſi abjurationem, ait Eymer. *numer.* 184. ſed ſufficere, quod ſingulariter hæreſim, de qua habitus eſt ſuſpectus, abjuret ac ita, ut ſi prolabatur in aliam ſpeciem hæreſis, pœna relapſis debita non punietur ratione abjurationis. Et ita quoque docent Pegna ibi *com. 43.* Gloſſ. *in d. cap.* Accuſatus *§. eum verò*, Calderin. *de hæret. p. 2. cap. 20. n. 1.* Locat. *in Inquiſit. formul. tit. formul. abjurationis leviter ſuſpecti.*

Ad Diana *p. 4. tr. 8. reſol. 64.* cum aliis, quos allegat, conſtanter propugnat, poſſe Inquiſitores compellere, ut abjurantes de levi abjurent generaliter omnem hæreſim, & ita ſervari in Tribunali S. Romanæ Inquiſitionis, ac in Hiſpaniarum Regnis. Quare id ego arbitrio Inquiſitorum relinquo.

Hæreſis autem ſuſpecto non poteſt ſimul injungi abjuratio, & purgatio canonica. Tum quia juſtum non eſt pro eodem crimine reum duabus pœnis puniri. Non enim conſurget duplex tribulatio, neque vindicabit Dominus bis in idipſum, Nau. *cap. 5.* & habetur *in can. ſcelerator, & can. ſunt plures de pœnit. d. 3. & can. presbyter d.* 81. Et tum quia per canonicam purgationem tollitur hæreſis ſuſpicio, atque adeo non eſt amplius imponenda abjuratio. Et ita etiam docent Pegna *p. 2. com.* 14. Panorm. *in d. cap. inter ſollicitudines n. 3.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 56. n. 18. ac ſeq.*

Et licet Campegius ad Zanchin. *cap.* 11. exiſtimet poſſe ſimul imponi purgationem & abjurationem, quia purgatio imponitur ratione infamiæ, & abjuratio ratione ſuſpicionis, hæc tamen ſententia improbatur ob dictas rationes à Pegna *loc. cit.* Et quidem purgatio canonica eſt oſtenſio innocentiæ de crimine objecto, & conſequenter tollit omnem criminis illius ſuſpicionem, ut notabt Sylveſt. *v. purgatio*, Aſtens. *p. 2. lib. 6. tit. 17. numer. 2.* Sayr. *de cenſur. lib. 7. cap. 11. num. 1.* ſimiliter ei, qui ſuſpicionem hæreſis per torturam ſufficienter purgavit, non eſt alia purgatio imponenda, ut notat Farinac. *de hæreſ. q. 194. n. 58.*

Porrò purgatio canonica, cùm ſit criminis oppoſiti liberatio, ac innocentiæ oſtenſio, indicenda eſt quando quis infamia publica laborat, & de hæreſi eſt vehementer ſuſpectus, aut grave ſcandalum in cauſa fidei dedit, & non poteſt de illo crimine convinci, ut colligitur *ex cap. ad abolendam §. qui vero de hæret. in 6. & in d. cap. inter ſollicitudines*, ac docent quamplures, quos ſequitur Pegna *p. 2 com.* 14. Alma enim mater Eccleſia reſpiciens quàm grave ac periculoſum ſit, hac hæreſis infamia laborare, varios modos excogitavit ad illam excludendam, inter quos eſt canonica purgatio, quæ in *S.* Inquiſitionis Tribunali ſæpius ſervatur, quamvis in aliis Tribunalibus ob alia crimina illius uſus fere extinctus ſit.

Igitur, comparet perſonaliter purgandus cum ſuis compurgatoribus, eidem in certo numero generaliter conceſſis, qui eum, ejuſque vitam ac mores noverint, & ſtabunt coram Epiſcopo & Inquiſitore in loco tamen ubi purgandus ipſe noſcitur de illa hæreſi infamatus, & ponetur liber Evangeliorum coram eis, ipſeque diffamatus ponet manus ſuper eum, ſic dicens: Ego juro ſuper iſta quatuor Evangelia Sacroſancta, quod talem hæreſim (exprimendo eam) de qua ſum diffamatus, nunquam tenui, neque credidi, neque docui, neque teneo, neque credo, negabitque cum juramento illud, de quo eſt diffamatus, quidquid illud ſit. Quo facto omnes compurgatores ponent manum ſuper librum Evangeliorum, & quilibet dicet. Ego juro ſuper iſta quatuor Dei Evangelia, quod credo, ipſum verum juraſſe, & tunc canonice eſt purgatus. Ita Eymeric. *p. 3. direct. n.* 182.

Notat in hunc locum Pegna *com.* 38. *in purgatione injungenda*, Epiſcopum & Inquiſitorem ſimul convenire debere, non ſolum in pronuncianda ſententia, ſed etiam in toto purgationis actu exercendo. Et hoc videtur tutius. Inſuper ipſis compurgatoribus diſtincte, & clare legendus eſt ſummarie proceſſus, ac indicia, & delicta ſunt illis exprimenda, eoque purgandus ipſe comprehenſus eſt, & compulſus canonicam ſubire purgationem: Nam ſi hæc non intelligent, non poterunt jure ac debite ipſum purgare.

Item notandum, quod ſiquis publicè de hæreſi diffamatus eſt, publicè quoque purgare ſe debet. Tum ut eis publice ſatisfaciat ſe purgando, quos publice per odorem infamiæ offendit, & tum etiam in ſui favorem, ut per publicam purgationem ipſi honor, & fama reſtituatur. Quod ſi publice non fuerit diffamatus, tunc privatè canonicam purgationem adhibebit.

Ad inducendam verò hanc purgationem requiritur, ut diffamatio non ſit levis, ſed vehemens, ac publica ex *dict. capit. inter ſollicitudines de purga. canon.* Dicitur autem infamia gravis, ac vehemens, quando quis apud bonos viros pluries notatur infamia, vel à bonorum virorum conſortio repellitur, vel ſuſpiciones, & indicia, quæ infamiam hæreſis augent, accedunt, vel poſt aliquod commiſſum delictum, ſtatim adverſus aliquem oritur infamia, & hujusmodi alia. Dicitur etiam publica, quando non ſolum apud multos & graves viros, ſed etiam apud majorem partem virorum parochiæ, aut viciniæ, aut ſaltem illorum, ad quos ſpectat de ea re ſcire, non

ignoratur,

ignoratur, & originem traxit ex juſta cauſa, & à viris fide dignis.

Diffamatio autem ut ſit ſufficiens ad inducendam purgationem, probanda eſt per teſtes idoneos ex Concilio Tholoſano apud Pegnam *par. 2. com.* 82. Sed ſi teſtes inhabiles eſſent plures quàm duo, & deponerent veriſimilia, etiam ſufficerent ad purgationem indicendam, ut notat idem Pegna *p. 3. com.* 19. & Farinac. *de hæres. q.* 187. *num.* 64.

Si verò purgandus non invenit compurgatores, volentes de eo bonam fidem facere, tunc habendus eſt pro convicto, Eymeric. *p. 3. nu.* 147. Sed ſi compurgatores non invenit, quia pauper, vel extraneus eſt, tunc illi ſubveniendum eſt arbitrio Judicis, conſiderata qualitate perſonæ, criminis, & infamiæ, ut tradit Locar. *in Judic. v. purgatio num.* 8. atque Decianus *lib. 5. cap.* 48. *num.* 26. quod ſi purgandus eſt advena, & peregrinus, qui non poteſt dare compurgatores notam habentes ejus vitam, tunc ſtandum eſt ejus ſimplici juramento. Et *nu* 15. ſimiliter tradit, quod ſi purgandi eſſent viles ac tales, qui veriſimiliter non poſſunt dare compurgatores idoneos, tunc eſſe recipiendos mediocres, & quos dare poteſt arbitiro Judicis, ne defenſionis facultas ei denegetur,

Compurgatores autem eſſe debent probatæ vitæ, ejuſdem ſtatus & conditionis compurgando, & qui eum bene, & antiquo tempore noverint, Souſa *in aph. lib: 2. cap.* 38. *num* 4. Pegna *p. 2. com.* 14. Zanard. *in ſum. p. 2. cap.* 132. Eymeric. *p. 2. num* 146.

Purgationis indictio, & modus eam indicendi Judicis arbitrio remittitur juxta perſonarom qualitatem, & gravitatem ſuſpicionum, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 56. *num.* 8 Peg. *p. 2. d. com.* 14. Decian. *d. cap.* 48. *num.* 9. Delrium *lib. 5. magic. ſect.* 83. Non poteſt tamen Judex purgationem indicere, quando ſcit aliquem eſſe de hæreſi ſuſpectum, non ex proceſſu, ſed ſecreto, & ex ſua conſcientia, ut ait Farinac. *de hæres. q.* 193. *nu.* 62.

A decreto autem purgationis indictæ, & à termino ad ſe purgandum præfixo poteſt quis appellare, ut tradunt Pegna *p. 3. com.* 38. & Farinac. *loc. cit. n.* 63.

Qui graviter, ac vehementer de aliqua hæreſi eſt diffamatus, ſi poſt illius purgationum reincidat in eandem hæreſim, puniendus eſt uti relapſus, Curiæ ſeculari tradendus, *cap ad abolendam §. illos quoque de hæret. in* 6. Eymer & Pegna *p. 3. com.* 38. ac Oſtiens. *in cap. excommunicamus §. qui autem de hæret.* Sed ſi leviter diffamatus exiſtit, ſi poſt purgationem relabatur in eandem hæreſim, tractandus eſt ſicut qui leviter abjuravit. Et ita intelligendum eſt, quod ait Eymeric. *p. 3. de form. purgat. can. num.* 150.

Unde pariter, æqualiterque procedunt abjurans de vehementi, & purgatus canonice uti vehementer ſuſpectus, ſi in hæreſim relabantur, hoc tantum diſcrimine, quod qui abjuravit de vehementi, ſi reincidat in aliam hæreſim, de qua fuit inquiſitus, & confeſſus, puniendus eſt uti relapſus, cùm hujuſmodi reus abjuret, non ſolum eam hæreſim, de qua fuit vehementer ſuſpectus, ſed omnem aliam hæreſim. Qui verò ſe canonicè purgavit de aliqua hæreſi uti vehementer ſuſpectus, ſi incidat in aliam hæreſim, non eſt condemnandus uti relapſus, cùm de illa ſolum, & non de omnibus hæreſibus ſe purgaverit.

Qui autem ſe purgare noluerit, excommunicandus erit, & ſi in excommunicatione per annum animo indurato inſorduerit, ut hæreticus condemnatur *juxta d. cap. Excommunicamus. §. qui autem de hæret.* & Eymeric. *d. p. 3. num.* 147.

Quando reus non eſt confeſſus, nec plene convictus, ſed tantum indiciatus, ait Diana *p. 4. tr. 6. reſol.* 1. & 18. non deeſſe Doctores, qui affirment, eſſe in arbitrio Inquiſitorum illi incidere purgationem, vel abjurationem, vel torturam. At verò cum purgatio, & abjuratio non ſint tam aptæ, neque inductæ ad veritatem indagandam quam ad ſuſpicionem, & infamiam hæreſis deluendam; cumque tortura ſit magis apta, ut per eam veritas ex ore ipſius delinquentis indagetur, ideo in hoc caſu nec purgatio indicenda eſt, neque abjuratio, ſed tortura, ut melius veritas habeatur, ac ſecurius procedi poſſit, vel ad injungendam debitam pœnam, vel ad impertiendam abſolutionem.

Chriſtiani tranſeuntes ad ſectas, ſeu ritus Turcarum, Paganorum, vel Judæorum, ſi ſponte redeant, & reconciliationem cum Eccleſia petant, vel fateantur, ſe fidem abnegaſſe, abjurare debent de hæreſi formali, tanquam veri hæretici, & apoſtatæ & gravis pœnitentia eis imponenda eſt, maxime ſi ſponte, aut abſque metu incuſſo, fidem catholicam abnegarunt, & hæreticalia commiſerunt.

Si verò fateantur, ſe non negaſſe fidem, nec unquam credidiſſe, ita faciendum eſſe, ſed catholicam fidem ſemper in corde retinuiſſe, tunc abjurant, ut vehementer de hæreſi ſuſpecti, & pœnitentiæ ſalutares eis injunguntur. Si verò ſint pueri, abjurare ſolent de levi.

Si autem non compareant ſponte, ſed accuſati, vel denonciati, & confiteantur, vel ſint convicti facta hæreticalia commiſiſſe, ſed pravam intentionem non habuiſſe, nec fidem abnegaſſe, tunc torquendi ſunt ſuper intentione, ut intelligatur an revera ita crediderint necne. Etſi in tortura in negativa perſtiterint; dicentes non habuiſſe pravam intentionem, abjurare debent de vehementi, ut vehementer ſuſpecti. Si verò pravam intentionem, ac mentis errorem confiteantur, tunc tanquam hæretici formales abjurare compellendi ſunt, ut ad veritatem Eccleſiæ revertantur, & de jure ad perpetuum carcerem ſunt condemnandi ex *cap. excommunicamus* 2. *§. ſiqui autem de hæret.* & notat Pegna *p. 2. com.* 39. Seſſe *tom. 4. dec.* 444. *num.* 9. & Diana *p. 4. tr. 7. reſol* 3.

Sed hic locus aliquid habet dubitationis. Si namque in tortura ex ore delinquentis veritas indagatur, quare igitur ſiquis in tortura conſtanter confeſſus fuerit, ſe nunquam fidem catholicam negaſſe, adhuc tanquam de hæreſi vehementer ſuſpectus, de vehementi abjurare cogendus ſit?

Reſpondeo. Nam quilibet judicatur hæreticus verbis, & factis. Verbis, quando confeſſione propria dicit, ſe credere erroribus hæreticorum. Factis, quando facta hæreticalia committit. Quia ex factis præſumitur de affectu, *arg. can. qui viderit* 32. *quæſt* 5. *l. dolum. C. de dol. & cap. nuper de bigam.* Qui ergo in tortura voluntatem ſuam verbis exprimit, non ſatisfacit factis. Immo plus eſt facto, quàm verbo aliquid facere, *arg. capit. dilecti de appel*, & magis ſtandum eſt factis, quàm verbis, ut docuit Chriſtus *Matt.* 21. Igitur qui ex factis eſt de hæreſi vehementer ſuſpectus, & convictus, quamvis in tortura conſtanter fateatur, ſe nunquam aliquid contra fidem crediſſe, quia tamen factis vere illam negavit, ideo juſte cogitur ad abjurandum de vehementi omnem hæreſim.

Eſtque prima regula textus in *cap. contra Chriſtianos de hæret.*, in quo Bonifacius VIII. ſtatuit, quod contra Chriſtianos, qui ad ritum Judæorum tranſierint, vel redierint, etiamſi hujuſmodi redeuntes, dum erant infantes, vel etiam mortis metu, dummodo abſolute, & præciſe coacti non fuerint baptizari, tanquam contra hæreticos procedendum eſt, ſi de hoc fuerint confeſſi, vel per teſtes Chriſtianos,

aut Judæos fuerint convicti.

In qua re certum quidem eſt, Judæos, Saracenos, & alios infideles, qui baptiſmum non ſuſceperunt, eſſe quidem infideles, ſed non eſſe hæreticos nec ſubdi per ſe Juriſdictioni Eccleſiæ, nec poſſe ad fidem ſuſcipiendam compelli, ut cum D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 10. *ar.* 8. docent communiter Theologi & Canoniſtæ.

At ſi iſti ſemel ſuſceperint Sacramentum Baptiſmi, & fidem Chriſtianam profeſſi fuerint, compelli poſſunt, ut adimpleant, quod promiſerunt, ac retineant, quod receperunt. Et ideo Chriſtiani, qui ad Judaiſmum vel ad aliam ſectam infidelium, vel tranſeunt, vel redeunt, vere ſunt hæretici, ſeu magis proprie loquendo, ſunt apoſtatæ à fide, de quibus alibi, & per Eccleſiam etiam pœnis corporalibus coercendi ſunt, ut ad fidem redeant, & ſi ſint impœnitentes, tanquam hæretici, ſive apoſtatæ ultimo etiam ſupplicio puniendi, ut docet D. Thom, *loc. cit.* & decernitur *in d. cap. contra Chriſtianos*, fuitque etiam ſancitum à Nicolao IV. in conſtitutione *incipiente*: Turbato corde apud Eymer *p.* 2. *quæſt.* 44. & à Paulo tertio in conſtitutione *ſupientes* apud Pegnam, & *l.* 1. *C. de Sacr. baptiſm.* traduntque Gloſ. *in d. cap. contra Chriſtianos v. redierint*, & Archid. *in princ.* Jo. Andr. *num.* 1. Gemin. *num.* 6. Franch. *num.* 2. & Doctores, quos plena manu adducit Farinac. *de heres quæſt* 178. *num.* 136. 137. *&* 139.

Neque excipiuntur ab hac regula infantes, qui ante uſum rationis baptiſmum ſuſceperunt. Per baptiſmum enim profeſſi ſunt fidem. Et ſicut non obſtante, quod ſint incapaces actus humani & voluntatis, ſufficit, quod voluntate parentum, vel aliorum, qui illos baptiſandos obtulerunt, baptiſmum ſuſcipiant ad hoc, ut recipiant gratiam juſtificantem, libertatem à peccato, & à morte æterna, characterem, alioſque baptiſmi effectus, ita id ſufficit ad hoc, ut fiant Chriſti oves, & incorporentur Eccleſiæ, ſubdantur juriſdictioni ſummi Pontificis ac Prælatorum, utque ſint obligati ad Legem Chriſti, & ut ad illam ſervandam poſſint compelli, Glos. *in d. cap. contra Chriſtianos in figurat. caſi.* Io. Monach. *numer.* 1. *&* 2. Prob. *num.* 2. Archid, *v. infantes*, Gemin. *numer.* 1. Franch. *num. etiam* 1. Sylveſt. *v. hereticm* §. 2. *num.* 4. & Pegna *parte* 2. *Com.* 69. ubi quod iſti mitius ſunt puniendi, ſi à fide defecerint, redeundo ad Judaiſmum, Farinac. *d. q.* 178. *numer.* 140. Et hæc vera ſunt, etiamſi infans baptizatus fuerit à nutrice ſine ſolennitate, inſciis ejus parentibus. Iſte enim, tanquam vere baptizatus, non reſtituitur ſuis parentibus. Immo, licet filii Judæorum non poſſint, invitis parentibus, baptizari, ſi tamen baptiſentur, baptiſmus eſt validus, & apud Chriſtianos ſunt alendi.

Neque excipiuntur, qui per metum, etiam cadentem in conſtantem virum, etiam mortis baptiſmum ſuſceperunt. Metus enim non facit hominem involuntarium ſimpliciter, ut docet D. Thom *p.* 2. *q.* 6. *ar.* 7. Et ideo ſicut qui per metum ſuſcipit baptiſmum, validè baptizatur, ita Eccleſiæ, & Chriſti militiæ adſcribitur, à qua non niſi per ſummum nefas recedit, & ſi recedit, compelli poteſt, ut redeat, & ſi renuit redire, tanquam fidei deſertor, hæreticus, vel apoſtata punitur.

Excipiuntur tantum, qui abſolute, ac præciſe coacti ſuſcipiunt baptiſmum, hoc eſt, qui retinentes, inviti, & reclamantes feruntur ad fontem baptiſmatis, ij ſcilicet, qui in baptiſmum non conſentiunt ſua voluntate, nec baptiſmum intendunt ſuſcipere, licet retinentes, & inviti aqua intingantur. Iſti enim nec baptiſmi characterem, neque alios illius effectus recipiunt, neque re vera Chriſto dant nomen, aut ejus fidem profiteantur. Ideo ubi de coactione conſtiterit, nec habendi ſunt, ut Chriſtiani, & ſi fidem Chriſti negent, non ſunt, neque habendi ſunt, ut hæretici, ſicut ex *d. cap. contra Chriſtianos* tradunt citati Doctores.

Teſtatur Royas *de heret. p.* 1. *num.* 108. relatum ſibi fuiſſe à Saracenis, Chriſtianos ab iis non compelli ſuam fidem abnegare, niſi ſint pueri. Et iccirco ſi puer per metum fidem abnegavit, & poſtea ad fidem chriſtianam revertitur, eſt prius in fide inſtruendus, ac deinde cogendus eſt abjurare de levi. Ætate vero majores, non præſumendum per vim, ac metum fidem abnegaſſe. Quia Eccleſia non judicat de occultis. In foro autem exteriori aſſerentes, Chriſtum negaſſe, redduntur de hæreſi vehementer ſuſpecti, maxime ſi, ceſſante metu, in fidei negatione perſeveraverint. Nam diuturna continuatio demonſtrat actum, ex corde proceſſiſſe. Idemque dicendum ſi perſona ſit gravis, nempe Theologus, Religioſus, Prælatus, vel alius vir doctus ac prudens. Vel ſi metus non fuerit mortis, ſed verberationis, carceris, exilii, famis, vel hujuſmodi, non cadentis in conſtantem virum. In his caſibus ſuſpicio hæreſis eſt ita vehemens, ut merito indicenda ſit abjuratio de vehementi. Si verò fidem abnegaverint perſonæ, quæ veriſimiliter ſcire non poterant, quam immane delictum hoc ſit, ut ſunt pueri, fœminæ, ruſtici, ac ſimiles, de levi tantum abjurare debent, Ricciul *de jur. perſ. lib* 6. *cap.* 5. *nu.* 7. *& ſeq.* Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 3. *&* 4. Pegna *p.* 1. *com.* 24.

Sed quid de illo, qui vere non eſt baptizatus, & tamen ſe baptizatum judicans per aliquod tempus ſub Chriſto militavit, & poſtea recedens, tranſiit, vel redit ad Judaiſmum, aut ad aliam infidelitatis ſectam? hunc habendum, ut hæreticum, aiunt Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 31. *num.* 3. Gabriel. *in* 4. *d.* 13. *quæſt.* 2. *ar.* 1. Caſtro *lib.* 1. *cap.* 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *q* 3. Farinac. *de heres. quæſt.* 148. *num.* Delbene *dub.* 207. *num.* 6. Quod ſane procedit in foro exteriori, & donec conſtiterit eum vere non fuiſſe baptizatum, quando præſumi poteſt, illum fuiſſe verè baptizatũ. Aliàs verò, licet punitione ſit dignus, eo, quod non obſtante, quod crederet ſe baptizatum, à baptiſmi lege receſſerit, & in hoc caſu coram Deo vere crimen hæreſis, ſivè apoſtaſiæ commiſerit, quia tamen verè non eſt baptizatus, nec vere eſt hæreticus, neque apoſtata, neque ut talis puniri poteſt pœnis hæreticorum, vel apoſtatarum. Quod ſi ſe baptizatum finxit pro hac fictione eſt puniendus. Sed ſi non receſſerit à fide, niſi conſtito ſibi, quod non eſſet baptizatus, ob id puniri poteſt. Fides enim eſt voluntaria, & non baptizati nequeunt ad fidem compelli, ut cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *ar.* 8. docent Theologi.

Et quid etiam de Cathecumeno? Hunc, ſi tranſeat, vel redeat ad Judaiſmum, vel ad aliam ſectam infidelium, cùm nondum ſit baptizatus, non eſſe habendum ac puniendum, ut hæreticum, ſtatuunt Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 3 Simanch. *loc. cit. tit.* 35. *num.* 6. Bagnes 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. Caſtro *eo cap.* 8. Sanchez *lib.* 2. *decal. cap.* 27. *num.* 34. Farinac. *d. q.* 178. *num.* 131. *&* 135. Verum cathecumenus per baptiſmum in voto & contritionem ita juſtificatur, ut recipiat fidem, gratiam & charitatem, & quamvis non ſimpliciter, fit tamen aliquo modo membrum Chriſti, & Eccleſiæ, ut docent D. Thom. *in* 4. *diſt.* 4. *quæſt.* 2. *ar.* 2. *quæſt.* 5. Turrecrem *in can. ad hoc q.* 1. *de conſecr. d.* 4. Unde eſt particeps ſuffragiorum publicorum Eccleſiæ, & poteſt pro ipſo offerri ſacrificium ad impetrationem bonorum & ad ſatisfactionem quam Sacerdos poteſt ſatisfactionem miſſæ quæ ſibi correſpondet, illi applicare, ut docent Henriq. *lib.* 9. *ſum. cap.* 15. *num.* 5. Laiman. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 2. *num.* 8.

qui

Digitized by Google

qui alios citat, Alter. *tom.* 1. *de cenſur. lib.* 5. *diſput.* 11. *cap.* 4. Immo etiam quoad ſatisfactionem ex opere operato, ut notant Navar. *de indulg. not.* 31. *num.* 48. & Azor. *p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 22. *quæſt.* 2. Ergo poterit haberi, ac puniri, ut hæreticus, cum ſufficiat, quod aliquo modo ſit membrum Chriſti, & Eccleſiæ.

Et quidem negari non poteſt, quin hoc in caſu cathecumenus inferat injuriam Eccleſiæ, cui promiſit ſe ſuſceptutum baptiſmum, ſi à promiſſis recedat, & iccirco ratione delicti ſit ei quodammodo ſubditus, & poſſit ab ea puniri, prudenter tamen, ne videatur cogi ad capeſſendam fidem.

Reditus autem vel tranſitus, ad Judaiſmum conſiſtit in eo, quod rediens interius credat veram eſſe Judæorum religionem, & ſecundum illam vivere velit, ac vivat, eorum ritua, ſolemnitates, ac leges obſervando. Si quis autem exiſtimaret, verum eſſe Evangelium, ac ſimul verum eſſe Religionem Judeorum, & utrumque obſervandum eſſe, adhuc judaizaret, ut inquit Archid. *in dict. capit. contra Chriſtianos num.* 2. Sed impoſſibile eſt, quod quis ſimul dicat Evangelium verum eſſe, quod trinitatem prædicat, Chriſti divinitatem affirmat, baptiſmi neceſſitatem doceat, & quod ſimul credat, veram eſſe Judeorum doctrinam, quæ adverſatur Evangelio. Quomodo autem recipiantur tranſeuntes, vel redeuntes ad Judaiſmum, enarrat Eymer. *p.* 1. *q.* 44. *n.* 6.

Signa vero, ex quibus cognoſci poſſunt judaizantes ſunt. Raro Eccleſias ingrediuntur; Feria ſexta & ſabbato comedunt carnes, utuntur nomine, quo antea in Judaiſmo appellabantur, relicto illo, quod fuit ipſis in baptiſmo impoſitum, frequenter apud Judeos commorantur, ac permanent, cum ipſis ſe aſſociant, edunt, bibuntque; eorum feſtivitates celebrant, ritus ſecretò ſervant errores tuentur, uſuras exercent, negotia tractant. Ad remotas regiones ſine litteris teſtimonialibus Epiſcoporum tranſeunt, & maxime ſi cum tota familia ad loca, ubi plures Judæi morantur, tranſeunt, & tranſeundo occultè incedunt per vias inſolitas, fugiendo civitates, & oppida Chriſtianorum, & id genus alia operantur. Præſertim ſi libros hæbreos prohibitos apud ſe retineant, in quibus orationes non approbatæ continentur, eaſque recitant prope Synagogam. Quod ſæpè fieri vidi à cathecumeno, qui comprehenſus uti ſuſpectus, convictus fuit judaizans. Signa vero certiora ſunt, ſi quis natus ex Catholicis inveniatur circumciſus, vel ſi ſit ex natione illorum, qui ad Judaiſmum redierunt. Legantur Repertorium Inquiſit. *v. Cognoſcuntur*, *& v. Commiſſio*, *& v. Judaizantes.* Decianus *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 5. Menochius *de arb. cap.* 547. Pegna *p.* 2. *com.* 69. *&* Farinac. *de hæres. q.* 187. *num.* 138.

Judaizantium autem receptatores, fautores, ac defenſores ſunt hæreticorum receptatores, fautores, ac defenſores. Quia Judaizantes ſunt hæretici, immo apoſtatæ, ſi tamen is, cui favet, Judeus ſit, exiſtimat Pegna *d. com.* 69. quod non ſit proprie fautor hæreticorum. Quia ipſe non eſt hæreticus: Sed ad fautorem hæreticorum, propriè dictum, non eſt neceſſe, quod fautor ſit hæreticus, ſed ſufficit, ſi hæreticus ſit ille, cui favet, Et ideo ſi ia, cui fit favor, ſit hæreticus, qui favet ſit Judæus, ſive Saracenus, ſive ——eſt proprie fautor hæretici, & pœnis fautorum hæreticorum eſt puniendus. Ait tamen Squillac. *de fid. cap.* 46. *num.* 2 quod iſti pœna arbitraria puniendi ſunt. Zanchin. verò *de hæret. cap.* 36. *num.* 4. Repertor. Inquiſ. *v. Judæus*, Sylveſt. *eod. v. quæſt.* 5. & Pegn. *loc. cit.* quatuor pœnas enumerant. Privationem communionis cum Chriſtianis, pecuniariam, carceres, verbera: idque colligetur *ex cap. ita quorundam de Judæis cap. poſtulaſti eod. tit. cap. in Archiepiſcopatu de rapt. & can. ſæpe* 23. *quæſt.* 1. cum illi verè ſint fautores hæreticorum, quamvis excommunicatione non innodentur, quia hæc pœna ſolos Chriſtianos afficit qui directe ſubjiciuntur juriſdictioni Eccleſiæ, aliis tamen pænis fautorum hæreticorum, quibus ſint capaces, puniendi ſunt.

Cum igitur iſti judaizantes habendi ſint, ut hæretici, ſi non ſint de hoc confeſſi, vel convicti, ſed ſolum ſuſpecti, ſi adſunt contra eos indicia ad torturam, torquentur, & ubi nihil inſurgat, pro modo ſuſpicionis, abjurant, & ut ſuſpecti de fide pœnis arbitrariis puniuntur. Sed ſi ſunt impœnitentes, traduntur brachio ſeculari, & eorum bona publicantur, Gloſſ. *in d. cap. contra Chriſtianos v. procedendum de hæret.* ibique Anchar. *n.* 3. *&* 10.

In eorum autem punitione, nec ſolus Epiſcopus, ſine Inquiſitore, nec ſolus Inquiſitor ſine Epiſcopo procedere poteſt, ſed uterque procedit juxta praxim S. Tribunalis, ut per Pegn. *d. com.* 69. Farinac. *d. q.* 178. *num.* 147. Caren. *p.* 2. *tit.* 14. *nnmer.* 44. ac Delben. *dub.* 207. *num.* 7.

Et hæc, quæ hactenus dicta ſunt de tranſeuntibus, vel redeuntibus ad Judaiſmum, dicta etiam fuit de tranſeuntibus ac redeuntibus ad Turciſmum, vel Paagniſmum, cùm eadem ſit in iis ratio. Nam quemadmodum qui tranſeunt, vel redeunt è Chriſtianis ad Judæos, à fide, & religione Chriſti deficiunt, ac proinde tanquam hæretici, & apoſtatæ puniuntur, ita etiam verè ſunt hæretici, & apoſtatæ, qui è Chriſtiana fide tranſeunt, vel redeunt ad Saracenicam perfidiam, & impietatem, taliumque receptatores, fautores, vel defenſores puniri oportet, tanquam receptatores, fautores, ac defenſores hæreticorum; & hoc locum habet tum in his, qui, cùm Chriſtiani ſint, conſilium, auxilium, favoremve præſtant prædictis hominibus, tum etiam in iis Saracenis, qui, cum inter Chriſtianos commercentur, & vivunt, prædictum conſilium, auxilium, vel favorem dare ſolent, ut habetur in quadam conſtitutione pontificia Gregorii II. quæ incipit, *Admodum dolentes* relata in Direct. *par.* 2. *q.* 45.

Ex Turcis, qui Chriſtianam fidem ſuſceperunt, ſi ad terras Turcarum fugam arripiunt, & in itinere capiunt, & eorum fuga, & ex aliis circumſtantiis, quæ cum tali fuga concurrere ſolent, arguitur violenta præſumptio redeundi ad Turcarum ſectas, ideoque ſubduntur Inquiſitorum judicio, ac torquendi ſunt ſuper intentione; & ſi negent noluiſſe, nec velle à Catholica fide Chriſti apoſtatare, abjurare debent de vehementi, & ad triremes, ſaltem in triennium damnari. Quod etiam ſentit Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 3. *num.* 6.

Chriſtianus, fingens ſe Judæum, vel infidelem ac petens iterum baptizari, ut eleemoſinas obtineat, videtur quod non ſit cogendus ad abjurandum. Quia cum abjuratio ſit deteſtatio hæreſis, ideò quis abjurare debet, quia eſt vel hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus: in hoc autem caſu nulla eſt, de hæreſi ſuſpicio. Quia, non petit baptiſmum, credens poſſe reiterari, ſed ut medium ad obtinendum eleemoſinas. Cum igitur declarat ſuam intentionem, evacuata manet omnis ſuſpicio.

Contrarium tamen tenendum eſt. Quod ex facto ipſo, & ex ipſa reiteratione baptiſmi eſt de hæreſi ſuſpectus. Quando autem factum eſt hæreticum, vel hæreticale, aut de hæreſi ſuſpectum, non purgatur talis ſuſpicio ipſius rei Confeſſione, ſive judiciali, ſive extrajudiciali ex eo, quod non habuit malam credulitatem, ſed reiteravit baptiſmum propter eleemoſinam obtinendam. Quia ex abuſu ſacramenti re vera eſt de hæreſi ſuſpectus, ideoque cogendus eſt abjurare, ſicuti Polygami, & confeſſarii ſollicitantes, qui licet dicant, non habuiſſe errorem in intellectu, & credidiſſe omnes

fidei

fidei catholicæ articulos, quia tamen ex facto ipſo, & ex abuſu ſacramenti tedduntut vehementer ſuſpecti de hæreſi, abjurant de vehementi.

Et quidem de hujuſmodi ſacrilegis multa extant exempla, & meo tempore quidam Turca, qui baptiſmum Romæ ſuſceperat in Baſilica Lateranenſi ab Illmo Gallio tunc Vicegetente Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, poſtea Cardinalis, diſcedens ab Urbe, Neapoli iterum baptizatus eſt, tertio Panormi. Sed mitum extat exemplum apud hiſtoriam tripartitam *lib.* 10. *cap.* 14. hiſce verbis enarratum. Ea tempeſtate Judæus quidam ſeductor, ficta Chriſtianitate, crebro baptizatut, & hac arte pecunias congregabat. Cumque multis hæteſibus illuſiſſet Arrianorum, atque Macedonianotum, poſtremo ad Eccleſiam venit orthodoxam, cui dum tempus jejuniorum fuiſſet impoſitum, multiſque adhuc diebus occuparetur, cœpit feſtinare, ut quaſi in ferventi ſtudio baptiſmatis bona perciperet, præparantut baptiſma, & veſtigia congrua baptiſmatis. Cumque fons fuiſſet impletus, deducitut Judæus ad baptizandum. Tunc Dei quædam inviſibilis virtus aquam diſparere præcepit. Cumque præſentes, non cogitantes Dei virtutem, aquam pet cuniculum ptoprium defluiſſe ſuſpicarentut, diligentet undique clauſum, turſua impleverunt fontem, & denuò, deducto judæo, aqua diſparuit. Tunc Sacerdos: quid mali, inquit, feciſti homo? An certe, neſciens, baptiſmo jam petitus es? hanc rem cum diverſi concurrerent, quidam Judæus recognovit quem baptizatum ab Attico Epiſcopo ipſe ſuſceperat. Et hoc modo illius fraus univerſis apparuit. Ita ibi.

Judæis, Turcis, aliiſque infidelibus, ſortilegia, vel alia facta hæreticalia committentibus, eſt à ſacris Inquiſitoribus, & Epiſcopis indicenda abjuratio. Nam in iis omnibus, quæ ſunt noſtræ, ac eorum fidei communia, poſſunt Inquiſitores, & Epiſcopi eis abjurationem indicere, ac illos punire. Sanxit enim Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione edita anno 1581. in quibuſdam caſibus quos alibi adduxi poſſe Inquiſitores contta Judæos, & alios infideles procedere. Quod tradunt communiter Doctores, nominatim Ricciul. *de jute perſon. lib.* 1. *cap.* 52. *numer.* 7. Souſa *in aph. lib.* 1, *cap.* 37. *à num.* 18. Scortia *in Bulla Pontif. theor.* 347. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *p.* 12. Campeg. *in addit. ad Zanchin. cap.* 36. *lit. B.* Simanch. *tit.* 35. Cantet. *in quæſt. crim. cap.* 1. *de hæret. numer.* 72. Diana *p.* 4. *tr. reſol.* 1.

Forma autem abjurationis iſtorum hæc eſt: *Ego N. Sacroſancta Dei lege poſita coram me, & meis manibus tacta, juro, me credere corde, & ore profiteor illam veritatem ac fidem, quam lex Dei Sacroſancta docet, ac inprimis Deum eſſe invocandum, ſolumque adorandum. Et per conſequens deteſtor errorem, qui dicit dæmones eſſe adorandos, eiſq; divinos honores tribuendos.* Aut ſimilia qualitatem errorum, quos adverſus fidem admiſit. Non enim in his caſibus abjurant ſuper Evangelia, quibus non credunt, neque abjurant hæreſim, quæ in ipſos cadit.

CONSULTATIO CLXV.

De Relapſis in hæreſim eorumque Pœnis.

EX *cap. accuſatus* de *hæret. in* 6. tres ſpecies Relapſorum in hæreſim diſtinguntur. Primo eſt eorum, qui poſt abjuratam hæreſim de vehementi relabuntur in hæreſim. Secunda eſt illotum, qui accuſati de hæreſi in certo articulo, & abjurata de formali, vel de vehementi hæreſi ſimpliciter, vel generalitet, in hæreſim alterius ſpeciei labuntut. Tertia eorum, qui abjurata hæreſi de formali, poſtea hæreticos teceptant, ducunt, viſitant, aſſociant, aut dona, ſive munera mittunt, vel eis favent. Diſtinguuntur autem relapſi in veros, & præſumptos, ſive in veros, & fictos, ut ex Glos *in d. c. accuſatus v. fictione*, & Eym. *p.* 2. *q.* 58. ac Pegn. *ſchol.* 64 *ſive com.* 9. Farin. *q.* 157. *num.* 2. & 3. Immo diſtinguntur in veros & ſimilitudinarios: Nam ex novis Juribus aliqui hæretici, etiam non relapſi, puniendi ſunt ac ſi eſſent relapſi. Ideo diligenter inquirendum eſt, quinam ſint iſti relapſi.

Vere autem relapſi ſunt illi, qui poſtquam hæretici pœnitentes hæreſim abjurarunt in eandem iterum labuntur: iſti enim relapſi dicuntur, quaſi iterum lapſi, & vere ſunt relapſi, quia in eandem hæreſim abjuratam relabuntur, *cap. ad abolendam §. illos quoque* Locat. *v. relapſus*, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 57. *nu.* 1. Eymer, *p.* 2. *quæſt.* 58. ibique Pegn. *com.* 83. & Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *§.* 5. *num.* 28. Inde etiamſi millies quis in hæteſim, à qua per veram cordia pœnitentiam teceſſit, relabatut, relapſus non habetur, niſi eam hæreſim coram judice abjuravit, hoc eſt jurejurando damnaverit & execratus fuetit.

Ad verum relapſum primo requiritur, quod fuerit vere hæreticus, & quod fuerit deprehenſus in hæreſi, vel per rei evidentiam, vel per propriam confeſſionem, vel per legitimos teſtes *d. cap.* ad abolendam, ibique Glos. *v.* deprehenſus. Secundo requiritur, quod de hæreſi pænituerit, illamque abjutaverit ſolemnitet juxta ritum S. Tribunalis. Non enim ſufficit abjutatio in foro conſcientiæ, ſed requiritur abjuratio judicialis, ac ita declaravit ſacra Congregatio S. Officii in hæc verba: Relapſi in hæreſes dicuntur ii, qui poſt abjurationem factam in foro exteriori coram Judice, Notario, ac teſtibus, in hæreſes teincidunt, & iſti niſi ex ſpeciali mandato Sanctiſſimi, & S. Congregationis non poſſunt abſolvi 31. Martii 1610. & 18, Decembris ejuſdem anni, & 7. Martis 1613. Quare tales non dicuntur, qui in hæreſes reincidunt, poſt illas abjuratas in foro Conſcientiæ. Tertio tequiritut quod poſt pœnitentiam & abjutationem iterum in hæreſim abjuratam labatur & quod hoc in judicio, ac Tribunali S. Officii conſtet. Non enim ſufficit, quod hæreticus occulte in eandem hæreſim relabatur Sylveſt. *v. hæreticus* 1. *nu*, 19. Eymer. *p.* 2. *q.* 58. Menoch. *conſ.* 82. *num.* 177. Farin. *de hæreſ. q.* 195. *num.* 48. Sous. *lib.* 2. *aph. cap.* 45. Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 28. Delben. *dub.* 162. *num.* 20. & Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 49.

Hinc notandum, quod licet dicatur ſufficere quod de lapſu tam primo, quàm ſecundo conſtet per evidentiam facti, & ſic ſufficiat, quod lapſus in hæreſim ſit notorius, non tamen ſufficit notorium facti ſep requiritur notorium juris, ita ſcilicet quod conſtet in judicio de hæteſi, quando hæreſis non eſt judici notoria: judici enim debet conſtare de relapſu, ad hoc ut damnet hæreticum, tanquam relapſum.

Ex quibus colligitut quod perſeverentia in hæteſi per plutes actus hæreticales, vel etiam longa ſucceſſio mutationis ex una ad aliam hæreſim, non facit relapſum, ſi hæreticus non pœnituerit, ac hæteſim non abjuraverit, & in abjuratam hæreſim non fuerit relapſus, Repert. inquiſ. *v. relapſus*, Locat. *v. abjurare*, Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 57. *num.* 2. & 3. Pegn. ad *p.* 2. *direct. q.* 58. *Schol.* 64 *ſive com.* 83. Farinac. *d. q.* 195, *num.* 49.

Qui verò, abjuratâ una hæteſi, labitut in aliam, videtut quod propriè dici poſſit verus relapſus, quia in abjutatam hæreſim relabitur. Quando enim quis abjurat hæreſim ſimplicitet, generalitet omnem hæreſim

reſim abjurat, & ideo in quamcunque hæreſim labatur, in abjuratam hæreſim labitur. At dicendum eſt, quod hic non eſt verus relapſus, ſed præſumptus, & ideo ab Alexandro IV. iſte inter præſumptos relapſos poſitus eſt *in d. cap. accuſatus §. cum qui.* Nam abjurans hæreſim in communi ſolum tacite ac præſumptive abjurat hanc, vel illam in particulari, & ideo talis ſi labatur in aliam hæreſim ab illa quam expreſſe abjuravit, non eſt, niſi præſumptus relapſus in eam hæreſim, quam abjuravit.

Iſti, ſi carceribus mancipati, pœniteant, licet tradantur curiæ ſeculari, admittuntur tamen ad Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ per textum *in cap. ſuper eo de hæret. in 6.* ut in Litteris anni 1588. 13. Februarii datis Inquiſitori Vicentino, & 29. Septembris 1615. Non datur tamen illis extrema unctio, ut ibi notant Gloſ. *not.* 1. Gemin. *num.* 6. Franch. *nu.* 1. Farinac. *de hæreſ. q.* 193. & Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. *qu.* 7. At de hoc alibi.

Nec relapſis pœnitentibus datur ſepultura, ut tradunt Gemin. *loc. cit. n.* 6. & Franch. *ibid nu.* 1. Quia iſtorum corpora poſt eorum ultimum Supplicium comburuntur, & cineres projiciuntur. Licet enim relapſi pœnitentes ſint Deo reconciliati ac iterum incorporati Eccleſiæ per fidem & charitatem, non ſunt tamen Eccleſiæ perſecte reconciliati.

Fertur in Hiſpania, conſuetudinem eſſe, ut relapſis non detur Sacramentum Euchariſtiæ. Hanc conſuetudinem, ſi alicubi vigeat, non eſſe ſervandam, aſſerit Delben *p.* 1. *de S. Tribun. dub.* 193. *num. fin.* Quia eſt contraria juri ac præcepto de ſumendo Viatico. At ego non ita facile rejicio conſuetudines à viris doctis ac probis, ſervatas.

Ut autem relapſi ad Sacramenta pœnitentiæ, Euchariſtiæ admittantur, neceſſarium eſt, quod ipſi Sacramenta petant, Gemin. *in d. cap. ſuper eo num.* 3. Franch. *num.* 1. & manifeſta ſigna pœnitentiæ oſtendant. Hoc enim requiritur, ut nedum coram Deo, ſed etiam coram Eccleſia, & hominibus pœnitentes appareant.

Præſumpti autem relapſi dicuntur illi, de quibus in judicio non conſtat, quod eſſent hæretici, dum primò abjurarunt, vel quod poſt abjurationem in hæreſim lapſi ſint, ſed id præſumitur à jure, & ideo iſti dicuntur hæretici ficti fictione juris.

Sed ſtatuamus hanc regulam *ex d. cap. accuſatus ſub initio*; Accuſatus de hæreſi, vel ſuſpectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens ſuſpicio orta erat, ſi hæreſim in judicio abjuravit, & poſtea committit in ipſa, cenſeri debet quadam juris fictione relapſus, licet ante abjurationem ſuam crimen hæreſis plenè contra ipſum probatum non fuerit.

Tria igitur ad hanc ſpeciem relapſus ſunt neceſſaria ſuſpicio vehemens hæreſis, abjuratio lapſus in eandem hæreſim. Ex primo habetur, quod ſuſpectus, qui abjuravit hæreſim de levi, ſi in hæreſim eandem labatur, non eſt relapſus; Gloſ. *in ſum d. cap. accuſatus*, ibique Jo. Monach. *num.* 2. Franch. & Gemin. *in ſum.* Calder. *de hæret. n.* 2. Sylveſt. *v. hæreticus* 1. *n.* 15. Tabiena *eod. v. n.* 16. Repert. Inquiſ. *v. relapſus* Locat. *v. abjurare n.* 1. Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 1. *n.* 19. *&* 29. Eymer. *p.* 2. *q.* 58. *n.* 3. ibique Scholiaſtes *Schol. ſive com.* 83. *& p.* 3 *com.* 40. Decian. *lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 6. *& cap.* 56. *n.* 6. Farinac. *de hæreſ. q.* 185. *num.* 20. plures alios referens, Souſa *lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 16. Caſtrop. *tr.* 4. *p.* 2. *n.* 8. Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *numer.* 45. & Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 32.

Limitant verò aliqui hanc doctrinam, ut non procedat, ſi poſt deprehenſionem in lapſum hæreſis, conſtet de illo crimine, de quo erat leviter ſuſpectus. Quia ſcilicet conſtat, tunc illum fuiſſe vere hæreticum, cùm abjuravit de levi, ut Anchar. *in d. cap. accuſatus not.* 6. Afflict. *in conſtit. Sicil. tit.* 1. Squilla *de fide cap.* 31. *num.* 2. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 20. Caren. *p.* 2. *tit.* 1. *num.* 33. Delbene *dub.* 161. *nu.* 3. *& dub.* 162. *nu* 17. Nam ſi poſt levem abjurationem inquiunt, hæreticus deprehenditur, relapſorum pœna plectendus erit. Sed hæc opinio falſa eſt, neque uſquam eſt decreta, neque uſu recepta, & miſericordiam excludit à Sacro Tribunali, & nullum in hoc caſu admittit diſcrimen inter abjurationem de levi ac de vehementi, quod apertiſſimè videtur adverſari *d. cap. accuſatus* 2. 1. *de hæret. in* 6. Quamobrem merito illam rejiciunt Pegna *com.* 83. Royas *in ſing.* 11. *n.* 26. Simanch. *de Cath. inſtit. tit.* 1. *n.* 19. *&* 20. eamque profiteor apertiſſime Eymeric. a qua nullo pacto eſſe recedendum ait Pegna *loc. cit.*

Et quidem *in d. cap. accuſatus* dicitur, quod ſi levis & modica ſuſpicio illa fuerit, quanquam ex hoc ſuſpectus gravius ſit puniendus ſi in hæreſim illam labatur, non tamen puniendus eſt, ut relapſus, ſed requiritur etiam quod contra hujusmodi reum fuerit in judicio ſuſpicio vehemens de illius hæreſi, antequam abjuraret.

Nec alicujus roboris eſt ratio Carenæ *eo n.* 33. quia ſcilicet apparet, eum in prima abjuratione fuiſſe impœnitentem, nec voluiſſe fateri. Nam primo non debet hic fieri tranſitus, ac deduci conſequentia ab hæretico impœnitente ad relapſum, eo magis quod relapſus, etiamſi pœniteat, non evadit pœnam mortis, quàm evadit hæreticus non relapſus, ſi de impœnitente fiat pœnitens. Secundo, quia ex illo argumento non deducitur, niſi quod ille tunc fuerit impœnitens, ac in hæreſi perſeverans. Quod ſi in impœnitentia permanſit, donec deprehenſus eſt formalis hæreticus, ſemel dici debet in hæreſi perſeverans, non relapſus, cum alias abjuratio de levi ex decreto expreſſo *d. cap. accuſatus* non ſufficiat ad dicendum aliquem relapſum. Sicque ſi ille in impœnitentia perſeverat, damnandus erit ut impœnitens, ſed ſi pœniteat, recipiendus erit ad miſericordiam, & non damnandus pœna mortis. Tertio quia *in d. Capit. accuſatus* ſermo eſt de relapſo, qui non eſt talis, niſi fictione juris; nullibi autem jus fingit, quod, qui abjuravit de levi, ſi labatur in hæreſim, quam abjuravit, ſit relapſus. Nec fuit cauſa, unde id faceret. Quia rariſſime, ac fere unquam eveniet, ut ſuſpectus de levi ſit vere hæreticus, cum de levi abjurat. De iis autem, quæ rarò accidunt, non dantur leges.

Deinde requiritur ad hoc, ut hæreticus ſit relapſus, abjuratio de vehementi. Qua in re iterum adverto, eſſe neceſſarium, quod hæc abjuratio ſit rite ac recte judicialiter facta, aliter enim non ſufficeret, ut lapſus in hæreſim abjuratam, ſit relapſus.

Poſtremo requiritur, quod qui abjuravit de hæreſi, labatur in eandem hæreſim, & quod de hoc conſtet in judicio.

Ex quo ſequitur primo, non eſſe cenſendum hæreticum relapſum, qui poſt abjurationem de vehementi unius hæreſis, labitur in aliam. Requirit enim textus. *in d. cap. accuſatus*, quod hujuſmodi reus *Committat in ipſa*, ſcilicet in ea hæreſi, quam abjuravit, ut per Eymeric. *p.* 3. *num.* 150. Param *de orig. S. Inquis. lib.* 3. *q.* 4. *n.* 5. Farin. *de hæres. q.* 195. *n.* 46. Sous. *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 8. Caſtrop. *d p.* 2. *nu.* 13. Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *numero* 51. Quare autem, qui abjuravit, ſit relapſus, non autem qui ſe purgavit, aliàs diximus.

Secundo ſequitur, non eſſe relapſum, qui poſt abjurationem, de vehementi, iterum ſit de vehementi ſuſpectus. Quia neceſſe eſt, ut qui abjuravit aliquam hæreſim committat in ipſa, ut dicatur relapſus, & ſi neceſſe eſt, quod in judicio de lapſu in eandem hæreſim conſtet, vel per evidentiam facti,

vel

Digitized by Google

vel per confeſſionem Lapſi, vel per legitimas probationes, Joannes Andr. *in d. cap. accuſatm numer.* 1. ibique Gemin. *in §. ille num.* 3. *&* Franch. *not.* 1. traduntque Simanch. *de Cath. inſtir. tit.* 57. Pegna ad Eymer. *p.* 2. *quaſt.* 58 *com.* 83. Locat. *in Judu. v. vehementi ſuſpicio*, ubi quod idipſum declaravit B. Pius V. in congregatione S. Officii ac proſequuntur Sanctarel. de hæreſi *cap.* 42. *nu.* 11. Carena *p* a. *tr.* 2. *n.* 34 *& ſeq.* Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *unm.* 49. ac Delben. *dub.* 162. *num.* 24.

Qua in re. Anchar. in *d. cap. accuſatus not.* 1. Gemin. *nnmer.* 2. & Franch. *nu. item.* 2. expendentes verba illa textus, *non plene probatum.* recte advertunt, quod ſuſpicionibus. ac præſumptioníbus non plene probantur delicta. Ideoque ex eo, quod aliquis poſt abjurationem de vehementi, iterum fiat de vehementi ſuſpectus, non idcirco plene probatur, quod ſit hæreticus, vel in hæreſim lapſus: Et quamvis Locat *d. v.* vehemens ſuſpicio velit, quod ex iſta duplici ſuſpicione de vehementi oriatur ſuſpicio violenta: Immo quod duæ leves ſuſpiciones faciant vehementem, quod nimis durum videtur Farinacio *d. quaſt.* 195. *num.* 24. etſi duas ſuſpiciones de vehementi admittat *num.* 22. *&* 2, cum Menochio *de præſumpt. lib.* 1. *quaſt.* 100. *num.* 14. eſtque certum in caſibus tantum in jure expreſſis, ut *cap. ſuper eo de haret. in* 6.

Nihilominus verò, nec qui abjuravit de vehementi ex ſuperveniente ſuſpicione violenta poteſt damnari, ot relapſus; quia violenter ſuſpectus de hæreſi, non eſt hæreticus, niſi præſumptus, ut tradit idem Farinac. *de heres. quaſt.* 187. *num.* 52. ex Locato *v. ſuſpicio num.* 30. & ex Menochio *loc. cit. num.* 15. & ideo hujuſmodi violenter ſuſpectus abjurata de vehementi ex praxi ſupremi Tribunalis, ac univerſalis Inquiſitionis, ut per Farinac. *d. quaſt.* 187. *nu.* 51. Caſtrop. *tr.* 4. *diſput.* 7. *pun.* 1. *num.* 12. Caren *p.* 3. *tit.* 12. *num.* 6. Ad hoc autem, ut aliquis condemnetur, ut relapſus, ſaltem debet conſtare de uno lapſu, vel per rei evidentiam; vel per confeſſionem inquiſiti de hæreſi, vel per legitimas probationes, Sylveſt. *v. hæreticus* 1. *num.* 19. Menoch. *conſ.* 82. *n.* 177. Farinac. *d. q.* 195. *num.* 48. Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 40. Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *nu.* 34. ac Delbene *dub.* 162. *num.* 24. & propterea quod ille; qui pluries abjuravit de vehementi non ſit relapſus, inquiunt Jo. Andr. *in d. cap. accuſatus v. conſtat*, ibique Franch. *in* 1. *not.* Repert. Inquis. *v. relapſus num.* 2. *& v. abjuratio*, Locat. *v. relapſi numer.* 6. Pegna *in p.* 2. *d. com.* 83. Farinac. *d. quaſt.* 195. *num.* 22. ubi alii Sanctarel. *ſupra cap.* 42. *num.* 11. Delbene *p.* 1. *dub.* 162. *num.* 27. & Carena *p.* 2. *tit.* 2. *numer.* 35. ubi quod id declaravit Beat. Pius V.

Et hæc multo magis procedunt in abjuratione de levi adeo, ut nec qui pluries, nec qui prius abjuravit de levi, & poſtea ſit vehementer ſuſpectus, vel è contra, haberi poſſit pro relapſo, licet ſit gravius puniendus, ut docent Eymer. *p.* 2. *q.* 58. *num.* 3. Pegna *pat.* 2. *d. com.* 83. Farinac. *loc. cit. num.* 24. Sanctarel. *de hæres. cap.* 42. *num.* 11. Locat. *d. v. abjuratio num.* 1.

Secunda ſpecies relapſorum continetur *in d. cap. accuſatus §. cum, qui de haret. in* 6. eſtque illorum, qui, abjurata de formali hæreſi, ac ſimul omnibus hæreſibus in genere, labitur in aliam hæreſim, diverſam ab illa, quam prius abjuraverat. Quare neceſſe eſt ad hanc ſpeciem relapſus, quod quis poſt abjuratam hæreſim generaliter, labatur in aliam hæreſim; & quod de hoc legitimè conſter.

At, quid de eo, qui abjurata una tantum ſpecie hæreſis, non verò generatim ac univerſè abjurata hæreſi, labatur in hæreſim alterius ſpeciei? Joannes Monachus *in d. cap. accuſatus nu.* 3. *& binis ſeqq.* ibique Archid. *poſt. n.* 1. Gemin. *n.* 4. & Franch. *n.* 2. putant, hunc eſſe relapſum. Quod probabilius cenſent; Caſtrop. *d. tr.* 4. *diſp.* 6. *pun.* 2. *num.* 8. ac Delbene *dubit.* 162. *n.* 2. Quia hæreſes ſunt connexæ, ac proinde qui unam abjurat, abjurat omnes, Et qui in uno offendit, factus eſt omnium reus.

Verùm hæc ſententia eſt contra textum *d. cap. accuſatum*, qui in hoc caſu ad relapſum requirit, quod hæreſis abjurata fuerit explicitè, atque expreſſè in genere alias, ubi agitur de pœna mortis non eſt eadem ratio expliciti & impliciti. Ideo hunc, qui expreſſe non abjuravit hæreſim in genere, non eſſe relapſum, ſi labatur in aliam hæreſim, docent Gloſſ. *in d. cap. accuſatus v. ſimpliciter*, Eym. *p* 2. *qu.* 40. *nu.* 5. Suarez. *de fid. diſp.* 23. Decian. *lib.* 5. *cap.* 56. *nu.* 2. Pegna *com.* 65. *& p.* 3. *com.* 34. ſubdens, quod ſi quiſpiam pluries relabatur in aliam hæreſim, poterit fortaſſe puniri, ut relapſus. Id, quod non arbitror eſſe verum, quia eſt contra *d. cap. accuſatus.* At hodiè ceſſat hæc quæſtio; quia, ut notant Farinac. *d. q.* 195. *num.* 45. Carena *p.* 2. *tr.* 2. *num.* 31. Caſtrop. *loc. cit. n.* 12. ac Delben. *ibid. num.* 10. ex praxi qui abjurant unam hæreſim, abjurant ſimul hæreſim ſimpliciter ac generatim.

Aliam ſpeciem relapſi conſtituunt nonnulli, quando ſcilicet quis primò de formali abjuravit hæreſim, & poſt abjurationem incidit in vehementem ejusdem hæreſis ſuſpicionem probant hoc, primò *ex d. cap. accuſatus §. ille,* ubi judicatur relapſus, qui poſt abjurationem hæreſis favet hæreticis ejusdem hæreſis. Secundo quia, ut aliquis ſit relapſus, ſatis eſt, ſi de vero lapſu conſtet, & quod vehemens ſuſpicio, vel præcedat lapſum, vel ſequatur. Ita Zanchin. *de hæretic. cap.* 16. *num.* 3. Alphons. de Caſtro *lib.* 2. *de juſta hæret. punit. cap.* 2. Burſat. *conſ.* 7. *num.* 15. *lib.* 1. Menoch. *conſ.* 83. *numero* 148. *lib.* 5. Cantera *quaſt. crim. cap.* 1. *num.* 58. Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 27. *&* 31. Caſtrop. *d. tr.* 4. *diſp.* 6. *pun.* 2. *num.* 9. Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 48. *& cap.* 5. *num.* 13. Quod Delbene exiſtimat probabilius *dub.* 161. *num.* 4. *& dub.* 162. *num.* 25.

At hujus ſententiæ rationes futiles planè ſunt, Nam ſecunda petit manifeſte principium, aſſumitque tanquam certum id, de quo diſputatur, quod ſcilicet ad relapſum ſufficit, quod conſtet de uno lapſu in hæreſim, ſive priori, ſive poſteriori. Id enim diſceptatur, an nimirum ſatis ſit, quod conſtet de uno lapſu in hæreſim, qui ſit prior, coi ſuceedat vehemens ſuſpicio. Quod merito negatur, quia non conſtat de relapſu in hæreſim, cùm lapſus poſterior non conſtet eſſe in hæreſim, ſed ſolum in ſuſpicionem hæreſis; ideoque talis eſt ſuſpectus de relapſu, non autem conſtat de relapſu, in caſu autem præcedenti verè conſtat de relapſu in hæreſim abjuratam, & quamvis non conſtet de primo lapſu, lex tamen vult, quod habeatur pro lapſu, ex quo poſtea manifeſte lapſus fuit in hæreſim

Prima verò ratio non ſolum non probat, ſed etiam retorquetur. Non probat, quia ille eſt caſus particularis in lege, expreſſe definitus, ex quo non licet affirmative arguere ad univerſalem. Retorquetur. Quia ſi Pontifex voluiſſet univerſaliter, quod ad conſtituendum relapſum ſufficeret ſuſpicio vehemens incurſa poſt hæreſis abjurationem, id ſanè expreſſiſſet eoque expreſſo non fuiſſet opus exprimere caſum illum particularem, ex quo igitur in particulari expreſſit, quod haberi debeat, ut relapſus, qui poſt abjuratam hæreſim incidit in ſuſpicionem ejusdem hæreſis, quæ oritur ex fautoria, conſtat, quod de mente Pontificis in aliis caſibus non ſufficit hæc poſterior ſuſpicio ad conſtituendum relapſum-

ſum, quia de ſola ſuſpicione, ex fauroria orta, id ſtatutum fuit, & ſi de omni comprobaretur, de omni ſtatutum fuiſſet, fuiſſetque ſupervacaneum id de iſta exprimere.

Tenendum igitur eſt, non eſſe cenſendum relapſum in hæreſim, qui poſt abjuratam hæreſim de formali, incidit in ſuſpicionem vehementem ejuſdem hæreſis. Quia hæc ſpecies non eſt veré relapſi. ſed relapſi fictione juris. Nullibi enim Lex expreſſit, hunc habendum eſſe pro relapſo: *& in d. cap. accuſatus*, in quo omnes relapſorum modi, ſive ficti, ſivé præſumpti expreſſe recenſentur, non habetur, quod ſit habendus pro relapſo qui poſt abjuratam hæreſim incidit in ejuſdem hæreſis ſuſpicionem. Hanc ſententiam apptobant Royas *de hæreſ.p.* 2. *num.* 333. Suarez *de fid. Diſp.* 24. *ſect.* 2. Vincent. Ferre. *eod. argum.tr.* 2.*q.*14.*§.*1.*nu.*10. & probabile ait Delbene *dub.* 162. *num.* 25. ac ita in praxi ſervari ab Inquiſitoribus Italis tradit Farinac. *d q.* 156. *num.* 18. ac Souſa *lib.* 2. *cap.* 45. *num* 3. ubi quod hoc idem ſervatur in Inquiſitione Luſitana, eique favet *cap. litteras de præſumpt.*

Tertia verò ſpecies ficti relapſi, ſeu præſumpti, dubia quidem, quæ fere coincidit cum prima, eſt quando quis, poſtquam ſe purgavit de hæreſi, de qua fuit vehementer ſuſpectus, iterum labitur in eandem hæreſim, ut habetur *in cap. ad abolendam §. illos de hæret.* ubi Gloſ. *in figur. caſ.* & Panorm. *num.* 1. *& in cap. excommunicamus* 1. *§. adjicimus* ubi etiam Gloſ. *num. relapſi*, Hoſt *n.* 2. Henric. *num.*7. *& in d. cap. ſuper eo eod. tit. in* 6. & tradunt Sylveſt. *u.hæreticus* 1. *num.* 15 *&* 19. Locat *u. ſuſpicio num.* 7. Eymer. *p.*2.*nu.* 150.*&* 148. Pegna *com.* 38. Param. *lib.* 3. *q.* 4. *u.*5. Farinac. *d. q.* 195. *num.* 27. Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 32. Salell. *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 55. ac Delbene *d. dub.* 162.*n.* 14.

Ar verò quod jura citata non loquantur claré ac propterea dubium ſit, an in hoc caſu qui relabitur in hæreſim, de qua ſe purgavit, ſit tradendus, ut relapſus, Curiæ ſeculari, ait Eymericus *p.* 2. *q.* 56 *num.* 7. *& p.* 3. *num.* 18. 4 quamvis dicat, quod videtur, quod ſit damnandus. Campegius verò ad Zanchinum inqult, hoc non eſſe plene reſolutum, & conſulendam eſſe ſedem Apoſtolicam. Quod & voluit Eymer. *d. q* 58. Crediderunt forſan Doctores iſti quod dicta juta poſſint intelligi de eo qui ſimul & adjuravit, & ſe purgavit, ſeu de purgatione, quæ ſit per abjurationem. Ideoque Pegna *d. p.* 3. *com.*38. ſentit, quod hæc quæſtio ſit valde difficilis. Poſſetque difficultas augeri quod in *d. cap. accuſatus*, in quo enumerantur ſpecies relapſi ficti, ſive præſumpti, nulla fit mentio ejus, qui relabitur in hæreſim, de qua ſe purgavit.

Verumtamen cum *in d. cap. ad abolendum* §. *illos* Pontifex loquens disjunctive per particulam *Vel*, cujus natura eſt diſtinguere ac ſeparare, diſtinguit abjurationem à purgatione, & ſignificat caſus ejus, qui ſe ab hæreſi purgavit, eſſe diſtinctum ab eo, qui hæreſim abjuravit, & in utroque caſu velit, quod qui relabitur in eandem hæreſim damnetut, ut relapſus. Idemque ſupponitur *in d. cap. ſuper eo*, propterea communiter Doctores duos caſus diſtinguunt, & in utroque caſu docent hæreticum hujuſmodi, habendum eſſe, ut relapſum, Eſtque dignum animadverſione, quod, licet ſub initio illius legis *Lucius Tertius* conditori d. Decretalis *ad abolendam*, loquatur disjunctive per particulam *Vel*, tamen in determinando relapſum loquitur ſolum de illo, qui in abjuratam hæreſim lapſus fuit, ibi- *deprehenſus fuerit in abjuratam hæreſim recidiſſe, ſeculari judicio &c* Videtur igitur, quod ex mente, illius textus, qui ſolum labitur in abjuratam hæreſim ſit damnandus, ut relapſus.. Sicqoe videtur, quod lex illa quod ad illum qui ſine abjutatione ſe purgavit, ſit dubia & requirat ſedis Apoſtolicæ declarationem. Verum hac de re jam alibi diximus, ubi an & quomodo reincidens in hæreſim, de qua ſe purgavit, ſit, ut relapſus puniendus: Et quodnam ſit diſcrimen inter hujuſmodi abjurationem & purgationem,

Conveniunt omnes, quod non ſit habendus, ut relapſus qui abjuravit de levi, vel de levi ſuſpicione ſé purgavit. Item, quod non ſit habendus, ut relapſus qui labitur in hæreſim diverſam ab ea, de qua ſe purgavit. Nam *d. cap. accuſatus* requirit relapſum in hæreſim abjuratam, ut hæreticus damnetur, ut relapſus.

Quarta ſpecies relapſi ficti, ſive præſumpti eſt illius, de cujus lapſu in hæreſim ante abjurationem conſtiterat, vel nunc conſtat, ſi poſt abjurationem hæreticos recepter, deducat, viſitet, ſive aſſociet vel dona, aut munera eis largiatur, vel mittat, ſeu favorem eis impendat, & ab his actibus excuſari non poſſit, etiam ſine abjurarione. Hic enim debet judicari, ut relapſus, & relapſi pœna puniendus cùm eum ex approbati à ſe prius erroris conſequentia non ſit dubium id feciſſe, ut decernitur in *d. cap. accuſatus*, & docent communiter Doctores. Etenim per hanc ſecundam deprehenſionem expreſſam, declaratur animus illius, quod prima vice fuit in mala opnione contra fidem Chriſti, in qua præſumitur ſemper continuaſſe, dum apparet, quod in prima abjuratione fuit impœnitens, nec voluit veritatem fateri, ut per Anchar. *in d. cap. accuſatus not.* 2. Grilland. *in tr. de hæret.q.* 10. *num.* 1. Pegna *p.* 2. *com.* 83. Sanctarel. *de hæreſi cap.* 42. *num.* 6. & Caren. *p.* 2. *tit* 2. *num.* 33.

Hanc verò ſpeciem relapſi continere duas differennas; liquet ex regula *d. cap. accuſatus* jam relata, & ex Conſtitutione Alxandri IV. incipiente *Quod ſuper* apud Pegnam poſt Direct. *§. quæſiviſtis* & advertit Eymeric. *p.*2.*q.* 58. *ejuſque* Scholiaſtes *com.* 83.

Prima differentia eſt illius hæretici, qui, priuſquam abjuraſſet, convictus fuit de hæreſi, & ſic abjuravit de formali. Et poſtea hæreticos ejuſdem ſectæ, vel hæreſis receptat, deducit &c. ſicque in hoc primo caſu non ſufficit, quod hæreticus abjuraverit de vehementi, ſed neceſſe eſt, quod abjuraverit de formali, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 57. *num.* 5. & *in Euchir. tit.* 60. *num.* 3. Pegna *p.* 2. *com.* 81 Alph. à Caſtro *lib.* 2. *cap.* 3. Param. *de orig. Inquiſ. lib.*4. *q.* 9. *num.* 159. Azor. *p.*1.*lib.* 8. *cap.* 14.*q.* 3. Farin *d. q.* 195. *num.* 33 Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 22. Caſtropal. *d. tr. diſp.* 6. *pun.* 2. *num.* 10. Salell. lib. 5. *cap.*4.*num* 50. Et quanquam Eymericus *p.* 2. *q.* 55. *&* 56. videatur tenere contrarium, intelligi tamen debet de caſu ſequenti, ut ſatis colligitur ex *quæſt.* 55. Aliàs enim non ſufficeret abjuratio de vehementi, niſi in ſequenti caſu.

Secunda differentia eſt illius hæretici de cujus hæreſi nondum conſtiterat ante abjurationem, ideoque ille non abjuravit etiam de formali, ſed de vehementi. At poſt abjurationem conſtitit de hæreſi, ac inſuper ille hæreticos ejuſdem ſectæ receptavit, deduxit, &c.

Hanc ſecundam differentiam, ſive caſum ſubnoſcere traditam fuiſſe ab Eymerico *d. q.* 58. *ait* Pegnæ, *d. com.* 83. Aſt ipſe, Farinacius *q.* 185. *num.* 14. aliique perobſcure illum explicarunt, qoem dilucidius expreſſerat Eymericus. Notandum itaque eſt, quod licet in hoc caſu non conſtet de hæreſi, niſi poſt abjurationem, hæreſis tamen iſta debet præcedere abjurationem, quamvis de illa non conſtiterit; niſi poſtea. Et hoc eſt de forma & ſubſtantia hujus caſus. Nam ſi hæreſis iſta orirerur poſt abjurationem, contineretur in prima ſpecie relapſi præſumpti modo explicata, quando ſcilicet qui abjuravit de vehementi, poſtea de-

prehenditur, lapſum fuiſſe in hæreſim, nec eſſet opus ad ptobandum, quod hic relapſus hæreticos receptaſſet, deduxiſſet &c. Sed ex ſolo ſubſequuto lapſum hæreſim damnandus eſſet, ut relapſus. At in hoc ſecundo caſu contra eum, qui abjuravit non militat novus lapſus in hæreſim, ſed ſolum novus lapſus in ſautoriam hæreticorum ejuſdem ſectæ? & nihilominus Pontifex vult, quod ſi poſt abjurationem conſtet, quod ſi ſavens hæreticis ante abjurationem erat hæreticus, damnandus ſit, ut relapſus; quia præſumi debet, quod ſautoria ſit hæreticalis, & ſit novus lapſus in hæreſim, ſive in actum hæreticalem, provenientem ex hæreſi ante abjurationem exiſtente, & poſtea durante. Quæ præſumptio ex *d. cap. accuſatus* eſt juris ac de jure, contra quam non datur ptobatio, ut aiunt Pegna, & Eymericus, *loc. cit.* & Farinac. *eo num.* 34. Quodque paucis expreſſerat Eymer. *d. q.* 58. *num.* 5. his verbis: *Quia abjuraverat, ut ſuſpectus vehementer, & poſt conſtitit, quod ante abjurationem lapſus fuit.* Clatius Alexander IV. in citata Conſtitutione, *quod ſuper §. quaſiviſtis*, in qua hæc habentut. *Et quidem ſi legitime conſtitit, & nunc conſtaret quod tales ante* (non autem *poſt*, ut corrupte legitur apud Delbene *d. dub.* 162. *nu.* 13.) *hujuſmodi abjurationem in hæreſi commiſiſſent, non eſt dubium eos per hoc fuiſſe relapſos.* Idemque eſt ſenſus *d. cap. accuſatus*, ibi: *De cujus lapſu in hæreſim ante abjurationem conſtiterat, vel nunc conſtat* Dictio enim *ante* jungi debet cum lapſu in hæreſim ante abjurationem, de quo ſive tunc conſtiterit, ſive poſtea, ſufficit in hoc caſu ad conſtituendum relapſum. Et hic etiam eſt ſenſus Pegnæ, Farinacii, & aliorum, quamvis potuerit ab aliquibus clarius explicari.

Dubium autem eſt, num in hoc caſu neceſſe ſit, quod hæreticus abjuraverit de vehementi, an potius ſufficiat qood abjuraverit de levi; Et ſane ſufficere videtut abjuratio de levi. Tum quia textus in *ad cap. accuſatus* loquitur de abjuratione ſimpliciter atque adeo generatim nullo abjutationis modo expreſſo. Et tum quia ratio, cur iſte damnetut, ut relapſus, competit ſo quod ante abjurationem erat hæreticus, ea eſt, quia præſumitur, quod ex illa hæreſi nunc ſaverit hæreticis. Hoc autem generatim verum eſt, etiamſi iſte vere hæreticus abjuraverit, ut leviter ſuſpectus. Et ita hæc præſumptio oon fundatur in modo abjutationis, ſed in eſſentia hæreſis ante abjutationem.

Sed tamen Doctores fere omnes hunc caſum explicant de ſuſpecto vehementer, ſive de illo, qui abjuravit de vehementi, ut præ cæteris Eymer. *d. q.* 58. *p.* 2. *ibique* Scholiaſtes *Schol.* 64. ſive *com.* 83. Farinac. *q.* 195. *num.* 34. & Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 45. Nec obſtant tatiooes adductæ. Non quidem prima: Nam cum ille textus in principio, ac in prima ſpecie relapſi expreſſerit abjurationem de vehementi, veriſimile plane videtur, quod etiam in hoc caſu de ea loquatur, licet id non exprimat. Neque ſecunda. Quoniam de intrinſeca ratione relapſus ad hoc, ut relapſo debeatur pœna mortis, eſt, quod labatur poſt abjurationem. Nam, præciſa abjutatione, ſautoria potius infert perſeverantiam in priori hæreſi, quàm novum lapſum in hæreſim, ideoque novus lapſus, ſive relapſus in hæreſim fundatut in abjuratione, perquam hæreticus cenſetur pœnituiſſe, atque adeo iterum labi in hæreſim, ſi poſt abjurationem pœniteat. Ut autem hic relapſus puniatur pœna mortis, non exprimunt jura, quod ſufficiat abjuratio de levi, ſed requirunt vel abjurationem de formali, vel de vehementi. Quare non debet hoc extendi ad abjurationem de levi, niſi in jure id exprimatur.

Valde item dubitandum cenſet Farinac. *d. q.* 195. *num.* 35. an ſi in hoc caſu hæreticus, qui abjuravit, faveat hæreticis alterius ſectæ, ac ſpeciei, cenſendus ſit relapſus; Et profectò, quod ille, qui generatim abjuravit hæreſim, ſi poſtea receptet hæreticos alterius ſpeciei, ſit relapſus, probat Decian. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 14. Conſentit Canteta *in quæſt. crim. cap.* 1. *nu.* 58. ac tenet Delbene *dub.* 161. Fundantur maxime in *d. cap. accuſatus*, *§. eum . qui*, *de hæret. in* 6.

Verum hæc conſequentia, ex illo textu deſumpta, nullius eſt momenti. Nam textus ibi expreſſe loquitur de eo, qui ante & poſt abjurationem ſimpliciter, vel univerſim ſactam, convictus eſt, eſſe hæreticum formalem, Unde non licet ex hoc arguere, quod idem dicendum ſit de illo, qui poſt abjurationem conviocitur ſolum eſſe ſuſpectum de hæreſi. Ac ſemper viget ratio, qua utitur idem Decianus *loc. cit. num.* 13. quod nimirum in criminalibus ex ſolis præſumptionibus nunquam poteſt aliquis damnari ad mortem niſi aliter id expreſſe in jure cautum ſit, ut notant Doctores *in cap.* quia veriſimile, *& cap.* afferte de præſumpt. Ubi late Panormitanus. Hinc licet violenta præſumptio ſufficiat ad damnadum hæreticum, non ſufficit tamen ad eum damnandum, ut relapſum, niſi in caſibus à jure expreſſis. Nam ubi agitur de eo, qui non poteſt dici relapſus verus, ſed fictus fictione juris ac præſumptus, non poteſt damnari, ut relapſus, niſi ubi jus fingit expreſſe, ſivo præſumit eum habendum eſſe, ut relapſum. In nullo autem jure cautum eſt, quod qui abjuravit generatim omnem hæreſim, cenſendus ſit relapſus, ſi poſt abjurationem committat in alia ſpecie hæreſis, aut ſectæ. Quinimmo ex *d. cap.* accuſatus colligitur contrarium. Nam ex eo, quod quiſpiam abjuravit hæreſim generatim, quia fuit deprehenſus in hæreſi Calviniana, ſi poſtea faveat hæreſi Zvinglianæ, quæ contraria eſt Calvinianæ, non poteſt conſequenter deduci, quod ſavor procedat ex priori hæreſi, ut deducit textus *d. cap. accuſatus*, fundans præſumptionem in hac conſequentia, ſed potius deducitur oppoſitum.

Nec ſuffragatur, quod ait Decian. *d. nu.* 14. quod talis ſit natura peccati, ut abyſſus abyſſum invocet *pſal.* 41. & ad peccatum conſequatur peccatum. Nam hoc oimis generale eſt, neque generalitet peccatores inclinatione voluntatis procedent in peccata propriis affectibus contraria. Ideoque dicendum eſt, non eſſe damnadum, ut relapſum ex ſautoria, qui, abjurata una hæreſi, poſtea convincitur, receptaſſe hæreticos alterius hæreſis, aut ſectæ ſequaces. Quod etiam tradunt Alphons. Caſtrius *lib.* 2. *de juſta hæret. punit. cap.* 2. Menoch. *conſ.* 2. *num.* 148. *&* 156. Azor *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 14. *q.* 4. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 57. *num.* 6. Pegna *p.* 3. *com.* 34.

Dubitant etiam nonnulli, an ſit dicendus relapſus ac puniendus, ut talis, qui, abjurata fautoria, poſt abjurationem in eandem ſautoriam relabitur? Affirmat Eymericus *p.* 2. *q.* 58. *num.* 7. ex Concilio Tarracooenſi, ſubditque tameo quod in hoc jura non loquuntur perſpicue. Quod etiam ait Campeg. ad Zanchin. *de hæret. cap.* 17. Quare vult, conſulendum eſſe ſummum Pontificem. At Pegna *p.* 2. *com.* 83. cenſet, quod ſi bis, vel pluries quis relapſus ſit in abjutatam fautoriam, vel in alias, tradendus ſit abſque miſericordia brachio ſeculari. Submittit ſe tamen hac in re cujuslibet viri docti, & catholici judicio. Et hujus quoque ſententiæ eſt Farinac. *d. q.* 195. *n.* 39. Alii abſoluté aſſerunt, hunc non eſſe propriè relapſum, neque eum puniendum eſſe pœna mortis, ſi pœniteat. Ita Concilium Tarraconenſe relatum ab Eymerico. Quod, licet hunc vocet relapſum, idque verum ſit, apto nomine relapſi in communiori ſignificatione, attamen, ut advertit Pegna *d. com.* 83. illud tradit, pœnas pœnitentiales ei eſſe imponendas. Quod certe non dixiſſet, ſi judicaſſet illum tradendum eſſe Curiæ ſeculari. Hoc idem ſentit Caldet. *de hæret.*

hæret. rubr. de pœna receptatorum num. 3. & *rubr. de execut. ſent. num.* 6. Decian. *lib.* 5. *cap.* 56. *num.* 16. idem Pegna *d. com.* 83. præciſa tamen ea limitatione, Delbene *d. dub.* 162. *num.* 30. ac tenent omnes ii, qui volunt, nullum eſſe relapſum, ſi non conſtet de vero lapſu in hæreſim formalem, prout etiam comprobant Alph. à Caſtro *d. cap.* 2. & Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 57. *num.* 5.

Et quidem ita eſt aſſerendum. Nam *in d. cap. accuſatus*, in quo agitur de relapſu ex cauſa fautoriæ, requiritur omnino, quod ante, vel poſtea conſtet de lapſu in hæreſim formalem ante abjurationem. Neque *in cap. ad abolendam de hæret. in* 6. *neque in d. cap. accuſatus*, neque alibi requiritur cautum, quod quiſque ut relapſus tradatur Curiæ ſeculari, niſi conſtet, illum verè fuiſſe hæreticum formalem ante, vel poſt ipſam abjurationem, recteque docet Decianus, quod ex ſolis ſuſpicionibus nemo eſt pœna capitali damnandus.

Neque dicatur, quod quis ex pluribus fautoriis poſt abjuratam hæreſim, incurrat ſuſpicionem violentam, ex qua ſuſpectus poteſt damnari. Nam, quicquid de hoc ſit, eoque etiam admiſſo, nihil tamen ex illo probatur. Aliud enim eſt hæreticum damnari. Aliud illum pœnitentem damnari, ut relapſum. Hoc autem eſt, quod negatur. Nam vel relapſus eſt vere relapſus, qui non eſt, niſi qui verè fuit hæreticus ante abjurationem, & poſtea in hæreſim fuit relapſus; vel eſt relapſus fictus, qui non eſt, niſi ille, de quo jus decernit, habendum eſſe, ut relapſum. Nullum autem jus decernit, aliquem tradendum eſſe Curiæ ſeculari, ut hæreticum, niſi illum, de quo conſtat, quod ante, vel poſt abjurationem fuit hæreticus. Egregiè tamen advertit Calderinus, quod ubi quis pluries relabitur in fautoriam, poteſt Judex præter juratoriam alias cautiones exigere de amplius non recedendo. Quod vero dicitur de recurſu ad ſummum Pontificem, hoc generatim verum eſt, ut mox dicemus. Cæterum id in hoc caſu ſtatuimus, non eſſe arbitrio commiſſum damnare ultimo ſupplicio relapſum, etiam pluries, in fautoriam, ſi ſit pœnitens. Quia talis non eſt proprie, ac juridice relapſus, ideoque nec pœna relapſorum eſt ordinariè puniendus; ſicut nec qui relabitur in plures ſuſpiciones vehementes, ut ſupra probavimus.

In hoc autem caſu fautoriæ datur excuſatio ita, ut ſolum favens hæreticis damnari debeat, ſi favor excuſari non poſſit, ſicuti expreſſè cavetur, *in d. cap. accuſatus §. ille.* Excuſat in primis ignorantia, ſi favens, neſciebat eum, cui favit, eſſe hæreticum, Gloſ. *ibi non poſſit*, Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 31. addens ex Cantera, quod Gloſſa, quæ vult, hunc excuſari ex fame, ſaltem ſi ſit violenta, non fuit in facto recepta in ſupremo Conſilio Inquiſitionis Hiſpanæ, in quo fuit relaxatus Curiæ ſeculari quidam è genere Maurorum, qui poſt abjurationem fuit ad alios ejuſdem generis, & ſe excuſabat, dicens fuiſſe apud eos ob famem. At dici poteſt in eo caſu famis neceſſitatem forſan non fuiſſe probatam, vel ex probationibus conſtitiſſe, quod non præciſe ob illam fuerit ad Mauros ejuſdem generis. Hinc cùm textus *in d. cap. accuſatus* ſe fundet in hac conſequentia, quòd ſcilicet ex fautoria, quæ non poteſt excuſari, deducitur, quod illa ex priori errore proveniat, ideo ſi afferatur cauſa excuſans fautoriam, & oſtendens, illam proceſſiſſe ex alia cauſa, & ſic non poſſe deduci quod ex priori hæreſi provenerit, tollitur relapſus, ſaltem punibilis pœna mortis. Proinde omnes illæ cauſæ, quæ excuſant fautores hæreticorum vel omnino, vel ſaltem ut non poſſint damnari in pœnam ordinariam, contra fautores latam, excuſabunt etiam in hoc caſu ſaltem, ne fautores iſti, tanquam relapſi, tradantur Curiæ ſeculari. Solum enim ob fautoriam, quæ non admittit juſtam atque idoneam excuſationem, poteſt in hoc caſu fautor damnari, ut hæreticus, ceu conſtat *ex d. cap. accuſatus*, & ex Conſtitutione Urbani IV. incip. *Conſultus* apud Eymericum *p.* 2. & ex conſtitutione *Quod ſuper* Alexandri IV. apud Pegnam, eſtque id ad mentem Gloſſæ, Jo. Monachi, Archidiaconi, Joannis Andreæ, atque aliorum *in d. cap. accuſatus v. non poſſit.*

Ad condemnandum verò hunc fautorem tanquam relapſum, ſufficit, ſi ſemel abſque ulla excuſatione poſt hæreſim abjuratam hæreticos receptaverit vel alio ex modis, *in dict. cap. accuſatus*. recenſitis, illis faverit, ut per Caren. *p.* 2. *titul.* 2. *numero* 31. ſed fortaſſis hoc per ſe verum eſt.

Aliam ſpeciem relapſi invenerunt aliqui, aſſerentes, quod hæreticus fugiens è carcere, ſibi tradito in pœnitentiam, ſit relapſus, atque talis damnandus ſit pœnâ mortis. Ita Jo. Andr. Archid. Gemin. *in cap. ut commiſſi §. nec nos*, ac alii quos refert Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 193. *num.* 134 Sed hanc opinionem falſam, & crudelem vocat Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 16. *numero vigeſimo quarto*, cui conſentiunt Pegna *p.* 3. *ad quæſtionem nonageſimam ſeptimam.* Eymeric. *Schol.* 144. Locat. *verſ. abjurare numero ſexto*, Repert *v. ſententia,* Rimanald. *conſil.* 150. Farinac. *dict. quæſtione* 193. *numero* 135. aliique apud ipſum, & Carena *p.* 2. *dict. titulo ſecundo, numero decimo octavo*, ubi reſtatur, hanc eſſe praxim ſupremæ ac univerſalis Inquiſitionis Romanæ.

Ratio autem eſt, quia fuga è carceribus eſt ſignum potius impœnitentiæ, quàm novæ hæreſis, atque ideò talis habendus eſt tanquam impœnitens. Si tamen redeat, aut capiatur, & pœniteat, prò tali haberi debet ac pro fuga damnatur pœna arbitraria. Si verò fugit & ſe occultat, poteſt juxta formam *cap. cum contumacia de hæret. in* 6. citari & tandem Curiæ ſeculari etiam tradi. Aliam rationem reddit Pegna *loco citato*, quia ſcilicet Judices fidei neminem fingere debent relapſum, quem lex nominatim relapſum non decernit. Unde regula tutiſſima eſt, ut ob nulla indicia, aut conjecturas, aut culpas quiſpiam judicetur relapſus, ſi illa non ſunt expreſſe à jure approbata, & judicata ſufficientia ad convincendum aliquem de relapſu.

Idemque dicendum eſt de non implente pœnitentiam ſibi injunctam. Niſi enim aliunde judicandus ſit relapſus in caſibus à jure approbatis, non eſt cenſendus hæreticus. Et quamvis poſſit haberi ut impœnitens, ſi conſtet, quod non infirmitate, aut juſta cauſa, ſed ex malitia ſcienter negligat implere pœnitentiam, non tamen poteſt puniri, ut relapſus. Sed ſi pœniteat, admitti debet ad miſericordiam, & non tradi brachio ſeculari. Itaque ſive iſte, non implendo pœnitentiam, delinquat omittendo, ſive committendo, niſi aliàs committat agendo aliquid, ob quod jure cenſeri debet relapſus, ut ſi in hæreſim relabatur in terminis *in dict. cap. accuſatus ſub initio*, & *§. eum*, vel poſt hæreſim abjuratam faveat hæreticis in terminis *§.* Ille quibus in caſibus damnari debet, ut relapſus, ſi nihil horum committat, & ex malitia contemnat implere pœnitentiam, habendus eſt, non, ut relapſus, ſed ut impœnitens, & ideò ſi tandem pœniteat, admitti debet ad miſericordiam ita, ut pœna mortis non ſit puniendus. Quod etiam tradunt Simanch. *de cath. inſtit. titul. quadrageſimo ſeptimo, numero ſeptuageſimo ſeptimo*, Pegna *p.* 3. *com.* 146. & Carena *dict. titulo ſecundo, numero vigeſimo ſecundo, & ſequent.*

ubi addit, quod nemo ſub pœna relapſus poteſt ſe obligare ad pœnitentiam implendam. Et quatenus aliquis ad id ſe obſtrinxerit, intelligendum id eſſet juxta juris regulas, & in caſibus, in quibus ille de jure eſſet relapſus, non autem in aliis. Quia non eſt dominus vitæ ſuæ. Quod antea docuerat Pegna *d. Schol.* 144.

Sunt & relapſi, qui ex variis Pontificum Conſtitutionibus nec ſunt veri relapſi neque præſumpti, ſed ſtatim ac in hæreſim labuntur, habendi ſunt ac ſi eſſent relapſi, & pœnis relapſorum puniuntur. Ii dici poſſunt relapſi ſimilitudinarii, quia puniuntur ad ſimilitudinem relapſorum.

Et primo damnantur ut relapſi, etiam in primo lapſu illi hæretici, qui negant Trinitatem, aut Chriſti divinitatem, ſive conceptiooem de Spiritu ſancto, ſive mortem, ut nos liberaret, aut B. Mariæ Dei Matris perpetuam Virginitatem. Ita definit Paulus IV. *conſtit. 4. cum. quorundam 7. Auguſti* 1555. quam confirmavit Clemens VIII. Conſtitutione Dominici 97. volens, quod ne ignorantia quidem dictæ Conſtitutionis Pauli IV. excuſari poſſint, ut per Souſam *libro ſecundo, capite quadrageſimo quarto, numero decimo tertio*, Dianam, *p. 4. tract. 7. reſol.* 24. Delben. *dub.* 162. *numero decimo ſeptimo*, Scortiam *in ſelect. epit.* 67. Campanil. *in diverſ. jur. rubr.* 1. *num.* 47. Salell. *lib.* 6. *capite* 9. *numero* 51. & Carena *dict. p.* 2. *titul.* 2. *numero* 17. ubi quod hoc fuerit Romæ obſervatum *die* 18. *Maii* 1597. Adverto tamen quod nec Paulus IV. neque Clemens VIII. mandant hujuſmodi hæreticos tradi Curiæ ſeculari, ac ſi ipſi eſſent relapſi, ſed ſolum decernunt, id poſſe fieri. Quare de jure hoc eſt Judici arbitrarium.

Secundo Magiſtratus, ac Domini, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Primates, Cardinales, & quicumque Legati, Comites, Barones, Marchiones, Duces, Principes, Reges, Imperatores, ſi deficiant à fide, & incidant in hæreſim, ſive incurrant ſchiſma, vel exciteot, aut committant, etiam ſemel, privantur ipſo facto, ac ſine alio juris & facti miniſterio, ſi ſint Eccleſiaſtici Ordinibus, Eccleſiis, Cardinalatus honore, & cujuſvis Legationis munere, voce activa, & paſſiva, omnique autoritate, monaſteriis, & beneficiis quibuſcumque ac officiis, nec non fructibus, redditibus ac proventibus annuis ſuper fructibus ſimilibus, redditibus, aut proventibus. Seculares verò pariter privantur Comitatibus, Baroniis, Marchionatibus, Ducatibus, Principatibus, Regnis, Imperio in totum ac perpetuo, & ita, ut ad illa de cætero ſint inhabiles, & incapaces, ulterius omnes præfecti haberi debent, ut relapſi, nec ad officia aut dignitates præfatas, aut honores reſtitui, aut rehabilitari poſſunt, ſed relinqui debent arbitrio ſecularis poteſtatis animadverſione debita puniendi. Ita etiam decrevit Paulus IV. Conſtit. 19. *cum ex Apoſtolatus* 15. Kal. Martii 1559. *§.* 3. & notant Salel. *dict. capite ſeptimo, numero* 53. Diana *loco citato* Carena *dict. titulo ſecundo num.* 10. *& tit.* 3. *numero quinquageſimo, & p.* 3. *titulo primo* Delbene *dict. dub.* 62. *numero* 18. & Scortia *theor.* 183. Verum hæc quoque pœna eſt arbitraria ſummo Pontifici, cùm decretum Pauli IV. ſit cum, hac conditione: Niſi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis, & condignæ pœnitentiæ fructibus ex ipſius Sedis benignitate, & clementia in aliquo Monaſterio, aut regulari loco ad peragendum perpetuam pœnitentiam retrudendi fuerint. Pœnis tamen dictæ Conſtitutionis ſubduntur ſchiſmatici, etiamſi non ſint hæretici.

Tertio, ut relapſi puniendi ſunt, & Curiæ ſeculari tradendi, qui cum non ſint ſacerdotes Miſſam celebrant, vel confeſſiones peccatorum audiunt. Hos enim tanquam de hæreſi ſuſpectos, puniendos eſſe in S. Officio, decrevit Gregorius XIII. Conſtit. *Officii*, Clemens VIII. Conſtit. *Etſi alias* & Urbanus VIII. Conſtit. *Apoſtolatus*.

Hunc igitur non ordinatum Sacerdotem, ſi miſſam celebret, vel confeſſiones audiat, etiam ſemel tantum, tradendum eſſe brachio ſeculari decreverant antea Paulus IV. & Sixtus V. quorum Conſtitutiones confirmarunt Clemens VIII. & Urbanus VIII. in citatis Conſtitutionibus, qui ſtatuit quod hujuſmodi delinquens tradatur brachio ſeculari, etiamſi ſit minor 25. annis, dummodo compleverit annum vigeſimum ætatis. Quibus Conſtitutionibus ac pœnis per eas latis ſubduntur Regulares, etiamſi à ſuis Superioribus præſentati ſint S. Officio.

At quid ſi hujuſmodi delicta non ſint conſumata, ſed attenta dumtaxat, ſive inchoata? Variant Doctores: Nam de audiente confeſſiones, ſi ſolum audiat confeſſionem generalem, nempe confiteor, quod recitatur in principio, cenſent aliqui non eſſe tradendum brachio ſeculari, ſed ſi peccatum aliquod in ſpecie audiat, etiamſi non abſolvat, eum illi tradendum eſſe. Ita Souſa *lib. 2. aph. cap.* 33. *num.* 3. *& de ſollic. cap.* 9. *numero tertio, & ſeptimo.* Rodriq. *tomo ſecundo, quaſtione vigeſima octava, articulo ſecundo.* Roderiq. à Cugna *de confeſ. ſollic. quaſt.* 13. *numero* 14. Salell. *libro ſexto, capite ſeptimo, numero* 44. *& ſequent.* Quia tunc dicitur propriè audire confeſſiones.

Sed hunc non eſſe puniendum pœna mortis, atque adeo non eſſe tradendum Curiæ ſeculari, aiunt Sanctarell. *de hæreſ. capite quadrageſimo ſecundo, numero quinto*, Barb. *in capite primo, numero ſeptimo, de Cleric. non ord. miniſtr.* & Carena *p.* 2. *titul.* 11. Quia in Conſtitutionibus Gregorii XIII. & Clementis VIII. ſolum fit ſermo de abſolventibus vel aſſumentibus autoritatem abſolvendi. Et quia qui non abſolvit, nullum ſacramentum adminiſtrat.

Nec obſtat, quod non ſacerdos abſolvens, etiamſi velit, Sacramentum non perfecit ex defectu poteſtatis abſolvendi. Quia ſi verbo abſolvit, abutitur ſacramento in ſua eſſentiali parte, quæ eſt abſolutio & in non abſolvente abeſt animus adminiſtrandi ſacramentum, & ſic cum iſtæ Conſtitutione ſint maximè pœnales, ſunt reſtringendæ quod ad fieri poteſt.

De celebrante autem Miſſam, admittunt aliqui eum, qui in ſacrario induit ſe ſacris veſtibus pro celebratione, ſed poſtea non acceſſit ad altare, neque Miſſam incepit, non eſſe Curiæ ſeculari tradendum. Secus tamen de illo, qui Miſſam incepit, licet verba conſecrationis non protulerit. Hunc enim damnandum pœna mortis, aſſerunt Souſ. *libro ſecundo, capite trigeſimo ſecundo, numero quinto & ſexto.* Diana *p. 4. tract. 7. reſol.* 15. Carena *p.* 2. *titulo undecimo, numero decimo quinto*, & Salell. *libro ſexto, capite ſeptimo, numero quadrageſimo.* Quia iſte ſic Miſſam incipiens propriè celebrat, & ideo comprehenditur ſub pœna Conſtitutiooum. Inquit verò Salell. *numero quadrageſimo primo*, quod occurente hoc caſu, expediret conſulere S. Congregationem S. Officii Urbis. Et quidem in his caſibus dubiis judico & ergo conſulendam eſſe hanc S. Congregationem, ſed nunc conſideranda ſunt, quæ ad arbitrium rectè ferendum, ſunt utilia.

Et primo diligenter ponderanda ſunt verba Conſtitutionis Clementis VIII. *in §.* 2. Iis enim attentè per-

perpenſis, videtur poſſe colligi, pœnam impoſitam. *in §.* 3 latam fuiſſe contra hæc duo delicta conſumata per conſecrationem, & abſolutionem. Quia per celeberationem eorum, quæ antecedunt conſecrationem, nec celebrans dici poteſt, vel præſumi Idololatra, neque occaſio, idololatrandi. Nam hæc idololatria conſiſtit in adoratione panis, & vini, tanquam ſpecies, ſub quibus contineatur Chriſtus, ſive adoretur Chriſtus, tanquam contentus ſub ſpeciebus illius panis & vini, ſub quibus vere non continetur, dum panis & vinum ab eo non conſecrantur ab habente legitimam poteſtatem conſecrandi. Nec celebrans, neque auſcultantes adorant hoſtiam, aut calicem ante conſecrationem. Nulla igitur tunc eſt idololatria, atquo adeo nec ulla pœna eſſe poteſt. Nam principale motivum, conſideratum à Pontifice, ut ſtatueret contra hujuſmodi celebrantes, non ordinatos ſacerdotes, pœnam mortis, fuit idololatria.

Pariter ubi conſtat, audientem confeſſiones non abſolvere pœnitentem, ceſſat hæc præcipua deceptio, per quam pœnitens credat ſe abſolutum, cùm non ſit abſolutus Et præterea qui pœnitentem non abſolvit, non uſurpat ſibi autoritatem abſolvendi. Quæ ſunt illa, ob quæ Pontifex pœnam impoſuit. Videtur itaque de mente Pontificis eſſe, quod celebratio miſſæ ſit completa, ſaltem per conſecrationem Euchariſtiæ, & Confeſſionis cognitio per abſolutionem, ut ſit locus traditioni Curiæ ſeculari.

Conſiderandum attamen eſt, quod ſufficit complementum extrinſecum, & in facie Eccleſiæ, præſumptum. Quare, quicquid ſit, an celebrans miſſam verè proferat verba conſecrationis, vel alia, vel nulla, & an audiens confeſſiones proferat verba abſolutionis, an ne, ſufficit, quod in facie exteriori Eccleſiæ ita ſe gerat, ut rationabiliter appareat illum conſecraſſe, vel abſolviſſe, quod ex citatæ Conſtitutionis verbis hiſce deducitur: *Non ſolum actus idololatriæ ſaltem extrinſeca, & per externa, & viſibilia ſigna.* Cùm enim verba conſecrationis ſecretò proferantur, Eccleſia hæc ſecreta non attendit, ſed actionem exteriorem conſecrandi, & abſolvendi, quatenus eſt viſibilis. Nam & hæc actio conſecrandi, & abſolvendi, ut eſt viſibilis, eſt vel exterior idololatria, vel occaſio idololatrandi, vel cauſa deceptionis pœnitentis, & ſic ſufficit, quod conſecrans exterius ſe habeat, ut conſecrans, & ut adorans Chriſtum in pane & vino, vere non conſecrato, ſacramentaliter non exiſtentem, ac ſi ſub eorum ſpeciebus exiſteret. Sive quod extrinſecus ſe habeat, ut Sacerdos abſolvens ſacramentaliter à peccatis. Sic enim talis in facie Eccleſiæ eſt vel idololatra, & cauſa idololatriæ materialis, vel ſibi uſurpat poteſtatem abſolvendi.

Nec eſſet propterea admittenda excuſatio hujus delinquentis, ſi diceret, non protuliſſe verba conſecrationis, vel abſolutionis. Si enim hæc excuſatio ſufficeret, facile illuderetur legi ad evitandam pœnam. Siquidem falſi ſacerdotes dicerent, ſe vere non conſecraſſe, dum ad pœnam incurrendam ſufficit conſecratio extrinſecùs apparens, & rationabiliter præſumpta. Unde Urbanus VIII. declaravit, ſuæ intentionis eſſe in ſua Conſtitutione comprehendere etiam illos, qui, cùm non ſint Sacerdotes, audiunt confeſſiones, licet verba abſolutionis non proferant nec abſolvant, ut alibi retulimus. Quod abſque dubio procedit in eo, qui apparenter abſolvit, etſi verba abſolutionis non proferat.

Et quamvis ad integritatem Sacrificii Miſſæ intrinſece pertineat captio panis ac vini conſecrati, ad incurrendam tamen pœnam hujus legis ſufficit, ſi falſus ſacerdos, miſſam celebrando ſe conſecrare extrinſecus demonſtret. Quia in hoc actu completur deformitas delicti, quam lex præcipue puniri intendit. Per hoc enim committitur illa extrinſeca idololatria, & datur illa occaſio idololatrandi, quam lex vitare jubet. Et quia in hoc actu conſecrationis committitur eſſentialis abuſus Sacramenti, ac enormiſſimum ſacrilegium uſurpationis poteſtatis conſecrandi, & ſic conſumatur delictum a lege punitum.

Immo, ſi iſte non ſacerdos, prætermiſſis occaſionibus ac cæremoniis Miſſæ, quæ antecedunt conſecrationem, apparenter conſecraret hoſtiam, illamque populo adorandam oſtenderet, pœna hujus legis eſſet puniendus. Quia Miſſam eſſentialiter celebraret, & ſolum, quæ ſunt de ſolennitate, omitteret. Quin dato etiam, quod materiam à ſe conſecratam, non ſumeret, & ſic nec quoad ſubſtantiam Miſſam perficeret, tamen hujus legis pœnam non effugeret. Quia lex principaliter reſpicit conſecrationem falſam, in qua conſiſtit extrinſeca idololatria, & occaſio idololatrandi fidelibus.

At verò è contra, ſi conſtet extrinſecus in facie Eccleſiæ, quod improbus Sacerdos non conſecravit, vel non abſolvit pœnitentem, quia ante tempus conſecrationis, vel abſolutionis ab altari, vel à confeſſionario diſceſſit, in hoc caſu dubium eſt, an falſus iſte Sacerdos debeat tradi Curiæ ſeculari, Id autem in hoc eſt notandum, quod in hoc caſu per ſe major eſt abuſus audientis confeſſionem, quàm celebrantis Miſſam. Quia ille nedum peccat contra religionem, ſed etiam contra juſtitiam, quia ſibi arrogat in eſſentialibus Sacramenti Pœnitentiæ autoritatem fori pœnitentialis. De eſſentia enim Sacramenti Pœnitentiæ eſt, quod pœnitens confiteatur peccata ſua, quodque illa Confeſſor audiat. Et ita falſus Sacerdos audiens peccata pœnitentis exercet id, quod eſt eſſentiale Sacramento Pœnitentiæ, ac infert irreverentiam Sacramento in iis, quæ ſunt illi intrinſeca. Sed qui celebrat Miſſam, & non conſecrat, & ante ab altari diſcedit, non peccat contra juſtitiam, neque committit aliquid, quod ex lege divina eſt de ſubſtantia Sacrificii Miſſæ, ſed quod ſolus ſpectat ad ſolemnitatem illius ex ſtatuto Eccleſiæ. Unde, ſi verum eſſet non ex noſtra, ſed ex aliorum opinione, quod qui audit confeſſiones, & apparenter non abſolvit, non ſubjiceretur pœnæ ordinariæ hujus legis, quamvis ſit graviter puniendus; majori ratione hoc dicendum erit de eo, qui nec apparenter conſecrat. Neque verum eſt, quod qui incipit Miſſam, ſed poſtea non conſecrat, manifeſte ac propriè celebret Miſſam. Quia Miſſa eſſentialiter conſiſtit in conſecratione, & conſumatione Sacrificii. Qui autem Miſſam incipit, & non perficit, celebrare incipit, vel attentat, ſed non celebrat. Ideoque iſtos non eſſe relaxandos Curiæ ſeculari, ſuſtinet Bordon. in S. Trib. *cap.* 22. *num.* 16. At ego definitionem ſummi Pontificis & in hoc dubio expecto.

Siquis item non Sacerdos totam Miſſæ celebrationem perficeret, ſed manifeſtum eſſet audientibus, quod illam, non ut conſecret, ſed ex irriſione, ac ſimulatione celebraret, puniendus quidem eſſet graviſſime, & fortaſſis pœna mortis, non tamen ex vi hujus legis, quia per eam puniuntur ſolum, qui ſimulant ſe vere celebrare. Nam iſti ſoli ſunt, qui audientes decipiunt, illiſque cauſam idololatrandi exhibent. Si verò adeſſet inter audientes Miſſam aliquis, cui non eſſet manifeſta hæc ſimulatio non Sacerdotis, ejuſque intentio non celebrandi Miſſam, ſed irridendi Sacrificio Miſſæ, ille pœna mortis ex hac lege eſſet plectendus.

Quod ſi non Sacerdos nec ad irriſionem ſacrificii,

neque ſimulando ſe vere celebrare Miſſam, ſed ad repræſentandum ſacrificium Miſſæ, & non proferendo verba conſecrationis ex intentione conſecrandi, ſed ſolius gratia repræſentationis, non comprehenderetur ſub hac lege; poſſetque eſſe, quod nec aliqua pœna dignus eſſet. quia ex objecto non eſt malum, & ex cauſa juſta poteſt eſſe licitum, ac honeſtum. At vide, quæ tibi diximus de Miſſa nautica, ſive ſicca. Idemque dicitur de eo, qui ſolum repræſentative audiret confeſſiones. Sed ſi non Sacerdos ex joco confeſſionem alicujus audiret, graviter puniri deberet, quia maximam injuriam irrogaret Sacramento, ut advertunt Carena *p. 2. tit. 17. §. 2. num. 9.* & ex eo Salel. *lib. 5. cap. 5. num.* 399. de quo nos etiam alibi.

Ut autem hic non ſacerdos Miſſam celebrans, vel audiens confeſſiones tradatur Curiæ ſeculari, conſtare debet de corpore delicti. Quare conſtare debet de celebratione habita ab inquiſito de hoc crimine in tali loco, & tali tempore. Addunt verò aliqui, hoc poſſe probari per teſtes ſingulares, ut Bordon *loc. cit. num.* 21. Alii ex doctrina Panormitani *conſ.* 42. *num.* 2. *&* 3. *lib.* 1. ita diſtinguunt. *Si* teſtes non deponunt de facto individuo, ut ſi deponant de pluribus Miſſis, & unus deponat, quod talis celebravit tali die, & alius alio die, iſti ſunt teſtes ſingulares, & non probant. Sed ſi teſtes deponant de eodem actu individuo, ut quia unus deponit quod Titius non ſacerdos tali die, in tali Eccleſia exiſtens, in altari paratus veſtibus ſacris more Sacerdotis legit Epiſtolam, & alius deponit, quod legit Evangelium, alius, quod elevavit hoſtiam, ii cenſentur conteſtes, ut poſt Felin. *in cap. licet ex quadam num. 2. de teſtib.* Panorm. *ibid. nu.* 11. tradunt Farinac. *q.* 65. *num.* 86. Carena *d. p. 2. tit.* 11. *num.* 17. & Salel. *d. cap.* 5. *num.* 378. Ubi ait non obſtare, quod poſſit eſſe quod reus inceperit, & non perfecerit Miſſam, quia ſufficit, quod teſtificatio teſtis concludat à communiter accidentibus.

Verum quod teſtis concludat à communiter accidentibus abſurde dicitur à Salelles, ut in pleriſque aliis, quia hæc non eſt, niſi probatio præſumptiva. Nam præſumitur factum eſſe, quod communiter fit. Et ideo, quia communiter, qui incipiunt celebrare Miſſam, illam totam celebrant, præſumitur, quod, ſi teſtes deponant de aliquibus actibus Miſſæ, quod celebrans integre eam celebraverit. At vero, ubi præſertim agitur de pœna gravi, & maxime de pœna mortis, non ſufficit probatio præſumptiva. Nemo enim ex præſumptionibus damnatur ad mortem, niſi in caſibus à jure expreſſis. Nec talis eſt mens Panormitani *in d. cap. licet 2. nu.* 11. *de teſtib.* qui bene ad hoc, ut per teſtes ſingulares id totum probetur, requirit, quod ſint probati omnes actus, ex quibus totum reſultat, quamvis id fiat per teſtes ſingulares. In hoc autem caſu ſatis eſſet, ſi probata recitatione Epiſtolæ, & Evangelii ſimul adeſſet teſtis, qui deponeret de conſecratione, ac elevatione hoſtiæ. Quia in hoc actu celebratio Miſſæ habita à non ſacerdote, completur in ratione delicti punibilis ex hac lege pœna mortis. Ideoque, licet præſumi etiam poſſit, quod talis Miſſam compleverit, hoc tamen non eſt neceſſarium, quia ex ſola celebratione uſque ad conſecrationem, & elevationem hoſtiæ, poteſt pœna ordinaria puniri.

Ad effectum tamen damnandi hunc reum pœna extraordinaria, puta triremium, ſufficere teſtes ſingulares, qui deponant de duabus Miſſis diſtinctis ab eo celebratis, arbitratur idem Carena *loc. cit. numer.* 19. poſt Tuſchum *tom. 6. concl.* 226. *num.* 33. *& tom. 2. concluſ.* 171 *num.* 45. Idque confirmat ex deciſione Senatus Sabaudiæ, *in Cod. Fabriano lib.* 9. *tit.* 10. *de ſicar. deſinit.* 8. quod contra aſſaſſinum procedatur, licet non conſtet de corpore delicti. Verum, id in jure habet difficultatem: Nam de jure non ſolum ante condemnationem, ſed ante detruſionem in carceres conſtare debet de corpore delicti, ut per Doctores congeſtos à Farinacio *in pr. q.* 2 Corpus autem delicti non probatur per teſtes ſingulares *l. 1. §. item illud. ff. ad Syllan.* & docent Felic. *alleg.* 155. *numer.* 2. *p.* 2. & Giurb. *dec. crim.* 37. *num.* 46. Quare non ſolum tutius eſt, in hac re prius probare corpus delicti, ſed etiam eſt neceſſarium, niſi eſſemus in caſu, in quo lex ſit contenta genere probationis poſſibilis, ut ſi reus celebravit in partibus longinquis. Videantur Doctores tractantes de neceſſitate requiſita in comprobando corpore delicti.

Dubium aliud movet Carena *ibid. num.* 21. de reo, apud quem repertæ ſunt de Sacerdotio litteræ teſtimoniales falſæ, illo nihilominus dicente, ſe eſſe ſacerdotem. Hunc primò aſſerit, eſſe vehementer ſuſpectum, quod celebraverit ſine ſacris Ordinibus, eoque præcipue, quod negativa Clericatus cenſetur probata favore fiſci ex hoc, ipſo, quod reus non probat contrarium, ut per Carol. de Graſſ. *de effect. Clericat. in proem. num.* 193. Quia qualitas Clericatus non ineſt homini à natura. Hinc deducit ſecundo confeſſionem qualificatam hujus rei confitentis, ſe celebraſſe, ſed dicentis, ſe eſſe ſacerdotem, eſſe dividendam, & rejecta qualitate Sacerdotii, eſſe acceptandam à S. Officio. Addit tertio, hunc non eſſe damnandum in pœnam ordinariam, quia ex confeſſione qualificata nemo punitur pœna ordinaria, Panorm. *in cap. auditis de præſcr* Farinac. *q.* 81. *num.* 157. Maſtril. *dec.* 246. Laderch. *conſ.* 192. *num.* 2. Et quia ex indiciis violentis nemo damnatur in pœnam ordinariam, Innoc. in *cap. quia veriſimile de præſumpt.* Denique ſubdit, hunc reum vel condemnandum in pœnam extraordinariam, vel torquendum, ut confiteatur ſine qualitate juxta doctrinam Baldi *in l. 1. nu. 45. de confeſ.* cenſetque etiam Bordonus *d. cap.* 22 *num.* 25. *& ſeq.* quod probare qualitatem Sacerdotii ſpectet ad querelatum, hanc tamen ſufficienter probari aſſerit, per veras litteras teſtimoniales Sacerdotii, *& v.* 27. vult, quod reus poſſit puniri pœna ordinaria, ſi apud eum repertæ ſunt falſæ litteræ teſtimoniales Sacerdotii.

Sed tamen in hac re notandum eſt, regulam illam, quod negativa Clericatus cenſetur probata favore fiſci ex eo ipſo, quod reus non probat contrarium, eſſe, veram in privilegiis in Clericatu fundatis contra intentionem fiſci, non tamen procedere in pœnis ac delectis ſuper Clericatu, vel non fundatis in Clericatu. Nam in iſtis fiſcus volens punire reum, hanc ſuam intentionem probare tenetur. Tum ex regula generali, quod allegans tenetur probare. Tum quia pœna non debet infligi, niſi conſtito de delicto. Et ideo fiſcus debet prius probare delictum, ut per Doctores, quos affatim allegat Farinac. *d. q.* 2. *Si* ergo delictum fundatur in non Clericatu, ſufficit reo dicere, ſe eſſe Clericum, & fiſco incumbit onus probandi non Cleritatum. Quia tenetur probare delictum, quod non eſt, nec eſſe poteſt in Clerico, ut ſupponimus in hoc caſu, in quo delictum non eſt, ſi celebrans ſit Sacerdos. Sufficit itaque, quod ipſe dicat, ſe eſſe Sacerdotem. Quia ipſe non eſt actor, ſed reus, & ipſe non intendit probare, nec ejus eſt probare, ſed fiſcus eſt, qui intendit probare, illum deliquiſſe celebrando ſine Sacerdotio Fiſcus igitur intentionem ſuam probare debet., & ſic probare debet, quod reus non ſit Sacerdos.

Non autem iccirco negatur, quod falſitas litterarum teſtimonialium de ſacerdotio non indicat

ſuſpi-

ſuſpicionem, quod accuſatus non ſit Sacerdos, & tali debet prohiberi celebratio, ac puniri, tanquam falſarius. Et ſi conſtiterit, quod celebraverit, eſt etiam vehementer ſuſpectus, quod celebravetit, licet non ſit Sacerdos. Quia non eſt veriſimile; ſi eſſet Sacerdos verus, quod non haberet verum teſtimonium de Sacerdotio ſibi collato. Nam hujuſmodi reſtimonium ex praxi datur omnibus, qui ad illud ordinantur. Nihilominus poterit contingere, quod verum teſtimonium amiſerit; & de falſo ſibi providerit.

Si tamen hic confiteatur ſe celebraſſe confeſſione qualificata, & dicat: celebravi, ſed ſum Sacerdos, non putarem confeſſionem hanc poſſe dividi, & acceptari pto prima parte, non autem pro ſecunda Nam tegula, quod confeſſio qualificata, etiam incipiens ab affirmativa poteſt dividi, non habet locum in iis, quæ ex natura ſua non ſunt prohibita. Vide Farinac. *q.* 81. *num.* 149. *& à num.* 168. Sic Doctores exhibent exemplum de illo, qui confitetur, & dicit; Expendi hanc monetam, ſed neſciebam, illam eſſe falſam, & inquiunt, hanc confeſſionem non poſſe dividi. Quod multo magis procedit in hoc caſu. Nam celebrare non eſt ex natura ſua malum, aut prohibitum, neque de ſe eſt delictum. Delictum verò eſt, non ſacerdorem celebrare. Ex quo ergo in hoc caſu teus dicat: Ego celebravi, nullum delictum confitetur, ex quo poſſit damnari; ſed ratio delicti conſiſtit in qualitate non Sacerdotii, quam ipſe negat. Quid ergo vult Judex dividere, Pto ſimplici celebratione non poteſt illum punire. Et hoc eſt, quod reus ſatetut. Sed quod celebraverit, cùm non eſſet Sacerdos, hoc eſſet delictum, ſed hoc ipſe negat. Quando ergo ſubſtantia actionis non eſt mala ex ſua narura; ſed eſt mala ſolum ratione qualitatis deficientia, ſi reus ſateatur ſubſtantiam actionis, ſed neget ejus qualitatem, confeſſio non poteſt dividi, ſed reus pro negante baberi debet. In hoc igitur caſu non ſolum reus damnari non poſſet in pœnam ordinariam, ſed ne quidem in extraordinariam, ſi purget ſuſpicionem illam, quæ ex falſis teſtimonialibus, vel ex aliis indiciis contra ſe urget.

Non eſt tamen dubitandum, quin hujuſmodi reus poſſet torqueri, non quidem ptoprie, ut fateretur ac ſine qualitate confiteretur juxta doctinam Baldi, ſed ut confiteretur delictum principale, de quo eſſet ſufficienter indiciatus, niſi per defenſiones abſtuliſſet indicia, quæ ad torturam ſufficerent.

An verò ſub telatis conſtitutionibus comprehendatur Sacerdos verus, qui vere non conſecrat, ſed panem non conſectatum diſpenſat, vel adorandum proponit, vel ſine juriſdictione abſolvit pœnitentes?

Reſpondeo, non comprehendi. Quia conſtitutiones illæ loquuntur de non ordinatis ad Sacerdotium. Sane crimen Sacerdotis abſolventis ſine juriſdictione non pertinet ad S. Officium, quia conſtitutiones ſupetius adductæ loquuntur expreſſe de non ordinatis ad Sacerdotium, qui abſolvunt, non autem de veris Sacerdotibus, Roderiq *tom.* 2. *q.* 28. *ar.* 2. Roderic. à Cugna *de conſeſ. ſollic. q.* 13. *nu.* 15. Sanctarell. *de hereſ. cap.* 42. *num.* 5. Delbene *dub.* 162. *n.* 12. *&* Carena *p.* 2. *tit* 2. *num.* 15. Idemque dicendum de Sacerdote approbato ad confeſſiones, ſed ſuſpenſo, ſi confeſſionem audiat, & abſolvat, Souſ. *lib.* 1. *aph. cap.* 32. *num.* 6. *& de ſollic. ti.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. De Sacerdote autem bis in die celebrante, de celebrante non jejuno, de revelanre confeſſionem an, & quatenus puniatur à S. Officio, alibi diximus. Nec laicus ſeipſum vel alium communicans, neque laicus in articulo mortis abſolvens ab excommunicatione, etiam ſi ctedat, ſe id facere poſſe, punitur à S. Officio. Quia non eſt de fide, quod id facere nequeat. Immo nonnulli Doctores, id etiam licite fieri poſſe, inquiunt apud Dianam *reſol.* 7. *de ex om.* ac Bordon. *In Tribun. d. cap.* 22. *numero* 4.

Sed ſi verus ſacerdos non conſecret, cùm ipſe ſit idololatra extrinſece, præbendo cultum materiæ non conſecratæ ac præbendo adſtantibus cauſam idololatrandi, eſt de fide ſuſpectus, ideoque ejus delictum cognoſcitur à S. Officio. Atque Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 12. Sacerdotem, qui ob conſcientiam peccati mortalis non profert verba conſecrationis ſuper hoſtiam non conſecratam, quam populo adorandam proponit ſed ſuper particula conſecrata extracta à tabernaculo, Inquiſitionis Officium cognoſcere, idque fuiſſe declaratum à Congregatione S. Officii Mediolanenſis 30. Aprilis 1627. Credit tamen Salelles *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 398. hunc Sacerdotem expediendum eſſe ſine abjuratione cum acri teprehenſione ac ſuſpenſione à celebratione ad tempus. Quia excuſatur à ſuſpicione erroris in omiſſione conſecrationis ſuper hoſtiâ, ſi in caſu peccati mortalis eam non poſſe proferre, judicaret. Sed an, & quando ignorantia excuſet ab abjoratione alibi diſceptavimus, interim notandum, quod in hoc caſu Sacerdos dupliciter errat. Et quia hoſtiam non conſecravit, illamque non conſecratam populo adorandam exhibet. Et quia hoſtiam, ſive particulam conſecratam iterum conſecrat proferendo ſuper illam verba conſecrationis. Suſpectum autem de hæreſi eſſe verum Sacerdorem, ſi cum ſit malæ vitæ, de quo conſtet, quotidie celebrat, & nunquam viſus eſt confiteri, exiſtimat Bordon. *d. cap.* 22. *num.* 46. Sed ſi ex eo, quod aliquis male agit, oriatur ſuſpicio, quod ille non credat non eſſe prohibitum id agere, omnis peccator eſſet de fide ſuſpectus. Quod eſt abſurdiſſimum, ut alibi probavimus. Præterea eſſet etiam neceſſarium, quod conſtaret de non confeſſione, ad quod probandum, ptobari deberet, neminem vidiſſe illum confiteri ex iis, qui id videre potuerint, & adhuc id haud omnino ſufficeret. Quia ſæpius confeſſio fit ſecretò, nulloque vidente, ac ſine teſtibus, & arbitris.

Denique circa præfatas Pontificum conſtitutiones advertendum eſt, quod ex illis non eſt conceſſa facultas Inquiſitoribus procedendi contta non Sacerdotes, qui aliud Sacerdotum munus uſurpant, quàm celebrationem Miſſarum, & auſcultationem confeſſionum. Vult tamen Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 32. *num.* 4. *&* 16. quod hoc delictum non committatur Inquiſitoribus privative quoad Ordinarios, ſed cumulative. Aſt de hoc nos alias.

Qualiter autem expediri debeant iſti non Sacerdotes celebrantes, ſi ſponte compareant, ſpeciali conſideratione dignum eſt. Fertur enim eos ſuſpendi ab exercitio Ordinum, & inhabilitari ad alios ſuſcipiendos.

Qui Miſſam ſine Ordine presbyteratus celebrant, prævia actuali degradatione Ordinum ſuſceptorum, traduntur paſſim Curiæ ſeculari, etiam pro prima vice.

Qui Miſſam ſine Ordinibus celebravit, ſtante minori ætate, & quia fuit à ſuis ſuperioribus conſignatus S. Officio, damnatur ad triremes in perpetuum.

Qui non ordinatus celebravit ob minoritatem, ac nobilitatem familiæ, & quia fuit à ſuis ſuperioribus præſentatus, damnatur ad triremes in perpetuum, & hujuſmodi pœna commutatur in carcerem perpetuum.

Regularis, qui celebravit ſine presbyteratu ex gratia decernitur, quod Religio deducat quidquid

ad ſavorem rei poteſt deducere. Legitur memoriale Procuratoris generalis, qui tam ſuo, quam nomine ſuæ Religionis ſupplicat, ut Sanctitas ſua modereretur rigorem pœnæ contentæ in adductis conſtitutionibus contra minores viginti annis, non promotos celebrantes, quam incurrit dictus Regularis non Sacerdos, Sanctiſſimus auditis precibus Religionis, & habita conſideratione, quod dictus Regularis procuraverit abſolutionem, ſed non fuit bene informatus, ut gaudere poſſet privilegio ſponte comparentium, quodque in proceſſu probatum fuerit, eum non eſſe omnino mentis compotem, eſſeque annorum viginti, ac trium menſium, aliiſque juſtis de cauſis, moderatus fuit rigorem dictæ pœnæ ac decretum, dictum Regularem eſſe torquendum pro ulteriori veritate, ac ſuper intentione; ſi nihil emergat, damnandum ad abjurandum de vehementi, & poſtea ad triremes in perpetuum.

Regulari ſponte comparenti, qui celebravit non promotus, Sanctiſſimus mandavit notum fieri, quod eſt ſuſpenſus ab Ordinibus ſuſceptis, & inhabilis ad alios ſuſcipiendos, & mediantibus ſuis ſuperioribus alibi aſſignari de familia extra locum, in quo deliquit.

Qui celebravit non promotus, ſtante ejus minori ætate viginti annorum, & quia non ſubintrat pœna ordinaria, fuit damnatus ad triremes in perpetuum.

Quidam Luſitanus ſubdiaconus qui Miſſam celebravit, inquiſitus, & condemnatus in S. Officio Valliſoletano, Sanctiſſimus cum eo diſpenſavit, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, nec non ad Diaconatum & Presbyteratum promoveri poſſit, dummodo non celebret in loco commiſſi delicti.

Quidam Regularis inquiſitus in S. Officio Mediolanenſi, quod celebraverit bis in die, examinatus, faſſus eſt. Sed antequam diſcederet ſponte depoſuit, Miſſam celebraſſe cùm non eſſet Sacerdos. Deinde carceratus, ob diligentias factas ex officio, repertum fuit eum audiviſſe etiam confeſſiones Sacramentales. Factis defenſionibus, fuit declaratus à Sanctiſſimo ſponte comparens, prævia abjuratione de vehementi. Quod vero ad celebrationem bis in die Sanctiſſimus illum damnavit ad ergaſtulum per biennium, non autem nomine S. Officii, cum ad ſacrum Officium non ſpectet hujuſmodi delicti cognitio.

Hac occaſione Sanctiſſimus juſſit ſignificari Generalibus Religionum quod moneant ſuperiores ut in admittendis Sacerdotibus ad celebrationem Miſſarum ſibi oſtendi faciant litteras collationis Ordinum, & presbyteratus.

Sanctiſſimus decrevit, quod Regulares omnes non promoti, celebrantes, aut Sacramentum pœnitentiæ miniſtrantes, inquiſiti in S. Officio, vel in aliquo Tribunali Eccleſiaſtico, incurrant in pœnas Conſtitutionum ac Decretorum, quæ hac in re ſunt emanata, licet ab eorum ſuperioribus præſentati fuerint S. Officio, quorum præſentationis nullam rationem haberi voluit, niſi facta fuerit ab eorum Generalibus. Ita Urbanus VIII. ſub anno 1635.

Irregularitatem contractam ab eo, qui cantavit Evangelium, non exiſtens ordinatus, cognoſcit Ordinarius.

Quarto damnandi ſunt pœna mortis, ac ſi eſſent relapſi, illi, qui abutuntur Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Ita namque decrevit Paulus IV. in S. Congregatione 17. Februarii anno 1559. quod refert Diana *p. 4. poſt. tr.* 8. inter alias conſtitutiones, & decreta Pontificia, quæ ad S. Officium pertinent, ac Delben. *in fine 2. tomi.* Abuſus autem hujus Sacramenti hac pœna puniendus eſſet, ſiquis ſacram hoſtiam conculcaret, vel in partibus pudendis poneret, aut ſi eam in ſortilegiis adhiberet, Salell. *lib. 6. cap. 7. num.* 42. de quo etiam extat decretum in fine Judicialis Inquiſitorum, & tradunt Genuenſis *in pr. cap.* 68. *num.* 10. Montra *de incant. opuſc. 1. ſect. 3. cap. 5. nu.* 29 quos ſequitur Delbene *dub.* 230. *ſect.* 8. *n.* 2. Vel ſi hoſtiam, vel unam, aut plures particulas conſecratas ſurriperet ex Conſtitutione Innocentii XI.

Quinto jure civili pœna mortis puniendus eſt tanquam relapſus, qui Imaginem Chriſti, Deiparæ, vel Sanctorum, data opera, percutit, vulnerat, deturpat, Angel. *in l. ex Senatus Conſulto ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Boer. *dec.* 301. *num.* 18. Farinac. *p. 1. q. 20. n.* 68. ubi aliis. Non tamen deſunt, qui dicant, hoc delictum non eſſe hæreticale, nec ejus cognitionem pertinere ad Inquiſitores, licet graviſſimum ſit. Ita enim ſentiunt Ghirland. *de ſortil. q. 20. num.* 10. & Torrebl. *de mag. lib. 3. cap. 8. num.* 17. At hæc opinio eſt pluſquam falſa, eamque alibi rejecimus. Non enim negari poteſt, quin hoc delictum præſeferat ſuſpicionem de hæreſi, præcipue Lutheranorum, reprobantium imagines Sanctorum, ut proinde aſſerat Souſa *lib. 2. aph. cap. 42. n.* 14. quod hic delinquens violentam habeat hæreſis ſuſpicionem, & quod hujuſmodi delictum ſapiat manifeſtam hæreſim. Id, quod etiam tradunt Raph. de Turre 2. 2. *quæſt.* 96. *ar.* 4. *dub.* 2. Farinac. *d. q.* 20. *num.* 68. Diana *p. 4. tr. 7. reſol.* 9. & apud ipſum Bellochius, Seſſe, & Carreius, ac proſequuntur Delrius *lib. 5. magic. ſect.* 16. *§. Sacerdotes*, Salelles *lib. 6. cap. 7. num.* 55. Caſtrius *de juſt. hæret. punit. capit.* 15. & Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 33. *num.* 19. Ideoque eſt mere Eccleſiaſticum, ejuſque cognitio ad Quæſitores fidei, privative quoad alios, pertinet, Genuens. *loc. cit. num.* 12. Lazar. *de blaſph. quæſt.* 6. *nu.* 14. aliique alibi à nobis adducti.

De jure autem Canonico hoc delictum puniri pœna arbitraria docent Clar. *q.* 66. *n.* 19. Menoch. *de arb. caſ.* 376. Simanch. *d. tit.* 33. *numer.* 19. Farinac. *ea quæſt.* 20. *num.* 68 *ac de hæres. quæſt.* 181. *§.* 1. *num.* 43. Souſa *d. cap.* 42. *num.* 13. Genuens. ac Diana *loc. cit.* Salell. *d. cap.* 7. *num.* 56. & Colligitur *ex cap. ſi Canonici de offic. ordin. in* 6. Licet Souſa ibidem velit, quod ſi delictum ſit publicum, delinquens, etiam ſi non habeat animum hæreticalem, tradendus ſit brachio ſeculari. Et *n.* 17. ſubdat, quod ſi iſte animum hæreticalem fateatur, ac pœniteat, adhuc Curiæ ſeculari ſit tradendus, poſtquam Eccleſiæ fuerit reconciliatus. Quod non improbant Diana, & Salelles ubi ſupra, etſi hic *dicat nu.* 58. tutius eſſe conſulere S. Congregationem. Et ita procul dubio fieri debere cenſeo. Hunc tamen delinquentem ob qualitatem criminis aliquando traditum fuiſſe Curiæ ſeculari ex Ancharano, & Caſſaneo referunt Farinac. *d. quæſt.* 20. *num.* 71. *& d. q.* 181. *num.* 44. Menoch. *d. caſ.* 376. *nu.* 4. Souſa & Salelles *loc. alleg.* & nos *alibi.*

Sextò inter puniendos pœna mortis ad modum relapſorum, numerantur hæreſiarchæ. Dicitur autem ac eſt hæreſiarcha, non ſolum qui hæreſim invenit, ſuſcitavit, vel ſe hæreticis caput, aut dux exhibuit, ſed etiam, qui, veluti ex officio, aut conſuetudine inventos errores docet, vel publice, aut occultè eos prædicat. Verum magis proprie loquendo diſtinguntur hæreſiarchæ & dogmatiſtæ. Nam hæreſiarcha eſt veluti hæreticorum princeps, ut advertit Eymeric. *p. 2. quæſt.* 39. ideoque ille eſt, qui hæreſim invenit, & eam à ſe inventam diſſeminat, & docet verbo, vel ſcripto. Is verò qui hæreſim ab alio inventam prædicat, & docet, magis proprie dicitur dogmatiſta. Sed quia dogmatiſtæ ſunt magiſtri errorum, iccirco etiam ſub nomine hæreſiarchæ comprehenduntur, quamvis, in ſecundo loco

can. quia aliorum 24. *quæſt*. 3. Albertin. *de agnoſc. aſſert. q.* 29. *num.* 23. *& quæſt.* 30. Param. *de orig. Inquiſ. lib.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 134. Carena *p.* 2 *tit.* 1. *num* 148. & Zanard. *in ſum. divin. præcept. tit. de fide* §. 14.

Ut tamen aliquis dicatur hæreſiarcha, vel dogmatiſta non ſufficit, quod ex pravo, & privato affectu ſuos conſanguineos, vel alios doceat, ſed neceſſe eſt, ut id faciat veluti ex officio & conſuetudine publice, vel occulte proprios, vel alienos errores doceat, aut prædicet pluribus, ſive ſimul, ſive ſingulis in particulari, Suarez *de fide diſp.* 23. *ſect.* 2. *nu.* 11. Salell *lib.* 6. *cap.* 7. *num.* 27. & Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 9. *num.* 4. ſubdens *num.* 5. illum etiam eſſe hæreſiarcham, qui hæreticos in errore confirmat, ſive id verbo faciat, ſive ſcripto, & qui hæreticorum errores defendit. Quod ex *d. can. qui aliorum* 24. *quæſt.* 3. *& nu.* 6. ait, hæreſiarcham eſſe, qui hæreſes, quaſi ex officio, & conſuetudine docet ac prædicat per alios, ſive verbo, ſive ſcripto, ac inſuper qui libros hæreticos componit, & promulgat. Quia hæc importat magiſterium erroris.

Hujuſmodi igitur hæreſiarchas puniendos eſſe pœna mortis, & tradendos Curiæ ſeculari volunt Repert. *Inquiſ. v. ducere*, Simanch. *de cathol. inſtit. tit.* 47. *num.* 50. *Royas de hæret. p.* 2. *num.* 339 *aſſert.* 43. Suar. *loc. cit. num.* 10. Fermos. *in alleg. fiſcal.* 30. *num.* 26. Et ita factum aliquando fuiſſe, Rege Galliæ Sabaudiam occupante ex Gotofredo Abavo refert Carena *d. p.* 2. *tit.* 1 *n.* 186. ac deſumitur *ex l. cum. ſervum C. d. hæret. l. quicunque C. eod. l.* 2. *C. ne ſacrum baptiſma*. Quibus legibus ſtandum eſt, cum nihil in contrarium ſit diſpoſitum in jure canonico, nec ſit inſolens, quod in pœnis imponendis jus canonicum per civile ſuppleatur, eſtque id conforme juri divino. Nam Deuter. 13. de dogmatizante falſa dicitur, ſtatim interficiatur. Ideoque in jure canonico nullibi ſancitum reperitur, quod iſti recipiantur. Generalis autem definitio, quod hæretici pœnitentes recipiantur, non ſufficit ad corrigenda dicta jura civilia, neque ad comprehendendum dogmatizantes. Quia lex generalis de aliquo delicto non comprehendit delictum ſpecialiter qualificatum quod ad indulgentiam aliquam, ut docent juriſtæ. Eoque magis, quia dogmatiſta non eſt pure hæreticus, ſed plus quam hæreticus; & quia in dogmatizantibus præſumitur maxima pertinacia, valdeque timeri debet de illorum converſione; & ideo magnum animarum periculum timendum eſt, ſi recipiantur.

Contra, alii aſſerunt, non eſſe quidem facile credendum hæreſiarchis, & dogmatizantibus, quod verè convertantur, præcipue ſi non ſponte venerint, aut ſi poſt multum tempus miſericordiam petant, attamen ſi vere pœniteant, recipiendi ſunt, & non relaxandi Curiæ ſeculari. Ita Eymer. *p.* 2. *q.* 39. *& p.* 3. *num.* 188. ibique Scholiaſt. *p.* 2. *com.* 64. Farinac. *q* 193. *num.* 2. *& ſeq.* Decian. *lib.* 5. *cap.* 54. *n.* 47. Cantera *quæſt. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *nu.* 76. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 7. *pun.* 2. *num.* 17. Salell. *lib.* 6. *cap.* 7. *nu.* 30. Carena *p.* 2. *tit.* 1. *num.* 186 Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 44. *num.* 43. Delben. *ſub.* 163. *num.* 3. Fermos. *tr. iv. ad cap. Excommunicamus* 15. *de hæret. num.* 5. *&* 6.

Hæc ſententia verior eſt, quæ non ſolum habetur ex Concilio Bitterenſi, & Tarraconenſi apud Pegnam *d. com.* 64. ſed ex *cap. ad abolendam de hæret. in* 6. ponderatis verbis illis, *Aliter ſentire, aut docere non metuunt*, quibus comprehenduntur etiam docentes hæreſes, qui ſunt hæreſiarchæ, aut dogmatizantes. Cum igitur ibi decernatur, hæreticos pœnitentes eſſe ad miſericordiam recipiendos, id non poteſt intelligi ſolum de iis, qui male ſentiunt, ſed etiam de illis, qui hæreſes docent. Atque ita ſervatum fuit in Berengario hæreſiarca reconciliato, & ab Eccleſia recepto ad miſericordiam, ut conſtat *ex can. Ego Berengarius de conſecr. d.* 2. ſufficitque, quod in jure canonico nullus extet textus, in quo ſancitum ſit, hujuſmodi hæreſiarchas, & dogmatiſtas non eſſe admittendos ad miſericordiam, ſed eſſe Curiæ ſeculari tradendos.

Neque obſtat ſuperius adducta. Ad primum enim dicimus, quod cum crimen hæreſis ſit mere Eccleſiaſticum, leges civiles non obligant Eccleſiaſticos Judices, ut teneantur juxta illas judicare. Quod maxime verum eſt, ubi, (prout in hoc caſu) ex jure canonico colligitur oppoſitum. Illæ tamen leges civiles non ideo ſunt inanes, quia ſervandæ ſunt à Magiſtratibus ſecularibus, quando Eccleſia illis relinquit hæreticos pœna mortis puniendos, hoc eſt ſi ſint impœnitentes. Ita enim illæ leges intelligi debent, per quas non potuit claudi gremium Eccleſiæ, ut vere pœnitentes non admittat, ubi, & quando id convenire judicaverit. Ad ſecundum, Propheram falſum, & inducentem ad idololatriam, interficiendum eſſe, juſſit Deus Deuter. 13. Sed lex vetus, quæ terroris lex fuit, ac ſeveritatis, abrogata eſt per legem gratiæ. Proinde pia mater Eccleſia hos falſa dogmatizantes, ſi ſint impœnitentes, tradit Curiæ ſeculari, à qua jubentur interfici, at ſi ſint pœnitentes, ceſſetque periculum animarum, & ſcandalum, illos ponit intra gremium ſuum. Ad tertium. Illud non probat, niſi, quod hiſce dogmatiſtis non ſit facile credendum. Scio enim quid de Manichæis ſcribit Auguſtinus 3. *confeſſ. cap.* 6. *Incidi, ait, in homines ſuperbe delirantes, & carnales nimis, & loquaces, in quorum ore laquei diaboli, & viſcum confectum commixtione ſyllabarum nominis tui; ſed & nominis Jeſu Chriſti, & Paracleti Conſolatoris Spiritus Sancti. Hæc enim omnia non recedebant de ore eorum, ſed ſono tenus, & ſtrepitu linguæ. Cæterum cor inane veri, & dicebant veritatem, & multi eam dicebant mihi, & nuſquam erat in eis, ſed falſa loquebantur.* Eſſe autem hunc perpetuum morem hæreticorum omnium, S. Irenæus, allegato anteriore quodam Patre, ſcire dixit *lib.* 3. *contra hæres. cap.* 16. dicens, hoc eſſe lacti gypſum immittere, ut ſecurius noceat. Scio, quod obſervatum ſemper fuerit, hæreſiarchas aut eſſe Magos, aut hæreſibus magicas artes ſucceſſiſſe. Talis enim fuit Simon Magus. Menander quoque habuit dæmonem familiarem, ut Euſebius affirmat *lib.* 4. *hiſt. c.* 26. Idemque de Marco Valeriano Priſcillianiſta, & Carpocrate, Irenæus *lib.* 4. *contra hæreſes*. De Hermogene Hieronymus *epiſt. contra Pelag. ad Theſiph.* ac Sulpicius Severus *lib.* 2. *hiſt.* At huic periculo occurritur, quod ſoli in carceribus detinentur.

Tres tamen eſſe caſus, in quibus ſi hæreſiarchæ tradendi ſunt Curiæ ſeculari, ajunt Doctores. Primus eſt illius, qui magnam pertinaciam oſtendit, & nonniſi poſt multiplices monitiones, & poſt longum tempus jam brachio ſeculari tradendus, dedit ſigna pœnitentiæ. Secundus illorum, qui præceptis, comminationibus, ac pœnis, ſive contra, præmiis, promiſſionibus juratis, aliiſve exquiſitis modis conati ſunt, ut aliquem à fide averterent, ſive ut hæreſim ſuadeant. Tertius illorum eſt, qui Regem, vel Principem, aut alias perſonas regias procurarunt aliquo modo pervertere. In his enim caſibus hæreſiarchas, ſive dogmatiſtas tradendos eſſe Curiæ ſeculari docent Pegna *d. com.* 64. Farinac. *q.* 193. *num.* 7. *& ſeqq.* Zechius, Zanardus, & Marinus, quos refert, ac ſequitur Carena *p.* 2. *tit.* 1. *num.* 186. Salell. *lib.* 6. *cap.* 7. *nu.* 33. *& ſeqq.* Delbene *dub.* 163. *num.* 10. *&* 11.

Nimis verò rigoroſum eſt, quod ex Souſa *lib.* 1. *aphor.*

aphor. cap. 9. *num.* 14. aſſerit Delben. *loc. cit. n.* 9. quod ſ ilicet non ſit ad reconciliationem admittendus dogmatiſta, qui poſtquam ab Inquiſitoribus comprehenſus fuit, ſtatim non eſt converſus, ſed errorem ſuum defendit. Sed, ut alii Doctores tradunt, ſi ſolum magnam pertinaciam oſtendit, & nonnili, poſt longum tempus, quando jam eſt brachio ſeculari tradendus, ſigna pœnitentiæ oſtendit, Curiæ ſeculari eſt relaxandus, eſſetque ſanè tradendus Curiæ ſeculari, ubi ſimul comprehenſus non convertatur: ſi tamen Eccleſiæ non conſtet de vera pœnitentia, ſed præſumi poſſit ac debeat quod pœnitentia ſit ficta, & timore mortis, vel alia de cauſa, & non ex vero animo oriatur. In tertio autem caſu ſpecialis adeſt ratio, quia ſcilicet delicto hæreſis jungitur crimen læſæ majeſtatis. Nam qui Principes depravare, aut corrumpere tentat, in totam Rempublicam machinatur.

Atque ex his, ita mihi concludendum videtur. Tradere hæreſiarchas, aut dogmatiſtas Curiæ ſeculari, eſt arbitrarium. Nam, licet regulariter, ſi delictum non eſt intra ſuam ſpeciem ſpeciali qualitate gravatum, iſti recipiendi ſunt ad reconciliationem, in arbitrio tamen Judicum eſt, obſervare, an iſti ſint verè pœnitentes, qua in re prudentiſſime ſe gerere debent Inquiſitores, quia majori ex parte fictæ ac fraudulentæ ſolent eſſe eorum converſiones, ſuperbia, & inani gloria hoc hominis genus agitante. ut iccirco *in cap. ut offi ium de hæret. in* 6. admoneantur Inquiſitores, ut provideant, ne hæretici, ſimulata converſione redeant, ideoque longiori tempore ac multiplicatis experimentis tentari debent, ut appareat, an vere, an ve ficte converſi ſint, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 47. *num.* 72. Pegna *d. com.* 64. Farin *d. q.* 193. *n.* 12. aliique apud ipſum. Eſtque item arbitrarium diſcernere, an delictum dogmatizationis ſit ita qualificatum, ut recedendum ſit à communi regula. Licet enim interdum ob immanitatem facinorum à communibus juris regulis diſcedere, ut per Jonnoc. *in cap.* 1. *de conſtit.* ibique Oſtienſis, & Archid. *in can. qui bona* 17. *q.* 1. ac Pegna *d. com.* 64.

Cæterum, ſi dogmatiſtæ, & hæreſiarchæ non traduntur Curiæ ſeculari, graviſſimis pœnis ſunt puniendi, ac perpetuo carceri mancipandi, nec pœnæ mitigandæ, ac præcipue non liberandi è carceribus, niſi forſan poſt longiſſimum tempus, & poſt maniſeſtiſſima pœnitentiæ ſigna, ut ex Concillio Biterrenſi colligit Pegna *d. com.* 46. iis enim non ita facile credendum, quod verè ſint converſi. Si verò traduntur Curiæ ſeculari, etiamſi pœniteant, illis ſic pœnitentibus miniſtrari debent Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ut de relapſis jam dictum eſt per textum *in d. cap. ſuper eo de hæret. in* 6. & ex traditis à Suarez *de fid. diſp.* 23. *ſect.* 2. *n.* 12. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 63. *num.* 7. Sous. *lib.* 1. *aph capit.* 10. *n.* 18. ac Delben. *d. dub.* 163. *n. fin.* ſi verò hæreſiarchæ ac dogmatiſtæ, qui nullo modo præventi ſunt inquiſitione, vel indiciis, ſi intra tempus gratiæ ſe præſentent Inquiſitoribus, oſtendentes veræ converſionis ſigna, frui poſſunt beneficio gratiæ, ſecus verò, ſi veræ converſionis, ac veræ pœnitentiæ ſigna non appareant, Pegna de *temp. grat. cap.* 12. *cas.* 4. Sous. *l.* 4. *cap.* 10. *nu.* 1. & 2. Dogmatiſtis verò, ſi relapſi ſunt, rarò, vel nunquam concedendum eſt beneficium temporis gratiæ, Sous. *loc. cit. nn.* 3.

Sexto ex Conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit *Omnipotentis, Dei*, data ſub die 20. Martii 1623. Lamiæ, ſive ſtriges, aut qui pactum cum dæmone fecerint, & à fide apoſtatando maleficiis, vel ſortilegiis unam, aut plures perſonas ita læſerint, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſequuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſeculari traduntur, debitis pœnis puniendi. Vigore igitur hujus Conſtitutionis ad hoc, ut ſit locus pœnæ ordinariæ neceſſe eſt primo, quod ſortilegus inierit pactum cum dæmone. Deinde, quod à fide apoſtataverit. Poſtremo, quod maleficium ad mortem, ſive mortale contra aliquem exercuerit. Præterea, quod ex vi maleficii mors ſequuta fuerit. Itaque ſi unum ex his deficiat, ſortilegus ex vi hujus Conſtitutionis non eſt tradendus Curiæ ſeculari. Dictio enim *&*, quæ conjungit, requirit concurſus conjunctorum, Decian. *conſ.* 44. *n.* 58. *lib.* 4. & Rota *dec.* 308. *n.* 7. *coram Ludoviſio.*

Hinc notandum, quod hæc Conſtitutio non comprehendit mandantem, neque eum, qui ad maleficium utitur opera ſortilegi. Nam loquitur de ſortilego faciente pactum cum dæmone & apoſtatante à fide, atque adeo de maleficio cauſante mortem alicujus. Mandans autem non init pactum cum dæmone, neque eſt apoſtata à fide. Nec hujuſmodi pœnam incurreret, qui mediante pacto implicito læderet aliquem ſortilegio. Quia hic non apoſtata à fide, neque init pactum cum dæmone, ſed ſolum utitur illo ſortilegio. Minuſque ad illas incurrendas ſufficit delictum attentatum, ſed requiritur conſumatum ita, ut ex maleficio mors ſequuta fuerit. Quare deficiente vel pacto, vel apoſtaſia à fide, vel læſione, ac morte maleficiati, hoſtile maleficium mandans puniendus eſt pœnis juris communis, de quibus Souſa *in aph. lib.* 1. *cap.* 58. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 10. Tortebl. *lib.* 3. *cap.* 13. & Carena *p.* 2. *tit.* 12. *nu.* 271.

Septimo traduntur brachio ſeculari, tanquam relapſi, ex Conſtitutione 113. Urbani VIII. cujus initium. *Inſcrutabilis judiciorum* Dei, Aſtrologi, qui fecerunt judicia de ſpectantibus ad ſtatum Reipublicæ chriſtianæ, ac de vita & morte Pontificis, ejuſque conſanguineorum, nec non Hæretici impœnitentes, de quibus ſuis in locis.

Porrò antiquitus relapſi, etiam pœnitentes, ac petentes veniam, non tradebantur Curiæ ſeculari, ſed captivi in carcerem perpetuò condebantur, vel in arctum monaſterium ad pœnitentiam agendum. Repert. Inquis. *v. relapſus*, Eymer. *in direct. p.* 2. *q.* 58. Calderin. *de hæret. rubr. de redeunt. n.* 7. Farinac. *q.* 191. *n.* 5. Salell. *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 14. Delben. *dub.* 162. *n.* 33. Sed nunc relapſi, etiamſi pœniteant, traduntur brachio ſeculari ex decreto *in d. cap. ad abolendam de hæret. in* 6. *& in d. cap. ſuper eo eod. tit. & lib.* Quod etiam docet D. Thom. 2. 2. *q.* 11. *ar.* 4. & cum eo Theologi & Canoniſtæ. Qui etenim in hæreſim relabitur, non præſumitur rediiſſe ad fidem, non ex animo, ſed fictè, aut ſimulate, præbetque aliis exemplum ut in abjuratas hæreſes redeant, nec ſine periculo, quod alios inficiant. Eorum etiam bona publicantur, ut per Caren. *p.* 2. *tit.* 2 *nu.* 43.

Et quamvis juxta ſtatutum *in cap. novimus* de *verb. ſignif.* Quæſitores fidei in fine ſententiæ, qua tradunt relapſum Curiæ ſeculari, rogent efficaciter illam, quod in reum traditam citra ſanguinis effuſionem, ac mortis periculum ſententiam ſuam moderetur, Judices tamen ſeculares hujuſmodi relapſum, etiam pœnitentem, pœna mortis punire debent abſque ulla recognitione proceſſus abſque ulla mora, ut ſtatuitur in *cap.* ut Inquiſitionis de *hæret. in* 6. ac docent ibi communiter Doctores. Pœna verò, qua puniri debet eſt combuſtio, cum hoc tamen diſcrimine, quod pœnitens prius admittitur ad ſacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, poſtea ſtrangulatur. Impœnitens vivus comburitur, ut per Simanch. *de cath. inſtit tit.* 57. *num.* 16. *& ſeq.* Azeved *ad Reg. Hiſp. conſtit. lib.* 8. *tit.* 3. *l.* 1. *num.* 172. & Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *n.* 39.

Ante tamen ſententiam plura ſervanda ſunt. Primum formandus eſt proceſſus contra relapſum. Aliquos tamen ſenſiſſe quod relapſus ſine alio proceſſu ſtatim tradi debeat Curiæ ſeculari, ait Salelles *libro* 5. *capit.* 6. *numer.* 142. ac refert pro hac ſententia Decianum *libro* 5. *capit.* 55. *numer.* 15. At ibi Decianus non loquitur in ſpecie de relapſo, ſed de

hæreti-

hæret'co ſæpius monito, ac pertinaciter reſiſtente, & hunc, cùm ſit notorié pertinax, damnari poſſe ſine proceſſu, aſſerit. Et tamen adhuc vult, pronunciandum eſſe, quod tradatur Curiæ ſeculari. Verum quod, ne in caſu quidem nototii, poſſit hæreticus damnari ſine aliquo proceſſu, in quo Judici conſtet de notorietate delicti, ex eodem Deciano *lib. 5. cap. 38. nu. 1. & cap. 13. num. 5. & 6.* probat Farinac. *qu.* 185. *n.* 75. Sicque etiam contra relapſum formari debet proceſſus etiam in caſu nototii, licet in eo procedatur ſummarie, non ſervatis iis omnibus, quæ in caſu non nototii ſunt ſervanda.

Secundo neceſſe eſt, quod relapſus citetur, Aliqui verò aiunt, relapſum, non debere citari, ſed tamen ſi neget, ſe eſſe relapſum, citari debere, ut Farinac. *q.* 185. *num.* 146. & Souſa *lib.* 2. *aph. cap* 27. *num.* 13. At iſti minus apre ac convenienter id aſſerunt. Nam ex *dd. cap. ad abolendam & cap. ſuper eo*, de *heret. in* 6. ab ipſis citatis, relapſo non negatur andientia. Rectius loquutus eſt Simanch. *de cath. inſtit, tit.* 57. *numer.* 23. dicens, quod; licet relapſo convicto negetur audientia, tamen antequam conſtet, illum eſſe relapſum, audiendus eſt. Id ipſum docuit Gundiſal: *de heret. qu.* 18. *numer.* 2. eſtque in citatis juribus ſancitum. Ibi enim dicitur, quod deprehenſus relapſus ſine audientia tradatur Curiæ ſeculari. Neceſſe igitur eſt, ut prius in judicio conſtet de relapſu antequam ſine audientia relapſus tradatur Curiæ ſeculari. Non eſt autem deprehenſus relapſus in judicio, niſi poſtquam citatus in judicio fuerit auditus, & aut confeſſus fuerit hoc delictum, aut da eo fuerit convictus.

Cumque reus per ſe tria poſſit allegare. Vel quod factum, de quo inquiritur, non ſit delictum. Vel quod ipſe, factum, quod eſt delictum, non commiſerit. Vel quod de delicto commiſſo non conſtet in proceſſu, certum eſt, quod, ſi reus velit allegare, quod id, quod ab Eccleſiâ eſt definitum, ut factum hæreticale, non ſit hæreticale, non eſt audiendus, immo in hoc magis ſe gravat, & ſe eſſe hæreticum ſua ipſa allegatione convincitur, ut per Pegn. *p.* 2. *com.* 10. Farinac *de heref. q.* 197. *num.* 70. Souſ. *lib.* 2. *aph. cap.* 29. *nu.* 10. & Caren. *p.* 3. *tit.* 9. *n.* 2. Ex hoc tamen non poteſt ſimpliciter deduci, quod relapſus non ſit citandus, & audiendus. Quoniam in omni cauſa criminali non eſt audiendus reus allegans, quod factum illud non ſit delictum, quod manifeſte à jure habetur pro delicto. & tamen adhuc ſimpliciter reus in cauſis criminalibus eſt citandus. Quod magis procedit in crimine relapſus, in quo multi ſunt caſus dubii, an ſint, vel ne relapſus. Atque ita ex duplici capite relapſus eſt audiendus. Ex parte juris, quia in caſu dubio poteſt probare, quod de jure ex facto, de quo eſt convictus, non ſit judicandus relapſus, & ex parte facti; Quia poteſt negare, ſe commiſiſſe factum, ex quo judicaretur relapſus. Omnino igitur eſt citandus. Solus autem poſtquam prætenſus relapſus eſt in judicio confeſſus, vel convictus de relapſu, non eſt amplius audiendus juridice; at id non eſt proprium relapſi, ſed cujuſvis delinquentis, niſi delinquens appellet Et tamen abſolute verum eſt, quod rei ſunt citandi Eo magis quod licet rei in pluribus cauſis, ſi appellent, ſint audiendi, non tamen ſunt citandi ſpecialiter ad appellandum. Et ita ex quo jus nolit, quod aliquis reus appellans, audiatur, non poteſt inferri, quod non debeat ante ſententiam citari ad omnes & ſingulos actus, ad quos rei ſunt citandi.

Duplex verò audientia de jure negatur convictis de relapſu. Altera juridica, quod ſi appellet, non audiatur, ut mox dicetur. Altera gratuita, quod ſine miſericordia tradantur omnino Curiæ ſeculari.

Tertiò relapſis concedendæ ſunt defenſiones, ut ſi forte ſit innocens, ſuam innocentiam defendere poſſit, & allegare omnia illa, per quæ vel appareat innocens, vel non appareat delinquens, vel effugiat pœnam omnino, vel minui debeat de jure, Reper. Inquiſ. *v. citatio.* Gundiſal. *de heref. qu.* 11. *num.* 2. Simanch. *de cath. inſtit. cap.* 57. *nu.* 23. Royas *ſing* 23, *nu.* 6. Decian. *tr. cr. lib.* 5. *cap.* 32. *nu.* 2. *& cap.* 56. *nu.* 9. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 29 *nu.* 2. *& ſeqq.* Farin. *de heref. q.* 185. *n.* 217. Carena *p.* 3. *tit.* 9. *nu.* 6. Salel. *lib.* 5. *cap.* 6. *nu.* 144.

Quartò ad effectum puniendi relapſum, in rigore juris, ſive pœna ordinaria, conſtare debet de relapſu, ac de ſpecie illa relapſus, pro qua illa pœna eſt impoſita. Solis enim ſuſpicionibus, ac præſumptionibus non probantur plene delicta, ut aliàs diximus, & adverunt Anchar. *in cap. accuſatas not.* 1. *de heret. in* 6. ibique Gemin. *nu.* 2. Franch. *nu.* 2. & Barbat. *n.* 4. Et ideo, ut relapſus Puniatur pœna ordinaria, & tradatur Curiæ ſeculari, neceſſe eſt, quod delictum relapſus ſit plene probatum ita, ut de illo conſtet vel per facti evidentiam, vel per rei confeſſionem, vel per teſtes, Silveſt. *v. hereſis* 1. *nu.* 39. Menoch. *conſ.* 8?. *nu.* 177. Farinac. *q.* 195. *n.* 48. Salell. *lib.* 5. *c.* 49. ac Delben. *dub.* 162. *nu.* 24. & habetur *ex d. cap. ad abolendam, & d. c, ſuper eo*, in quibus requiritur, quod quis deprehenſus ſit, relapſum eſſe, ut ſine audientia tradatur Curiæ ſeculari. Non autem poteſt quis dici deprehenſus in relapſu, niſi conſtet de relapſu.

Quinto ſequitur actus miſerationis erga relapſum, ſive impænitens, ſive pœnitens, ipſe ſit. Si enim ſit impænitens, curandum eſt quàm maxime fieri poteſt, ut pœniteat, ac hæreſim deteſtetur. Idcirco Inquiſitor ipſe, vel per ſe, vel per alios viros eruditos pios, & in S. Theologia, ſacrarumque Scripturarum peritia doctos, pluries atque pluries tentet, periclitetur, experiatur, conetur omnia opportune, importune, ut illum ad veram fidem, & Eccleſiæ obedientiam deducat, rationes, ob quas hæreſim ſectatur, diluat, ejuſque errorem ex Scripturis confutet, abſtergat. Et ſic non ſtatim tradendus eſt Curiæ ſeculari, ſed in carceribus retineatur per ſex menſes, vel per annum, nec tradatur Curiæ, niſi his aliiſque remediis adhibitis, ac illo ſæpe monito. Quod ſi adhuc perſtiterit in ſua pertinacia, tradendus tandem erit Curiæ ſeculari, ut vivus comburatur.

At ſi relapſus eſt pœnitens, nec ante, neque poſt ſententiam præſentandua eſt perſonaliter coram Inquiſitore, ſed ad illum mitti debent Conſolatores viri pii, docti, prudentes, qui illi denuncient, quod eſt morte plectendus, illumque piis ſermonibus conſolentur, ad patientiam hortentur, ſimulque ad ſacram confeſſionem faciendam, & ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiendam inducant. Quibus Sacramentis ſuſceptis, poſt biduum, vel triduum ſententia contra illum promulgetur, quibus tamen diebus adſint Conſolatores, qui relapſum confirment, ac roborent, ne à ſemitis juſtitiæ recedat. Vide. Eymer. *p.* 3. *nu.* 201. ac ibi Scholiaſt. *ſchol.* 64. Campeg. *ad Zanchin. de heret. c.* 16. *lit. A.* Farinac. *q.* 195. *nu.* 52. Simanch. *de cath inſtit. tit* 46. *nu.* 49. *& tit.* 45. 2. 42. Souſa *lib.* 2. *aph. c.* 46. *nu.* 4. *&* 5. Fermoſ. *in d. c. ad abolendam nu.* 27. Cum tamen hujuſmodi relapſi, etiam pœnitentes, tradendi ſint brachio ſeculari, non indicitur iis abjuratio, ut per Caren. *p.* 2. *tit.* 2. *nu.* 43. & Salell. *lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 17.

Quod ſi relapſus ſit in ſacris Ordinibus conſtitutus, aut clericali, ſive religioſa profeſſione inſignitus, prius ſecundum alibi dicta, degradandus eſt, quàm Curiæ ſeculari tradatur.

Non obſtat *l. ult. C. de ſum. Trinit. & fid. cath.* ubi aperte dicitur: *Gremium ſuum redeuntibus nunquam claudit Eccleſia.* Item *in can. duo* 23. *quæſt.* 4. habetur, *peccatores nunquam deſerendos, quia homines ſunt, perſequendum in eis propriam iniquitatem, ſed miſerandam, & ſublevandam communem naturam.*

Nam reſpondet Gloſſa *in d. cap. ſuper eo de heret. in* 6.

Digitized by Google

in 6. Eccleſiam gremium ſuum redeuntibus non claudere. Quia quamvis illis bona & vitam eripiat non tamen denegat ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Sed certe in his dnobus locis productis inſinuari videtur, Eccleſiam redeuntibus parcere, præſertim in vita, cùm dicatur, communem naturam ſublevandam, nec uoquam peccatores deſerendo, quia homines ſunt. Reſpondeo, eſſe quidem naturam ſublevandam, ſubſidiis ad ſalutem animæ neceſſariis. Vel dicendum eſt legem ſupra citatam tunc temporis editam fuiſſe, quando omnes in univerſum hæreticos ad ſaniorem mentem reverſos excipiebat Eccleſia. Et eodem modo reſpondetur ad *d. can. duo 23. qu. 4.* Poſtea verò longo experimento didicit Eccleſia à relapſu jure ſpem omnem veniæ hæreticis præcidi oportere, ne qui relabuntur in hæreſim, alios inficiant, & corrumpant. Item, ne alii facilius in hæreſim jam abjuratam recidant. Præterea quia relapſus in hæreſim ex magna in fide, ac religiooe inconſtantia, & levitate naſci & proficiſci ſolet.

A ſententia verò definitiva, per quam relapſus traditur Curiæ ſeculari, non poteſt appellare, &, ſi appellet, non eſt audiendus. Et hoc eſt qnod ſancitur io *d. cap.* ad abolendam, & in *d. cap.* ſuper eo, ubi deprehenſo in crimine relapſus, denegatur audientia. Quod etiam docent Gloſ. *in d. cap. ad abolendam in ſig. caſ. & v. Item lapſus in hæreſim*, & Farinac. *d. qu. 185. num. 31.* Et univerſaliter in cauſa hæreſis à ſententia definitiva non admittitur appellatio, ut decernitur *in. capit. ut Inquiſitionis de hæret. in 6.* Multo minus igitur admitti debet à ſententia definitiva prolata contra relapſum in hæreſim.

Nonnulli tamen ſunt caſus, in quibus relapſi non traduntur Curiæ ſeculari. Primus eſt relapſi ſpontè comparentis. Qui caſus trinus eſt: Nam relapſus vel poteſt eſſe ſponte comparens in primo lapſu, ſed non in relapſu. Vel contra, poteſt eſſe ſponte in relapſu, ſed non in primo lapſu. Vel poteſt eſſe ſponte comparens in ntroque ſivè in omni lapſu. In primo caſu Carena *p. 2. tit. 2. n. 36.* referens Turreblancam *de delict. lib. 3. cap. 23. nu. 10.* videtur tenere, quod qui in primo lapſu ſponte comparuit, non ſit tradendus Curiæ ſeculari; ipſe tamen hoc admittit ſi hæreticus, quando primum ſponte comparuit, erat minor vigioti quinque annis; nam ipſe ibi ac *d. p. 2. tit. 18. nu. 22.* exiſtimat, hæreticum ſponte comparentem, ſi ſit minor, recipi cum clauſula *citra pœnam relapſus*, ſecus autem ſi hæreticus, quando ſponte comparuit non erat minor vigintiquinque annis. Tunc enim iſte non eſt recipiendus cum dicta clauſula, & ideo ſi relabatur in hæreſim, eſt relapsorum pœna puniendus.

Sed ego, ſalvo tamen meliori judicio, puto ex *d. capiti accuſatus de hæret in 6.* eum, qui ſponte comparuit in primo lapſu, ex eo quod deprehenſus fuit, iterum in eandem hæreſim incidiſſe, ſi pœniteat, non eſſe tradendum Curiæ ſeculari. Nam ad conſtituendum relapſnm non ſufficit, quod prius abjuravent de formali, ſed quod abjuraverit, accuſatus vel in judicio vehementer de hæreſi ſuſpectus, ut colligitur ex textu ibi: *accuſatus de hæreſi, vel ſuſpectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens ſuſpicio orta erat.* & *ex dicto cap. ad abolendam tit.* pariter *in 6.* requiritur, qnod ii manifeſte ſint in hæreſi deprehenſi. Non autem in judicio conſtat de hæreſi ſponte comparentis, vel quia fuit accuſatus, vel denuntiatus, vel manifeſte deprehenſus, ut hæreticus, ſed ex propria ipſius comparentis cenfeſſione.

In ſecundo autem caſu de relapſo ſponte comparente in relapſu, quamvis Simanchus *de cath. inſtit. tit. quinquageſimo ſeptimo numero decimo octavo* anceps maneat, & utramque partem diſpectione dignam putet, communis tamen ſententia eſt, quod hic, tanquam ſponte comparens, ſit recipiendus, ac proinde non ſit Curiæ ſeculari relaxandus. Quia in crimine relapſus eſt veré ſponte comparens. Atque ita ſentiunt Alph. de Caſtro *lib. ſecundo capit. ſecundo* Repert. Inquis *verſ. relapſus*, Locat *in Judic. verſ. abjurare num. 4. & verſ. hæreticus num. 39.* Royas *de hæret. parte ſecund. num. 333.* Menoch. *conſ. 82. numero 368.* Albertin, *de agnoſc. quæſt. 25. numero 25.* Eymer, *p. tertia numero 47.* ibique pegna *com. 12.* Decian *lib. quinto capit. 56. numero 12.* Param. *de orig. S. Inquiſ. lib. tertio quæſt. quarta numero 12.* Farinac. *q. 195. numero 50.* Souſa *lib. ſecundo aph. capit. 45. num. 16.* Caren. *p. ſecunda tit 18. numero 13.* Caſtropal. *tr. quarto diſp. ſexta p. ſecunda numero ſeptimo* Salell. *lib. ſexto capit. ſeptimo numero 27.* ac Delbene *dub. 160. numero tertio.* Tum quia in hujuſmodi relapſo ceſſat illa ſuſpicio, qua relapſi putamur ficte converſi, cum ſe ipſum pœnitentem Judici præſentet, & veniam poſtulet. Tum quia is non cenſetur incorrigibilis, dum ſponte crimen ſuom fatetur, & veniam deprecatur. Tum quia nullus vere dici poteſt relapſus, niſi bis de hæreſi convictus ſit. Qui autem ſponte crimen ſuum fatetur, non videtur bis convictus. Et tum tandem quia Concilium Biterrenſe *cap. ſecundo* ſtatuit, ut ſponte comparentibus impunitas mortis concedatur. Ac meritò quidem. Quia mitius eſt agendum cum ſponte confeſſis, quám cum convictis, ut habetur *in can. preſbyterum d. 50.* & tradit Gloſ. *in cap. de hoc. verſ. in jure, de ſimon.* vbi etiam Oſtienſis ac Panormitanus *num. 6.*

Verum tamen Inquiſirores valde canti ac providi eſſe debent, ac ſtudioſe obſervare, an relapſus ſponté redeat, vel potius, quia ſciens aliquem paratum eſſe ad eum accuſandum, vel quod de hoc eſſet tumor, & prævidens, contingere poſſe, ut probationibus convincatur, ex metu, & non ſponte ſe defert. Nam in hoc caſu non eſſet recipiendus, taquam ſponte comparens, ad miſericodiam, ut per Decian. *d. lib. 5. cap. 59. num. 12. poſt Caſtrium*, traduntque Param. *loc. cit.* Farinac. *qu. 193. numer 37.* Carena *p. ſecunda tit. 18. numero 15.* & communiter Doctores in *d. capit. ad abolendam de hæret. in ſext.* Et ideo Pegna, Paramus, Farinacius & Caſtropalaus tequirunt, quod delictum ſit pœnitus occultum; nam ſi ſit publicnm, ſemper fere oritur præſumptio, quod non ex animo, ſed probationum metu relapſus redeat, ſuumque crimen fateatur.

In tertio autem caſu de ſponte comparente in primo, vel ſecundo, ſive in omni lapſu, advertit Pegna *p. 3. com 12.* quem ſequitur Salell. *lib. 2. capit. 8. num. 51.* privilegium ſponte compatëtium non competere illis, quibus jam hæc gratia facta fuit. Probat id ex Concilio Biterrenſi. Ac fruſtra. Nam hoc Concilium loquitur de tempote gratiæ. Ideoque dicendum eſt, quod ubi ſit manifeſté ſpontanea comparitio, non habet locum pœna mortis, ot conſtat ex litteris S. Congregationis, niſi tot, ac tantis vicibus relapſus eſſet, ut ſupremnm Tribunal, eum non eſſe gratia dignum multis jam argumentis judicant.

Secundus caſus eſt de tecenter converſo, ſed nondum ſufficienter inſtructo. Hic ſi interim labatur in hæreſim, non habetur pro relapſo perfecto, & ideo non eſt tradendus Curiæ ſeculari, ſed eum reconciliate poſſunt Inquiſitores, ſi conſtet eſſe veré pœnitentem. Sic enim conceſſum fuiſſe Inquiſitoribus Hiſpaniæ à ſede Apoſtolica ex Caſtro refert Simanchas *de cath. inſtit. tit. à. 31. nu. 7.* Souſa *lib. 1. aph. cap. 30. num. 7.* At ſaltem in Italia, & aliis partibus iſti non ſunt relaxandi Curiæ ſeculari, niſi conſulta S. Congregatione Romanæ ac univerſalis Inquiſitionis.

Tertius caſus eſt de minori. Ratione enim minoris ætatis, etiam relapſi mitius puniuntur, ſi pœniteant.

Siquidem

Siquidem minorem in delicto mitiùs puniri aſſerunt Doctores *in l. prima paragrapho impubes*, ibi: *ætas enim excuſationem meretur*. Et ideo etiam in cauſa hæreſis hæreticus ratione ætatis leviùs punitur, Simanch. *de cath. inſtit. tit. 29. numero* 56. *&* 58. Decian. *lib. tertio capit.* 12. *numero vigeſimo quinto & lib. quinto capite trigeſimo ſeptimo, numero quinquageſimo ſexto*, Farinac. *quæſt. nonageſima ſecunda numero* 180. *& de hæreſ. quæſt.* 194. *numero trigeſimo ſecundo*. Souſa *lib. tertio aph. capite trigeſima ſecunda, numero vigeſimo primo*. Non tamen attendi debet minoritas temporе, quo quis lapſus, vel relapſus fuit in hæreſim. Nam ſi continuatio hæreſis durat poſt majorem ætatem, jam hæreticus poſt majorem ætatem delinquit, eſtque puniendus, Farinac. *de hæreſ. qu.* 197. *numero* 10. Ideoque ad puniendum relapſum pœna ordinaria, inſpici, quod ſit major, ac relapſus, dum capitur. Souſ. *d. capit.* 32. *numero* 8. Farinac. *d. quæſt.* 194. *numero* 32. & Caren. *p.* 3 *tit.* 9. *num.* 27. Quod ſi relapſus ſit etiam impœnitens, non ei ſuffragatur minor ætas, ſed ſi eſt doli capax, pœna ordinaria puniendus eſt, ut per Caren. *d. tit. numero* 24.

Tandem animadvertendum eſt, quod cum agatur de pœna mortis, non debent Inquiſitores aliquem relapſum tradere Curiæ ſeculari, niſi prius conſulto ſupremo Senatu S. Inquiſitionis Romanæ, ut poſt Molin. *de juſt. tr.* 5. *diſp.* 8. *numero* 84. notat Delbene *dub.* 16. *numero* 7. Et ſive relapſi pœnitentes ſint, ſive impœnitentes, torquendi ſunt ſuper complicibus, ut etiam notat Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 185. *num.* 133. Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 42. ac Delbene *loc. cit. num.* 8.

Ex quibus patet, quid dicendum ſit de ſortilego, qui primo abjuravit, ob dæmonum invocationem in ſortilegio agendo, & poſtea de eadem invocatione eſt convictus, vel confeſſus. Si enim in prima, vel ſecunda vice abjuravit, ut hæreticus formalis, quia credidit dæmonem poſſe licite venerari, vel ipſum poſſe cogere liberam hominum voluntatem, vel ſimilia, tunc habendus eſt pro relapſo. Secus verò ſi tam in prima, quàm in ſecunda vice abjuravit de vehementi, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 87. *num.* 9. & in *Enchir. tit.* 60. *numer.* 4. Caren. *p.* 2. *tit. ſecundo numero trigeſimo* & Farinac. *quæſt.* 195. *de hæreſ. num.* 9.

Consvltatio CLXVI.

1. *De Reis contumacibus S. Officii, deque modo in eos procedendi.* 2. *Qualis debeat eſſe contumacia, ut contumax in cauſa hæreſis damnari poſſit?* 3. *Qualiter abſens ſuſpectus de hæreſi, & contumax ſit damnandus?* 4. *Et an contumax in cauſa hæreſis, non ſolum intra annum, ſed anno elapſo, immo poſtquam fuit damnatus, ac ejus ſtatua combuſta in Tribunali S. Officii audiatur?*

AD primum Alexander IV. ſummus Pontifex *in cap. cum contumacia de hæret. in* 6. non ſolum tradit modum procedendi contra contumaces in S. Officio Inquiſitionis, ſed etiam reddit cauſam ſuæ Conſtitutionis, cujus hæc eſt regula. Suſpectus de fide ab Inquiſitore, ſive fidei Judice vocatus, ut de fide reſpondeat, &, ex quo parere ſubterfugit, eum contumaciter ſe abſentet, fuerit ab eodem Inquiſitore excommunicatus, ſi per annum animo pertinaci ſuſtineat excommunicationem, veluti hæreticus condemnetur.

Hujus regulæ ratio illa eſt, quia dato etiam, quod prima ſuſpicio hæreſis eſſet levis, contumacia tamen addit ſuſpicioni præſumptionem vehementem, cui alia ſuperadditur præſumptio ex pertinaci perpeſſione excommunicationis. Quibus conſideratis meritiſſimò decrevit Pontifex, quod in hoc caſu adſit præſumptio violenta per *capit. afferte, capit. litteras capit. cum in juventute de præſumpt. capit. in ſua diœceſi de uſur. capit. de hoc de ſimon. cap.* 2. *de confeſ. lib. primo C. ad leg. Cornel. de ſicar. & l. quæ adultero C. ad l. Jul. ad adult.* Ideoque communis Doctorum aſſertio eſt, quod ex præſumptione violenta poſſit deveniri ad ſententiam definitivam contra præſumptum, ut per Gloſ. *in d. cap. cum contumacia v. vehementem*. Archid. *numero primo Gemin. numero tertio &* 12. Franch. *numero* 3. Panorm. *in capit. excommunicamus paragrapho credentes de hæret.* Maſcard. *de probat. concl.* 228. Farinac. *quæſt.* 36. *à numero* 81. *& quæſt.* 89. *à num.* 52. Fermoſ. *in alleg. ult. p.* 2. *alleg.* 9. *numero* 80. & apud iſtos alii quamplures. Quod verò hæc præſumptio violenta non habeat locum, niſi in caſibus in jure expreſſis, mox dicemus.

Ut ergo contumax in cauſa hæreſis damnari poſſit, primò requiritur, quod citatus, ut reſpondeat de fide, ſit verè de hæreſi ſuſpectus. De ſuſpecto enim de hæreſi loquitur Pontifex. Unde ſi nulla ſuſpicione de hæreſi præcedente quis fuerit à Judice in cauſa fidei vocatus, & ex eo, quòd in termino non comparuerit, fuerit excommunicatus, hic nec verè eſt contumax, neque tanquam contumax damnari poteſt, ut hæreticus, Archid. *in d. capit. cum contumacia numero primo* Jo. Andr. *numero item* 1. Gemin. *num.* 3. Qui etiam ſubdunt, non ſufficere ad id quamlibet ſuſpicionem, ſed exigi probabilem. Nam communis ſuſpicio potius repellenda eſt, quàm admittenda, Gundiſal. *de hæret. quæſt.* 11. *numer. quarto* Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 192. *num.* 6. Delbene *p.* 2. *dub.* 211. *ſect.* 1. *numer.* 20. *ac ſeq.* Fermoſ. *in alleg. p.* 2. *alleg.* 9 *numero* 87. *&* 88. & Caſtropal. *tr. quarto diſp. quarta pun.* 2.

Deinde requiritur, quod de fide ſuſpectus ſit legitime citatus. Ex multiplici enim capite citatio poteſt eſſe non legitima, & multiplex citatio præmitti debet, antequam hujuſmodi abſens haberi poſſit, ut contumax. Nam primo debet citari, ut reſpondeat de fide. Secundò ut dicat, quare non debeat declarari contumax, & excommunicari. Et tertiò citari debet ad excuſandam inſordeſcentiam in excommunicatione per annum, ſive ad ſe defendendum, ac tandem declaretur contumax punibilis, ut hæreticus.

Primo igitur ſuſpectus de fide, citari debet de fide reſponſurus. Cùm enim ſine perſonali citatione non poſſit aliquis excommunicari, multò minus poterit condemnari, ut hæreticus. Quod abſque dubio procedit, quando abſens poteſt reperiri Simanch. *in euch. tit.* 45. *num.* 7. *&* 8. Scacc. *lib.* 1. *de judic. cap.* 49. *numer.* 35. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 185. *numer.* 116. Fermoſ. *p.* 2. *alleg.* 9. *numer.* 86. quanquam ſi ſuſpectus de fide fugiat, ſive latitet, poſſit citari vel domi ſuæ ſolitæ habitationis *cap. cauſam, de dol. & contum.* & tradit Carena *p.* 3. *tit.* 2. *num.* 15. niſi ubi alia eſſet conſuetudo Tribunalis, vel per edictum ad valvas Eccleſiæ cathedralis, Scac. *d. cap.* 98 *num.* 32. Farinac. *eo nu.* 116. Latitare autem reus dicitur ubi in domo, in qua uxor, & filii habitant, non invenitur Caren. *d. tit.* 2. *num.* 16.

Debet ſecundo hæc citatio continere expreſſe cauſam, ob quam ſuſpectus citatur, expreſſam per clauſulam *in d. cap. cum contumacia* poſitam, ſcilicet, *reſponſurus de fide comparens*. Quicquid enim

Y ſit,

ſit, an quando de levioribus criminibus agatur, vel cùm reus facile capi poſſit, in quibus caſibus admitti poteſt ſententia, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 44. *numero* 12. Pegnæ *p.* 3 *ſchol.* 44. *in princ.* Paramo *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *quaſt.* 4. *numero* 34. Caſtropalai *d. tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 5. *numero* 2. Catenæ *p.* 3. *tit.* 2. *numero* 7. dicentium, non debere exprimi cauſam, ne detur occaſio capiendi fugam. Ubi tamen agitur de damnando contumaci ex vi ac in pœnam *d. cap. Cum contumacia*, neceſſarium omnino eſt, quod in citatione exprimatur cauſa per clauſulam *compareat reſponſurus de fide*, aliter non poterit contumax damnari, ut hæreticus, Gloſ. *ibi v. reſpondeat*, Archid. *numero* 6. *Gemin. numero* 4. & 12. Franch. *numero* 4. Boich. *in capit. excommunicamus primo numero* 3. Angel. *in ſum. v. hæreticus numero primo* Decian. *lib.* 5. *cap.* 32. *numero* 8. Farinac. *d. qu.* 185. *numero* 110. Simanc. *d. lib.* 1. *cap.* 47. *numero* 9. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 42. Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 27. *numero* 5 Catena *loc. cit. numero* 8. Caſtropal. *d. numero* 2. ac Delbene *dub.* 185. *numero* 1. Ubi tamen timetur de fuga, ſuſpectus de fide debet capi, & in carcerem conjici, ſicque ceſſat proceſſus in abſentem, *l. nullus C. de exhib. reis & l. fin. C. de cuſtod. reor.* Et ita intelligenda ſunt quæ alibi tradidi.

In hac quoque citatione, in qua ſuſpectus de fide citetur, ut compareat reſponſurus de fide, ſive ad ſe purgandum, debet aſſignari terminus temporis competens, ſpectatis perſonis, tempore, loco, aliiſque circumſtantiis, ac ita, ut nec ſufficiat citatio ſine aſſignatione termini, nec aſſignatio termini ſine citatione, Oſtienſ. *in d. cap. Excommunicamus numero* 9. & 10. ibique Jo. Andr. *numer.* 5. Boich. *numer.* 3. Butr. *numer.* 15. Farinac. *qu.* 192. *numero* 27. Caſtropal. *d. tr.* 4. *diſp.* 4. *pun.* 2. *num.* 17. ac Delbene *diſp.* 211. *ſect.* 1. *nu.* 12.

Et non ſemel, ſed iterum, ac tertiò citari debet. Pro prima enim contumacia nemo damnatur Archid. *in d. cap. cum contumacia numer.* 5 & ideo triplex citatio requiritur, *l. conſentaneum C. quomodo & quando Judex*, *l. contumacia paragrapho primo ff. de re jud.* Roias *ſing.* 19. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 14. *numer.* 6. & *in ench. tit.* 45. *numer.* 3. Param. *lib.* 3. *qu.* 4. *numero* 65. Farinac. *d. qu.* 185. *numer.* 117. Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 27. *numer* 10. Caſtropal. *d. tr.* 4 *diſp.* 8. *pun.* 1. *numero* 2 Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 42 Catena *p.* 3. *tit.* 1. *numer.* 12. ac Delbene *d. dub.* 185. *numer.* 4. Quamvis etiam ſufficiat una peremptoria, in qua aſſignetur triplex terminus. Ex dicto enim *cap. Cum contumacia* non præcipitur trina citatio, ſicut nec alibi id cautum reperitur. Et in S. Officio proceditur ſummariè. Ubi autem ſummarie proceditur, ſufficit una citatio peremptoria, & ita in forma citandi ſuſpectum in terminis *d. c. cum contumacia* ſupponunt Eymeric. *p.* 3. *numero* 113. ibique Scholiaſt. *ſchol.* 69. *ſive com.* 49. Catena *d. p.* 3. *tit.* 11. *numer.* 35. Selell. *lib.* 5. *c.* 7. *numero* 182. Farin. *d. qu.* 185. *numero* 118. ac Delbene *d. dub* 185. *numero* 4. Rectè quo monet Catena *d. p.* 3. *tit.* 2. *numer.* 13. hac in re praxis uniuſcujuſque Tribunalis diligenter ſervanda eſt; ubi tamen rita præceſſerit citatio unica peremptoria cum aſſignatione triplicis termini, proceſſus ſuſtineri debet.

Hic verò animadvertendum eſt, quod ubi lex, vel ſtatutum jubet, quod contumax habeatur pro convicto, vel confeſſo, nihilominus Judex non poteſt procedere ad ſententiam contra illum, ac punire pœnis debitis delicto, de quo dicitur ex contumacia convictus, vel confeſſus, niſi judicialiter declarata contumacia, aliàs quod ex contumacia ſequitur, nihil valebit, ut ex Baldo *in l. transfigere C. de tranſact.* & ex Gloſ. *in l.* 2. *paragrapho quod ſi auctor C. de juram. calumn.* probat Decian. *lib.* 5. *capit.* 32. *numer.* 2. ubi quod contumax ante ſententiam declaratoriam contumaciæ, etiam poſt lapſum citationis terminum, audiendus eſt, additque, quod Judices debent eſſe cauti, ut, quando procedunt contra talem aliquem, debeant prius declarare eum eſſe talem. Non enim in judicio quis poteſt dici talis, niſi ſit pronunciatus talis Socin. *conſ.* 101. Specul. *tit. de edit. inſtrum. paragrapho reſtat*, Aich r. *conſ.* 841. Et ideo cùm ad damnandum, tanquam hæreticum, ſuſpectum de hæreſi contumacem, duplex prærequiratur contumacia; ſcilicet contumacia in comparendo in judicio, ob quam excommunicatur, & contumacia, ſive pertinacia in ſuſtinenda excommunicatione per annum, qua poſita, habetur, ut hæreticus, & ut talis damnatur, utraque hæc contumacia poſtulat ſententiam declaratoriam, & contumax forſan valide poterit ab utraque ſe defendere, ideo citandus eſt, ut ab utraque contumacia ſe defendat; à priori, ne propter illam excommunicetur, vel declaretur excommunicatus; à poſteriori, ne ex illa habeatur, ac denuncietur, ut hæreticus, Farinac. *alleg.* 9. *num.* 65 *p.* 2.

Fatemur tamen quod aliquando inquiſitus in prima citatione citatur ſimul ad omnes actus, & ad totam cauſam, & tunc non eſt neceſſaria alia citatio. Hinc Pegna ad Eymericum *ſuper* 13. *modo term. proc. com.* 40. dum dat formam citandi inquiſitum, qui jam eſt vel legitime convictus, vel confeſſus hæreſim, ſed, quia eſt abſens, debet citari, monet, ut in citatione peremptoria, una pro tribus, citandus ſit reus ad omnes, & ſingulos judicii actus. In forma verò citationis ſuſpecti de hæreſi, ſed abſentis, nihil habet de illa citatione ad omnes actus; & nihilominus, quia hæc citatio ad totam cauſam de jure admittitur, ut per Doctores *in c. cum, qui de dol. & cont. in* 6 ſi citatus comparent, debet iterum citari ad ſingulos actus. Nam ſi hujuſmodi citatio ad totam cauſam admittitur, quando citandus eſt valde remotus a loco judicii, ut per eoſdem Doctores, eadem plane, ac majori ratione admitti poteſt, quando citandus fugit, & latitat.

Eſt tamen conſiderandum, an expediat, perpenſis circumſtantiis, quod per unam citationem peremptoriam fiat tantum præjudicium ei, qui citatur, maxime in criminalibus, & ubi agitur de damnando hæretico, deque illo tradendo brachio ſeculari. In caſu autem, quo prima citatio non fuerit ad totam cauſam, ſed ſolum ad comparendum ac reſpondendum de fide, citatus iterum citari debet ad alios actus; maxime quod regulariter contumax in uno actu, debet citari ad alios actus, *cap. olim. de teſt.* Gloſ. *in d. cap. cum, qui, v. non teneris*, ibique Barb. *numero* 6. Et ita ſi contumax pronuncietur contumax non citatus ad defenſionem ac ſententiam, pronunciatio eſt nulla, & nulla pœna exinde ſequuta.

Ad hæc requiritur, quod ſuſpectus de fide contumax excommunicetur. Poteſt quidem eſſe, quod hujuſmodi ſuſpectus de hæreſi ſit de facto excommunicatus è jure, ut ſi ſit hæreticus occultus, vel defenſor, receptator, vel fautor hæretici. Immo poteſt eſſe, quod ſit notorius excommunicatus, ut ſi ſit notorius hæretici defenſor, aut fautor; & nihilominus, ut ſuſpectus ex contumacia & pertinacia perſiſtendi in excommunicatione per annum, damnetur, ut hæreticus, neceſſe eſt, ut ipſe ſit excommunicatus ab homine, vel ſaltem declaratus excommunicatus. Quia non eſt talis in judicio ad effectum ut damnetur, ut talis, niſi in judicio ſit pronunciatus, Farin. *q.* 192. *numero* 29. Catena *p.* 1. *tit.* 8. *num.* 5. ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 1. *nu.* 5.

Præterea requiritur, quod hujuſmodi ſuſpectus per-

perſiſtat in excommunicatione per annum integrum. Hunc autem annum enumerandum eſſe, non à die incurſæ excommunicationis, ſi forte ſuſpectus eſſet excommunicatus à jure, ſed à die, quo ſuſpectus fuit vel excommunicatus, vel declaratus excommunicatus, cùm ex illa die incipiat tumor contumaciæ, & contemptus clavium Eccleſiæ, docent Albertin. *in rubr. de hæret. in 6. quæſt.* 13. *num.* 35. Farinac. *d. qu.* 192. *nu.* 29. Ricc. *in pr. var. reſol. p.* 3. *reſol.* 216. Sanctarel. *de hæreſ. capit.* 4. *num. ſexto* Caren. *p.* 2. *tit. octavo numer. quinto* ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 1. *nu.* 4. Quod tamen limitent Albertinus & Farinacius, ut non procedat in caſu notorii. Quia tunc annus incipit è die notoriæ excommunicationis incurſæ. Id verò diſplicet Delbenæ, ac nonnullis aliis. Quia non ſufficit excommunicatio, ſed requiritur perſiſtentia in excommunicatione per annum. Poteſt enim contingere, quod notorius excommunicatus intra annum abſolutionem petierit, & ſic quod contumacia integro anno duret, non poteſt conſtare, niſi annus incipiat à ſententia lata ab homine, & ſuſpectus contra hanc ſententiam ſit contumax. Verum hæc difficultas tollitur ex hiſce verbis ejuſdem cap. cum contumacia: *Excommunicationis vinculo per vos fuerit innodatus.* Hæc enim importent excommunicationem ab homine per ſententiam latam, aut ſaltem declarantem. Neque in his poteſt notorium habere locum. Minuſque ſufficere poteſt notorium puri facti. Nam eſt neceſſe, quod in judicio conſtet de excommunicatione, ac de perſiſtantia in illa, & ſic requiritur notorium juris, quod habetur per Judicis pronunciationem, per quam pronunciat ſuſpectum excommunicatum, & poſtea in excommunicatione permanſiſſe. Incipit ergo hic annus è die latæ, vel declaratæ excommunicationis, è Judice in cauſa hæreſis.

Debet autem hic annus eſſe integer atque continuus. Dictio enim, *per*, continuitatem importat, dum dicitur aliquid fieri per annum, Archid. *in d. capit. cum contumacia numero ſeptimo* Gemin. *numero* 10. Franch. *num.* 2. Rota *dec.* 195. *poſt* 2. *vol. conſil. Farinacii*, ubi, quod ita declaraverit S. Congregatio Concilii in Bononienſi inſordeſcentiæ apud Seraph. *dec.* 1285. *numero quinto* Ricciul. *de jur. perſon. lib. quarto capit. octavo num.* 1. Carena *p.* 2. *tit.* 8. *numer.* 3. ubi ex Cardinali Bellarmino, quod S. Congregatio declaraverit, non poſſe procedi contra illum, qui excommunicatus ab Auditore Cameræ Apoſtolicæ per triennium perſtitit in ea, ita tamen, quod ſingulis annis in Feſto Paſchatis ab eodem Auditore abſolutionem obtinuerat, Caſtropal. *d. tr. quarto diſp.* 8. *pun.* 16. *paragrapho* 2. *numero* 3. ac Delben. *d. dub.* 211. *ſect.* 1. *num.* 6. & 24. Non continuatur igitur hic annus per abſolutionem ad reincidentiam obtentam intra annum, & in hac materia tempora non conjunguntur.

At numquid non continuetur hic annus, ſi intra ipſum excommunicatus abſolvatur in foro conſcientiæ? Carena *p.* 2. *tit.* 8. *numer.* 26. exiſtimat, quod de juris rigore abſolutio in foro conſcientiæ non ſejunget annum hunc. Quia abſolutio in foro conſcientiæ non ſuffragatur in foro externo, neque impedit, quia Judex poſſit punire delicta abſoluta in foro pœnitentiali, *capit. de his de accuſ.* ibique Doctores, ſed ex æquitate ac ceſſante partis oppoſitione, ait, hanc abſolutionem operari poſſe, quod Judices non debeant declarare hujuſmodi abſolutum incurriſſe inſordeſcentiam, ejuſque pœnas. At verò cùm certum ſit, quod abſolutio in foro conſcientiæ directe non ſuffragetur in foro exteriori, neque liberet ab ejuſdem pœnis, tamen auferendo indirecte materiam, ſuper qua fundantur pœnæ, poteſt quidem à pœna liberare. Ablato enim ſufficienter delicto, etiam in futurum, & ut non duret, & ut non perficiatur, non remanet, unde infligatur pœna, ceſſante etiam in foro exteriori delicto. Cùm igitur in hoc caſu pœnæ non debeantur, niſi pertinaciæ duranti per annum, ſi tollatur pertinacia, tollitur pœna. Non enim poteſt dici pertinax in perſiſtendo in excommunicatione, qui abſolutionem petit in foro conſcientiæ, ac obtinuit, & de illa in foro exteriori conſtat. Nec quod hic non obtineat ſtatim abſolutionem ab excommunicatione in foro exteriori, poteſt tribui pertinaciæ, claviumque contemptui, ſed alicui alteri cauſæ, ex qua pro jure ſuo utendo impeditur, ne ſtatim in foro exteriori abſolvi poſſit. In hac enim re quamlibet cauſam, etiam injuſtam, excuſare pertinaciam, inquit idem Carena *d. tit.* 8. *num.* 8. *ex Rota dec* 196. *nu.* 3. *poſt d.* 2. *vol Farinacii*, ac ipſe Farinac. *quæſt.* 192. *num* 20. Eoque magis, quod qui vult eſſe pertinax contra Judicem in foro exteriori, clavesque Eccleſiæ contemnere, non eſt dignus, ut abſolvatur in foro conſcientiæ.

Non tamen hunc annum ſejungit abſolutio data in reſcriptis per illam clauſulam, *Teque abſolventes* &c. Tum quia illa abſolutio datur tantum ad effectum, ut reſcriptum non ſit nullum. Tum quia datur etiam, ſi pœniteat. Unde non poteſt operari, quod pertinacia deſit. Et tum quia non tollit excommunicationem, ſed ſolum ſuſpendit impedimentum, proveniens ab excommunicatione, donec gratia ſuum ſortiatur effectum, ut per Carenam *d. p.* 2. *tit.* 8. *numero trigeſimo quinto* Puteum *deciſ.* 128. & Garziam *de benef. p. ſeptima capit. decimo tertio, numero ſexageſimo primo* & nos *alibi.* Neque admittenda limitatio Delbenæ *d. dub.* 211. *ſect. ſeptimâ num.* 2. ſed, etiamſi Pontifex ſciverit hunc per annum in excommunicatione perſiſtere, illa clauſula non dividit, neque ſejungit annum.

Poſtremo requiritur pertinacia, ut ſcilicet perſiſtentia in excommunicatione per annum fuerit ex pertinacia, ut habetur ex verbis *d. capit. cum contumacia : Ex animo pertinaci* ubi Gemin. *numero undecimo* & Franch. *numero ſecundo* adnotatque Rotæ *dec.* 196. *numero ſecundo poſt d.* 2. *vol.* Farinacii, & *dec.* 132. *numero ſeptimo p.* 1. *rec.* Et hæc pertinacia probari debet, ut advertit Carena *d. tit. octavo* Ex quo deducitur, quod ignorantia excommunicationis excuſat, quia non adeſt contemptus, & pertinacia contra excommunicationem, ubi non adeſt ſcientia excommunicationis, Rotæ *dec.* 181. *numero ſecundo poſt d.* 2. *vol.* Farinacii, Carena *d. tit. octavo numero ſeptimo* Farinacc. *p.* 2. *alleg. nona numero ſeptuageſimo quinto.* At ſi ita eſt, videtur, quod annus hic perſiſtentiæ in excommunicatione incipere debeat è notitia excommunicationis latæ, aut declaratæ; quia requiritur perſiſtentia pertinax per annum continuum. Si autem perſiſtentia non eſt pertinax, ubi non eſt ſcientia, ſequitur, quod antequam habeatur notitia excommunicationis, non poteſt eſſe pertinacia, illudque tempus non poteſt includi in anno pertinaciæ.

Verum conſiderari oportet, quod pertinax non damnatur præciſe, ac præcipue, ut hæreticus, quia intra annum non petierit abſolutionem ab excommunicatione, ſed quia in S. Officio ad reſpon-

reſpondendum de fide; ad quod fuit citatus, non ſolum non comparuit intra terminum citationis, ſed neque intra annum excommunicationis contra ſe latæ ob non comparitionem in termino, quem ſuſpectus de fide, ſufficienter citatus, præſumitur ſcire. Et ſicut habetur ex contumacia non comparendi, etiam neglecta excommunicatione, pro convicto, aut confeſſo, & damnabili in pœnam ordinariam delicti, ita quoque habetur pro ſciente. Nam & ſcire poteſt ac debet, quod Judex, qui citavit illum ad comparendum in termino ſub pœna excommunicationis, tranſacto termino, illum excommunicavit, aut declarabit excommunicatum, & finito anno à die pronunciatæ excommunicationis, procedet ad ſententiam.

Hic forſan quiſpiam diſtinguet inter excommunicationem latam ad tollendam contumaciam in non obediendo præcepto Judicis, ac inter excommunicationem juris, latam ob peccatum ac delictum præteritum à jure, & ſolum declaratam ab homine, & dicet, quod in hac excommunicatione juris poteſt habere locum illud requiſitum ſcientiæ, quodque tunc annus pertinaciæ incipiat à notitia declarationis excommunicationis. Quia hic non conſideratur principaliter alia pertinacia, quàm in non petenda abſolutione ab Eccleſia, & in contempta excommunicatione, quam non contemnit qui ſe ignorat declaratum excommunicatum.

Sed neque hoc admittitur. Quia non declaratur aliquis excommunicatus, niſi citatus, dato termino ſufficienti ac legali ad ſe defendendum, & cum ſolitis clauſulis, quod, eo non comparente, ac non ſe defendente, declarabitur excommunicatus. Unde ſi non comparet, & eſt contumax, de jure habetur, ut convictus, ſive confeſſus, & declaratur excommunicatus. Et ſic de jure præſumitur, quod ſciat, declaratum fuiſſe excommunicatum peremptorio termino, ſibi dato, jam tranſacto. Quod procul dubio procedit, ubi ſub pœna excommunicationis à Judice præcipitur alicui, ut aliquid faciat, aſſignato termino peremptorio, & ipſe id non facit, & ulterius per annum, contempta excommunicatione, perſeverat in contumacia. Hic enim à jure præſumitur ſciens excommunicationem. Unde ſuſpectus de fide, qui fugit, & latitat, facile prætexto ignorantiæ illuderet Eccleſiam, & fugeret, ne damnaretur, ut hæreticus.

At nihilominus, quia negari non poteſt, quin ignorantia excommunicationis tollat pertinaciam perſiſtendi in excommunicatione, ideo dicendum videtur, quod annus perſiſtentiæ pertinacis in excommunicatione præſumptive incipit à die latæ ſententiæ excommunicationis, vel declarationis excommunicationis, nec ſufficit quod excommunicatus alleget ignorantiam illius ſententiæ. Si tamen ignorantiam illiuſque cauſam rationabilem probaverit, excuſabitur à pertinacia. Poteſt namque dari cauſa, ob quam contumax præſumere poſſit rationabiliter, ſententiam illam non fuiſſe latam ſaltem illico poſt elapſum terminum ad comparendum.

Tolli autem pertinaciam, nonnulli ajunt, ſi excommunicatus intra annum petierit abſolutionem, vel, ſi certe non fuerit negligens in illa petenda, Rota *deciſione ducenteſima ſecunda apud Farinacium loco citato*, & ex Riciullo tradit Catena *dict. titulo octavo, numero item octavo.* Sed licet hoc improbandum non ſit, ubi ſolum agitur de excommunicatione, lata à jure, ac per Judicem declarata, cùm ad tollendam pertinaciam talis excommunicati, ſufficiat ſi ille petat abſolutionem, & ſic claves non contemnat; ubi tamen agitur de excommunicatione lata contra non obtemperantem præcepto Judicis, non ſufficit petere abſolutionem, quinimmo hæc non debet dari, niſi ille pareat juxta jus, & juſſum Judicis. Itaque ſuſpectus de hæreſi, citatus, & ut contumax excommunicatus, comparere debet, atque in hoc ſatisfacere Eccleſiæ, neque illi valet petere abſolutionem; quoniam hæc vix debet concedi, niſi ſatisfaciat præcepto de comparendo ſecundum Judicis mandatum, qui vel poterit differre terminum ad comparendum, vel tollere præceptum conſtita ſibi de inquiſiti innocentia.

Id igitur, quod pertinaciam removet, eſt impedimentum, quo excommunicatus impeditur, ne Eccleſiæ obediat in termino ſibi præfixo. Non enim ex contemptu, aut pertinacia negligit obedire, qui obedire eſt impeditus, & quia impeditus non facit, quod aliàs non impeditus feciſſet, Io. Andr. *in d. cap. cum contumacia verſic. pertinacia*, ibique Gemin. *numero undecimo*, Franch. *num. ſecundo.* Rota *dict. deciſione centeſima nonageſima ſexta, numero tertio* & coram Seraph. *deciſione milleſima ducenteſima octuageſima quarta, numero tertio.* Riccinl. *var. reſol. p. tertia reſolut.* 214. Locat. *verſiculo contumax. numero tertio*, Repert. Inquiſ. *verſiculo pertinax*, Farinac. *quæſtione centeſima nonageſima ſecunda, numero vigeſimo primo, & ſequent.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 14. *numero decimo*, Scacc. *de jud.* *p.* 1. *capite nonageſimo octavo, numero vigeſimo ſeptimo.* Menoch. *de arb. libro ſecundo*, *caſ.* 416. *numero ſexageſimo octavo*, Catana *p. ſecunda, titulo octavo. numero octavo*, Caſtropal. *dict. tract.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 2. *numero tertio.* Et ſufficit quælibet cauſa, etiam injuſta. Nam qui ex alia cauſa, quam ex contemptu non facit, quod ſibi præcipitur, non poteſt dici pertinax. Quod verum eſt, etiamſi hæc cauſa ad perſiſtentiam in excommunicatione aliquo modo concomitanter ſe habuerit. Nam etiam ſine illa contumax perſtitiſſet in excommunicatione. Quia non eſt contemptus ubi qui perſiſtit in excommunicatione id facit ex alia cauſa, quam ex contemptu. Nec punitur aliquis pœna ordinaria ex eo, quod feciſſet, ſed ex eo quod fecit. Pertinax tamen eſſet, etiam ex contemptu, ſi perſiſteret in excommunicatione, licet faceret id, etiam ex alia cauſa.

In dubio autem, pertinaciam præſumi; niſi oppoſitum probetur, inquiunt Gemin. *in dict. capite cum contumacia numero undecimo*, & Franch. *numero ſecundo.* Sed tamen, quod, ſi ſuſpectus de fide citatus, qui in termino non comparuit, condemnetur, & poſtea captus probet ſe fuiſſe legitimè impeditum, omnem effugiat pœnam, tradit Farinac. *dict. numero vigeſimo ſecundo.* Et ideò, quod tranſacto termino, antequam citatus declaretur contumax in non comparendo, vel pertinax in perſiſtendo in excommunicatione, debeat iterum citari ad ſe purgandum, antequam judicetur contumax, aut pertinax, docent Anchar. *in dict. capite cum contumacia numero primo*, Delbene *dict. dubio ducenteſimo undecimo, ſect. prima, numero vigeſimo quarto*, Rota & Seraphinus *loco citato*, Mareſcot. *var. reſol. lib.* 2. *capite* 35. *numer.* 60. & ex Riciullo Catena *dict. num.* 8. Fermoſ. *p.* 1. *dict. alleg.* 9. *numero* 75. Quod tamen in caſu, in quo agitur

de

Digitized by Google

de fugitivo, aut latitante, non habet locum, ut jam diximus, ſi in prima citatione peremptoria citatus fuerit ad omnes, & ſingulos actus, & ad totam cauſam.

Tum demum requiritur ſententia declaratoria contumaciæ, ac inſordeſcentiæ, ut in judicio quis verè contumax, aut inſordeſcens in excommunicatione dici poſſit, atque ut talis puniri, Ricciul. *de jur. perſon. libro quarto, capite octavo, numero tertio*, Carena *dict. numero octavo*. Et proceſſus iſte, ſive ſententia fieri debet coram Inquiſitore hæreticæ pravitatis, ut locis allegatis advertunt Rota, Seraphinus, Matiſcottus, ac Ricciulus *numero* 13. & Carena *num*. 8. & 9.

Atque ex his habetur, quod contumax, qui poteſt ac debet damnari, ut hæreticus, eſt ille, qui ſuſpectus de fide in competenti termino non comparuit, & ob id excommunicatus, per annum integrum, & continuum à die latæ, vel declaratæ excommunicationis, modo ſuperius explicato, numerandum, animo pertinaci in excommunicatione perſeveravit & ideò contumax, & pertinaciter inſordeſcens in excommunicatione fuit declaratus.

Ad ſecundum. Inquiſitores hæreticæ pravitatis poſſe procedere contra abſentes, etiam extra Provinciam, aut diœceſim exiſtentes, illoſque ad Judicium citare, jam alibi diximus ex *capite ut commiſſi de hæret. in* 6. & tradunt in hunc locum Jo. Monach. *numero primo, & ſecundo*, Archid. *numero tertio*, Jo. Andr. *numero tertio, & ſeptimo* Gemin. *numero primo, & ſecundo*. & ſequitur Farinac. *de hæres. quæſtione decima octava, numero centeſimo quarto, & centeſimo quinto*, ubi addit, quod ſtatuta, aut Conſtitutiones Principum ſecularium, quibus aliquid decernitur contra contumaces delinquentes, ſive in procedendo contra illos, ſive in puniendo, locum non habeant in crimine hæreſis ex allegatis per Scacc. *de judic. p.* 1. *capite nonageſimo ſecundo, numero trigeſimo ſeptimo*, ubi id ipſum dicit de conſtitutionibus & ſtatutis editis ab Eccleſiaſticis, niſi in illis fiat expreſſa mentio cauſarum hæreticalium. Unde Conſtitutiones Pontificum, in quibus ſtatuitur, ut contumaces poſt aliquod determinatum tempus non audiantur, locum non habent in cauſis hæreticalibus. Juxta igitur proprias conſtitutiones, ac privilegia, ſi hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti fugiant, & latitent, etiam extra provinciam ſuam, poſſunt Inquiſitores hujuſmodi reos ad ſe citare, contra illos procedere, & ſi non compareant, illos, tanquam contumaces punire.

Triplicem caſum diſtinguit Eymericus *in direct. p.* 3. *numero centeſimo duodecimo*. Primus eſt hæretici, in judicio de hæreſi vel per evidentiam facti, vel per idoneos teſtes convicti, aut proprio ore confeſſi, qui fugit, & latitavit, & citatus comparere noluit. Secundus eſt ſuſpecti de hæreſi, qui juxta formam *dict. capitis* cum contumacia citatus, ut reſpondeat de fide, quia non comparuit in termino; fuit excommunicatus, & pertinax in excommunicatione per annum perſeverat. Tertius eſt illius, qui impedivit Sanctum Officium, vel ad hoc dedit conſilium, auxilium, vel favorem & abſceſſit, & contumax non comparuit. Hic autem eſt excommunicatus, & ſi pertinax perſiſtit in excommunicatione per annum, ut hæreticus damnandus eſt ex *capite ut Inquiſitionis*, §. *prohibemus de hæret. in* 6.

Iſti ergo ſi abſcedant, citandi ſunt, ut compareant, & quidem perſonaliter, ſi fieri poteſt, ſin minus domi, vel per edictum, cum hoc tamen diſcrimine. Hæretici etiam convicti, vel confeſſi citantur, ut ſe defendant, & ad ſententiam. Suſpecti verò de hæreſi, qui non ſunt convicti neque confeſſi, citantur ad reſpondendum de fide, & poſtea ad ſe defendendum, ne ex contumacia excommunicentur, vel declarentur excommunicati, & ſi non compareant, & per annum pertinaciter in excommunicatione perſeverant, citantur ad ſe defendendum, ne damnentur ut hæretici, & ad ſententiam contra illos proferendam. Hæc autem omnia in prima citatione continentur, ſive illa ſit trina, ſive ſit una peremptoria pro tribus, ſi fiet juxta formam hujus citationis, quæ extat apud Eymer. *dict. p.* 3. *numero ducenteſimo decimo tertio*. ubi Pegne *com*. 49. & apud Locat. poſt. Judic. Inquiſ. *in* 1. & 3. *form*. ac Repert. Inquiſ. *v. citatio*, & *verſ. ſuſpectus*, & tradunt Scacc. *p.* 1. *capite quadrageſimo tertio, numero nono, & decimo, & capite quadrageſimo ſeptimo, numero primo*, & *ſeqq*. & *capite nonageſimo octavo*, *poſt numero* 4. Salell. *lib.* 5. *capit.* 7. *numero decimo octavo*. Debet tamen citatio eſſe ſubſcripta ab Inquiſitore, & in ea ſervari debent, quæ ſervavit Joannes XXII. in ſua Conſtitutione, cujus initium *Dudum* apud Pegnam *poſt direct. in append. Bullar*. Citatione verò exequuta, Nuncius medio ſuo juramento debet in actis facere fidem, in quo ei plenè creditur, ut aliàs diximus de teſte etiam Lictore, Caren. *p.* 3. *titulo ſecundo, numero decimo ſeptimo*. Nuncio tamen dicenti, citatum dixiſſe, ſe nolle comparere, non creditur, ut ex Bobadilla notat idem Carena. Quod in prima peremptoria hujuſmodi fugiens non eſt citatus ad omnes actus & ad totam cauſam, debet ad ſingulos alios actus citari, & præcipuè ut ſe purget, ac defendat, Sylveſt. *verſ. hæreticus* 1. *num.* 1. Angel. *nu.* 1. Tabiena *nu.* 2. ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 6. *nu.* 5.

Citato autem in termino non comparente, Promotor Fiſcalis S. Officii contumaciam citati accuſat, & ubi agitur de ſuſpecto inſordeſcente in excommunicatione, hæc contumacia ſemel, ac iterum accuſatur à Fiſcali. Primo quando citatus non comparuit, & propter hoc debet excommunicari. Secundo quando inſorduit in excommunicatione per annum, & debet damnari, ut hæreticus. In omnibus verò citationis terminis Fiſcalis accuſare debet contumaciam non comparentis in termino, Pegne *dict. com.* 49. ubi ponit formam libelli, quem tradit Fiſcalis accuſando contumaciam, de qua etiam accuſatione Locat. *poſt Judic. Inquis.* & Simanch, *de cath. inſtitut. titulo quadrageſimo quinto, numero quarto*.

Hiſque præmiſſis proceditur ad ſententiam cum hac diſtinctione. Si contumax eſt in judicio de hæreſi legitimè convictus, vel confeſſus, citatur, ſed eo non comparente in termino, non expectatur annus, ut videatur, an inſordeſcat in excommunicatione, quia iſte, cùm non citetur, niſi ad defenſionem, & ad ſententiam, non citatur ſub pœna excommunicationis, & ſic non expectato anno, & non præcedente excommunicatione, proceditur contra eum ad ſententiam, quandocunque proceſſus ritè ac rectè fuerit abſolutus, Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 45. *numero* 4. Scacc. *dict. p.* 1. *capit.* 98. *num.* 4. Caſtropal. *dict. diſp.* 8. *pun.* 16. §. 3. & Fermoſin. *p.* 2. *alleg.* 9. *numero* 77. Si quis verò fuerit inquiſitus, quia

de fide ſuſpectus, non tamen convictus, aut confeſſus, tunc citatur, & ſi in termino non compareat, excommunicatur, & ſi per annum inſordeſcat in excommunicatione, damnatur, ut hæreticus formalis, Pegna *dict. com.* 49. Farinac. *de hæreſ. q.* 185. *à num.* 90. Param. *de orig. S. Inquiſ. libro tertio, quæſtione quarta, à num. ſexageſimo primo.* Caſtropal. *dict. pun.* 16. §. 3. *num. primo*, Carena *p.* 3. *titul.* 11. *à num.* 55. Farinac. *dict. alleg.* 9. *numero* 78. Locat. *in Iudic. Inquiſ. v. citatio*, & Souza *lib.* 2. *aph. capit.* 49. *numero ſecundo.* Damnatur autem ut verus hæreticus in omnes hæreticorum pœnas, & ejus ſtatua traditur Curiæ ſeculari comburenda, quanquam Inquiſitor mitius ſe gerit, & aliquando id convenit, ſi ſtatim non tradat hunc reum convictum Curiæ ſeculari, ſed tunc declaret illum contumacem, ut ſic non traditus Curiæ ſeculari, quoties reverti voluerit, poſſit ad miſerationem admitti, monent ex Eymerico Pegna *eo com.* 49. Souza *loco citato numero octavo*, & Salelles *libro quinto, capite ſeptimo, verſ.* 177. At melius ſentiunt alii hunc contumacem tradendum eſſe brachio ſeculari. Nam & traditus ad eam miſerationem admittitur, cujus eſt capax, ut mox dicemus.

At ſi contumax non eſt in judicio convictus, vel confeſſus, adhuc damnandus eſt, ut hæreticus, ſi in termino *dict. cap. cum contumacia* citatus per annum inſorduerit in excommunicatione. Nam & in aliis cauſis contumax habetur pro convicto, vel confeſſo, Gloſſ. ibi *v. confeſſo*, Anchar. *numero tertio*, Gemin. *numero* 6. & 12. Franch. *numero* 2. & 4. & ita poteſt contra illum ferri ſententia, Archid. *ad dict. cap. not.* 3. & Franch. *numero* 2. Multo magis in hoc caſu, in quo ſimul junguntur contumacia, non comparendi coram Judice in termino citationis, ac pertinacia in excommunicatione per annum integrum & continuum. Quare eſt plus quàm contumax & non modo vehementer, ſed violenter ſuſpectus de hæreſi; unde damnari poteſt, ut hæreticus, ceu dicitur *in dict. cap. contumacia*; & ibi tradunt Gloſſa, Archidiaconus, Ioannes Andreas, ac reliqui, & Farinac. *quæſtione centeſima octuageſima ſecunda*, *numero* 14. Menoch. *de arb. cas.* 416. Eymer. *p.* 3. *numero ducenteſimo duodecimo*, ibique ejus Scholiaſtes *dict. com.* 49. Souza *eo capite quadrogeſimo nono*, *numero tertio*, Decian. *libro quinto*, *capite decimo ſeptimo*, *numero trigeſimo quarto*, Salzed. *ad Diaz capite centeſimo decimo ſexto, concl.* 3. Caſtropal. *tract.* 4. *diſp.* 4. *pun.* 2. *numero octavo*, Sanctarel. *de hæres. capite quarto*, *dubio quinto*, Scacc. *p.* 1. *capite nonageſimo octavo*, *numero trigeſimo ſexto*, Carena *p.* 2. *titulo octavo*, *numero decimo nono*, Delbene *dub.* 215. *ſect.* 1. *numero primo*, Clar. *in prim.* §. *hæreſis*, Royas *ſing.* 60. *numero tertio*, Simanch. *de cath. inſtit. titulo ſecundo*, *numero* 9. & *tit.* 14. *numero* 2. Et probatur non modo *ex dict. cap.* ut Inquiſitionis, verum etiam *ex dict. cap. excommunicamus c. de hæret.* ubi Oſtien. *numero* 2. Butr. *num.* 2. & 12. Anan. *num.* 6. Anchar. *numer.* 4. Io. Andr. *numero* 3. Et advertit Oſtienſis, quod ex hac contumacia oritur præſumptio juris ac de jure, per quam hæreſis probatur.

Debet tamen, ut iterum moneamus, præcedere citatio ad omnes, & ſingulos actus, & præcipuè quia poteſt eſſe, quod revera non ſit contumax vel pertinax, ideoque debet citari, ut ſe purget, ac defendat, Salzed. ad Diaz *cap.* 118. Sanctareil. *dict. capite quarto*, *numero ſecundo*, Farinac. *quæſtione* 192. *numero vigeſimo ſeptimo*, & Carena *dict. titulo octavo, numero vigeſimo primo.* Debetque Fiſcalis accuſare contumaciam in non comparendo in termino, ac pertinaciam, ſive inſordeſcentiam in excommunicatione.

Idque adeo verum eſt, ut multi dicant, quod hujuſmodi contumax, & inſordeſcens habendus ſit ut hæreticus, neque ſit ad hoc neceſſaria ſententia ex auth. Gazzaros *de hæret.* his verbis: *Ita quod ſi ſic per annum permanſerint, & tunc eos ſicut hæreticos condemnamus.* Quam legem eſſe ab Eccleſia approbatam firmant *in dict. capit. excommunicamus* Oſtien. *numero ſeptimo* Io. Andr. *numero quarto*, Butr. *numero decimo ſeptimo* Anan. *numero ſexto*, Panorm. *numero undecimo*, Socin. *numero decimo quarto* & aſſerunt Sanctarell. *dict. capite quarto*, Carena *dict. titulo octavo, numero vigeſimo.* ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 6. *num. tertio.* Qui tamen ajunt, eſſe neceſſariam ſententiam declaratoriam contumaciæ ac inſordeſcentiæ, quibus adde Scacc. *dict. capite nonageſimo octavo*, *numero decimo*, & ad id citatur à Carena etiam Pegna *eo com.* 49. qui tamen ſolum ait, quod hujuſmodi contumax damnandus eſt, ut hæreticus. Quod claré *in dict. cap. cum contumacia* exprimitur, ibi: *Et tunc velut hæreticus condemnetur*, & ita loquuntur communiter Doctores. Quod verò ſit neceſſaria hujuſmodi ſententia condemnatoria, docet ad eumdem textum Franch. *numero ſecundo.* Et ſanè ita fieri neceſſe eſt, cùm omninò requiratur hunc reum, tanquam hæreticum per ſententiam tradere Curiæ ſeculari, & in alias pœnas hæreticorum damnare.

Alii verò exiſtimant, hunc contumacem habendum eſſe, ac damnandum, ut verum hæreticum. Nam dictio *velut* non ſimilitudinem, ſed veritatem importat, Archid. *in dict. capit. cum contumacia numero octavo.* & ex Jo. Andr. Franch. *numero ſecundo.* At certè hæc dictio eſt nota ſimilitudinis, ideoque hic ſuſpectus ita verè habendus eſt, ut hæreticus, ut licet poſſit eſſe, quod revera non ſit hæreticus, damnandus tamen ſit, ut hæreticus, talis de jure præſumptus, & ut talis habendus, Eymer. *p.* 2. *quæſtione quadrageſima ſeptima*, Pegna *dict. com.* 49. Salell. *libro quinto; capite ſeptimo*, *numero* 187. Carena *p.* 2. *titulo ſexageſimo nono*, *numero vigeſimo ſecundo*, & Farinac. *q.* 192. *numero* 19.

Et nihilominus, quamvis hujuſmodi contumaces damnati, ut hæretici, non ſint, niſi hæretici præſumpti, ac eſſe poſſit quod reipſa non ſint hæretici, atque adeò quod tantum ſint hæretici fictione ac præſumptione juris, ſententia tamen contra eos lata nocet etiam eorum filiis adeo, ut ſint inhabiles ad beneficia & infames, ac ſi eorum patres verè eſſent hæretici. Nam quicquid ſit, an reapſe coram Deo ſint hæretici, in judicio Eccleſiæ contumaces pro hæreticis habentur, & condemnantur. Unde *dict. capit. excommunicamus* 1. §. *qui autem*, & *dict. capit. cum contumacia* volunt quod habeantur, ac ſi vere eſſent hæretici, ut propterea puniantur etiam in filiis, quemadmodum puniuntur hæretici, pœnâ infamiæ, inhabilitatis, aliiſve. Et, licet ubi condemnatio reſpicit privatam utilitatem, condemnatio unius ad faciendam executionem in perſonam alterius, alteri non præjudicet *l.* 1. *C. ad leg. Cornel.* Bartol. *in l. cum filiusfamilias ff. de verb. obligat.* attamen ut idem Bartolus ibi docet, ubi condemnatio eſt contra principalem, ac reſpicit utilitatem publicam, illi etiam præjudicat, ad quem ex conſequentia devenit, *leg.* 1. *Codic. ubi caus. fiscal.* Cum igitur condemnatio hæretici reſpiciat publicam utilitatem,

utilitatem, ideo ſententia lata contra aliquem contumacem, ut hæreticum, præjudicet etiam ejus filiis, Pegne *p. 3. ad q. 115.* Eymer. *S hol.* 157. Sanctarel. *de hæreſ. capit.* 34. Sanchez *in ſum. lib. 2. capit. 27. numero* 19. Decian. *libro ſeptimo, capit. 41. numero* 51. Molin. *de juſt. tom. 3. tr. 2. diſp.* 658. *numero decimo nono*, Gigas *de crim. læſ. majeſt. libro tertio, titul. de pœn. quas fil. incur. q.* 18. Fermoſ. *p.* 2. *alleg* 9. *num.* 14. *& 44. et ſeq.*

Probabilius tamen docent Gigas *loco citato, num. tertio*, Farinac. *quæſtione* 116. *numero* 150. *& quæſtione* 191. *numero* 69. aliique diſtinguendum eſſe. Nam vel pater contumax fuit condemnatus, præcedentibus plenis, & concludentibus probationibus, in hæreſim incidiſſe, & ejus filii ac nepotes utique inhabiles ſunt ad omnia beneficia, & ſubduntur omnibus pœnis filiorum hæretici. Sed ſi non procedunt dictæ probationes delicti, ob ſolam patris contumaciam non reddi ejus filios, ac nepotes ad beneficia inhabiles, nec pœnis filiorum hæretici affici. Quia licet contumax habeatur pro confeſſo, & convicto, attamen talis confeſſio dicitur ficta, dum non egreditur ab ipſa perſona contumacI, & ideò non nocet filiis ac nepotibus. Contumax enim habetur pro confeſſo in ſui tantum præjudicium, non autem in damnum hæredum, ut conſtat *ex l. ejus qui* 69. *ff. de jur. fiſc.* & docent Bartol. *in dict. l. cum filius familias*, & Bald. *l. 2. n. 23. C. de edend.* idque comprobatur. Quia ſententia in contumaciam lata, nunquam tranſit in rem judicatam quoad pœnam corporalem. Quocunque enim tempore contumax comparet, eſt audiendus, *l. annuc* 4. *ff. de requir. reis.* Quod verum eſt, etiamſi contumacis ſtatua combuſta ſit, nec ipſe ſe præſentet, ſed invitus capiatur, Simanch. *de cath. inſtit. titulo ſecundo, numero vigeſimo*, Pegna *p. 3. com.* 49. Chartar. *de exec. ſent. contum. capite primo num.* 186. Scacc. *de judic. lib. 1. cap.* 98. *numero* 25. Neque ſententiæ contumaciæ infamat, ut probant Surd. *conſ.* 173. *numero centeſimo. vol* 1. Roland. *conſ.* 19. *num.* 21. *& ſequent. volum.* 3. Ergò ſententiæ lata ob contumaciam patris, non nocet filiis, atque idcircò redduntur inhabiles ad beneficia, nec privantur obtentis.

Nos verò, ut non pro vanis hæc ſcripſimus, ita neque habemus pro confeſſis. Tantum dicimus, quod in terminis *dict. cap. cum contumacia*, filii, vel nepotes patris, qui contumax noluit comparere ad reſpondendum in cauſa ſuæ hæreſis, in foro Eccleſiæ ſubjiciuntur omnibus pœnis, quibus filii, ac nepotes illius, qui condemnatur, ut hæreticus, ſubjiciuntur.

Hancque concluſionem extendimus etiam ad quoſcunque alios, qui ex cauſa fidei ſunt excommunicati, vel ut tales denunciati, ſi per annum pertinaciter permanſerint in excommunicatione. Nam & iſti, ut hæretici ſunt damnandi, ubi de illorum pertinacia conſtiterit, & ſic defenſores, receptatores, & fautores hæreticorum, quique S. Officium impediunt, ſi excommunicentur, vel declarentur excommunicati, & in excommunicatione per annum pertinaciter perſiſtant, ut hæretici ſunt damnandi, Eymer. *q. 47. num. 3.* Et ſi ex hac pertinacia non ſolum ſunt infames, neque ad publica officia admittuntur. *auth. credentes C. de hæret.* Frider. Imper. *in Conſtit. Catharos v. ſtatuentes* Innoc. IV. *in conſtit. noverit, Univerſitas*, edita anno 1254. apud Pegnam, & Nicolaus III. in conſtitutione ejuſdem initii noverit emanata anno 1281. quam refert ibidem Pegna, Calder. *de hæret. numero primo.* Angel. *v. hæreticus numero vigeſimo primo*, Sylveſt. *eodem verſiculo primo, numero decimo ſexto*, Tabien. *numero vigeſimo primo*, Locat. *verſic. excommunicatus numero 3. & verſ. pœna numero undecimo*, Sed etiam ſi eodem modo perſtiterint in excommunicatione debent damnari, ut hæretici per *dict. capit. ut in Inquiſitionis officium de hæret. in 6.* ibique Gloſſa *in fig. cauſ.* Jo. Monach. *in princ. Gemin. §. ſi vero numero tertio*, & per Conſtit. Julii III. quæ incipit, licet à diverſis ſub anno 1551. apud eundem Pegnam, Locat. *verſ. fautores numero ſecundo & verſ. ſuſpicio numero* 11. Repert. Inquiſ. *v. excommunicatus, & v. impedientes*, Farinac. *q.* 182. *num.* 72. aliique communiter.

Idem tamen Eymericus *p. 3. quæſt.* 123. diſtinguit inter fautores hæreticorum, & illos, qui impediunt S. Officium. In illis, ſi non impediunt S. Officium, vult, quod, elapſo anno, non incurrent alias pœnas, quàm excommunicationem, niſi publicetur excommunicat. In impedientibus autem S. Officium, vel in dantibus ad id auxilium, conſilium, aut favorem, non requirit, quod ſint publicati excommunicati, ſed cùm ſint ipſo jure excommunicati, ſi per annum permanſerint in excommunicatione, ait, eos condemnandos eſſe, ut hæreticos. Et id probabile putat Pegna *dict. com.* 49. At cùm in *dict. cap.* cum contumacia neceſſe ſit, ut hujuſmodi ſuſpecti excommunicentur, & ſic quod ſaltem publicentur excommunicati de jure, ideò verùm id etiam eſt de illis, qui impediunt S. Officium.

Et quidem communis Doctorum ſententia eſt, pateque ex hactenus adductis, in omnibus ejuſmodi ſuſpectis duo eſſe neceſſaria, ut locum habeat condemnatio eorum in pœnas hæreticorum. Primum eſt, quod ſint excommunicati in foro externo S. Officii, unde non ſufficit, quod ſint excommunicati in foro conſcientiæ coram Deo, & idcirco requiritur, quod vel excommunicentur, vel declarentur excommunicati. Secundum eſt, quod in excommunicatione per annum integrum, & continuum pertinaciter perſiſtant. ideòque quoad iſtos excommunicatos è jure, id etiam eſt neceſſarium, ut prius cognoſcatur de delicto fautoriæ, vel impedimenti præſtiti S. Officio, & citandi ſunt ut de hac ſuſpicione, aut delicto reſpondeant; & ſi non compareant, recenſendi ſunt inter illos contumaces, qui, elapſo termino, excommunicantur. Si verò veniunt vocati, examinatur eorum delictum, & ſi ſe purgant non habentur, ut excommunicati, etiamſi forſan coram Deo excommunicati ſint. Sed ſi convincuntur, vel fatentur fautoriam vel præſtitum impedimentum, tunc declarantur excommunicati, vel ſaltem declarantur fautores, quod ſatis eſt, ut haberi debeant ut excommunicati. Et tunc ſi poſtea per annum in excommunicatione perſiſtant animo pertinaci, damnandi ſunt, ut hæretici.

Expleto autem anno, tunc ſtatim inquiſitores procedere poſſunt ad declarandam pertinaciam in excommunicatione, & ad damnandum hujuſmodi pertinaces, ut hæreticos, nec tenentur expectare longius tempus. Nam verba *d. cap.* cum contumacia *ex tunc* id planè important, quod elapſo anno, contumax & pertinax damnandus ſit, ut hæreticus, Eymer. *p.* 2. *q.* 47. Salzed. *ad Diaz cap.* 116. Menoc. *de arb. caſ.* 416. *n.* 65. Caſtropal. *tract* 4. *diſ.* 4. *pun.* 1. *num.* 1 Farinac. *q.* 192. *n.* 21. ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 2. *n.* 1. qui omnes addunt, optimè ſe gerere Judicem, ſi elapſo anno, iterum citet contumacem ad allegandum quare tanto tempore inſorduerit in excommunicatione.

Notandum tamen eſt, quod ſi inſordeſcens ad hanc defenſionem antea citatus non fuerat, neceſſariò citari debet, cumque hanc inſordeſcentiam Fiſcalis nonniſi poſt annum accuſare poſſit, ac reus ſuſpectus, qui inſorduit, declarari debeat inſordeſcens, quod fieri nequit, niſi eo citato, ut ſe defendat, utique, elapſo anno, ille citari debet. At ubi agitur de fugitivo, & abſente, ſi ille antea citatus fuerat ad totam

cauſam, elapſo anno non eſt neceſſe, illum amplius citare, & cum ignoretur ubi ſit, ut citari poſſit, potest ſtatim declarari inſordeſcens, ac puniri. Eſt tamen arbitrarium Judici illum iterum citare, ſi id expedire viderit. Quod tanquam ſupervacaneum non cenſeo admittendum.

Quæ autem dicta ſunt de inſordeſcente in excommunicatione ex cauſa fidei lata, non omninò communia ſunt inſordeſcentibus in excommunicatione ex alia cauſa. Quamvis enim & ii ſuſpecti de fide ſint, ut per S. Concilium Trident. *ſeſſione vigeſima quinta capite tertio, de reformat.* Etiamſi excommunicati ſint ex cauſa civili, ita ut de *jure* Inquiſitores poſſint contra eos procedere, eoſque citare ad reſpondendum de fide, etſi illa ſuſpicio ſit levis, ideòque reus regulariter non eſt torquendus ſuper intentione, ab*juratque* de levi ac expeditur impoſitis pœnitentiis ſalutaribus, attamen conſuetudo Tribunalis S. Officii eſt, ut contra iſtos non procedat, ideòque S. Congregatio, ut refert Carena *p.* 2. *titulo* 8. *numero* 18. reſcripſit Vicario Placentino 30. Septembris 1606. ut contra hujuſmodi inſordeſcentes non procederet nomine S. Officii, & anno 1627. reſcripſit Inquiſitori Cremonenſi, ne contra eos procederet, inconſulta eadem S. Congregatione in ſingulis caſibus particularibus. Aliquando tamen in Tribunali S. Officii hujuſmodi inſordeſcentes requiſitos fuiſſe, conſulto prius ſupremo Urbis Tribunali, refert idem Carena. Itaque ex regula S. Officium contra hos inſordeſcentes non ſolet procedere, ut per Scacc. *de judic. p.* 1. *dict. cap.* 98. *num.* 36. Souſa *lib.* 1. *aph. capit.* 27. *nu.* 6. Zech. *p.* 1. *de fid. titul. de haret. cap.* 11. *num.* 13. Graff. *lib.* 4. *deciſ. cap.* 14. *num* 4. Lezan. *de monit. ſect.* 4. *q.* 8. *num.* 20. *& ſeq.* Caſtropal. *dict. diſp.* 4. *pun.* 6. *num.* 6. et Delbene *d. dub.* 211. *ſect.* 1. *num.* 15. ubi *num.* 17. ait, quod hæc etiam ſit conſuetudo Inquiſitionis Hiſpanæ. Vide noſtram conſultationem de hac re, ubi diſquiritur an, & quatenus contra inſordeſcentes præter cauſam hæreſis, procedere poſſit S. Officium.

Diſplicet autem quod docet Carena *dict. titulo octavo, numero decimo tertio*, ex Concilio Tribunenſi *capite tertio*, quod ſcilicet hujuſmodi inſordeſcentes in excommunicatione lata non ex cauſa fidei poſſit punire Judex laicus. Nam cum cauſa excommunicationis ſit merè ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, illudque Concilium ſit provinciale, non habet Judex laicus, unde cognoſcat de hac cauſa. Rectè tamen idem Carena monet *ibidem numero quadrageſimo tertio*, hos inſordeſcentes, ſi verè malè ſentiant de clavibus Eccleſiæ, eſſe excommunicatos etiam per Bullam Cœnæ. Si verò non ſentiant malè de clavibus, tunc à ſola excommunicatione, in qua inſorduerunt per annum erunt abſolvendi, niſi ex cauſa fidei excommunicati, et pertinaces damnati fuerint, ut hæretici.

Quod verò ad tertium, advertendum eſt, quod impœnitens non eſt audiendus, ſed vel damnandus, ſi non eſt damnatus, vel ſententia jam lata executioni eſt demandanda, Burſat. *conſ.* 7. *num.* 19. *lib.* 1. Scacc. *dict. cap.* 98. *numer.* 26. *& ſeqq.* Farinac. *q.* 185. *n.* 103. Fermoſ. *d. alleg.* 9. *n.* 17. Solum ergo de pœnitentibus, & miſericordiam poſtulantibus videndum eſt, an & quomodo audiri debeant, nemini enim legitimæ defenſiones ante ſententiam negari debent.

Tria tempora diſtinguuntur, in quibus contumax ſponte comparens poteſt petere audientiam à Quæſitore fidei. Primum eſt poſt contumaciam, ſed intra annum, ex quo fuit tantum excommunicatus. Secundum eſt poſt hunc annum, ſed antequam ob ejus pertinaciam ſit damnatus, ut hæreticus. Tertium eſt poſtquam legitimè fuit damnatus, & ejus ſtatua tradita Curiæ ſeculari, à qua fuit combuſta. In triplici hoc tempore, ſive caſu contumax ſemper auditur, ſed diverſimodè. Nam & diſtingui debet, an ſponte veniat, an coactus, anve captus, ſicut etiam diſtingui debet, num in actis ſit de hæreſi convictus, num confeſſus, num potius ſit vehementer, vel leviter ſuſpectus, & tunc an cauſa ſuſpicionis in actis ſit plenè probata, an ne. Ulterius attendi debet, an contumax ſit, vel ne pœnitens.

Sit prima regula generalis. Licet innocentiam propriam abſens non poſſit defendere, aut probare, aut ſe purgare, niſi compareat, & ad hunc effectum non poſſit admitti procurator, qui pro abſente agat, poteſt tamen per procuratorem excuſare ſuam abſentiam & contumaciam, cauſaſque abſentiæ allegare, vel etiam dilatorias exceptiones opponere, quæ ante litem conteſtatam opponi ſolent: Nam primò in criminalibus non admittitur procurator *l. penul.* §. *id crimen ff. de publ. judic. l. Deos C. eod. capit. veniens de accuſ.* Clar. §. *fin. quaſtione trigeſima ſecunda* §. *hac autem*, Cantera *quaſt. crim.* 3. *de accuſat.* & Doctores *in capite primo, de judic. in* 6. ubi latè explicant; quomodo in criminalibus non admittatur ad plenam defenſionem procurator, niſi in aliquibus caſibus, cum nec poſſit ſatiſdare de executione ſententiæ, & veritas aliunde haberi non poſſit, quam ex ore rei inquiſiti.

Ideoque in crimine hæreſis ad plenam defenſionem abſentis non debet, neque poteſt admitti procurator, extatque hac de re etiam ſpecialis conſtitutio Martini V. §. *volumus inſuper*, data ſub anno 1418. incip. *Inter cunctas* apud Pegnam, & tradit Locat. *in Judic. v. procurator*, Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 5. *num.* 1. & in enchir. *titulo quadrageſima tertio, numero primo*, Royas *ſing.* 170. *numero primo*, Pegna *in* 3. *p. ſchol.* 48. Farinac. *dict. quaſtione* 185. *numero* 98. Carena *p.* 3. *titulo undecimo, numero quinquageſimo quinto.*

Neque id modo verum eſt, ſi hæreſis ſit in proceſſu probata, non autem ſi ſit dubia, & reus ſolum ſit de hæreſi ſuſpectus, ut volunt Pegna *loco citato*, & Farinac. *ibidem numero centeſimo*. Nam lex de non admittendo procuratore ad plenam defenſionem abſentis inquiſiti non patitur limitationem, ſive ex parte modi procedendi per denunciationem, aut inquiſitionem, ſive ex parte culpæ levioris, ſive ex parte minoris pœnæ, ut *in dict. cap.* 1. *de judic. in* 6. iidem Doctores probant; ſed ratio univerſim militat, quia procurator in cauſa criminali non poteſt ſatiſdare de judicato ſolvendo. Non enim procurator debet vel tradi Curiæ ſeculari comburendus, aut damnari ad triremes, vel alia pœna corporali puniri nomine principalis abſentis. Sicque fruſtra ageretur abſentis cauſa in præjudicium juſtitiæ, & delicta, etiam in judicio probata, impunita gliſcerent et graſſarentur. Et idcircò rei confeſſio haberi debet, ſi poteſt. Quare nequit Fiſcus melius doceri de negotio, quam ex ore rei. Itaque in nulla cauſa hæreſis, etiam pro ſolo ſuſpecto de fide, admitti debet procurator ad totam cauſam, & præcipuè ad conteſtationem litis, ad torturam, ad ſententiam, ubi reus perſonali pœna puniri debet.

Quinimmo ne admitti quidem poſſe defenſorem innocentiæ, niſi reo in carceribus conſtituto, aſſerit Carena *p.* 3. *titul.* 11. *num.* 31. Quod planè falſum eſt, ſi propriè loquamur de pro inſtructore, ac defenſore juſtitiæ, qui accedat ad Judicem non acturus in judicio, aut facturus proceſſum, teſtes producendo, aut citando accuſatorem, vel fiſcum, ſed tanquam merus inſtructor veritatis, ut detegat, quod latet. Cum enim Judex ex officio ſit cuſtos juſtitiæ,

debet,

debet, quod ad ſe attinet, id agere, quod neceſſe videbitur, ut manifeſtetur injuria, quæ fit reo. Ideòque ſiquis adiret Inquiſitorem, ac diceret, reum eſſe verè innocentem, idque conſtare poſſet, ſi examinentur iſti, vel illi teſtes, aut ſi teſtes de iſto, vel de illo interrogentur, ceſſante ſuſpicione fraudis, tenebitur Inquiſitor veritatem inquirere. Nunquam verò ad actus, qui exigunt perſonam rei admitti poteſt procurator. Quare ubi eſt neceſſaria tortura, vel ſuper facto, vel ſuper intentione præſentis inquiſiti, procurator non admittitur. Ex parte pœnæ autem, ubi pœna, licet perſonalis, poteſt infligi in abſentem, ut ſunt pœnæ privationis officiorum, aut beneficiorum, non repugnat, quòd admittatur procurator innocentiæ in judicio: Nam in hoc caſu non eſt neceſſaria præſentia rei.

Eſt autem proculdubio, quod admitti poſſit procurator ad excuſandam contumaciam, allegando infirmitatem, vel aliam abſentiæ cauſam, vel etiam ad opponendas exceptiones dilatorias, quæ opponi poſſunt ante litis conteſtationem, ut per Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 52. *num* 4. Decian. *lib.* 5. *cap.* 51. *n.* 16. *& cap.* 37. *numero* 50. Pegna *dict. ſchol.* 48. Farinac. *dict. quaſt.* 18. *numero* 101. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 49. *numero* 11. Calliopol. *tractat.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. §. 2. *numero* 3. Catena *dict. titul.* 11. *numero* 43. Et ita procurator pro reo abſente poteſt allegare incompetentiam Judicis, vel exceptionem calumnioſæ inquiſitionis, quamvis in Tribunali S. Officii exceptiones contra accuſatorem, ejuſque inhabilitatem non recipiantur, quia in hoc ſacro Tribunali inquiſitiones formantur, non ſolum ad inſtantiam accuſatoris, ſed etiam ex officio, Farinac. *in prax. q.* 99. *num.* 22. Ideòque diximus, non admitti procuratorem ad totam cauſam, ac plenam deciſionem. Nam ad multos actus, qui non ſunt perſonales, poteſt procurator admitti, ſi reus ſit in carceribus Judicis detentus. Actus verò perſonales ſunt conteſtatio litis, ac reſponſio ad poſitiones, & ad Judicem, torturæ & ſententia, licet, præſente reo, citato ad ſententiam, ſi compareat procurator proteſtans, & pro reo reſpondens admittatur, Farinac. *d. q.* 99. *n.* 142.

Secunda regula generalis eſt. Si reus compareat, & ſufficienter excuſet contumaciam, ſive pertinaciam, ut quia reus fuit eo tempore infirmus, vel apud hoſtes, vel alibi carceribus mancipatus &c. tunc nulla eſt habenda ratio contumaciæ, aut inſordeſcentiæ. Quia non eſt contumax qui eſt impeditus ne pareat, ut probavimus ſupra, ideò nullam meretur pœnam; Farinac. *quaſt.* 192. *num* 22. Catena *p.* 2. *titul.* 11. *numero* 39. *&* 43. Bellarmin. *in not. ad Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 3. *num.* 12. Et hoc idem dicendum de illo contumaci etiam condemnato, qui à miniſtris S. Officii captus fuit, ſi impedimentum probet, Lopez *in addit.* ad Diaz *cap.* 116. *numero* 12. ac Delbene *dub.* 211. *ſect.* 2.

Tertiam regulam ita conſtituimus. Si citatus compareat intra terminum citationis, jam contra illum proceditur, tanquam contra præſentem, non autem contra contumacem. At ſi contumax eſt, quia in termino citationis non comparuit, fuit propterea excommunicatus, ſed tamen comparet intra annum à denunciata excommunicatione, ſi plenè de hæreſi, aut de hæreſis ſuſpicione ſe purgat, abſolvendus erit. Et dato, quod in contumaciam condemnatus fuerit, ſicut potuit condemnari, ſi erat convictus de hæreſi, vel confeſſus recuperat nihilominus bona etiam confiſcata, ſi de hæreſi ſe purgat Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 2. *numero* 10. *&* 21. *& in enchir. titul.* 45. *n.* 16. *&* 17. Farinac. *dict. quaſt.* 185. *nu.* 107. Sed, ſi auditus, adhuc remaneat de hæreſi convictus vel confeſſus, tunc damnandus eſt, ut hæreticus, ſive pœnitens ſit, ſive impœnitens, vel ſi prius fuerat damnatus, ſententia executioni demandanda eſt. Si verò nec plenè purgatus, neque de hæreſi convictus, vel confeſſus remaneat, ſed ſolùm de fide ſuſpectus, juxta qualitatem ſuſpicionis abjurare debet. Hic autem non eſt ſuſpectus de fide ob inſordeſcentiam in excommunicatione, quia intra annum comparuit. Idemque etiam eſt, ſi intra annum capiatur, ratione contumaciæ, ex quo non comparuit in termino citationis. Quia hæc contumacia non fert ſecum ſpeciſicam ſuſpicionem de hæreſi, ſed confirmat, & auget ſuſpicionem, ex qua fuit citatus. Contumax enim refugiens judicium, facit præſumere, quod diffidat *de juſtitia* ſuæ cauſa, *can. Chriſtianis* 11. *q.* 1. *& can. decernimus* 3. *q.* 4. & *cap. nullus de præſumpt.* Archid. *in d. cap. cum contumacia n.* 6. *de hæret. in* 6.

Et tamen quia de jure canonico præſertim *ex dict. cap. cum contumacia*, in ſuſpecto de hæreſi ſola contumacia in non comparendo, non facit illum de interna hæreſi convictum, adeo ut poſſit damnari in pœnam ordinariam, idcirco debet abſolvi ab excommunicatione, ſi ob contumaciam fuit excommunicatos, & aliquando gravius puniri, *cap. quod vult de judic. l. ſummus Cod. eod. tit.* Vel certè non mitius puniri, & in expenſis damnari, Archid. *d. n.* 6. Hoc eſt quod iſte aliam hæreſim in ſpecie abjurare non tenetur, niſi illam, ex cujus ſuſpicione damnatur.

Quod ſi contumax intra annum moriatur, ejus hæreſi nondum plenè probata, & ſic mortuus ſolùm de fide ſuſpectus, ad nullam condemnationem contra illum eſt deveniendum. Quia ſuſpicio morte extinguitur, Caſtropal. *d. diſp.* 8. *pun.* 16. §. 3. *n.* 4. & nos alibi.

Sit quarta regula. Contumax & inſordeſcens, etiam exacto anno, etiam poſtquam fuit damnatus, ut hæreticus, & ſtatua ejus combuſta, ſi compareat, vel capiatur, & petat audiri, audiendus eſt quod ad ſuam perſonam vel ad probandam ſuam innocentiam, vel ad ſe purgendum de hæreſi, Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 2. *num.* 20. & *tit.* 14. *n.* 10. *& in Enchir. tit.* 45. *n.* 16. *&* 17. Royas *ſing.* 145. *n.* 5. Eymer. *p.* 3. *poſt n.* 2. 3. *&* 216. Pegna *in p.* 3. *ſchol.* 69. *ſive com.* 4. Scacc. *dict. cap.* 98. *numer.* 25. Chartar. *de execut. ſent. cap.* 1. *n.* 280. Sanchez *in ſum. lib* 2. *cap.* 27. *num.* 18. Glo. *in dict. cap. excommunicamus* 1. *verſ. condemnetur de hæret.* Farinac. *dict. quaſt.* 185. *num.* 106. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 4. *num.* 1. Salzed. *ad Diaz. dict. cap.* 188 *nu* 11. Alter. *de cenſur. tom.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 8 *cap.* 3. Carena *p.* 2. *tit.* 8. *n.* 83. *& ſeq* Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 4. *pun.* 2. *n.* 4 Decian. *lib.* 5 *cap.* 33 *nu.* 13. Salell. *lib* 5. *cap.* 7. *nu.* 198. Fermoſ. *d. alleg.* 9. *num.* 79. ac Delbene *p.* 2. *dict. diſſ.* 211. *ſect.* 6. *num.* 8. *&* 9. Ratio autem eſt, quia confeſſio, quæ præſumitur ex contumacia, & pertinacia, eſt confeſſio ficta. & à jure præſumpta, cui præſumptioni poteſt ſubeſſe falſum, & præterea debet dari locus veritati, ut ſe manifeſtet, vincatque præſumptionem, depellendo falſitatem. Producit quidem hæc præſumptio hunc effectum, quod liberat accuſatorem, vel Fiſcum ab onere probandi delictum quod ex contumacia, & pertinacia præſumitur confeſſum, ſed tamen non adimit facultatem contumaci, ut poſſit ſe defendere & purgare.

Neque his obſtat *can. rurſus* 11. *quæſtione tertia.* Nam intelligi debet in eo caſu, in quo delinquens pluries citatus, ac monitus fuit, ut ſe purget, & id facere noluit.

Cùm autem *ex dict. cap. cum contumacia, ex cap. afferte de præſumpt. ex cap. literas, ex cap. cum in juventute; ex cap. cum ſua de uſur. & ex cap. de hoc de ſimon. atque ex l. eum, qui C. de Epiſc. & Cler.* Doctores colligunt, quod ex præſumptione violenta feratur ſententia definitiva, Gemin. *in dict. cap. cum contumacia num.* 3. Franch. *eod. numer.* 3. Menoch. *de præſumpt. l.* 1. *præſ.* 9. *numero* 7. *& de arb. caſ.* 170. *à numero* 5.

Maſcard,

Maſcard. *de prob. concl.* 1228. Farinac. *in pr. quæſt.* 56. *numero* 85. *&* *quæſtione* 89. *num.* 52. Cùmque hæc præſumptio, quæ eſt juris et de jure, non admittat probationem in contrarium, Locat. *in judic. v. ſuſpicio*, Simanch. *de cath. inſtit. titulo* 50. Pegna *p.* 2. *ad quæſtionem* 55. ideò neque in crimine hæreſis contra hanc præſumptionem violentem, ob quam contumax damnatur, ut hæreticus, admittitur directa probatio, ſed tantum indirectè, ut ſi damnatus velit, probare teſtes contra ſe examinatos, vel indicia eſſe falſa, Farinac. *q.* 188. §. 3. *de hæreſ.* Souſa *libro ſecunda aph. cap.* 19. Caſtropal. *dict. diſp.* 8. *p.* 15. §. 5. Carena *p.* 3. *tit.* 3. *numero* 10. Fermoſ. *p.* 2. *alleg.* 9. *n.* 83. de quo & nos alibi.

Ad majorem autem hujus rei claritatem, aliqui ſunt modi explicandi. Primo inquiri debet, quinam ſit hæreticus exterior, quinam ſolum de hæreſi ſuſpectus. Cum enim hæreſis ſit crimen interius, quod conſummatur in mente, quæ autem mentalia ſunt nobis non innoteſcant niſi per exteriora ſigna ſenſibilia; ſolius enim Dei, & ipſius operantis eſt ſecreta cordium cognoſcere; ideò hæreticus exterior per ſenſibilia ſigna ſignificat, ſe credere, vel ſentire id, quod eſt veræ fidei contrarium. Hic autem eſt, qui per voces, nutus, vel facta, ſignificantia ad placitum, & ex humana inſtitutione tanquam verba, ſe hæreticè ſentire ſignificat.

Nulla verò actio exterior, quatenus eſt ſignum merè naturale, ſignificat interiorem hæreſim intellectus clarè, determinatè, immediatè, & certò ſaltem quantum eſt ex parte ſignorum, & ſignificationis. Et quamquam actus exteriores aliquando naturaliter ſignificent aliquod vitium voluntatis, ut voluntaria & privata occiſio hominis naturaliter ſignificat voluntatem injuſtam; & intellectum imprudentiam in judicando, attamen vitia iſta voluntatis non ſunt neceſſariò ex hæreſi, ſed ex alia cauſa eſſe poſſunt, etiamſi ſit deſperatio, & odium Dei, ut patet in dæmonibus, in quibus non eſt infidelitas, & tamen eſt deſperatio, et Dei odium.

Eſt nihilominus una ſpecies actus voluntatis, quæ per ſe neceſſariò eſt ex infidelitate, ſcilicet actus interior idololatriæ, qui eſt actus interior voluntatis, terminatus ad objectum falsò, & contra fidem judicatum, eſſe Deum. Sed nullus eſt actus interior qui, ut ſignum merè naturale, ſignificet interiorem idololatriam, ſed ſacrificium, aliique actus idololatriæ exteriores, interiorem idololatriam ſignificant determinatè ex uſu, & inſtitutione, ex qua habent ut interiorem cultum idolorum determinatè ſignificent, & ex hoc formaliter ſunt etiam exteriores actus infidelitatis.

Horum autem ratio eſt, quia cùm interior hæreſis conſiſtat in interiori judicio intellectus, falsò quidem, & contra fidem. Judicium autem hoc, ſicut & alia judicia intellectus, conſiſtat in interiori verbo mentis, quod eſt in genere ſigni; Verbum enim eſt ſpecies expreſſa repræſentativa objecti; ideò exterius judicium mentis, quod eſt interior loquutio, connaturaliter ſignificatur per exteriorem loquutionem, quæ ex ſignis ad placitum conſtat, & ex uſu, ac inſtitutione habet determinatam, & claram ſignificationem interioris loquutionis, ac conceptionis ipſius loquentis, quæ interior loquutio, quatenus eſt contra fidem non habet neceſſariam ac determinatam connexionem cum aliquo ſenſibili ſigno, aut actione exteriori, niſi in quantum ex inſtitutione, aut uſu illo exteriora ſigna inſtituta ſunt. Nullus enim datur exterior actus, qui ex ſui natura, præciſa omni inſtitutione, aut uſu, per ſe ſit ab infidelitate, & non poſſit eſſe in homine abſque infidelitate.

Unus tamen eſt actus exterior, qui fit elicitus à fide, & hic eſt confeſſio fidei. Alii verò actus à fide mediis aliis virtutibus imperantur, ut docet divinus Magiſter 2. 2. *quæſtione tertia, articulo primo, ad* 1. *& ad* 3. Sic ergo & unus eſt actus elicitus infidelitatis, qui eſt exterior loquutio, directè ac per ſe oppoſita confeſſioni fidei. Et quamvis exterior loquutio contra fidem poſſit eſſe ſine interiori infidelitate, hoc tamen non eſt per ſe, ſed per accidens, & quatenus loquens mentiatur, unum ſentiens interius, aliud exterius ſignificans. Unde nec præſumitur, neque præſumi debet recta fides in eo, qui exterius clarè ac determinatè infideliter, vel hæreticè loquitur, ad eumque pertinet probare interiorem rectam fidem, ſi exterius clarè ac determinatè infideliter loquitur. Exterior enim loquutio, quod ad ſe pertinet, clarè, determinatè, ac certò ſignificat interiorem loquutionem, & ideò in foro exteriori habetur pro ſigno certo interioris aſſertionis. Quare per ſe loquendo talis hæreticè loquens, habetur tanquam formalis infidelis, aut hæreticus, ſi ſit baptizatus.

Hæreſis igitur exterior eſt exterior loquutio Chriſtiani quæ eſt contra fidem, & quæ propterea per ſe ac directò eſt contra fidei confeſſionem. Non enim intereſt, an hæc loquutio fiat per voces, aut per nutus, aut per facta, dummodo nutus, & facta ſint verba, ſicut ſacrificium ad modum verbi, & tanquam verbum ſignificat interiorem idololatriam, ut docet idem D. Thom. 2. 2. *quæſtione nonageſima quarta, articulo ſecundo*, & ſimul conſignificat interiorem infidelitatem, ſed facta hanc ſignificationem non habent, niſi ex inſtitutione, ac uſu. Itaque exterius hæreticus eſt, qui ſcienter ac voluntariè, clarè ac determinatè loquitur contra fidem, vel aſſerendo, quod fides negat; vel negando, quod fides aſſerit.

Atque hinc deducitur, quinam ſit exterior ſuſpectus de fide, & non poſſit dici hæreticus formalis. Cum enim loquutio exterior non ſit ſemper clara, ſed interdum ambigua, & æquivoca, idcircò ex hac loquutione de ſe habente plures ſenſus, quorum aliquis non eſt hæreticus, ſic loquens non habetur, ut hæreticus formalis, ſed ut ſuſpectus de hæreſi.

Diſtinguuntur itidem facta. Nam alia ſunt hæreticalia formaliter, & hæc ſunt, quæ tanquam verba & ſigna ad placitum ſignificent clare ac determinate interiorem hæreſim, ut dictum eſt, de ſacrificio facto in cultum idoli, & hæc faciunt hæreticum formalem. Alia ſunt hæreticalia, & hæc ſunt quæ vel naturaliter, vel ex uſu ſignificant aliquam actum interiorem, qui non eſt per ſe neceſſariò ex hæreſi, ſed poteſt eſſe, immò ſæpe eſt ex hæreſi, vel ſine illa non eſt, aut rationabilis eſt ſuſpicio, quod non ſit abſque illa. Et per hujuſmodi facta agens non redditur formaliter hæreticus, ſed de hæreſi ſuſpectus. Sic igitur exterior hæreſis ſuſpicio eſt exterior loquutio, vel actio ſapiens interiorem hæreſim, illam tamen vel clare, vel determinate, vel certò non ſignificans, ſed illius aliquam ſuſpicionem rationabiliter ingerens, ac de hæreſi ſuſpectus eſt, qui tali loquutione, & actione operatur extrinſecus.

Deinde inveſtigandum eſt diligentius, quiſnam dici debeat convictus in judicio, vel de hæreſi, tanquam de fide ſuſpectus. Ille autem dicitur convictus in judicio, quod ſit hæreticus formalis, de quo per legitimam probationem plene probatum fuit, quod per aliquam loquutionem verbo, vel facto ſignificantem per modum verbi aſſeruerit

aliquid

aliquid fidei doctrinæ contrarium, & ſic actum exterioris infidelitatis exercuit, confeſſioni fidei directè contrarium.

Neque obſtat, quod hæc exterior aſſertio, confeſſioni fidei contraria poſſit eſſe cum interiori fide, ac proinde ex illa ſola non conſtat de hæreſi, atque adeò neque quod ſic aſſerens ſit hæreticus.

Nam id non probat, niſi quod hæreſis exterior non eſt neceſſariò conjuncta hæreſi interiori, quia exterius loquens poteſt mentiri, & aliter loqui, quàm ſentit in mente, quod eſt per accidens. Cæterum aſſertio exterior clarè ac determinatè ſignificans exteriorem hæreſim, certa eſt ex parte aſſertionis. Et ſicut extrinſecus eſt loquutio oppoſita confeſſioni fidei, unde vel eſt actus hæreſis, vel alterius infidelitatis, ita extrinſecus conſtituit infidelem, vel hæreticum formalem. Atque adeò Chriſtianus de tali aſſertione convictus, eſt convictus de exteriori hæreſi. Tunc verò eſt convictus de ſola ſuſpicione, quando de dicto, vel facto non hæretico, ſed hæreticali, eſt convictus.

Porrò convictus de exteriori hæreſi eſt ſimul convictus quodammodò de interiori hæreſi, quæ in illo præſumitur. Et ſic tam eſt hæreticus fictione juris convictus etiam de hæreſi interiori. Quia cum illa non poſſit ab Eccleſia cognoſci, niſi per exteriora ſigna, ubi dentur hæc ſigna certa, & in ſui ratione indubitata, clara & determinata interioris hæreſis, Eccleſia nequit illam non præſumere. Verum tamen eſt, quod convictus de exteriori hæreſi non poteſt dici convictus de interiori, niſi ſit auditus. Quia poteſt eſſe quod ex aliqua cauſa propoſitionem hæreticam aſſeruerit ſimulando, vel mentiendo, retenta interius vera fide. At ubi auditus non probat ſimulationem, probando, quod ex timore, vel alia cauſa ſinxerit ſe hæreticum eſſe, falſitatem hæreticam aſſerendo, ſi perſiſtat in negative malæ intentionis ac fidei, & dicat, ſe ſemper credidiſſe fidei veritatem, quam verbis denegavit, non excuſatur, ſed habetur pro hæretico negativo, & tanquam convictus etiam de interiori hæreſi, & ut talis punitur. Quæ non procedunt in eo, qui ſolum eſt convictus, ut ſuſpectus de fide. Quia cùm factum, de quo eſt convictus, non inferat neceſſariò malam fidem interiorem, ſed ſolum ſuſpicionem illius, hæc purgari poteſt per torturam. Et ex eadem ratione nec ſuſpicio ſufficit, ut quis habeatur, ut convictus de hæreſi interiori, & quod ſit hæreticus interior.

Conſiderari tamen debet, quod, etſi non poſſit aliquis dici verè convictus de interiori hæreſi, niſi quatenus hoc fundatur in aliqua præſumptione; quia interior hæreſis ſenſibus non cognoſcitur, ſed exterius nobis per verba ſignificatur, quæ à loquente poſſunt etiam fictè, aut ſimulatè proferri. Ac ita, quod etiamſi aliquis aſſertiones hæreticas protuliſſe ſit convictus, idque ipſe fateatur, dicatque amplius, ſe credidiſſe interius illas aſſertiones, attamen metaphyſice loquendo id totum poteſt eſſe & fictum & ſimulatum, ſed moraliter non eſt tale. Quia eſſe tale, meritò non præſumitur. Sicque de hæreſi exteriori non conſtat, nec aliquis poteſt convinci, ut hæreticus, niſi ex aliqua præſumptione.

At nihilominus diſtinctio inter verè ac fictè fictione juris convictum de interiori hæreſi, ſatis habet ſimilitudinis, & ſtabilitatis. Nam dictum, vel factum hæreticum, aut hæreticale cadit ſub ſenſibus, & de eo poteſt quis eſſe convictus ex rei quidem evidentia. Quare iſte convictus de hæreſi exteriori, ſi confiteatur interiorem hæreſim vel auditus non probet, ſe, non obſtante male extrinſeca intentione, veram fidem conſervaſſe, habetur tanquam verè convictus de hæreſi. Fictè verò convictus fictione juris eſt ille, qui vel neque eſt convictus de aliquo dicto, vel facto hæretico, aut hæreticali, eſt quantum ſufficit, ut citetur. Quia tamen citatus non comparet ad reſpondendum de fide, fingitur ex contumacia convictus etiam de hæreſi, de qua in judicio non erat, niſi ſuſpectus. Hic autem fictione juris dicitur de hæreſi convictus, quia jus præſumit, quod iſte citatus ex conſcientia hæreſis, de qua eſt ſuſpectus, & inquiſitus, nolit comparere. Jus quippe canonicum in cauſa hæreſis vult, quod ad condemnandum aliquem tanquam convictum de hæreſi in pœnam ordinariam, ſufficiat contumacia non comparendi in S. Officio, ſi ille aliàs eſt convictus de hæreſi exteriori; ſed ſi ſolum ſit convictus de facto ſuſpecto, non vult quod ſufficiat contumacia non comparendi in termino citationis, ſed ulterius requirit, quod ille ob contumaciam fuerit excommunicatus, quodque cum pertinacia perſeveraverit in excommunicatione per annum, & tunc ſolum habeatur ut convictus de hæreſi illa, de qua fuit ſuſpectus, ac inquiſitus.

Hinc hæreticus vel ſuſpectus de hæreſi, qui citatus non comparuit in termino citationis, unde excommunicatus inſorduit per annum in excommunicatione, atque ut pertinax fuit damnatus, & traditus Curiæ ſeculari, fuitque ſententia executioni demandata & ejus ſtatua combuſta, debet probare innocentiam ſuam, & legitime excuſare contumaciam & pertinaciam. Qua in re tria ſunt diſtinguenda. Dictum, vel factum exterius contra fidem, ex quo fuit inquiſitus. Præſumptio hæreſis interioris, quæ oritur ex tali facto. Præſumptio hæreſis, quæ vel confirmatur per contumaciam in non comparendo in termino, vel etiam nova oritur ex pertinacia inſordeſcentiæ in excommunicatione.

Quod ad primum, ille ſic damnatus poteſt probare, dictum, vel factum ſibi imputatum non eſſe verum probatione indirecta, probando vel negativam coarctatam, quod non fuerit tunc in loco illo, cùm dicitur ibi deliquiſſe, vel probando eandem negativam quoad teſtes, ut advertit Carena *p. 3. tit. 9. num. 10. & 11.* Vel excipiendo contra teſtes, tam quoad dicta, quàm quoad perſonas; vel probando, quod vixerit, tanquam catholicus, quodque habuerit actus catholicos contrarios actibus ſibi oppoſitis; ſicque vel penitus tollere vim probationis contra ſe factæ, vel illam ita minuere, ut non ſufficiat ad plenam facti probationem.

Quod verò ad ſecundum, poteſt indirectè probare, quod dictum, vel factum ſuum fuerit tale, ex quo, ſpectatis circumſtantiis, vel nulla oritur interioris hæreſis ſuſpicio, ut quia dixit, ac fecit ea cauſa, tollente omnem ſuſpicionem interioris hæreſis, & ſic quod ille vel fuit coactus mentiri, & aliter loqui, quàm ipſe ſentiret; Vel quod à ſe factum poterat fieri ex cauſa excludente hæreſim, ſicque factum fuerit, vel ſaltem poteſt minuere illam ſuſpicionem, probando dictum, vel factum fuiſſe talibus circumſtantiis ſtipatum, ut ex eo non oriatur, niſi levis ſuſpicio interioris hæreſis. Nam & poteſt eſſe, quod dictum illud, vel factum ex natura ſua, non ingerat niſi levem interioris hæreſis ſuſpicionem.

Quod tandem ad tertium, poteſt excuſare ſuam contumaciam & pertinaciam probando impedimentum, ob quod non potuit antea comparere. Quod poteſt contingere probando impedimentum,

tam

audiantur quoad bona. Et nihilominus quod iſti audiantur quoad bona, ſi doceant de innocentia, & impedimento, ajunt Simanch. *de cath. inſti. tit.* 2. *num.* 20. *& ſeq.* Rub. *de abſent. num.* 16. & 17. Pegna *in* 3 *p. Schol.* 69. ac Lopez *ad Diaz cap.* 116. *nu.* 12.

Sed quid de filiis, aut hæredibus, ſi contumax pater fuit damnatus, ejuſque ſtatua combuſta, & poſtea mortem obiit, nunquid illius filii, vel hæredes poſſint, ac debeant audiri, petentes, ac intendentes patris defenſionem?

Diſtinguendum eſſe cenſeo inter hæreticum confeſſum, ſive convictum legitimis probationibus, qui nec quidem tergiverſationibus nequit delictum ſuum excuſare, ut pote notorium, & inter damnatum ex ſuſpicionibus; illum ſi appellet, vel recurſum habeat, non debere audiri, altero; ſed damnatus ex ſuſpicionibus, appellans debet audiri, & etiam ejus hæredes.

Ubi autem quis ex ſuſpicione hæreſis citatus, fuit poſtea in contumaciam damnatus, ejuſque ſtatua combuſta, ſicut ipſe, ſi vivens peteret audiri, deberet audiri, ita audiri debent, illo mortuo, ejus filii, vel hæredes, volentes probare illius innocentiam. Quia potuit eſſe, quod non fuerit verè contumax, ſed ex impedimento non comparuerit. Et ideo non ita conſtat de contumacia, quod audiri non debeant, qui, reum non fuiſſe contumacem, probare intendunt. Præterea multum intereſt hæredum, ut appareat, damnatum non fuiſſe hæreticum verè, quia ex ſuſpicione hæreſis patris non privantur filii hæreditate, Locat. *v. filii num.* 4. Repert Inquis. *eod v.* Zanchin. *cap.* 28. *nu.* 3. Farinac. *q.* 91. *n.* 18 Decian. *lib.* 5. *cap* 45. *n.* 5. Et quia contumax, ut dictum eſt, non ex hoc eſt verè hæreticus, neque damnatur, ut talis, ſed eſt hæreticus violenter præſumptus, ideoque ejus hæredes in hoc habent cauſam, ut, ſi poſſunt, oſtendant, illum non fuiſſe verè hæreticum, ſed præſumptum, ad quod ſufficit, quod oſtendant, illum non fuiſſe contumacem, ſi aliunde non conſtet, illum fuiſſe verè hæreticum impœnitentem, vel relapſum.

Confirmatur. Nam in S. Officio ſententiæ non tranſeunt in judicatum, ut declaravit B. Pius V. *in ſua conſtit. Inter multiplices, & tradunt* Farinac. *quæſt.* 197. *num.* 28. Scacc *de re judic. glos.* 14. *cap.* 7. *num.* 162. Carena *p.* 3 *tit.* 11. §. 3. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *reſol.* 10. & nos *ſuo loco.* Quod verum eſſe, aſſerunt, non modò in abſolutoriis, ſed etiam in condemnatoriis, ut ſi ſupervenìat probatio innocentiæ, tollatur condemnatio, Caſtropal. *tr.* 4. *diſp* 8. *pun.* 11. *num* 10. Et tandem quia contumaces condemnati audiantur, etiam quoad bona, ſi compareant. Unde provenit, ut ajunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 2. *num.* 10. & 11. *& tit.* 14. *in fine*, Pegna *p.* 3. *com.* 49. *concl.* 3. Chartar. *de execut. ſent. contra contum cap.* 1. *num.* 178. Scacc. *de judic. lib.* 1. *cap.* 28. *num.* 25. quod, quando ſtatuæ parentum comburuntur, eo, quod vocati non comparuerint, ut ſe defenderent ab hæreſi, de qua delati fuerunt, tunc filios eorum non incurrere pœnas, quas cæteroquin incurrerent, ſi illorum partes verè in perſona eſſent cumbuſti, & ſic videtur, ut poſſint filii patris in ſtatua combuſti, recuperare bona. Extantque apud Fetmos, *d. alleg.* 9. *an.* 63. exempla ſimilium cauſarum, in quibus reclamantibus hæredibus, etiam aliquando puſt ſeptuaginta annos in Tribunali Inquiſitionis Hiſpanæ cauſæ iſtæ recognitæ fuerunt, & ad favorem prius damnatorum decretæ.

Quæ autem dicta ſunt de contumacibus, ſponte comparentibus, comprobantur etiam de captis, tametſi conjecturæ magis urgeant contra captum, ut ex Scaccia *d. cap.* 98. *num.* 33. advertit Catena *p.* 2. *tit.* 8. *num.* 46. Et ſi audiuntur hæredes, videtur, quod audiendi ſint etiam ipſi damnati, licet capti. Bona vero publicantur in pœnam delicti. Unde ſi hujuſmodi capti audiuntur ad probandam innocentiam à delicto, ſi hanc probant, videtur, quod etiam recuperent bona.

Denique adverti debet, Inquiſitores inferiores non debere, inconſulta S. Congregatione Univerſalis Inquiſitionis, procedere ad damnandum aliquem in contumaciam ad hoc, ut tradatur brachio ſeculari, cùm pœna iſta graviſſima ſit, præcipue ſi cauſa inſtruatur contra ſolùm ſuſpectum de fide. Sed rarò poteſt adeſſe neceſſitas ſic procedendi, cùm hujuſmodi delinquentes in omni diœceſi capi poſſint per Quæſitores fidei; vel remitti ad illum Inquiſitorem, in cujus diſtrictu deliquerunt, vel ibi puniri, *cap. ut commiſſi de hæret. in* 6. Fertur tamen quod S. Officium non ſolet procedere contra reos in contumaciam ad pœnam ordinariam, niſi ſint hæreſiarchæ. Sed hoc eſt arbitrarium Sacro Tribunali.

Consultatio CLXVII.

De judicio, ac pœnis ſortilegi, hæretici, aliorumque delinquentium contra fidem, ubi quæ in hæreticorum judiciis perpendenda, deque cautionibus contra hæreticos, aliiſque hujuſmodi.

QUoniam qui dolo, hoſtili animo, ac pertinaci animo fidem catholicam turbant, & populum commovent, deportatione digni ſunt, ut Valentinianus ait, Theodoſius, & Arcadius *lib.* 3. *C. de iis, qui ſup. relig. cont. l.* 16. *tit.* 4. *Cod. Theodos.* Et qui de religione contendunt, ut ſeditionis autores, pacíſque Eccleſiæ turbatæ Majeſtatis capite ac ſanguine ſunt ſupplicii lamiti ut prædicti Cæſares ſcribunt *in l.* 1. *eod. tit.* ſicque gravius peccatum hæreſi adducitur, *can. qui in omnibus* 32. *quæſt* 7. *can. quod autem* 14. *quæſt.* 4. quodque crimen publicum eſt, *cap. in nonnullis de judic.* Idcirco inter reos Majeſtatis divinæ primum hæretici ponuntur, auth. Gazaros *C. de hæret. cap. vergentis eod. tit. in* 6. ibi *divinam offendere Majeſtatem.*

Porrò in tractatione hac nomen hæretici latè, ac propriè ponitur. Latè hæreticus dicitur omnis, qui in fide dubitat *cap.* 1. *de hæret.* vel dubius eſt, ſcilicet qui firmiter & conſtanter non credit quæ catholicæ & orthodoxæ fidei ſunt, quando ſcilicet in tali dubitatione habet firmitatem animi, & pertinaciam, propter quam perſeverat in illa dubitatione, non aliter, ut notat Jo. Andr. *ad d. cap.* 1. *de hæret.* quem alii ſequuntur, ſicque intelligenda verba Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Cæſarum *in l.* 2. §. *fin. C. de hæret.* Item & ille propriè, qui fidem amplexus chriſtianam, poſtea aliter ſentit, quàm eadem catholica Eccleſia, & errorem pertinaciter defendit. Itaque appoſita ſingula in finitione, concurrere debent ad hæreticum diſtinguendum.

Primùm qui hujuſmodi dicetur, fidem profeſſus eſſe debet & nomen ſuum Chriſti cultui dediſſe. Sic enim D. Joannes ait *epiſt.* 1. *cap.* 2. *Quod ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuiſſent, utique nobiſcum permanſiſſent.* Dum enim divina purgatur area, ſeipſos ſeparant ſuperbe ab Eccleſiæ ſimplicitate, ut Capharnaitæ, aliique Domini diſcipuli D. Joannes in Evangelium ab autore vitæ, & à vera vita præſente, & ab Apoſtolis, & D. Paulo ejus diſcipuli Phigillus, Hermogenes, Philetus, & Hymeneus, ut ait Tertullianus *de præſcr. hær.* Hæretici, & ſectatores dicuntur, quod communem dimiſerint ſenten-

novel. 109. *tit. de privil. dot. hæret. mul. non præſt l.* 2. *C. ſum. Trinit. hæreticos dicimus omnes, qui non ſunt membrum Sancta Dei catholica, & Apoſtolica.* Valentinianus & Martianus Cæſares hæreticos dicunt *in l.* quicunque *C. de hæret. l.* 2. *C. de ſum. Trinit.* qui non credunt, quæ in Synodis Nicena, Conſtantinopolitana, Epheſina, Chalcedonenſi decreta ſunt, quęve credebant Athanaſius, Theophilus, & Cyrillus Epiſcopi Alexandrinę Civitatis. Et qui aliter ſacram intelligit Scripturam, quàm ſenſus Spiritus Sancti flagitet, *can. hæreſis* 24. *quæſt.* 3 *can. quamvis d.* 38. falſas, novaſque ſequitur, ac defendit in fide opiniones *can. hæreticus* 24. *quæſt* 3. Qui aliter de articulis fidei credit, quàm ſtatuit Romana Eccleſia, *can. hæc eſt fides*, & *can. quoniam* 24. *q.* 1. cujus fides annunciatur in univerſo mundo ad Rom. *cap.* 1. quive de ſacramentis Eccleſię male ſentit *cap.* ad abolendam *de hæret.*

Dicitur ultimo in finitione, errorem pertinaciter defendentem, eſſe hęreticum. Non enim qui errat, ſed qui errorem pertinaciter defendit, hęreticus eſt, *can. qui in Eccleſia*, & *can. dixit* 24. *quæſt* 3. *Clem.* 1. *§ porro de ſum. Trin.* Sic pertinacia, non error in his, quæ fidei ſunt, hæreticum facit, inquit D. Auguſtinus *lib.* 18. *de civit. cap.* 51. & *ep.* 162. Cæſares obſtinatioris animi dementiam, dicunt hæreſim *lib* 2. *C. de ſum. Trinit.* Claudianus quoque Mamercus, Epiſcopus Viennenſis *lib.* 1. *de ſtat. animæ c.* 1. *Illud*, inquit, *multò maximum periculoſum eſt crimen, quod catholica ſanitati opiniones inimicas ſtulte concipiunt, vanè proferunt, ſuperbe adſtruunt, cum temeritate ſcribunt, cum intentione defendunt. Et quoniam humanitus per imprudentiam lapſi ſunt, eligunt audacia culpam pervicaci obſtinatione defendere ne videantur potuiſſe peccare.*

Tria igitur concurrant oportet in hæreſi perfecta, antequam quis puniatur, ut hæreticus. Primum, quod falſum dogma tueatur, & ita erret in articulis fidei, & contra Eccleſiæ decreta, *cap.* ad abolendam *d. hæret.* Secundum quod ſcienter erret, & ita perverſæ ſit voluntatis. Tertium quod pertinaciter defendat, nec ſit corrigi paratus. Nam qui paratus eſt corrigi non eſt dicendus hæreticus, ut docet D. Auguſtinus *lib* 18. *de civit. cap.* 5. & *can.* 31. *qui in Eccleſia, can. ſchiſma* 34. & *can.* 14 *hæc eſt fides* 14. *quæſt.* 1. *cap. damnamus v. pertinaciter de ſum. Trinit.* Neque poteſt de hæreſi puniri ſecundum Jaſonem *ad rubr. C. de ſum. Trinit.* Sufficiuntque hæc duo, nempe error in intellectu, qui eſt hæreſeos principium, & pertinacia, quæ in voluntate eſt, quæ eſt hæreſeos complementum. Hæreticos autem gravi ſcelere implicari apud Deum, niſi reſipiſcant, damnationemque ſibi quæſiiſſe ſatis notum eſt, *cap. firmiter de hæret.* Indicant & illorum ſynonyma, quibus ad eos prodendos, ac notandos uſæ ſunt ſacræ Scripturæ. Vocant namque eos organa diaboli, vaſa iræ ad *Rom.* 8. fures & latrones *Joan.* 10. quia verbum Dei furantur, & adulterant, ut ait Origines *in epiſt. ad Rom. lib.* 2. *cap.* 2. lupi rapaces *Matth.* 7. antichriſti *Joan. ep.* 1. *cap.* 2. pſeudoprophetæ *Joan. d. epiſt.* 1. *cap.* 4. ſeductores *Joan. d. ep.* 1. *cap.* 1. pſeudoapoſtoli 2. *ad Corinth.* 11. Vide Rainaudum *in erotem. de malis ac bonis libris part.* 1. *erot.* 9. ubi à *num.* 141. exhibet ſpicula S. Scripturæ ac Sanctorum Patrum in hæreticos, & alphabetum beſtialitatis hæreticæ ex Patrum ſymbolis, de quibus nos etiam *alibi.*

Quia plures aberrandi viæ, una autem ſolum veritatis aſſequendæ, plures & errorum, & hæreſium ſpecies ſunt, quas enumerare ad præſens inſtitutum non pertinet, cùm eas plerique in unum conjecerint, & explicaverint, veluti *can. quidam autem hæretici* 24. *quæſt. cap.* 3. *de hæret. in Clem. auth.* Gazaros *C. eod.* Theodoſius, & Valentinianus Cæſares *in l. hæreticorum* 56. *de iis, qui ſup. relig. contend lib.* 6. *C.* Thodos. *tit.* 4. Alii *in l. Arriani* 5. *de hæret. lib.* 1. *Cod. Juſt* n. Ex profeſſo de diverſis hæreticorum dogmatibus tractant Auguſtinus, Philaſtrius Brixienſis *lib. de omnibus ab exordio creaturarum erroribus*, Epiphanius *de hæreſibus*, Bernardus de Lutzembergo *lib. qui inſcribitur, Catalogus hæreticorum omnium*, Prateolus, Fevardentius, aliique non pauci. Evangelicorum verò ſectæ, & opiniones fidei, legibuſque Eccleſiaſticis repugnantes à Lutheri temporibus ad hunc fere diem, ducentæ & ſeptuaginta, & amplius numerantur, & quantum quæque audendo, fingendo, mentiendo, blaſphemando Chriſtum, & Eccleſiam perſequendo, valeat, deſcribuntur à Stanislao Reſcio *de atheiſmis Evangelicorum cap* 9. Quem Lutherum præceptorem ſuum Vittembergenſes philautiron, philonicum, eriſticum, hyperbolicum ſomniatorem, & id genus vocitant. Eraſmus Oreſte inſaniorem, odio lymphatum, philautia temulentum appellat. Bucerus impetioſæ & acerbæ dicacitatis accuſat, Tigurini pertinacem, inſolentem, maligno ſpiritu plenum affirmant. Calvinus ait, inconſiderato, & minus excuſabili zelo laboraſſe, ei, ac reliquis Lutheriſtis tribuit, quod nec Dei, nec Angelorum judicium curent, diabolica ſuperbia, canina improbitate, cæca temulentia laborent. Cyclopes pręterea, Gigantes, latratores phreneticos appellat. Hęc ſunt Evangelicorum Magiſtrorum, & Miniſtrorum de Evangelicis Magiſtris ac Miniſtris mutua judicia, & teſtimonia, quorum ſpecimen alibi exhibeo.

Circa autem hęreſes evellendas triplex eſt cura adhibenda. Prima reductionis hęreticorum in ovile. Altera ad judicia pertinet, ac pœnas. Tertia cautionem habet, ne novę hæreſes reviviſcant, ut ait Conradus Brunus *lib.* 3. *de hæres. cap.* 2. Prior cura, ut ſi fieri poſſit, reſipiſcant, & ſuum agnoſcant errorem, & ejurent. Gremium enim nemini claudit Eccleſia, & gaudium eſt in cœlo ob unum peccatorem ad pœnitentiam redeuntem Luc. *cap.* 15. & quos pœnitet cum omni manſuetudine recipiendi ſunt, ut etiam leges civiles docent in hac propoſita hæreticorum redeuntium ad fidem hypotheſi, *l. fin.* § *nos enim C. de ſum. Trinit. l. licet crimina* 51. *C. de iis, qui ſup relig. cont.* Et Theodoſius, & Valentinianus *in l. Manichæos* 53. *C. eod.* per converſionem eorum viginti dierum condonarunt inducias, intra quos ad communionis redirent impune unitatem. Neque neganda reconciliatio iis, qui tempore neceſſitatis implorant, *can. his, qui tempore* 26. *quæſt.* Dicit enim Dei ſpiritus per Ezechielem prophetam *cap.* 18. *cum converſus ingemuerit, tunc ſalvus erit.* Et ad pœnitentiam Deus peccatores expectat *can. diaconi d.* 93. nec eam unquam ſpernit, quamvis quis ad ſummum malorum pervenerit *cap talis* 9. *ecce de pœnit. d.* 3. ſtatuit & ſeptima Synodus *act.* 1. *cap.* 15. *ſiquis presbyter eum, qui à peccato revertitur, non recipit, ſed rejicit, deponitor.* Et D. Dionyſius Areopagita acerrime arguit Demophilum in epiſtola ad eum ſcripta, quod pœnitentem ad genua ejus provolutum calce rejeciſſet. In quem errorem contra fidei catholicæ decreta incidit Novatus, qui lapſos noluit ad pœnitentiam recipere. Vide Euſeb. Emiſſen. *lib.* 6. Cyprianum *in can. convenientibus* 1. *q.* 7.

Verum modus adhibitus eſt, *can.* ſaluberrimum, *can.* convenientibus, *can. quoties, can. ſiquis voluerint* 1. *quæſt. ſeptima. can. Ego Berengarius de conſecratione ſecunda can. his, qui tem-*

pore 26. *q.* 6. quo recipiantur redeuntes ad fidem hæretici, ut ſcripto negent hæreſim, & profiteantur libello fidem catholicam publice porrecto, & in Concilio *can.* ſiquis Epiſcopus 1. *quæſt* 7. *can. de eo d.* 50. autoritate Epiſcopi interveniente *can. fin.* 26. *q* 6. qui imponit pœnitentiam, & in gremium Eccleſiæ recipit, abſolvitque.

Quod ſi ſpontè hæretici noluerint reſipiſcere, cogendos eſſe ad fidem, quam omiſerint, recipiendam placuit, & per rerum ſuarum ſubſtractionem *can. poſt me, & can. quo jure d.* 8. *can. ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. & *can. qui peccat ibid.* & corporalem animadverſionem, *can. nimium, can. diſplicet, & ſeq.* 23. *quæſt.* 4. *can.* 1. 2. 3. 23. *quæſt.* 5. ſunt enim hi ex numero eorum, quos Deus per vias, & ſepes juſſit compelli in Regnum Dei intrare *Luc.* 14. Sic D. Auguſtinus *epiſt.* 48. & 50. non tantum manſuetudine, ſed & ſeveritate reducendos putat. Nec aliena debet videri ſeveritas ab officio paſtorali, ſi ut ſalvas conſervet animas Deo, flagellis ad ovile redire invitas cogat errantes, paratus ulciſci omnem inobedientiam, ut ait D. Paulus 1. *ad Corinth.* 10. Ab illius enim manu exquirendæ ſunt oves, quæ perierint, à Deo Ezechiæ *cap.* 34. Neque autem verbis *Eccleſ.* 33. ſolis emendabitur ſervus durus. Si enim intellexerit, non obediet, ideo baculo non parcendum. *Qui diligit filium ſuum, aſſiduat ei flagella*, Eccl. 30. *Tu percutis quidem illum virga*, Proverb. 23. *ſed animam ejus liberas à morte.* Et *multa flagella peccatoris* Pſal. 31. Mala voluntas ſuæ permittendæ non eſt libertati, dum obviam iri potuit. Nec volenti ſe occidere, vel furioſo gladius ſuus, quantum velit, reſtituendus *l. bona fides ff. depos.* Quemadmodum parvi facit medicus phrenetici voluntatem, & hydropici, ut eos à morbo liberet. Beneficium quippe impertit medicus phrenetico, illum ligando, & pater filium indiſciplinatum caſtigando, etſi inviti faciant *can. ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. *can. non omnis, & ſeq.* 5.

Neque exiſtimandum eſt, jam ſibi in errore placentes, armis fidentes, poſſe à veritatis ratione ſimplici, ac verbis de ſententia dejici, injuriis, & calumniis taxandi peritos humiles exaudire. Proinde Deus in converſione D. Pauli non ſermonibus priuſquam proſterneret, & cæcum eum redderet, uſus eſt, Act. *cap.* 9. Neque auditur perire volens *l. non tantum ff. de appel.* Itaque exemplo Agar verberatæ à Domina Sara *Genes.* 16. cogi debent hæretici redire ad dominam, & veram matrem Eccleſiam, ut etiam eodem exemplo firmat D. Auguſtinus *in Joan. can. quando ult.* 23. *q.* 4.

Neque ad rem facere mihi videntur argumenta, quibus quidam hæretici & diſciplinæ Eccleſiaſticæ fræna laxarunt, & impunitate conceſſa incendio fere inextinguibili, Germaniam, Poloniam, Gallias orraſque depopulati ſunt, non eſſe ad fidem hæreticos cogendos, quæ & refert Brunus *lib.* 3. *de hæret. cap.* 3. quæ ego luculentius ſolvam conſultatione peculiari.

Manſuetudine verò, ac indulgentia vitæ interdum hæretici tolerantur, dum expectantur, ut reſipiſcant. Dehinc quibuſdam veluti duris ſtimulis, ac pœnis levioribus admonentur. Poſtremo ſi pertinaces perſeverent, tolluntur. In hoc autem judicio conſideranda in univerſum tria: res, perſona, actio. In re dogma, quod defenditur ab hæretico aſſertum, & crimen. In perſona venit diſpicienda perſona rei, & perſona Judicis, num is, qui deliquit, Epiſcopus ſit, de quo non judicat Inquiſitor, ſed movet ſummum Pontificem *cap.* Inquiſitores *de hæret. in* 6. an verò alius ſit, qui ſui eſt fori. In actione qualitas aſſertionis, vel criminis, & modus, quo hæreſis palam facta eſt, electio, aſſertio, favor hæreticis impenſus, receptatio, defenſio, prædicatio, aliaque hujuſmodi, num cum tumultu, armis aut ſine his coierint hæretici. Quod materiam dat huic judicio, eſt dogma, num catholica doctrina ſit, in quo perpendet Judex, an ea fuerit legitimis Conciliis Eccleſiaſticis damnata, vel à ſede Apoſtolica, ut tunc hæreticam judicet; an nova, ut tunc ejus deciſionem ad eandem Sedem, vel Concilia referat *can. quoties* 24 *q.* 1. In perſona quoque rei conſideratur, num Eccleſiaſtica perſona, & cujus ordinis, an verò laicus ob exauthorationem. Nam hæreticum prope eſt laico prædicare, quod officio eccleſiaſtico nihilominus adhærere videtur *cap.* Cum ex injuncto, & *cap.* ſicut in uno corpore de hæret.

Hæreticorum autem quod pertinet ad pœnam duæ ſpecies potiſſimum conſiderantur. Una eorum, qui ſuſpecti, vel accuſati de hæreſi, hæreſim abjurarunt. Alia eorum, qui gravius puniuntur, qui relapſi appellantur poſt abjurationem in aliam hereſim incidentes. Quod explicat *cap. accuſatus in princip.* & §. 1. *de hæret. in* 6 Et hoc verum ſiquis antea generaliter abjuraverit hereſim, alioquin enim ſi ſpecialiter aliquam ſpeciem abjuraverit, & in aliam poſtea lapſus fuerit, non dicitur relapſus, ut ibi notat Gloſſa ad verbum *ſimpliciter.* Et tamen conſuetudo ut ſuſpectus de uno articulo, cogatur generaliter omnem hereſim abjurare, ut alibi diximus. Quia hæreſes habent caudas alligatas, *cap.* excommunicamus 1. & 2. *de hæret.* Vel poſt abjurationem hereticos receptantes, viſitantes, ſociantes, vel eis faventes *d. cap. accuſatus* §. ille quoque etiam ſine adoratione, ut loquebantur hæretici. Sic ſequitur *d.* §. *ille quoque.* De adoratione hæreticorum; modus adorationis erat more hæreticorum, dum qui volebant in eorum numerum tranſire, genibus flexis coram hæreſiarcha petebant hæreticari, & is hæreſiarcha annuens imponebat capitibus manum, vel volumen Evangelii. Sic enim factum fuiſſe temporibus hæreticorum Albigenſium didici ex Inquiſitionibus illius temporis.

Eorum crimen, ac illis viventibus, & poſt mortem in judicium venit. Sic poſt mortem in illos inquiritur, reprobantur, & excommunicantur *in can. fin.* 24. *q.* 2. bonaque eorum poſt mortem publicantur *d. cap. accuſatus* §. *in eo verò de hæret. l. Manich.* 4. §. *in mortem C. de hæret.* Harmenopulus *lib.* 6. Procheirus XI. quemadmodum in crimine læſæ majeſtatis Principis accidit, in quo & in mortuos inquiritur, *l. fin. C. ad leg. Jul. majeſt.* Gravius autem eſt divinam, quàm humanam offendere majeſtatem, *auth.* Gazaros C. *de hæret.* Neque quicquam viventibus hæreticis, & ad Eccleſiam Dei non redeuntibus proficiunt ad obtinendum regnum cœlorum, bona opera, immo ne pro Chriſto quidem pati *can. fin. de pœnit. d.* 1 *can. ſolet de conſecr. d.* 4. *cap.* 2. *de hæret. can.* Vide quantum bonum 1. *q.* 1.

Pœna multiplex, de qua plene tractant *pract.* Carcerii *de hæret. nu.* 132. & Simanch. *eod. tit.* Etenim excommunicantur, & anathematizantur *cap. ad abolendam* 9. *cap. excommunicamus* 13. & *cap. pen. de hæret.* Loco excommunicationis jure civili per ſeculares poteſtates ab urbibus, & provinciis expelluntur, & illis congregationes, & conventiones interdicuntur *l.* 2. §. 1. & *fin. C. de ſum. trinit. & fid. cath. l.* 3. *C. de hæret.* & *Novel.* 37. *de Eccleſ. conſtit. in* Africa, *l.* Arriani, *l.* Manichæos, *C. de hæret.* Et ad ſuum redeuntes errorem proſcribuntur, & in exilium perpetuum relegantur *in* §. ſed etſi qui *Novell.* 144. *de Samarit.* Et quia excommunicati ſunt hæretici, qui eos non evitat ſciens, excommunicatione quoque percellitur, *capit. excommunicamus paragrapho credentes de hæret. can. qui excommunicaverit* 11. *quæſt.* 3. *capit.* quod in dubiis *de ſentent. excommunicationis*

Pro-

Prohibitum etiam jure civili, ne hæreticis ad conveniendum locus detur, cautumque de locis illorum confiſcandis, ac deſtruendis & puniendis illis, qui loca præbuerint *l. 2. §. C. de ſum. Trinit l. eandi. 3. C. de heret. l. omnia 5. C. de pagan. & ſacrif. eor. §. nulla Novel. 43. & §. at ſi orthodoxus Novel. 31. & Novel. 132.*

Societas, & communio cum iis vetita, ut proxime diximus, & *can.* omnis, qui recedit 24. & *can.* 26. quæ dignior domus 24. *q.* 1. *can. clericus*, *can.* cum quibus 24. *q.* 3. *can.* nullus eorum, *can.* ſiquis infidelis, & *can.* ſæpe malorum 18. *q.* 1. Scribit & D. Joannes *ep. 2. cap. 1. ſiquis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eam in domum, nec ei dixeritis ave, Qui enim dixerit ei ave communicat ejus operibus.* Quod & ipſe Apoſtolus facto ſuo firmavit. Dum enim in balneo reperiſſet Cherinthum hæreticum, ſubitò receſſit. Idipſum & ejus diſcipulus Polycarpus in perſona Macedonii hæretici obſervavit Vide Irenæum *lib. 3. cap. 1.* Euſebium *lib 4 cap. 14.* Docuit & D Math. cap. 19. *ſi non audiverit Eccleſiam, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Jubet & D. Paulus vitari hæreticos ad Titum *cap. 3. v. 20.* ad Roman *cap. 6. v. 17.* & ad Timotheum *cap. 2 v 17. & cap. 3. v. 5. &* 2. *ad* Theſſal. *cap. 3. v. 14* D. Matth *cap 7 v. 15 l. Deo nobis 4. § hi. ita diſpoſitis C. de Epiſc. & Cler.*

Conſilia eorum, & congregationis illicita conciliabula habita, *can Clericus* 24. *q.* 3.

Prohibetur advocatis, notariis patrocinari, vel adeſſe hæreticis, & eorum fautoribus ſub pœna infamiæ *cap. ſi adverſus* 11. *de heret.* videlicet ſi conſtaret, clientem eſſe hæreticum, non autem ſi advocatus vellet oſtendere, eum talem non eſſe Nam tunc deberet Inquiſitor dare facultatem advocandi pro eo, *Clar. lib. 5. §. hereſis num. 9.*

Non ſunt vocandi hæretici ad conſilia, & officia publica, *can. cum quibus* 24. *q.* 3. *cap. excommunicantes §. credentes de heret. cap. 2. §. heretici eod tit. in 6.* Ideo nec ad officia publica vocandi, vel admittendi *l. probatorias 9. C. de divers. offic. l. Archigerontes 5. l. nemo, l. jubemus C. de Epiſc aud. l. fin. C. de poſtul.* In Laertii Cherubini Bullario referuntur tranſcriptæ conſtitutiones de pœnis hæreticorum, inter cæteras eſt Gregorii IX. per quam hæretici privantur cum infamia teſtimonii jure, actionibus legitimis, advocatione, ſepultura, beneficiis, & filii quoque eorum, & prohibetur, ne illis dentur officia, aut beneficia. Idem ſtatutum in Conſtitutione 2. Innocentii III. incip *lis, in conſtit.* Innocentii IV. incip. *Extirpanda*, & in conſt. *Cum adverſus*, in Conſtit. Honorii IV. *Exhibita nobis*, in conſtit. Pauli IV *Cum ex Apoſtolatus*, & Gregorii XIII. *Conſtit. 68. in Eccleſiis.*

Reprobantur ſacrificia hæreticorum, *can. odi*, & *can. didicimus §. ſacrificia* 24 *q* 1 Quia ita miniſtrare non poſſunt, ut quod gerant ratum habeatur ſecundum explicationem *can. ſic populus* 61. & *ſeq. uſque ad* 74. 1. *q.* 1. Sacramenta tamen Eccleſiæ in forma Eccleſiaſtica, ab Ordinariis tradita, bona ſunt, quia non humana, ſed divina ſunt 13. *qu.* 4. Attamen Catholici non debent ſcienter ab hæreticis Sacramenta recipere, etiam in neceſſitate, *can. ſi quem forte, can. ſiquis, & can. cæpit Ermenegildus* 24. *q.* 1.

Denegatur illis actio *cap. fin. cap. excommunicamus § credentes de heret.*

Acta illorum reſcinduntur *cap.* 1. *de ſchiſm.* Prælatus tamen ſchiſmaticus, vel hæreticus effectus, non amittit characterem. Vide *can. Novatianus 7. q. 1.* D. Thomam. 2. 2. *q.* 29. Quamvis hæretici non habeant ſalutem in ſe, nec poteſtatem in alios, *can.* quicunque, & *can. ubi* 24. *q* 1. nec excommunicare, aut condemnare poſſunt catholicum *can. ait cum duobus ſeqq.* 24. *q.* 1. Poſſunt autem hæreticum, *can. miramur eod.* 24. *q.* 1.

Damnariſque eorum libris, & eorum ſententiæ damnatæ cenſentur, *cap. fraternitatis de heret. can. nullus anathematizatorum* 3. *q.* 4. *can. canones d.* 16. *can. in primis §* Montanus *d* 15 *lib. damnato §. nec vero*, *l. quicunque §. nulli C. de heret. l. 2. §. 2. C. de ſum. trinit. §. ſit itaq.* Novel. 42. *de depoſitione Anthymii Severi.* Quare hujuſmodi libri, & alii improbatæ lectionis ſunt comburendi publice ante oculos Epiſcoporum *l. Mathematicos C. de Epiſcop. aud.* ut factum Actor. *capit.* 19 *v.* 18. & memorat Livius *lib* 29. ſtatutum olim de libris novæ Religionis Romæ, de quo late in peculiari Conſultatione.

Credentes, receptatores, defenſores, fautores hæreticorum excommunicati, ſi ſatisfacere intra annum neglexerint, ex tunc ipſo jure ſunt infames, *d. cap. excommunicamus d. §. credentes de heret.* & ſimiles pœnæ etiam reperiuntur contra hæreticos in extravaganti Gregorii IX. *incip. Excommunicamus*, & *in l.* Friderici incip. *Catharos*, & in litteris Apoſtolicis poſt Directorium Inquiſitorum. Excommunicati enim notoriè infames ſunt, *can. infames 6. q* 1. Hæreticos autem eſſe excommunicatos ante docuimus, ac mox fuſius docebimus.

Nec ad eligendum aliquos, neque ad teſtimonium neque ad accuſandum admittuntur *d. cap. excommunicamus §. credentes, can. definivimus* 4. *q.* 1. Diſtinguit autem Juſtinianus *Novel. 45. ut non liberentur curiali fortuna Juda &c. §. fin.* num inter orthodoxos teſtimonium perhibendum ſit, ut tunc hæretici non poſſint teſtimonium præbere, an autem inter catholicum & hæreticum ſit lis, & tunc poſſit pro catholico contra hæreticum dicere, non autem pro hæretico contra catholicum. Aut ſit quæſtio inter hæreticos, pro illis teſtari. Relatum & idipſum *in can. ſi hereticus 2. q. 7.* ubi Gloſſa videnda. Idem *in l. quoniam multi Judices C. de heret* Ubi tamen excipiuntur Manichæi, Barbatiæ, Pagani, Samaritæ, Montani; quibus ob reatum omnis legitimus actus, & omnino teſtimonium interdicitur. Hæreticum etiam non poſſe accuſare catholicum dictum *in can. paganus 2. q. 7.*

Sunt inteſtabiles, nec teſtandi habent facultatem, *d. §. credentes.* Sic in Novel. 145. *Juſtiniani §.* 1. inhibitum eſt hæreticis teſtari, vel legare, & negotiatio cum illis prohibita *cap. ſicut de heret.* Item *in l. Manichæos §. præterea C de heret.* emendi, vendendi, donandi, & contrahendi. De hæreſi Manichæorum convicto adimitur poteſtas, improbantur & ibidem teſtamenta, & codicilli eorumdem. Inteſtabiles vocari poſſunt hæretici, indigni omni fide, & conſortio hominum, & omnium actuum, qui ex fide hominum geruntur, deteſtabiles, execrandi, ut notat Porphirio *ad Satyr. 3. lib. 2. ſerm.* & apud Nonium Marcellum inteſtatus, qui ſine teſtamento perit, & is, cujus verbis fides non habetur. Et *in d. §. credentes*, inteſtabiles, ut hic explicantur, qui nec teſtantur, neque ex teſtamento capere poſſunt, ut *in l. cum lege ff. de teſtam.* explicat latius Ulpianus *in l. 15. cus ff. fin. eod. tit.* juncta *l. lex Cornelia §. ſiquis librum de injur. & l. ob carmen ff. de teſtib.*

Nec teſtandi habent facultatem, id eſt ſunt incapaces ultimarum voluntatum, nec ulli ſuccedere poſſunt, nec poſſunt inſtitui *cap.* ſiquis Epiſcopus, & *cap. in alios de heret* De Manichæis hoc idem jure civili expreſſe cautum *l. Manichæis C de heret.* & de aliis *in l. Arriani §. ſiquis ipſos eod. tit.* & Novel. 144. § 1. *lib. 3. C. de apoſtat.* Hæretici ita non ſuccedunt ab inteſtato etiam parentibus, Orthodoxi autem ſuccedunt, etiam parentibus hæreticis, *l. cognovimus C. de heret. §. enim vero cum ſeqq.* Novell. 115. & *§. hac autem communia* Nov. 118 & *in §.* 1. Novell. 144. Sed & qui hæreticis teſtamento ſucceſſiones relinquunt, etiam poſt mortem anathemate puniuntur, *de cap. ſiquis Epiſcopus de heret.*

Nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedunt, ut dictum, & habetur *in §. credentes, & cap. excommunicamus de hæret.*

Nec in Judicium convenire, illi autem conveniri poſſunt, *d. §. credentes.*

Judicis hæretici ſententia non valet, nec cauſæ ad audientiam ejus deferri debent, quemadmodum de excommunicato Judice explicat Panormit. *ad cap. poſt Ceſſionem de prob.* Gloſſa *cum textu in cap. ad probandum de ſent. & re judic. ad v. in odatus*, ſi modo ſit verè probatus hæreticus, alioquin, ſi pro Catholico haberetur, acta tenent, argumento *l. Barbarius ff. de Offic. Prætor. l. 1. C. de teſtam. cap. Infamis §. tria 3. q. 7.* Publici autem excommunicati acta procul dubio non erunt valida *d. cap. ad probandum, & cap. exceptione de except.* ubi de hoc.

Hæretico advocato adimitur patrocinandi licentia *d. §. credentes, & l. fin. C. de poſtul. ac l. nemo C. de Epiſcop. aud.*

Tabellio authenticam facere nequit ſcripturam & inſtrumenta, autore damnato, damnantur, *eodem §. credentes.*

Clericus ab omni officio, ac beneficio deponendus, *d. §. credentes* neque debent aliquid Eccleſiæ poſſidere, qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem nomen ſibi Chriſtiani in vanum uſurpant, *can. quo jure §. legantur deciſione* 8. Alberic. *in rep. rubr hæret. § de quæſtione*, tradit, hæreticum privari ipſo jure beneficiis, quod firmat pluribus Diaz. *in pr. Cr cap.* 106. & Nicol. de Mil *in repert. v. hæreti.* quorum dicta intelligenda ſunt de hæretico convicto, & condemnato ſecundum ea, quæ tradit Franch. *ad cap. ut commiſſi de hæret. in 6.* expreſſè privatio beneficiorum, & inhabilitas inducitur ex hæreſi, non ſolum in hæreticis, ſed etiam in filiis eorum, & fautoribus *in cap. 2. §. hæretici, & §. ad hæret. in 6.*

Non exhibeantur Sacramenta hæreticis à Clericis *d. §. credentes v. ſanè Clerici, can. ne quiſquam 14. q. 2. cap. excommunicamus de hæret.* Sic & excommunicatio excludit hominem à Sacramentis Eccleſiæ *c. Engeltrudam 3. q. 4.* niſi pœniteat, *cap. ſuper eo de hær.*

Hæretici non ſunt tradendi Eccleſiaſticæ ſepulturæ *d. §. credentes*, facit *can. Eccleſiam 27. & ſeq. de Conſecrat. d. 1.* Non ſunt ſepeliendi hæretici ſepultura eccleſiaſtica in cœmeterio conſecrato, niſi abſolvantur, quia, cum quibus vivis non communicamus, non debemus communicare mortuis *cap. ex parte in fine, & cap ſacris de ſepult. can. 1. & 2. 24. q. 1.* Et ſi de facto hæreticus fuerit ſepultus in cœmeterio debet exhumari, *d. cap. ſacris*, & pollutum cœmeterium reconciliari, *cap. conſuluiſti de conſecrat. Eccleſ. vel altar.* Si tamen Schiſmatici aliquos tempore Schiſmatis, alioquin bonos, ſepelierint, non ſunt ideo exhumandi, *capit. 2. de Sacram. non iter.* Nec tamen habemus rationem ejus quod legitur in Nomocanone *cap. 12. tit. 2.* hæreticos, ut cæteros legitimo modo ſepellendos, ex Marriani Cæſaris lege. Nam etſi humanitatis prætextum, & fucum fecerit, tamen aliena eſt à Sanctionibus Eccleſiaſticis, & ſic Nomocanonis verba non admittuntur, niſi ibi addas negativam, quod plures faciendum putant, & ego probo.

Oblationes, & Eleemoſynæ ab illis factæ ab Eccleſia rejiciuntur. *d. §. credentes*, ſic de raptorum oblationibus, qui excommunicati ſunt, reſcriptum *cap. 1. 2. & 3. de rapt. in cap. 3. de uſur.* ſunt & alii plures caſus, in quibus Eccleſia rejicit Oblationes Offerentium, quos notat Gloſſa *in can. oblationes 2. ad v. dona d. 90. & can. miror 17. q. 4.*

Privilegiati hæretici privilegia amittunt *d. §. credentes, & cap. decrev. de hæret. in 6. leg. 1. eod. hæret. Novel. 109. & 45.*

Non habent liberos in poteſtate *cap. 2. §. fin. de hæret. in 6.*

Bona eorum confiſcantur, nec filiis eorum, etiam Orthodoxis reſervantur, *cap. vergentis de hæret.* ubi rationes afferuntur exemplo maximè criminis læſæ majeſtatis humanæ, in quo hoc ſervatur, & liquet *ex can. quæro §. verum, & can. ſi quis cum mulieribus 6. quæſt. 1. l. quiſquis C. ad leg. Jul. majeſt. auth de hæret. l. 1. Eod. de Apoſt.* Quod & ſuaſit enormitas criminis, cum alioquin in confiſcationibus ob alia crimina habeatur ratio liberorum damnatorum *eod. tit. eod. cap. filii de hæret. in 6.*

Confiſcatio autem bonorum hæretici laici jure Pontificio Fiſco Principis temporalis adjudicatur, Clerici verò Eccleſiæ, à qua hæreticus ſtipendia perceperit *cap. excommunicamus, §. damnati de hæret.* Felinus tamen *ad cap. irrefragabili §. cæterum num. 5. de Offic. Ordin.* ait, talem conſtitutionem ſublatam fuiſſe per quaſdam Extravagantes Pontificias, ſtatuentes bona confiſcata hæreticorum dividi debere æquis portionibus inter Romanam Eccleſiam, Epiſcopum, & Inquiſitorem. Verùm neque id hodiè ſervatur in praxi etiam in Hiſpania, ſed tantùm bona applicantur Fiſco regio, ut tradit Covar. *lib. 2. var. cap. 9. num. 2.* in Gallia illud ipſum obſervatur. Solebant tamen Inquiſitores Toloſani quædam adjudicare Capellæ Inquiſitionis, vel Epiſcopi ex bonis damnati, idque ut eſſent in promptu pecuniæ, ex quibus negotia fidei expediri poſſent. In Ducatu Mediolanenſi dividi inter fiſcum ducalem, Epiſcopum, & Inquiſitorem ex conſuetudine, tradit Clar. *lib. 5. §. hæreſis num. 13.*

Aliæ tamen ſunt ſententiæ interpretum in adjudicatione bonorum confiſcatorum Hæreticorum Epiſcopo, & Eccleſiæ, ubi habuerunt Clerici hæretici ſtipendia, quas vide apud Diaz. *in prax. cri. 6. capit. 106.* Alexander IV. *conſtit. 22. in Bullario Collecto à Cherubino*, ſtatuit bona hæreticorum, credentium, & fautorum confiſcata, & vendita, eorumque pretium ad opus Romanæ Eccleſiæ conſervari, de quo & ſancivit Innocentius IV. *conſtit. 3. incip. Teneatur in eod. Bullario.*

Porrò in perſequutione, vel vindicta hæreticorum non ad res, ſed ad ſalutem eorum reſpiciendum eſt. Quare ſunt compellendi, & cogendi ad fidem, quam reliquerant, recipiendam *can. nimirum, & ſeqq. 23. q. quæſt. 4.* per tenim temporalium ſpoliationem *can. quo jure d. 8. can. qui peccat, & can. ipſa pietas 23. quæſt. 4.* & per corporalem punitionem *can. diſplicet, & ſeq. 23. quæſt. 4. can. 1. 2. & 3. 32. q. 5.* Divina autem providentia hæreticos diverſi erroris plures eſſe permittit *can. fin. 2. quæſt. 3.* ex D. Auguſtino *contra Manich. lib. 1. cap. 1.* Ut dum inſultant nobis, vel interrogant quæ neſcimus, ſic vel excutiamus pigritiam, & divinas Scripturas noſcere cupiamus. Propterea & Apoſtolus ait 1. *ad Corinth. cap. 11.* Oportet hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant inter vos, videtur beneficium Dei, dum permittit manifeſtos eſſe hæreticos: Nam Eccleſia ab hoſtibus occultis, ab hypocritis majorem cladem accipit, quàm ab aliis.

Mali enim, & peſſimi dicuntur Chriſtiani hypocritæ, qui & vulgo politici dicuntur, nec frigidi, nec calidi in fide, ſed tepidi ſunt, & hi hypocritæ, qui propter gloriam humanam vel ut fallant aliquos, velint haberi, ac videri boni, ut ait D. Gregorius 3. *moral. Gloſſ. ad cap 5. D. Matth.* quos reprehendit Dominus Matth. 23. & Job. *cap.* 13. Græcis hypocrita eſt alienæ perſonæ & actionis ſimulator, hiſtrio, ludio, ut ait Lucianus *lib. de Saltatione*, non ſimulate inſaniam, ſed inſanire. Similes hypocritas ſepulchris dealbatis dixit Deus, quæ hominibus foris

appa-

apparent ſpecioſa, intus antem ſint plena oſſibus mortuorum Matth. *cap.* 23. & D. Gregorius 34. Moral *cap.* 9. *&* 10. *in cap.* 41. Job ſimiles eſſe ait hypocritas rebus deauratis, quod eſt relatum *in can. citius* 44. *de pœnit. d.* 2. ſunt hypocritæ falſi fratres, de quibus D. Paulus conqueritur, ab Spiritu ſancto alieni, & ſeparati, quemadmodum hæretici, *can. de illis* 24. *q.* 3. Et malum quidem eſt, cadere à propoſito fidei, ſed pejus eſt ſimulare propoſitum, *can. certe ego ſum.* 12. *q.* 1. Hypocrita namque dicitur Iſaiæ *cap.* 9. *num.* 17. Verùm Deus permittit regnare hypocritam propter peccata populi Job 10 34. *v.* 30. 3. *Reg. v.* 24. Plus longè nocet falſus Catholicus, quàm ſi verus appareat hæreticus, D. Bernardus ſuper Cantic.

At quid? floſculos tantùm pœnarum contra hæreticos decerpſi, atque delibavi. Cum verò ſit campus in quo exultare poſſit oratio, cur eam in tantas anguſtias compellimus? Liceat igitur in eo vagari liberè, nullum enim nobis leges tùm divinæ, cùm humanæ ampliorem campum dederunt, in quo excurrere pœnæ, ac enormitas criminis hæreſis cognoſci poſſint.

Sortilegi, hæreticalia ſortilegia committentes, quæ manifeſtè hæreſim ſapiunt, tanquam hæretici ſunt puniendi. Ita ſtatuitur in Extravag. Joannis XXII. relata ab Eymerico *in direct. p.* 2. *quaſt.* 43 Ii autem ſunt, qui fœdus, ſive pactum ineunt cum Dæmone, vel illi ſacrificia immolant, vel cultum latriæ, aut duliæ tribuunt, vel quovis modo adorant, vel annulum, aut ſpeculum, aut phialam, aut aliam quamcumque rem ad dæmones alligandos confidunt, aut retinent, & ab ipſo Dæmone reſponſa petunt, pro adimplendis eorum pravis deſideriis, vel auxilia poſtulant. Hi enim puniendi ſunt omnibus, & ſingulis pœnis, quibus hæretici puniuntur, excepta bonorum publicatione, ut expreſsè habetur in citata Extravaganti, & tradunt Zanchin. *de heret. c.* 22. *n.* 18. *ibiq.* Campeg. *lit. C. v. inquiſitor.* Eymeric. *loc. cit.* Delrius *lib.* 5. *magic. ſect* 16.

Similiter ut hæretici puniuntur Malefici, & Sagæ, ſive Lamiæ, etiamſi damnum aliquod alicui non intulerint, ſed tantùm fateantur fuiſſe in conventu cum dæmone, nocturnas ejus congregationes frequentaſſe, aliaque prava criminoa exercuiſſe, quæ ibi fieri ſolent, ut per Binsfeldium *in com. ad l. nemo C. de maleſic. & mathem. quaſt.* 1. *concl.* 1. & Farinac. *de heres. quaſt.* 181. *num.* 4.

Hæreticorum pœnis etiam ſubduntur Sortilegi, divinatores, incantatores, idololatræ, magi arioli, aruſpices, aliique quos enumerat Zanchin *d cap* 21. *num.* 1. *&* 2. qui exquirunt, vel petunt à dæmone notitiam futurorum, quæ naturaliter ſciri non poſſunt, & quæ à mero ac libero hominis arbitrio pendent, vel ſunt ſecreta cordis, vel ſolum à divina pendent voluntate, vel ſunt futura contingentia, quæ nullam habent certam & determinatam cauſam, nec à dæmone præſciri poſſunt, neque ab illo fieri, ut petere mortui reſurrectionem, vel ſe transformari in aliam ſpeciem, ac ſimilia, ut notant Anan. *in rubr. de haret. n.* 8. Locat. *in Judic. v Apoſtata numer.* 5. *&* 6. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 21. *num.* 4. *&* 5. *ac tit.* 63. *rub. de ſuperſtit. num.* 10. *& tit.* 62. *de Sortil. num.* 1. *&* 2. Zanchin. *eod. cap.* 22. *nu.* 24. ac ibi Campegius.

Tanquam hæretici quoquè puniuntur Sortilegi abutentes Euchariſtiæ Sacramento, ut ſtatuit Adrianus VI. in ſua extravag. edita anno 1513. incip. *Dudum* relata à Pegna, vel ſurripientes hoſtiam, vel unam aut plures particulas conſecratas ex conſtitutione Innocentii XI. de qua aliàs.

Item rebaptizantes pueros, vel baptizantes hominis cadaver, vel imagines inſenſatas, vel aliquod irrationale animal. Immiſcentes in ſortilegiis ſacrum Chriſma, vel oleum ſanctum, credentes in eis eſſe poteſtatem explendi ſuos pravos affectus, ut per Doctores communiter apud Farinac. *d. quaſt.* 181. §. 1.

Pœnæ autem ſpirituales, temporales, & corporales à jure contra hæreticos impoſitæ ſunt hujuſmodi. Primò pœna ſpiritualis eſt excommunicationis ſententia, ut ſtatuitur *in cap. cum Chriſtus, cap. ſicut ait, capit. quicumque, cap. ad abolendam, cap. excommunicamus* 1. *de heret. in* 6. *cap. noverit de ſent. excom. & can. Achatius* 24. *quaſt.* 1. ex Bulla Cœnæ *can.* 1. eſt reſervata.

Immo excommunicatio in hæreticos lata videtur eſſe antiquiſſima omnium excommunicationum, quæ jure canonico ſunt conſtitutæ, ut inſinuatur *in can. Achatius, & can. audivimus* 24. *quaſt.* 1. Et ex quo in Eccleſia Concilia celebrari cœperunt ad extirpandas hæreſes, introductus eſt mos hæreticos excommunicandi, quâ pœnâ à Sacramentis arcebantur, & communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & officiis privabantur, repellebanturque ab omni fidelium, ac piorum hominum conſortio. Olim tamen non erat hæc excommunicatio Romano Pontifici reſervata, attamen per eas Pontificias Conſtitutiones, quæ quotannis in die Cœnæ Domini publico & ſolemni more in Romana Curia promulgantur, cœpit Summo Pontifici reſervari, & notat Cajet. *in ſum. v. excommunicatio.* 1. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 2. Novar. *cap.* 27. *num.* 52. *& conſ.* 2. *d. conſtit. nu.* 41. *q.* 4.

Sunt verò, qui exiſtimant jure divino hæreticum eſſe omninò in rebus divinis evitandum, hoc eſt, excommunicationem in hæreticos conſtitutam, eſſe juris divini. Probant ex hiſtoria S. Ermenegildi Martyris, quam ſcripſit D. Gregorius *lib.* 3. *decal. cap* 31. & refertur *in can. cœpit.* 24. *quaſt.* 1. qui cum eſſet à patre Rege Hiſpaniæ Arriano detruſus in carcerem ob fidem Catholicam, noluit percipere in Paſchate Euchariſtiam, ſibi miniſtratam ab Epiſcopo Arriano ad eum miſſo à Patre ejus rei gratia, & propterea juſſu Patris eſt occiſus, quem tanquam verum Chriſti Martyrem colit, ac veneratur Eccleſia. Secundò, quia etiam inſtante mortis tempore nemini licet, ut habetur *can. Arrianos* 1. *q.* 1. & docet D. Thomas *p.* 3. *q.* 82. *art.* 7. *ad* 2. ſacramenta ab hæreticis miniſtrata ſuſcipere, niſi baptiſma, quod eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium, & ideo quiſque jure poteſt, dum imminet mortis periculum, à quolibet recipere, etiam Judæo, vel pagano. Sic ſentit Latomus in aſſert. determinationis datæ contra Lutherum ab Academia Lovanienſi. Sic etiam Eckius *in Enchir. locor. com. contra Lutherum*, & tenent Almain. *in* 4. *ſent. d.* 18. *Gabr. ibid. q.* 3. *art.* 3. *dub.* 4. Alph. de Caſtr. *de juſt. heret. punit. lib.* 2. *capit.* 18. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 41. *num,* 1. Pegna ad Eymet. *com.* 12. *vers. nec putandum.* Ducuntur etiam ex D. Paulo *ad Tit. cap.* 3. ibi = *hereticum hominem poſt primam, vel ſecundam correctionem devita.* ex Jo. *cap.* 1. *Venientes ad vos ſine hac doctrina nolite recipere, nec dixeritis eis* ave.

Alii negant hæreticum jure divino eſſe vitandum, ſed tantùm canonico, quo ſolo jure eſt vinculo excommunicationis obſtrictus; quæ ſententia longe probabilior, ac verior mihi apparet, ut *alibi tom.* 1. probavi.

Et licet omnes conveniant, quod quantùm ad facultatem excommunicandi in genere ſit in Eccleſia de jure divino, quod tamen ad excommunicationes ſpeciales, etiam in caſu hæreſis, ſunt de

jure Eccleſiaſtico poſitivo, ut cenſent Sot. *in 4. diſt. 22. q. 1. art* 1. Abb. *in cap. cum deſideres nu.* 3. *de Sent. excom.* Azor. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 2. ſubdens hanc eſſe communem Theologorum ſententiam, Sayr. *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. Sanch. *in decal. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 2. Suar. *eod. argum. diſp.* 2. *ſect.* 1. *aſſert.* 1. ubi teſtatur de communi, ac Duard. *in Bulla Cœnæ lib.* 2. *q.* 18. Nam cenſura non dicitur inſtituta, niſi quando eſt præſcriptus modus particularis pœnæ, ſive privationis, quia tunc dicitur in formam redacta. At iſte modus eſt præſcriptus ab Eccleſia virtute facultatis, ſibi à Chriſto traditæ *d. cap.* cum Chriſtus. Atque adeò debet dici de jure Eccleſiaſtico, non autem divino, non obſtante, quod prima cauſa ſit facultas conceſſa de jure divino.

Non obſtant, quæ in contrarium adduximus. Non enim rectè arguitur, Apoſtoli nos docent hæreticorum conſuetudinem eſſe vitandam, ergo excommunicatio, propter hæreſim contracta, eſt de jure divino. Siquidem non omnia, quæ Apoſtoli nos docuerunt, important præceptum, à Chriſto datum, ſed plura tradiderunt tanquam Eccleſiæ Doctores, ut colligitur *ex can. ſicut Apoſtoli* 11. *q.* 3. Neque rectè conſequitur, non licet nobis accipere ſacramenta ab hæretico. Ergo hæreticus eſt excommunicatus jure divino. Quia neque licet accipere illa ab Excommunicato, *can. ſanctis quippè, & d. can. ſicut Apoſtoli*, Turrecr. *in can. ſuperveniente concl.* 3. 1. *q* 1. Et tamen evitatio Excommunicati, tàm in divinis, quàm in humanis actibus, non eſt de jure divino, ſed Eccleſiaſtico, ut præ cæteris, docet Suar. *de cenſur. diſp.* 15. *aſſ.* 4. & Ricciul. *de jur. perſon. lib* 4. *cap.* 42. contra Covarruviam, malè diſtinguentem *in cap. alma mater p.* 1. §. 1. *num.* 2. Undè deducitur, poſſe Eccleſiam, ſi ita expediret, concedere, ut ſui fideles Sacramenta ab excommunicato ſuſcipere poſſint, nec non & cæteros effectus hujus excommunicationis adimere, & pro ſua voluntate & prudentia adimere, Alter. *de cenſur. lib.* 1. *diſp.* 3. *cap.* 2 Vide Suarez *p.* 3. *tom.* 3. *q.* 65 *ar.* 4. *& de cenſur. diſp.* 18. *ſect.* 1. *concluſ.* 5.

Illa incurritur ipſo jure, ſive hæreſis occulta ſit, dummodo ſi exterior, ſive manifeſta, eo enim ipſo, quod hæreticus talis eſt, juriſdictioni, ac poteſtati Eccleſiæ ſubjicitur. Quoniam non eſt per ſe occulta, qualis eſt hæreſis mentalis interna, ſed ex accidenti tantùm, nempè quia deſunt teſtes, quibus probari poteſt, Titium hæreſim protuliſſe, Oſtien. *in d. cap. cum Chriſtus in princ.* ibique Zabarel. *num.* 2. Innoc. *in d. cap. ſicut ait v. defenſores*, Goffred. *in ſum. tit. de hæret. num.* 2. Boich. *in d. cap. ad abolendam nu.* 20. Anchar. *in d. cap. excommunicamus num.* 3. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *num.* 1. *& ſeqq.* Zanchin. *de hæret. cap.* 17. *num.* 1. Eymer. *in direct. p.* 3. *q.* 122. *num.* 1. ibique Pegna *com.* 71. Gomez *de delict. cap.* 2. *num.* 1. Decian. *tract. crim. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 2. *&* Cantera *qq. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *n.* 7. Secùs verò, ſi ſit merè mentalis *clem.* 1. §. *pen.* ubi Gloſ. *v. ipſo jure*, ibique Card. *de hæret.* Gloſ. *in clem.* 1 §. *fin. de uſur, & in can.* 1. 24. *q.* 2. Afflict. *in conſt.* 1. *In conſuetem in* 4. *not.* cum aliis à Deciano deductis *lib* 5. *cap.* 41. *num.* 2. & notant Pegna *p.* 3. *com.* 71. Farin. *de hæreſ. q.* 192. *num.* 4. *& ſeqq* & Sanctarell. *eod. tit. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 5. Nam de pœnis. *d.* 1. *can.* cogitationis dicitur: cogitationis nemo pœnam meretur, aut patitur, *cap. ſicut tuis, & cap. tua nos de Simon.* traditur, Eccleſiam de occultis non judicare, ſed tantùm de manifeſtis *can. conſuluiſti* 2. *q.* 5. Occulta & incognita illi ſoli relinquuntur, qui ſolus novit corda hominum. Idem colligitur *ex can. erubeſcant d.* 32. *ex can. ult.* 32. *q.* 2. & ratio id manifeſtè ac certò concludit. Nam actus mentis interni ſolùm Deo patent, nec Eccleſia poteſt de eis judicium ferre, cum ſint hominibus naturâ ſuâ penitus ignota. Quidquid dixerit Archid. *in cap. cum quis de ſent. excom. in* 6. Felin. *in cap. ult. de hæret.* aliique plures; Torque hæreticus excommunicationes contrahit, quot hæreſes, ut poſt alios probat Ugol. *de cenſ. p.* 2. §. 4. *num.* 11. & Farin. *de hæret. quæſt.* 192.

Ab hac excommunicatione in foro judiciali tantum poſſunt Epiſcopi & Inquiſitores hæreticos pœnitentes abſolvere, & Eccleſiæ reconciliare, & hæc abſolutio prodeſt etiam in foro interiori. Ita probat textus *in cap. ut Officium ſub initio de hæret. in* 6. ibique Jo: Andr. *num.* 1. Gemin. *num.* 2. Franch. *num.* item 2. Gloſſ *in cap. excommunicamus* 1. *v. Apoſtolica de hæret.* ubi *Oſtien. num.* 24. Anan. *num.* 4. Felin. *nu.* 3. Cardin. *num.* 6. Squillac. *de fid. cath. cap.* 17. *num.* 2. Eymer. *p.* 2. *q.* 91. Zanchin. *de hæret. cap.* 24. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 3. *num.* 1 quibus aſtipulatur Farinac. *de hæret. q.* 192. §. 4. *num.* 51 Genuen. *in prax. cap.* 67. *num.* 10. Gratian. *tom.* 3. *diſcept.* 414 *nu.* 24. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 5. *n*... Et nos ſæpè alibi. Licet contrarium, quod hæc abſolutio in foro judiciali nunc impendi nequeat, ni à ſede Apoſtolica, cenſeat Zech. *in ſum. p.* 1. *tit. de fid. rubr. de hæreſi cap.* 11. *num.* 18. ea tantum ratione ſuffultus, quod per bullam Cœnæ à tempore Pii V. abſolutio ab hæreſi eſt ſolùm ſedi Apoſtolicæ reſervata, ac proindè ſit inferioribus ablata. Quia quod ſuperiori reſervatur, cenſetur inferioribus interdictum *cap. ut debitus de appell.*

At, hoc non obſtante, recedendum non eſt à priori opinione, quæ, ut vides, eſt juri conſona, & à Doctoribus communiter recepta. Nec refert, quod ex Bulla Cœnæ ſit hodie reſervata facultas abſolvendi ſoli ſedi Apoſtolicæ. Quia Bulla loquitur de facultate abſolvendi in foro interiori, ut poſt alios tradit Farinac. *d. q* 192. *num.* 52. quæ qualitas manifeſtè demonſtrat, Pontifices facultatem abſolvendi in foro judiciali reliquiſſe diſpoſitioni juris communis. Tum quia procedit derogando, quo caſu diſpoſitio accipitur ſtrictè, ita ut tantum cenſeatur derogatum, quantum in verbis eſt comprehenſum, *cap. cum dilectus de conſuet. l. commodiſſimè*, & utrobique Doctores *ff. de lib. & poſth.*

Tum etiam quia privilegium abſolvendi in foro judiciali eſt inſertum in corpore juris, nempe *in d. cap.* ut Officium, cui propterea per ſubſequentem Bullam, loquentem generaliter, non cenſetur derogatum. Immo lex generalis recipit limitationem ab ea *l.* 3. ubi Gloſſ. *cod. de ſilent.* Gloſſ. *in cap. ut circa* §. 1. *v. corporali de elect. lib.* 6. Salicet. *in l. apud hoſtes nu.* 9. *C. de legit. hæred. Dec. in cap.* 1. *num.* 9. *de reſcript.* & Neviz. *conſ.* 1. *num.* 3.

Et tum quia, cum ex diſpoſitione juris permittatur Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ut valeant in foro exteriori hæreticos pœnitentes recipere, illoſque Eccleſiæ reconciliare, *ut in d. cap.* ut Officium, per neceſſarium antecedens debet eis cenſeri permiſſum, ut poſſint impartiri abſolutionem ab excommunicatione, ſine qua non poteſt Eccleſiæ reconciliari, *argum. cap. fin de cler. excom. Miniſtr. & l. Oratio. ff. de ſponſal.* ac proindè mirum videri non debet, ſi ſummi Pontifices per Bullam Cœnæ coarctarunt revocationem ad facultatem abſolvendi in foro conſcientiæ Quia conſiderarunt quod ſi tolleretur facultas Epiſcopis, & Inquiſitoribus, abſolvendi ſimpliciter, & ſic etiam in foro judiciali, remaneret quodammodo otioſa in eis facultas recipiendi hæreticos pœnitentes, ac redeuntes.

An autem facultas conceſſa Epiſcopis à Conc. Tridentino *cap.* 6. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* adhuc duret, an verò ſit ſublata non immeritò dubitatur.

Quod

Quod autem non ſit ſublata, ſed adhuc manere, cenſeot Navar. *in man. cap. 27. num. 260. & conſ. 11. q. 1. de privil.* Eman. Sa. *v. Epiſcopus num. 37.* Angleſ *in flor. p. 1. tit. de confeſſ. q. 41. art. 5. diffic. 6.* Vega *tom. 2. ſum. cap. 125. caſ. 11.* Gutriet. *can. quæſt. lib. 1. cap. 13.* Cordub. *in ſum. q. 8. pun. 1.* Anton. Gomez. *in Bullam. Cruciatæ clauſ.* 10. *num.* 44. Henriq. *in ſum. lib. 6. cap. 14. num. 7.* Ledeſm. *in ſum. p. 2. tr. 1. cap. 6. poſt 10. concl. diffic. 7.* Bannes 2. 2. *q. 11. art. 4. dub. 1.* ibique Arag. *art. 5.*

Moventur primo, quia in Bulla Cœnæ non fit expreſſa mentio Concilii Tridentini, quod quidem eſt neceſſarium, ut cenſeatur illi derogatum. Quia conſtitutioni, ſive decreto Conciliari propter ejus gravitatem oon intelligitur derogatum, niſi de eo fiat mentio ſpecialis, *cap. ex parte de Capel. Monach.* ubi & Gloſſ. *v. nulla mentio, cap. nonnulli* ubi etiam Gloſſ. *v. fecerunt mentionem de reſcript.* ac Felin. *nu. 7.* Bald. *in l. humanum not. 7. cod. de legib.* Dec. io rubr. *de conſtit. num. 7. in 2. lect.* Prob. *ad Monach. cap. cum in tua num. 23. & ſeqq. de conſuet.* Rip. in *cap. 1. num. 8. de Judic.* Rota apud Cæſarem de Graſſ. *dec. 3. num. 12. de reſcript.* & apud Veral. *dec. 268. num. 3. p. 1.* & apud Mohedan. *dec. 7.* locati, ac plenè in Valentina decimarum 9. Decembris 1602. *coram Pegna.*

Deindè quia mens Pontificum in Bulla Cœnæ magis videtur eſſe, ut velint tollere indulta, Perſonis particularibus conceſſa, quorum vigore poterant abſolvi à caſibus comprehenſis in Bulla Cœnæ. Concilium verò non concedit indulta particularibus, ſed poteſtatem Epiſcopis abſolvendi, ut ſatis declarant verba illa = *liceat Epiſcopis* = quæ tribuunt facultatem activam abſolvendi, noo autem iodulgentiam, ut poſſint abſolvi.

Prætereà, quia ſi diceremus Epiſcopis eſſe ablatam facultatem abſolvendi, idipſum cogeremur dicere de Inquiſitoribus, qui in hac materia ſimul cnm Epiſcopis pari greſſu ambulant, *cap. ut officium, de hæret.* Clem. 1. *cod. tit.* At Inquiſitores hodiè funguntur hac poteſtate, *d. cap. ut Officium v. rſ. ſi verò.* Ergo eadem debent fungi & Epiſcopi.

Poſtremò, quia non deſunt Epiſcopi, qui hac poteſtate hoc tempore pluribus in locis utantur ſola Concilii authoritate: Quod ſanè non facerent, ſi facultas eis per Bullam Cœnæ eſſet ablata.

Hiſce tamen minimè obſtantibus, contrariam opinionem, quod huic facultati ſit per ſubſequentem Bullam Cœnæ à tempore B. Pii V. derogatum, adeo ut hodie nequeant Epiſcopi & Inquiſitores vigore S. Concilii abſolvere ab hæreſi occulta, neque ab aliis caſibus in Bulla Cœnæ comprehenſis, tenent Maiol. *de irreg. lib. 5. cap. 46. nu. 6.* Ugolin. *p. 2. cap.* 2. §. 4. Molin. *de juſt. & jur. tr. 3. diſp. 64. num. 8. & tr. 5. diſp. 18. num. 2.* Vivald. *in can. de Labr. p. 1. tit. 11. de abſol. num. 13. in ult. edit. ſub anno* 1602. ubi maturior receſſit ab eo, quod in prima editione dixerat, Tolet. *in ſum. & in declar. Bull. Cœn. excom.* 14. Param. *de Orig. Inquiſ. lib. 3. q. 9. num.* 191. Sayr. *dec. 16. tit. de ſent. excom.* quorum magna pars, ac ferè omnes teſtantur ſic fuiſſe in S. Congregatione Cardinalium Interpretum S. Coocilii, ac per ſummos Pontifices Gregorium XIII. & Clem. VIII. declaratum, ac, eandem opinionem ſequendo, ſic etiam ſervari in ſacro generalis Inquiſitionis Tribunali, teſtantur Pegna *in direct. comm.* 141. Fuſch. *de viſit. lib. 2. cap. 31. num. 5. & cap. 23. num. 4.* Azor. *inſtit. moral. p. 1. lib. 8. cap. 19. q. 3. & cap. 10. q. 10.* Suar. *tom. 4. diſp. 30. ſect. 2. num. 11. & tom. 5. diſp. 21. ſect. 3. n. 5.* Sanch. *in decal. lib. 2. cap. 11. num. 26.* Zech. *in ſum. p. 1. d. tit. de fid. rubr. de hæret. cap. 11. nu* 18. Farinac. *de hæreſ. q. 192. §. 4. num. 53.* Philiarch. *de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. lib. 2. cap. 25.* Genuen. *in pr. cap. 66. num. 10.* Garz. *de benef. p. 11. cap. 10. à num. 115.* Alter. *de cenſur. lib. 5. diſp. 21. cap. 2.* Campanil *in diverſ. jur. can. rubr. 11. cap. 26. num. 55.* Gratian. *tom. 3. diſcept. 414. num. 22.* Bleda *in defenſ. fid. in cauſa Moriſchorum p. 1. cap. 13.* Coſta de Andrada *q. 58.* Duard. *in Bulla Cœn. lib. 3. §. 2. q. 11. num. 43.* Catena *p. 2. tit. 1. num. 131.* Et nos etiam *alibi* fuſè. Et hæc opinio, tanquam receptiſſima, ac certiſſima tenenda eſt, à qua propter ſummorum Pontificum, ac tantorum Tribunaliom declarationes fas non eſt recedere.

Ejus fundamentum ſatis apertè deſumitur ex verbis dictæ Bullæ *cau.* 22. in quibus exprimuntur caſus, ſummo Pontifici reſervari, ac decernitur, quod ab eis nemo per alium, quam per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumcumque facultatum, ac Indultorum quibuſcumque perſonis etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ac cujuſvis Concilii, decretorum verbo, litteris, aut alia quacumque ſcriptura in genere vel in ſpecie conceſſorum vel ionovatorum. In his etenim verbis dum reſervatur poteſtas Romano tantum Pontifici, ſatis videtur ea inferioribus auferri, *cap. ut debitus, cum ibi traditis de appell.* & dum prohibetur, ne ullus poſſit abſolvi, non ſolum tollit facultatem, ne poſſit vigore alicujus indulti recipi abſolutionem, ſed ſimul ac ſemel ne poſſit dari, quia prohibitum in uno ex correlativis cenſetur prohibitum in alio, Bartol. *in auth. qui ſemel Cod. quomodo & quando Jud.* Felin. *in proœm. decret.* §. Gregorius *num.* 4. & dum Bulla revocat indulta & facultates, etiam à Conciliis conceſſas, ſatis declarat ſe velle revocare, non modo indulta, conceſſa perſonis particularibus, ſed etiam per viam legis generalis, ac decreti conciliaris; cum non ſoleant Concilia concedere particularia privilegia, ſed procedant generatim, omnibus æqualiter proſpiciendo *can. erit autem lex d. 4. l. fin. ad leg. Jul. de annon.*

Neque obſtant argumenta contraria. Non primum, quia licet regulariter ad derogationem decreti Conciliarii requiratur derogatio ſpecifica, nihilominus pro derogatione decretorum S. Concilii Tridentini ſufficit clauſula generalis, non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis propter decretum appoſitum *in cap. ult. ſeſſ.* 25. ut in omnibus decretis ſit ſemper ſalva Sedis Apoſtolicæ autoritas, ſicut per ſuum motum proprium declaravit B. Pius V. 23. Decembris anno 1570. Io cujus obſequium hoc idem reſpondit S. Congregatio Concilii in Abulenſi anno 1593. ut per Garz. *de Benef. p. 5. cap. 8. num.* 87. Rot. in *cauſa S. Angeli penſionis* 16. *Decembris* 1594. *coram Pamphil.* & *in Bononien. Prioratus* 9. Junii 1606. *coram Manzanedo.*

Secundum argumentum remanet ſublatum ex dictis in confirmatione noſtræ ſententiæ.

Tertium retorquetur. Quia licet Inquiſitores hæreticæ pravitatis habere facultatem abſolvendi ab hæreſi in foro interiori, aſſerant Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 34. Roderiq. *in Bull. Cruciat.* §. 9. *num.* 7. Tolet. *in ſum. lib. 4. cap. 4. n. 5.* Gutier. *qq. can. lib. 1. cap. 13. nu. 7.* Param. de *Orig. Inquiſ. lib. 3. q. 9. nu.* 190. Bannes 2. 2. *q. 11. ar. 4. dub.* 2. Henriq. *de pœnit. cap. 7. num. 3.* Graff. *dec. p. 1. lib. 2. cap. 9. num. 5.* qui nituntur tantum in conſtitutione Clementis VII. quæ incipit, *cum ſicut* = §. *Nobis*, relata à Pegna, cujus autoritate conceditur facultas Inquiſitoribus, ac eorum Commiſſariis abſolvendi ab excommunicatione, ac diſpenſaodi ab irregularitate contracta propter hæreſim, præcedente tamen hæreſis abjuratione, ac promiſſione quod in futurum ab hujuſmodi hæreſi abſtinuerit.

Hæc tamen conſtitutio, ſi rectè perpendatur, ad rem

in 6. in cap. mulieres, cap. ea noſcitur, cap. quamvis, & in cap. de cætero de ſent. excom. & firmat Alter. *de cenſur. diſp. 22. lib. 5. cap. 2.*

Verum hęc opinio redditur dubia ex Concilii Tridentini *cap. 7. ſeſſ.* 14. de pœnit. ubi loquendo de caſibus reſervatis ſic decernit: *extra mortis articulum ſacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad ſuperiores & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant*; ex quibus verbis ſatis poteſtatem abſolvendi à caſibus reſervatis coarctaſſe videtur ad ſolum mortis articulum. Idcirco exiſtimo, quod in caſibus reſervatis, non comprehenſis in Bulla Cœnæ, poteſt ex cauſa neceſſitatis, difficilis acceſſus, & impedimenti impendi abſolutio, ſervata forma *d. cap. eos*, qui cum aliis allegatis, quę credendum non eſt S. Concilium unico verbo corrigere voluiſſe, non obſtantibus verbis illis: *extra quem articulum*, quę videntur habere naturam taxativę. Quia non ideo præſumitur, quod corrigere voluerit, Gloſ. *in auth. de hæred. ab inteſt. ſub initio, v. vacantibus*, & *in l. non tantum v. nec ulla exceptio ff. de petit. hæred.* cum aliis per Roman. *conſ.* 322. *num.* 2. ſecus autem cenſeo in abſolutione ab hæreſi, & à cæteris caſibus comprehenſis in Bulla Cœnæ, etiam ex cauſa difficilis acceſſus, neceſſitatis, aut alterius impedimenti, prout etiam viſum eſt Sylveſtro *v. abſolutio* 4. §. 4 Quia caſus in Bulla Cœnæ comprehenſi ſunt majoris gravitatis, ideoque cautius agendum eſt, ne ſub impedimenti, aut neceſſitatis prætextu eludatur Eccleſiaſtica diſciplina *ex d. cap. eos, qui, §. decernimus.*

Atque hæc opinio indubie nunc ſervari debet in Italia, ſtante decreto promulgato à ſacra Congregatione Cardinalium ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium juſſu Clementis VIII. ſub die 9. Januarii 1601. nequis ſub prætextu quorumvis privilegiorum auderet ex quacunque cauſa, etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, à caſibus ſedi Apoſtolicæ reſervatis, beneficium abſolutionis impendere. Quod quidem decretum ratione fuit ad Italiam coarctatum. Tum quia in illa non ita facile conſiderari poteſt impedimentum accedendi ad ſedem Apoſtolicam, & conſequenter facilius poſſet fraus parari. Tum etiam quia extra Italiam cùm caſus neceſſitatis, & impedimenti poſſint frequentius ac probabilius contingere, noluit S. Congregatio rationabilem juris interpretationem excludere, præſertim in partibus, in quibus hæreſes gravantur, ubi ſedes Apoſtolica conſuevit benignius agere.

Et nihilominus Epiſcopos extra Italiam conſtitutos hortor atque rogo, ne ſola neceſſitate ſubnixi, hac utantur poteſtate, ſed ſi viderint caſus ſimiles frequenter in ſuis diœceſibus contingere, petant ab Apoſtolica ſede indultum abſolvendi à caſibus in Bulla Cœnæ comprehenſis, quia dari ſolet, ſaltem, ut ſuffragetur cauſa neceſſitatis, vel impedimento durante.

An verò facultas abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnæ, ſe extendat ad hæreſim, quando in ſpecie non exprimitur caſus hæreſis externæ, propter quam contrahitur excommunicatio reſervata in Bulla Cœnæ, diſſident ſententiæ. Prima aſſerit, facultatem generalem abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnæ ſe extendere etiam ad hæreſim. Eſt Soti *in 4. diſt. 21. q. 2. ar. 3. concl. 5. caſ.* 1. Vivaldi *in candelabr. in explic. Bul. Cœn. caſ. 20. §. quod ſi forte n.* 141. *& tit. de abſol. num.* 13. & 16. Cordubæ *in ſum. q. 8. in fine*, Zerolæ *p. 2. prax. Epiſc. v. abſolutio q. 9. dict. 4. & 5. & in prax. de pœnit. cap. 55. q. 20. & cap. 12. q. 4.* Pegnæ *p. 5. direct. com.* 25. Anton. Albertin. *p. 3. ſum ſacram. cap. 11. num. 9. apud Fagundez mox citandum*, Filiuc. *tr. 8. cap. 10. num.* 265. Polach. *de jubil. ſect. 42. n. 61.* Sanctarel. *eod. tit. cap. 7. dub.* 3. Leon *p. 3. de jubil. nu. 41. limit.* 1. Angel. *v. abſolutio n.* 17. Sylveſt. *v. excommunicatio 7. caſ.* 2. Graſſ. *p. 1. deciſ. lib. 4. cap. 15. n.* 25. Anton. *in catecheſ. Neap. lib. 4. cap.* 19. Reginald. *lib. 8. prax. for. pœnit. cap. 5. ſect. 1. num.* 53. Fagundez. *præcep. 2. Eccleſ. lib. 8. cap. 8. num.* 38. Molph. *p. 1. ſum. tract. 7. cap. 21. n.* 65. Lorca 1. 2. *q. 11. ar. 4. diſp. 45. num.* 3. Boſſ. *ſect. 1. de Jubil. caſ. 8. num* 3. Gobat. *eod. arg. cap. 33. num.* 148. Peyrin. *de privil. conſt 4 Sixti IV. §. 5 num.* 20. & refert Filioccius, ita declaratum fuiſſe in S. Pœnitentiaria ſub anno 1607. ac ita ſervari in praxi.

Probari poteſt. Quia cùm Pontifices ſciant hanc controverſiam agitari inter Doctores, quando nolunt concedere facultatem, excipiunt hæreſim. Ergò quando non excipiunt, ſignum eſt, quod concedant.

Deinde, quia finis, ob quem conceditur facultas abſolvendi à reſervatis, etiam in Bulla Cœnæ, exigit etiam, ut concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

Poſtremò, quia, licet quæ ſpeciali nota digna ſunt, & indigent ſpeciali expreſſione, non veniant in generali loquutione, veniunt tamen, quando agitur de favore perſonarum, quibus conceditur. Unde, licet nomine Clericorum non veniant Epiſcopi, & Cardinales, quia ſpeciali nota digni ſunt, veniunt tamen in favorabilibus. Atque adeo cùm in præſenti agatur de favore animarum in conceſſione abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnæ, veniet etiam hæreſis, licet ſpeciali nota digna.

Secunda verò ſententia tenet, non intelligi conceſſam facultatem abſolvendi ab hæreſi, etiam occulta, dum generaliter conceditur facultas abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ. Ita ſentiunt Covar. *in d. cap. alma mater p. 1. §. 11. num.* 15. Navar. *d. cap. 27. n.* 75. Gutier. *lib. 1. can. qq. d. cap. 13. nu.* 36. Henriq. *d. lib 6. ſum. cap. 16. nu. 1. & lib. 7. cap. 15. num.* 1. Simanch. *de cath. inſtit. tit. 3. num.* 2. Vega *p. 1. ſum cap. 1. §. caſ. 12. & p. 2. cap. 27. caſ.* 1. Rodriq. *in Bull. Cruc. §. 9. num.* 67. Philiarc. *to. 1. de offic. ſacerd. lib. 3. cap.* 27. Ugolin. *de cenſur. tab. 1. cap. 10 §. 4 num.* 1. Azor *p. 1. lib. 8. cap. 10. q.* 12. Campan. *in diverſ. jur. can. rubr. 11. cap. 26. num.* 54. Alter. *to. 1. de cenſur lib. 4. diſp. 4. cap.* 2. Suar. *diſp 7. de cenſur. ſect. 6. num.* 12. Farinac. *de hæreſ. d. q. 192. §. 4. nu.* 63. Sanch. *in dec. al. lib. 2. cap. 12. num.* 10. Ceval. *to. 3. com. opin. q.* 802. *n.* 67. Royas *de hæret. aſſert. 39. nu.* 321. & de *privil. Inquiſ.* 416. Aragon. 2. 2. *q. 11. ar.* 3. Lopez *p. 1. inſtruct. cap.* 8. Sorb. *in comp. privil. v. abſolutio*, Benzon. *lib. 1. de fuga diſp. 1. q.* 6. Ledeſma *p. 2. ſum. tr. 1. cap. 6. concl. 19. & 20. diffic. ult.* Avil. *de cenſur. p. 2. cap. 7. diſp. 1. dub.* 7. Garz. *de benef. p. 11. cap. 10. num.* 109. qui citat Acoſtam *in Bul. Cruc. q.* 59. ſupra citati, quibus accedunt Bonac. *diſp. 1. de cenſ. q. 3. pun. 1. nu.* 11. Floron. de caſib. *reſer. p. 1. cap. 5. §. 22. num.* 6. Homob. *p. 1. exam. tr. 5. cap. 6. q.* 35. Fernand. *p. 3. exam. theol. mor. cap. 7. §. 11. nu.* 5. Lavor. *p. 2. de jubil. cap. 28. num* 24. Barboſ. *p. 2. de poteſt. Epiſc. allegat. 40. num.* 31. qui alios citat, Duard. *in Bul. Cœn. lib. 3. §. 2. q. 80. num. 5. & ſeq.* Angles *in florib. q. 4. de confeſ. ar.* 5. Medin. *lib. 1. inſtr. cap. 10. §.* 1. Palat. *in 4. d. 20. q.* 3. Bannes 2. 2. *q. 31. ar.* 4. Mandoſ *in pr. v. crimen hæreſis*, Perez *lib. 8. ordinam. tit. 4. lib.* 3. Ludovic. à Cruce *diſp. 1. in Bul. Cruc. cap. 3. dub. 4. n.* 4. Torreblanch. *lib. 4. de mag. cap. 6. num.* 3 Portel. *in dub. regul. v. hæreſis in addit. num.* 26. Sylvius 2. 2. *q. 11. ar.* 3. Rague *in lucern. paroch. q. 125. num.* 5. Novar. *in ſingul. concl. 5. num.* 8. Diana *p. 1. tr. 5. reſol. 1. in fine*, Vaſquez *opuſc. de excom. dub. 19. num.* 5. Fauſt. *lib. 9. de jubil. q.* 105. Caſtropal *p. 1. oper. mor. tract. 4. diſp. 4. pun. 3. §. 4. num.* 2. Trullench. *in Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 7. num.* 9. Mazuchel. *diſp. 1. de*

caſ.

caſ. reſer. q. 4. diffic. 5. num. 11. aliique quamplures.

Pro qua ſententia afferuntur citatæ declarationes B. Pii V. ſub anno 1572. Gregorii XIII. ſub anno 1576. cujus motum proprium refert Rodriq. in addit. ad Bul. Cruc. §. 9 *num. 66.* Et cum Sixtus V. anno 1589. ac Clemens VIII. anno 1594. conceſſiſſent facultatem generalem abſolvendi à caſibus Bullæ Cœnæ, conceſſerunt etiam in ſpecie crimen hæreſis. Quod ſatis judicat, non venire in generali conceſſione. Adducitur etiam praxis pro hac ſententia, & tradit Covartuvias Inquiſitores procedere contra Confeſſarios, qui virtute Jubilæi abſolvunt ab hæreſi. Et quanquam Doctores oppoſitæ ſententiæ dicant, quod praxis iſta fundatur in hac ſententia, adhuc tamen oſtendit, quod nolunt oppoſitam ſententiam in praxim deduci; immo declarat, quod in conceſſione talis facultatis non comprehendatur facultas abſolvendi ab hæreſi; nam obſervatio ſubſequuta declarat jus, & privilegia *cap. cum veniſſent de inſtit. & cap. cum dilectus de conſuet. l. ſed julianus §. porro, ff. ad Senatuſconſ. Maced.* & declarat Caſtil. *lib. 7. controv. cap. 93. §. 7.* Affertur denique ratio quia in generali conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus, qualis eſt hæreſis, quæ habet ſtrictiſſimam reſervationem.

Et quidem hæc ſententia omnino tenenda eſt, quæ præter adducta ita etiam probatur. Crimen hæreſis eſt ſpecialiter delegatum Inquiſitoribus adeo, ut pro ipſo inſtitutum ſit ſpeciale Tribunal, in quo ſit examinandum & impendenda abſolutio. Et licet non poſſint Inquiſitores abſolvere ab hæreſi in foro conſcientiæ, adhuc tamen abſolutio in foro conſcientiæ eſt reſervata huic Tribunali. Nam eſt reſervata ſummo Pontifici, ut ſupremo Capiti hujus Tribunalis. Et ideo quando conceditur generalis facultas abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnæ, non conceditur facultas abſolvendi ab hæreſi, niſi in ſpecie exprimatur. Quia conceſſio talis facultatis eſt univerſalis delegatio in ordine ab abſolutionem à reſervatis Sedi Apoſtolicæ. Hæc autem univerſalis delegatio non derogat ſpeciali delegationi de crimine hæreſis jam factæ ipſum reducenti ad ſpeciale Tribunal. Immo hæc ſpecialis delegatio derogat illi univerſali, quia generi per ſpeciem derogatur *l. in toto jure ff. de reg. jur. & cap. 1. cap. paſtoralis de reſcript.* quod præcipue verum eſt in crimine hæreſis, cujus delegatio eſt facta privativè quoad cæteros.

Unde exiſtente lege aliqua ſpeciali per generalem conſtitutionem contrariam non abrogatur, ſed ipſa derogat generali *cap. 1. de conſtit. in 6.* Et generale mandatum non derogat ſpeciali, ſed hoc derogat generali *cap. 1. de reſcript.* & notant Bald. *conſ.* 88 *ſub inte. lib.* 2 Cæphal. *conſ. 393. nu. 19. lib. 3.* Mant. *lib. 9. de conject. num ult. vol. tit. 6. nu* 22. Valaſch. conſ. 72. 2. Et legatum generale non derogat ſpeciali, ſed hoc illi derogat, ut tradunt Abb. *conſ. 4. num. 5. lib.* 2. Bald. *conſ.* 253. *nu.* 3. *lib.* 5. Cravet. *conſ.* 86. *nu* 4. Ruin. *conſ.* 90. *num.* 9. ac Surd. *lib. 2. de alim. q.* 15. *num.* 130.

Ac præterea, quando in jubileo conceditur facultas abſolvendi ab hæreſi, non ſolum conceditur in ſpecie, ſed etiam cum dictione *Etiam.* Ideoque non venit in generali conceſſione. Nam hæc dictio ſtat augmentativè, & extendit diſpoſitionem ad id, quod prius ſub ipſa non includebatur, Clem. 1. § *fin. de re jud.* & tradunt Pariſ. *conſ* 46. *nu.* 30 *vol.* 4. Ruin. *conſ.* 43. *num.* 19. *lib.* 2. Menoch. *conſ.* 331. *n.* 7. Saraph. *dec.* 561. *num.* 1. & Rota *dec.* 193. *nu.* 3. & 4. *p.* 7. *recent.*

Ad primam verò rationem contrariæ ſententiæ reſpondetur, quod licet Pontifices non excipiant hæreſim, remanet tamen excepta ex natura ſuæ reſervationis, ut conſtat ex jam dictis. Quando autem excipiunt, id faciunt declarationis gratia.

Ad ſecundam reſpondetur, eundem finem militare, etiam quando excipitur hæreſis expreſſe. Unde ſicut tunc volunt Pontifices, quod tali crimine infecti, recurrant ad remedium ordinarium, ita etiam quando non excipiunt, neque in ſpecie concedunt. Et ideo ex fine jubilei non licet arguere, quod talis caſus ſit conceſſus.

Ad tertiam. Quæ ſpeciali nota digna ſunt veniunt quidem in generali loquutione in favorabilibus, quando non obſtat ſpecialis proviſio, quæ deroget generali. In hoc autem caſu, licet ſimus in favorabilibus, obſtat tamen ſpecialis proviſio circa hæreſim, quæ derogat generali diſpoſitioni, ac loquutioni, ut etiam conſtat ex adductis.

Quod autem ad declarationem relatam à Filiuccio, cùm non ſit autoritativa, quia non eſt facta ab eo, ad quem ſpectat, ſed doctrinalis, non excedit autoritatem Doctoris docentis.

Quin etiam tenendum eſt, quod ſive non excipiatur, ſive excipiatur in jubileo, non poteſt abſolvi hæreticus, etiam occultus pœnitens, ſed eſt neceſſarium, quod in ſpecie concedatur abſolutio ab hæreſi. Nam hæreſis, licet occulta, & emendata, eſt reſervata in Bulla Cœnæ, in qua generaliter reſervatur hæreſis. Atque adeo militat eadem ratio, quæ militat, ſi hæreſis eſſet publica. Quoniam adhuc ipſa eſt ille caſus, qui eſt delegatus ſpeciali Tribunali.

Nec ſufficit, quod excluſio aliquid amplius operetur, quam operetur excluſio quoad hæreticos declaratos, ſed debet accipi ſecundum totam ſuam latitudinem. Unde cùm nomine hæreſis in omni ſua proprietate veniat etiam occulta, dum excluditur hæreſis, excluditur etiam occulta, præſertim cum remaneat excluſa eo ipſo, quod non conceditur.

Atque ex his colligitur, non poſſe abſolvi virtute jubilei apoſtatas à fide, quando non adeſt facultas abſolvendi ab hæreſi. Nam hi revera hæretici ſunt, cùm amplectantur ſectam damnatam, quæ ſtare non poteſt cum fide catholica, quæ docet, quænam religio colenda ſit. Immo in totum fidem catholicam deſerunt.

Sed quid de receptatoribus, fautoribus &c. hæreticorum, de legentibus, retinentibus, imprimentibus libros hæreticos, de ſchiſmaticis, aliiſve, qui continentur in edictis Inquiſitorum, an ſcilicet quando in jubileo excipitur hæreſis, poſſint iidem abſolvi.

Hos non poſſe abſolvi, quando non adeſt facultas abſolvendi ab hæreſi, aſſerunt Rodriq. *in Bul. Cruc.* §. 9. *n.* 67. Vega *p. 1. cap. 6. in fin.* Turrian. 2. 2. *to. 1. diſp. 59. dub.* 2. Alter. *to. 1. de cenſ. lib. 5. diſp. 3. cap. 9. dub.* 2. Azor *p. 1. lib. 8. cap. 19. q.* 9. Fernand. *p. 3. exam. cap. 9.* §. 16. *ſect. 1. nu.* 1. Ratio eſſe poteſt, quia hi caſus concernunt hæreſim, ut ipſi quoque ſunt ſpecialiter delegati Inquiſitoribus, & pro ipſis eſt erectum ſpeciale Tribunal. Unde militat eadem ratio, quæ in hæreſi.

Docent tamen alii, quod conceſſa facultas abſolvendi à reſervatis in Bulla Cœnæ, etiamſi excipiatur hæreſis, ſe extendat ad omnes caſus, præterquam ad hæreſim formalem. Ita Henriq. *lib. 6. ſum. cap.* 16. *num.* 2. Sanch. *in decal. lib. 6. cap.* 12. *num.* 12. Acoſta *in Bull. Cruc. q.* 63. *concl.* 4. Suar. *de fid. diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 12. Farinac. *de hæreſ. q.* 180. *nu.* 8. Protel. *in dub. regul. v. libri prohibiti in addit. n.* 14. Diard. *lib. 3. in Bul. Cæn.* §. 2. *q.* 8. *num.* 8. & *q.* 11. *num.* 47. Leon. *p. 2. de jubil. n.* 44. Trullench. *in Bul. Cruc. lib.* 1. §. 7.

§. 7. cap. 2. dub. 7. Boſſ. *ſect. 1. de jubil. caſ. 8. numero 4.* Ludov. à Cruce *in Bul. cruc. diſp. 1. cap. 3. dub. 8. nu. 2.* qui citat Salas *in Bul. Cruc. q. 9.* Fauſt. *lib. 4. de jubil. q. 105. in fine.*

Cum hac ſententia tenendum pariter eſt, quod quando in facultate conceſſa per Jubileum excipitur hæreſis, intelligitur de hæreſi formali, & ideo facultas ſe extendit ad omnes alios caſus reſervatos in Bulla Cœnæ. Idque debet intelligi ſuppoſito, quod in cæteris caſibus non ſit admixta hæreſis, ſive error aliquis in intellectu contra fidem. Quod ita probatur. Nomine hæreſis, ac hæretici, ſpectata tùm naturali, tum civili ſignificatione venit tantum error contra fidem in intellectu, & habens talem errorem. Cum igitur exceptio hæreſis reſtringat facultatem abſolvendi conceſſam in jubileo, non debet fieri extenſio, præſertim ultra naturalem ac civilem ſignificationem. Nam facultas tanquam favorabilis non eſt perſtringenda, ſed amplianda, præcipue quia ſecluſa hæreſi, qui talia delicta commiſerunt, ſunt vere fideles, & catholici.

Hinc oppoſitæ rationi reſpondetur, hos caſus non eſſe per ſe primo delegatos Inquiſitoribus, quaſi pro ipſis ſit conſtitutum ſpeciale Tribunal, ſicuti eſt inſtitutum pro hæreſi, ſed ex ſuppoſitione talis Tribunalis extenſa eſt juriſdictio ad hæc quoque delicta, tanquam aliquo modo concernentia ad fidem. Unde non habent illam ſpecialem delegationem, quam habet hæreſis, nec quoad ſpecialem iſtam delegationem militat in ipſis eadem ratio, quæ militat in hæreſi.

Atque ex his colligitur, ſchiſmaticos poſſe abſolvi virtute jubilei, quando conceduntur caſus Bullæ Cœnæ, ſi ſint purè ſchiſmatici ita, ut non habeant hæreſim admixtam. Nam non peccant contra fidem, & ideo non ſunt hæretici. Excommunicatio autem lata contra ſchiſmaticos non habet ſpecialem reſervationem, ſicut habet caſus hæreſis. Eſt tamen advertendum cum D. Thoma *2. 2. quæſt. 39. ar. 1. ad 3.* ſchiſma regulariter eſſe conjunctum cum aliqua hæreſi, ac proinde in foro externo præſumuntur hæretici. Et ideo ſi caſus contingat, diligenter examinandi ſunt, an etiam aliqua hæreſi inficiantur. Quoniam verò non omnes confeſſarii ab Ordinario approbati, ſunt theologi, & apti ad diſcernendum hæreſes à ſchiſmate, ideo debebunt hujuſmodi pœnitentes vel ad Inquiſitores remittere, vel ad confeſſarium, qui valeat diſcernere, an cum ſchiſmate ſit hæreſis conjuncta.

Neque huic doctrinæ obſtat Conſtitutio Pauli IV. de qua Rodriq. in addit. ad Bul. Cruciatæ *§. 9. num. 66* in qua præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ confeſſariis omnibus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut diligenter inquirant à pœnitentibus, num habeant, vel legant libros hæreticos, vel damnatos ab Eccleſia, aut imprimant, aut de ipſis aliquam notitiam habeant, nec prius abſolvant, quàm hæc omnia Inquiſitoribus denuncient. Nam id conſuetudine abrogatum eſt. Conſtat enim ex praxi, quod confeſſariis non adhibent hanc inquiſitionem, ſed ſi caſus contingat, ſervant diſpoſitionem Bullæ Cœnæ. Et dato, quod id eſſet in ſuo robore, procederet tantum extra tempus Jubilei, ac ſufficeret, quod libri hæretici traderentur Inquiſitoribus.

Scire quoque dubitatur, an quando in jubileo conceduntur caſus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, poſſint abſolvi, qui exterius tantum negant fidem, fingendo tranſire ad paganiſmum, &c. Quod autem exterius fidem abnegantes præſumantur in foro externo hæretici, ac ut tales puniri poſſint, certum eſt. Unde quando eos pœnitet ſui peccati contra exteriorem confeſſionem fidei, recurrere debent ad Inquiſitores, ut ſibi etiam pro foro externo conſulant.

Tenendum autem eſt, poſſe hujuſmodi abnegantes abſolvi virtute jubilei, immò etiam extra Jubileum, Ita Navar. *in man. cap. 11. numero 17.* Sot. *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. ar. 3.* Sylveſt. *v. hæreſis quæſt. 2.* *Suar. de cenſ. diſp. 4. ſect. 2. numero 32. & diſp. 21. ſect. 2. numero 3.* Tolet. *lib. 4. ſum. cap. 4. numero 6.* Ludov à Cruc. *in Bul. Cruc. diſp. 1. cap. 3. dub. 7. numero 5.* Sayr. *lib. 4. clav. reg. cap. 4. numero 11.* Leſſ. *de juſt. lib. 2. cap. 42. dub. 2. num. 11.* Bannes *2. 2. quæſt. 11. ar. 4. dub. 2. concl. 3.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 9. quæſt. 9.* Avila *p. 1 de cenſ. dub. 11.* Sanch. *in decal. lib. 2. cap. 7. numero 6.* Valent *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 12. pun. 1.* Fagund. præcept. 2. Eccleſ. *lib. 8. cap. 8. numero 39.* Sylvius *2. 2. quæſt. 11. ar. 3. concl. 2.* Homobon. *p. 1. exam. tr. 7. cap. 1. quæſt. 4.* *Valer.* in *differ. utriuſque fori v. hæreſis diff. 2. numero 1.* Gyptius *de caſib. reſer. cap. 6. caſ. 4. numero 83.* Zanard. *p. 1. direct. præcept. 1. cap. 11.* Mercer. de Sacram. *quæſt. 66. ar. 9. num. 4.* Granad. *2. 2. contr. 1. tr. 15. diſp. 13. numero 11.* & ex noſtris Simanch. *de cath. inſtit. tit 31. num. 3.*

Probatur. Exterior negatio fidei abſque errore in intellectu, non includit hæreſim, ſed eſt tantum peccatum contra præceptum confeſſionis fidei. Atque adeo non habet locum excommunicatio lata contra hæreticos. Quia in hoc caſu non intervenit hæreſis, quæ conſiſtit in errore intellectus contra fidem, ſine quo non eſt hæreſis. Ac proinde ubi non eſt delictum, pro quo ponitur excommunicatio, nec etiam habet locum excommunicatio, præſertim quia pœna requirit delictum conſummatum.

Nec obſtat Caietanus *2. 2. quæſt. 12. ar. 1.* in fine, dicens quod Eccleſia non judicat de internis, neque pœna afficit, ac proinde excommunicatio contra hæreticos eſt ratione actus hæretici externi. Sic occidens abſque animo occidendi, & ſolo metu, irregularis eſt, ac excommunicatus, ſi occiſus ſit clericus.

Nam reſpondetur, non judicare de internis per ſe, ſed tantum de ipſis judicat, ut manifeſtatis per actus externos, & hoc pacto punit hæreſim. Quando autem non adeſt hæreſis interna, actus externus non ſubjicitur pœnis, quia non eſt vera hæreſis. Nec eſt eadem ratio de homicidio, Nam hoc conſiſtit in ſolo actu externo, in quo habet ſuum eſſe conſumatum, & actus internus non eſt formaliter homicidium, ſed cauſa homicidii. Et qui metu occidit, adhuc peccat, & actus eſt ſimpliciter voluntarius, licet ſecundum quid involuntarius.

Unde colligitur, quod ſiquis ſe fingat hæreticum animo favendi hæreticis, quatenus tales ſunt, ſi tamen non contrahat errorem in intellectu, non erit hæreticus, ſed fautor hæreticorum, ut notant Navar. *cap. 11.* manual. *numero 27.* Sanch. *d. lib. 2. in decal. cap. 7. numero 8.* & Ludovic. à Cruc. in Bul. Cruc. *diſ. 1. cap. 3. dub. 3. numero 7.* ſeque non contraheret excommunicationem Bullæ Cœnæ contra hæreticos, ſed contra fautores hæreticorum. Et ideo virtute jubilei poterit abſolvi, quando excluditur ſola hæreſis.

At quid de dubio in fide? Num ſcilicet, quando excluditur hæreſis, poſſit abſolvi virtute jubilei? Solutio hujus difficultatis pendet, an dubius in fide ſit hæreticus. Quod autem ſit hæreticus, ac proinde non poſſit abſolvi, niſi adſit ſpecialis facultas circa hæreſim, tradunt Jo. Andr. *in cap.* 1. *numero* 1. *de haret.* ibique Abb. *numero* 1. aliique Canoniſtæ, Caietan. 2. 2. *quaſt.* 11. *ar.* 2. *not.* 1. Aragon. *dub.* 2. Gabr. *in* 4. *diſt.* 13. *quaſt.* 2. *an.* 1. *not.* 3. ac cæteri, quos refert Sanch. *d. cap.* 7. *numero* 11. Nam in d. *cap.* 1. *de haret.* dubius in fide dicitur infidelis. Et talis perdit aſſenſum certum fidei. Non perditur autem, niſi per hæreſim. Et quia habet certa pro dubiis, quod eſt errare in fide.

Quod verò non ſit hæreticus, ſi pure ſit dubius ita, ut neque in unam . neque in alteram partem præbeat aſſenſum, aſſerit Canus *lib.* 12. *de loc. theol. cap.* 9. Sa *v. hareſis num.* 1. & Sanch. *eo cap.* 7. *num.* 12. qui tamen advertunt, quod cum dubio de rebus fidei ſolet eſſe annexum judicium, quod res fidei non ſint omnino certæ, in quo conſiſtit hæreſis.

In hac re tenendum eſt, dubium in fide non eſſe verè hæreticum, ſi ſiſtat in ſola ratione dubii, ac proinde poſſe abſolvi à quocunque confeſſario, etiam extra tempus jubilei, quia nullam contrahit cenſuram. Nam hæreſis eſt eſſentialiter electio pertinax alicuius erroris contra veritatem fidei, ut docent Auguſtinus *lib. de util. cred. cap.* 1. relatus *in can. hareticis* 24. *quaſt.* 3. & Hieronymus *in cap.* 5. *ad Galat. & in cap.* 3. *ad ſit.* relatus ibidem *in can. hareſis*, & communiter Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quaſt* 11. *ar.* 2. *ad* 3. quare de ratione hæreſis eſt pertinacia in aliquo errore circa fidem. Qui autem dubius eſt, neutram partem eligit, ſed ſuſpenſus manet. Unde multo minus habet pertinaciam. Quod ita confirmatur. Qui dubius eſt, non diſſentit a rebus fidei. Hæreſis autem dicit diſſenſum.

Ad primam vero rationem contrariam reſpondetur, dubium in fide dici infidelem, tum quia præſumptive in foro externo talis eſt, tum quia eſt talis privative quoad actum, non autem poſitive per actum contrarium.

Ad ſecundam, aſſenſum fidei amitti non ſolum per actum contrarium poſitivum, qui requiritur ad hæreſim, ſed etiam, per ipſum dubium. Sicut etiam in naturalibus certitudo perditur, non ſolum per actum contrarium poſitivum, ſed etiam per dubium, quod eſt medium inter fidem & hæreſim, quando agitur de revelatis.

Ad tertiam. Qui haberet res fidei certas pro dubiis, non eſſet dubius in fide, ſed haberet aſſenſum contrarium fidei, & ideo erraret in fide, ac eſſet hæreticus. At ſi dubius in fide reflecteret ſupra ſuum dubium, & non aſſentiretur, quod res fidei eſſent dubiæ, ſed tantum dubitaret de earum certitudine adhuc remaneret intra rationem dubii, & non eſſet hæreticus. Et hoc pacto puto, ut plurimum contingere in iis, qui dubitant in fide ac reflectunt ſupra ſuum dubium, non autem quod poſitivé aſſentiantur, quod res fidei ſint dubiæ.

Ex quo habetur, quod quando pœnitens, qui fuit dubius in fide, neſcit explicare, an conſenſerit, quod res fidei ſint dubiæ, an verò tantum dubitaverit, quod præcipue in rudibus contingere poteſt, poterit à confeſſario abſolvi, quia non apparet de conſenſu, in quo fundatur hæreſis, atque adeo nec de reſervatione, ac proinde præſumendum eſt, non adeſſe materiam reſarvatam, ideoque nec excommunicationem. Quia in pœnis facienda eſt benigna interpretatio *cap.* ex litteris de conſtit. & *cap.* in pœn. de reg. jur. in 6. Unde quando agitur de damnando aliquo, tanquam excommunicato, debet delictum eſſe certum, ob quod eſt impoſita excommunicatio.

Quando autem quis dicatur in articulo mortis conſtitutus, alibi explicavimus; Atque ex hoc Duard. *lib.* 3. in Bull. Cœnæ *d.* §. 2. *quaſt.* 2. *numero* 1. vult quod ſimplex ſacerdos poſſit abſolvere traditum brachio ſæculari: Sed cautè in hoc agendum eſſe, ac totum referendum ſupremo Tribunali, monet Carena *p.* 2. *tit.* 2. *num.* 62.

Si verò hæretici, poſtquam fuerint pronunciati excommunicati, per annum in excommunicatione inſorduerint, ex hoc ſunt infames ipſo jure, neque ad publica officia admittuntur, Auth. Credentes *C. de haret. cap. excommunicamus* §. *Credentes. eod. tit.* & apud Pegnam *poſt. direct.* Fridericus Imperator *in conſtit. Catharos* §. *ſtatuentes*, Innocentius IV. in conſtit. quæ incipit. *Noverit Univerſitas*, edita anno 1254. Nicolaus III. in Conſtit. eiuſdem initii, emanata anno 1281. Martinus V. in conſtit. lata ſub anno 1418. Paulus IV. in conſtit. cum ex Apoſtolatus emiſſa ſub anno 1558. Quod ſi iſti fautores fuerunt clerici, & per annum inſorduerint in excommunicatione, poſt annum omni Officio, & Beneficio privandi ſunt.

Secunda pœna eſt irregularitas, *cap.* 2. *de haret. in 6. & can. nos d.* 51. *&* §. idem Daniel 2. *q.* ubi dicitur hæreticos ad nullum officium Eccleſiaſticum admittendum, & irritum decernitur quod in contrarium actum fuerit; Et expreſſius in Epiſtola 22. Innocentii primi C. I. ad Epiſcopos Macedoniæ, ubi etiam revertentes ad fidem Catholicam ab hæreſi remanent irregulares, ut promoveri nequeant can. presbyter de pœnit. d. 5. Eſtque communis ſententia, de qua vide Sanchez. *d. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 2. Layman. *de irregul. cap.* 4. *nu.* 11. Quinimmo Suar. *de cenſ. diſp.* 43. *ſect.* 2. *num.* 8. *&* 11. Sanchez *loc. cit. num.* 8. & Farinac. *ibidem* illam extendunt ad ſuſpectos de hæreſi, quando ſuſpicio oritur ex aliqua cooperatione ad hæreſim, non vero ex aliis cauſis.

Ac etiamſi hæreticus ſit occultus. Quia ipſa irregularitas per ſe eſt annexa hæreſi, ut probat Sanchez *loc. cit. num.* 2. & Farinac. *d. q.* 192. *num.* 68. Duratque, ut dixi, quamvis hæreticus converſus, & admiſſus ad gremium Eccleſiæ, pœnitentiam peregerit, ut etiam colligitur ex *can. convenientibus*, 1. *quaſt.* 7. & *ex cap. inter ſollicitudines de purg. canon.* & docet Pegna *p.* 3. *com.* 162. Quamvis diverſæ olim fuerint antiquorum canonum ſententiæ. Nam Concilium Nicenum c. 8. relatus in *can.* ſi qui voluerint, & in *can.* convenientibus 1. *quaſt.* 7. cenſuit Novatianos redeuntes, in clero remanere, ac ordinem retinere poſſe, dummodo ante omnia per publicam ſcripturam fateantur, ſe cum omni conſenſu Eccleſiæ Catholicæ ſtatuta obſervaturos. Concilium verò Elibertinum *can.* 51. eos neque recipi in clerum, neque ordinari poſſe, neque in clero manere, neque ordinem ſervata decrevit, cum quo concordat Auctoritas D. Cypriani *in can.* 1. *q.* 7. ſatis *enim*, inquit, *habent, quod ad pacem admittuntur, qui hoſtes pacis extiterunt, nec debent illi revertentes ea apud nos*

ordina-

ordinationis, & honoris arma recinere, quibus contra nos rebellaverunt. Oportet enim Sacerdotes, ac Miniſtros, qui altari, & Sacrificiis deſerviunt, integros, atque immaculatos eſſe cum Dominus in Levitico loquatur, homo, in quo fuerit macula, & vitium, non accedat offerre Dei Deo. Idcirco factu eſt, talibus veniam dari, nec debet in domo fidei perfidia promoveri. Nam quid bonu te innocentibus, atque ab Eccleſia non recedentibus, reſervamus, ſi eos, qui à nobis receſſerint, & contra Eccleſiam ſteterint, honoramus?

In hac Canonum diverſitate Eccleſia experta aliquorum fictas pœnitentias, ſervat irregularitatem, etiam poſt pœnitentiam manere, ut in *can. illud quoque d.* 50. Gloſſ. in *can. nos conſuetudinem d.* 12. Specul. *in tit. de diſp. §. juſta* Felin. *in cap. eam te num.* 12. *de reſcript.* D. Anton. *in ſum. p.* 3. *tit.* 28. *cap.* 6. Majol. *de irreg. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 1. Decian. *lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 17. *& ſeqq.* Navar. *in ſum. cap.* 27. *num.* 205. Pegna *in direct. p.* 3. *q.* 113. *com.* 162. Sanchez, qui alios refert *lib.* 2. *in decal. cap.* 25. *num.* 2.

Quod tamen intelligi debet non propter deſperationem indulgentiæ, ſed rigore diſciplinæ, ut majori medicina humilitatis adhibita, redeuntis ſalus tutius muniretur, *can. ut conſtitueretur d.* 50. Nam ſi pœnitentia peracta redeuntes laudabiliter ſe geſſerint, conſuevit cum eis misericorditer diſpenſare gloſſa, Felinus, maiolus ac reliqui ſupra citati. In qua parte Concilii Niceni miſericordiam Eccleſia imitatur, quod non juris rigore, ſed ex pietate & diſpenſatione cenſuit, Novatianos eſſe recipiendos, ut Gratianus animadvertit in ſumma *d. can. ſi qui voluerint* 5. *quæſt.* 7.

Quæ miſericordia, ut proficiat, non unica largitione conſuevit effundi, ſed gradatim, ac maxima adhibita circumſpectione. Quandoque enim diſpenſat, ut poſſint tantum in ordinibus ſuſceptis miniſtrare, non autem ut ad ſuperiores aſcendant, *can. ſi quis hæretica & can. omnis* 1. *quæſt.* 1. *can. ſaluberrimum* 1. *q.* 7. Quod ſi nullum Ordinem habent remanent prorſus incapaces; adeo ut ne ad primam quidem tonſuram valeant promoveri, ut per D. Antonin *de cenſur. cap.* 100. Sylveſt. *v. irregularitas q.* 5. Maiol. *de irregul. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 3. Pegna *d. q.* 3. *com.* 163. Quandoque ut in Epiſcopatu perſiſtere poſſit, non autem Primas effici, ut *in can. nos conſuetudinem*, ubi Gloſſ v. *prohibemus d.* 12.

Aliquandó etiam talium revertentium tantus virtutum ſplendor emicuit, ut ad omnes dignitates cum eis fuerit diſpenſatum *can. ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. Gloſſ. *in d. can. Nos conſuetudinem*, idque non ſemel novimus temporibus noſtris in hominibus antea hæreſi infectis, qui ſumma Chriſti ſpe adeo concoaluerunt, ut quaſi mundi Luminaria reſplendentes ad ſummos Eccleſiæ gradus Apoſtolica indulgentia pervenerint. Quod tum maximè factum legimus, cum id Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas expoſtulabat, Auguſtinus *epiſt.* 50. *d. can. convenientibus* 1. *q.* 7. Corrad. Bru *de hæret. lib.* 3. *cap.* 6. 7.

Et licet magis cum jure congruere aliis quibuſdam videatur, in hanc pœnam tantummodo incurrere hæreticum notorium, qui ſit manifeſtus, vel per evidentiam facti, vel per Judicis ſententiam vel per propriam in judicio confeſſionem. Talis enim hæreticus etiam ad fidem catholicam reverſus, & ab omni excommunicatione ſolutus ac liber, abſque legitima diſpenſatione nequit ad ordines promoveri, attamen revera magis cum jure convenit id, quod jam diximus, ut colligitur *ex can. Saluberrimum* 1. *q.* 7. Quod ratio confirmat, cum hæreticus reconciliatus Eccleſiæ, abjurata hæreſi, laicam communicationem admittatur, *can.* 1. *q.* 9. Cæterùm diſpenſatione permittitur in ordinibus ante hæreſim ſuſceptis miniſtrare *can. ſi quis hæretica* 1. *quæſt.* 1. Nonnunquam diſpenſatione conceditur, ut poſſit ſacris ordinibus initiari, & creari Sacerdos *can. convenientibus* 1. *q.* 7. Etſi hoc multi limitent, ut reverſus ad fidem Catholicam non ſit irregularis, ſi hæreſis non fuit notoria, ut de communi teſtatur Layman *loc. cit.* Sayr. *lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 16. Garz. *de beneſ. p.* 11. *cap.* 10. *num.* 8. cum ſeq. Item aliqui limitant, ut non procedat in converſis etiam ab hæreſi notoria in regionibus palam infectis, ubi hæreſes impunè graſſantur Navar. *d. conſil.* 1. *de conſtit. quæſt.* 14. *numer.* 42. Layman. *cit. cap.* 4. *num. ult. & lib.* 4. *tr. de fid. cap.* 16. *nu. ult. §.* 6. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 9. *num* 9.

Ab hac autem irregularitate neque Epiſcopus, neque Inquiſitor, ſed ſolus Romanus Pontifex diſpenſare poteſt, ut per Eymer *p.* 126. Zanchin. *de hæret.* 38. Pegna. *loc. cit.* Sanch. *d. cap.* 25. *num* 5. *&* 6. Farinac. *d. quæſt.* 192. *numero.* 75. Catena *ubi ſupra num.* 140. cum hæretico autem occulto converſo, an poſſit Epiſcopus in irregularitate diſpenſare vigore S. Concilii Trid. *d. ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform* affirmant Sanchez *d. cap.* 25. *numero.* 15. Farinac. *d. quæſt.* 192. *num.* 79. Sanctarell. *de hæreſ. cap.* 25. *numero.* 7. *&* 8. Caſtropal. *p.* 6. *de cenſur. diſp.* 6. *pun.* 16. Negant Suarez de cenſur. *diſp.* 43. *ſect.* 1. *numero.* 15. *& de fide diſp.* 21. *ſect.* 5. *numero.* 2. ac Ricciul. *d. lib.* 5. *cap.* 16. Bonac. *eod tract. numero.* 12. Toller *lib.* 2. *cap.* 46. Filiuc. *tr.* 20. *numero.* 231. Quibus & ego adſtipulor, malè reclamantibus Henriquez *lib.* 14. *de irreg. cap.* 18. *numero.* 2. & Zech. *in ſum. tr. de fid cap.* 11. *numero.* 16. Nam ſi nequit abſolvere ab excommunicatione, ob hæreſim occultam contracta multo minus ab irregularitate.

Vera enim eſt illa regula, quæ colligitur ex *cap. cum illorum de ſent. excom.* quod ubi alicui denegatur facultas abſolvendi, quæ eſt minor, multò magis denegatur facultas diſpenſandi, quæ eſt major, ut ibi notat Abb. *num.* 2. Socin. *num.* 6. ac Felin. *num.* 1. Quidquid dicat Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 25. cujus rationes ſunt ſatis leves. Cum igitur Epiſcopus non poſſit abſolvere ab hæreſi etiam occulta, nec poteſt diſpenſare ſuper irregularitate, ex hæreſi orta; Nec Inquiſitoribus ſuffragatur conſtitutio, *cum ſicut §. vobis* Clementis VII. Quia, ut advertit Pegna *com.* 175. hæc videtur revocata per ſequentes Pontificum conſtitutiones. Quod multò magis procedit, ſi agatur de diſpenſatione quò ad uſum ſacerdotii in altaris miniſterio; Nam cum hæc ſit res graviſſima, eſt ſummo Pontifici reſervata, Sylveſt. *v. irregularitas q.* 5. Maiol. *de irreg. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 16. Zanchin. *de hæret. cap.* 28. Pegna *p.* 3. *com.* 161. Navar. *d. cap.* 27. *num.* 205. Suar. *loc. cit. nu.* 5. Sanch. *d. cap.* 25. *nu.* 14. Et ideo B. Pius V. ſub anno 1567. die 6. Septembris Pontificatus ſui anno ſecundo ſcripſit Didaco de Spinola generali Inquiſitori Hiſpaniæ, & inhibuit, nè poſſet hujuſmodì homines ad aliqua beneficia, aut ſi Clerici forent, ut ad ſuperiores Ordines aſcenderent, habilitare, aut cum Presbyteris diſpenſare, ut in altaris miniſterio deſer-

deſervierit: Pro parte tamen hæc irregularitas eſt diſpenſabilis ab Epiſcopo, ut Clerici in ſuſceptis ordinibus poſſint miniſtrare, præterquàm in exercitio altatis, ut per Sanch. *lib. 2. in decal. cap. 35. num.* 14. Suar. *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 2. *num.* 6. Farinac. *de hæreſ. q.* 192 *num.* 18. dummodo ſit ſequuta abjuratio, ac pœnitentia, & citra uſum ſacerdotis in altaris miniſterio, & audiendi confeſſiones. Additque Carena *p.* 2. *tit.* 1. *nu.* 143. Quod nec poſſunt diſpenſari ad exercitium ſacramenti pœnitentiæ, ubi ex Genuen. *in prax. cap.* 53. *num.* 3. refet, quod in Curia Archiep. Neapol. qui abjuratunt de vehementi non ſolent admitti ad audiendas confeſſiones, & Ricc. *vol.* 2. *collect.* 567. refert de hoc deciſionem ſupremi Tribunalis. Præſertim perſonarum ſecularium, quia quæcumque gratia, etiam per ſedem Apoſtolicam facta hæretico, nunquam includit, ut poſſit audire confeſſiones, niſi ſpeciliater exprimatur. ut pluribus probant Judiciale Inquis. decreto 8. Maiol. *de irreg. d. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 6. Idemque Carena ſubdit, quod nec Medici, nec Ludimagiſtri, qui abjurarunt de vehementi, ad primæva munera habilitari ſine ſpeciali indulto Pontificis, ac ita deciſum fuiſſe in litteris cardinalis Piſani 28. Aprilis 1571. *quæ miſericordia*, &c.

Tertia pœna eſt infamia, nobilitatis amiſſio, ac inhabilitas ad omnes honores, & dignitates, eſtque infamia juris *ex can. alieni* 2. *q.* 7. *can. infames* 6. *q.* 1. ex conſtitutione Alexandri IV. edita anno 1258. incip. *quod ſuper*, Honorii IV. ſub anno 1280. incip. *exhibita*, & Martini V. ſub anno 1418. cucujus initium *Inter cunctas*, & habetur *ex auth. Gazaros C. de hæret. & in l. Cunctos* populos *C. de ſum. Trinit.* & in Conſtitut. *Catharos* Friderici Imperatoris, & in Conſtit. *exurge, Domine* Leonis X. apud directorium, & tradunt Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 26. *à num.* 1. Farin. *de hæreſ. q.* 189. *num.* 56. & tanquam infames privantur ptivilegiis *l.* 1. *C. de hæret.* Quinimò ſunt infames facto & jure, Pegna *p.* 1. *com.* 4. Farinac. *de hæreſ. q.* 189. *num.* 55. Unde nec Judex, nec Teſtis, neque actor, neqoe Tabellio, nec quid ſimile, ob hæreſim quis eſſe poteſt. Quia hæc omnia infamibus prohibita ſunt, ut habetur *in cap. infamibus de regul. jur. in* 6. *& in* . 2. *cod. de dignit. & in l. quoniam C. de hæret. & in cap. excommunicamus* 1. *de hæret. in* 6. de quo mox etiam.

Hæc autem pœna incurritur ipſo facto, & ante Judicis ſententiam, ot probat Pegna *p.* 1. *com.* 4. Alphonſ. de Caſtr. *lib.* 2. *cap.* 6. *de juſta hæret. punit.* Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 186. *num.* 55. Requiritur tamen declaratoria criminis, ut tanquam talis tractari debeat, ut per & antè omnes probat Burſat. *conſ.* 14. *numer.* 18. *&* 23. *lib.* 1, Farinac *loc. cit. num.* 56. & Sanchez d. *lib.* 2. *cap.* 26. *numero.* 1.

Et licet Carthius *lib.* 2. *de juſta hæret. punit. cap.* 9. dicat hujuſmodi infamiam contrahi ab hæretico ante condemnationem criminis, & Judicis ſententiam, quia eſt ipſo jore irrogata. Deindè, quia hæc pœna in privatione, non autem in actione conſiſtit, ſed pœnæ, quæ privationem tantùm, non actionem continent, ipſo facto, ante ullam Judicis ſententiam contrahuntur. Demum quia eadem eſt ratio de infamiæ pœna, quæ de privatione bonotum, ſed Hæreticus ante condemnationem criminis, amittit ſuorum bonorum dominium. Ergo pariter infamiam incurrit.

Veriùs tamen, hæreticum hac pœna non affici, niſi poſt ſententiam Judicis; Nam infamia juris nunquàm contrahitur, niſi poſt condemnationem criminis, ut colligitur *ex l. ff. de his qui not. infam.* Idque apertè docent Dyn. *in cap. infamibus de regul. jur. in* 6. Abb. *in cap. teſtimonium de teſtib. & cap. exceptionem de except.* Nec obſtat quod ſint infames ipſo jute, ſiquidem infamia eſt juris. ergo ipſo jure contrahitur. Reſpondetur infamiam juris dici, quia ſtatim ut per Judicis ſententiam crimen eſt declaratum, reus eſt infamis, nec enim opus eſt, ut Judex condemnet reum ut infamem, ſed tantum ut crimen declaret. Sicut bona hæreticorum ipſo quidem jure ſunt confiſcata, ſed requiritur Judicis ſententia qua crimen declaretur. Verum animadvertendum eſt ſi crimen hæreſis fuerit notorium per evidentiam facti, hæreticus infamiam etiam contrahit facti, non juris, quæ infamia facti per contrarium factum aboletur.

Ex quibus deducitur primo, eos repelli ab omnibus honoribus, & dignitatibus *l. quæ Samaritis C. de hæret. cap. ut commiſſi §. privandi de hæret. in* 6. Boich. *in cap. ad abolendam num.* 20. *eod.* Felin. *in cap. excommunicamus* 1. *numer.* 3. *eod. tit.* Afflict. *in conſtit. Regni de hæret poſt num.* 29. Carer. *de hæret. num.* 145. Royas *ſing.* 81. Decian. *in tr.* IV. *lib.* 5. *cap.* 43. *num.* 8. Canteta *rubr. de hæret cap.* 1. *num.* 10. & pari ratione repelluntur à publicis, officiis *auth. credentes. C. de hæret. c.* 2. *§. hæretici autem, d. cap. ut commiſſi §. eod.* Oſtien. *in cap. ſi adverſus poſt num.* 2. *de hæret.* ibique *Cardin. num.* 1. Soccin. *in d. cap. excommunicamus num.* 34. Royas *ſing.* 86. Decian. *loc. cit. nu.* 3. & Farinac. *de hæreſ. q.* 189. *num.* 44.

Et ideo non poſſunt creari civitatum defenſores, *l. jubemus*, ubi Salic. *C. de Epiſcop. and.* Neque vocati ad Concilia *d. auth. credentes, d. cap. excommunicamus §. credentes, l. Manichæi* 1. *C. de hæret.* Neque poſſunt eſſe Judices *d. auth. credentes* cum aliis ſuprema citatis, Albertin. *in rubr. C. ejuſdem tit, num.* 6. Oſtien. *in d. cap. ſi adverſus eod. num.* 2. ibique Jo. Andr. *num.* 3. Socin. *num.* 39. & Avan. *numer.* 10. ac probatur pluribus Conſtitutionibus relatis à Pegna poſt Eymer. & à Farinacio *de hæreſ. q.* 181. *num.* 49.

Unde proceſſus coram Judice hæretico agitatus, eſt irritus ipſo jure, Clem. 1. *§. fin* ubi Cardinal. *de uſur.* ſpecul. *tit. de advoc. §.* 1. Marant. *in ſpecul p.* 4. *diſt.* 16. *num.* 77. Royas *ſing.* 88. *nu.* 3. ſicuti etiam nulla eſt ipſo jure ſententia ab hæretico lata etiamſi ſit lata inter ignorantes, ut præter Doctores ſupra deductos, ſcribit Cardin. *in d. cap. ſi adverſus num.* 4. Calderin *in tr. de hæret. rubr. de pœn. num.* 2. *& §. quæ pœna nu.* 14. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 43. *numer.* 3. *& cap.* 51. *numer.* 79.

Deducitur ſecundò, quod neque poſſunt eſſe arbitti, vel arbitratores, cùm arbitria ſint inſtar judiciotum, ut pluribus probat Jo. Bapt. de S. Sever. *de arb. lib.* 4. *cap.* 9 & Royas *ſing.* 20

Tertiò deducitur, quod neque poſſint advocationis munere fungi *d. l. quæ declamantu & d. auth credentes C. eod. d. cap. excommunicamus d. §. credentes*, Vital. *in rubr. de crim. hæreſ. num.* 9. Carer. *de hæret. num.* 151. Royas 105. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46. *nu.* 61. Decian *d. cap.* 43. *num.* 4. *& d. cap.* 51. *nu.* 79. & extat conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit ad extirpandas, Paull IV. incip. *cum ex Apoſtolatus officio*, aliæque plures apud Pegnam. Nam advocati officium eſt honorificum *l. advocati C. de advoc. diver. jud. l. ſancimus in princ. C. eod.*

Deducitur

Deducitur quartò, quod neque poſſunt adipiſci gradum Doctoratus, quia Doctoratus eſt dignitas, *cap.* quanto, ubi Doctores de magiſtr. *l. providendum ſub initio, C. de poſtul.* Bartol. *in l. omnes C. de decur. lib.* 10. *& in l. generaliter* §. *fin. ff. eod.* Abb. *in cap. propoſitis n.* 15. *de prob.* Alex. *conſ.* 94. *n.* 2. *lib.* 1. Rebuf. *in l.* Curialis *n.* 1. *&* 2. *C. de decur.* Royas *ſing.* 105. *num.* 2.

Quinto deducitur. quod hæreticis, eiſque credentibus, ac eorum fautoribus, ac receptatoribus nulla prorſus fides adhibetur ita, ut, etiamſi publici tabelliones exiſtant, eorum inſtrumenta nullam prorſus faciant fidem *d. auth. credentes v. ſi tabellio, d. cap. excommunicamus* §. *credentes* ibique Abb. *antiq. num.* 2. Oſtien. *num.* 19. Jo. Andr. *nu.* 15. Boich. *n.* 11. Anchar. *nu.* 3. Socin. *nu.* 36. & extant Conſtitutiones Pontificiæ ſuperius relatæ apud Pegnam. Verſatur ſiquidem tabellionatus officium circa fidem veritatis, nec poteſt erga homines eſſe fidelis, qui Deo extitit infidelis *can. nulla officia d.* 54. *can. non. poteſt.* 2 *q.* 7. Quod eſt intelligendum de inſtrumentis poſt hæreſim confectis, Abb. *antiq. loc. cit.* Petr. de Unſola *in pr. notar. num.* 25. Royas *ſing.* 89. *num.* 2. Scacc. *de judic. cap.* 98. *num.* 19. An autem poſt pœnitentiam, & reconciliationem cum Eccleſia poſſit notariatus officium exercere, extat conſultatio Reminaldi junioris *conſ.* 185. *lib.* 2. qui expenſis utriuſque partis argumentis, tandem concludit pro affirmativa.

Sexto deducitur, qood hæretici, eiſque credentes, eorumque receptatores, fautores, ac defenſores repelluntur etiam à ferendo teſtimonio *d. auth. credentes, d. cap. excommunicamus* §. *credentes, can. ſi hæreticus, & can. pagani* 2. *q.* 7. *l. quoniam de hæret.* Tum quia non eſt credendum iis, qui à ſe fidem veritatis abjecerunt *d. can. non poteſt* 2. *q.* 7. Tum etiam quia facultas ferendi teſtimonium eſt generoſæ dignitatis *can. præceptum in fine* 32. *quæſt.* 5. Archid. *in cap. accuſatus* §. *licet. in* 1. *not. de hæret. in* 6.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus hæreticorum teſtimonium ſpeciali quadam ratione admittitur, quos copioſe congerit Farinac. *de teſtib. q.* 55. *num.* 221. *& ſeqq.* inter quos cùm conſtituatur, hæreticos repelli à teſtimonio tantum in judicialibus, non autem in contractibus, vel in teſtamentis *ex l. quoniam multi C. de hæret.* ideo nonnulla circa illius legis intelligentiam ſunt advertenda.

Primo igitur animadvertendum eſt, quod textus *in d. l. quoniam* plures enumerat hæreticorum ſectas, quibus omnis legitima converſatio interdicta eſt, & penitus ab omni & quocunque teſtimonio dicendo repelluntur, cujuſmodi ſunt Manichæi, Borbonitæ, Samaritæ, Montaniſtæ, & alii qui ibi connumerantur. Aliis verò hæreticis permittitur, ut poſſint ferre teſtimonium in contractibus, ac teſtamentis tantum. Hujus diſtinctionis ratio ex eodem textu colligitur, nempe quia Manichæis, Borbonitis, & aliis in textu enumeratis pro reatus ſimilitudine omnis legitimus actus interdictus eſt. Unde mens illius textus fuit, hæreticis declaratis, ſive dogmatizantibus interdicere omnem actum, & converſationem legitimam, & ſic facultatem ferendi teſtimonium, ſive in judicio, ſive in contractibus, vel teſtamentis. Reliqui verò hæretici, quibus permittit teſtimonia in teſtamentis, & in contractibus ſint illi, qui non profitentur explicite aliquod dogma declaratum, ſed ex argumentis reperiuntur à judicio catholicæ Religionis deviare juxta textum *in l.* 3. §. *hæreticorum C. de hæret.*

Deinde animadverſione dignum eſt, quod textus *in d. l. quoniam*, dum quibuſdam hæreticis permittit teſtimonium ferre in ultimis voluntatibus, & in contractibus non permittit ſimpliciter, ſed propter cauſam, nempe propter utilitatem neceſſariis uſus, ne probationum facultas anguſtietur. Quæ quidem cauſa reſtringit diſpoſitionem ad ipſam cauſam *l. cum pater* §. *dulciſſimis ff. de leg.* 2. Aret. *conſ.* 161. *col.* 3. Dec. *conſ.* 379. *num.* 5. *& conſ.* 64. *num.* 6. Et propterea cujus, in quibus recipiuntur teſtimonia hæreticorum, ſive Judæorum inter catholicos, ſunt intelligendi, quando alii non adſunt teſtes catholici, qui contractui, vel teſtamento intereſſe poſſint. Quia tunc verè adeſt neceſſitas, & coarctatur facultas probationis, ad quod facit textus *in cap. ut fidei favorem* §. præſertim de hæret. in 6. & in l. conſenſu §. ſuper plagis C. de repud. *& in l. non omnes* §. *à barbaris ff. de re milit. & in l. Divus, verſ. Et ſi aliter veritas ff. de quæſt. cap. veniens* 2. ubi Doctores, & *cap. fin.* ibique Abb. *in* 2. *not. de teſtib.* Cæphal. *conſ.* 227. *num.* 32.

Poſtremo eſt advertendum, quod in caſibus, in quibus teſtes hæretici admittuntur, operantur, ut actus geſtus ſubſiſtat, non autem poſſunt de illo actu teſtificari in judicio, Afflict. *dec.* 224. *in fine* poſt Alex. *conſ.* 35. *ſub. fin. & conſ.* 78. *pariter ſub. fin. lib.* 1. & poſt alios, quos allegat.

Cùm verò ab initio cognoſci facile non poſſit an verſemur in caſu, in quo hæreticorum teſtimonium admittitur, ſi quando probanda ſunt facta, quæ non poſſunt probari, niſi per hæreticos, ideo in praxi prudentiſſimi Judices in partibus, in quibus viget hæreticorum multitudo, decernere debent remiſſorias cum facultate recipiendi teſtes, etiam hæretica labe infectos, ſalvis tamen exceptionibus ad hoc, ut probationibus factis, ac meritis negocii perpenſis, poſſit pars ſuas exceptiones producere, & Judex pro ſua prudentia decernere quanta fides ſit eis adhibenda juxta textum *in l.* 3. *ſub initio* §. *ideoque ff. de teſtib.*

Deducitur autem ſeptimo, quod hæretici nequeant interpretari proceſſus in judicium productos, vel producendos, ſive illos de una ad aliam linguam transferre. Tum quia iſti interpretes habentur loco teſtium *l.* 1. ubi Doctores *ff. de ventr. inſpic.* Alex. *conſ.* 179. *num.* 10. *lib.* 2. Tum etiam quia in hac interpretatione requiritur veritas *l.* 1. §. *fin. ff. de verb. oblig.* quæ ſane veritas in hæretico non reperitur, *can. hæreticus* & *can. non poteſt* 2. *quæſt.* 7.

Ex quo patet, non eſſe probandam doctrinam Angeli *in auth. ut præponatur nomen. Imperatoris nu.* 2. dum ait, quod dum agitur de interpretatione, vel ſignificatione litterarum græcarum, vel hæbrearum, aut aliarum ſimilium ſtatur, declarationi unius, etiamſi ſit hæbreus, ideoque Alex. *de conſ.* 179. *num.* 9. ait, dictum Angeli procedere, vel quando hæbreus eſt electus de communi partium conſenſu, vel quando nullus alius eſt, qui litteras valeat interpretari juxta communem doctrinam Bartolli, & aliorum *in d. l.* 1. §. *fin. ff. de verb. oblig.*

Octavo deducitur, quod hæretici non poſſunt aſpirare ad aliquam militiam *l. quicunque* §. *nullam, Manichæos* 1. *& l. quæ Samaritis C. de hæret.* Decian. *tr. cr. lib.* 6. *cap.* 43. *num.* 4.

Ultimo deducitur, quod hæretici privantur omnibus ac quibuſcumque privilegiis, ſive illa competant intuitu Religionis. ut *in l.* 1. *C. de hæret.* ſive intuitu Reipublicæ, *in Auth. item privilegium C. eodem* ſive contemplatione

perſonæ, ut *in l. Curiales C. eod.* ne videamur hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium præſtitiſſe, ad quod facit textus *in l. fin. C. de eod. tit.*

Ideo reſcripta, etiam ſpecialiter ab hæreticis impetrata, firmitatis robore carent, quia præſumuntur per fraudem extorta *l.* 2. ubi Gloſſa & Doctores *C. de ſum. trin.* adeo, ut ex eorum manibus arrepta ad Principem caſſanda, & laceranda debeant referri *l. ſicut. C. de pagan. & ſacrif. eor. l. fin. C. ſi contra jus, vel util. publ.* Florian. *in l.* 1. *§. ſed etſi, quis num.* 1. *ff. fin. regund.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 45. *n.* 44. Quod procedit, etiamſi in reſcripto ſit derogatum legibus in contrarium facientibus, Cyn. *jud. l. fin. C. ſi contra jus, & util. publ.* Caſtr. *in l.* 2. *num.* 3. *C. de Sacroſ. Eccleſ.* Conrad. Brun. *de haret. lib.* 5. *cap.* 7.

An autem Inquiſitores poſſint ſuper hac infamia diſpenſare, ac hæreticos honoribus reſtituere, vide Pegnam ad Eymer. *p.* 1. *com.* 4. *ſub finem* Zanchin. *de haret. cap.* 38. Paul Ghirland. *in tr. de relax. carcer. tit. de benef. & indulg. Princip. q.* 1. *&* 2. *& in tr. de haret. q.* 6. *n.* 2.

Quare quarta pœna eſt privatiò officiorum publicorum, ac dignitatum laicalium, & inhabilitatem ad hujuſmodi conſequenda, *l. infamiam C. de decur. cap. ut commiſſa §. privandi de haret. in* 6. *l. qua de Samaritis C. de haret.* Conſtit. *Exhibita* Innocentii IV. anno 1286. Conſtit. *inter cunctas* Martini V. anno 1418. & conſtit. *Hiſque ad ampliandam fidem* Innocentii III. apud Pegnam, & *cap. ut commiſſi de haret. in* 6. Sanchez *in decal. d. lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 6. Unde hæretici non poſſunt exercere ulla officia publica *cap.* quicumque *§. haretici de haret. in* 6. *& d. cap. ut commiſſi eod. tit. & lib.* 4c *d. leg. qua de Samaritis, C. de haret.* Acta per eos ſunt nulla, non poſſunt agere in judicio *leg. credentes §. nullus C. de haret. &* in conſtit. *ad extirpanda §. Quicumque* Innocentii IV. & conſtit. *Noverit univerſitas* Nicolai III. & conſtit. *Catharos* Friderici Imperatoris apud Pegnam, Non poſſunt eſſe Judices Conſtit. *ad extirpanda §. quicumque* Innocentii IV. & Clementis IV. Conſtit. *Noverit Univerſitas* Innocentii IV. & Nicolai III. Conſtit. *Cum ex Apoſtolatus* Pauli IV. d. Conſtit. *Catharos* Friderici Imperatoris apud Pegnam *Auth. Credentes §. quod ſi forte de haret.* Neque Notarii ex d. conſtit. *Noverit Univerſitas* Innocentii IV. & Nicolai III. *& cum ex Apoſtolatus* Pauli IV. Neque Advocati *cap. excommunicamus* 1. *§. credentes eod. tit.* & in Conſtit. *ad extirpanda* Innocentii IV. & Clementis IV. *& in Catharos* Friderici Imperat. Et incurrunt privationem omnium Officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum *can. Miramur.* 24. *q.* 1. *cap. ad abolendam §.* 1. *de haret.* Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 6. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 5. *num.* 20. Et inhabilitatem ad omnia illa & ſimilia. Quod multi limitant ut procedat in hæreſi publica tantum Sanch. *d. cap.* 6. Garz. *d. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 81. de quo infra.

An autem hæretici ſint ipſo jure privati beneficiis Eccleſiaſticis, anvè ſint privandi per ſententiam?

Cenſeo reſpondendum eſſe ipſo jure privatos. Primo per *d. cap. abolendam de haret.* ponderando illa verba, & *ſic omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico, ſecularis relinquatur arbitrio poteſtatis.* Nam verbum *ſpoliatus* executionem importat, & ſic denotat privationem ipſo jure, ut notat Butr. *in cap. fin. nu.* 15. *de poſtul.* ubi etiam per *cap. conquerente de reſt. ſpol.* dat generalem theoricam, quod ubicunque aliquis utitur verbis, *præcipimus ſpoliari, vel ſpolietur*, licet ſit verbum futuri temporis, tamen ſupponit privationem ipſo jure, & denotat ſolam amotionem manualem, & quoad facti poſſeſſionem. Et ſic refert fuiſſe allegatum in facto, *eumque ſequitur* Felin. *in cap.* 2. *num.* 3. *& in cap. Rodulphus num.* 25. *de reſcript.* & *in cap.* inſinuatum ſub initio de Simon. Ad quod vide textum *in cap. ex tua de cler. non reſid.* juncta expoſitione Oſtienſis, & Joannis Andreæ ibi *v. ſpoliari.*

Nec refragatur, quod hæc inductio tollatur ex verbis præcedentibus, ibi: *totius Eccleſiaſtici ordinis prerogativa nudetur.* Quæ verba videntur importare privationem per ſententiam faciendam ex notatis à Felino *in d. cap. Rodulphus*, non autem privationem ipſo jure. Nam reſpondetur, illud quoque verbum *nudetur* ſimiliter referri ad manualem executionem, cum idem importet, quod *ſpolietur*, ut in *cap.* 1. *§. Illud autem in fin.* ibique Archid. *v. jam nudatus, id eſt ſpoliatus, de reſt. ſpol. in* 6. ac proinde ſubintrat alia ſimilis theorica Raphaelis *in l. providendum C. de poſtul.* per Gloſ. ibi poſitam *in v. foro*, & ab Angelo ibi approbatam, quod verbum futuri temporis importat latam à lege ſententiam, quando eſt verbum executivum, quam theoricam ſequitur Andr. ſicul. *in cap. Sacerdos de Offic. Ordin.* relatus à Felino *in d. cap. Rodulphus n.* 25. *de reſcript.*

Secundò pro hac concluſione eſt textus *in cap.* cum ſecundum leges de hæret. in 6. per quod patet bona hæreticorum eſſe publicata ipſo jure ita, ut eorum dominium hæretici eo ipſo amittant, nec aliud requiratur, niſi pronunciatio Judicis Eccleſiaſtici ſuper crimine. Bonorum autem appellatione etiam beneficia Eccleſiaſtica continentur *cap.* 1. *de preb. & l. bonorum ff. de verb. ſignif.* ibique Rebuf. *& in prax. benef. tit. de ſimon. in reſignat. nu.* 31. Et quamvis in beneficiis non intret confiſcatio, cùm non ſint tranſitoria ad fiſcum, intrat tamen privatio; Et ita illum textum intelligit Rota apud Achil. de Gras. *dec.* 345. *alias* 1. *numero* 5. *de haret.*

Tertiò, idem probatur *in cap. ut commiſſi §. privandi de haret. in* 6. ad quem non advertunt Doctores *in cap.* 1. *de paroch.* Nam ibi fuit ſubſtitutus alius Epiſcopus in locum Epiſcopi hæretici, nec apparet contra hæreticum fuiſſe latam ſententiam privationis, ipſeque ad unitatem Eccleſiæ reverſus reſtituitur diſpenſative, & fit diviſio inter eum & Epiſcopum ſubſtitutum juxta formam in textu præſcriptam, ut ibi notant Innoc. Oſt. & Jo. Andr. & ſic ſupponitur ipſo jure privatus Epiſcopatu. Et quod Epiſcopo hæretico, ad catholicam fidem redeunti, non reſtituatur Epiſcopatus, niſi ex miſericordia, probant *can. ipſa pietas* 23. *quæſt.* 4. & *can. quod autem* 1. *quæſt.* 7. *can. convenientibus ibid.* & per hæc jura notat Gloſſa *in cap. urgentis v. miſereri de haret.* ibique etiam Oſtien. *num.* 1. & Socin. *in* 3. *not.*

Quare hanc opinionem probarunt in *cap.* ut commiſſi Jo. Andr. Gemin. Franch. & communiter Doctores, dum exponunt illa verba, *vel privatos nunciandi*, ut dictio *vel* ſtet expoſitive pro *ideſt*, Abb. in *cap. juro dilectos* 2. 11. *de exceſ. præl.* Prob. in addit ad Monach. *in cap. alma mater. n.* 8. *de ſent. excom. in* 6. Mill. *in repert. v. hareticus*, Covar. *var. reſol. cap.* 8. *num.* 4. Rebuf. *in pr. benef. p.* 3. *tit. de mod. amit. benef. nu.* 3. *& de pacif. poſſeſ. n.* 196. Diaz. *in pr. cr. can. cap.* 114. *nu.* 2. Navar. *conſ.* 6. *& conſ.* 16. *num.* 2. *de haret.* Menoch. *de arb. lib.* 2. *cent.* 5. *caſ.* 416. *num.* 61. Pegna *in direct. p.* 3. *q.* 113. *ſchol.* 162. eamque aliàs probavit Rota apud Caſſad. *dec.* 14. *ſuper regul. num.* 1. *&* 4. quæ de hoc dicit, eſſe textum *in can. quo jure*, ibique Gloſ. Gemin. & Præpoſ. *d.* 8, & eandem ſuppoſuit *dec.* 707. *nu.* 4. *p.* 3. *div.* licet

Domini

Domini non fuerint concordes, an beneficia hæretici vacaverint in partibus, ubi crimen hæreſis fuit commiſſum, an verò in Curia, ubi lata fuit ſententia declaratoria.

Fateor, non deeſſe, qui ſentiant, hæreticos non eſſe privatos beneficiis ipſo jure, ſed privandos per ſententiam, ut Alph. à Caſtro *de juſt. haret punit. cap.* 9. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46. *num.* 72. Zerol. *in pr. Epiſc. p.* 1. *v. privatio ſub initio*, aliique apud Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 26. *à num.* 5. ea ratione, quia privatio ipſo jure nunquam inducitur, niſi expreſſe id jure cautum reperiatur, Glos. 2. *in capit. fin.* de jurepatr.

At quicquid dicant, non eſt recedendum à prima opinione. Tum quia communis eſt. Tum quia probatur in allegatis juribus. Et tum quia hoc eſt diſertis verbis expreſſum Conſtitutione 2. Nicolai III. quæ incipit *Noverit Univerſitas in Bullar. tom.* 1. ubi ſic legitur: *Hæretici autem, & receptores, defenſores, fautores eorum ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſive officium admittantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, decernimus irritum, & inane. Nos enim prædictos ex nunc privamus beneficiis acquiſitis, volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia ſimilia nequaquam in poſterum admittantur.* Quid luculentius? Porro hæc Conſtitutio, ſicut & aliæ contra hæreticam pravitatem à Romanis Pontificibus editæ, quæ decretalibus libri ſexti non obviant, præſervantur *in cap. ult. in fin de haret. in* 6. ut notat Gloſſa *in proemio ſexti Decretal. v. reſervantes.*

Hanc ſententiam ſemel, atque iterum non obſcure probavit S. Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum. Aliquando enim cenſuit, Epiſcopo exiſtente notorie hæretico, facultatem concedendi dimiſſorias ſpectare ad Capitulum Cathedralis Eccleſiæ. Non enim S. Congregatio mota fuit ex eo, quod Sedes Epiſcopalis propter hæreſim Prælati vacet interpretative, ſecundum ea, quæ adnotavit Oſt. *in ſum. tit ne ſede vac. §. quot modis dicat. Sedes vacare num.* 2. ex illo Pavin. *de off. & poteſt. Capit. ſed. vac. præl.* 7. *& ult. num.* 13. Siquidem propter vacationem interpretativam juriſdictio ad Capitulum non devolvitur, *cap.* 1. ibique Gloſ. *v. ipſius*, & ante eam Oſt. *ibid. num.* 8. *de off. Vic. lib.* 6. ſed mota fuit, quia propter hæreſim notoriam Prælati, ſedes Epiſcopalis vacat vere, & ideo juriſdictio, & conſequenter facultas concedendi dimiſſorias tranſit in Capitulum, ſede vacante, *ut capit. his, quæ, & capit. cum olim de maj. &* *obed.*

Et aliàs cenſuit matrimonium celebratum coram parocho publico hæretico eſſe invalidum, ſi in parochia decretum *cap.* 1. *ſeſſ.* 24. *de reform. matr.* publicatum fuerat ante triginita dies poſt matrimonium contractum. Hæc enim declaratio non fundatur in eo, quod parochus hæreticus ſit excommunicatus, ut *in d. cap. ad abolendam, & in cap.* 1. *&* 2. *de haret.* Quandoquidem validom eſt matrimonium contractum coram parocho excommunicato, etiam denunciato, ut eadem S. Congregatio reſpondit, re diligenter examinata. Quia excommunicatus retinet beneficia prius obtenta, licet non poſſit acquirere de novo, *cap. cum bona memoria de ætat. & qual. cap. poſtulaſtis de Cler. excom. miniſt* ſed fundamentum prædictæ declarationis fuit, quia parochus publicus hæreticus deſinit eſſe parochus, cùm ſit ipſo jure privatus beneficio parochiali, meritò invalidum eſt matrimonium coram eo celebratum ob non ſervatam formam à Concilio præſcriptam in dicto *cap.* 1.

Cæterum adverte, quod, etſi hæreticus à die perpetrati delicti ſit ipſo jore privatus beneficiis antea obtentis, ideoque beneficia hujuſmodi, tanquam vacantia, impetrari poſſint etiam ante ſententiam declaratoriam, ut notat Prob. ad Monach. *in dec. capit. alma mater num,* 8. *de ſent. excom. in* 6. ac Rebuf. *in pr. benef. loc. cit. num.* 5. non tamen poteſt à poſſeſſione amoveri, niſi prius ſententia declaratoria contra ipſum promulgetur ſuper facto, id eſt cum incidiſſet in crimen hæreſis, ut aperte probatur *in cap. cum ſecundum leges de haret. in* 6. ubi poſtquam textus dixit, bona hæretici eſſe confiſcata ipſo jure, immediate ſubjungit: *Confiſcationis tamen executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes, vel alios dominos temporales, antequam per Epiſcopum, vel aliam Eccleſiaſticam perſonam, quæ ſuper hoc habet poteſtatem, ſententia ſuper eo crimine fuerit promulgata.* Et in hunc ſenſum accipi poſſunt Doctores, qui ſcripſerunt, crimen hæreſis non privare beneficiatum ſuo beneficio ante ſententiam ſecundum Menoch. *loc. cit. num.* 64. inter quos allegatur Innoc. *in capit. cum noſtris de conces. præb.* Compoſtel. *in cap. conſideravimus de elect.* & Anchar. *Conſ.* 293. *numer.* 4. quos ſequutus eſt Alciat. *in cap.* 1. *num.* 37. *de judic.* Alia vide *in conſult. de pœna privationis benefic. & offic.*

Quinta pœna eſt, ut ſint inteſtabiles *L. Manichæos & auth. Credentes C. de haret. cap. excommunicamus* 1. *§. Credentes eod. tit. in* 6. & citatæ conſtitutiones Innocentii IV. Clementis IV. Nicolai III. *& in d. Conſtit. Catharos d. §. credentes*

Sexta pœna eſt, ut non ſint capaces bonorum ſibi ex aliorum donatione, vel teſtamento, hæreditate, legato, aut fideicommiſſo obvenientium à die, quo in crimen hæreſis incurrerint, nihilque poſſe ab eo die ſibi acquirere *l. divinam C. de haret. d. l. Manichæos, & l. Arianos, & d. l. quæ Samaritis, & auth. credentes de haret. d. cap. excommunicamus* 1. *eod. tit. in* 6. & ſupracitatæ Conſtit. Innocentii IV. Clementis IV. Nicolai III. & Conſtit. Friderici

Alii diſtingunt. Aut hæreditas, ſive quæcumque alia donatio ſit per ignorantiam hæretico relicta, cum is, qui reliquit hæreſim penitus neſciverit, aut ſcienter. Si per ignorantiam ad fiſcum non pertinet, ſed hæredi legitimo tanquam debita defertur. Si ſcienter, Fiſcus ob pœnam ejus, qui donavit, aut reliquit, ſibi vindicat. Idem juris eſt de legatis & fideicommiſſis, Simanch. *de cath. Inſtit. tit.* 46. *num.* 56. ex Baldo, Ancharano, Imola, Anania, Felino, Bruno, quos ille refert, ac ſequitur. Eſt tamen uſu introductum, ne Juſpatronatus transferatur ad fiſcum, ſed ut Eccleſia ſui juris libertatem acquirat, ſicut liberantur cæteri, qui aliquo juris vinculo hæreticis erant obſtricti Simanch. *d. tit.* 9. *numer.* 96. Lambert. *lib.* 3. *de jurep. q.* 8. *num.* 8.

Septima pœna eſt, quod non admittantur ad teſtimonium ferendum, ex citata Conſtitutione Innocentii IV. & Nicolai III.

Octava pœna eſt, quod ſint privati omni actu legitimo, *ex prædicto cap. excommunicamus* 1. *eod. §.* & ex conſtit. Leonis X. *Exurge, Domine, ſub anno* 1520.

Nona pœna eſt quod eorum bona omnia, jura, & actiones, ipſo jure confiſcantur, ut dicetur in peculiari Conſultatione.

Decima pœna eſt, quod privantur jure patriæ poteſtatis in ſuos filios, & ſic filii ipſo jure ſunt emancipati, & ſui juris effecti *cap.* 2. *§. fin. de haret. in* 6. Uxor, aut vir liberatur à ſubjectione debiti matrimonialis, & ſi judicio Eccleſiæ talis fuerit ſeparatus, tunc etiam marito, vel uxore ad fidem catholicam reverſo, non tenebitur reddere debitum conjux innocens, ſi Religionem ingredi malit *cap. ult. de*

converſ. conjug. Sanchez d. lib. 2. cap. 24. nu. 6. Layman lib. 4. tr. de fid. cap. 16. numer. 4. §. 6. Similiter ſervi liberi fiunt, & ſubditi ſolvuntur juramento fidelitatis, & jure ſubjectionis, Sanchez d. cap. 24 num. 13.

Limita, quod præfatæ pœnæ temporales non procedunt contra hæreticos ragionum palam infectarum, ut per Navar conſ. 12. num. 10. & 12. de hæret. Hanriq. lib. 14. cap. 5. num. 4. Layman. d. cap. 16. §. ſexta eſt, & de irregul. cap. 4. in fine.

Undecima pœna eſt, quod privantur immunitata Eccleſiaſtica loci ſacri ex Conſtitutione Gregorii XIV.

Duodecima pœna eſt, quod ſemper remanet inhabilis ad confeſſiones, ſecularium audiendas Sacerdos, qui ſemel publice, val ſecreto abjuravit da hæreſi formali, etiam ſi ei fiat ganeralis abolitio, ſive gratia ex decreto Pauli IV. relato á Majolo lib. 5. de irregul. cap. 46. num. 3. & 6.

Tertia decima pœna aſt, quod ſiquis fuerit deprehenſus ſemel in ſchiſmate, vel hæreſi, vel confeſſus, vel convictua da iis, talis io Pontificem Romanum nunquam aligi poteſt, aliàs electio eſſet nulla, neque tractu temporis, aut longa poſſeſſiona revalidabitur, & quilibet quandocunque apparuerit hoc crimen, ab ajus obedientia diſcedere poteſt, nulla ſuper hin declaratoria axpectata ex conſtit. Pauli IV. Cum ex Apoſtolatus. Eſtqua una excaptio, quæ poteſt opponi contra alectionem Papæ, licet regulariter nullo obiici poſſit. Qua de re vide Azorium lib. 4. cap. 5. q. 7. p. 2.

Decimaquarta pœna eſt quod ſi ſint impœnitentes et negativi traduntur Curiæ ſaculari, & vivi comburuntur, ut ex cap. cum ſecundum de hæret. in 6. & d. l. Ariani C. eod. & notant Cantara in quaſt. cr. de hæres. cap. 2. num. 49. Farin. de hæres. q. 189. num. 3. Souſa lib. 3. aph. cap. 6. num. 1. Caſtropal. tom. 1. tr. 4. diſp. 6. num. 2. & Carena p. 3. tit. 13. §. 1. num. 7. qui probant etiam hanc pœnam ignis originem duxiſſa ex veteri, ac novo Taſtamento. Quia criman hæreſis cùm ſit graviſſimoin, graviſſima pœna ignis & mortis poniri debere Sacroſanctæ leges ſtatuerunt. Combuſtio enim inter pœnas mortis primum locum tenet. Unde Præſes Abavo ait in theor. cr. §. hær. n. 21. Si pœna aliqua eſſat combuſtione atrocior, utiqua ea eſſet hæreticis imponenda l. quicunq; §. eos C. eod. ubi tamen loquitur de docantiboa hæreſim, l. ubicumque & l. Manichai C. eod. ubi in ſpecie de Manich. Conſtit. Friderici Imper incip. Inconſutilem apud Pegnam poſt Directorinm. Et ſic iſti da jore canonico traduntur Curiæ ſæculari cap. ad abolendam §. præterea & §. laicus, cap. excommunicamus 1. §. damnati, cap. excommunicamus 2. eod. tit. in 6. Innocentius IV. & Nicolaus III. in conſtit. Noverit. Univerſitas. Quamvis Eccleſia tradens hæreticum impœnitentem brachio ſeculari intercedat pro eo, ne morti tradatur can. reus 23. quaſt. 5. cap. novimus §. 1. de verb. ſignif. Et per hoc excuſatur Judex Eccleſiaſticus ab irregularitate, de qua alibi.

Si verò hæreticus ſit clericus degradatur, ut fuſe alibi diximus, & patet ex Conſtit. Noverit Univerſitas Innocontii IV. & Clamentis IV. & Conſtit. Inter cunctas Martini V. Si verò ſint pœnitentes ſed relapſi, prius ſtrangulantur, & poſtea mortui concremantur, ut ex cap. ad abolendam. §. illos quoque de hæret. in 6. Nam iſti recipiuntur ad pœnitentiam, non ad miſericordiam, id aſt recipiuntur ad gremium & unitatem Ecclaſiæ, & ad participationein Sacramentorum, ſed non ad condemnationem pœnæ temporalis, ac mortis.

Decimaquinta pœna, qua puniri ſolent hæretici, maleficii, divinatores, & ſortilegi, quando nonſunt tradendi Curiæ, ſeculari, ultimo ſupplicio puniendi, eſt vel pœna triremium perpetua, vel ad tempus, ut probant Campeg. in addit. ad Zanchin. de hæret. cap. 20. litt. G. v. pœnas, Royas ſing. 1. num. 25. & in tr. de hæret. p. 2. nu. 2. 9. Cantara loc. cit. cap. 1. n. 57. Carena d. tit. 13. §. 3. n. 45. Vel pœna carceris ſimiliter perpetua, aut ad tempus, ut colligitur ex Conciliis Tholoſano c. 10. §. hæretici autem, Narbonenſi c. 6. & Biterrenſi ut late notant Farinac da hæres. q. 193. num. 102. & ſeq. Carena p. 2. tit. 1. §. 32. num. 174. & 175. aliiqua communiter. Vel pœna relegationis, aut exilii, ut teſtantur Clarus in pr. §. fin. q. 71. Souſa in aph. lib. 3. cap. 26. num. 5. Farinac. ibid. num. 80. Carena p. 3. tit. 13. §. 5. & 6. Val pœna fuſtigationis, & verberationia, ut tradunt Clar. loc. cit. q. 70. Decian. tr. cr. lib. 5. cap. 42. num. 10. Farinac. num. 60. Carena. §. 4. num. 56. Vel pœna pecuniaria, ut aiunt Gloſſa in clem. 2. v. illicitis de hæret. ibique Zabarel. in §. Inquiſitoribus num. 20. Eymer. p. 3. q. 103. ubi Scholiaſtes com. 152. Decian. loc. cit. cap. 44. num. 7. Farinac. ibid. num. 180. & ſeq. Vel pœna habitus pœnitentiæ, quæ eſt veſtis ſignata crucibus, de qua Eymeric. in ſexto modo termin. proc. num. 175. ibique Pagna com. 42. Cantera de hæret. cap. 1. num. 56. Farinac. eo loco num. 91. Caſtropal. d. tr. 4. diſp. 6. pun. 3 Vel pœna, quod die feſto maneant præ foribus Eccleſiæ ganibus flaxis cum candela accenſa in manu, dum miſſarum ſolannia celebrantur, pallium, & calceamenta non habentes, & corrigia in collum ligata juxta cap. Statuimus 2. de male. & notant Cantera ibid. cap. 3. num. 4. Carena ubi ſupra §. 10. nu. 87. Campag. ad Zanchin. cap. 20. Farin. q. 193. num. 84. Vel pœna privationis officii, dignitatis, & honoris, ut ax relaris Conſtitutionibus Alexandri IV. Honorii IV. & Martini V. Et ſi fuarint Clerici pœna privationis beneficiorum, & ſuſpenſionis Ordinum, ut ſupra ex dictis conſtitutionibus

Si vero fuerint Regulares, pœna privationis vocis activæ, ac muneris concionandi, & audiendi confaſſiones, & quod in choro, & Rafectorio, aliiſque locis ultimam ſedem habeant, & quod ſuorum criminum ſententia præſentibus omnibus Religioſis pluries legatur, ut illis ſit exemplo, & delinquentibus confuſioni. Vel pœnitentiis ſalutaribus, nempe jajuniis, orationibus, eleemoſinis, & Sacramentorum frequantia.

Deniqua hæreticus moriens privàtur Eccleſiaſtica ſepultura cap. 1. de hæret. ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi, ne hæretici inter Chriſtianos accipiant ſapulturam, & in cap. 2. de hæret. in. 6. qui ſupradictos ſcianter præſumpſarit Ecclaſiaſticæ tradera ſapulturæ uſque ad ſatiſfactionem idoneam axcommunicationis ſententiæ ſa noverit ſubjacere, nec abſolutionis beneficium mereatur, niſi propriis manibus publica extumnlet, & proiiciat corpora damnatorum, & locus illa perpetuò careat ſepultura. Adde, quod Eccleſia, ſiva cœmaterium per ſepulturam talium remanent polluta. Siquidem Eccleſia polluitur homicidio, vel injurioſa ſanguinis, vel libidinoſa ſeminis affuſiona, vel ſepultura excommunicati vitandi, vel infidelis, ſcilicet non baptizati, vel ob conſecrationam ajuſdem Eccleſiæ ab Epiſcopo excommunicato vitando factam, cap. propoſuiſti de conſecr. Eccles. & cap. un. eod. tit. in 6. & Canoniſtæ utrobiqua.

An antem d. cap. 1. de hæret. procedat in hæreticis, vel eos credentibus, eorumque raceptatoribus defenſoribus, vel faotoribus, etiam non denunciatis nominatim; Verius videtur ſufficere, ſi ſit ipſorum crimen notorium. Ita Avila de cenſur. p. 2. cap. 6. diſp. 10. dub. 1. concl. 3. Filioc. tr. 22. num. 229. Pagna in direct. lib. 3. ſchol. 111. Sanchez d. lib. 2. in de-

cal.

cal. cap. 9. num. 7. qoi aiunt, non incurri hanc cenſuram tanquam ob communicationem cum excommunicato, ſed ob violationem præcepti facti ſub pœna hujus cenſuræ. Quamvis multi in contrarium teneant, requiri, quod fuerint eorum prædicta crimina, vel excommunicatio nominatim declarata propter Extravag. Martini. V. & tenent Simanch. *de cath. inſtit. tit. 18. num. 9.* Navar. *conſ. 10. de hæret. quæſt. 4.* Suarez *de cenſur. diſp. 12. ſect. 4. numer. 11.* Laym. *lib. 8. cap. 13. q. 6. p. 1.*

Aliis etiam pœnis arbitrariis puniuntur, ut per Menoch. *de arb. caſ. 548. num. 1. & 2.* Decian. *d. lib. 5. cap. 52. num. 47.* & Farinac. *de hæres. q. 182. nu. 54.* De jure civili, ſi per annum in excommunicatione permanſerint, pœna exilii puniri debent, ut per Conſtit. Friderici primi Imper. quæ incipit *Paterorum* quam pœnam confirmatã fuiſſe per Innocentium IV. & Clementem IV. ait Decian. *d. lib. 5. cap. 51. nu. 64.*

Poſtquam autem Pontifex *in cap. ut officium* 2. *de hæret. in 6.* primùm mandavit Inquiſitoribus, ut procedant contra hæreticos, credentes, & alios hæreticorum fautores, & eos juxta ſanctiones canonicas puniant, ſecundo mandat, ut eoſdem, ſi pœniteant abſolvant, à vinculo ſcilicet excommunicationis, & ſanctæ Eccleſiæ reconcilient. Aliis etiam pœnis, quæ pœnitentibus competunt, puniri debent, non autem abſolvi, niſi cum nihil contra eos probatum fuerit. Quamvis autem regulariter rei S. Officii, etiamſi nihil contra eos probatum fuerit, non abſolvantur, tanquam innocentes, ſed ſolum ob non probatam hæreſim, aut ab inſtantia judicii, nihilominus ſi ex falſitate teſtium, aut aliàs conſtet, reum eſſe innocentem, ut innocens pronunciari debet, Pegna *p. 1. com. 37.* Farinac. *de hæres. q. 185. num. 172.* & Souſa *lib. 2. aph. cap. 37. num. 3.*

CONSULTATIO CLXVIII.

De Pœnis contra hæreticorum receptatores, defenſores, fautores, eiſque credentes.

Contra hujuſmodi fautores mandat Urbanus IV. *in cap. ut officium, de hæret. in 6.* ut Inquiſitores procedant, eoſque juxta ſanctiones canonicas puniant. His igitur captis, inſtruitur contra eos proceſſus, & in tortura interrogatur de cauſa favoris præſtiti, ac de complicibus, ut per Farinac. *de hæres. q. 182. num. 69.* & Caren. *p. 2. tit. 4. nu. 47* & pro qualitate eorum criminis, indicitur illis abjuratio, de qua alibi.

Ii omnes excommunicationem majorem incurrunt, latam *in cap. excommunicamus 1. §. credentes de hæret. & cap. noverit de ſent. excom.* nunc reſervatam in Bulla cœnæ *can. 1.* Et ad hanc cenſuram incurrendam non eſt neceſſe, quod principalis, id eſt hæreticus, ſit denunciatus nominatim, quia hæ actiones ſecundariæ per ſe primo puniuntur, Sanchez *in decal. l. 2. cap. 10. n. 6.* Suar. *de fide diſp. 24. ſect. 2. 2. 7.*

Id limitatur, ut procedat, ſi dictæ actiones fiant ob cauſam hæreſis formaliter, ſecus ſi ob conſanguinitatem, vel amicitiam, vel miſericordiam, Sanchez *ibid. num. 4.* cum communi, niſi talis favor, ſive communicatio redundaret in favorem hæreſis, Suar. *loc. cit. ſect. 1. num. 9.* Farinac. *q. 182. n. 132.*

Receptatores item, fautores, ac defenſores hæreticorum, ſi communicent cum illis, nominatim denunciatis, incurrunt excommunicationem aliam majorem, etiam in Bulla Cœnæ, ratione participii in crimine, ſi communicent cum eis in cauſa hæreſis, ſive ob hæreſim, *cap. nuper. de ſent. excom.* Item incurrunt ratione dictæ communicationis ultra excommunicationem majorem ſupradictam, etiam excommunicationem minorem *per can. excommunicamus, can. Apoſtoli, can. qui communicaverit 11. quæſt. 3.* Quia iſtæ duæ cauſæ, & excommunicationes ſunt ſeparatæ ab illa primo loco recenſita, & non ſunt ſublatæ, vel transfuſæ per *d. can. 1. Bullæ Cœnæ.* Ita Filiucc. *tr. 16. num. 39.*

Incurrunt etiam eo ipſo irregularitatem, *cap. 2. de hæret. in 6.* Sanch. *d. lib. 2. cap. 25. num. 7.* Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 1. nu. 5.* Nam in hoc æquiparantur hæreticis, Navar. *cap. 27. num. 205.* Ledeſma *p. 2. q. 26. ar. 2.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 19. pun 3.* Majol. *de irreg. cap. 46. nu. 4.* Farinac. *de hæres. q. 192. num. 74.*

Si per annum inſordeſcant in præfata excommunicatione, eo ipſo ſunt infames infamia juris *d. cap. excommunicamus §. credentes, & conſtit.* Friderici Imper. *extravag. 1. & auth. credentes de hæret.* Suar. *de fide d. diſp. 24. ſect. 1. num. 15.* Et habetur ex pluribus Conſtitutionibus Pontificum apud Pegnam, nimirum ex Conſtitutione ad extirpanda *§. quicunque* Innocentii IV. ſub anno 1252. ex conſtit. Clementis IV. ſub anno 1265. & ex conſtit. cum ex Apoſtolatus Pauli IV. ſub anno 1558. Multi tamen dicunt ad hanc pœnam requiri declaratoriam inſordeſcentiæ præfatæ, Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8.* Sanchez *d. lib. 2. cap. 26. num. 1. & ſeqq.* Farinac. *de hæres. quæſt. 189. num. 56.* & Caputaq. *dec. 90. p. 2. v. infamia.*

Cumque prædicti delinquentes ex prædicta inſordeſcentia infames effecti fuerint, fiunt inhabiles ad omnes actus legitimos, Gloſ. *in d. §. credentes.* Unde non admittuntur ad publica conſilia, neque ad vocem activam, aut paſſivam, neque ad teſtimonium, niſi cum tortura, & niſi in criminibus exceptis, neque ad agendum in judicio, neque ad poſtulandum, neque ad officium tabellionis, neque ad querelam inofficioſi teſtamenti, *cap. quicunque §. hæretici de hæret. in 6. & cap. ut commiſſi eod. tit. & lib. ac l. quæ de Samaritis C. eod.* Et ideo clerici fautores hæreticorum privantur beneficiis, & ſunt inhabiles ad nova beneficia obtinenda *cap. ſtatutum de hæret. in 6. & d. cap. ut commiſſi*, & ex ſæpe citatis Conſt. Innocentii IV. Nicolai IV. & Pauli IV. Non tamen cenſentur privati ipſo jure, Pegna *p. 3. com. 162.* Farinac. *quæſt. 189. num. 81.* & latius ſuo loco.

Neque prædicti credentes, fautores, defenſores, receptatores gaudent immunitate Eccleſiaſtica loci ſacri, ſed extrahi poſſunt juxta Conſtitutionem Gregorii XIV. ubi excipit à tali privilegio hæreſis reos. Inter hæreſis autem reos numerantur etiam dicti cooperantes, & omnes ſuſpecti vehementer de hæreſi, Farinac. *de immun. num. 175.* Bonac. *eod. tr. num. 21. & 4* Diana *p. 1. tr. 1. reſol. 58.*

Pœna verò publicationis omnium bonorum in receptatoribus, fautoribus, ac defenſoribus hæreticorum non habet locum, niſi ſimul ſint hæretici, & hæreſis ſit concludenter probata, non verò ſi ſolum ſint inventi ſuſpecti de hæreſi, Repert. Inquis. *v. accuſatio, & v. confiſcatio. & verb. credentes,* Decian. *lib. 5. cap. 51. num. 67.* Cantera *in quæſt. crim. rubr. de hæret. cap. 1. num. 55.* & Farinac. *q. 182. de hæres. num. 52.*

Contra ſcienter præſumentes receptare, vel defendere, vel favere perſonæ, vel credere, vel dogmatizare dogmata alicujus hæretici deprehenſi, vel confeſſi, vel convicti, ſi hæreticus iſte ſit Epiſcopus, vel Cardinalis, vel Legatus, aut Comes, vel Baro, vel Dux, vel Imperator, incurrunt excommunicationem latæ ſententiæ, & juris infamiam, & ſunt inteſtabiles, & ſi ſint Clerici, incurrunt eo ipſo privationem Eccleſiarum, beneficiorum, dignitatum, & Officiorum, & tam ipſi, quàm laici incurrunt pri-

vatio-

vationem dominiorum ſuorum, ac bonorum omnium, & bona iſta primo occupanti catholico conceduntur ex Conſtit. 19. Pauli IV. §. 5. quæ, licet non reperiatur ibi publicata, fuit tamen publicata ex Conſtitutione D. Pii V. 22. §. 3. in qua fuit confirmata, ut notat Cherubinus in *apoſtilla ad d. Conſt.* Pauli IV.

Puniuntur quoque aliis pœnis arbitrariis, Menoch. *de arb. caſ.* 548. *num.* 1. *&* 2. Decian. *lib.* 5. *cap.* 52. *num.* 47. & Farinac. *quæſt.* 182. *num.* 54. & ſi permanſerint per annum in excommunicatione puniuntur etiam ex jure civili pœna exilii per Conſt. Friderici primi, incip. *Paterorum*, confirmatam ab Innocentio IV. & Clemente IV. ut per Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 64.

CONSULTATIO CLXIX.

De Pœnis, in filiis, ac nepotibus hæreticorum, eiſque credentium, fautorum, receptatorum, aut defenſorum, & quid de hæreſi ſuſpectis? Ac de Prælatis Regularium in cauſis, ad S. Officium ſpectantibus.

Filii iſtorum ſunt infames infamia juris ſecundum multorum ſententiam. Quia idem in filiis reorum læſæ Majeſtatis humanæ *ex l. quiſquis C. ad leg. Iul. Majeſt.* Ergo à fortiori in filiis reorum læſæ Majeſtatis divinæ *ex cap. quicunque & cap. ſtatutum* 2. *de hæret. in* 6. repelluntur ab omnibus officiis publicis, ac redduntur inhabiles ad illa obtinenda *cap.* 2. §. *hæretici de hæret. in* 6. *cap. ut commiſſi* §. *prævandi, & d. cap. ſtatutum* 1. *de hæret. in* 6. ibique Doctores, & conſtit Innocentii IV. edita anno 1254. incip. *Noverit Univerſitas* apud Pegnam, & tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *numer.* 13. Alph. de Caſtro, Covarruvias, Molina, Graſſius, Locatus, & alii apud Sanchez. *d. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 4. *& cap.* 27. *num.* 1. Avil. *de cenſur. p.* 7. *diſp* 4. *dub.* 3. Et hanc infamiam neque Epiſcopus, neque Inquiſitor ſollere poteſt, ſed ſummus Pontifex tantum, ut probant Zanchin. *in tr. de relax. carcer. tit. de benef. & indulg.* Princip. ac Pegna *d. p.* 1. *com.* 4.

Contraria tamen opinio videtur probabilior: Quia nullibi in eos eſt ſtatuta hæc pœna, neque in pœnalibus arguendum eſt à majoritate rationis. Ac ita tenent. Menoch. *conſ.* 808. *num.* 44 Suarez *de cenſur.* 48. *ſect.* 3. *num.* 2. Sanchez *ibid. num.* 5. Sanctarel. *de hæres. cap.* 25. *num.* 12. *& cap.* 34. *num.* 8. Unde conſtat eos poſſe teſtimonium ferre in judicio, ut per Sanchez ibid. *cap.* 27.

Prædictorum filii uſque ad ſecundam generationem per lineam paternam, & uſque ad primam per lineam maternam ſunt irregulares, ut promoveri non poſſint ad ordines, dummodo parentes ipſi defuncti fuerint impœnitentes, *cap. quicunque* §. *hæretici de hæret. in* 6. *capit. ſtatutum* 2. *eod. tit. & lib.* Sanch. *dec. lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 7. Maiol. *lib.* 5. *cap.* 46. *numer.* 4. Suar. *de fid. diſp.* 24. *ſect.* 1. & hanc irregularitatem ex delicto vocat Tolet. *lib.* 1. *cap.* 69. §. *tertio in fine*, de quo fuſius *in Conſult. de irregularitate.*

Limitatur, ut poſſint miniſtrare in ſuſceptis ante paternam hæreſim, Sanch. *cap.* 28. *num.* 10. & latius *in conſult. de irregularit.* Immo quod geniti ante hæreſim nullo modo ſint irregulares, ait Sanch. *cap.* 27. *numer.* 13. *&* 14. *&* Layman. *de irreg. cap.* 4. *num.* 11. at de hoc *infra.*

Limitatur etiam, ut non procedat de filiis iſtorum in regionibus, in quibus palam, & impune hæreſes graſſantur, Henriq. *lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 4. Sanch. *lib.* 2. *d. cap.* 27. *& cap.* 28. *nu.* 28, Em. Sa. *v. hæreſis* *num.* 4. Filiucc. *tract.* 27. *num.* 228. & Laym. *d. cap.* 4. §. *notat. vero.* Nam ad incurrendum dictam irregularitatem requiritur parentum infamia, ex hæreſi contracta. In his autem regionibus parentes decedentes hæretici non reputantur infames ob hæreſim. Atque adeo neque eorum filii catholici irregularitatem incurrunt.

Item limitatur, ut ſolum procedat, ſi delictum paternum ſit notorium jure, vel facto, Sanch. *d. cap.* 27. *num.* 28. cum pluribus aliis.

Privantur quoque paterna hæreditate ipſo jure, quia ipſo jure bona ſunt devoluta fiſco, etiam quoad legitimam, *cap. vergentis de hæret. cap. cum ſecundum eod. tit. in* 6. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 25. *& ſeq.* Id tamen multas habet limitationes, quas vide apud Sanchez *d. cap.* 16. Farinac. *quæſt.* 190. §. 5. *de hæres.* & alios.

Emancipatio filiorum, quorum parentes deteguntur eſſe hæretici ante emancipationem, eſt nulla, quia ſtatim ac pater eſt hæreticus, filii ſunt ſui juris, nec indigent emancipatione, *cap. quicunque* §. *illorum de hæret. in* 6. Itaque hæretici patris filii liberantur à patria poteſtate & ſui juris fiunt, Gloſ. *in d. cap quicunque v. deſierit.*, Direct. *p.* 3. *quæſt.* 116. ibique Pegna *ſchol.* 158. *& p.* 4. *quæſt.* 116. Repert. Inquis. *v. pœna*, ubi Mandos. *in addit. l.* 7. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46. Rub. *de pœn. num.* 74. Royas *ſingul.* 152. Molina *de juſt. tom* 1. *diſp.* 9. *&* 229. Azor. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 22. *quæſt.* 6. Leſſ. *de juſt. lib.* 2 *cap.* 3. *dub.* 5. *num.* 23. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 24. *num.* 5. *&* 6. Farinac. *quæſt.* 197. *num.* 29. Sayr. *in clav. reg. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 3. *& lib.* 9. *cap.* 7. *n.* 7. Sanctarel *de hæret. cap.* 37. *num.* 9. *&* Salell. *lib.* 6. *cap.* 4. *reg.* 465. *num.* 339.

Addunt verò Farinacius, & Sanchez *loc. cit.* quod, ut filii ex paterna hæreſi liberentur à patria poteſtate non requiritur ſententia declaratoria. Quod etiam voluit Gloſ. *d. v. deſierit*, ac Pegna *p.* 3. *d. q.* 116. *ſchol.* 158. Molina *loc. cit. diſp.* 229. Azor. *par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 22 *quæſt.* 6. ac Delbene *diſp.* 150. *num.* 5. Sed non dubito, quin pater ſtatim ac labitur in hæreſim, amittat jus patriæ poteſtatis ita, quod ubi declaratus fuerit hæreticus, retrotrahatur privatio patriæ poteſtatis ad tempus delicti, ſicut in confiſcatione bonorum, & aliis pœnis ipſo jure latis, exceptis cenſuris, quæ ſtatim incurruntur. Quia tamen *textus in d. cap. quicunque* requirit, quod appareat hæreſis, ibi apparuerit ante ipſam à via veritatis &c. ideo niſi de illa conſtet in judicio, non video, quomodo pater poſſeſſione patriæ poteſtatis privari poſſit.

Hanc autem exemptionem à patria poteſtate eſſe gravem pœnam, & inter alia privare patrem facultate ſubſtituendi pupillariter filio impuberi, advertit Pegna *loc. cit.* ubi etiam contra Eymericum *in direct.* admonet, quod hæc pœna non ſe extendit, niſi ad hæreticos, non verò ad defenſores, fautores, &c. ſi non ſint hæretici. Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 5. Farinac *ubi ſupra* & Delben. *d. q.* 150. *nu.* 11. ſubditque Salelles, quod filius liberatur à patria poteſtate, ſi fiat hæreticus, *arg. textus in* §. *cum autem* 15. *inſtit. quib. mod.* Sed pœnæ non extenduntur, niſi ſit in jure expreſſum. Non eſt autem in jure expreſſum, quod pater privetur patria poteſtate ex hæreſi filii, & quod filius exemptionem à paterna poteſtate acquirat ex eo, quod ipſe graviter delinquat, fiatque hæreticus.

Quatenus autem ſententia contra contumacem ut hæreticum, præjudicet filiis alibi dictum eſt.

In cap. ſtatutum 2. *de hæret. in* 6. Bonifacius VIII. jus antiquum ab Innocentio III. & Alexandro IV. quo decernebatur, ne hæretici, credentes rece-

pte-

ptatores, defenſores, & fautores eorum, ipſorumque filii uſque ad ſecundam generationem ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum, ſive publicum officium admittantur, quod ſi ſecus factum fuerit, ſit irritum, & inane, reduxit ad hæc duo.

Unum eſt, quod præfata prohibitio comprehendat primum, & ſecundum gradum per lineam paternam, & per lineam maternam non ſe extendat, niſi ad primum gradum, ut per Gloſſ. ibi *in fig. cas.* Jo. Andr. *in princ.* Gemin. *num.* 2. Franch. *in ſum. & num.* 1. Calder. *de hæret. nu.* 4. Guadiſalv. *quæſt.* 23. *num.* 1. Zanchin. *de hæret. cap.* 28. *n.* 10. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *num.* 15. Decian. *lib.* 5. *cap.* 20 *v.* 4. *& cap.* 45. *num.* 4. Pegna *p.* 3. *com.* 194. Sylveſt. *v. hæreticus* 1. *num.* 14. Angel. *eod. v. num.* 7. Roſell. *eod. etiam v. num.* 28. Armil. *eod. item v. n.* 7. Tabiena *eod. pariter. v. n.* 6. Locatus *v. filii*, Suarez *de cenſur. diſp.* 43. *num.* 3. Azor. *p.* 2. *lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 2. 3. *&* 4. Farinac. *quæſt.* 191 *num.* 51. aliique communiter.

Alterum quod ſtatutum illud non habeat locum in filiis hæreticorum, credentium, fautorum, receptatorum &c ſi hæretici, credentes, fautores &c. reverſi ſint ad fidem, & emendati ſint, & Eccleſiæ reconciliati, ac pœnitentiam receperunt & illius perfectioni inſiſtunt, vel parati ſunt illam recipere, Gloſ. *in d. cap. ſtatutum v. reincorporatos, & v. parati*, Gemin *num.* 2. Franch. *num.* 2. Calder. *in rubr. de hæret. num.* 241. Zanchin. *cap.* 28. *num.* 3 Pegna *p.* 3. *com.* 162. Sanch. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 26. & Farin. *d. quæſt.* 191. *num.* 64. At quid de filiis, ac nepotibus relapſorum, qui ſine miſericordia traduntur Curiæ ſeculari, ſed dolent, ac reſipiſcunt, & catholici uſque ab obitum perſeverant, afficianturne prædictis pœnis? Hanc quæſtionem movet *in direct. Inquiſit. p.* 3. *quæſt.* 115. Pegna *com.* 164. & refert duas ſententias, unam, quæ nagat, quam ſequitur Gemin. & alii, quos ille citat. Alteram, quæ affirmat, quam tenet. Jo. And. Franch. Simanch. & alii, quos ibidem refert, ac ſequitur, & hæc videtur probabilior. Quia relapſi, quamvis per pœnitentiam reſipiſcant, non habentur pro reconciliatis, eo quod Curiæ ſeculari traduntur.

An autem hujusmodi, quam diximus pœna, afficiantur filii hæreticorum, vel aliorum, quos commemoravimus, qui tales ſunt occulte, vel tales occultè deceſſerunt; Minime, quia *in eo cap. ſtatutum* apertè dicitur. *qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur.* Ad eam vero pœnam contrahendam ſufficit, ſi ſint filii eorum, quos tales eſſe conſtituit, ſive per evidentiam facti, ſive per ſententiam Judicis, ſive per propriam confeſſionem in Judicio. Item ſatis eſſe, ſi eos tales eſſe manifeſtum ſit in iis locis, in quibus eos vivere, aut vixiſſe, conſtat.

Suſpecti verò vehementer de hæreſi non gaudent immunitate Eccleſiaſtica loci ſacri, ut jam diximus, nullam tamen incurrunt cenſuram regulariter loquendo, ob ſolam ſuſpicionem vehementem, neque cogendi ſunt petere abſolutionem ab excommunicatione ob hæreſim, ſi verè non habuerunt talem errorem. Suſpecti autem violenter cenſentur in foro externo indigere excommunicationis abſolutione, Pegn. *in direct. fol.* 486. Locat. *v. ſuſpicio* Portel. *reſponſ. p.* 1. *cap.* 28. *num.* 6.

Incurrunt autem pœnas aliquas ſuſpecti de hæreſi, ſi fuerint pœnitentiati, vel ſi abjurare coacti fuerint. Unde irregulares ſunt pœnitentiati à S. Officio ob hæreſim formalem confeſſam in judicio, vel extra. Quia ſemel hæreticus, etiam poſt reconciliationem remanet irregularis, ut etiam dictum eſt. Secus autem eſt in pœnitentiatis ob ſuſpicionem, etiam vehementem de hæreſi; quia poſt purgationem, etſi fuerint publice pœnitentiati, non remanent irregulares; nam per purgationem tollitur hæreſis præſumptio, ſive ſuſpicio, ac præſumpta ſua infamia ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 55. *num.* 3. Zanchin. *de hæret. cap.* 20. *num.* 6. ac Genuens. *in pr. cap.* 45. *num.* 5. cum allegatis.

Inhabilis remanet perpetuo ad confeſſionis ſecularium audiendas quicunque ſemel abjuravit ob hæreſim formalem, non ob ſolam ſuſpicionem, etiam vehementem ex decreto Pauli IV. referente Majolo *lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 6. ac Genuen. *d. cap.* 45. *nu.* 2. *&* 3.

De inhabilitate Regularium ad omnia officia & gradus ſuæ Religionis, quibus pro delictis ad S. Officium pertinentibus pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit, exceptis pœnitentiis ſalutaribus à nobis dictum pariter eſt.

Ex conſtitutione Pauli V. quæ incipit *Romanus Pontifex* edita anno 1606 primò revocatæ ſunt omnes facultates Prælatis Regularium conceſſæ cognoſcendi cauſas ad S. Officium pertinentes, & mandatum, ut Religioſi hæretici, vel ſuſpecti de hæreſi denuncientur Inquiſitoribus, vel locorum ordinariis vicinioribus, & præceptum eſt ſuperioribus regularibus illorum, ne tales denunciationes retardent; immo ipſi eos denuncient, quos hæreticos, vel ſuſpectos noverint abſque alia conſultatione, Inquiſitoribus, vel vicinioribus locorum ordinariis, ut ſupra.

Quod ſi ſuperiores præfati Regularium, tam Generales, quàm alii huic conſtitutioni non paruerint incurrant pœnas ipſo facto privationis dignitatum, & officiorum ſuorum ordinum, & vocis activæ & paſſivæ, & inhabilitatem perpetuam ad hujusmodi & omnes cenſuras, & pœnas, latas contra fautores hæreticorum, & impedientes S. Officium, & in ſpecie incurrant excommunicationem in dicta conſtitutione latam, Pontifici ſummo reſervatam, & adduntur ibi clauſulæ derogatoriæ pleniſſimæ

CONSULTATIO CLXX.

An Pœna vivicomburii, Vox eſt Tertulliani in l. 1. de anima cap. 1. & 33. ſit hæreticis impœnitentibus infligenda, & pœna mortis, & combuſtionis cadaveris hæretici relapſi, vel negativi, ſed pœnitentis; ubi de aliis hujusmodi, nempe de pœna ignis, capitis, & aliorum membrorum, oculorum erutionis, ſuſpenſionis, & crucifixionis lapidationis, ſubmerſionis, Beſtiarum, Ferarumque laniatus, excoriationis, Sectionis per ſerram, aliorumve mortis ſuppliciorum. Ubi etiam reſpondetur iis omnibus, quæ contrà ab hæreticis afferuntur, ac præcipuè quæritur, ſintne ex jure Cæſareo hæretici ultimo ſupplicio afficiendi? Et quid ex jure Canonico? ac quinam ij ſint, qui igne, vel ultimo ſupplicio affici debeant?

Ait Eccleſiaſticus *cap.* 36. Ignem, grandinem, famem, & mortem ad vindictam creata eſſe. Sed & invenimus aliam, ſed graviorem pœnam divinam, mortem ſcilicet pro peccatis hominibus impoſitam, eamque triplicem, hanc ſcilicet naturalem, qua omnes tandem aliquando plectimur. Item eam, qua adhuc acceleratur naturalis, dicta violenta, & tertiam omnium majorem, æternam. De illis Alii, Nos de morte violenta pauca dicemus, Hæc non ex cor-

ruptione

Digitized by Google

ruptione corporis, ſed extrinſecùs in pœnam maleficiorum imponitur à Deo in lege Moſaica, atque Nemo, qui eam legerit, dubitat, ſæpè ob graviora facinora, quibus vix caſtigatio proficit vel in deteſtationem criminia, vel ad exemplum impoſitam mortem Eod. 21.19.21. Levit. 20. Num. 15. 4. Reg. 8. Et in lege Evangelica invenimus mendacium vindicatum morte, Dei judicio Act. 5. ſicut & in Apocal. 13. Occidentibua mortia ſupplicium imponitur.

Receptum jure Pontificio pœnas illas legales mortia hodie intelligi de excommunicatione *cap. per venerabilem*, ibique Panor. *qui ſi ii ſint legit.* Et jure eodem, atque divino concluditur à morte culpæ, ad mortem gehennæ, ſivè ad æternam parveniri *can. ſin. de pœnit. dec.* 7. Et ita explicant illud, quod ſcribit Zacharias *cap.* 11. *Quod moritur*, ſcilicet morte culpæ,, *moriatur*, ſcilicet morte Gehennæ, *& quod ſuccidetur, ſuccidatur.* Ac ſi dictum eſſet, qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, *can. quantumlibet dec.* 47. Apocal. 22. Et proindè hodie in foro Eccleſiaſtico nulla mortis corporalis pœna inflicta eſt, hoc eſt, quod dicimus, Eccleſiam ſanguinis judicium non proferre, neque Clericia in ſacria ordinibus exiſtentibua, vel prælatis licere hujuſmodi ſententias dictare, ſcribere, proferre, ſuadere, alioquin deponuntur ut irregulares *cap. Clericus*, & *cap. ſententiam ne Cleric. vel. Monach. cap. ex litteris de exceſſ. Præl. cap. in Archiepiſcopatu de rapt. & can. illud* 23. *q.* 4. Per alios tamen viros laicoa Prælati, qui juri dictionem habent temporalem, poſſunt, quæ ſanguinia notionem habent, decidere, Gloſſ. *in d. cap. Clericus v judicent*, quæ ipſi per ſe nequeunt. Sic enim imitantur Domini noſtri Jeſu Chriſti benignitatem, quivenit vocare peccatores ad pœnitentiam Matth. cap. 9. *Nec deſiderat mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat.* Ezechiel. 3. Et admonuit hac de re Diſcipuloa Jacobum & Joannem, cum eum quidam non reciperent, & dixiſſent = *Domine, vis dicamus, ut ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos?* increpavitque illos, dicens = *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere ſed ſalvare* Luc 10. *v.* 54. & Joan 3. *verſ.* 17. *cap.* 12 *vers.* 47. Facto etiam comprobavit, dum adulteram, ſecundùm legem antiquam lapidandam, noluit condemnare, ſed abſolvit, dicena = *vade, & noli amplius peccare* Ioan. *cap.* 8. & D. Paulus dixit, *novi teſtamenti Mediatorem Jeſum Chriſtum per ſanguinis aſperſionem melius clamare, quam clamaverit ſanguis* Abelis ad Hebr. cap. 12. *cujus vox fratris homicidæ vindictam à Deo poſtulabat*, Genes. 4. Atque ideo Eccleſia, quæ incorrigibiles habet clericos, non occidit, ſed vel carcere perpetuo afficit *cap. quamvis de pœn. in* 6. vel de gradu dejectos Curiæ ſeculari relinquit puniendoa, erga quam etiam intercedit, ne morte plectantur, ſed alia leviori Pœna *cap. nominis de verb. ſignif. can.* 1. 23. *quæſt.* 5.

Cæterùm mors corporis quidem una eſt, tamen ad mortem pervenitur diverſis viis. Unde mortis ſupplicium varium eſt & in jure divino, ac politico, ſeu civili. Et idcircò de pœnis, quæ mortem afferunt, paulò latiùs dicendum. Callimachus itaque Juriſconſultus *in l. capitalium ff. de pœn.* gradua capitalium pœnarum conſtituens, refert vivi concremationem. Marcellua addit *l. reſpici udum. §. fin. eod. tit. beſtiis objici.*

Sunt mortis pœnæ pro graviſſimia criminibus impoſitæ aliquandò quibuſdam provinciis, & gentibus inviſæ, poſtea autem evehente malitia, & contemptu legum, opportuit ad eas ſe transferre. Satis tunc erat viſum vinculum validum legia ſimpliciter prohibentis pudor, qui tunc erat hominum hodiè nequaquam, ut ait Livus *lib.* 1. primi ab Urbe condita, quibua & id etiam aliquandò additum eſt, immo communi juris obſervatione receptum ad pœnam exacerbandam, & in exemplum aliorum, ne corpora, ſive cadavera punitorum ſepeliantur, niſi expreſſe petitum ſit à Principe, vel ab iis, qui ejus imperium excercent, qui petentibus tamen facilè concedunt, interdùm in pœnis exemplaribus negant, ut in crimine læſæ majeſtatis *l.* 1. 2. *&* 3. *ff. de cadav. punit. l. obnexios C. de relig & ſumpt. fun.* Exemplum quepatet in ſacra pagina de Joſepho, qui petiit, & obtinuit à Pilato, corpus Jeſu, ut ſpeliret, Joan. *cap.* 19.

Ad mortis tamen pœnam inferendam, quó ad fieri poteſt tardiores eſſe debent Judices, & niſi neceſſitas, vel atrocitaa coactos impellat cum lege, vix accedere debent, non ſecùa ac Nero ab initio, qui Buro præfecto exigendi ab eo, in quoa, & ex qua cauſa animadverti vellet, differebat, & dum illi chartam protuliſſet, traderetque invitus invito, exclamavit-*Vellem neſcire litteras*, Senec. *in princ. lib. de clem.* Veſpaſianus Imperator, neque cæde unquam lætatus, juſtis ſuppliciis illacrymans, etiam ingemuit, Sueton. *in Veſpas. cap.* 15. Quammobrem & jure civili non conceditur etiam Præſidibua permittere liberam mortis electionem. Ulpian. *l. aut damnum §. proinde ff. de pœn.* D. Ambroſius reconcilians Theodoſium Cæſarem Eccleſiæ, pœnitentiam eum agere coegit de Theſſalonicenſium præcipiti nece, atque eum ſanctionem edere de non ſtatim puniendis, quos ipſe juſſiſſet, niſi poſt triginta dies, quibus coſtodiæ traderentur, Niceph. Calliſt. *lib.* 12. *cap.* 40. Theodoret. *lib.* 9. *hiſt. trip. cap.* 30. Extat & hodie ejua conſtitutio *in l. ſi vindicari C. de pæn.* Nunc ad quæſtionem.

Pro negativa probari poterit primò ex imbecillitate *l. C. de ſum Trinit. & fi. cath.* inqua Imperatores Gratianua, Valentinianua, & Theodoſius lege lata ſic ſanxerunt = *Cunctos populos, quos Clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus verſari religione, quam dicunt Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio uſque adhuc ab ipſo inſinuata declarat, quamque, Pontificem Damaſum ſequi, claret. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti, reliquos dementes, & veſanos judicamus, & hæretici dogmatis infamiam volumus ſuſtinere, divina primùm vindicta, poſt etiam noſtra ultione plectendos.* In qua duo reperiuntur præcipua Primum, quicumque verſantur in tali religione, quam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romania, Religio uſque ad tempua iſtius legiſlationis ab ipſo inſinuata declarat, & quam Pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis, hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamque doctrinam Patria, & Filii, & Spiritus ſancti, unam Deitatem ſub pari majeſtate, & ſub pia Trinitate credant, Chriſtianorum nomen amplecti debent, ideſt nominari debent Chriſtiani Catholici.

Secundum eſt. Quicumque ab illa Religione in diverſum abeunt, ii dementes, veſanique judicati, ſuſtineant infamiam hæretici dogmatia, divina priùs vindicta, poſt etiam motua Imperatorum, quem ii ex cœleſti arbitrio ſumpſerint, ultione plectendi.

Ex hia conſtat, hæreticos illos, qui eam Religionem, quam D. Petrua Romanoa docuit, non ſequuntur in eo quod ſanctiſſimam Trinitatem impugnent, huc enim præcipuè tota ea lex ſpectat, & infames eſſe & plectendoa, tùm divina vindicta, tum ultione Imperatoria. Solum igitur lex iſta locum habet contra eos, qui Religionem illam non ſequuntur in eo quod ſanctiſſimam Trinitatem impugnent. Aiuntque Imperatores *in d. l.* 1. *Poſt etiam motus noſtri* (ſic enim habent manuſcripti & Codex Theodoſianus)

ſianus) *quam ex cæleſti arbiterio ſumpſerimus ultione plectendi.* Non igitur ex arbitrio Inquiſitorum, neque morte, aut vivicombutio. Plures enim ſunt modi ultionis, ut ex indefinito illo noo liceat certam ſpeciem concludere. Ultioni enim Imperatoriæ ſatisfacere poſſent mulctæ pecuniariæ, nota iofamiæ, proſcriptio, & bonorum publicatio, quæ & jure Juſtinianæo pro qualitate circumſtantiarum uſurpabantur.

Accedamua jam ad alterum teſtimooium, è quo aliqui demonſtrant, hæreticoa ultimo ſuplicio affi-ciendos eſſe, quod eſt *l. 3. §. decere C. de ſum. Trinitate & fid. cath.* quæ quidem in vetuſtioribua exemplis non extat, ſed edita eſt ab Antonio Contio Juriſconſulto, tùm abbreviata, tùm iotegra, atque inde in ſubſequentes editiones recepta eſt. Idem Contius utramque vertit in ſermooem Latinum. Partem quoque ejua edidit Leonclavius in paratitlis Grecorum *lib 2, tit. 1.* Ejus Procemium ex verſione Contiana ſic habet = *Decere arbitramur noſtrum Imperium ſubditos noſtros de religione commonefacere. Ita enim & pleniorem acquiri Dei, ac Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti benignitatem poſſibile eſſe exiſtimamus, ſi quando & pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, & noſtros ſubditos ad eam rem inſtituerimus.* Promium certe Chriſtianiſſimum, ac Principibus chriſtianis digniſſimum.

Hiſce tamen ſeqoitur: Quicumque debet populum de pietate, religione, & verò Dei cultu admonere, is etiam debet contraria amoliri, & impietatem prophanatum hæreſum profligare. Atqui Princepa pius debet populum de pietate, religione, ac verò Dei cultu admonere. Ergo Princeps piua, quique Dei gratiam ſibi conſervari cupit, debet etiam hæreſeon impietatem profligare, Hoc ipſum autem præcipuè debet efficere legum ſanctione, non remediia violentia, non immanitate pœnarum, non ſuppliciorum diriſſimorum crudelitate.

Non obſtat quod Principes gladii poteſtatem à Deo habent, ut malum extermioent. Nam gladii vocabulum aliqoandò propriè accipitur, ut cùm quis per ſententiam damnatur, ut gladio in ipſum animadvertatur: tunc enim gladio animadverti oportet, non ſecuri, vel telo, vel fuſte, vel laqueo, vel quo alio modo *l. aut damnum §. vita 1. ff. de pœn.* ubi & Gothofr. ad verbum *ſecuri* notat illud vulgo notum Antonini Caracallæ dictum in Papiniani percuſſorem: *Gladio exequi te opportuit juſſum meum.* Aliquando per metonymiam anguſtiorem ſignificat merum imperium, & omnem graviorem coërcitionem ſignificationis ſuæ ambitu complectitur, *ut l. 3. ff. de juriſd. l. ſolet. 6. in princip. ff. de offic. Procons. & legat. l. nemo poteſt gladii 70. ff. de div. reg. jur. aut.* quod & jus gladii dicitur. *l. illicitas 6. §. qui univerſas ff. de offic. Procons.* quod pluribus explicatur à Briſſonio *de verb. ſignif. lib. 7. in verbo* gladio, & *in d. l. nemo poteſt. gladii.* Aliquando per latiorem metonymiam & populariter quidem ſignificat quemcumque Magiſtratum, ot in illo Lampadii in Alexandro: *Honores juris gladii nunquam vendi paſſus eſt, dicens: neceſſe eſt, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim punire eum hominem, qui emit, & vendit.* Ipſa Alexandri verba oſtendunt in genere mercatutam poteſtatum damnatam, quam in urbanis etiam Magiſtratibua damnari à bono Principe oportet, in quo etiam ludebat Imperator Iulianus Apoſtata. Nam, ut Ruffinus *lib. 1. hiſtor. Eccle. cap. 1.* narrat, Procurationem provinciarum, juriſque dicendi Chriſtiania ſtatuit oon debere committi, ut pote quibos etiam lex propria gladio uti vetuiſſet. Quod utrumque notavit Briſſonius *eodem loco.*

Quomodò etiam D. Paulus ad Roman. 13. *v. 4. gladium geſtare dixit Magiſtratum.* Loquitur enim in genere de omni Magiſtratu, ſive de toto Magiſtratu, & loquitur de tota, ſive univerſa puniendi poteſtate, quæ non modo in mero imperio cooſiſtit, ſed mixtum quoque imperium contioet, qoo etiam Magiſtratus eo frequentiua utitur, quò crebriores ſunt cauſæ civiles, quam criminales. Sic eodem *cap. 13. v. 7.* Apoſtolus jubet Magiſtratui ſolvi tributum, vectigal, timorem, hooorem. Quod utique in genere ac univerſim Magiſtratui competit, utcunque alii magis, alii mious, alii plura, alii pauciora præſtanda ſint, & propterea dicit, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem cùm præmiſiſſet, reddite igitur omnibus, quod debetur. Cumque in toto *cap. 12.* ad Roman. Apoſtolus in genere egerit de omni virtute chriſtiana & *cap. 13. à v. 8. uſque ad finem* de, tota tabula ſecunda Decalogi, in quam qui peccant, ö male agunt, his autem omnibua, qui male aguot terrori ſunt Principes, & Magiſtratus *v. 3.* propter poteſtatem gladii, quem Magiſtratus geſtant, utique in genere quoque agit de officio, & poteſtate Magiſtratus, qui peccatis pœnas æquales impotuit.

Nec quicunque malum, ac hæreſim exterminat, ia exterminat eam violentis remediis, igni, rota, gladio, aliis, & violentia remediis religionem cogit. Legitur enim Apoſtolos & orthodoxos Eccleſiæ Doctores, hæreſes multas exterminaſſe, violentis remediia uſos non legitur. Docuerunt Religionem chriſtianam, prædicato de Domino, ac Redemprore noſtro Ieſu Chriſto Evangelio, neminem autem ſuppliciorum immanitate credere coegerunt. Et *in l. 2. C. de ſum. Trinit. & fid. cath.* legitur, hæreticum furorem ab urbium pœnibus exterminatum propelli, quo certe vitæ ademptio non ſignificatur, ſed urbium prohibitio, à quo noo multum abſcedit *l. nemo 4. C. eod.* Ut proinde perquam inepte à poteſtate gladii ad attociorem quamvis animadverſionem progrediatur abjectio.

In dicta *l. 3. C. de ſum. Trinit.* §. 2. ita legitur *Præterea ſancimus, ut quos affectant impiam Neſtorii opinionem, vel neſariam ejus doctrinan ſectantur, ſi Epiſcopi, aut Clerici ſunt, ab Eccleſia ejiciantur, ſi laici, anathematizentur ſecundum ea, quæ jam a divinitate noſtra ſunt conſtituta.* Ergo non oltimo ſupplicio puniendi. Et concedatur id, quod eſt tamen ex hac lege minime concedendum: Omnes Neſtoriani ſunt ultimo ſupplicio afficiendi. Ergo non alii hæretici, qui Neſtoriani non ſunt, quique nihil habent cum Neſtorianiſmo commune.

Sequitur *in d. §. 2. l. 3. Licentiam habituris orthodoxis quicunque voluerint ſecundum noſtram legiſlationem abſque metu, & damno ipſos propalare, & accuſare.* Hic verſiculus facit orthodoxis copiam Neſtorianos quaſi publico judicio accuſandi, abſque metu tamen & damno, oon tamen cogit, ſed permittit uniuſcujuſque arbitrio. Quia vero, eum, qui alium hæreſeos velit convincere, noſſe oportet myſteria Religionis chriſtianæ, & verò accuſare non ſit ſatis, ſed convincere etiam oportet, neceſſe eſt, ut ſicut promiſcue omnibus permittitur accuſare, ita etiam à quibuſvis tacitè exigi, ut chriſtianæ Religionis myſteria pernoverit.

Quod verò dicitur abſque metu & damno, id eum habere ſenſum videtur, qui hæreticum accuſare velit, eum poſſe ſine metu calumniæ ac Senatuſconſulti Turpiliani accuſare, neque incurſurum ullum vel talionis, vel impenſarum perdendarum periculum, ut ex accuſatione incurrat damnum, idque ſive crimen probaverit, ſive non; Quod ſum-

ptus fortè ex fiſco refundendi ſint, quaſi quiſque Religionis, & pietatis amore præſumatur accuſare, non privatæ vindictæ, aut odii ſingularis gratia, Aliàs ſanè qui accuſat metu calumniæ, & Senatusconſulti Turpiliani coërcetur, incurrit etiam damnum impenſarum à ſe factarum, quas perdit, & ab accuſato factarum, quas ei reſtituere compellendus eſt, ſubſcriptionis etiam vinculo talionis damno afficitur. Poſſint tamen etiam illa verba eo modo accipi, qui ut quivis ex populo accuſet crimen quaſi publicum, quod publicum non eſt, is & metu ſubſcriptionis, & Senatusconſulti Turpiliani coercetur, ut in damnum ob temerariam accuſationem incidat, quo periculo ex legislatione hac liberatur quicunque hæreſeos aliquem accuſaturus eſt, quæ veriſimilior videtur explicatio. Nam pœnam calumniæ & Senatusconſulti Turpiliani tollere, id feneſtram variis calumniis aperturum eſſet.

Illud poſſit alicui videri durius, quod iis, qui Neſtorianos habent libros, & legunt, ultimo ſint afficiendi ſupplicio, ut ex græco textu dictæ *legis* 3. §. 3. & ex verſione Contiana, & apud Leonclavium *paratitla Græcorum lib.* 1. *tit.* 1. *conſtit.* 3. Conſtat enim ex hac *ipſa lege* 3. ʃ 2. quod ii, qui cum zelo addicti ſunt hereſi Neſtorianæ, ſi Epiſcopi, aut alii Clerici ſint ab Eccleſiia debent ejici, ſi verò ſint laici, quod debeant excommunicari, quemadmodum in ʃ. 4. *d. l.* 3. Irenæus, qui temen pluribus ex cauſis accuſari poterat, tantum eam pœnam patitur, quod ejectus de ſede Epiſcopali, in patria privatus cogatur vivere. Neque alia pœna eſt Anthimi Severi, qui tamen non modo hæreticus fuit, ſed libros etiam hæreticos ſcripſit, & evulgavit Petri *Zoaræ*, & aliorum *in Novell.* 42. Non videtur autem ratio eſſe, cur ipſi hæretici leviori pœna afficiantur, quàm ii qui chriſtiani non hæretici, & libros tantum habent Neſtorianos. Gravius enim videtur, eſſe hæreticum quàm habere librum, quo hæreſis contineatur.

Ex qua cauſa etiam videri poſſit in hoc ʃ. 3. non eſſe illico ab ultimum ſupplicium deveniendum, ſed ultimam vindictam, ſcilicet eccleſiaſticam. Eccleſiaſtica enim vindicta ulterius non progreditur, quam ad Epiſcopi, vel Clerici depoſitionem, & ex Eccleſia ejectionem, vel ad laici excommunicationem, quamvis vindicta civilis longius progrediatur, ut ſcilicet bonorum proſcriptionem patiatur, qui aut habet, aut legit, aut deſcribit libros Neſtorianos hæreſi infectos *l. damnato* 6. ʃ. *nec vero impios* 1. *C. de hær. & Manich. & Samar.* Quod & Græcorum paratitla eodem titulo agnoſcunt, quæ interprete Leonclavio hanc *d. legem damnato* 6. præbent epitomen. Neſtoriani vocantur Simoniani, nec licet ea, quæ ab ipſis adverſus Epheſinam Synodum ſcripta ſunt, habere, vel legere, vel adſcribere, ſed comburuntur. Cum etiam de fide quæritur, nulla ipſorum eſt facienda mentio, nec in quoqunque loco ſuo quiſquam eos excipere debet. Qui legem violarit, bonorum publicatione punitur. Iidem Neſtoriani non appellantur Chriſtiani. Item jus civile deportationem minatur iis, qui libros Eutychetis inſanuim continentes habent *l. quicunque* ʃ. *nulli C. eod.* quod itidem agnoſcunt Græcorum paratitla ejus loci his verbis ex verſione Leonclavii. *Nemini licet adverſus Chalcedonenſe Concilium aliquid ſcribere, vel legere, vel dictare vel aliorum habere ſcripta; perpetua namque deportatione damnantur.*

Hæc pœnarum varietas, quia non omnes hæretici eadem autoritate plectendi ſunt, ut ſentiunt, & loquuntur Imperatores Theodoſius & Valentinianus *in l. pen. C. Theodos. de hæret.* Et proinde quæ *in d. l.* 3. ʃ. 3. pœna ſtatuitur in eos, qui libros Neſtorianos hæreſi pollutos habent ac legunt, ſi vel maximè mortis pœnam contineret, nam non Contius modò, ſed etiam Leonclavius in Græcorum paratitlis ultimum ſupplicium vertit, non eſt tamen temerè extendenda ad quovis libros hæreticos, neque extra caſum *dic.* ʃ. 3. proferendum, ſed præciſe requirendum, ut quis & habeat & legat libros Neſtorianos. Utrumque enim exigit *d. l.* 3. §. 3.

Nos verò inter gravioris iſtius pœnæ rationes, illam quoque annotandam putamus, quod cum Scriptura perpetuò maneat, & librorum lectio ſæpius, & à diverſis repeti poſſit, majus libris ſit periculum, quàm à voce, quæ prætervolat, & facile evaneſcit, ut propterea major pœna potuerit à Legislatore conſtitui in eos, qui ejuſmodi libros habent, & legunt, quàm qui voce ſola hæreſim conantur propagare, de quibus *&* ʃ. 2. *& v. ult.* §. 3. *in d. l.* agunt. Putamus, & illam conſiderandam eſſe rationem, quod illi, qui poſt legis prohibitionem libros Neſtorianos, & habent & legunt, non ideo duntaxat pœnam mereantur, quia hujuſmodi libros & habent & legunt, verum etiam quia legem contempſerunt, quæ tamen eſt communis Reipublicæ ſponſio, ut ait Papinianus *in. l.* 1. & Marcianus ex Demoſthene *in l.* 2. *ff. de legib.* Et quis poſt legem delinquentes in legis pœnam conſenſiſſe, ei qui ſe ſubjeciſſe intelligi debent. Utcunque enim forte ſit, Chriſtianus, qui ejuſmodi libros & habet & legit, quod Imperator Iuſtinianus in *Novel.* 42. *c.* 1. §. 2. *v. & ſicut non licet*, innuit, tamen non hæreticorum modò fautor, & hæreticæ pravitatis conſervator, ſed & legis & legislatoriæ Majeſtatis contemptor, & prope religionis eſt proditor, qui cum periculo capitis & vitæ contra legislatores ſeveram prohibitionem libros illos hæreticos ſalvos, & integros & habere, & legendo in iis ſe oblectare voluit. Ut enim aliqua miſeratione digni ſunt. qui nocenti meditatione decepti credunt de fonte veritatis mendacia, ut de Arianis, Macedonianis, & Apollinarianis loquuntur Imperatores Theodoſius & Valentinianus Auguſti *in l. pen. Cod. Thodos. de hæret.* ita ſeveriori pœna plectendi ſunt Chriſtiani, qui nefariam illam impietatem ſcientes, illa tamen oblectantur, & libros ejuſmodi habent, & legunt *d. l. penul. de hæret.*

Aliàs ſane, ſi abſque illa *Novell.* 42. *cap.* 5. ʃ. 2. *v. & ſicut non licet*, eſſet facile dici ʃ. 3. *d. legis* 3. agere non de quocunque, qui libros Neſtorianæ hæreſis habeat, & legat, ſed de eo, qui & hæreticus ſit Neſtorianus, & in eadem ſit Zelotes, qui magno ſtudio eam affectetur, & ſimul doctrinas conſcribat, atque edat ambiguas, & non perfecte cum Concilio Niceno, & Epheſino conſentientes, id quod peculiare eſt, & præcipuum hæreſiarchis. De ejuſmodi enim objecto loquitur principium *d.* ʃ. 3. ad quod ſubjectum ſi reſtringatur ejuſdem §. 3. *v. his, qui talia*, ſeverioris pœnæ juſta apparebit ratio. Plùs enim eſt eſſe zelotem hæreſeos Neſtorianæ, & ſimul Neſtorianæ impietatis libros habere ac legere, quàm libros nullos tales habere, aut legere, ſed eſſe tantum Neſtorianum Zelotem, maxime ſi ipſe eoſdem libros etiam ſcripſerit, & ſi iiſdem libri etiam crimine falſi ſint corrupti, ut ſub nomine ac titulo orthodoxæ fidei Concilio pio ex ſacris litteris demonſtratæ evulgentur. Ubi ſane ſi ejuſmodi crimina concurrant primum hæreſis Neſtoriana. Secundum zelus in hæreſi. Tertium doctrinas ambiguas, & adulteratas conſcripſiſſe, & edidiſſe. Quartum falſitas in titulo præſcripto. Quintum librorum ejuſmodi pernicioſorum aſſervatio. Sextum lectioque, nemo jure ſeverioris pœnæ gravitatem, quæ ad ultimum ſupplicium progrediatur, accuſaverit. Quod ſi non concurrant hæc omnia, tum leviori pœnæ, ſive tan-

tum

tum Eccleſiaſticæ locus ſit. Ut ſiquia tantum ſit hæreticus Neſtorianus, & libros pro illa hæreſi conſcripſerit, non autem aſſervet, & legat, tum ſufficiant pœnæ Eccleſiaſticæ, ut *in d. lib. 3. §. 2. 3. verſ ult. & §. 4.* Novel 42. *capit.* 1. 2. 3. Siquis vero habeat tantum, aut legat, aut deſcribat eos, publicationem bonorum patiatur *l. damnato §. nec verò impios C. de haret. & Manich. & Samar.* Siquis etiam poſt. Novel. 42. deſcribat, ut manus ſcriptori amputetur *d. Novel. 42. cap. 1. §. 2. in fine*; paratitla Græcorum *lib. 3. tit.* 5. ita habent *Qui ea* (ſcripta Severi) *tranſcribunt, manum dextram amittunt* ex verſione Leonclavii; illis verò ſcriptis Severi & Neſtorianiſmus, & Eutychianiſmus ſimul continebatur *d. Novel. 42. cap. 1. §. 1.* De Eutychianorum libris autem ita ſancitum eſt *l. quicunque §. nulli C de heret & Manich.* & *Samar.* ut perpetua deportatione damnatur, pro Eutychetis inſania aliquid contra Synodum Chalcedonenſem vel dictaverit, vel ſcripſerit, vel ediderit, atque emiſerit, cujus ipſe autor ſit, aut aliorum ſcripta, aut dicta ſuper eadem re protulerit, aut libros ejusmodi habuerit, & ſacrilega ſcriptorum monumenta auſus fuerit ſervare. Ipſa tamen Novel. 42. *c.* 1. §. 2. non loquitur de eo, qui habet & legit, ſed de eo, qui habet, ut proinde periculum de quo loquitur, non ſit præciſe ad hanc *l. 3. §. 3. bis, qui talia*, & neceſſario referendum, ſed poſſit etiam referri *ad d. l. damnato §. nec vero impios* & *ad l. quicunq, §. nulli C. de haret. & Manich. & Sam.*

Ex hoc verò ipſo loco videtur argumentum quod etiam pro pœna mortis & vivicomburii erui poſſe. Si enim qui habet ejuſmodi libros Neſtorianos, eoſque legit, ultimo ſupplicio afficiendus eſt, quamvis ſit Chriſtianus, quid ni, qui Neſtorianus eſt, cui etiam chriſtiani nomen denegatur ex *d. l. damnato C. de haret & Manich. & Sam.* & expreſſe notant paratitla Græcorum, ultimum quoque ſubeat ſupplicium? Videtur argumentatio talis poſſe inſtitui. Ob cujus hæreſeos libros quis ultimum ſupplicium pati cogitur, ob eam hæreſim multo magis qui ultimum ſupplicium pati debebit. Sed ob Neſtorianos, ſive generalius loquendo, ob hæreticos libros, ultimum quis ſupplicium pati cogitur. Ergo ob Neſtorianam, &. generalius ob hæreticam pravitatem quis multò magis ultimum ſupplicium ſubire cogetur. Majoris ratio videtur manifeſta propter hæreſim libri hæretici damnationem adferunt Ergo multo magis ipſa hæreſis damnationem adferet, cùm propter quod unumquodque tale, id ipſum magis ſit tale. Et quia gravius crimen videtur eſſe hæreticum, quàm habere librum hæreticum, cùm hoc Chriſtianiſmum non expellat, ut illud.

Verum quicquid dicatur, concluſio illa tota falſa. & abſurda convincitur ex illa ipſa *l. 3, §. 2. &* 4. & aliis ſupra expoſitis. Cùm autem concluſio falſa ſit & abſurda, minor autem vera ſit, quod ob Neſtorianos libros quis incurrere poſſit pœnam ultimi ſupplicii per *d. l. 3. §.* 2. neceſſe eſt majorem propoſitionem ſalſam & abſurdam eſſe, quæ neque allatis iſtis ratiunculis ſtabilitur, cùm jam ante etiam reddita ſit ratio, cur gravior pœna locum habere poſſit in homine chriſtiano libros Neſtorianos habente, ac legente, quàm in homine Neſtoriana hæreſi decepto.

Præter iſtud vitium, alterum quoque eodem in argumento hæret, quod videlicet non liceat ita concludere. Quicquid in crimine hæreſeos Neſtorianæ conſtitutum eſt, illud cujuſvis alterius hæreſis crimine conſtitutum intelligitur. Nam & hoc falſum eſſe ex ſuperioribus apparet, quod non omnes pari auſteritate ſint plectendi, & quod diverſis etiam hæreſibus diverſæ ſint pœnæ conſtitutæ, quarum aliæ graviores, aliæ leviores.

Sequitur in *dec. lib. 3. §. 4. de ſum. Trinit. & fide cath. Ut autem omnes revera diſcant, quantum noſtra divinitas averſetur eos, qui impiam Neſtorii fidem affectant, præcipimus, Irenaum dudum ob hancce cauſam noſtra indignationi ſuppoſitum, & poſtea, neſcimus quomodo, poſt binas nuptias, ut didicimus, præter Apoſtolicos Canones Tyriorum Civitatis Epiſcopum factum, ex Tyriorum quidem Eccleſia dejici; in ſua autem duntaxat patria degere, quieſcentem omnimodo, & ſchemate, atque nomine ſacerdotis exutum.* Hic §. 2. exemplum nobis proponit pœnæ in §. 2. *hujus legis* 3. expoſitæ, quouſque ſcilicet pœna illa progrediatur, cùm Epiſcopus & Clericus ex Eccleſia dejicitur; quod nimirum dignitas & nomen, & habitus Epiſcopi & clerici exuatur, ipſe autem ut privatus vivat in patria, oneribus patriæ ſuæ ſubjectus. Non eſt igitur ſimplicis Neſtorianiſmi ex illa *leg. tertia* pœna ultimum ſupplicium.

Eadem pœna etiam reperitur in Novel. 42. *capit.* 1. ubi depoſitio Anthimi à Sede Conſtantinopolitana ab Epiſcopis & Clericis facta confirmatur à Juſtiniano, ſimulque Anthimo interdicitur urbe regia, ejuſque diſtrictu, ut & alia quavis inſigni Civitate. Iubetur etiam quieſcere, & eos diligere, quibus ipſemet ſe ſuppoſuit, & nemini communicare, nec quemquam imbuere in perditione interdictorum dogmatum. Sic eadem Novella 42. *cap.* 1. §. 1. 2. 3. Severus Eccleſiaſticorum ſententiis excommunicatus, ſub illo anathemate eſſe jubetur ab Imperatore Juſtiniano, & dejectus ab Eccleſia Theopolitana, id eſt Anthiochena, & interdicitur ei regiam civitatem ingredi, aut diſtrictum ejus, aut aliam inſignem quancunque civitatem, ſed jubetur in aliqua ſolitudine, & in ſilentio ſedere, & non corrumpere cæteros, neque in blaſphemiam alios adducere, neque aliquid novi contra vera dogmata invenire.

Sic eadem Novella 42. *cap.* 2. Petrus Epiſcopus Apameæ & depoſitus, & ſub anathemate factus eſſe jubetur, prohibeturque eodem modo habitare urbem regiam, & ejus diſtrictum, & quamcunque aliam inſignem urbem, ſed quorum ſequutus eſt errorem, eorum imitari diætam jubetur, quam longiſſime abſcedens & occultans ſeipſum. Nam talibus occultari quàm videri utilius eſt. Ignoti enim exiſtentes ſe ipſos lædunt ſolos, publicantes verò ſua dogmata, multis ex ſimplicioribus occaſionem perditionis præbent. Quod nullo modo fieri in chriſtiano ovili Dei, & orthodoxo populo juſtum eſt.

Sic eadem Novella 42. *cap.* 3. Zoaras anathematiſmo ſubjectus, & ex Eccleſia ejectus, abjicitur de regia urbe, ejuſque diſtrictu, & aliis civitatibus, ut cum illis ſolis habitet, qui ſimilia blaſphemantes ſimiliter in exilio ponuntur.

Paratitla quoque Græcorum à Leonclavio edita *lib.* 1. *ad tit.* 3. *numero.* 1. ex *hac ipſa l.* 3. hanc proponunt Epitomen: Epiſcopus, vel Clericus, qui Neſtorianus eſt, ex Eccleſia ejicitur. Et in *l.* 5. §. 2. *Cod. de ſum. Trinit. & fid. cath.* Imperator Juſtinianus anathemate damnat & Neſtorium, & Eutychen, & Apollinarem, quique eorum errores ſequuntur, ubi in fine additur & hæc ſententia. *Si aliqui poſt hanc*

noſtram commonitionem certo & liquido id cognoſcentibus, & comperientibus locorum Epiſcopis, Deo amatiſſimis, inventi fuerint poſthac in contraria his, quæ de fide catholica recte expoſita ſunt, opinione eſſe, hi nullius indulgentiæ expectent veniam. Jubemus enim tales, tanquam confeſſos hæreticos, competenti animadverſioni ſubjugari. Unde intelligere eſt, ſiqui inventi fuiſſent hæretici ante Imperatoriam iſtam præmonitionem, illis adhuc ſpem veniæ fuiſſe, qua ſcilicet pœna hæreticis deſtinata remittebatur, quæ ſpes iſto loco abſcinditur.

Ita quoque *in l. 6. §. 2. 3. & 4. C. eod. tit.* Imperator anathemate damnat & Neſtorium, & Eutychetem, & Apollinarem, quique cum iis ſentiunt. Et *in l. 7. §. pauci quidam & §. nullus itaque C. eod* idem Imperator anathemate damnat hæreticos damnatos in Concilio Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, neque ulterius quidem iſtæ leges progrediuntur.

Eodem modo ipſa etiam Concilia contenta ſunt anathematiſmo, quo percelluntur hæretici, neque alias pœnas imponunt, ut *d. l. 7. §. 4. & d. Novel. 42. præf. & cap.* 1. 2. 3. ad quam etiam *Novell.* Cujacius, duo ſunt, inquit, genera pœnarum Eccleſiaſticarum, excomunicatio. qua plectuntur plebeii, & monachi, & degradatio, ſive ordine motio, quæ Epiſcoporum, & Clericorum propria quam etiam ſequuntur Imperatores, ut ex modò dictis conſtat. Monet tamen Imperator Juſtinianus, ſiqui ab ordine Eccleſiaſtico condemnati, Imperatoria quoque ultione ea pœna ſint afflicti, poſtea prohibitum quid perpetraverint, quod in graviores pœnas incidant ſecundum leges, quæ eos, qui minores pœnas declinant, ſive contemnunt, majoribus affligunt *d.* Novel 42. *cap. 3. l. relegati l. 4. §. inter & §. quiſquis l. capitalium §. in exulibus, §. ita ff. de pœn. l. 12. ff. de interd. & releg. & dep. l. 1. C. de plus petit. l. ſi ad magiſtratum C. de decur. l. ſi filius C. d. pat. pot. l. quicunque C. de Epiſc. & Cler.* Novel. 123. *cap. 11. & capit. 42. in fin. & can. 6. Siquis Epiſcopus,* & *cap. 7. ſiquis Epiſcopus 11. q. 3.*

Et ſi quoſcunque hæreticos ultimo ſupplicio afficiendos Imperatores Chriſtiani ſtatuiſſent, fruſtaneum fuiſſet jubere, ut hæretici dogmatis infamiam ſuſtineant *l. 1. C. de ſum. Trin.* & ut denotentur, id eſt infames ſint. Sic enim paratitla τὸ denotentur explicant apud Leonclavium *lib. 1. notator. ad paratil. Græcor. num.* 1. Et quidem apertis ſuis criminibus, id eſt, cum hæreſeos fuerint convicti *l. 2. §. qui verò, C. eod.* nomen ab hæreſeos autore ferentes *d. l. 1. d. l. 2. §. qui vero, & d. l. damnato C. de hæret. & Manich. & Samar.* Et ut ipſis interdiceretur urbs regia, ejuſque diſtrictus, & quævis alia urbs inſignis, & ut quiete vivant in locis ſolitariis, ut neminem ulterius infamia ſua contaminent, ut ament eos, quibus, jam ſuppoſiti ſunt, ſive ſubjecti propter hæreſim demonſtratam, ut *d.* Novel. 42. *in præf. cap. 1. 2. 3. & d. §. d. l. 3. C. de ſum Trin.* Quid opus eſſet omni loco ipſis ad faciendas congregationes, ſive profana ſua ſacra peragenda interdicere? *lib. 2. ſub. princ. C. eod. l. nulli §. ad hoc, l. Arriani, d. l. damnato §. nec verò, l. quicunque §. univerſi l. ſiquis C. de hæret. Manich. & Samar.* Cur diverſis muneribus ſubiici eos, & conſtringi oporteret? *l. 1. C. eod. Novel. 45. in præf.* Cur Curiales omnium Civitatum oneroſis, quinetiam militiæ, ſeu diverſis Officiis facultatum, & perſonalium munerum obligatos ſuis ordinibus cujuſcunque ſectæ fuerint, inhærere oporteret, ne hominibus execrandis contumelioſo ambitu immunitatis beneficium præſtitum videatur? *l. Curiales C. eod.* Quid opus eſſet hæreticis denegari omnia privilegia? *l. hæretici C. eod.* Novel. 45. *in præf.* etiam dotalia? Novel. 109. Et præcipue quidem ea; quæ religionis favore indulta ſunt *l. 1. l. Curiales l. hæreticis C de hæret. & Manich.* Cur prohiberentur admitti ad ullam dignitatem, vel correctorum officiales, Cujac. *ad l. 1. C. de cohort. princip.* Cujuſmodi plura in hæreticorum pœnis occurrunt otioſa, & ſuperflua, ſi omnes hæretici ultimo ſunt ſupplicio illico afficiendi, & abſumendi. Poſſumus verò ex hoc etiam *§. 4. d l. 3. C. de ſum. Trin.* diſcere quænam ſit illa ultio motus Imperatorii *in l. 1. §. 1. C. d. ſum. Trinit.* quem Imperatores ex cœleſti arbitrio ſumpturi ſunt, nimirum quod ſine indulgentia, & remiſſione pœnæ velint eos damnatos pœnis à lege definitis perpetuo ſubjacere. Quam enim pœnam Imperatores *in d. §. 4. d. l. 3.* propoſuerunt, ea contenti quoque fuerunt in Irenæo, Tyriorum Epiſcopo.

Accedamus *ad l. Manichæos C. d. hæret & Manic. & Samar.* in qua videndum eſt, quid in jure civili ſignificet *ultimum ſupplicium.* Ultimum autem ſupplicium eſſe mortem ſolam interpretamur *l. 21. ff. de pœn.* Dicitur etiam ſummum ſupplicium *l. capitalium 28. in pr. & §. ita, & l. ſiquis aliquid §. qui abortionis ff. de pœn. l. 1. §. ult. ff. de extraord. crim. l. ult. ff de ſepul. viol. l. quicunque ff. ad leg. Cornel. de falſ. l. cum ſervus ff. can. dat. can. non ſec.* Paul. *recept. ſent.* 24. *v. ult. & lib. 5. ſent 3. v. ult. & tit. 4. v. 14. & tit. 17. v. 2. & tit. 20. v. ult.* Hoc ſummum ſupplicium eſt ad furcam damnatio, ſive, ut hodie, ſuſpendium, vivicrematio, ſive, ut Tertullianus vocat vivicomburium *l. 1. de anima cap. 1. in fine, & cap.* 35. & capitis amputatio, *l. capitulum ff. de pœn.* Damnatio ad beſtias, *l. qui ultimo ff. eod.*

Hæc tamen lex non ferit omnes hæreticos; loquitur enim de ſolis Manichæis, & Donatiſtis, quorum errores, & furores nihil prorſus commune cum aliis habent; neque enim omnium hæreticorum eadem eſt pœna, ut oſtendit lectio earum Conſtitutionum, quæ leguntur *in tit. C. de hæret. & Manich. & Samar.* Et Imperatores Theodoſius, & Valentinianus *in l. hæreticorum Cod. Theodos. de hæret. lib. 16. tit* 15. diſerte aiunt, non omnes eadem auſteritate plectendos eſſe, & mitius agendum cum illis, qui nocenti meditatione decepti, credunt de veritatis fonte mendacia. Verba autem *d. l. 4. in pr. C. de hæret. & Manich. & Samar.* hæc ſunt: *Manichæos, ſeu Manichæas, vel Donatiſtas; meritiſſima ſeveritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris.* In Cod. Theod. ita legimus: *Quid de Donatiſtis ſentiremus, nuper oſtendimus, præcipue tamen Manichæos, vel Frygas, ſive Priſcillianiſtas meritiſſima ſeveritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus ſit commune cum cæteris. l. 4. Cod. Theod. de hæret.*

Eſt autem hæc lex *Manichæos* 4. deſumpta ex *d. l.* 40. eorumdemque utraque eſt autorum, nimirum Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii Auguſtorum, ſive potius eſt eadem lex, nonnihil tamen interpolata. Nihil vero eſt *in d. l.* 4. principio, quod abnuamus. Facile enim concedimus Manichæos, & Donatiſtas meritiſſimam ſeveritatem experiri, & de Manichæis quidem Theodoſius & Valentinianus Imperatores teſtantur. *in l. Arriani 5. C. eod.* quod ad imam uſque ſcelerum nequitiam pervenerint; quod omne etiam extat *in l. 65. hæreticorum C. Theod. de hæret.* Et in Conſtitutione quadam Diocletiani, & Maximiani, quæ habetur *in C. Gregoriano lib. 12. tit. ult. & in collat. leg. Moſai. & Rom. tit.* 5. dicuntur Mani-

chæis

Digitized by Google

chæi nova & inopinata prodigia in hunc mundum, ſcilicet Romanum, de Perſica adverſaria nobis, id eſt Romanis, gente, progreſſa, vel orta eſſe, & multa facinora ibi committere, populos namque quietos perturbare, nec non & civitatibus maxima detrimenta inferre. Quo ex loco ſuſpicari licet Manichæos à Perſis, Romanorum hoſtibus oriundos, conſilia ſua & factiones convertiſſe magis ad rem Perſicam promovendam, quàm Romanam, ideoque eoſdem Imperatoribus Romanis non injuria præ aliis fuiſſe exoſos, & ob turbationem Reipublicæ majoribus pœnis ſubjectos. Reſpiciunt ad iſtam Diocletiani & Maximiani Conſtitutionem etiam Chriſtiani Imperatores Theodoſius & Valentinianus in Novel. Valentiniani tit. 2. cùm Manichæorum hæreſim dicunt ſuperſtitionem paganis quoque damnatam temporibus, inimicam publicæ diſciplinæ, & hoſtem fidei chriſtianæ, quos execrabiles, & toto orbe terrarum pellendos, omnium retro Principum ſtatuta judicarint, quorum crimina detecta diſſimulationem non patiantur. Quæ enim & quam dictu, audituque obſcœna in judicio beatiſſimi Papæ Leonis coram Senatu ampliſſimo manifeſta ipſorum confeſſione patefacta ſunt? Adeo ut eorum quoque qui diceretur Epiſcopus, & voce propria proderet, & omnia ſcelerum ſuorum ſecreta perſcriberet. Mox vocant deteſtandam divinitatis injuriam, & ſcelus, quo non ſolum corpora deceptorum, ſed etiam animæ inexpiabiliter polluantur. Et tandem ita finiunt: *neque enim aliquid nimium in eos videtur poſſe decerni, quorum inceſta perverſitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit.*

De Donatiſtis idem conſtat ex Auguſtino, nihil non ſuppliciorum eos meritos, ut ſeditioſos, ut ſicarios, & Chriſtianorum homicidas. Legatur ejus epiſtola 68. & epiſtola 48. & epiſtola 50. Perſtringuntur etiam Donatiſtarum ſeditioſi & prædatorii conatus, & latrocinia ab Auguſtino *lib. 3. contra Julianum cap. 1.* Sic Imperatores Gratianus, Valentinianus & Theodoſius in *l.* nemo Manichæum de *haret. Nemo Manichaeum, nemo Donatiſtam, qui præcipue, ut comperimus, furere non deſiſtunt* &c. Et propterea. Arcadius, Honorius, & Theodoſius *in l. adverſarios in fin. C. ne Sanct. bapt. iter.* Magiſtratus etiam, & eorum officia pœnis ſubjiciunt, ſi iis præſentibus catholicæ Eccleſiæ vis fuerit illata, à Donatiſtis ſcilicet, de quibus ſolis *d. l. adverſarios* agit.

Unde apparet juſtas eſſe cauſas, cur Imperatores chriſtiani ſeverius animadverti voluerint in Manichæos & Donatiſtas, ut proinde quod de Manichæis, & Donatiſtis conſtitutum eſt, non illico in omnes hæreticos conſtitutum intelligi poſſit. Immo ſi in Manichæis & Donatiſtis peculiare eſt, quod *in d. l. Manichaeos 4. C. de haret. & Manich. & Samar.* contra eos ſtatuitur, de cæteris hæreticis id prædicari non debet. Et ſi non eſt peculiare, ſed commune cum omnibus hæreticis, (quod tamen jure Juſtinianeo falſum eſt,) quod *in d. l.* Manichæos 4. contra Manichæos & Donatiſtas conſtituitur, ſine magna ratione illud tanquam ſingulare proponitur. Et dum lex ait, *huic hominum generi, nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris*, hoc hominum genus diſcernit à cæteris, ſive ii ſint catholici, ſive hæretici.

Et hæc ipſa tamen Manichæorum, & Donatiſtarum pœna non eſt ultimum ſupplicium, ſed alia minor. Nam qui ultimo ſupplicio afficiuntur, deſinunt eſſe homines. Non eſt igitur opus, ut ii prohibeantur à juris communione cum cæteris. Et plane ridiculus ſit, qui mortuis interdicat hominum commercio. Quibus autem opus eſt interdici hominum commercio, iis vivendi facultatem relinqui oportet. At Manichæis & Donatiſtis, etiam condemnatis, & cum pœnam ſubierunt, commercio, & jure cum cæteris hominibus communi opus eſt interdici. Manichæis igitur, & Donatiſtis, etiam condemnatis, & cum pœnam ſubierunt, facultatem vivendi relictam olim oportuit. Neque video, quid aliquid iis verbis adimatur, quàm jus civile, quod & moribus & legibus continetur, & quicquid illi mores & leges illæ concedunt civi Romano, in *d. l. Manichaeos 4. pr.* adimit, non omnibus hæreticis, ſed in ſpecie Manichæis, & Donatiſtis. Alibi dici videtur pœna peregrinorum mutandæ conditionis *l. Eunomianis C. de haret.* ubi pœna iſta Eunomianis remittitur; atque ita enim Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius *in l. ſiquis Manichaeus C. de haret. iiſdem Manichæis ſub perpetua juſta infamiæ nota, teſtandi, ac vivendi jure Romano omnem protinus eripimus facultatem.* Sic iidem Imperatores *in l. 18. C. eodem Quicunque ſub nomine Manichæorum mundum ſolicitant, ex omni quidem orbe terrarum, ſed quàm maxime de hac urbe pellantur ſub interminatione judicii. Voluntates autem eorundem, quinimo ipſa etiam facultates populo publicata, nec vim teſtamentorum teneant, nec derelinqui per eos, aut iiſdem fas ſit.* Nihil ad ſummum his ſit commune cum mundo, nimirum adimitur Manichæis jus commune, quod civibus Romanis commune eſt, dum nihil his commune cum mundo eſſe debere dicitur.

Eodem modo iidem Imperatores de Eunomianis loquuntur *in l.* Eunomiani *C. eod.* nihil ad ſummum habeant commune cum reliquis. Sic *in l. Donatiſtas C. eod.* Imperatores Honorius & Theodoſius ita ſanciunt, *Donatiſtas atque hæreticos, quod patientia clementia noſtra nunc uſque ſervavit, competenti conſtituimus autoritate percelli, quatenus evidenti præceptione ſe agnoſcant & inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicujus ineundi* (muneris, aut honoris) *habere, ſed perpetua inuſtos infamia à cœtibus honeſtis, & à conventu publico ſegregandos.* Sic Eunomiani utriuſque juris (acquirendi ex donatione, vel ultima voluntate) in totum communione priventur *l. manentibus C. de haret.* Sic ab omni contractu, & propemodum Romana converſatione ſubmoveri dicuntur *in l. Montaniſtas C. eod.* Sic Apoſtatæ ſint abſque jure Romano *l. 2. C. de apoſtat.* Sic Epiſcopi Apollinarianorum, cæterorumque hæreticorum, nomine, ſcilicet Epiſcopi, deſtituti, appellationem hujus dignitatis amittant, adeant loca, quæ hos potiſſimum, quaſi vallo quodammodo ab humana communione ſecludant *l. Apollinarianos C. de haret.* Auguſtinus quoque *in epiſt. ad Bonifacium* teſtatur, ſupplicium capitale in Donatiſtas conſtitutum non fuiſſe. *Iam enim lex fuerat promulgata, ut tanta immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipſa ſæviebat, non tantum violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impune, non tamen ſupplicio capitali, propter ſervandam etiam circa indignos manſuetudinem chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis & in Epiſcopos, vel miniſtros eorum exilio conſtituto.* Pertinet huc etiam locus Auguſtini *in epiſt. 48. ad Vincentium*, quem lege.

Vidimus hactenus, quam ſit alienum à jure civili Codicis Juſtiniani ultimum ſupplicium hæreticis omnibus infligendum; nunc videamus quid ex jure Imperatoris Frederici ſecundi poſſit accedere. Verba ejus hæc ſunt, *Gazaros, Patarenos, Leonitas, Speroniſtas, Circumciſos, & omnes hæreticos utriuſq; ſexus, quocunq; nomine cenſeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus,* atque

atque bannimus, cenſentes, ut omnia bona talium confiſcantur, nec ad eos ulterius revertantur, ita, quod filii eorum ad ſucceſſionem eorum pervenire non poſſint, cùm longe gravius ſit æternam, quàm temporalem offendere Majeſtatem.

Hæc authentica excepta eſt ex Conſtitutione quadam, quæ Frederico ſecundo tribuitur, cujus primus Imperii annus ſecundum Abbatem Urſpergenſem incidit in annum Chriſti 1219. Imperavit annis 32. lata vero eſt ſub Honorio Tertio Papa, qui ad Papatum pervenit circa annum Chriſti. 1216.& undecim annos ſedit, eo tempore, quo imperiale diadema à manu Pontificis Imperator accepit, ut eſt in præfatione dictæ Conſtitutionis, id eſt anno Chriſti 1220. teſte Urſpergenſi in Chronico; & in fine ejus Conſtitutionis, ubi legitur ab Honorio Papa confirmata.

Verumenimverò ſi etiam detur in archivis Imperii extare illam Conſtitutionem Fiderici Secundi, & latam eſſe conſilio & conſenſu Procerum Germanorum, & ex publica illa ſponſione legis vigorem habere, tamen illi ipſi authenticæ hæreticos non placuit ultimo ſupplicio affici, ſed diffidari eos, atq; banniri, & ab Imperio proſcribi, & bona ipſorum confiſcari, neque liberos orthodoxos ad bona illa admitti.

Atque hactenus ex jure civili, nunc autem ex rationibus id probandum eſt. Et primò. Nemo ad bonum eſt cogendus, ſed quiſque ſuo arbitrio relinquendus.

Secundo, nunquam Deus ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, vel ejus Apoſtoli coegerunt quenquam credere, vel fidem recipere, quinimmo & diſcipulis liberam abeundi dedit poteſtatem, dicens, *Nunquid & vos vultis abire*;

Tertio, expedit hæreſes eſſe 1. Corinth. 11.

Quartò Chriſtus Dominus Petro dixit: *Si Eccleſiam non audiverit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.*

Quinto. Chriſtus Matth. 13. in parabola de zizania & tritico vetuit zizania eradicari, ne ſimul & triticum evelleretur, & tandem ſubjecit, *ſinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* Ubi per zizania, intelliguntur hæretici; per triticum, catholici; per meſſem, dies judicii; per meſſores, Angeli. Unde Chryſoſtomus in dictum Matthæi locum aſſerit, hæreticos non eſſe occidendos, ſed tolerandos, Ejus enim in parabola de tritico & zixania hæc ſunt verba: *Non prohibet Dominus conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi procidere; verum prohibet eos interficere, & trucidare.* Euthymius quoq; & Theophilactus Chryſoſtomum ſequuti, aperte inquiunt, non permiſiſſe Dominum hæreticos necari. Hieronymus item, & Auguſtinus zizaniorum vocabulo, quæ non ſinit Dominus evelli, intelligunt hæreticos, ac, ut refert Sulpicius *lib.* 11. *Sacra hiſtoria* prope finem S. Martinus apud Treviros conſtitutus, aſſidue increpabat Ithacium, ut ab accuſatione in Priſcillianum, & alios hæreticos deſiſteret, & Maximum Imperatorem vehementer orabat, ut ſanguine hæreticorum abſtineret, ſufficereque ajebat, ut Epiſcopali ſententia judicati, Eccleſiis pellerentur. Et quandiu Martinus Treviris fuit, dilata cognitio eſt, & mox diſceſſurus, à Maximo ſponſione elicuit, nihil cruentum in hæreticos conſtituendum. Qui cùm poſtea didiciſſet ſententia Judicum Priſcillianum & alios capite damnatos fuiſſe, nolebat ſermones, & commercia habere cum iis Epiſcopis, qui Priſcillianum, & alios hæreticos morte damnandos curaverant.

Sexto. Quia Iſaiæ *cap.* 11. *v.* 9. legitur: Non occident in univerſo monte ſancto meo, id eſt in Eccleſia.

Septimo. Scriptura pluribus in locis, Matth. 18. 2. ad Timoth. 3. ad Titum 3. præcipit quidem vitari eos, qui Eccleſiam audire nolunt, aut poſt unam & alteram correptionem non reſipiſcunt, non autem interfici.

Octavo. Chriſtus Lucæ *cap.* 9. *v.* 54. reprehendit Apoſtolos, qui volebant Samaritanos igne conſumi, eo quod non reciperent Chriſtum. *Domine, vis dicimus*, inquit ſacer textus, *ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos? Et converſus increpavit eos, dicens: neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*, quaſi inſinuans Spiritum Evangelicum non conſiſtere in ſeveritate ſed in manſuetudine.

Nono. Habetur ex uſu primitivæ Eccleſiæ in qua non puniebantur hæretici pœna corporali.

Decimo. Ithacius & alii Epiſcopi qui apud Maximum Imperatorem effecerant, ut Priſcillianus hæreſiarcha interficeretur, graviter à reliquis Eccleſiæ Patribus reprehenſi fuerunt; immo ab eorum communione, tanquam irregularium, & excommunicatorum abhorruerunt.

Undecimo. Hæretici non ſunt membra Eccleſiæ; atque adeo non poſſunt ab ea puniri, dicente Apoſtolo 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt?*

Duodecimo. Aſſenſus fidei eſt liber, atque adeo nemo ad illum eſt cogendus.

His tamen minime obſtantibus, ſtatuendum eſt adverſus Donatiſtas, teſte Auguſtino *ep.* 50. & poſtea Joannem Hus, ut patet ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 15. *ar.* 14. denique Lutherum, ac ejus diſcipulos, ut videre eſt apud Roffenſem *art.* 33. poſſe hæreticos puniri pœna capitis, ac vivicomburii propter hæreſim, etiam ex jure civili. Pro cujus plena intelligentia hujus materiæ primò notandum eſt, triplicem diſtingui debere hæreſim. Unam mentalem, quæ fines cogitationis non excedit. Alteram occultam & ſecretam, quæ licet ſigno aliquo externo prodatur, eſt tamen occulta, nulloque teſtimonio probari poteſt, ut ſiquis mentaliter hæreticus ſolus in cubiculo, nemine prorſus eum audiente, ſuam hæreſim ore exprimat, & profiteatur. Tertia eſt externa, & notoria, quæ videlicet per ſignum exterius proteſtativum hæreſeos, aliis manifeſta eſt atque explorata.

Etſi autem nonnulli Theologi nominatim Adrianus, Roſells, & medina putent mentalem hæreticum pœnis Eccleſiaſticis eſſe obnoxium, & Eccleſiam jure poſſe in eum animadvertere; nihilominus contraria communis eſt inter Doctores catholicos, loquendo de facto, quicquid ſit de poſſibili, an nimitum potuiſſet Chriſtus, ſi voluiſſet, poteſtatem ſupra actus internos Eccleſiæ conferre. Ratio autem eſt quia Eccleſia non poteſt aliquem punire propter crimen, quod illi incognitum eſt. Internum autem crimen hæreſis eſt incognitum Eccleſiæ. Atque adeo non poteſt aliquem punire propter internum crimen hæreſis. Confirmatur. Quia ad puniendum requiritur juriſdictio. At Eccleſia non habet juriſdictionem in ſuos ſubditos quoad actus interiores, ut patet ex jure Canonico. Nam *can. cogitationis d.* 1. *de pœnit.* dicitur: *Cogitationis pœnam nemo patiatur.* Et can. *erubeſcant d.* 32. *De manifeſtis loquimur. Secretorum autem & cognitor & Judex eſt* Deus, & *cap.* ſicut tuis litteris de Simon. *Eccleſia non judicat de occultis.* Et ibidem *cap.* tua nos: *Nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo judicare.*

Dices primò Eccleſia ſæpe exercet juriſdictionem in actus internos. Abſolvit enim peccata interna. Diſpenſat vota, etiam mentalia. Præcipit contritionem, dilectionem, attentionem orationis, ac ſimiles actus interiores,

Deinde

Deinde. Siquis hæreticus internus interrogatetur ab Inquiſitote, an aliquando crediditſet contra fidem catholicam, & ipſe fateretur, ſe credidiſſe, ſine dubio puniretur. Ergo jutiſdictio Inquiſitoris extendit ſe ad internum actum credendi.

Poſtremo. Interna hæteſis refutatur ab Eccleſia. Ergo ab eadem puniri poteſt.

Ad primum reſpondeo. Duplex eſt juriſdictio Eccleſiaſtica, interna, & externa. Nos hic loquimut de externa, quæ exercetur in foro contentioſo, non de interna, quæ in foro conſcientiæ. Eccleſia tamen neutram exercet in actus internos, niſi quatenus per externos manifeſtantur. Non enim abſolvit peccata, nec diſpenſat vota, niſi per actum exteriorem ſubjiciantur ipſius clavibus ſive juriſdictioni. Similiter non præcipit actus interiores, niſi quatenus præcipit exteriores, qui naturali, aut divino jure non poſſunt recte fieri ſine interioribus. Quanquam de diſpenſatione voti eſt aliqua difficultas.

Ad ſecundum reſpondeo. Si fateretur, ſe aliquando conſenſiſſe in hæreſim, & nunc non conſentire, non punitetur, ut hæreticus. Si autem fateretur, ſe etiam de facto conſentire in hæreſim, juſte puniri poſſet, ut hæreticus. Jam enim non eſſet hæreſis ipſius interna tantum, ſed etiam externo ſigno prodita.

Et ad tertium reſpondeo. Negatur antecedens, Quia hæreſis non reſervatur, niſi in Bulla Cœnæ Domini. Ibi autem ſolum reſervatur ratione annexæ excommunicationis, quæ non comprehendit hæreticum pure internum, & mentalem.

Quod verò ad hæreſim occultam & ſecretam. Hæreticus, qui externo ſigno prodit ſuam hæreſim, poteſt ab Eccleſia puniri. Eſt communis ſententia, & probatur. Quia Eccleſia haber jus puniendi peccata ſuorum ſubditorum, cùm hoc jus neceſſarium ſit ad conſervationem totius Communitatis. Peccatum autem hæreſis eſt graviſſimum, & maxime perturbat Eccleſiam, ac proinde Eccleſia poteſt illud punire.

Non obſtat, quod hæreticus, qui exterius prodit hæreſim, deſinit eſſe ſubditus Eccleſiæ, quia non eſt amplius in Eccleſia, ſed extra. Ideoque non poteſt puniri ab Eccleſia. Nam eſt extra Eccleſiam quoad internam unionem, quæ fit per fidem, itemque quoad externam participationem ſacramentorum; nihilominus quoad juriſdictionem manet ſubditus Eccleſiæ ratione baptiſmi. Pater in ſimili. Nam Reſpublica non privatur juriſdictione in ſubditum propter ipſius flagitia, & injurias, etiamſi fugiat extra patriam.

Unde hæreticus, qui quidem externo ſigno prodit ſuam hæreſim, ſed tamen ita occulte, ut in judicio accuſari, ac teſtibus convinci non poſſit, puniri poteſt, & facto punitur pœna excommunicationis, ut patet *ex cap. cum Chriſtus*, & *cap. ſicut ait*, & *cap. ad abolendam*, & *cap. excommunicamus de heret.* Ratio eſt. Quia externa hæreſis, quantumvis occulta, hoc ipſo quod occulta eſt, incipit eſſe ſub juriſdictione Eccleſiæ & per accidens eſt, quod in judicio probari non poſſit. Ergo poteſt puniri ab Eccleſia, non quidem tali pœna, quæ requirit accuſationem judicialem, ſed tali, quæ extra judicium ipſa lege lata, infligi poteſt, cujuſmodi eſt pœna excommunicationis, amiſſionis, ſive confiſcationis bonorum temporalium, ac ſimiles.

Cenſendus autem eſt aliquis externus hæreticus, quando hæc duo adſunt. Primum quando hæreſim internam ſufficienter exprimit per aliquem externum actum, ſive id fiat verbo, ſive facto. Secundum, quando externus ille actus ita procedit ab interna hæreſi, ut moraliter participet illius malitiam, alioqui non erit hæreſis exterior. Hinc ſequitur, ſiquis internam hæreſim confiteatur ſacerdoti, aut alicui alteri aperiat conſilii accipiendi cauſa, non ideo eſſe externum hæreticum, qui ab Eccleſia puniri poſſit. Quia nemo eſt externus hæreticus, niſi à peccato exterioris hæreſis. At illa confeſſio, aut patefactio, de qua loquimur, non eſt peccatum exterioris hæreſis, ſed eſt actus bonus, qui imperatur, vel à pœnitentia, vel à religione, vel ab aliqua alia virtute; atque adeo qui hoc modo confitetur, aut patefacit ſuam internam hæreſim, non eſt exterior hæreticus, qui ab Eccleſia puniri poſſit. At dices, cur ergo punitur à confeſſario per injunctam pœnitentiam? Reſpondeo. Non loquimur de pœna, quæ imponitur in foro conſcientiæ, ſed de ea, quæ infligitur in foro exteriori.

Secundo notandum eſt, pœnarum, quibus hæretici afficiuntur, duplex eſſe genus. Unum pœnarum ſpiritualium, nempe excommunicationis majoris, & aliarum ei annexarum, ut quod priventur activa & paſſiva communicatione Sacramentorum, ſintque ſuſpenſi à divinis, nec non Eccleſiaſtica ſepultura privati, item quod ſint irregulares, ita, ut quamvis hæreſim abjuraverint, non poſſint citra ſummi Pontificis diſpenſationem ad Ordines promoveri. Ad idem genus pertinet privatio omnis juriſdictionis ſpiritualis, quam antequam in hæreſim laberentur, habebant, nec non privatio beneficiorum, item pœna infamiæ, & prohibitionis, atque exuſtionis librorum ab illis editorum.

Alterum genus eſt pœnarum corporearum, quarum præcipuæ ſunt amiſſio bonorum, carcer perpetuus, quando hæretici non ſponte ſua, ſed vel accuſati, aut convicti reſipiſcunt, exilium, ac denique extremum ſupplicium.

Notandum eſt tertio, nullum eſſe decretum Eccleſiaſticum, quo præcipiatur, hæreticis morte afficere. Pœnæ enim Eccleſiaſticæ ſunt potius beneficia, quàm ſupplicia, in omnibus manſuetudinem, & lenitatem Chriſti ſponſi ſui redolentia, qui de animabus potius, quàm de corporibus ſollicitus erat. Quo fit, ut pœna mortis in hæreticos tantum ſit de jure civili. Contendit tamen Eccleſia, pœnam hanc eſſe juſtiſſimam. Cum enim duo ſpectari poſſint in hæreſi. Primo, quod ſit peccatum, & hoc illi commune eſt cum omnibus aliis peccatis. Secundo, quod perturbet pacem, & tranquillitatem, quod non eſt illi commune cum omnibus, ſed tantum cum aliquibus, ut cum homicidio, furto, rapina, adulterio, rebellione, ac ſimilibus, licet priori modo hæreſis non puniatur à Principe, vel Magiſtratu pœna capitis, poſteriori tamen juſte punitur æque ac furta, homicidia, adulteria, cæteraque hujuſmodi. *Clamato*, inquit Auguſtinus *lib.* 2. contra duas Epiſtolas Gaudentii Donatiſtæ, *ſi audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria, ſola ſacrilegia volumus à Regnantium legibus impunita. Hæc cùm dicitis, quid aliud dicitis, niſi nulla hominum poteſtas contradicat, & obſtrepat libero arbitrio, quando injuriam facimus Deo*,

Denique obſervandum eſt, rationem puniendi hæreticos pro diverſitate temporum diverſam quoque fuiſſe in Eccleſia. Hæc enim illico ad extremum ſupplicium, ſive mortis pœnam hæreticis infligendam non pervenit. Sed cum in primitiva Eccleſia temporaliter in eos ſæviri non poſſet, ut late probat D. Auguſtinus *Epiſt.* 50. *ad Bonifacium*, vel quod Imperatores ac Reges nondum Chriſtum colerent, & conſequenter Eccleſiam, tanquam matrem ſuam, cujus defenſores eſſent, nondum agnoſcerent; vel quia tunc id expedire propter varia ſcandala, quæ inde poterant ſuboriri, non judicabat Eccleſia, tunc ſpiritualibus duntaxat uſa eſt pœnis vel excommuni-

ſationis, vel ſuſpenſionis, vel depoſitionis. Verum cum impunitas ipſa multorum malorum cauſa eſſet, coacti ſunt Patres ad remedis acerbiora recurrere. *Cogunt enim*, ait Auguſtinus *Epiſt.* 33. ad Bonifacium *novas invenire medicinas novorum exempla* malorum. Propterea tempore Conſtantini pœna exilii hæreticis decreta eſt, ut apparet ex proemio Concilii Niceni, & ex Sozomeno *lib.* 1. *hiſt. cap.* 20. cujus uſus in Eccleſia viguit uſque ad tempora Anaſtaſii primi, ut conſtat ex ejus Epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ. At cùm exilium parvifacerent, addicta eſt mulcta pecuniaria Theodoſii Imperatoris tempore, videlicet decem librarum auri, ut habetur 23. *quæſt.* 3. *can. ipſa putas.* Cumque hæ duæ pœnæ ad compeſcendos hæreticos ſatis adhuc non eſſent, Honorius, ac Theodoſius Imperatores pœnam mortis decreverunt in Anabaptiſtas, ut patet ex *l. ſi quis C. ne Sanct. bapt. reit.* Marcianus autem, & Valentinianus pœnam Capitalem in omnes, ut habetur *in l. quicumque C. de hæret.* Demum ſtatutum eſt, ut pertinaces, & relapſi, poſt ſemel abjuratam hæreſim, traderentur brachio ſeculari extremo ſupplicio afficiendi *cap. ad abolendam de hæret.* iiſque ſubjecti ſint pœnis, quæ ipſo jure huic generi imponuntur *cap. excommunicamus* 13. *quæſt.* 15. *cap. urgentis de hæret. cap. cum ſecundum, eod.* quam omnem cognoſcendi, & judicandi poteſtatem Eccleſia ſuum ad forum traxit *d. cap. ad abolendam, cap. ut commiſſi, cap. per hoc cap. ut inquiſitionis de hæret. in* 6. *Clem.* 1. *eod.* Clarus *lib.* 5. *ſent. §. hæreſis*, præciſa omni appellandi facultate *d. cap. ut inquiſitionis* Magiſtratibus ſecularibus nulla hujus rei cognitione, ſed tantum executione poſt imploratum à ſententia brachium ſeculare relicta *d. cap. ad abolendam*, & paſſim *de hæret.* Quod olim uſitatum fuit *l.* 4. *C. de hæret. & l.* 1. *C. de ſum. Trinit.* Nam Conſtantinus cauſam Arrii primum in legitima Synodo Nicena cognoſci, ſe præſente tantum, ſed præſidente Delegato Apoſtolico, paſſus eſt, reque idoneè cognita, & conſentientibus Epiſcoporum, qui Eccleſiam præſentabant, ſuffragiis ad normam ſacræ Scripturæ congruentibus hæreſeos damnatum, & in ea pertinaciter reſtitantem exilio mulctavit.

Etenim, ut jam diximus, ſicut in prima Eccleſia cum ope & auxilio Magiſtratus Epiſcopi deſtituerentur, excommunicatione tantùm, quod unum poterant, hæreticos profligabant Tit. 3. 1. Corinth, 5. ita deinceps ſub Auguſtis Chriſtianis hæreticos, ab Eccleſia damnati, à Principe relegabantur *l.* 2. *in fin. C. de ſum. Trinit. l. ult. C. ne Sanct. bapt. it.* aut deportabantur *l. quicunque C. de hæret.* aut plectebantur arbitrarie *d. l.* 1. *C. de ſum. Trinit.* ubi tamen Bald. *num* 7. vult pœnam hæreſis *ex l.* ordinariam eſſe quoad inferiores Magiſtratus, arbitrariam verò quoad Principem, cui pœnæ ſunt omnes arbitrariæ, ſicut judicia ipſa univerſa, Menoch. *conſ.* 2. *num* 159. *cum ſeq.* ut quos ſpiritualis diſciplina non corrigit, eos pœna temporalis debito modo corripit *d. cap. urgentis de hæret.*

Porrò, quod dicitur *l.* 4. *C. de hæret. contra Manichæos* inquiſitionem in mortem extendi, fateor id non ad ſupplicium capitis, ſed ultimarum voluntatum caſſationem, item ad hoc, ut mortuus accuſari, & memoria ejus damnari poſſit, ſpectare, ut ipſe textus oſtendit, & Gloſ. *d. l.* 4. *v. ſubire*, *l.* 2. *C. de apoſtat. & l.* 1 *C. de ſum. Trinit.* niſi dicamus, ſingulare fuiſſe in Manichæis ac ſimilibus, ut aliis hæreticis pertinacibus ac impenitentibus, vel relapſis de quibus nos loquimur. qui ad imam uſque ſcelerum nequitiam pervenerant, *l.* 5. *C. de hæret.* ut ultimo ſupplicio jure traderentur *l.* 5. *d. l. quicumque de hæret. & l.* 2. *ne ſanct. bapt. it.* Et licet has conſtitutiones aliqui interpretentur non de amiſſione vitæ, ſed de deportatione, quæ & ipſa ultimum ac capitale ſupplicium dicitur, *l. ult. C. de execut. & exact.* quamquam Juris conſultus improprie *in l. ultimum* 21. *de pœnis* loqui videatur, cum hæc conjungantur *in d. l.* 4. *& l. quicumque de hæret.* attamen Gloſſatores *in l.* 1. ubi Azo *nem. lic. ſig.* ſalvat. & Canoniſtæ *in d. cap. vergentis*, *& in d. cap. ad abolendam*, pœnam hanc non modo de amiſſione vitæ interpretantur, ut Zaſius *conſ.* 23. *lib.* 1. Coras. *lib.* 3. *miſcel. cap.* 8. *numero* 5. ſed ad ignis etiam cruciatus extendunt. Quod conſuetudo ſequitur, ut volunt Covar. *var. reſol. lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 10. Panorm. *ad d. cap. ad abolendam numera* 13. Girl. *de hæret. quæſt.* 3. *numero* 3. Gundiſal. *eodem tit. quæſt.* 15. *numero* 4. Carer. *in pr. cap. hæreſis*, Clar. *d §. hæreſis numera* 7. & 8. Gomez *tom.* 3. *var. reſol. cap.* 2. *num.* 1. Laur. Correr. *in prat. & cur. lib.* 1 *§.* 3. *cap.* 5. *de hæret. num.* 12. Etſi hoc genus ſupplicii numquam decerni debeat, niſi cum lege diſerte eſt expreſſum *l. un.* ubi Salic. *C. de agger. Nili rump. l. capitalium §.* 1. *& §. igni cremantur*, *l. aut damnum §. hoſtes*, *l ſiquis §* 1. *de pœn.* Gundiſal. *d. quæſt.* 15. *numero* 4 Quare Zaſio *d. conſ.* 23. magis placet gladii pœna, ut cum imperator Arrianos, alioſque ejus generis hæreticos ea tantum pœna plecti juſſerit *l. Arriani C. de hæret.* Verum cum ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, non minus quam ea quæ ſcripta ſunt, ut Hermogenes ait, ſervari oporteat *l ſed ea ff. de legib.* neque temere ab eo recedendum ſit, quod diu æquum viſum eſt, tolerabiliaque ea ſint quæ vetus conſuetudo comprobavit *l. Imperatores ff. de pollicit.* nos hæc omnia Eccleſiæ judicio, rata habemus. Sane olim Romæ Principes tanta ſævitia Chriſtianos homines inſectabantur, ut non ſolum conviciis & maledictis eos exagitarent, ſed etiam ad ſtipitem dimidii aſſis revinctos, ſarmentis additis plerunque concremarent, ob idque ridiculo nomine Semiſſios, & Sarmentarios appellabant, ut ex Pamphilo, Euſebio & Auguſtino refert Petrus Crinit. *lib.* 1. *cap.* 13. Licet enim in atrocioribus pœnam legis tranſgredi, ut per Bald. *in l. obſervandum q.* 10. *ff. de offic. Præſid.* Innoc. *in cap.* 1. *de conſtit.* Etiam in delicto hæreſis, ut Majeſtatis, Menoch. *conſ.* 100. *num* 65. *& ſeq.* Sed in ſummis tantum Principibus permittitur, ut dextre reſtringit Jaſ. *in l. qui juriſdictionis n.* 4. *&* 5. de *juriſd. Omn. Jud.* nec eadem inferiorum poteſtas eſt, Bald. *in auth. hodie C. de judic.* Alii enim aliis gravius ac pejus errant. Diſcipuli etiam pecuniis, atque minus quàm Doctores & corruptores puniuntur, l. quicumque in fine de hæret. ut non videatur certa pœna, ſed arbitraria potius eſſe ſtatuenda *l.* 1. *in fine. & l. ult. C. de ſum. Trinit.* Etiamſi Gloſſa & Doctores certam eſſe velint, & ordinariam *d. l.* 1. *in fin.* reſpectu ſcilicet inferiorum à Principe. Bald. *in d l.* 1. *num* 7.

Unde non obſtant quæ ex jure civili ſupra produximus. Sufficit enim, quod ſint hæretici, quocumque nomine appellentur, maxime verò pertinaces impenitentes, vel relapſi. Siquidem hæretici aliquando dici videntur quicumque veram ſinceramque & Orthodoxam religionem Chriſtianam non amplectuntur, ſive nomine Chriſtiani ſint, ſive Judæi, ſive Pagani, ſive Samaritæ per *l.* 2. *C. ne Chriſtianorum mancip.* ubi legitur particula *alius*, cujus naturale eſt, prioribus ſimilia ſubjicere. Ut plurimum verò hæretici dicuntur, qui aſſumpto

nomine

nomine Chriſtiani, in quibuſdam Religionis articulis à veritate deſciverint, ut paſſim in Cod. & Novel. Juſtiniani. Definiuntur autem hæretici *in l. 2. §. ult. C. de haret. Manich. & Samar.* qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis, & tramite deviare detecti ſunt, quæ etiam leguntur *in l. 28. C. Theod. de haret.* ubi tamen ambiguum eſt, an verba illa *levi argumento* pertineant ad verbum *detecti*, an ad verbum *deviare*. Quia vero abſurdum eſt, quenquam graviſſimi criminis condemnari levi argumento, & quod levi argumento deregitur, id magis conatu, quam effectu detegitur, ideo probabilius videtur, ad verbum *deviare* ea referre, ut ſpecifica differentia hæretiei eo contineatur, quod levi argumento deviet à vero. Omne enim hæretici argumentum, quantumvis plauſibile, & maximæ dignationis, judicio humanæ rationis in corruptionis ſuæ terminis adhue conſiſtentis videatur, tamen pondere ſui, & ad autoritatem ſacrarum litterarum comparatum, leve eſt.

Aliàs hæreticus dicitur omnis non orthodoxus *l. Manichai 12. pr. l. qua de Samaritis v. caeteri C. de haret. Manich. & ſamar. l. 2. C. ne Chriſtian. mancip. haret. vel Jud. vel pagan. hab. vel poſ. vel circ.* Novel. 109. *in praf.* hæretici dicuntur, qui alicujus cujuſcunque tandem fuerit hæreſeos, & in fine præfationis qui nomen quidem Chriſtianorum ſibimet impoſuerint, à vera tamen Chriſtianorum fide, & communione ſeipſos ſeparantes ſeipſos judicio Dei ſubjicere deprehenduntur. Item paulò ante finem in eodem praf. Qui non ſunt membrum Sanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, in qua omnes concorditer Sanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem. Idem ſacram communionem in Catholica Eccleſia non percipientes à Deo amabilibus ſacerdotibus. Sic Novel. 115. *c.* 3. *§.* 14. hæreticus definitur, qui non eſt catholicæ fidei, nec in ſacroſancta Eccleſia communicat, in qua omnes beatiſſimi Patriarchæ, una conſpiratione & concordia fidem rectiſſimam prædicant, & ſanctas quatuor Synodos, Nicenam, Conſtantinopolitanam, Epheſianam primam, & Chalcedonenſem amplecti & recitare, ſive commemorare noſcuntur. Ita definitur jure Cæſareo, ſive civili Juſtinianeo. Ex quibus apparet & illud, Eccleſiam Catholicam eſſe, quæ habet fidem & Religionem Catholicam; catholicam autem fidem, ſive Religionem eſſe rectiſſimam, & Apoſtolicam fidem, & traditionem, ut indiſſolubili vinculo connexæ ſint Eccleſia Catholica, Religio Catholica, fides rectiſſima, & doctrina Apoſtolica ita, ut inde ipſi etiam Epiſcopi dicantur Sacroſancti, Sanctiſſimi, Deo amabiles, quod nulli eorum competit epitheton, qui commentis ingeniorum ſuorum doctrinam cœleſtem adulterant.

Illis etiam adjicimus locum Iſidori *lib. 8. etymologian cap.* 3. hæreſis græcè ab electione vocatur, quod ſcilicet unuſquiſque id ſibi eligat, quod ſibi melius eſſe videtur, ut philoſophi Peripatetici, Academici, Epicurei, & Stoici. Vel ſicut alii, qui diverſum dogma cogitantes arbitrio ſuo ab Eccleſia receſſerunt. Inde ergo hæreſis dicta græca voce ex interpretatione Electionis, qoa quiſque arbitrio ſuo ad inſtituenda, ſive ad ſuſcipienda quælibet, ipſe ſibi eligit. Nobis verò nihil noſtro ex arbitrio inducere licet, ſed ne eligere quod aliqui de arbitrio ſuo induxerint. Apoſtolos autem Dei habemus autores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus aſſignarunt. Itaque etiamſi Angelus de cœlis aliter evangelizaverit, anathema vocabitur. Hæc Iſidorus. Idem *eodem libro 3. cap. 5. in fine* ait: Sed & quicunque aliter Scripturam ſacram intelligit, quam ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo conſcripta eſt, licet de Eccleſia non receſſerit, tamen hæreticus poteſt appellari. Quod etiam habetur *in decreto can. quidam autem 24. quaſt.* 3. ſimilia ſunt *in can. hareſis ead. cauſ. & q.* ex Hieronymo *cap. 4. ad Galat.*

Auguſtini autem *libro de utilitate credendi cap.* 1. hæreticus eſt, qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatuſque ſui gratia falſas, ac novas opiniones, vel gignit, vel ſequitur. Ille autem, qui hujuſmodi hominibus credit, homo eſt imaginatione quadam veritatis ac pietatis illuſus *can. hareticus eſt 24. quaſt* 3. Diſtinguendum ergo putat inter ſeductos, & ſeductores, qui in Novel. 24. *in praf.* dicuntur autores impiorum dogmatum, *& in c. 1. §. 1. hareſiarcha.* Sic Auguſtinus contra Manich. Qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquid, pravumque ſapiunt, ſi correpti, ut ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, ſuaque peſtifera & mortifera dogmata emendare nolunt, ſed defenſare perſiſtunt, hæretici fiunt, *can. qui in Eccleſia 24. quaſt.* 3. Idemque Auguſtinus *Epiſt.* 162. Glario, Eleuſio & aliis. Dixit Apoſtolus ad *Tit. 3. v.* 10. 11. hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt hujuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus; ſed qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, ac perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem prolapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam ſunt in hæreticos deputandi.

Tertullianus *contra Martionem lib. 1. cap.* 1. deſtinari hæreticus poteſt, qui deſerto, quod prius fuerat; id poſtea ſibi eligerit, quod retrò non erat. In tantum enim hæreſis deputabitur, quod poſtea inducitur, in quantum veritas habebitur, quod retro, & à primordio traditum eſt. Et *de praſcript. adverſus hareticos cap.* 37. ſi hæretici ſunt, Chriſtiani, eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo, quod de ſua electione ſectati, hæreticorum nomine admittunt. Et poſt, unde extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate doctrinæ, quam unuſquiſque de ſuo arbitrio adverſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit.

Quoties igitur hac via quiſpiam à primo & verò, & Apoſtolorum ſcriptis doctriniſque receſſiſſe oſtenditur, hæreticus eſt. Atque adeo pœnis in jure ſtatutis plectendus. Unde hoc efformari poſſit generale eſtatum *ex d. l. 1. C. de ſumm. Trinit. & fid. Cath.* Quicunque defecerunt de Religione, quam D. Petrus Romanos docuit, illi ſunt hæretici, & tum divina ultione, tam imperatoria plectendi, atque adeo pœna mortis, vel vivi comburii ſi pertinaces ſint, & impœnitentes, vel relapſi, & ut aiunt Imperatores *in d. l. 1. Poſt etiam motus noſtri, quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus ultione plectendi,* hoc eſt regulis divinarum litterarum conſentaneis. Non ignoramus loqui ſolitos Chriſtianos Imperatores de ſeſe immoderate, ſi aptare eorum verba quis velit. Licet tamen nobis eorum verba ita interpretari, quod velint voluntatem ſuam divinæ Majeſtatis voluntati omnimodo eſſe conformẽ, Hyperbolæ iſtæ paſſim occurrunt, ut noſtrum Numen *in l. jubemus, C. de app. & conſ. l. 2. C. de tem. & rep. appel. l. ult. C. de bon. qua lib. l. quidam §. ſed alii C. de neceſ. ſerv. hared. inſtit. l. neminem C. de ſacroſ. Eccleſ. l. Imperialis §. Itaque C. de nupt. l. neminem C. de re mil. l. 1. C. ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcip. ruſtic.*

vel

vel vic. l. cum. antra C. de recept. arb. Quod interpretari poſſumus noſtrum nutum, & voluntatem. cùm Imperator ſit Dei Vicarius quoad terrena, qui quæcunque ſancit, ea juſta eſſe, ac voluntati divinæ conſentanea vult, aut velle ſane debet. Et hoc loquendi genere ſæpe blanditur Imperatoribus Symmachus, ut notat etiam Briſſonius *in Lexic. jur. verbo Numen.* Ejuſmodi exceſſus quoque eſt, Apices cœleſtes *l. 5. C. de aquaeduct.* Cœleſte oraculum *§. illud proprium inſtit. de adopt. l. ult. C. de defenſ. civit.* Sacri affatus *l. ſacri affatus C. de div. reſcript. l. per hanc §. quicquid C. de adv. div. Judic.* Divini affectus *l. ult. C. de deſcuſ. civ. l. Imperialis §. itaque C. de nupt. l. ult. C. de crim. ſacril. l. omnis C. de aquad.* Divina delegatio *l. ſi quando C. de app. & conſ.* Divina conſtitutio *§. ult. Inſtit. de uſu cap.* Divina ſanctio *l. per hanc. C. de temp. & repar. app.* Divina pragmatica ſanctio *, l. jubemus nullam C. de Sacroſ. Eccleſ.* Divina indulgentia *l. Imperialis §. itaque, & §. ſed ſi à ſcenica C. de nupt.* Quod etiam occurrit *in l. 3. ff. de conſtit. Princip.* Divini apices *l. ult. C. de aquad.* Divinitas noſtra *l. neminem C. de re mil.* Divina Auguſta *l. ult. C. de quadrien. præſcript.* Divinæ poſſeſſiones & domus *l. milites C. de re mil. rubr. C. de fund. rei priv. & ſalt. divinæ domus, l. ult. tum in inſcriptione, tum in contextu ipſo C. de quadrien. præſcr.* Quæ omnia & ſimilia, niſi eo ſine ſint recepta, ut Principes ipſo vocabulo admoneantur, ſe in conſtitutionibus ſuis præcipuam divinæ voluntatis curam habere debere, iis Chriſtianis Imperatoribus excuſari vix poſſint, cùm etiam qui ex gentilibus moderatiores fuere Imperatores, ab iſto pluſquam Perſico verborum adulandi palpo & luxu abſtinuerint.

Ut igitur in pauca contrahamus totum *ex d. l. C. de ſum. trinit. & fid. cath.* hoc conſequitur. Quicunque doctrinam à D. Petro, hoc eſt ab Apoſtolica, & Romana Eccleſia, traditam non ſequuntur &c, ij dementes, veſanique judicandi, hæretici dogmatis infamiam ſuſtineant, divina primum vindicta, poſt etiam motus Imperatoris quem imperator ex cœleſti arbitrio ſumpſerit, ultione plectendi, atque adeo, ſi opus ſit, etiam ultimo ſupplicio.

Ex *l. 3. C. de ſum. Trinit.* ſolum colligimus, quod quamvis, ut ante dictum, omnis Magiſtratus gladii poteſtatem habeat, & proinde poſſit etiam hæreſim, ut quodvis aliud malum, prohibere, ac prohibendo exterminare, non tamen illico vi armata, & gladio exterminare hæreſim debet, non cædibus hominum, & ultimo ſupplicio, ſed ſi jus civile ſequi vult, reperiet jure civili remedia longe leviora ac mitiora prodita eſſe, ac experienda, ut *ex d. l. 3.* ex aliis conſtat. Unde vitioſum eſſet conſequens ab iſto indefinito, ac generali enunciato: *Omnis Magiſtratus omnem hæreſim debet exterminare*, concludere velle. *Ergo omnis Magiſtratus omnem hæreſim omni tempore, ſine omni conditione, omni modo debet exterminare* Nam non quovis modo id facere debet, ſed hoc præcipue, ut prius fideles Evangelii Doctores conſtituat, qui docendo, & orando hæreſim evellant ex eorum animis qui ſunt iſto aliquo malo infecti. Deinde ut imperet veram Religionem, & prohibeat hæreſim. Tertio, ut ſi moniti nolint ab ea deſiſtere pœnas eas minetur, quæ ſeductis relinquant convertendi ſe ſe occaſionem, verbi gratia, ad dignitates, & honores eos aſcendere non permittat. Quarto parte aliqua commerciorum, & civilis converſationis libertate eos multet. Quinto bonorum publicatione feriat. Sexto deportari jubeat. Tandem ultimo ſupplicio afficiat, ſi hæreſeos crimen alia crimina aggravent, ut totum hoc ex circumſtantiarum diverſitate & gravitate temperandum

Ex *l. Manichæos §. ac primum C. de hæret. Manich. & Samar.* ſic habetur: Ac primum quidem volumus, eſſe publicum crimen. Quia quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam. Eadem habentur *in l. quid de Donatiſtis C. Theod. de hæret.* Ex qua hoc enunciatum accipimus. Hæreſis, qua hæreſis, eſt crimen publicum. Non enim aliud erit ejus ſubjectum ſtatuendum, quàm hæreſis, qua hæreſis, atque adeo de omnibus hæreticis loquitur. Quod conſtat *ex l. quid de Donatiſtis C. Theod. de hæret.* in qua ſit mentio etiam Frigarum, & Priſcillianiſtarum, de quibus etiam *in l. Arrians C. de hæret. & Manich. & Samar.* Quod ideo factum, quia & illi hæretici erant. Ergo in genere damnata hæreſis, id eſt omnis hæreſis. Nam, ut Ariſtoteles *lib. de interpr. cap. 7.* docet, iſtiuſmodi verba rem univerſam ſignificant, quamvis oratio univerſalis non ſit, ac proinde hæreſis, ſive omnis hæreſis eſſe debet crimen publicum.

Ex quo ita urgeo, iſtius generalis enunciati rationem. Quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam *d. l. Manichæos 4. d. §. ac primum C. de hæret. & Manich. & Samar. d. l. quid de Donatiſtis C. Theod. de hæret.* Unde hæc argumentio procedere videtur. Quicquid in omnium fertur injuriam, id eſt crimen publicum. At quicquid in Religionem divinam committitur, id in omnium fertur injuriam. Ergo quicquid in Religionem divinam committitur, id eſt crimen publicum, ac per conſequens, reſumpta concluſione: quicquid in Religionem divinam committitur, illud eſt crimen publicum. Omnis hæreſis in divinam Religionem committitur. Ergo omnis hæreſis eſt crimen publicum. Ex quibus apparet, rationem reddi, non cur Manichæorum & Donatiſtarum hæreſis ſit, eſſe crimen publicum, ſed quia hæreſis eſt, ideo voluit eſſe crimen publicum. Notantur autem duo juris civilis principia, autoritas, & voluntas Legislatoris, & ratio probabilis, neutra ſola ad jus civiles conſtituendum ſufficit. Ratio enim probabilis eo ipſo, quod neceſſaria non eſt, jus certum conſtituere non poteſt. At ſi is, qui Legiſlatoris Majeſtate fulget, ſine ratione probabili jus conſtituera velit, jus in injuriam transformabitur. At quando ratio probabilis, cum voluntate & autoritate legislatoriæ Majeſtatis concurrit, jam lex æqua, & bona conſtitui poteſt Ita *in hoc. §. ac primum d. l. Manichæos*, voluntas, & autoritas legislatoriæ Majeſtatis extat in illis verbis: *Volumus eſſe crimen publicum.* Probabilis autem ratio in iſtis: *Quia quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam.*

Sequitur *§. in mortem d. l. Manichæos 4. C. de hæret. & Manich. & Samar.* cujus hæc ſunt verba: *In mortem quoque inquiſitio extendatur. Nam ſi in criminibus Majeſtatis, licet memoriam accaſare defuncti, non immerito & hic debet ſubire tale judicium.* Quæ verba ita aliqui interpretantur. Inquiſitio hæreticorum eum in finem inſtituitur, ut ad mortem hæretici rapiantur. Deinde iſtud inde eruere argumentum poſſent. Quod in crimine Majeſtatis obtinet, idem quoque in hæreſi obtinet. At verò ultimum ſupplicium obtinet in crimine Majeſtatis, ut reus ultimo ſupplicio afficiatur. Ergo ultimum quoque ſupplicium in hæreſi obtinet, ut reus ultimo ſupplicio afficiatur.

Id etiam deſumitur *ex l. quicunque 8. C. de hæret. & Manich. & Samarit.* quod his verbis in ea proponunt Valentinianus & Martianus: Ultimo *etiam* ſupplicio

coerce-

coerceantur, *qui illicita docerè tentaverint. Æquum namque eſt, ut immaniſſima ſacrilegia par pœna magnitudo percellat.* Idem diſponitur *in l. oracula, & l. ſciant Cod. Theod. de haret.* ubi plectendi dicuntur pœna proſcriptionis, & ſanguinis. Quod ſaltem ſucceſſive intelligendum eſt, ut primum plectantur proſcriptione, quam pœnam, ſi contempſerint, deinde plectantur pœna ſanguinis, ut juria eſt communis. Et. *l. 2. C. de haret. Manich. & Samar. Nemo ulterim tonetur, qua repeterit profana præcepta vel aocere, vel diſcere.* Quæ verba deſumpta ſunt *ex l. omnes vetita 5. & l. hareticorum dementiam 24. C. Theod. de haret.* Generalis regula eſt *in l. culpa* ſimilis eſt, tam prohibita diſcere, quam docere, *C. de malef. & mathem.* Particula *etiam in d. l. quicunque §. ult.* poteſt inſinuare, ſi ei tribuatur via implicativa, ut jutis Interpretes loquuntur, & hunc pariat ſenſum, qui illicita docere tentaverint præter leviores pœnas, etiam ultimum ſupplicium ſuſtinebunt, ut non ſemper ultimo ſupplicio afficiantur, ſed exigeote id pertinacia, dum inſiſtunt hæteſi, motu peſtiferæ perſevetationis *l. 2. C. Theod. de his, qui de rel. cont.* Quod nos de pertinacibus impœnitenribus, ac relapſis aſſerimus.

Excutiamus nunc & eos locos, ubi mentio fit ultimi ſupplicii, inter quos primo ſuccurrit *l. Arriani 5. C. de haret. Manich. & Samar.* ibi: Et ultimo ſupplicio rtadendis. Ex quibus verbis non aliter judicabitur, niſi ordine commemorato obſervato, qui ordo etiam obſervandus *in l. 11. & l. 12. C. eod.* ubi & is, qui ex Manichæo ſactus eſt orthodoxus, & deinde facit ea quæ priſtini ſunt errotis, vel cum iiſdem degit, ac converſatur, nec confeſtim prodit, videatur prodidiſſe, aut prodere voluiſſe Catbolicam Eccleſiam furori Manichaico, aut certe pœnam deportationis eluſiſſe. Quod delictum, ut gravius, graviorem deportatione pœnam admirtit, ut ejuſmodi Manichaicus proditor, aut refuga, ultimo ſupplicio puniri mereatur. Quod & nos de relapſis autumamus. In *l. 2. 2. C. ne Sanct. Bapt. iter.* peculiaris quoque eſt caſus, in quo, ut atrocius delictum, ſic major pœna eſſe poteſt. Ibi enim Anabaptiſta, quicunque ille fuerit, rebaptizavit Clericum, ſive aliquem de miniſtris Catholicæ ſectæ, ſive, ut *in l. 6. nullus C. Theod. eod. l. de myſteriis*, quod eodem recidit ad hujus ipſius *l. quicunque §.* Ideoque. Majus autem crimen eſt, ſiquis auſit Clericum ſeducere, à quo ipſe potius reduci debuit, quàm ſi ſeducat plebeium & ſimplicem hominem, & male credulum, ut *cum l. adverſarios C. eod.* loquamur. Major quoque crimen eſt, ſi rebaptizetur Clericus, qui ejuſmodi profanationem baptiſmatis refutare debebar, quam ſi idiota aliquis in id vitium incurrat. Potuit igitur eo caſu major pœna, & ultimum ſupplicium conſtitui, quanquam *in d. l.* nullus ultimi ſupplicii pœna ſtatuta non ſit, ſed dicatur ibi reus ſtatuti prioris ſupplicio percellendus. Prius autem ſtatutum Anabaptiſtas non puniebat morte, ſed confiſcatione bonorum *l. 2. d. l. adverſarios, l. ne divinam C. eod.* neque tamen ideo cum Julio Pacio *in method. ejus tituli* exculpenda eſt *ex d. l. 2. C. ne Sanct. Bapt. iter.* vox *ultimo*, quaſi ex falſo gloſſemate in contextum irrepſerit. Potuit enim pœna à Juſtiniano exaſperari, & ita lex illa interpolari. Græcorum ſane paratitla apud Leoncl. *lib. 1. hujus tituli* id verbum agnoſcunt. Interim & manuſcripti Codices, & editiones emendatiores eam quoque vocem *ultimo* in *d. l. 2. exhibent*, quæ typographorum proculdubio in curia excidit ex editione Lugdunenſi anni 1590.

Ii, de quibus *l. ult. C. Theod. de ſum. Trin. & fid. cath. & l. 1. C. de his, qui de rel. cont.* ſtatuit, meritò capite & ſanguine ſupplicia luant. In *l. quisquis C. de haret.* ſummo ſupplicio, & inexpiabili pœna jubentur affligi ij, quos Encratitas prodigali appellatione cognominant, &c. In *l. Eunomiana C. de haret.* ordo & gradatio pœnarum obſervetur, tandem capite ſunt plectendi. In *l. Eunomianis pœnam C. Theod. de haret.* ſummo ſupplicio feritur procurator fundi, &c. ſi in fundo, aut domo patiatur profana myſteria celebrari, &c.

Ex jure Imperatoris Friderici ſecundi *in auth. Gazaros, C. de haret. Manich. & Samar.* hæretici in genere diffidantur, & banniuntur, omniaque eotum bona confiſcantur, &c. quam pœnam ipſe etiam Fridericus expertus eſt. Nam hujus ipſius conſtitutionis ſuæ beneficia excidit regno Siciliæ, tanquam hæreticus, ut ex Baldo notat Gothofr. *ad auth. ſi veto dominus C. de haret.* quæ deſumpta eſt ex eadem Friderici ſecundi conſtitutione, ex qua etiam petita eſt auth. Gazaros, quam idem Fridericus Papæ Honorii laudatione, approbatione, & confirmatione muniri voluit, cùm ea omnia, quæ in illa continentur juri quidem Canonico ſunt conſentanea. Nam deſumpta eſt *ex cap. excommunicamus 15.* & ex *cap. excommunicamus 13. §. qui autem de haret. & auth. ſi verò dominus de haret. & Manich. & Samarit.* deſumpta eſt *ex d. cap. excommunicamus 13. §. credentes.* Ideoque conſtitutio illa Friderici ſecundi, quæ ab autoritate juris Canonici vim & autoritatem accepit, ut juri, & æquitati conveniat, juſta, & æqua eſt.

Qui verò ſint illi Gazari, Patæreni, vel Leoniſtæ, vel Speroniſtæ, vel Arnoldiſtæ, vel Circumciſi, vel alii hæretici, qui apud Petrum de Vineis *lib. 1. Epiſt. c. 27.* commemorantur, veluti Arrianiſtæ, Paſſagini, Joſeppini, Cartacenſes, Albanenſes, Commincelli, Bannaroli, Comiſtæ, Waldenſes, Burgari, Franciſci, Bartini, & Ottolevi, & cum illis de Aquanigra, id ſatis obſcurum eſt. Nos ex illis, quæ Julius Pacius *in methodic. Cod. Juſtiniam tit. de haret. & Manich. & Samar.* annotavit, quædam paucis huc transferemus.

Gazaros dictos putant eos, qui in *cap. penult. de haret.* dicuntur Cathari, ſive Novatiani. At *in cap. ficut de haret.* Gazari & Patareni ſunt iidem, qui & aliis nominibus appellantur, qui & Albigenſes dicti ſunt.

Patarenos eoſdem eſſe putant cum Gazaris *in d. cap. ficut*, & ex Concilio Lateranenſi *tom. 2. Concil. Horum* etiam fit mentio *in d. cap. pen. & in Epiſt. Petri de Vineis d. lib. 1. cap. 26.* ubi dicitur, quod Patarenos ſe nominent velut expoſitos paſſioni, & quod ab ipſis abſit ſancta credulitas divinitatis æternæ.

Leoniſtæ creduntur eſſe pauperes de Lugduno qui hæretici à Papa judicati ſunt in multis, quæ ſacris litteris diſſentanea docuerunt contra Papatum, & videntur eſſe ſpecies ſuperiorum ſive Albigenſium.

Speroniſtarum fit quoque mentio *in d. cap. pen. de haret.* ſed qui ſint, non explicatur.

Arnoldiſtarum quoque meminit *d. cap. penult.* De his pacius *loc. cit. §. 27.* ſic habet: Nominati ita ſunt ab Arnoldo Brixienſi, cujus Ottho Friſingenſis, Guntherus, & Sabellicus meminerunt. Romæ combuſtus fuit. Sigonius autem *lib. 2. de regno Italiæ* eum ut hæreticum notat, quod neque clericos aliquid proprii, neque Epiſcopos regalia, neque Monachos, poſſeſſiones habere debere, ſed ea omnia Principum eſſe, atque ab eorum benignitate in unum tantummodo laicorum ſuppeditari oportere docuerit. Vixit ſub Conrado ſecundo circa annum Domini 1139.

Ex

Ex hac igitur *auth. Gazaros C. de hæret.* hæreticus impune occidi poteſt in terris, ubi Catholici non vivant permixti cum hæreticis, & non fruuntur libertate conſcientiæ. Nam in illa ſancitur, quod hæreticus ſit diffidatus. Idemque habetur in Conſtitutione Clementis IV. *ad extirpanda*, & in conſtitutione Leonis X. *Exurge Domine*, ac Friderici Imperatoris ubi id etiam extenditur ad credentes, receptatores, fautores, ac defenſores hæreticorum, & probant præter alios Pegna in *Direct. Inquiſ. p. 3. tit. de form. denunc. com. 36.* & Scacc. *de judic. cap. 79. nu. 2.* Ergo poteſt impune occidi Pegna & Scaccia *loc. cit.* ac etiam Soccin. *in cap. excommunicamus 1. de hæret. num. 12.* Jo. Monach. & Jo. Andr. *in cap. Præſidentes de hæret. in 6.* Gundiſal *de hæret. quæſt. 24.* Carer. *eod. tit. num.* 184. Grati. *lib. 2. deciſ. cap. 11. numero. 15.*

Quod quidem fieri debet, non autoritate propria, & privata, ſed autoritate publica ex juſtis, magniſque cauſis, volente, ac jubente Principe, vel Magiſtratu, qui in hac ſententia ferenda rationem habere debet ad bonum publicum, Religionem Chriſtianam, & honorem Dei, & quotieſcunque hæreticus ſua venenata & peſtifera doctrina alios inficeret, & nullum aliud remedium facile adhiberi poſſet, ut per Archid. *in c. p. præſidentes num. 1. de hæret. in 6.* ibique Gemin. *num. 7.* Joan. Andr. *num. 2.* & Franch. *num. 3.* Bonif. de Vital. *in rubr. de crim. hæreſ. num. 17.* Royas *ſingul. 3. num. 31.* Olb. *in num. de hæret. §. qualiter num. & alii*, quos ſequitur Decian. *in tr. cr. lib. 5. cap. 42. num. 2.*

Nec niſi fuerit juridice hæreticus declaratus ita, ut non ſufficiat, ſi tantum fuerit probatus, ut per Gemin. & Franch. *ibid.* ac Repert. Inquiſ. *v. executio*, ac niſi quando hæreticus Magiſtratui volenti illum capere reſiſtentiam inferret, ut docent Pegna & Scaccia *ubi ſupra*. idque adhuc prudenter & non leviter fieri debet, ſed neceſſitate ita exigente, cumque aliis circumſtantiis ex jure civili, & Canonico requiſitis. Cæterum addunt Carer. *de hæret. d. n. 148.* & Decian. *d. lib 5. cap. 42. n. 12. & d. cap. 42. nu. 2.* quod qui percutit clericum hæreticum non ſit excommunicatus, cùm propter hæreſim clericus, ut inquiunt ipſi, Canonis privilegium amittat. Quod ſane intelligendum eſt poſtquam ob crimen hæreſis fuerit degradatus.

His itaque ex jure civili conſtitutis, ſit prima concluſio. Hæretici, qui palam, & publice hæreſim, quam animo conceperunt, profitentur, ab Eccleſia jure puniri poſſunt. Eſt certiſſimum, pertinenſque ad fidem loquendo de pœnis in univerſum, ſive abſtrahendo à corporeis & ſpiritualibus. Fundatur in variis S. Scripturæ locis, Math. 18. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* 2. *ad Timoth.* 3. *num.* 5. ubi Apoſtolus primùm deſcriptis hæreticorum moribus, mox ait: *Et hos devita.* Et ad *tit. cap.* 3 *v.* 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Sic enim legitur hic locus non modò jam in omnibus exemplaribus græcis & latinis ſed etiam ab Athanaſio *orat. 5. contra Arrianos*, & *in Epiſt. ad Serapionem*, & à Chryſoſtomo, & à Theodoreto, & Hieronymo, & Primaſio *in eundem locum*, & à S. Leone *in ſer. contra hæreſim Euthychetis*, quamvis alii quidam ex veteribus citant hunc locum ſine illa particula, *ſecundam*, ut Irenæus *lib. 3. cap. 3.* & Tertulianus *in lib. præſcript.* & Cyprianus *lib. 3. ad Quirinum cap. 78.* & Ambroſii commentarius. Item 2. Joannis *v.* 10. *ſiquis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Act. 13. ubi D. Paulus acriter in eos, qui veritatem cognitam impugnabant, & alios ab ea amplectenda avocabant, ſævit, cæcitateque percuſſit Pſeudoprophetam, qui Sergium Paulum a fide conabatur adducere. Præcipuè verò fundatur hæc poteſtas in verbis illis Chriſti Domini *Joan. 15. v. 6* ex quibus manſuetudine ac indulgentia vitæ interdum hæretici tolerantur, dum expectantur, ut reſipiſcant. Deinde quibuſdam veluti duris ſtimulis, ac pœnis levioribus admonentur; poſtremo, ſi pertinaces perſeverent, tolluntur ex forma ab eo præſcripta, dum ait: *ſi quiſ in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes*, ecce excommunicationis pœnam; *& areſcet*, ecce perſeverantiam & pertinaciam; *& colligent eum*, vide ibi judicium, quod ſequitur, *& in ignem mittent, & ardet*, ecce tandem pœnam mortis. Quapropter ſaltem erroneum eſſet, hanc Eccleſiæ poteſtatem denegare, ut definitum fuit a Bonifacio VIII. in extravag. *Unam Sanctam de major. & obed.* & ab Innocentio IV. *in cap. ad Apoſtolica de ſent. & re judic. in 6. & in cap. 1. de homic. in 6.* & probant Bellarm. *lib. 3. de laicis cap. 21. & ſeq.* Valentia *to. 3. diſp. 1. quæſt 11. pun. 3.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 46. à num.* 44. Covar. *lib. 2. var. cap. 10. num. 10.* Suarez *de fid. diſp. 20. ſect. 3. num. 18. & 19. & diſp. 23. tota ſect. 1.* Clarus *lib 5. §. hæreſis*, Decian. *lib. 5. cap.* 55. Pegna *p. 2. direct. q. 40. com.* 65. Farinac. *de hæreſ. q. 196 §. 1. num. 4.* Souſ. *lib. 2. aphor. cap. 46. num.* 6. Inſtructio Toletana *an 1562. num.* 43.

Ex quibus primum Eccleſia hæreticos ſpiritualibus pœnis, potiſſimum excommunicatione, cœpit afficere. Etſi enim plures graves Doctores Joſicus Clicotoveus, Jacobus Latomus, Joannes Echius citati ab Andrea Duvallio *tr. de fid. quæſt.* 7. exiſtiment, hæreticos jure divino, & non tantum Eccleſiaſtico eſſe excommunicatos, melius tamen præfatus auctor docet, Eccleſiam quidem recte, ac juri divino valde conſentanee, hæreticos excommunicando, ſe gerere, non tamen jure divino latam eſſe de facto hanc excommunicationem, de qua ſuo loco.

Sit ſecunda concluſio. Licite ac juſtè poſſunt hæretici ob ſolam hæreſim, in qua pertinaces ſunt, vel in eam ſunt relapſi, pœna capitis puniri. Hæc concluſio eſt pariter certiſſima, ac pertinens ad fidem, definita in Concilio Conſtantienſi. *ſeſſ.* 15. ubi contrarium errorem Joannis Hus damnavit, & in Bulla damnationis articulorum Lutheri per Leonem. X.

Præcipui Scripturæ loci, unde id deſumitur, ſunt ſequentes. In veteri Teſtamento pœna mortis affecti ſunt idololatræ, falſi prophetæ, blaſphemi, inobedientes, & qui ſimilia crimina perpetraſſent; idque juſte ac legitime factum eſt. Nam Exod. 32. v. 27. ubi Moyſes juſſit occidi multa millia Jsraelitarum eo, quod adoraſſent idolum vituli. Levit. 20. *v. 2. ſiquis dederit de ſemine ſuo, Moloch. morte moriatur.* Et *cap. 24. v. 16. Qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur.* Num. 25. *v. 5. Occidat unuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.* Deuter 13. id genus hominum lex Moſis lapidibus adobruit, v. 6. *ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus, ut ſervias Diis alienis, ſtatim interficiet eum.* & *cap. 17. v. 12. Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Judicis, moriatur homo ille Lib. 3. Reg. cap.* 18. ubi Dei zelo Elias 450. pſeudoprophetas occidi jubet. & capitali ſupplicio in Sacerdotes Baal, ſimileſque fanaticos animadverſum à piis Regibus olim *lib. 4. cap.* 10. ubi Jehu omnes Sacerdotes Baal callide convocatos occidit. & *cap.* 23. Joſias delevit aruſpices, quos poſuerant Reges Juda ad ſacrificandum. Denique lib. 1. Machab. *caput* 2. ubi Mathathias trucidavit

quendam Iudæum ſacrificantem Idolis haud dubiè divino inſtinctu. Ac extat cenſura in pſeudo-prophetas catholica propriè ſpectans, & directa in regnum Chriſti *Zach.* 13. *v.* 3. *Non vives, quia mendacium loquutus es in nomine Iehova.* Sic enim in veteri Teſtamento non ſolum uſitata fuit, ſed etiam à Deo præcepta hæc pœna capitis. Ergò meritò nunc etiam occiduntur hæretici, cum etiam à recta fide recedant, tantò culpabilius, quanto nunc fidei veritas eſt illuſtrior. Nam & hac ipſa conſequentia utitur planè S. Ciprianus mox citandus.

Teſtimonia novi Teſtamenti ſunt illa, quibus non alio loco habentur hæretici, quàm lupi capaces, & fures, & latrones, Matthæi 7. *v.* 15. Ioannis 10. *v.* 8. & Act. 20. *v.* 29. qui propterea juſtè ac licitè interfici poſſunt, ne noceant.

Id ipſum docuerunt S. Patres. Cyprianus *lib. de exhort. ad martyr. cap.* 5. ubi commemoratis præfatis ex Veteri Teſtamento præceptis, mox ſubdit: *Si ante adventum Chriſti circa Deum colendum, & Idola ſpernenda, hæc præcepta ſervata ſunt, quanto magis post adventum Chriſti ſunt ſervanda, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus ſit, ſed & factis.* Hieronymus in illud ad *Galat.* 5. *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, ubi non modò aſſerit hæreticos morte mulctandos eſſe, verum etiam accommodatiſſimis exemplis confirmat. Omnium fuſiſſimè Auguſtinus *ep.* 48. *ad Vincentium* 50. *ad Bonifacium*, 146. *ad Donatiſtas*, *lib.* 2. *contra duas epiſtolas Gaudentii*, *cap.* 17. & 26. *tr.* 9. *in Ioan. lib.* 1. *contra litteras Parmeniani cap.* 7. & *lib.* 2. *contra litteras*, Petiliani *cap.* 83. ubi ex inſtituto probat, Magiſtratum autoritatem habere animadvertendi gladio in hæreticos juxta illud Apoſtoli ad Roman. 13. *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Cumque aliquando ſenſiſſet, non eſſe ullam vim hæreticis inferendam, ut patet *lib.* 1. *contra partem Donati*, illud retractavit *lib.* 2. *retract. cap.* 5. docent utiliſſimum eſſe, ut ipſi pœnis temporalibus, & corporalibus afficiantur. Sunt enim in Eccleſia ſicut Agar in domo Abrahæ. Ut enim illa afflixit Saram, ita illi Eccleſiam; & ut in Agar fuit animadverſum, ita & in hæreticos eſt animadvertendum. Item Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus in Concilio Chalcedonenſi act. 2. *Si Eutyches*, inquit, *præter dogma Eccleſiæ ſapit, non ſolum pœna dignus eſt, ſed & igne.* Et Priſcillianus hæreticus occiſus eſt ab Imperatore Maximo, teſte D. Hieronymo *in libro de vir. illuſtr.* Idem aſſerit S. Leo *ep.* 91. *ſive* 93. *ad Turibium*, nec non Bernadus *hom.* 66. *in Cantica*, & D. Thomas 2. 2. *q.* 11. Et Athenienſes, quos impietatis damnabant, lapidibus obruebant, Ælian. *lib.* 5. *var. hiſtor.*

Accedunt leges Chriſtianorum Principum, ac Imperatorum, ut Valentiniani & Marciani *in l. quicunque C. de hæret.* ac in aliis ſupra deductis, & Michaelis Imperatoris apud Paulum Diaconum *cap.* 24. quibus pœnam mortis hæreticis decreverunt, aliaſque pœnas corporales, ob quas tanquam religioſiſſimi ſemper habiti, & commendati præ cæteris fuerunt. Unde Optatus Milevitanus meritò reprehendit Donatum hæreticum, quod diceret, nihil eſſe Imperatori commune cum Eccleſia. *Eſt enim*, ut ipſe luculenter oſtendit, *Regnum & Principum Eccleſiam ab hæreticorum damnis, & incurſionibus liberare, eamque ab erroribus, ne latius ſerpant, temporalibus pœnis appoſitis præſervare.* Sic præter ſuperius citatos Childebertus, Galliæ Rex Eutychianos in Civitate Auguſtodinenſi exortos, & ſuæ peſtilentis doctrinæ venenum diſſeminare incipientes ad inſtantiam Sanctorum Audœnii, & Ægidii ex toto Galliæ Regno exulare coegit. Quod idem fecere contra ſuorum temporum hæreticos Carolus Magnus, Ludovicus primus, Henricus Secundus, Carolus Nonus, & Henricus tertius Galliæ Reges Chriſtianiſſimi, ut teſtatur Andreas Duvallius *in tr. de fid. q.* 7. *art.* 3. & noſtris temporibus Ludovicus decimus quartus, qui uno anno decem centena millia hæreticos, Hugoniſtas appellatos, ſine Reipublicæ perturbatione è Galliis ejecit. Idipſum de Regibus Hiſpaniæ prius Chriſtianiſſimis, & poſtea, ob debellatas hæreſes, Catholicis, cuique exploratiſſimum eſt, ex quorum omnium exemplis unum nunc proferam, quod numquam habuit primum, neque habiturum eſt ſecundum. Is eſt Philippus Secundus. Qui verò ejus zelus in rectam fidem; In Religione enim novitates, & ſectarum molimina ſemper averſatus eſt, ferro & igne naſcentes hæreſes ſuſtulit, & expugnavit, Cenſoribus ordinatis, qui de fide inquirerent. At ingens eſt gloria Principis Rempublicam magis amare, quàm filios. Philippus ita amavit. Erat illi filius unus, & unicus Carolus ex Maria Luſitaniæ Auguſta prima conjuge. Jam adultus, cum Arauſienſi Principe Belga, Gaſpare Caſtilloneo, rei maritimæ apud Gallos præfecto, aliiſque Novatorum antesignanis, in Religione nihil patrium, aut avitum ſapere inſimularetur, Legi cenſoriæ de fide ſuppoſitum, patrem Philippum habuit, qualem juvenis Romanus Torquatum. Nam ut ille ſævus ſecuri dixit, *I, lictor, deliga ad palum*, iſte S. Inquiſitionis Senatui facinus filii detegit, & ab eo exquirit, quomodo ſit in illum animadvertendum, ſciens ex naturæ lege ſe plus filium, quam ſemetipſum diligere, ex lege vero Dei ſalutem populi filio, & publicam charitatem privatæ antehabere, ac ſimul quærens num illæſa conſcientia filio criminum gratiam facere, nec tamen miſeriarum, quas fortè clementia ſua in Republica creaturus eſſet, accuſari queat. Theologis ad hanc inopinam quæſtionem nutantibus, & invitis, quamvis dicentibus, ſalutem populi filii incolumitati præponendam, multaque ingeniis donanda; ſed donanda vitia non portenta eſſe, Rex omninò illis Carolum ſubmiſit, & ita præſcripſit, ut in negotii totius diſceptatione regiam autoritatem ſuam non plus æſtimarent, quàm ſubditorum viliſſimum, & filium Carolum non aliter atque ſi ipſe Rex eſſet, reſpicerent, donec criminis enormitas talem reſpectum non rejiciat, & præcipuè animo memori repeterent; ipſos gerere imaginem Judicis illius, qui Angelos judicaverit, & olim ſine diſcrimine Reges terrarum, & Regum filios, uti alios homines, ſit judicaturus. Ita tamen Inquiſitionis Senatus judicavit, mortiſque ſententiam dixit, & Philippus pater ſubſcripſit. Deus bone! Quos conflictus ſubſtinuit, dum ſententiam ſignavit, & affectus paternos catenis juſtitiæ ligavit? Dum ſemetipſum in ſententia de filii capite lata condemnatum ſenſit; Pater erat. Nunquam hi affectus in tantum vincuntur odio, ut non ad naturam ſuam tandem revertantur. Sed debuit patrem exuere, ut verus ac juſtus Rex eſſet. Ita Sol novus, quem Grandes Hiſpaniæ jam adorabant, cum totius Europæ ſtupore in ætatis Oriente occidit, plurimis ad iſtud Bonæ ſpei caput naufragium facientibus anno Chriſtiano 1568. quem vates prædixit iſto verſiculo.

fILIVs ante DIeM patrIos InqVIrIt
In annos.

Hos autem omnes Principes ſugillare, aut reprehendere, tanquam injuſtos, ob editas in hæreticos leges coactivas, etiam uſque ad ultimum ſupplicium, propriis filiis minimè parcentes, nullus niſi

perſricatæ frontis audebit. Et tu Philippe vives in memoria hominum, ſama rerum, æternitate temporum.

At quid mirum? Nam ut *tom. 7.* Reges Hiſpaniarum originem ducunt à Recaredo, qui non minus Rex fuit, ſed & Apoſtolus. Huic ab univerſo Concilio Tolerano tertio anno 589. Sic acclamatum legimus: *Cui à Deo æternum meritum, niſi vero Catholico Recaredo Regi, cui à* Deo *æterna corona, niſi vero Orthodoxo Recaredo R*egi? *Cui præſens gloria & æterna, niſi vero amatori Dei Recaredo* Regi? *Ipſe novarum plebium in Eccleſia catholica conquiſitor. Ipſe mereatur veraciter Apoſtolicum meritum, qui Apoſtolicum implevit officium. Ipſe ſit Deo, & hominibus amabilis, qui tam mirabiliter Deum glorificavit in terris.* Idem Concilio Cæſarauguſtino ſecundo *Glorioſus & Sanctiſſimus Rex* vocatur anno 592. In Concilio vero Toletano anno 597. *Chriſtianiſſimus* quemadmodum & anno 599. in Concilio Barcinonenſi. Similiter autem & Cinthilanus Gothorum in Hiſpania, Galliaque Rex à Concilio Toletano ſexto *capite decimo nono*, Chriſtianiſſimi appellatione ornatur anno 638. Sed & Siſebuthum Regem anno 616. pulſis ex Hiſpania Judæis Chriſtianiſſimum cognominatum fuiſſe, gravissimi Scriptores fidem faciunt, Regem Ervigium Leo Papa anno 684. *præcellentiſſimum, atque Chriſtianiſſimum Regem* appellat. Gregorius quoque ſeptimus Ramirum, & Sanctium tertium Aragonum Reges *Chriſtianiſſimos* vocat, quo titulo ſimiliter Alfonſus Magnus Legionis, & Caſtellæ Rex à Joanne Papa Octavo afficitur.

Carolum Magnum anno demum 813. in Maguntino Concilio *Chriſtianiſſimi* appellatione honeſtari Papyrius Maſſonius, homo Gallus, aſſentientibus aliis hiſtoricis, annotavit. Sedis nempe honos non tanquam Regi, verum ut Imperatori, tum non niſi à provinciali Concilio delatus fuit. Imperatoribus enim id cognomen ab Eccleſia tribui ſolere ex Conciliorum veterum actis, & Sanctorum Patrum ſcriptis apparet. Itaque Caroli Magni poſteris, qui non ſimul Imperatores eſſent, eum titulum nuſquam tribui legimus. Joannes Papa XXII. Clemens V. Bonifacius VIII. & Martinus V. conſtanter Illuſtres Galliæ Reges, nunquam verò, quod conſtet, Chriſtianiſſimos appellant. Et Pius II. in Mantuano Concilio anno 1460. Carolum VII. Galliæ Regem primum fuiſſe teſtatur, qui ultrò ſibi adſcito Chriſtianiſſimi titulo cæteris ſe Principibus omnibus prætulerit.

Verùm quoniam amplius, ac dignius Catholici, quam Chriſtianiſſimi nomen videtur, cum qui Catholicus ſit, eum jam Chriſtianum eſſe omnes intelligant, quam ob cauſam Chriſti Eccleſiam non Chriſtianam, ſed Catholicam in fidei ſymbolo Apoſtolis vocare viſum ſuit; propterea Eccleſia appellationem ſuam cum Hiſpaniæ Regibus honoris cauſa communicare voluit, ut qui Regem Catholicum nominari audiunt, ſtatim de Hiſpaniæ Rege ſermonem eſſe ſciant. Alphonſum primum Hiſpaniæ Regem Pelagii Regis generum tumuli ejus inſcriptio Catholicum nominat, quod ipſum omnes variarum nationum Scriptores faciunt, & Cardinalis Baronius minime alioquin in Hiſpanos ambitioſus, duplici titulo id ei cognomen aſſerit, primum quia Catholicam propagarit religionem, deinde, quoniam ſucceſſerit Recaredo, cui totius Concilii acclamatio eum honorem prius detulerat. Subindè verò Alfonſi ſucceſſores eodem cognomine inſigniri ſolitos tabulis, & monumentis publicis, quæ hodieque extant, doceri poteſt, nominatimque ex Caſtellæ Regibus Ordonium primum circa annum 827. Sanctium Craſſum 930. Alfonſum VI. 1066. Alfonſum VIII. 1160. Joannem Primum 1379. Ex Arigoniis verò Petrum primum circa annum 1094. & Petrum ſecundum 1203. Hinc Reges Hiſpaniarum, hoc ſibi vindicant in Orthodoxæ religionis integritate, ait Baronius *ad annum* 566. ut non ab erroribus tantum, ſed à ſuſpicionibus ſuos ſemper volunt eſſe immunes.

Et profectò ne ullum deſit huic veritati teſtimonium, ipſi hæretici docent, hæreticos jure optimo puniri. Nam Calvinus, poſtquam Servetum extremo ſupplicio, tanquam hæreticum affici curaſſet, & apud nonnullos ob id male audiret, libellum edidit, in quo probat, licitum eſſe gladio in hæreticos animadvertere. Idem prolixius oſtendit Beza *lib. de hæreticis à Magiſtratu puniendis.* Et Benedictus Aretius *in hiſtoria de ſupplicio Valentini Gentilis*, eundem Gentilem ob hæreſim jure occiſum à Bernenſi Magiſtratu demonſtrat. Unde gladio alicubi necantur in Flandria, & aliis inferioris Germaniæ locis capitis obtruncatione puniri teſtatur Alphonſus Caſtrius *libro ſecundo, de juſt. hæret. punit. capito duodecimo.* Alibi ligatis pedibus & manibus projiciuntur in flumen, ut abſorpti & aquis obruti pereant, quomodo in Geldria multos interiiſſe, tradit idem Caſtrius. Per Italiam, Galliam, & Hiſpaniam igni exuruntur.

Novas enim Religiones inducere capitale fuit apud antiquos, & olim capitis pœnam peregrinæ Religioni Perſas irrogaſſe, teſtis eſt Joſephus *contra Appionem. Sæpè ætate avorum*, inquit Livius *libro trigeſimo nono, datum eſt negotium Magiſtratibus, ut ſacra externa fieri vetarent.* Lexque illa decemviralis apud Ciceronem 2. *de legib. nemo ſeparatim Deos habuiſſet novos, ſive alienigenos. Id enim confuſionem facit Religionum.* Et ut dicebat Mecœnas ad Octavium Cæſarem Dio Caſſ. *lib.* 52. *hiſt. Qui nova Numina introducunt, multos ad utendum peregrinis legibus pelliciunt, unde conjurationes, coitiones, & conciliabula exiſtunt, minime commoda rei unius Principatus.* Plurima & mala in licentia vagandi circa Religionem ineſſe notat Livius *decad.* 3. *libro quinto, & decad.* 4. *libro decimo.* Placuit & Ptolomeo Regi, cùm coram eo quæſtio inter Judæos & Samaritanos de antiquitate Religionis agitaretur, ut in judicio partium utrinque advocati, nonniſi cum capitis periculo de controverſia dicerent, neque ullis aliis, quam ex lege Moſaica ſumptis uterentur argumentis, tandemque Sabeum, & Theodoſium advocatos Samaritanorum obtinente Andronico pro Judæis, morti addixit, Joſeph. *libro decimo tertio, antiq. capite decimo ſexto.*

Fieri non poteſt, ut qui in duas Religiones claudicat, verus ſit Chriſtianus. Si enim Deus eſt Deus, ſequendus. Et ſi Deus Baal, is ſequendus. Non autem in duas partes declinandum, ut dicebat Helias 3. *Reg. cap.* 18. Non poſſumus duobus contrariis Dominis ſervire, *Matth. cap.* 6. Et qui utramque vult contrariam retinere, certè is in neutram credit. Nam alteram violare erubeſceret. Et fieri quidem poteſt apud Paganos diverſas ſectas, ut apud Turcas, & religiones fuiſſe. Non enim aliqua illarum vera, & ſæpe errores plures ſe compatiuntur. At numquam error cum veritate quadrabit, ut nec vera uxor cum concubina, etſi plures concubinæ extra uxorem ſe foveant, quamvis ægrè. Nec paſſus eſt Deus diutius populum ſuum pacifice vivere cum gentibus

gentibus, ſed ſtatim iram in communicantes cum illis exercuit 1. *Machab.* 1. ſub Tiberio, ut ait Tacitus *lib. 2. annal. actum & de ſacris Ægyptiis, Judaicisque pellendis, factumque Patrum conſultum, ut quatuor millia Libertini generis ea ſuperſtitione infecta, queis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis ibi latrociniis, & ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum, cæteri cederent Italiam, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Firmat Suetonius *in Tiberio capite trigeſimo sexto*, & externas cæremonias, Ægyptios, Judaicoſque ritus compeſcuiſſe Tiberium, coactis, qui ſuperſtitione ea tenebantur, religioſas veſtes cum omni inſtrumento comburere. Fuerant & multis ante annis, ut ſcribit Tertullianus *in apolog. cap.* 6. Ægyptii Dii Capitolio pulſi.

Denique probatur id ratione. Nam ad commune bonum cujuſque Reipublicæ ſpectat, ut flagitioſi, qui cæteris pernicioſi ſunt, de medio tollantur, ſicut ex corpore abſcinduntur membra putrida, ne totum pereat. Sed hæretici in ſua hæreſi pertinaces, vel relapſi, maximè ſuo vel exemplo, vel conſilio, & cohortatione aliis nocent, cum totis viribus Religionem corrumpant, in qua eſt ſalus animæ. Non eſſet ergo rectè inſtituta Eccleſia, niſi poſſent hæretici extremo ſupplicio affici ubi relapſi, aut pertinaces inveniuntur. Non enim poſſet rebelles, & inobedientes coercere, ac eorum delicta vindicare. Nec mirum eſt ſi tam graviter in ejuſmodi hæreticos animadvertatur, cùm adulteratores monetæ, & perduellionis rei capitis pœnam ſuſtineant *l.* 1. 2. *&* 3. *de falſ. monet. & leg. quicunque, & leg. lege Cornel. ff. ad leg. Cornel. de falſ. & leg. lex. ff. ad leg. Jul. Majeſt.* Et ſi lex juſta eſt, quia furta, homicidia, adulteria & ſimilia delicta Reipublicæ nociva morte puniuntur, quidni æquiſſima erit illa, qua idem in hæreticos decernitur, ut rectè docet Auguſtinus *loco ſuperius citato ex lib. 2. contra duas epiſtolas Gaudentii* Donatiſtæ. Quod adeò verum eſt, lumine naturali conforme, ut ab omnibus ferè gentibus uſurpatum fuerit, ut qui Religionem, quam veram putabant, violarent, acerbiſſimis ſuppliciis mulctarent, quemadmodum, præter dicta, videre eſt apud Platonem *libro decimo, de legibus.*

Non ſolet autem Eccleſia hanc mortis pœnam per Judices ac miniſtros Eccleſiaſticos exequi, ſed per laicos, & media illorum poteſtate juxta *cap. ad abolendam §. præterea de hæret.* in 6. Quia id videtur decentius, & pietati Eccleſiæ conformius, ſicque judicatur poteſtatem fori ſecularis eſſe inferiorem, ac ſubditam ſpirituali poteſtati, & foro Eccleſiaſtico. Atque ideò ubi à Judicibus fidei delinquens, ſive ſit hoſtilis maleficus, ſive ſortilegus hæreticalis, ſive quilibet alius hæreticus, brachio ſeculari puniendus traditur, & debet Judex laicus pœnam ſtatim exequi, nec in illius poteſtate eſt, illam remiſſiorem facere juxta *cap. Ut officium de hæret.* in 6. Aliàs, ut fautor hæreticorum puniri poteſt.

Porrò pœnam, qua hæretici in Chriſtiana Republica igni exuruntur, Oſtienſis, Io. Andreas, & Abbas *in cap. ad abolendam de hæret.* docent colligi ex jam citatis verbis Chriſti Ioannis cap. 15. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Sed quia nonnemo fortaſſis diceret, ibi nec Dominum loqui de hujus ſeculi igne, ſed de igne inferorum æterno, nec loqui tantum de hæreticis, verum de peccatoribus in univerſum, qui excidentes à gratia & charitate in Deo non manent. Quare hæc pœna uſu, ac morte perantiquo primum eſt introducta, deinde uſu etiam eſt confirmata, & tandem jure quoque ſcripto comprobatur. Nicephorus certè *libro decimo octavo, capite quarto*, prodit Anatolium quendam una cum ſuis popularibus idola coluiſſe, & cum Anatolii ſocios captos, judices oſtraciſmo, hoc eſt quindecennali, vel decennali exilio puniendos, non jugulandos cenſuiſſent, plebs Conſtantinopolitana divino ardore ſuccenſa, eos raptos, & piſcatoriis navibus impoſitos, igni vivos combuſſit, Anatolius verò poſteà beſtiis objectus, & in crucem actus eſt, quem deinde è cruce ſublatum lupi devorarunt. Gregorius etiam refert *libro primo, dialog. capite quarto.* Baſilium Magum Romæ zelo Chriſtiani populi exardeſcente fuiſſe concrematum. Et Zonoras in vita Alexii Comneni ſcribit, Baſilium hæreticum communi ſuffragio Iudicum fuiſſe combuſtum, teſtantur, item autores Antonin. *p.* 3. *titulo* 21. *c.* 8. *§.* 4. Blond. *lib.* 4. *decad.* 2. Platin. *in vit. Clementis V.* Æmil. *lib.* 8. *de geſt. Francor.* Templarios ob impiam diſciplinam fuiſſe per Galliam igni exuſtos. Sub Innocentio Tertio fuerunt combuſti centum & octoginta hæretici Albigenſes, ut refert idem Antoninus *loco citato*, & in Concilio Conſtantienſi concremati ſunt Joannes Huſſ, & Hieronymus de Praga. Denique Numer. *capite decimo ſexto*, in ſeditione contra Moſen, Core, Datan, & Abiron una cum ſuis tentoriis, & univerſa ſubſtantia vivos terra devoravit, ſed & ignis divinitus immiſſus ducentos quinquaginta viros, qui ipſorum partes ſectari incenſum offerebant exuſſit, ſicque conſumpti periere, tanquam ſchiſmatici, qui à ſuo capite deſciverant. Hac autem pœna ignis, ut ſæpe diximus, puniuntur hæretici relapſi, pertinaces, & ii, quos ſuæ hæreſis non pœnitet; nam alii omnes hæretici Eccleſiæ gremio recipiuntur juncta pœnitentia ſalutari

Et quidem Deus ſæpe vindicavit ſcelera igne de cœlo miſſo, ut quando ſeptem civitates Sodomiticus conſumpſit *Geneſ.* 19. Quando inferentes extraneum ignem in Sanctuarium Sacerdotes Nadab, & Abiu combuſſit *Levit.* 10. & dum ad preces Heliæ quinquagenarii duo Regis Ochoſiæ igne cœleſti devorati ſunt, 4. *Reg.* 1. Exuſtionis & pœna in jure divino ſcripto ſtatuta eſt contra pleraque delicta. Contra viduas ſcortantes *Geneſ.* 18. Contra anathematis participes *Joſ.* 7. In eum, qui filiam, vel matrem uxorem duxerit *Levit.* 20. In filiam ſacerdotis in ſtupro deprehenſam *Levit.* 21. Jure civili comburuntur vivi ſacrilegi *l. ſacrilegii pœnam ff. ad leg. Jul. de pecul.* Judæus Judæum ad fidem ſe convertentem perſequens *l.* 2. *Cod. de Iudæis:* Servus dominæ concubens *l.* 1. *Codic. de mul. quæ ſe prop. ſer. miſc.* Servus raptum mulieris committens, vel rapientibus ſocius auxiliatis *l. un. §. pœn. C. de rapt.* Falſum immunitatis inſtrumentum conſcribens *l.* 1. *Cod. de immun. nem conced.* Qui adulteram monetam Principis cuderit *l. fin. & l.* 2. *C. de fal. mon.* Haruſpex, ſive divinus *l.* 3. *C. de malef. & math.* Et libri eorum *l. mathematicos C. de Epiſc. aud.* Aggeres Nili rumpens, aut ejus ripas, vel aquas ultra conſtitutum terminum, ac modum uſurpans *l. un. de Nili agger. non rump.* Qui hoſtibus præſtandi viam aperuit, vel cùm illis prædam diviſit *l. ſi quis à barbaris C. de re mil.* Incendiarius, qui ædes, acervumve frumenti juxta ædes poſitum incenderit doloſè *l. qui ædes ff. de incend. ruin. & naufr.* Transfugæ, & qui hoſtibus detegunt conſilia Principis *l. aut damnum §. hoſtes & l. ſi quis aliquid §. ff. de pœn.* Servus ſaluti domini inſidiatus, nonnunquam liberi

at homiles perſonæ *l. Capitalium* §. *igni cremantur ff. de pœnis.* Actor rerum privatarum, vel procurator Cæſaris, ſi quem hoc pretextu injuria affecerit *l. univerſi C. ubi cauſ. fiſcal.* Hæretici docentes alios, ſive ut dicimus, dogmatizantes, & eorum libri *leg. quicumque* 8. *§. ult.* etiam ultimo ſupplico & *§. ſeq. C. de haret. l. damnato Cod. eod.*

Capitis vero & aliorum membrorum amputatio communis quoque eſt in jure divino, & humano. Mors quidem cita, quam interdum aliorum membrorum amputatio præcedit, ut durior ſit. Fuit hujus exemplum in ſupplicio illius Idoli Dagon, in cujus templum cum Philiſtini arcam Dei à populo Dei ereptam depoſuiſſent, inventus eſt Dagon jacens ſuper faciem ſuam in terra, abſciſſis capite, & duabus palmis, manus ſuper limen 1. *Reg capite quinto*, Joſeph. *libro ſexto, antiq. Jud. capite primo.* Uſitatamque pœnam hanc fuiſſe in Iſraëlitica politia conſtat ex Bibliorum lectione 4. *Reg.* 6. *Matth.* 14 *&* *Marci.* 6. Et ſi crimen tam impium eſſet, quod pœna exemplaris eſſe deberet. cum capitis truncatione alia membra quoque concidebantur, vel mortuis, vel vivis reis, Sic Judas Machabæus, princeps Judæorum, victoria potitus ope Dei adverſus blaſphemum Nicanorem præcepit caput Nicanoris, & ejus manum cum humero abſcindi, & Hieroſolimam deferri, ubi ſuſpendit caput in ſumma arce & linguam blaſphemam ejus præciſam juſſit particulatim avibus dari, manum autem contra templum ſuſpendi. Machab. *capite decimo quinto.* Potiò pœna amputationis membri eſt de *jur. auth.* neque eſt facile imponenda, niſi in caſibus, quos enumerat Farinac. *quaſtione decima nona. numero vigeſimo quarto, & quaſtione decima ſexta, numero vigeſimo ſexto.* Neque hodie in uſu eſt pœna amputationis aurium, & narium.

Jure civili capitis ademtio etiam pœna frequens *l. capitalium ff. de pœn* Nam & antiquitus ſecuris imperii ſummi, poteſtatiſve in vitam facinoſorum inſigne erat, diciturque gladii poteſtas *l. imperium ff. de juriſd. omn. Judic.* Tullius 1. Act. in Verrem: *agunt eum pracipitem pœna Romanorum, quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necavit.* Livius *lib.* 3. *dec.* 1. decem viros cum faſcibus duodenis ſubito, prodiiſſe tradit, & centum viginti Lictores forum impleviſſe, & cum faſcibus ſecures illigatas protuliſſe, nec attinuiſſe demi ſecurim, cùm ſine provocatione creati eſſent. Capite punitur explorationem in militia fraudans, fauſſam inſtantibus hoſtibus relinquens *l.* 3. *§. is, qui exploratorem. ff. de re milit. transfuga d. l.* 3. *§. is qui ad hoſtem*, ſeditionem militum excitans atrocem. Eſt & in aliis diſciplinæ militaris pœnis frequens *d. l.* 3. *per totam.*

Amputatio membrorum capitalem pœnam habet, ut præcipuæ partis & nobilioris hominis *l. cum in diverſis ff. de relig. & ſumpt. fun.* capitis ſcilicet. Eaque ſemper lethalis & mortis eſt propter nervorum paria & jugationes, quæ ex capite in corpus hominis univerſum diffunduntur, & propter ſedum animæ præcipuam quæ in eo eſt, Sunt & aliæ membrorum deciſiones in pœnam etiam impoſitæ & jure divino, & humano. Cum enim talio recepta utroque eſſet, dentem pro dente, & manum pro manu, & pedem pro pede abſcindi conſequens fuit. Item quia in eo, quo quis deliquit, & per ea, quæ peccavit, torquendus eſt, pœna membris, ut delicti potioribus inſtrumentis impoſita eſt. Sic manus Jeroboamo, quam extenderat jubendo virum & prophetam Dei capi exaruit Dei vindicta, donec oratione prophetæ ſanitati reſtituta 3. *Reg.* 13. Manus Nicanori, qua bellaverat injuſtè in Judæos, amputata, & lingua, qua blaſphemias in Deum protulerat, conſciſſa volantibus cœli, expoſita 2. *Machab.* 15.

Zacharias, qui lingua dubitare ſe oſtenderat de pollicitis à Deo, lingua obmutuit in præſcriptum uſque nativitatis D. Joannis Baptiſtæ tempus *Luc. capite primo*, Extat Lex in *Deuter. capite vigeſimo quinto. Si habuerint inter ſe jurgium viri duo, & unus contra alium jurgari cœperit, voleuſque uxor eruere virum ſuum de manu fortioris, miſerit manum, & apprehenderit verenda ejus, abſcidas manus illius, nec flecteris ſuper eam ulla miſericordia.*

Apud Ethnicos Sergius Galba apud Suet. in *Galba capite nono*, nummulario non ex fide pecuniam tractanti manus amputavit, menſæque ejus affixit. In ſumma novo jure, ſi criminis qualitas exigat membri alicujus abſciſſionem alterius quàm manus pro eo abſcinditur, *§. fin. incip. quia verò nos, auth. ut udic. Jud. lic. hab. loc. & auth.* Sed novo jure *Cod. de ſer. fug. l. ſi fugitivi Codic. eod.* Et major pœna pedis, quàm manus amputatio, ut major amputatio pedis, quam effoſſio oculi ſecundum Baldum *l. binas ades ff. de ſer. urb. prad.*

Oculorum fuit erutio aliquibus quoque in pœnam, ut apud Longobardos, Wiſigothos, Locrenſes. De crudelitate Syllæ loquens D. Auguſtinus *de civit. capite vigeſimo octavo*, ſcribit, juſſu ejus aliquos oculis effoſſis, & particulatim membris amputatis, in tantis cruciatibus diu vixiſſe, vel pòtius diù mori coactos eſſe.

In pœnam etiàm majorem ad ultimum ſupplicium raptis, & ductis ora obturabantur ex hiſtoria Eſther *capite ſeptimo*: Et ut Suidas ait, iis, qui ad ſupplicium ducebantur, potu & cibo plenis tria dicere, quæ vellent, deinde ore obturato ad necem adducebantur. Siqui autem ſcientia, arte, aut diſciplina aliqua excellerent, iis membrorum omnium. exceptis quibus ad exercendas ſuas artes uterentur, extremitates amputatæ fuerunt. Nares furibus apud Longobardos, crurium fractio, ſive, ut ait Apulejus, *lib. nono, aſin. aur.* crurifragium inter ſupplicia inventum; nam & Latronibus ſuſpenſis D. Joannes *cap.* 19. crura fracta ſcribit, ut ſcilicet citius morerentur.

De ſuſpenſione verò, & crucifixione ſcriptum eſt Sapient. 14. *Benedictum lignum, per quod fit juſtitia*, ratione ſcilicet juſtæ vindictæ. Verum ratione ejus, qui ligno ſuſpenditur ob maleficia dictum eſt in *Deuter. capite vigeſimo primo. Maledictus à Deo qui pendet in ligno.* Ejuſque mors turpiſſima habita. Et proinde de Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui pro redemptione ſalutis mundi pependit in Cruce *Matth.* 23. *verſ.* 26. & *Marc.* 27. *verſ.* 25. *Luc.* 23. *Joan.* 19. *Hebr.* 6. prædictum erat, futurum improborum Judicum hunc ſermonem, morte turpiſſima condemnemus eum, *Sap.* 2. Servile enim & crudele habitum eſt ſupplicium Crucis Lact *libro quarto capite vigeſimo ſexto.* A cruciatu Crux, *can. nullis* 3. *quaſtione prima.* Vel à Cruce cruciatus melius. Hac pœna affecit Joſue principes Idololatrarum *capit.* 8. & 19. Et David ſeptem natos ex genere Saulis, qui occiderant

Gabaonitas

Gabaonitas contra fœdus ad placandum Dominum 2. *Reg.* 21. Clavis ſuffigebantur Cruci corpora ex Plauto in Moſtellar. Meminit & Plinius *libro vigeſimo octavo*, *capite quarto*, de clavo Crucis: *Item in Quartanis*, inquit, *fragmentum clavi à Cruce*, *involutum lana collo ſubnectunt.* Mos erat aliquando ſuſpenſorum in cruce frangi crura, ut mors acceleraretur eorum Joan. *capite decimo.* Uſi hac pœna Ægyptii ſuſpenſionis in Cruce Geneſ. 40. & 41. & Perſæ ac Medi, Eſther. 5. 8. & 9. & 1. Eſdræ *cap.* 6. punitus proditor Judas, à ſeipſo ſuſpendio, quo crepuit medius *Matth.* 27. & *Act.* 1. Apud Juriſconſultum ſummum ſupplicium ad furcas dicitur damnatio *dict. leg. Capitalium ff. de pœn.* Quo pœnæ genere puniuntur famoſi latrones *dict. leg. Capitalium* §. *famoſos.* Romani ante adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ante ejus fidem agnitam Crucis patibulo uſi ſunt pro ſummo & horribili ſupplicio, ut meminit Juvenalis *ſatyr.* 13. Nunc ſuppliciis adempta Crux, quia coli ac venerari digna in memoriam ſalutis ejus inſtrumento humano generi elargitæ à ſummo Deo per unigeniti filii ſui redemptionem, & adorandam paſſionem, *l. decernimus C. de Ep. & Cler.* §. 1. *de Monach. in Auth.* Sic ſtatuit; ex uſu pœnarum Conſtantinus Magnus, inventa dominica, & Maxentio virtute Crucis ſuperato. Atq; Cæſares neq; Crucis ſignum depingi vel ſculpi humi patiuntur, ne pedibus conculcare inſtrumentum ſalutis videamur *l. un. C. nem. lic. ſign. Salv.* Nunc furcis bicornibus, vel triangulatis ſtipitibus, vel arboribus ſuſpenduntur ſcelerati, neque Cruci, ut olim, affiguntur membra, ſed laqueo ſuffocantur, quæ fuit pœna Judæ, qui laqueo ſe ſuſpendit.

De lapidatione autem quæ alia eſt pœna mortis legis divinæ, & quæ impoſita fuit filiabus in domo patris virginitatem maculantibus, & adulteris. *Deuter* 22. blaſphemis *Levit.* 24. 3. ac *Reg.* 21. & *Act.* 7. & aliis impiis. Extat in Exodo *capite decimo nono.* pœna, qua mandantur affici, qui montem, in quem Dominus Moyſi collocuturus deſcenderat, contigiſſet, nempè ut aut lapidibus opprimerentur aut confoderentur jaculis. Meminit quoque ſacra pagina de mortis pœna præcipitii, quando ex ſuperiori loco quis, ut moriatur deturbatur. Qua pœna affecta impia Ieſabel juſſu Iehu 4. *Reg.* 9. Amaſias etiam, cùm viciſſet filios Seyri in valle Salviarum decem milia captivorum adduxit in prætuptum petræ, & juſſit præcipitari de ſummo in præceps, qui univerſi crepuerunt, Paralip. *capite vigeſimo quinto.* Lex duodecim tabularum quoque de falſo teſte, ſic ait: *Falſus teſtis Turpeio dejicitor*, vulgareque ſupplicium apud Romanos teſtatur Dionyſius Halicarnaſ. *libro octavo*, quò ducti in eminentem in foro tumulum, ibi vaſta rupe dejiciebantur, cujus erat altitudo etiam ſecurè aſpicientibus, horrenda meminit Seneca 3. *de cla. libro primo*, Sacrilegos ſic ex alto dejectos, tradit Euſebius *libro octavo*, *de præp. Evang.* Modeſtinus tamen juriſconſultus tradit *leg. ſi diutino* §. *fin. ff. de pœn.* non poſſe aliquem damnari, ut de ſaxo præcipitetur, & Conſtantinus Imperator *in leg. prima*, *Codic. de emend. ſerv.* tetram juſſionem, & vetitam ait, mandatum, ut quis præcipitetur.

Alia pœna ſubverſionis eſt, quæ maxima & generalis fuit tempore diluvii *Geneſ.* 7. *v.* 8. Octavius Cæſar *apud Suet. in Oct.* pedagogum, miniſtroſque Caii filii per occaſionem valetudinis, mortiſque ejus ſuperbe, avareque in provincia graſſantes, oneratos gravi pondere cervicibus præcipitavit in flumen. Trajanus omnes delatores navibus ſine velis, ac remis impoſitos fluctuum miſericordiæ exponi juſſit, Plin. *in Panegyr. ad Traianum.*

Alia etiam pœna mortis à Deo aliquando in ſacra Scriptura appoſita eſt, beſtiarum, ferarumque laniatu necari, ac devorari. Eam pœnam protulit propheta ille, qui legatione functus Dei ad Hieroboam, non eſt ſequutus mandatum Dei, ſed bibit, & comedit in via legationis contra id, quod interdictum erat, atque idcircò juxta verbum Domini à Leone in itinere neciſus eſt 3. *Reg.* 13. Sic coloniæ translaræ de Aſſyriorum regno in Samariam, à qua Rex Salmanaſar expulerat Iudæos, cùm illæ non timerent Dominum à Leonibus à Deo immiſſis devorabantur, 4. *Reg.* 17. Atque cùm maledixiſſet in nomine Domini Heliſæus pueris parvis, egreſſis de civitate Bethel, per quam viam faciebat, dicentibus, *Aſcende*, *calve*, *aſcende*, *calve*, exilientes de ſaltu duo urſi laceraverunt ex ipſis quadraginta duos pueros, 4. *Reg.* 2. Deus, cùm murmuraret populus in deſerto terræ Eden adverſus eum & Moyſem miſit in eum ignitos ſerpentes, qui lethales inferrent plagas, Num. *capite vigeſimo primo*, *can. Quia ſancta* §. *verum dict.* 63. Sic in ſumma Deus minatur populo contumaci pœnam hanc: *dentes beſtiarum immittam cum furore ſerpentium* Deuter. 32. & per Ezechiel. *capite quinto*, inter alias graviſſimas pœnas, quas Deus populo rebelli ac impio minatur, addit & famem: *Congregabo ſuper vos*, *& conteram baculum panis*, *immittam in vos famem & beſtias peſſimas uſque ad interne cionem. Et peſtilentia & ſanguis tranſibunt per te*, *& gladium inducam ſuper te*, *ego Dominus loquutus ſum.* Et rurſus Ezechiel. 35. in adulteros, & homicidas, ut contra inter benedictiones obedienti populo & Deus pollicetur Levit. 26. *Auferam malas beſtias*, *& gladius non tranſibit per vos.* Et iterum: *Ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra*, *& qui habitant in deſerto ſecuri dorment in ſaltibus* Ezechiel. 34. Meminit & ſacra pagina Darium regem Perſarum, & Medorum, pœnam aliquando ſtatuiſſe in Deos alienigenos adorantes, ut beſtiis & Leonibus lacu nutritis dovorandi objicerentur Daniel. 6. & 14.

Jure civili damnatio ad beſtias etiam recepta erat Paul. *leg. ad beſtias ff. de pœn.* quæ vitam quoque adimit *leg. ſiquis filio paragrapho irritum ff. de injuſt. rup.* Paul. *leg. qui ultimo ſupplicio ff. de pœn.* Subjici dicuntur beſtiis etiam qui laniandi illis præbentur à Modeſtino *leg. pœna ff. ad Leg. Pomp. de parricid.* & à Marcello *lege tertia*, *ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Objectio beſtiarum erat ſine pugna, expoſitio hominis, ut laniaretur à beſtiis, quod ut aliquando facilius fieret objiciebatur reus ligatus, vel furca ſuſpenſus. Quod non fit, cùm ad beſtias dantur rei, eaque etiam minor pœna & liberorum, quam objici feris dicitur, minorque ultimo ſupplicio, ab Ulpiano in *leg. quicunque ff. ad leg. Cornel. de falſ.* Nam & ſiquis venationi, vel pugnæ ferarum addictus fuiſſet, & ceſtationis diſcrimine pœnam luiſſet, culpæ vacuus, & alterius pœnæ erat. Non ita ſiquis objectus feris fuiſſet. Siquidem qui vel aliqua arte, vel fortuna intactus à feris remanſiſſet, alia pœna vita privabatur, ſicuti legimus apud Tacitum *lib.* 18. *annal.* Maricum

quendam è plebe Boiorum, qui rebellionem Galliarum juxta Æduos, manu parva collecta hominum concitaverat, captum & mox feris objectum juſſu Vitellii, quia non violabatur, & ideò à vulgo ſtolido inviolabilis credebatur, ſpectante Vitellio, interfectum. Norunt enim Phyſici quædam contra ferarum impetum amulera, quibus ſe præmunire poterant objecti. Veluti ſi citrium malum comediſſent, ut refert Athenæus *libro tertio, dict. capite quinto*, experientia certiſſimum probatum, vel ſi calcantho Urſorum ora, & Leonum in arena aſperſiſſent. Tanta enim ei eſt vis adſtringendi, ut non queant mordere, ut docet Plinius *libro trigeſimo quarto, capite duodecimo*.

Refertur & alia pœna mortis in S. Scriptura, excoriationis, dum Antiochus iratus in Judæos, ſeptem unius matris filios, & legis divinæ ac patriæ fidelibus martyribus, juſſit amputari linguam, manuum ac pedum ſummitates, & cutem capiti dettahi, & ſartagine vivos torreri 2. Machab. *cap. 7.* Hoc ſupplicium frequens fuiſſe, crudele, & abominabile, Micheas docet, *capite tertio*, Plures Christianos ob fidem Dei excoriatos ſub Perſarum rege Birrane, teſtatur Nicephorus Calliſtus *libro decimo quarto, hiſt. Eccleſ. capite decimo nono.* Manes ſive Manichæi, excoriatus juſſu regis Perſarum lege Perſica, & corpus reliquum beſtiis devorandum traditum, cutem verò, qua tanta illius improbitas continebatur tanquam utrem ante portas ſuſpendi curavit. Cum enim ægrotaſſet regis Perſarum filius, & medicorum turba adeſſet, Manes promittebat per orationem, tanquam pius, curaturum, recedentibus tamen medicis, receſſit, & vita à filio, ille autem fugiens, captus ita necatus eſt, Cyril. Hieroſol. *cathec. 6.*

Alia mortis pœna, ferra ſecari ligni in modum. Scribit enim D. Paulus ad Hebr. *capite undecimo*, ex fidelibus legem Dei ſervantibus, alios ſectos. Et D. Athanaſius *in quæſtionibus quæſtione centeſima ſexta*, refert Iſaiam prophetam ferra lignea morte affectum ac diviſum per Manaſſem regem. Et Cyrillus Hieroſolymitanus *Cathec.* 2. id ipſum notat. Talem pœnam in reos ſtatuiſſe Caligulam, autor Suetonius *in Calig. capite vigeſimo ſeptimo*, atque ferra medios diſſecuiſſe.

Interdicta eſt jure civili Romano pœna, qua quis veneno necabitur *l. aut damnum §. prule. ff. de pœn.* Quanquam & hac D. Joannes Evangeliſta damnatus eſt à Domitiano priuſquam in inſulam Pathmon relegaretur. Antiqui, potiſſimum Græcis frequens, veluti & apud Athenienſes Socrates hac pœna affectus, ebibito cum cicuta infecto poculo.

Membratim vi aliquando & juſſibus in contraria tendentibus, diſcerpti ſunt pœna atroci homines, ut Metius Suffetius Albanorum Dux, defectionis, & proditionis reus damnatus. Is enim flagris fœde laceratus bigis admotis ad alteras ex brachiis, ad alteras ex pedibus, loris longis revinctus eſt, deinde aurigis in diverſa agentibus, humi raptatus, moxque à nitentibus in contraria, diſcerptus eſt, ut autor Dionyſius Halicarnaſ. *libro tertio, antiq. Rom* ac Plinius *de vir. illuſtr. in Tullo.* Juſtinianus tamen Imperator videtur prohibuiſſe hanc pœnam, & reliquas, quibus articuli diſſolvuntur, quod membrorum diſſolutio gravior cenſeatur utriuſque membri abſciſſione *§. quo verò, auth ut in l. jud. col at. 9. titulo nono.* Quæ tamen conſtitutio pertinet ad pœnas leviorum criminum potius quam ad exemplares & atrociorum criminum.

Servitus in pœnam quoque infligi ſolita. Servitutis pœna à delicto ſumpſit exordium impoſita à Noacho. Evigilans enim à vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait: Maledictus puer Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis Geneſ. *capite nono, can. 6. d. 35.* Fiunt quidem jure civili, ſervi pœnæ, in quam ob crimen damnatur, veluti in metallum, & in opus metalli damnati, Marc. in *l. quidam ff. de pœn. l. aut damnum §. Eſt pœna eod. l. in metallum C. de bon. praſcript. §. pœnæ, quib. mod. jus patr. pot. ſol.*

Pœnæ etiam loco habitum, ſepultura poſt mortem privari, ut Romanorum legibus ſæpè cautum reperitur, veluti illa: *Parentes in calamitatibus relinquentes, inſepulti abjiciuntur.* Deus in prophetam contra præceptum ei datum revertentem, & manducantem, ſtatuit, quod non inferretur ejus cadaver in ſepulchrum patrum ejus 3. *Reg.* 13. Et in more fuit, ut ait D. Ambroſius *in pſal.* 118. *ſer.* 20. quibuſdam gentibus, ut facinoroſum corpora non quidam in totum ſepultura privarent, ſed abſciſſo capite, reliqui corporis truncum ſepelirent. Et nimirum ratione, quod juſtum ſit, ut qui turpi, vel ſceleſto reatu belluinæ obſcœnitatis illuviem, vel beſtialis immunitatis horrorem commiſiſſe detecti ſunt, tanquam ii, qui propoſito humanæ moderationis exciderint, formam quoque humanæ conditionis jubeantur exuere, & qui ſapientiæ non potuerunt tenere rationem, etiam poſt mortem ſapientiæ arce, quod eſt caput, fraudati, ſine decore ſuo ſepeliantur. Et caput ita præcipua pars eſt in ſepultura, quæ religioſum locum facit, *l. cum in diverſis ff. de relig. & ſumpt. fun.* Pœnæ conjuratorum Germanicæ Veſpaſianus addendum cenſuit, ut inſepulti projicerentur *in Veſpaſ. capite ſecundo.* At de pœna mortis non plura.

Reſtat modò, ut argumenta, quæ in contrarium adduximus, reſpondeamus. Ad primum. Ea ratio certe ſpurciſſima, & omni ex parte homine indigna eſt, quæ ſuo tenore, ſi vera eſſet, univerſam mundi politiam, ac leges divinas, & humanas ſubverteret. Quorum enim latæ leges ſunt, quam ut ad bonum cogant vel præmio, vel pœna? *l. 1. ff. de juſt. & jur.* Atque ſi demus quenquam pro voluntate vivere, & appetitu proprio regi, quid quæſo inter homines, & bruta, rationis expertia intererit? Quid juſtitia opus erit? Quæ ſocietas civilis integra? Eſt quidem voluntas homini libera, nec cogi poteſt invita, ut aliud velit. Verum malum cogi dicimus, ut in bonum muterur, ſi metu reſipiſcat, ſicut à bono nimia ſui intellectus pravi fiducia decidit, vel ſi perſeveret, pertinax tollatur à ſocietate hominum, ne alios inficiat. Errant omninò, qui arbitrium liberum eligendi mala, libertatem veram dicunt, cum libertas ibi ſit tantum, ubi ſpiritus Domini 2. Corinth. 3. *cap. Joannes, cap. licet de reg. jur. can. dua* 19. *quaſtione ſecunda.* Et lex perfectæ libertatis ſit, Dei mandata audire, & facere 2. ad Timoth. 4 dicere nemini conſenſeritis hæc perſuaſio non ex eo, qui vocat vos, ſcilicet ex Deo, inquit D. Paulus ad Galat. 5. Quorſum illa verba etiam Apoſtoli ad paſtorem, *Argue, obſecra, inſta opportune, importune*? Cur etiam doctiſſimus & optimus Theologus D. Petrus literis conſignavit *ep.* 2. Magiſtratus ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum datos? Cur dictum poteſtatem à Deo ad Roman. *capite decimo tertio*, Reges, Magiſtratus non ſine cauſa gladium portare? Cur item D. Paulus ad Galat. 5. *Utinam abſcindantur, qui vos conturbant*? Si liceat cuique impunè quod velimus malum agere, & pro arbitrio cultum divinum polluere, immutare, ſubvertere. Hoc eſſet certè potius libertate abuti, quàm uti, & ſpiritus libertatem ad

carnis

carnis voluptatem, & animarum perniciem transferre.

Ad ſecundum. Illud non faceſſit. Nam eadem reſponſione elidi poteſt, qua proximum argumentum. Sed ultra ex eo, quod ab exemplo uno univerſalis negativa non poteſt colligi. Nec ideo, quod Deus dixit *numquid & vos vultis abire?* Sequitur, quod dederit omnibus abeundi impunitatem. Nam apud D. Lucam *cap.* 14. dictum eſt, *compelle eos intrare.* Atque longè intereſt inter illa tempora, & noſtra. Tunc enim non erat redemptio facta, non fides plene cognita, nondum exaltatus filius hominis, nondum conſummata myſteria nondum velamen Templi ſciſſum, nondum umbræ abrogatæ, nondum dictum: *Niſi quis crediderit & baptizatus fuerit, non ſalvus erit*, ut poſtea. Den que aliud eſt loqui de cogendis ad fidem, qui nunquam fidem amplexi ſunt, quales Judæi, Gentiles, Agareni. Hi enim cogi non debent. Aliud de reducendis ad fidem, qui fidem profeſſi ſunt. Quia in extraneos, qui domeſtici fidei non ſunt, nulla Chriſtianis jurisdictio, & qui ſine lege chriſtiana vivunt, ſine lege hac judicabuntur alia ad Rom. 2. In Chriſtianos autem perfidos, ſchiſmaticos, & hæreticos paſtoris eſt jurisdictio, & ad paſtorem pertinet cognitio, monitio, & caſtigatio eorundem.

Ad tertium non pugnat, quod dictum ſit, expedire hæreſes eſſe 1. Corinth. 11. Nam non propter hæreſes expedit eas eſſe, ſed ad bonorum gloriam, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Neque ſequitur ideò illas tolerandas. Unum enim jubet Apoſtolus non omnes ... ad Philipp. 2. quod hæreſes non ſinunt. Sic Deus neceſſe eſſe dixit, ut veniant ſcandala ſed mox ſubjicit, verum tamen væ per quem ſcandalum venit. Matth. 18. Neceſſe ſecundum quid, non autem abſolutè, vel in gratiam ſcandalizantium. Nam quæ ſcandalizant jubet vindicari, & abſcindi, quamvis oculus, manus, peſve noſter ſit.

Ad quartum. Ibi tantummodo fuit Chriſto Domino ſermo de pœna, quam poteſt Eccleſia delinquentibus irrogare.

Ad quintum. Ex parabolis non ſemper argumentum efficax ſumitur. Præterea per zizania non ſoli hæretici, ſed omnes mali intelliguntur, ſicut per triticum, vel bonum ſemen intelliguntur omnes boni, ut explicat Chriſtus, cum ait: *Bonum ſemen ſunt filii Regni zizania autem filii nequam.* Certum eſt enim non ſolos hæreticos, ſed omnes malos filios eſſe nequam. Quare hæc duo valdè diſtinguuntur. Primo non licet nobis in hac vita eradicare zizania. Secundo non licet nobis in hac vita occidere hæreticos, fures, homicidas, adulteros. Iſtud enim licet. Illud autem non licet. Ratio eſt, quia Reges & Principes acceperunt à Deo jus gladii, ut puniant malefactores, quos conſtat tales eſſe *Rom.* 13. Hoc autem poteſt illis conſtare. At nemo accipit à Deo jus, ſive poteſtatem excludendi eos ab aliorum cœtu, qui morituri ſunt in ſtatu peccati, indeque mittendi in caminum ignis. Nemini enim conſtat, quinam ſint illi. Quapropter cùm eradicare zizania nihil aliud ſit hoc loco, quàm judicare univerſaliter, qui ſint mali, & damnandi, & ex tali judicio eos à cœtu bonorum excludere, ac ſeparare, hoc eſt, quod prohibet Chriſtus, ne erremus. Sicut etiam Apoſtolus 1. Corinth. 4. verſ. 5. *Nolite ante tempus judicare quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Non autem quod hæretici juſtè puniri non poſſunt.

Et admiſſo etiam gratis, quod per zizania intelligantur hæretici, minimè ſignificatur, eos, ubi expedit, morte puniri non debere, ſed tantum juſte nonnunquam tolerari poſſe, ut nunc in Germania, & in Polonia tolerantur ſinendo eos creſcere uſque ad meſſem, id eſt relinquendo eos uſque ad obitum ſuum, quo tempore à Deo, & Angelis ejus comburentur. Quando nempè abſque evidenti Catholicorum diſpendio deleri nequeunt, ita, ut ſi Princeps eos exterminare vellet, bellis & tumultibus omnia replerentur, atque ita ſimul eradicaretur & triticum.

Neque ex illa parabola prohibet Chriſtus malos corrigi, aut hæreticos tolli, ſed cautionem docet in puniendi adhibendam, ut ne odio malorum etiam cum illis bonos eradicemus. Toleratur ad tempus malus, ſed non ideò impunitas ei datur. Quare dictum, *ſinite ea creſcere*, donec videlicet diſtinguatur zizania à tritico plenè, & expectat, ut diximus, ſemper ad pœnitentiam peccatores Deus ad *Roman.* 2. Datur redeundi tempus, nec hæretici plectuntur. niſi perſeverantes, relapſi, & pertinaces, lentoque gradu procedit vindicta Dei, ſed tarditatem ſupplicii gravitate compenſat.

Patres verò in contrarium citati non negant per zizania intelligi omnes malos, ſed quia inter omnes malos præcipui ſunt hæretici, ideò potius hæreticorum mentionem faciunt aliqui quod præter hæreticos intelligant etiam malefactores, patet ex ipſo Auguſtino *ſer.* 39. *de ſanctis*, ubi explicans parabolam zizaniorum ſic habet: *zizania peccatores* nempe ſunt, & *ſerm.* 233. *de temp. capite ſecundo* Eoſque demum id ſolum docuiſſe, apertè colligitur ex eorum in Matthæum Commentariis, quod hæretici non ſint interimendi; cùm inde Bella, & cædes hominum ac Reipublicæ, pacíſque perturbatio oriuntur. Et hoc eſt, inquiunt, quod Dominus juſſit.

De Auguſtino ingenue fatemur, eum prius in ea fuiſſe ſententia, ut hæretici nec punirentur, nec cogerentur. Quam ſententiam ipſe poſtea mutavit. Sic enim ſcribit *epiſt.* 48. *Vincentium: Mea primitus ſententia erat neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primùm mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium converſa eſt, & alia multa, quæ mihi nominatim commemorabantur.* Et in *epiſt.* 50. *ad Bonifacium* ita ſcribit, *Verum autem antequam iſtæ leges* (Imperiales ſcilicet: quarum paulò ante meminit) *quibus ad convivium ſanctum coguntur intrare in Africam mitterentur; nonnullis fratribus videbatur, in quibus & ego etiam quamvis Donatiſtarum rabies uſque quaque ſæviret; non eſſe petendum ab Imperatoribus, ut ipſam hæreſim juberent omnino non eſſe, pœnam conſtituendo eis, qui in illa eſſe voluiſſent, ſed hoc potius conſtituerent, ut eorum furioſas violentias non paterentur, qui veritatem catholicam vel prædicarent loquendo, vel legerent conſtituendo.*

Ex quibus intelligitur, D. Auguſtinum primùm ſenſiſſe, hæreticos pœnis nec eſſe puniendos, neque cogendos. Poſtea verò cum legiſſet Catholicorum Imperatorum leges, quibus hæretici pœna pecuniaria, & exilio plectebantur, mutata ſententia cenſuit, eas pœnas æquiſſimo jure eſſe in hæreticos conſtitutas, ſed non eſſe capitali ſupplicio hæreticos damnandos, ut ſervent Imperatores, & Principes catholici, etiam circa indignos, chriſtianam manſuetudinem, non quod injuſtam eam pœnam exiſtimaret, ſed quod ea nondum ab Imperatoribus irrogata eſſet hæreticis, & quod non videretur lenitati Chriſtianæ congruere, quam tamen etiam poſtea

perſpexit , & tradidit eſſe juſtam , ut videre eſt apud ipſum *lib. 3. contra Epiſt. Parmeniani capite ſecundo.*

Ad illud verò Severi Sulpitii de Martino , reſpondetur , tria fuiſſe , quæ S. Martino minimè probabantur. Primum, quia novum, & inſolitum erat, ut cauſam Eccleſiæ Judex ſeculi cognoſceret , ac judicaret. Deinde nondum noverat legibus Imperatorum pœnam capitis eſſe in hæreticos conſtitutam. Demum minimè probabat, quod vulgò ferebatur Ithacium , & ſocios accuſationem contra Priſcillianum , & alios hæreticos perſequi magis vindictæ cauſa, quàm Eccleſiæ ac veritatis tuendæ , & quod veriſimiliter ex ea damnatione Reipublicæ Chriſtianæ pax , & tranquillitas perturbanda credebatur.

Ad ſextum. Ibi Propheta ſolum prædicat, doctrinam Evangelii non eſſe propagandam cæde & more Turcico , non autem , quod in Eccleſia non quidem ex feritate, & barbabarie, ſed ex zelo fidei & juſtitiæ Chriſtianæ non poſſint coerceri , & ſi opus ſit interfici hæretici utriuſque pacis Eccleſiaſticæ & politicæ perturbatores. Alioqui etiam obſtaret , quominus poſſint coerceri , ac interfici, homicidæ, fures, adulteri , qui juſtitiam & tranquillitatem Reipublicæ duntaxat perturbant.

Ad ſeptimum. Locis citatis non jubetur quidem hæreticos occidi , non tamen prohibetur, dum dicuntur vitandi : non enim dicuntur ſolum vitandi , ſed illud poſt declaratam ab Eccleſia ipſorum in hæreſi pertinaciam poteſtati Principum , & Magiſtratuum relinquitur. Sicut , licet nullibi in novo Teſtamento præcipiatur , maleficos homines occidere , non tamen propterea ſequitur, eos juſtè non poſſe à Magiſtratibus morti adjudicari. Ideò autem præfatis locis notanter dicitur ; devitandos ; non verò occidendos eſſe hæreticos quia in illis non habetur ſermo ad Principes politicos, qui gladio corporali , ſed ad Eccleſiam, ejuſque Prælatos qui gladio ſpirituali, id eſt, excommunicatione, aliiſque pœnis illis annexis, debeant uti.

Ad octavum. Chriſtus ibi non loquitur univerſaliter de Spiritu Evangelico, quaſi ille excludat omnem ſeveritatem , ſed loquitur ſpeciatim de eo ſpiritu, vel ratione, quam ipſe ſervari volebat , cum primum alicui Genti proponitur Evangelium , id nimirum fieri non debere vi , aut per externam violentiam , ſicut tyranni ſolent occupare nova regna , ſed per manſuetudinem , doctrinam , & miracula , ut communiter docent Theologi. Inde enim non ſequitur , quod Evangelium, poſtquam ſemel promulgatum , & acceptatum eſt , non poſſit , aut debeat ſpiritu ſeveritatis defendi, & conſervari ſuaviſque ratio , & manſuetudo, quam oportet Chriſti Eccleſiam tenere , ſatis ſervatur erga hæreticos, cùm nonniſi prius ſufficienter admoniti, atque adeò pertinaces , vel relapſi extremo ſupplicio afficiantur. Et ubi Chriſtus Dominus Joannis *cap.* 18. jubet Petrum, *mittere gladium in vaginam*, nihil contra hoc docet, ſed tantummodo prohibet ſtudium inordinatum vindictæ, id eſt privata autoritate.

Ad nonum. Talis tunc uſus fuit , non quod Eccleſia non poſſet abſolutè id facere , vel judicaret non expedire propter mala, quæ facile tunc ea ratione orta fuiſſent; ſed quia tunc non permittebat rerum Eccleſiæ ſtatus. Unde pro diverſitate earum, nec non temporum diverſa quoque fuit in Eccleſia ratio puniendi hæreticos, ut ſupra notavimus.

Ad decimum, præter jam dicta , reſpondetur in illa occaſione Priſcilliani Catholicos fuiſſe inter ſe communicatione diviſos : alii enim ſtabant à partibus Ithacii, qui Priſcillianum tanquam maleficum & nefarium hæreticum, cum Encrocia matrona Burdigalenſi , errorem ejus conſorte, à Maximo tyranno occidi præ cæteris aliis Epiſcopis curaverat, alii verò ipſum, cæteroſque Epiſcopos ejus rei conſcios averſabantur quod ſanguini ſe immiſcuiſſent, & manſuetudinem Chriſti non eſſent imitati. Cùm enim in hoc damnari potuerit, & excuſari Ithacius excuſari quidem, ſi tantum imploraverit auxilium Maximi , qui ſe pro Imperatore tunc gerebat , adverſus Priſcilianum , ut eum comprimeret , & zelo juſtitiæ, non autem vindictæ. ſed id facere eſſet proteſtatus, nempè ſe citra ſanguinem ejus punitionem poſtulare , damnari autem , ſi non præmiſerit ullam proteſtationem & ad occiſionem ipſius Priſcilliani poſitivè , ac formaliter Maximum induxerit. Hinc factum , quod ſuos habuerit defenſores , nempè illos, qui exiſtimaverunt , eum primo ſe geſſiſſe modo , contrarios verò & æmulos , qui ſecundo , non autem , quod crederent illicitam eſſe hæreticorum punitionem , ſive Epiſcopos juſtè non poſſe hæreticos pertinaces,& à ſe excommunicatos, tradere Principi ſeculari , ut ab eo interficiantur.

Ad undecimum. Hæretici non ſunt quidem membra Eccleſiæ defectu fidei , ſunt tamen illi propter characterem , & profeſſionem baptiſmi verè ſubjecti , atque ideò punitioni ejus oboxii. Etſi enim character baptiſmi ſemel impreſſus , non ſit nota , vel ſignum unionis præſeotis, & actualis hæreticorum cum Chriſto , eſt ; tamen præteritæ cognoſcunturque ex illo eſſe militiæ Chriſti deſertores, quos proinde Eccleſia, tanquam tales, ſi non reſipiſcant , juſtè punire poteſt, quemadmodum animadvertit Imperator in militem profugam , & Paſtor in ovem errantem , quamvis non amplius in caſtris, aut in caulis contineantur. Unde ad autoritatem Apoſtoli dicitur , eum fuiſſe loquutum de iis, qui ſunt omninò foris , id eſt , qui nunquam ad Eccleſiam pertinuerunt , aut ei ſe ſubjecerunt , quos propterea rectè Auguſtinus *epiſt. 50. ad Bonifaciam* , ait , ſignificari per illos , qui ſimiliter abſque ulla vi à ſamulis patrisfamilias vocati ſunt ad nuptias , hæreticos autem eſſe illos alios , qui juſſi ſunt per vim adduci , & compelli intrare , quia cùm antea intus eſſent , fecerunt ſibi vias , & ſepes , hoc eſt , ſuas opiniones pravas ſequuti ſunt , aberrantes à recta fidei via, quæ unica eſt , ac ſimplex.

Ad duodecimum reſpondetur , credere , ſeu aſſentiri Deo revelanti eſſe actum omninò liberum , & in hominis poteſtate unà cùm auxilio divino ſitum ; unde ſi non credat , in culpa eſt , non minus quàm adulter , aut homicida , qui liberè ab adulterio , & homicidio abſtinere potuerunt , ideòque tantum abeſt , ut ex libertate credendi inferri poſſit , hæreticos non eſſe puniendos , quin potius ex ea jus eos legitimè puniendi maximè conſequitur , ut præclarè docet Auguſtinus, huic eidem donatiſtarum objectioni reſpondens dicta *epiſt.* 50. *ad Bonifacium* : *Cur* , inquit , *cùm datum ſit homini liberum arbitrium , adulteria legibus puniantur , & ſacrilegia permittantur. An levius eſt , fidem non ſervare animam Deo , quam fæminam viro* ; Et præterea : *Cur ergo* non cogeret Eccleſia perditos filios , ut redirent ſi perditi filii cogerunt alios , *ut perirent?* Idem ait , *lib. 3. contra Creſconium capit.* 51. ubi ſubdit : *Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem , ſed nec bonam*

infructuoſam

bonam infructuoſam, nec malam voluit eſſe impunitam.

Quod ſi dicatur, actum credendi actu extortum, non eſſe liberum, ſed coactum. Reſpondetur actum internum fidei nunquam poſſe eſſe coactum, alias cogeretur voluntas in ſuis actibus internis. Quippe cùm ab ea, propter piam ſuam affectionem erga primam veritatem actus credendi pendeat. Quare Legiſlatores, ſive Magiſtratus, cum hæreticos puniunt, non intendunt, vel ſaltem ſuas pœnas eo non referunt: ut interius credant, ſed ut a dogmatizationibus contra fidem, ſive actibus externis hæreſeos abſtineant, & exterius fidem veram & catholicam profiteantur ad conſervandam pacem & unitatem in Republica, quæ difficile ſervari poteſt ubi ſunt contraria exercitia fidei, ac Religionis, Quæ etiam profeſſio exterior ratione pœnarum, quas vult hæreticus evadere, & ſimpliciter voluntaria, & ſolum involuntaria ſecundum quid eo modo, quo in mercatores, ſuborta tempeſtate, projectio mercium in mare. Et quamvis actus interior ab exteriori in hæretico; quando cogitur, omninò diſcrepet, quippe cum fidem ipſam fictè profiteatur, tamen poſtea verſando cum catholicis, eademque exercitia cum illis externè ſervando, profeſſio illa ficta, vera & ſincera plerumque evadit, ut obſervavit Auguſtinus locis citatis. Et quamvis talis nunquam evaſura eſſet, nihilominus propter bonum publicum, & ut alii propter ejus punitionem ab hæreſi caveant; juſta ſemper eſſet illa punitio.

Ex quibus omnibus pluſquam ſatis manet firmum, fixumque, hæreticos poſſe à Principibus & Magiſtratibus corporaliter, etiam ultimo ſupplicio, ac vivicomburio puniri, & Eccleſiam non injuſtè agere, quando attenta eorum pertinacia, vel relapſu, eos tradit brachio ſeculari. Sique de hac re conquerantur adverſarii, audiant Auguſtinum tract. 9. in Joannem ubi agens de ipſis hæreticis, ait, Videte qualia faciunt, & qualia patiuntur. Occidunt animas, & affliguntur in corpore ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur.

Foro igitur ſeculari tradendi ſunt, ac mortis pœna puniendi primò impœnitentes; & in hæreſi pertinaces, ut conſtat ex *capit. ad abolendam de hæret. in 6.* & docent Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 48. *num.* 6. Eymer. *p.* 2. *direct. queſt.* 40. *num.* 1 ibique Pegna *com.* 65. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *cap.* 55. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 196. *num.* 1. Clarus *lib.* 5. *§. hæreſis*, Suarez de *fid. diſp.* 23. *ſect.* 2. *num.* 3. Quia ſi pœna mortis, & combuſtionis alicui debetur, impœnitenti utique & in ſuo errore obſtinato imponenda eſt. Omnium enim graviſſimè delinquit. Unde *in lib. Viſit. Gubernatorii Urbis* 21. *Julii* 1559. in cauſa Georgii in Curia tunc Turris Nonæ detenti remiſſi Curiæ ſeculari ab Officio ſanctiſſimæ Inquiſitionis pœnis puniendi, Domini fuerunt in voto, quod laqueo ſuſpendatur, & igne concremetur.

Secundò qui legitimis teſtibus ſunt convicti, & negant hæreſim, ſive ſortilegium hæreticale commiſiſſe.. Quia præſumuntur in illo errore perſeverare, dum illum non confitentur. Et quamvis exterius fidem catholicam profiteri oſtendant, attamen reputatur doloſa, & ficta eorum profeſſio, ut colligitur ex *dict. capit. ad abolendam.* Et ita firmant Calderin. *in tractat.. de hæret. rubr. de impœnit. numero. primo*, Roias *eodem tract. p.* 1. *numero ſexageſimo nono*, Simanch. *loco citato*, *numero vigeſimo quinto.* Eymer *p.* 2. *quæſtione trigeſima quarta*, *numero ſecundo & tertio*, ac ibi Pegna *numero quinquageſimo nono.* Suarez *ubi ſupra numero quinto*, & Farinac. *quæſt.* 178.

Tertio confitentes diminuti, & negativi in cauſis fidei, qui non fatentur omnia crimina & ſortilegia hæreticalia, de quibus per teſtes, omni exceptioni majores, eſſent convicti, Quia dimidiata confeſſio non eſt perfecta confeſſio, nec per illam licet, dimidiam ſperare veniam, *can. quem pœnitet. de pœnit. d. cap. omnis de pœnit. & remiſ.* Simanch. *in Enchir. titulo* 61. *numero* 4. Royas *de hæret. p.* 2. *aſſert.* 21. Pegna *p.* 2. *com.* 56. *in fin.* Suarez *ibidem num.* 6.

Dummodò tamen veriſimiliter credi non poſſint eſſe obliti. Quia non eſt cenſendus diminutus confitens, qui ex oblivione omnes hæreſes omniaque hæreticalia non revelat. Nam, ut notat Pegna, ſi hæc recentia ſint, in quibus non facile præſumitur oblivio, tanquam minutus confitens, ac impœnitens damnari poterit ſecus autem erit agendum, quoties commiſſa hæreſis crimina, ſeu hæreticalia ſortilegia eſſent antiquiora, & vetuſtiora, quæ facile à memoria receſſiſſe credantur, vel ſi aliquæ cauſæ ſubſint, ut gravis infirmitas, læſio capitis, negotia plurima, vel alia, ex quibus præſumi poſſit oblivio. Veriſimile enim eſt, eum, qui quaſdam hæreſes fatetur, & eas graviores, & quoſdam complices revelat, præcipuè conjunctos, & amiciſſimos, cætera etiam fuiſſe dicturum, ſi recordaretur, ut per Simanch *de cath. inſtit. titul.* 48. Pegnam *loco citato*, Royam. *de hæret. p.* 1. *aſſert.* 22. & Farinac. *dict. quæſt* 196. *n.* 16. *& ſeqq.*

Videturque conſtitui regula, quod ſcilicet in factis, arduis, atrocibus, & horrendis, ut in direptione, conculcatione ſacrarum Imaginum, prædicatione hæreſum, & id genus alia, & in factis, vel dictis ſolitis & conſuetis, licet ardua non ſint, & in iis, quæ ſemper delinquentem comitantur, oblivio non præſumatur, etiam poſt longum tempus. In cæteris verò cauſis, quæ inſignes, & arduæ non ſunt, neque ſolitæ & conſuetæ, neque delinquentem comitantur, decennio regulariter oblivio præſumitur, niſi aliter Judicibus fidei viſum fuerit, penſata delicti, perſonarum, & circumſtantiarum qualitate.

Neque hi confitentes diminuti ſunt Curiæ ſeculari tradendi, niſi diminutio ſit admodum notabilis, & facta ex malitia ut per Canter. *in qu. crim. de hæreſ. cap.* 1. *num.* 57. Royam *p.* 2. *de hæret. num.* 242. Param. *de orig. S. Inquiſ. lib.* 3. *quæſtion.* 6. *numero* 193. *& ſeqq.* & Caren. *p.* 3. *titul.* 13. *§. primo*, *num.* 18.

Quarto, qui ſuum manifeſtavit delictum in judicio, & poſtea confeſſionem factam revocat, ut impœnitens tradendus eſt Curiæ ſeculari, niſi juſtam revocationis cauſam præbeat. Quoniam ex præcedenti confeſſione jam delictum eſt plenè probatum, & ſubſequens revocatio præſumitur fraudulenta & mendax ad effugiendum pœnam mortis. Aliàs enim, ſi ob hanc revocationem damnari non poſſet, omnibus delinquentibus daretur ansa revocandi confeſſionem factam, ut pœnam ordinariam evitarent. Sicque docent Simanch. *de cath. inſtitut. titulo decimo tertio*, *numero* 25. *&* *titul.* 60. *num.* 8. Calderin. *de hæret. conſ.* 2. *numero* 1. Roias, *eod. tit. p.* 2. *num.* 255. *ac ſeq. aſſert.* 25. Decian. *libro quinto*, *dict. cap.* 55. *numero* 14. Farinac. *loc. cit. num.* 20. & Zanard. *de hæret. capit.* 23. *numer.* 1. *& ſequent.*

Quinto

Quinto Curiæ ſeculari tradendus eſt, ac mortis pœna puniendus hæreticus, ſive ſortilegus relapſus qui prius abjuraverat hæreſim, vel dæmonis invocationem, & deinde iterum de eadem hæreſi, vel dæmonis invocatione eſt confeſſus, aut convictus, etiamſi prius abjuraverit, non tanquam confeſſus, vel convictus, ſed de vehementi, Quia præſumitur fictè converti, ac eſſe incorrigibilem, ut habetur *in cap. ad abolendam paragraf. illos de hæret.* ubi Gloſſa, & proſequuntur Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 87. *numero* 9. & *in Enchir. titul.* 60. *nn.* 4. Pegna *p.* 3. *com.* 26. & Farinac. *dict. quæſt.* 196. *num.* 6. *ac* 10. Dummodò ſortilegium ſit hæreticale manifeſtè; ſecus verò ſi hæreſim non ſapiat. Tunc enim relapſus non traditur Curiæ ſeculari, ut docet Pegna *loco citato*, Tabien. *in ſum. v. Inquiſitor §.* 12. *num.* 59. Farinac. *ibidem numero* 12. Ac etiam requiritur, ut dæmonis invocatio fiat cum mentis errore, adeò ut ſortilegus credat, dæmones ex ſua propria poteſtate poſſe facere id, ad quod invocantur. Quia tunc tribuitur creaturæ, quod eſt proprium Creatoris.

Si verò ſortilegus ſponte, & à nemine præventus manifeſtaret ſe in ſortilegium hæreticale abjuratum & in priſtinam hæreſim incidiſſe ac pœnitentiam expoſtularet, pœnam mortis evaderet. Quia dum à nullo præventus, à ſeipſo pœnitentiam petit, clarum ſignum exhibet veræ converſionis, & conſequenter condonanda ei eſt pœna mortis, nec tradendus Curiæ ſeculari, ut docent Pegna *p.* 3. *com.* 52. Menoch. *conſil.* 82. *numero* 168. Decian. *dict. lib.* 5. *capit.* 56. *numer.* 12. Farinac. *quæſtione* 193, *numero* 39. Alph. de Caſtro *lib.* 2. *de juſt. hæret. pun. cap* 1. Qui etiam, inquiunt, advertendum eſſe, an hic reus relapſus ad ſuum crimen fatendum accedat metu alterius denunciationis, & probationum contra ſe inſtantium. Tunc enim non videtur facilè pœnam mortis eſſe evaſurum. Eſſe tamen illam evaſurum, etiamſi captus fateatur hæreſim, de qua in actis conſtabat. Quia tunc non præſumitur fictè, ſed verè converti.

Qui autem de primo in hæreſim lapſu, ſive de primo hæreticali ſortilegio non fuit plenè convictus, ſed abjuraverit de vehementi, & in ſecundo lapſu eſt plenè convictus, cenſeri debet quadam fictione relapſus, ut habetur in *cap. accuſatus de hæret. in* 6. ibique Doctores. Si verò ſolum de levi prius abjuravit, in eodem textu dicitur, quod quanquam ex hoc ſit gravius puniendus, non tamen debet relapſorum pœna puniri.

Inſuper qui primo abjuravit hæreſim, & poſtea incidit in illius vehementem ſuſpicionem, pœna relapſi puniri poteſt. Nam, ut quis fictione juris reputetur relapſus, ſufficit, ſi de uno lapſu plenè ac evidenter conſtet, & de alio ſit vehemens ſuſpicio. Quod autem lapſus præſumptus antecedat, vel ſubſequatur lapſum certum, ex accidenti eſſe videtur, ac levis conſiderationis, ut probant Menoch. *lib* 1. *conſ.* 82. *numero* 148. Alphons. de Caſtr. *loco citato*, *cap. ſecundo*, Zanchin. *tractat. de hæret. cap.* 16. *numero* 3. Farinac. *quæſtione* 195. *numero* 17. Contrarium tamen ſentiendum eſt cum Royas *de hæret. cap.* 2. *num.* 333. per textum *in cap. litteras de præſumpt*, Unde Farinacius *num.* 18. teſtatur, hanc contrariam ſententiam regulariter in praxi ſervari ab Inquiſitoribus Italiæ.

Et hæc doctrina extendenda eſt, ut notat idem Farinac. *ibidem numero* 32. ad eum, qui primo hæreſim abjuravit, & poſtea hæreticis favet. Hic namque judicandus eſt, ut relapſus ex *cap. accuſatus de hæret. in* 6. ubi Doctores. Neque hoc eſt intelligendum, ut aliqui opinantur, quando quis favet hæreticis, profitentibus eandem hæreſim, quam ipſe prius abjuraverat, ſecus verò ſi diverſam. Nam abjurans hæreſim expreſsè, vel tacitè omnes hæreſes abjurat, & promittit, nunquam receſſurum à divina revelatione per Eccleſiam propoſita, & ſaltem tacitè promittit ab Eccleſia non diſceſſurus. Ac proinde ſi in evidentem hæreſis ſuſpicionem incidit, ut relapſus judicari debet, quemadmodum tradunt Decian. *dict lib.* 5. *cap.* 56. *num.* 2. & 13. Ganter. *qq. crim. rubr. de hæret. cap.* 1. *num.* 58. & Pegna *p.* 2. *com.* 65.

Sextò, Curiæ ſeculari, mortis pœna eſt afficiendus impius ſortilegus, qui in ſortilegio, vel quovis alio modo abutitur ſacratiſſima Euchariſtia, ſive id faciat cum mentis errore, & malè ſentiens de hoc ſacramento, ſive credat, hoc eſſe malum, & graviſſimum ſacrilegium, & id faciat ad placendum dæmoni. Quamvis enim male utens hoſtia conſecrata ſine intellectus errore, non ſit hæreticus, ut aiunt Graſſ. *lib.* 2. *cap.* 8. *rubr. de hæretic. n.* 2. & *lib.* 4. *cap.* 18. *numero* 11. & 12. Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 181, *numero* 43. Patam. *de orig. S. Inquiſ lib.* 3. *quæſt.* 3. *num.* 10. quoniam tamen eſt graviſſimum, & horrendum delictum, pœna mortis eſt puniendum. Res enim ſacræ quæ in ſortilegiis adhibentur, dæmoni aſſeruntur, ut cum aliis notat Carena *p.* 2. *tit.* 12. *numero* 33. Quid ergo dicto ſortilegio horribilius? Ideò tale delictum committens tradendus eſt Curiæ ſeculari, ac pœna mortis puniendus ex decreto S. Congregationis, ut refert Carena *p.* 3. *titul.* 13. *§* 1. *num.* 24. Locat. *in rubr. contra abus. ſacram* Farinac *ubi ſupra numero* 44. Genuenſis *in pr.* 68. *num.* 10. Moura *de incant. opuſc.* 1. *ſect.* 23. *cap.* 1. *num* 29. Diana *p.* 4. *tracta.* 7. *reſ.* 10. *numero* 14. de quo decreto S. Congregationis, ſive potius Pauli IV. ne ſurripiente hoſtiam, vel unam aut plures particulas, vel pyxidem, ac de abuſu Euchariſtiæ alibi dictum eſt.

Septimò, ſortilegus non ſacerdos, ſive quiſvis alius ſimiliter non ſacerdos, Miſſam celebrans, traditur etiam Curiæ ſeculari, ultimo ſupplicio afficiendus juxta Conſtitutiones Pauli IV. editam 20 Maii 1557. & aliam 17. Februarii 1559. Gregorii VIII quæ incipit, *Officii noſtri partes*, *emanatam* 1574. Clementis VIII. cujus initium, *Etſi alias*, emiſſam 1601 & Urbani VIII. incip. *Apoſtolatus officium*, & per Epiſtolam Cardinalis Mellini ad Inquiſitorem generalem Luſitaniæ die 5 Martii 1622. de quibus etiam alibi. In Inquiſitione tamen Hiſpana dictæ Conſtitutiones non ſunt uſu receptæ quoad relaxationem Curiæ ſeculari ob dictum crimen, & ideo regulariter punitur pœna arbitraria, ut referunt Caſtropal *p.* 1 *tract.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. *§.* 9. *num* 2. Acugna *de confeſſ. ſollic. quæſt.* 13. *num* 10. & Diana *loc. cit.* Qui pariter non eſt ſacerdos, & audit confeſſionem ſacramentalem traditur Curiæ ſeculari ex Bulla Clementis VIII. incip. *Etſi alias* & utroque procedi, etiamſi delinquens ſit minor 25. annis, major tamen 20. ex dicta Conſtitutione Urbani VIII. de quo alibi.

Octavo hæreticus, vel ſortilegus, qui negavit Trinitatem in divinis, vel divinitatem Chriſti Domini, vel ejus conceptionem de Spiritu Sancto, vel ejus mortem, ut nos redimeret, vel B. Matris Mariæ virginitatem, ſeculari brachio eſt relaxandus, ac ultimo ſupplicio plectendus, etiam pro primo lapſu ex Conſtitutione Clementis Octavi edita die 3. Februarii 1603. & tradunt Souſa *lib.* 2.

aph.

aph. cap. 44. *numero* 6. Caren. *p.* 3. *titul.* 13. §. 1. *nu.* 20. ac Diana *p.* 4. *tract.* 7. *reſ.* 24. *nu.* 2.

Nono, ſortilegi rebaptizantes puerum, vel baptizantes magnetem, aut hominis mortui cadaver, aut imagines cereas, vel quavis materia compoſitas, vel libros magicos. Refert enim Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 15. quod quidam magi curant benedici per Sacerdotes, habendam ſtollam collo, & cereum benedictum in manu ſuos libros poſitos ſub mappa altaris, qui illos aqua benedicta aſpergit, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credentes ſic libros illos vim magicam accipere. Alii etiam, ut referunt Binsfeldius *in com. ad l. multi C. de malef. & math. quæſt.* 5. Graff. *lib.* 2. *capit.* 5. *de ſuperſt. numero* 12. Toletus *in ſum. lib.* 4. *cap.* 16. *nu.* 4. & Farinacius *de hæreſ. quæſt.* 181. *num.* 25. conficiunt quaſdam imagines certis temporibus, ac ritibus obſervatis, & illas nomine Belzebub, Principis dæmoniorum baptizant, & poſtea ad ignem applicant, & à dæmone petunt infirmitates, aut alia mala, quæ in perſona, cujus imaginem confecerunt, evenire optant. Et quandoque etiam acubus, aut aliis aculeis ferreis perforant, aut pungunt illius imaginis caput, aut pectus, aut fœmora, aut aliam corporis partem, in qua cupiunt malum aliquod oriri in perſona illius, cui nocere intendunt, & illa graviter torquetur in eadem parte corporis, quam in imagine pungunt, vel transfigunt. Hi omnes ſortilegium hæreticale committunt, & vel ſunt hæretici malè credentes de ſacramento baptiſmi, & Curiæ ſeculari ſunt tradendi, ac pœna mortis puniendi. Vel ſi errorem in intellectu non habent, ſunt vehementer de hæreſi ſuſpecti, & ab Inquiſitoribus graviter plectendi, ut per Pegnam *p.* 2. *com.* 67. Farinacium, Delrium, *locis citatis*, & alios quos ipſi citant, Carenam *p.* 2. *titul.* 12. *numer.* 25. In dubio autem præſumendum eſt, has imagines baptizantem habere errorem in intellectu, & male ſentire de ſacramento baptiſmi, licet ex natura rei talis non ſit judicandus hæreticus, niſi inquiratur de cauſa, & de ſuo errore circa fidem. Quia fortaſſis non malè ſentit de illa, ſed id fecit, ut facilius à Dæmone ſuum deſiderium conſequeretur, ut per Farinacium *ibidem n.* 27.

Decimo ſortilegi, qui hoſtili maleficio fuerunt alicui cauſa mortis, brachio ſeculari tradendi ſunt, ac ultimo ſupplicio etiam plectendi. Nam Gregorius XV. in ſua Conſtitutione, incipiente, *Omnipotentis Dei*, edita ſub die 20. Martii 1623. ita decrevit: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtri, deque Apoſtolica poteſtatis plenitudine tenore præſentium decernimus, præcipimus, & mandamus, ut, conſtito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & à fide apoſtatando, maleficiis, ſive ſortilegiis unam, ſeu plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſequuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur debitis pœnis puniendus.* Quod notant Peyrin. *tomo ſecundo, in Conſtit.* 9. *Pauli V. numero vigeſimo ſexto*, Catena *p. tertia, titulo decimo tertio, numero vigeſimo primo*, & Diana *dict. p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 10.

Verum ſortilegus, ſive maleficus, hæreticus, etiam Eccleſiaſticus, ſi fateatur, ſe in ſortilegiis vel maleficiis homicidium commiſiſſe, & pœniteat, paratuſque ſit corrigi, non eſt ab Inquiſitoribus Curiæ ſeculari tradendus, ſed ad reconciliationem eſt admittendus, ut docent Souſa *in aph. lib.* 1. *capit.* 58. Menoch. *de arb. caſ.* 388. Farinac. *de hæreſ. quæſtione vigeſima, numero centeſimo quinto, & quæſtione centeſima nonageſima tertia, numero* 13. Diana *dict. reſolut.* 10. Si autem Judex ſecularis illum S. Officio conſignavit, ſuſpenſa aliorum criminum punitione, tunc expedita cauſa hæreſis, Officium S. Inquiſitionis eidem Judici ſeculari illum reſtituere debet, ac ſolet Conſtitutionem B. Pii V. apud Pegnam, referente Delbene *p. ſecunda de offic. S. Inquiſ. dub.* 206. *ſect.* 6. *numero ſecundo*, de quo nos alibi.

Undecimo, ſortilegi omnes, qui dæmones invocant, ut notat Eymeric. *p. ſecunda, quæſtione* 43. *numero ſecundo*, & eis ſacrificant, vel eas adorant, vel eis orationes execrabiles effundunt, vel ſe devovent, obedientiam promittendo, vel ſe facturos aliquid pro illis aſſerunt, vel per dæmonem jurant, vel per nomen alicujus dæmonis ſuperioris dæmonem inferiorem adjurant, vel laudes, aut cantus in ejus reverentia promunt, vel genuflectendo aliquid ab eo poſtulant, vel pro dæmonis reverentia, aut præcepto & monito caſtitatem obſervant, vel jejunant, aut carnem ſuam macerant, aut veſtibus nigris, vel albis induunt, vel per characteres, & ſigna, & ignota nomina obſecrant, luminaria accendunt, aromatibus ſubfumigant, animalia immolant, ſanguinem proprium ex ſe emittendo, offerunt, vel alia nefaria à dæmonibus conſultata, & concupita faciunt in quibus omnibus honor Latriæ, iis exhibetur, vel nomina dæmonum inter nomina beatorum, & Sanctorum in ſuis nefariis orationibus miſcent, cereos accendunt, & Deum per eorum nomina, vel merita obſecrant, vel multis aliis execrabilibus modis honorem duliæ dæmonibus exhibent. Iſti omnes, ſi ſint judicialiter convicti, vel confeſſi, ut hæretici judicio Eccleſiæ habendi ſunt, & per conſequens, ſi reſipiſcant, hæreſi prius abjurata, ſunt, ut pœnitentes hæretici perpetuò immurandi. Si autem voluerint deſiſtere, vel ſi dixerint, ſe velle deſiſtere, ac pœnitere, ſed nolle abjurare, vel ſi abjuraverint, & poſtea in eundem errorem inciderint, Curiæ ſeculari ſunt relinquendi, ac ultimo ſupplicio puniendi. Ita Eymericus *loc. cit.* ibique pegna *com.* 68.

Non poſſunt tamen Inquiſitores aliquem Curiæ ſeculari tradere, inconſulto ſupremo Tribunali, etiamſi ſuffragia Ordinarii, Inquiſitoris, & Conſultorum omninò conſentiant. Nam hæc traditio inter cauſas graviſſimas computatur. Quod etiam docent Molina *de juſt. tract.* 5. *diſp.* 28. *nu.* 14. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſ.* 121. & Carena *p.* 5. *tit.* 13. §. 1. *n.* 25.

Porrò quando conſtat de maleficio febre maligna ſubſequente & poſtea de morte, mors non eſt tribuenda maleficio, neque maleficus Curiæ ſeculari tradendus, niſi evidenter conſtet, febrem malignam ortum habuiſſe ex maleficio. Nam in dicto caſu mors tribuenda eſt febri, quæ eſt cauſa proximior mortis, non autem maleficio, quod eſt cauſa remotior. Quotieſcunque enim duæ eſſe poſſunt cauſæ mortis, una præcedens & remotior, altera ſubſequens, & proximior præſumendum eſt, mortem ex cauſa proximiori, & ſubſequenti ortum habuiſſe per textum *in leg. hac Scripturæ paragrapho, ſi ſervus ad leg. Aquil.* Cùm igitur mors, ut plurimum ſequi ſoleat ex febri, & non probetur cauſam febris fuiſſe maleficium, mors potius eſt tribuenda febri, quàm maleficio, Carena *p. ſecunda. titulo duodecimo*, §. *trigeſimo primo, numero ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo.*

Quamvis autem in delictis non occultis, & facilis probationis non poſſit aliquis puniri pœna mortis ex indiciis, etiam indubitatis, ut docent Caſtr. *conſilio ducenteſimo nonageſimo nono, numero tertio*, Lopez *in lege vigeſima ſexta, titulo primo, gloſ.* 4. *part.* 7.

part. 7. aliique, in delictis tamen atrocibus occultis, ac difficilis probationis, quale eſt crimen hæreſis, maleficii, ac ſortilegii diſtinguit Carena *dict. titulo duodecimo, paragrapho 32. num. ducenteſimo ſexageſimo tertio*, quod vel loquimur de Judicibus ſuperioribus & de ſacro ac ſupremo Inquiſitionis Tribunali, vel de Judicibus inferioribus. Si primo modo, certum eſt in dictis criminibus, & aliis ſimilibus ad hæreſim ſpectantibus, poſſe ex indiciis indubitatis ſacrum ac ſupremum Tribunal hæreticum, maleficum ſive ſortilegum homicidam brachio ſeculari tradere, ut mortis pœna puniatur. Sic enim etiam in aliis Tribunalibus ſervari ſolet. Nam per Sacrum Concilium Neapolitanum, ut cum Taſſono *in pragm. de antef. obſervat. ſecunda, numero ſecundo*, refert idem Carena ſub anno 1606. quædam mulier imputata de homicidio viri, ob indicia indubitata fuit ad mortem damnata. Et ſub anno 1621. Cardinalis Zapata per pragmaticam ſpecialem decrevit, poſſe Judices ex indiciis indubitatis reos ad mortem damnare. Similiter Senatus Mediolanenſis ſub die 16. Novembris 1628. damnavit ad mortem quendam Paulum de Villa Mutinenſem, qui ſolis indiciis indubitatis de homicidio urgebatur, ut refert Stephanus Gaton *in titul. Conſtitut. Mediolani de jur. Fiſci articulo trigeſimo ſexto. numero decimo quinto.* Ac de generali obſervantia ejuſdem Senatus in pœnam mortis reos condemnandi ex indiciis indubitatis, teſtatur Beilon. Papienſ. *libro. ſecundo, de his, quæ fiunt in continenti capite centeſimo decimo quinto, numero decimo.* Idemque in aliis Tribunalibus ſervari, probat Carena *loc. cit.*

Si verò loquamur de Judicibus in S. Officio inferioribus, ipſe Carena arbitratur *nu. ducenteſimo. ſexageſimo quarto*, non poſſe eos ex indiciis indubitatis damnare hæreticum, nec quemlibet alium, ſive maleficum, ſive ſortilegum ad pœnam mortis ordinariam virtute Conſtitutionis Gregorii X V. ſed poſſe illos torquere, vel ad aliam pœnam extraordinariam condemnare.

At Didacus Cantera *in quæſt. crim. capit. 2. de probat. per teſtes quæſtione prima, numero 60. & quæſt. 6. num. 2.* Simanch. *de cathaulſit. cap. 46. numero 3.* Diana *p. 4. tract. 8. reſol.* 116. abſque ulla diſtinctione abſoluti docent, in crimine hæreſis, probato facto, ex quo reſultat indubitatum indicium, Inquiſitores poſſe punire reum pœna ordinaria, & conſequenter poſſe tradere Curiæ ſeculari hæreticum, & maleficum, ſive ſortilegum, qui maleficio commiſit infanticidium, vel homicidium, ut ultimo ſupplicio puniatur. Ego id totum arbitrio Inquiſitorum relinquo. Id autem notandum eſt, indicia indubitata illa dici, quæ animum Judicis movent neceſſariò ad credendum maleficum tale delictum commiſiſſe, nec poſſe aliter credere, ut per Canteram *dict. capit. 2. quæſt. 6. num.* 1. ubi alios allegat, de quo & nos ſuo loco egimus.

Si maleficus ſola ſua cogitatione pertentavit alicui mortem, quamvis mortale crimen commiſerit, non eſt tamen pœna ordinaria, neque extraordinaria puniendus. Nam, ut inquit Ulpianus *in l. 18. ff. de pœn. cogitationis pœnam nemo patitur.* Et ita etiam docent Theologi cum D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 96. *art.* 4. ut notat Vaſquez *diſp.* 160. *cap.* 2. Becan. *tract.* 3. *cap.* 6. *qu.* 5. & Suarez *de legib lib. 3. cap.* 13. Si verò ultra cogitationem adfuit tractatus, & maleficus non pervenit ad actum proximum mortalis maleficii emittendi, ſed tantum ad actum remotum, tunc pœna extraordinaria tantum eſt puniendus, ut docent Cantera *in dictis quæſt. crim. capite ſeptimo de homicid. nu.* 26. Farinac. *q. crim.* 124. *n.* 8. Giurba *conſ. crim.* 46. *n.* 37. & Carena *p. 2. tit. 12. §. 34. n.* 281

Ad quid ſi maleficus devenerit ad actum proximum, & conſumaverit delictum, præbendo maleficium ad mortem, & mors non fuerit ſequuta, an hoc caſu tradendus ſit Curiæ ſeculari ac ultimo ſupplicio puniendus juxta Conſtitutionem Gregorii X V.

Affirmativè videtur reſpondendum. Quia in delictis atrocibus, quale eſt dictum maleficium, ita in aliis Tribunalibus obſervatur. In Senatu enim Mediolanenſi mandatarius, qui ad actum proximum homicidii devenit, etiam morte offenſi non ſequuta, in furcas ſuſpenditur ex conſtitutione illius Ditionis *tit. de pœn. §. mandantes.* In Senatu Sabaudienſi quidam fuit in furcas ſuſpenſus, quod noctu ingreſſus eſt in domum cujuſdam, ut eum occideret, quamvis effectus non fuerit ſequutus, ut refert Præſes Abavo *in pr. crim. §. coronatus nu.* 16. Sic etiam ſervatum fuiſſe in Regno Neapolitano, teſtatur Afflictus *in Conſtitut. Regni libro primo, rubr.* 12. *numero undecimo*, & Capyc. *deciſione centeſima quinquageſima quinta*, ac ſimiliter in aliis Tribunalibus, ut refert Carena *loc. citato.* Siquidem quod plerique jactitant in atrocioribus delictis, affectum puniri, etiam quum effectus non ſequatur, ita verum eſt, ſi delinquens ad actum proximum, & ut aiunt, immediatum adveniſſe proponatur, Grammatic. *conſilio trigeſimo ſexto, numero* 16. Alioquin arbitriu Judicis ſtatuenda pœna relinquitur, Jul. Clar. *liv. ſent §. qu.* 92.

Hiſce tamen minimè obſtantibus, tenendum eſt maleficum, qui maleficium alicui ad mortem intulit, & mors non eſt ſequuta; non eſſe pœna ordinaria puniendum, atque adeò nec tradendum Curiæ ſeculari; ſed pœna extra ordinem. Nam Gregorius X V. in dicta ſua Conſtitutione expreſſè decrevit: *Ut conſtito quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & maleficio, ſive ſortilegiis unam, vel plures perſonas ita læſerit, ut ex maleficio, vel ſortilegio mors ſequuta ſit, etiam pro primo lapſu, Curiæ ſeculari tradatur, debitis pœnis puniendus.* Dum ergo in prædicto caſu ſupponitur ex maleficio mortuum non eſſe maleficiatum, ſequitur maleficum non eſſe Curiæ ſeculari tradendum, ut mortis pœna puniatur. Ita notat Menoch. *de arb. caſ.* 360. *n.* 96. & Carena *ubi ſupra n.* 290. Erit tamen alia pœna puniendus, ſicut ibidem ſtatuit Pontifex, & nos ſuo loco dicemus.

Quando autem pœna mortis ſit remittenda hæreticis, ſortilegis, & hujuſmodi aliis diximus, dum egimus de ſponte comparentibus, ac de ſpontè in carcere confitentibus.

CONSULTATIO CLXXI.

Cur apud Catholicos Judæi tolerentur, Hæretici comburantur?

DE hac re graviter expoſtulant Sectarii, quibus ita reſpondeo. Miror profectò, Sectariis noſtri ævi adeò parum cum Judæis convenire, ut eorum oderint tranquilitatem. Morum ſimilitudo mutui pectoris viciſſitudinem plerumque conciliat, ipſi verò ſunt Iudæis quàm ſimillimi. Quid enim? Templum nec Sectarii, nec Iudæi habent. Sacerdote, & Vate ſacro, & Sacerdotio ambo carent. Sunt ſæpenumero quidem è Sectariis filii Sacerdotum Monachorum, & Monialium, quibus utique inter nos Catholicos haud licuiſſet eſſe tam fœcundis; ſed hoc eis non ſuffragatur, quia ſucceſſionem conſecrationis quærimus, non autem ſucceſſionem fornicationis. Iudæi Sanctorum icones

nullas

nes nullas colunt, Sectarii iconomachiam profitentur, quam Leo Iſauricus, primus ejus impietatis autor, à Judæis didicerat. Merum in Paſchate panem Judæi, & merum panem Sectarii in cœna ſua edunt, nihilominus accepturi ambo ex officina piſtoris, vel ex molendino. Judæi non adeo colunt virginitatem perpetuam, eamque ideo filia Jephte lamentata eſt flebiliter moritura. Sectarii eandem furioſe exterminant ex Orbe Chriſtiano, tantaque id agunt impudentia, ut Theodorus Beza, hoc eſt ſus lota in volutabro luti, utriuſque libidinis, auſus fuerit roſtrum immundiſſimum inſerere in ipſam Mariæ Deiparæ Virginitatem ac revocare in dubium, an poſt Dei puerperium Virgo perſeveraverit *in præf. novi Teſtam.* Judæi ad ſolam Scripturam provocant, Sectarii perpetuo Scripturam, Scripturam clamant. Judæi ex eadem Scriptura Sacra veteri eraſerunt multa quibus Chriſti aut divinitas, aut paſſio, aut redemptio generis humani evidentiſſimis Prophetarum vaticiniis aſſerebatur. Sectarii temerario auſu Scripturam & veterem & novam pluribus in locis depravarunt, quo in hunc modum ſtabilirent ſacrilegos errores ſuos. Cùm ſint itaque tam ſimiles, miror ſane utriſque non convenire.

Ut autem reſpondeam Sectariis, qui ægre ferunt Judæos inter Catholicos tolerari, quamvis Chriſtum Dominum appellent ſeductorem, ſcire eos velim, à Theologis & à viris doctiſſimis hoc nequaquam improbari. Confirmant enim Judæi Religionem noſtram, dum ſine civitate, ſine patria, ſine lare, tot jam ſeculis perſeverant, & perpetuò ſervire coguntur. Quod tamen alteri Nationi, domitæ armis Populi Romani, nunquam evenit, ut dubitari non poſſit de ipſorum punitione divina. Sunt infamia æterna notati, nec promoventur ad honores ullos, aut Magiſtratum. Rejiciuntur ab ipſa militia Romæque ac paſſim alibi nequeunt bona ſtabilia poſſidere. Sed & natura ipſa videtur conſpirare in eorum punitionem, quorum utique corporibus ineſt ſemper gravis quidam odor, ut propterea nomen fœtentium promeruerint, nec aliter ipſos appellet Ammianus Marcellinus.

Sunt inſuper Judæi Religioni noſtræ utiles ex alio eo capite, quia Scripturas Sacras nobis exhibent minus corruptas, quàm hæretici, Judæis multò nequiores. *Quid aliud eſt hodie*, inquit Eucherius, *gens ipſa Judæorum*, niſi quædam ſcriniaria chriſtianorum fidelium bajulans legem, & Prophetas, ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nunciat *illa per literam?* Idemque habet Auguſtinus à nobis alibi adductus.

Cæterum eſt circa eos, etiam Romæ major quædam diſcipline. Nam habitant ædibus coarctis intra limites præfinitos, clauduntur noctu ſepta eorum, & ſunt propoſitæ pœnæ graves, ſiqui audeant egredi, aut divagari. Ut à Chriſtianis quoque interdiu poſſint diſtingui atque internoſci, non aliter prodire poſſunt, quàm colore croceo petaſati. Quavis item hebdomada die Sabbati venire numero ſatis magno ad Chriſtianam concionem debent, & ſi pauciores adſint, exſolvunt mulctam gravem. Neque hoc ſine fructu fieri ſolet, quia quotannis ſunt, qui ad caſtra Eccleſiæ aggregant ſe, & Chriſto Domino nomen, atque animam conſecrant. Eſt autem frequentior numerus eorum, qui fonte luſtrali abluuntur, ſi contingat aliquem præcipuum è Synagoga eorum converti, quo pacto initio Pontificatus B. Pii V. cum illo Synagogæ Præfecto Judæi amplius trecenti Chriſtianis ritibus initiati fuerunt. Idemq; factitatum ſub Gregorio XIII. ac poſtea ſæpe. Porro ii, qui Religionem noſtram amplectuntur, tum ex mulcta, de qua modo memini, tum ex pia fundatione aluntur in domo Catechumenorum, donec inſtructi in his, quæ ad fidem catholicam ſpectant, conditionem inveniant, aut exerceant opificium aliquod honeſtum.

An hæc meritò reprehendant Sectarii? Vel cur id exprobrant Romano Pontifici ac Principibus, & Rebuſpublicis Catholicis, ſi liberæ civitates, etiam Auguſtanæ Confeſſionis & profeſſionis Calvinianæ Judæos paſſim admittunt, nec iis tamen legibus eos regunt, aut ad fidem pertrahere conantur? Ubi procurandæ ſalutis alienæ ſtudium? Ubi eſt miniſtrorum zelus evangelicus? Nimirum ſtertit, quia mortuus eſt; & diviſus, imò penitus abſciſſus à Deo.

Quanquam irritus labor eorum eſſet; nec enim Judæi tales Eccleſiaſtes audirent, cùm agnoſcant veræ chriſtianæ Religionis caput eſſe Romanum Pontificem, & ſciant Lutheri, & Calvini aſſeclas hæreticos ac ſchiſmaticos eſſe. Quod aperte profitentur, quoties interrogantur; mallentq; noſtras, an eorum partes ſequi, ſi aliquando Religionem mutarent, D. Auguſtinus de Donatiſtis; & Rogatiſtis agens, & eorum paucitatem contemnens, ſi cum Eccleſiæ Catholicæ partibus comparentur, (ex quo partem Rogati ex Donati parte abſciſſam, appellavit breviſſimum fruſtum de fruſto majore præciſum) ut oſtendat eos nulla ratione poſſe dici Catholicos, ſeu univerſales, hæc ſubdit in rem præſentem *ep.48. ad Vincentium. Plane & Judæi & Pagani, ſi tam paucos putarent eſſe Chriſtianos, quàm pauci vos eſtis, qui ſolos vos chriſtianos eſſe perhibetis, nec blaſphemare nos dignarentur, ſed & nunquam ridere ceſſarent. Non timetis ne vobis dicant Judæi: Ubi eſt, quod Paulus veſter Eccleſiam veſtram intelligit, ubi dictum eſt, Lætare, ſterilis, quæ non paris, erumpe, & exclama, quæ non parturis, quoniam multi filii deſertæ magis, quàm ejus, quæ habet virum, præponens multitudinem Chriſtianorum multitudini Judæorum, ſi Chriſti Eccleſia eſt paucitas veſtra?*

Cur autem Judæi magis, quam hæretici tolerentur; cauſa eſt, quoniam à Judæis perinde atque ab hæreticis infectionem Eccleſia non metuit. Et profectò ita eſt. Nam utrunſque dum comparo, Judæos verum eſſe triticum judico, antiquum tamen, morbidum, rabidumq; & quod ætatem amplius non ferat. Fuit enim ipſorum olim vera & ſola Religio. Hæretici contra ſunt lolium, quod zizania Græci appellant. Sunt, inquam, lolium, hoc eſt morbus frugum, ſegetis contagium ac peſtis, quod ex divini conſilii præſcripto, relinqui tantum in agro uſque ad meſſem debet *Matth.* 13. quando periculum eſt, ne ſimul triticum eradicetur. Uti videlicet contingit in Regionibus, & civitatibus in quibus jure ac prudenter metuitur numerus, ſeu potentia hæreticorum. Secus eradicandi ſunt, neque eſt expectanda meſſis. Atque hæc eſt vera Evangelii expoſitio, quam communiter Theologi atque Interpretes ſacri tradunt.

Ne autem adſcribatur injuriæ Judæis hæreticos à me poſtpoſitos, patrocinium quæram ex D. Hieronymo, qui *in Iſai.7.* ait, neminem eſſe tam impium, quam hæreticus impietate non vincat. Quippe fidem evertit, quæ fundamentum ſpiritualis ædificii, principium vitæ, ac ſalutis cor eſt. Quod ſi, ut verbis Auguſtini utar, *domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*, quantum adfert detrimenti hæreſis, quæ illud ipſum fundamentum ſubruere, atque evertere conatur? Id cauſæ nimirum fuit, cur olim quando adverſus Eccleſiam Tyranni ſæviebant, Chriſtiani tempeſtatem expectaverint domi, nec patriam, aut lares, aut commoda propria deſeruerint. At quotieſcunque hæreſis nova ingruebat, extemplo, perinde ac ſi claſſicum audirent, centeni ac centeni Epiſcopi ex remotiſſima quavis regione, relictis aris, templis, ac ſedibus ſuis, ad Concilia Oecumenica venerint, quò hæreſim eandem propulſarent, qui tamen ad alia vitia tollenda de ſtatione ſua non recedebant.

Nec apud Catholicos ob primam hæreſim ſupplicio extremo aliquis punitur, niſi hæreſiarcha fuerit, ſed corripitur duntaxat, & dimittitur, hæreſi tamen prius abjurata. Soli vero relapſi in eandem hæreſim morti adjudicantur, nec vivi comburuntur tamen, ſed ſtrangulantur prius, & mox incendium patiuntur; quando ſentire acerbitatem ejus nequeunt, ſi reſipiſcant, & errorem abjiciant moriturl. Quod ſi obſtinati fuerint, tunc vivi exuruntur, neque hoc fit ſtudio exercendæ ſævitiæ, ſed ſpe potius excoquendæ ipſorum pertinaciæ, ſi quomodo ea pœnæ magnitudine ſaltem adduci poſſint ad profeſſionem fidei Orthodoxæ, ut ſæpe diximus.

Neque eſt cur Sectarii exprobrent ſævitiem contra Catholicas Inquiſitiones. Multo enim clementius in eis hæreticis, quàm in Regno magnæ Britanniæ & in Provinciis Hollandiæ catholicis, præſertim Sacerdotes tractantur, quibus fauces laqueo interſtringunt, pectus ſecant, cor & præcordia extrahunt, abſciſſis quoque humanis membris.

Et, ut conſtet, in Tribunalibus Eccleſiæ videri non debere ultra crimen eſſe pœnam illam, qua in hæreticos animadverti ſolet, jam diximus à Conſtantino Magno propoſitam fuiſſe pœnam capitis contra eos, qui Arrii damnatos codices domi ſuæ retinerent, & ideo multo magis æquam exiſtimari debere pœnam capitis, ſaltem in eos, qui ipſam hæreſim profitentur. Et nihilominus id adhuc ſectarii execrentur. Nec mirum. Quis enim unquam reus vincula, vel quis fur reſtim & patibulum laudavit?

Omnis juris tamen humani, ac divini obliviſcuntur ſectarii, cùm damnaverint ſupplicio extremo mira conſenſione Lex civilis, lex Canonica, & lex divina eandem hæreſim, ut aperte ſuperius probatum eſt, & aperte docent Gomez *var. reſol. p. 3. cap.* 2. Covar. *eod. tit. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 10. aliique juriſconſulti, atque adeo ejuſmodi pœnam debere infligi per ignem, eſſeque id receptum conſuetudine omnium provinciarum, atque regnorum Europæ, immo totius orbis chriſtiani, aſſerant Carrer. *tr. de hæres nu* 182. Afflict. *in conſtit. reg. de hæret. rubr.* 1. *nu.* 29. *&* 41. Menoch. *de arbitr. Iudic. cas.* 374. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 16. & Covar. *loc. cit.* Extantq; præterea de ea re Conſtitutiones duæ, altera Friderici Imperatoris apud Pegnam *in direct. Inquis.* altera Caroli quinti *apud* Dambauderum *in prax. crim.* Idemque ſancitum eſt à catholicis Hiſpaniis, & Neapolitanis Regibus, & peculiariter etiam à Regibus Chriſtianiſſimis Francisco Primo, Henrico ſecundo, Franciſco ſecundo, & Carolo nono.

Si id ignorant ſectarii, ſaltem ignorare non debent, quid Lutherus, quid Calvinus, quid Beza cenſuerint. Lutherus, qui Papam, & Papiſtas hæreticos putavit, poſtquam Decretales, & Bullam Pontificiam exuſſerat, luſum eum eſſe dixit, & majus quidam reliquum videri, nempe ut ipſe Pontifex, ac Sedes Romana cum omnibus ejus abominationibus incendio conſumeretur, legitur ut apud Gaſpar. Ulemberg. *in vita Lutheri ad ann.* 1520. Calvinus libros, & tractatus integros de cremandis hæreticis ſcripſit, qui etiam Michaëlem Servetum curavit Genevæ comburi, tanquam hæreticum, Spondan. *in auctuar. ad an.* 1553. Et Beza non dubitare ſe ait *epiſt.* 4. quin Magiſtratus optimo jure in Anabaptiſtas gladium ſtrinxerit.

Libet jam, præter aliàs adductos D. Auguſtini locos, ex ſequenti etiam ejus *epiſt.* 50. ad Bonifacium expendere accuratius, eo laudabile ſit, ac liceat vi, ac pœnis uti adverſus eos, qui Religionem etiam profitentur ab illa, quam veterem, & catholicam hauſerant è parentibus ſuis. Quod ad vim attinet, *Ubi eſt*, inquit, *quod iſti clamare conſueverunt, liberum eſt credere, vel non credere? Cui vim Chriſtus intulit? Quem coegit? Ecce habent Paulum Apoſtolum. Agnoſcant in eo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem, prius ferientem, & poſtea conſolantem.* De quo S. Paulo hæc habet ibidem: *Cum Petrum & alios Apoſtolos ſolo verbo vocaſſet, Paulum, prius Saulum, Eccleſiæ ſuæ poſtea magnum ædificatorem, ſed horrendum antea vaſtatorem, non ſola voce compeſcuerit, verum etiam poteſtate proſtravit, atque infidelitatis tenebris ſævientem ad deſiderandum lumen cordis, ut ſurgeret, prius corporis cæcitate percuſſit. Si pœna illa non eſſet, non ab ea poſtmodum ſanaretur.* Adducit deinde rationes alias plures. Uſus deinde parabola, in qua Dominus ad magnam Cœnam ſuam prius juſſit adduci convivas, & poſtea cogi, fatetur, ſe, ac plures alios Epiſcopos Catholicos exiſtimaſſe, quamvis Donatiſtarum rabies undequaque ſæviret, non fuiſſe petendum ab Imperatoribus, ut juberent eorum hæreſim non eſſe, pœnamque conſtituerent adverſum eos, qui illam ſectarentur; ſed tum in hac, tum in altera epiſtola 48. ad Vincentium de hæreticis vi corrigendis, ſententiam meliorem poſtea iniviſſe, propoſitis exemplis, quibus hoc fuiſſe conſultius, experientia ipſa demonſtravit. Indeque proſequitur hanc eandem utilitatem, quam ex iis Imperialibus legibus plurimi perceperant. Neque peculiarium hominum, ſed civitatum multarum erat ea mutatio, & illud gaudium. Cùm hæc ſcribebat ad Vincentium, ſcribens ad Bonifacium *ep.* 50. agit pariter de ſinodi eorum, qui ad veram Religionem fuerant hac felici neceſſitate compulſi. Demum poſtquam narraſſet horrendam, & ferme incredibilem cædem illatam Maximiano Epiſcopo Catholicæ Eccleſiæ Vagenſis, legem refert, quæ tunc adverſus hæreticos fuerat promulgata. Addit verò ſævitum in eam non fuiſſe ſupplicio capitali *propter ſervandam*, inquit, *etiam circa indignos manſuetudinem chriſtianam, ſed pecuniariis damnis propoſitis & in Epiſcopos, vel miniſtros eorum exilio conſtituto.*

Atque hoc eſt, quod jam ſit interdum à Catholicis Principibus in regionibus, provinciis, urbibuſque, in quibus intereſt boni communis, agrum Domini à tam pernicioſo lolio repurgari. Abſtinet periode, ut dixi, Eccleſia in puniende prima hæreſi à ſupplicio capitali: Sed cum fidem catholicam, iterum receptam, iterum quis deſerit, tunc is pœna capitis crimen luit, & experitur ſeveritatem legis, quandoquidem ei clementia ejuſdem legis nullatenus profuerat.

Hoc citra injuriam ab Eccleſia, & à Catholicis Principibus fieri, fatebuntur quoque Sectarii, ſi perpenderint, quantum ſit ſcelus à Religione avita deſciſcere; ſin minus hoc fateri voluerint, venient ad judicium contra ipſos unus Imperator Ethnicus, & unus Arrianus Rex, qui propter hujuſmodi impiam, & ſacrilegam inconſtantiam in Chriſtianos, & Catholicos aliquando graviter animadverterunt. Si enim Conſtantinus Chlorus, cùm accerſitis domeſticis, quotquot erant Chriſtiani, optionem dediſſet, ut vel Diis immolarent, & ſic obtinerent in aula priſtinos honores, vel ſi renuerent, honoribus atque aula confeſtim abirent; pertentato in eum modum animo ipſorum, evexit gloria illos, qui fuerant conſtantes in fide, eraſitque alios ex familiæ albo, exiſtimans fidos ſibi nunquam futuros eos, qui Deo fidem violaverant. Theodoricus Rex Gothorum ita uſus eſt Catholicis, ut indigne ferret, ſiquis promerendi cauſa ipſius animum fieret Arrianus. Atque id cauſæ fecit, cur vita privaverit unum, quem cæteroquin habuerat in amore præcipuo, dicens: Quonam pacto mihi homini fidem & conſcientiam ſanam præſtabis, ſi Deo illam negaſti?

Utinam Reges ac Principes hoc intelligerent. Tranquilliſſima enim verò Regna poſſiderent, quia mutata Religione ſemper ſolet ſtatus Reipublicæ mutari atque convelli, cùm ſoror hæreſeos ſit rebellio. Hiſpania eſt pacata, quia eſt Catholica, & in provinciis ſuis nullas patitur ſectas. Gallia eſt tranquillior hæreſi in univerſo

regno

regno vel ſtria domita, vel expulſa. Germania, Anglia, turbinibus ſævis colliduntur, & quaſſantur, quia hæreſis in eis forte jam ſoluta habenis, atque omnino negant illa, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & illa quæ ſunt Dei, Deo.

Jeroboam, poſt decem Tribuum defectionem, in corde ſuo dixit 3. *Reg.* 12. *Nunc revertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, & faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem, & convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum Roboam Regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos & dixit eis. Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dii tui, Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan, & factum eſt verbum hoc in peccatum.* En hæreſis & rebellio, veluti ſorores de ſtirpe Eumenidum, & veluti gemellæ ſimul naſcuntur, ſimul nocent, niſi dum adhuc parvulæ ſunt, ſtatim allidentur ad petram *Pſal.* 136.

At negent ſectarii, ſororem rebellionis hæreſim eſſe. Secula omnia, & noſtra in primis ætas, penè obruta ſeditionibus hæreticorum, clament, eos ſplendide mentiri. Hoc verò eſt adeo certum, ut pœna capitis non puniatur hæreſis tantum, quia noxa, ſeu peccatum eſt, ſed quia etiam turbat pacem, & tranquillitatem Reipublicæ. Sic perturbarunt Arriani univerſum Orientem, Græciam, Macedoniam, Africam Donatiſtæ, ac Circumcelliones, Iconomachi, atque Albigenſes Imperium Romanum, Huſſitæ Bohemiam, Angliam, Galliam, Belgium, Poloniam, Calviniſtæ, & Lutherani Germaniam. Ne multis, eſt inter ſectarios ipſos ea quæſtio, num videlicet puniri hæreticos liceat pœna capitis? Affirmant Calviniſtæ, Lutherani autem negant, ſed immerito, ut hactenus probatum eſt.

Consultatio CLXXII.

Iterum, ſed pauca, de Pœna excommunicationis contra hæreticos, multa verò de excommunicatione contra maleficos, & alios ſortilegos.

Primam & *antiquiſſimam* pœnam contra hæreticos eſſe excommunicationem, jam diximus, ut inſinuatur *in can. Achatius, in can. audivimus* 24. *q.* 1. eſſeque latam ipſo jure & facto à Lucio tertio habetur *in cap. ad abolendam de hæretic.* & ab Innocentio tertio *in cap. excommunicamus eod. tit.* Quæ etiam excommunicatio repetitur à ſummis Pontificibus in Bulla Cœnæ Domini ſingulis annis. Cum autem tempore S. Thomæ jam exiſteret excommunicatio illa juris lata à Lucio tertio, & ab Innocentio tertio, tanquam ipſo facto incurrenda, mirum videri poteſt quod D. Thomas 2. 2. *q.* 11. *ar.* 4. affirmat, Eccleſiæ benignitate, & ſpe converſionis illorum fieri, ut nonniſi poſt unam, aut alteram admonitionem excommunicentur, & tradantur brachio ſeculari morte efficiendi, quando nimirum ſpes non ſupereſt reſipiſcentiæ illorum.

Sed ſolet ad hoc reſponderi, alterutro modo S. Thomam hoc loco intelligendum. Primò, ut explicet tantum Eccleſiæ primitivæ morem, in qua hæretici ipſo facto non erant excommunicati, ſed excommunicabantur poſt admonitionem ſecundum illud Pauli ad Titum 3. hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correctionem devita. Secundo, quod mens D. Thomæ non ſit, poſt admonitionem hæreticos primum eſſe excommunicandos, ſed eorum pertinaciam publice prodendam, & tradendos brachio ſeculari.

Dices. Ex verbis D. Pauli modò citatis colligitur, hæreticum non debere vitari, & excommunicari ipſo facto, ſed prævia monitione.

Reſpondeo. Duplex eſt excommunicatio. Altera ab homine, Altera à jure. Prior requirit præviam monitionem *cap. in præſentia, & cap. ſacro de ſent. excom.* Poſterior non requirit: Nam ipſa lex, quæ ſtatuitur talis excommunicatio, eſt inſtar præviæ monitionis. Igitur Apoſtolus loquitur de priori, nos hic agimus de poſteriori.

Pœna autem excommunicationis hæreticos jure ac merito plecti, patet primo ex his S. Scripturæ teſtimoniis. Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus.* Ad Roman 16. *Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula præter doctrinam, quam didiciſtis, faciunt, & declinate ab eis: Nam per dulces ſermones, & benedictione ſeducunt corda innocentium.* Ad Timoth. 2. *Profanas, & inanisloquia devita.* Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, ut cancer ſerpit. & ad Timoth. 3. *Hos devita* & ad Titum 3. *hæreticum hominem &c.* & 2. Joan. 1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere in domum, neque ei ave dixeritis.*

Ex his teſtimoniis ſunt qui velint, excommunicationem in hæreticos conſtitutam, eſſe juris divini, atque adeo eſſe evitandos jure divino, non humano ſolum. Probant ex hiſtoria S. Hermenigildi martyris, quam ſcripſit D. Gregorius *lib.* 3. *dialog. cap.* 31. & refertur *can. cœpit.* 24. *quæſt.* 1. & alibi retuli. Et quia etiam inſtante mortis tempore nemini licet Sacramenta ab hæreticis miniſtrata ſuſcipere, niſi baptiſmum, quod eſt ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium. Ita Jo. Eckius *in Enchir.* aliique nonnulli, quos refert *in cit. loc.* D. Thomæ Dominicus Bannes.

Et quidem ex iis id non ſequitur. Nam teſtimonia illa, vel non continent præceptum, ſed admonitionem, & conſilium de hæreticis vitandis, vel certe non prohibent talem & tam ſeveram communicationem cum hæreticis, atque prohibet cenſura excommunicationis Eccleſiaſticæ; ſed tamen ſequitur omnino ex hujuſmodi Scripturæ teſtimoniis, recte Eccleſiam facere, quod hæreticos excommunicat, Quandoquidem Scriptura adeo graviter admonet, hæreticos eſſe vitandos.

Advertendum tamen eſt, hæreticum in divinis, & ſacris jure divino eſſe vitandum in his, quæ ſequuntur. Primo ſi ex hujuſcemodi cum hæreticis ſermonis & rerum communicatione aliorum oritur offenſio. Secundo, ſi periculum nobis immineat noſtri ſpiritualis exitii, & interitus, videlicet perfidiæ & chriſtianæ religionis contemptus. Tertiò, ſi ex hoc, quod cum hæretico ſermonem, & conſuetudinem habemus, ſuſpicio naſcitur, quod verbo, ſigno, vel facto hæreticorum ritus, mores, aut dogmata profitemur. Quartò, ſi cum hæretico ſit nobis commercium criminis, & impietatis, ob quam ipſe eſt excommunicationis ſententia conſtrictus. Extra hos caſus jure tantum canonico, non divino debet in rebus ſacris hæreticos evitari. Ex quo efficitur, ut Romani pontificis autoritate concedi queat, ut ab hæretico extra caſus ſupra memoratos, ſuſcipere Sacramenta poſſimus. Nam licet juriſdictione eccleſiaſtica hæreticus caret, eo quod ſit ſegregatus ab Eccleſia, poteſt tamen eam habere ſi id Romanus Pontifex, ſive Eccleſia permittat, aut concedat. Reliqua vide apud Theologos morales.

Quod verò ad ſortilegos, cùm ii ſæpiſſime in maleficiis, divinationibus, ac cæteris ſortilegiis admiſcere ſoleant, quæ hæreſim ſapiunt manifeſtè, ut cùm dæmoni tribuant adorationem latriæ, vel duliæ, Deo ſoli, ac ejus Sanctis debitam, vel abutuntur Sacramentis, aut Sacramentalibus, aliiſque rebus, aut verbis ſacris, vel petunt à Dæmone, quæ ſoli Deo reſervata ſunt, vel pactum expreſſum cum dæmone ineunt, vel in ludis diabolicis conveniunt, vel dæ-

monem in annulo, aut alia in re ligatum retinent, & alia hujuſmodi, utique in excommunicationem ipſo facto incidunt. Quia vel ſunt hæretici, vel ſaltem, ut hæretici præſumuntur, Hæreticus autem ipſo facto excommunicatus eſt. Et illa ſocietas, quam iſti habent cum dæmone involvit multa, quæ ſunt veræ fidei contraria, & ita docent Tabiena *v. excommunicatio 1. caſ. 4.* Suarez *tom. 1. de religione, libro ſecundo cap. 19. num. 8.* Delrius *lib. 4. magic. cap. 2. quæſt. 7. ſect. 4.* Farinac. *de hæres. q. 192. n. 2. & 12.* Graff. *lib. 4. dec. cap. 18. n. 8.* & ſtatuitur in extravag. Joannis XXII. *incip. ſuper illius ſpecula penes Eymer. in direct. p. 2. q. 43. numer. 9.*

Si verò maleficia, divinationes, magiæ ac cætera ſortilegia non habent hæreſim adjunctam, ille committentes non ſunt ipſo facto excommunicati, ſed excommunicandi. Quia nullus canon, legitime receptus, decernit, hos ſortilegos eſſe ipſo jure excommunicatos, ut tradunt Alens. *p. 2. quæſt. 164. n. 5.* Sylveſt. *v. ſuperſtitio q. ult.* Suarez *loc. cit. nu. 3. & ſeq.* Filiuc. *tr. 14. cap. 6. quæſt. 11. num. 97.* Farinac. *ubi ſupra,* Azor. *p. 1. lib. 9. cap. 1. cap. 26. qu. 3.* Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 38. nu. 90. & ſeq.* Carena *p. 2. tit. 12. num. 304.* Delbene *tom. 2. de offic. Inquis. dub. 228. ſect. 28. nu 10.*

In foro autem conſcientiæ non incurritur excommunicatio, quando in ſortilegio eſt magna hæreſis ſuſpicio, ſed non manifeſta. Quia ibi veritas ſpectanda eſt, non ſuſpicio, ſive præſumptio. In foro autem exteriori ſpectanda eſt qualitas ſuſpicionis. Si enim hæreſis ſuſpicio eſt vehemens, judicandum eſt ſortilegium incurriſſe excommunicationis pœnam, ſecus verò ſi ſuſpicio ſit levis, ut per Suarez *ibi. cap. 18. num. 9.*

Si verò ſortilegus ſit omnino occultus hæreticus quia in corde ſuo tantum in hæreſim incidit, neque illam per verba, aut actus exteriores patefecit, non eſt excommunicatus. Quoniam etſi peccatum hæreſis tale ſit, ut interius in mente conſummetur, attamen excommunicatio propter hæreſim pure mentalem non contrahitur. Quia nullus actus purè internus eſt materia cenſuræ. Regimen enim illius eſt viſibile, & circa objecta viſibilia verſari debet, ut alibi docuimus.

Si autem ſortilegus ſit hæreticus occultus, quia vulgus ignorat, illum eſſe talem, vel hæreticalia ſortilegia ita ſecretò committit, ut nullo modo de ipſis convinci poſſit, iſte quamvis in foro exteriori non exiſtimetur, neque puniatur, ut hæreticus, quia nemo de delicto damnatur, niſi fuerit convictus, aut confeſſus, in foro tamen interiori utique eſt excommunicatus. Nam ad incurrendam excommunicationem ſatis eſt hæreſim verbis, ſigno, vel facto, quantumvis occulto ac nemine præſente manifeſtare. Quia tunc hæreſis eſt per ſe verè externa, ſolumque per accidens occulta, ut etiam alibi diximus, & docent Zanchio. *de hæret. cap. 18. num. 1.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. cath. quæſt. 33.* Royas *de hæret. p. 1. num. 246. & ſeq.* Farinac. *d. quæſt. 192. nu. 4.* alii apud ipſos, eſtque communis ſententia.

Qui ſortilegium committit, manifeſte hæreſim ſapiens, ſed errorem circa fidem in intellectu non habet, incurrit pœnam excommunicationis. Quia talis ſortilegus, quamvis in foro interiori non ſit verè hæreticus, nec male ſentiat de fide, tamen excommunicatio contra ſortilegos non fulminatur, neque afficit tantum in fide errantes, ſed omnes ſortilegia hæreticalia committentes. Ideo, etiamſi nullum habeant errorem in intellectu circa fidem, excommunicationem incurrunt, dum hæreticale committunt ſortilegium. Unde qui ſola paſſione amoris, vel odii, vel ut lucrum faciat, vel alterius prece maleficium, ſive ſortilegium facit, in dictam pœnam incidit.

Ut tamen ſortilegus in excommunicationem incidat, non ſufficit quod ſortilegium incipiat, quamvis id ſufficiat ad incurrendam culpam mortalem, ſed requiritur, ut illud conſummet, ac perficiat. Quia pœna non incurritur, niſi ob delictum omnino completum, ac ſequuto ejus effectu. Sic pœna mortis lata contra homicidam non debetur percutienti aliquem, niſi ſequatur illius mors. Similiter qui conatus eſt percutere Clericum, ſed vere illum non percuſſit, quia impeditus fuit, vel ex alio accidenti percutere non potuit, non incurrit excommunicationem *can. Siquis ſuadente.* Cùm enim odia ſint reſtringenda, lex imponens pœnam, ſtricte accipienda eſt. Ergo etiam ut ſortilegus excommunicationem incurrat, non ſufficit, quod ſortilegium incipiat, præparando ad illud perficiendum neceſſaria, vel promittendo illud efficere; ſed requiritur, ut reipſe illud efficiat. Ita colligo ex iis, quæ docent Suarez *de cenſur. diſp. 4. ſect. 3. num. 4. eod. tr. p. 2. cap. 5. diſp. 3. dub 5.* Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 2. nu. 5.* ac Diar. *p 5. tr. 9. reſol. 56.*

In dubio autem, an excommunicatio ſit lata ipſo facto, vel ſit ferenda, ſortilegus non eſt evitandus, ut excommunicatus. Quamvis enim Azor. *p. 1. lib. 2. cap. 10. quæſt. 10. & 11.* Sayr. *lib. 1. cap 13. nu. 23. & ſeq.* aliique doceant, cenſendum eſſe excommunicatum in dubio facti, ſecus verò in dubio juris, probabilius tamen eſt, quod tam in dubio facti, quam in dubio juris, neminem eſſe cenſendum excommunicatum; atque adeò neque vitandum. Nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Cum ergo ſortilegus poſſideat communicationem cum cæteris fidelibus, non eſt in dubio hac poſſeſſione privandus, neque ab aliis vitandus. Quod etiam docent Sanch. *in decal. lib. 1. cap. 10. num. 55.* Laym. *lib. 2. tr. 5. cap. 5. §. 4. nu. 38.* Hurtad. *diſp. 2. de excom. diffic. 3. nu. 7.* ac Diana *p. 4. tr. 3. reſ. 33.*

Quamvis mandans, & mandatarius ſint correlativi, & inter eos unicum ſit delictum, ut probat Maſtril. *ad indultum Cathol. Reg. cap. 32. nu. 14. & ſeq.* Et mandans, vel conſulens fieri maleficium, vel ſortilegium, cui eſt annexa excommunicatio, ſit particeps criminis illud committentis. Quamvis etiam Delrius *lib 5. magic. ſect. 16.* affirmet, quod qui conſulunt divinatores, vel remedia illicita petunt à maleficis in eaſdem incidant pœnas eccleſiaſticas, in quas & ipſi malefici, aut divinatores, ac ſint ipſo facto excommunicati, excommunicatione tamen nulli reſervata, idemque plures alii ſentiant.

Nihilominus tamen dicendum eſt, quod mandans, vel conſulens non innodatur excommunicatione, in quam incidit maleficus, aut ſortilegus. Quia cenſura lata contra committentem aliquod delictum non ligat mandantem, vel conſulentem, vel aliter conſenſum præſtantem, niſi in canone, cenſuram ferente, id exprimatur. Ita docent Cajet. *in ſum. v. excommunicatio,* Armilla *eod. v. nu. 2.* Tabiena *eodem etiam n. caſ. 49. v. ult.* Navar. *in ſum. cap. 27. num. 51.* Medina *lib. 1. ſum. cap. 11. §. 2.* Enriq. *de excom. lib. 13. cap. 17. nu. 2. & cap. 21. nu. 1.* Farinac. *de conſul. & mand. quæſt. 135. nu. 97.* qui quamplures allegat, Carena *p. 2. tit. 12. §. 33.* ac Diana *p. 5. tr. 9. reſ 57.* Nam excommunicatio, cum ſit pœna, non extenditur de caſu ad caſum. Mandans autem fieri maleficium, aut ſortilegium non dicitur vere ac phyſice illud facere, ſed interpretative ac moraliter. Gregorius XV. autem in citata ſua Conſtitutione ait: *Conſtito, quod quis pactum cum dæmone fecerit.* & infra: *ſortilegium, vel maleficium commiſerit.* Atque adeo pœna ineuntis pactum cum dæmone, et ſortilegium, & maleficium committentis non eſt extendenda ad mandantem & conſulentem, qui neque pactum cum dæmone iniit, neque ſortilegium, aut maleficium committit, dum contra eum hæc pœna expreſsè non decernitur.

Sic

Sic qui committit homicidium proditorium, non gaudet immunitate Eccleſiæ *capit. inter alia de immun. Eccl.* id Gregorius XIV. in Conſtit. ejuſdem argumenti. Et qui mutilat vel occidit in Eccleſia privatur eadem immunitate. *c. prævaluiſſi, &c. ult. de cons. Eccl. & cap. ur. eod. tit. in 6.* Idemque Gregorius *in citata Conſtitutione*. Et tamen illud mandans vel conſulens gaudet Eccleſiæ immunitate, quia mandans vel conſulens non dicitur vere committere delictum, ſed ficte, ac interpretative, ut tradunt Clas. *lib. 5. §. fin. q. 89.* Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 1. dub. 9. nu. 3.* Caſtrop. *p. 2. tit. 12. §. 53. nu. 268.* Reginald. *in prax. tom. 1. lib. 9. cap. 12. nu. 214.* Nec privatur Eccleſiæ immunitate mandans, vel conſulens mutilationem, vel homicidium in Eccleſia, ſive hoc mandatum, vel conſilium det intra Eccleſiam, ſive extra ipſam Farinac. *de immun. Eccles. cap. 16. nu. 131.* Bonac. *de legib. diſp. 3. q. 7. §. 4. nu. 11.* Megala *p. 3. lib. 4. cap. 1. quæſt. 1. num. 13.* Diana *p. 1. tr. 1. reſol. 10.*

Item Confeſſarius pœnitentem ad turpia ſollicitans in ſacramentali confeſſione, in officio S. Inquiſitionis neceſſario eſt denunciandus ex Conſtitutione Gregorii XV. quæ incipit, Univerſi dominici gregis curam. At mandans Confeſſario, ut pro ſe ſollicitet pœnitentem in confeſſione, aut in confeſſionario, non eſt denunciandus S. Officio. Quia tam dicta Conſtitutio, quàm quælibet alia, quæ de hujuſmodi ſollicitatione loquitur, dirigitur tantum ad Confeſſarios, nec quoad pœnas comprehendit mandantes, cùm de iis non loquatur. Et ſicut fœmina confeſſarium ſollicitans in ſacramentali confeſſione, non comprehenditur in dicta Conſtitutione, nec in aliis, quia de ea non loquitur, ita neque comprehenditur mandans qui mandanti non tantam infert injuriam Sacramento pœnitentiæ, ſicut fœmina Confeſſarium ſollicitando. Quia verba legis pœnalis ſunt formaliter ac proprie accipienda, nec ad alium caſum extendenda. Et ita ſtatuunt Trullench. *in decal. tom. 1. lib. 1. cap. 3. dub. 18. nu. 48* Leander de Sacram. *tom. 1. tr. 5. diſp. 13. quæſt. 36.* Excobar *de confeſs. ſollic. p. 2. quæſt. 2. nu. 36* Diana *d. p. 1. tr. 4. reſol. 22. & p. 10. tr. 14 miſcel 4. reſol. 44. aliàs 42. &* Catena *p. 2. tit. 6. §. 6. numero 38.*

Sic pariter de mandante & conſulente falſificationem litterarum Apoſtolicarum, & ſupplicationum, eique auxilium impendente, quod non excommunicentur in Bulla Cœnæ, *cap. 6.* fert communis ſententia, quam ſequendam ducimus, & docent *in d. Bul.* Gratſ. *nu. 95.* Alter. *cap. 4. col. 1. & 2.* Ugolin. *§. 2. num. 3.* Duard. *quæſt. 3. & q. 10. nu. 13.* Gamparupt. *ſub nu. 7.* Filiuc. *num. 187.* Scort. *col. 2. in fin.* Sous. *diſp. 45.* Suar. *numer. 48.* Bonac. *pun. 3. num. 8.* Suadetur autem hæc ſententia ex eo, quod mandantes falſificationem non dicuntur proprie falſificare. Quod ſi aliquando qui mandat, dicitur committere crimen, cùm qui per alium facit, per ſe videatur facere, eſt id ex legum interpretatione, & attributione, non quod in rigore, cui in pœnalibus ſtandum eſt, mandans exequatur crimen. Eſt autem uſus ſacrorum canonum, & Conſtitutionum, præſertim Bullæ Cœnæ mandantes exprimere, cum damnatos excommunicatione vult, ut *in can. 11. 12. & aliis.* Quare & *cap. ad falſariorum* diſerte eos recenſet per clauſulam *qui per ſe, vel per alios.* Eademque eſt ratio de ratam habente ſuo etiam nomine factam falſificationem.

Affirmativa tamen pars videtur adſtrui à Sayro *in d. Bull. Cœnæ num. 7. & 10.* Rodriquez *ad Bull. Cruc. §. quæſt. num. 82.* alios citante, & in eam inclinat Reginald. *nu. 289.* Quia in Bulla Gregorii XIII. extendebatur *cap. ad falſariorum* cum omnibus pœnis in eo contentis, ad falſarios ſupplicationum. Capitulum autem illud etiam mandantes exprimit. Saltem igitur quoad falſum circa ſupplicationes comprehenduntur mandantes. Ex quo arguitur à veriſimili, & mente Pontificis, mandantes etiam circa litteras debere eſſe comprehenſos, cùm non ſit major ratio de illis, ac de his. Tum quia ipſi etiam mandantes uſitata appellatione, cui vel in odioſis, & pœnalibus ſtandum eſt ex Butrio, & Panormitano *in cap. Nam d. Rex & verb. ſignif.* Felino *in proœm. decretal. nu. 14.* proprie, non interpretative duntaxat, dicuntur falſarii, & puniuntur pœna falſi, *arg. vulg. cap. mulieres §. ult. vers. de ſent. excom.* ubi dicitur, is committere vere, cujus autoritate, vel mandato delictum committitur. Eſt autem ſermo de percuſſione Clerici.

At reſpondetur, à tempore Sixti V. ablatam eſſe extenſionem illam, ideo ante ipſum forte potuiſſe dici comprehenſos mandantes, non verò deinceps, & tunc quidem ſolos mandantes falſum circa ſupplicationes. Quia in ea extenſione id exprimebatur, non autem circa litteras. Nec in pœnalibus facile eſt arguendum à veriſimilitudine, & conjecturis quibuslibet. Negamus etiam communem appellationem nuncupaſſe mandantes Falſarios in ſenſu proprio, ut ſupra diximus, ſed magis late ſumpto vocabulo quomodo omnes ſ. ſi, quomodocunque reos, Falſarios dici. Et quidem non falſat proprie, qui litteris manus non apponit. Nec obſtat *cap. mulieres*, cum aliunde habeamus, mandantes interpretative, & attributive tantum dici committere juxta communem doctrinam ex Gloſſa receptiſſimam *in l. 1. § dejeciſſe v. videor ff. de vi & vi arm.* facitque *cap. mulierem de ſent. excom.* ubi dicitur, videri facere, qui mandat, non quod proprie faciat, & ita loquitur regula juris, qui per alium *lib. 6.* Quare *in eo cap. mulieres* per verba *verè committit*, non intelligitur, quod vere percutiat, qui mandat. Hoc enim eſt per ſe notum, quod non percutit proprie, *ſed vere committit delictum*, id eſt vere delinquit in percuſſione, ut exponit Navar. *ext. cap. 27. n. 51.*

Ex quo patet, quid ſit dicendum de conſulentibus, ſcilicet multò minus eſſe innodandos, cùm minus quàm mandantes ad delictum concurrant. E numero quorum ſunt pro eos, qui ita auxiliantur, ut ſint etiam cooperatores, ac ſocii criminis, & principaliter ad maleficium concurrentes, non autem ſimplices auxiliatores & fautores, quia Conſtitutio citata Gregorii XV. horum non meminit, & in pœnalibus cavenda eſt omnis extenſio. Hinc, quando lex vult punire, non ſolum facientem, ſed mandantem, & conſulentem id explicat, ut *in d. cap. Mulieres de ſent. excom.* extenditur excommunicatio contra mandantes injicere manus violentas in Clericos. Et in conſtitutione Gregorii XIII. adverſus conſulentes duellum, & *in cap. ult. de homic.* extenditur irregularitas etiam in mandantem alium occidi.

Si verò in edictis Epiſcoporum, & Inquiſitorum, etiam in mandantes, & conſulentes maleficium, ſive ſortilegium extenderetur excommunicatio, nulli dubium eſt, quin etiam mandatum, vel conſilium efficax dantes in excommunicationem inciderent. Edicta enim Epiſcoporum & Inquiſitorum non habent minorem vim, quàm leges Canonicæ: Nam feruntur autoritate Apoſtolica, ut probat Delbene *de offic. S. Inquiſ. tom. 2, dub. 237. ſect. 13. pun. 4. num. 8.*

Quod autem mandans, & conſulens ſit particeps criminis malefici ac ſortilegii, verum eſt quoad culpam, non quoad pœnam excommunicationis. Uterque enim mortaliter peccat, & ad reſtitutionem damni, ſuo mandato, vel conſilio illati tenetur. Et quia unicum cenſetur delictum mandantis & mandatarii, idcirco mandans hoſtile maleficium

ſequuto effectu, punitur eiſdem pœnis corporalibus, ac ipſe maleficus, ut probat Torrebl. *de mag. lib. 3. cap. 13.* cum aliis, quos ipſe citat, Souſa *in aph. lib. 1. cap. 18. num. 14. & ſeq.* Carena *p. 2. tit.* 12. §. 33. *num.* 271.

Mandans autem maleficium, ſive ſortilegium puniendus eſt à Tribunali S. Inquiſitionis. Tum quia mandans ſortitur forum mandatarii in delictis *l. abſentem ff. de pœn. l. hæres. ff. de pœn. l. hæres ff. de judic. l. ſi ut proponitur ff. de fidejus.* Tum quia unicum eſt delictum mandantis & mandatarii, ut probat Maſtril. *loc. cit. cap.* 29. *num.* 14. Ergo unus ac idem debet eſſe Judex. Tum etiam quia ita obſervatur in aliis caſibus ad Tribunal S. Officii ſpectantibus, ut in conſulente polygamiam, & in mandante Confeſſario, ut pro ſe pœnitentem ſollicitet in ſacramentali confeſſione. Acceſſorium enim ſequitur ſuum principale. Et tum quia crimen mandantis plerumque conſtat ex depoſitione mandatarii. Si ergo ipſe mandans non puniretur à Tribunali S. Officii, remaneret utique impunitus. Nam hoc S. Tribunal probationes, aliaque acta contra reum aliquem non oſtendit, aut exhibet alteri Tribunali. Ut igitur mandans poſſit debita pœna puniri, dicendum eſt, à dicto Tribunali S. Officii eſſe puniendum. Quod tradit etiam Carena *p. 2. tit. 6. §. 6. num.* 40. *& ſeq.*

Sortilegus ob ſortilegium hæreticale excommunicatus, ſi per annum in excommunicatione inſordeſcit, eſt veluti hæreticus condemnandus, ſi citatus ad reſpondendum, per annum contumax non comparuerit, ut expreſſe ſtatuitur *in cap. Cum contumacia in cap. ut inquiſitionis officium in fin. & cap. excommunicamus de hæret. in 6.* ibique Gloſſa, ubi dicitur, quod in hoc caſu adeſt hæreſis præſumptio nedum violenta, ſed violentiſſima. Et ideo poteſt, ut hæreticus condemnari, ſicut notarunt Oſtienſis, & alii, quos citat & ſequitur Farinac. *de hæres. d. qu.* 192. *num.* 14. *&* 17. Qui etiam ducent, quod in excommunicatione per annum permanens ex cauſa hæreſis ipſo jure, & abſque Judicis ſententia præſumitur hæreticus. Requiritur tamen ſententia declaratoria, quamvis non requiratur condemnatoria.

Et notandum, quod ſortilegus ob ſortilegium hæreticale excommunicatus, ac per annum inſordeſcens, eſt velut hæreticus puniendus, ſed non idcirco eſt verè hæreticus. Nam dictio illa *velut* ſignificat quandam ſimilitudinem, non identitatem ac proprietatem, ut cum aliis obſervat etiam Farinac. *loc. cit. n.* 19. Pegna *p. 3. com. 49. ſub litt.* A. & Carena *p. 2. tit.* 8. §. 5. *num.* 22.

Excuſatur autem inſordeſcens in excommunicatione per annum, ſi ex aliqua juſta cauſa comparere non potuerit, ut docet Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 14. *nu.* 10. ubi etiam ait, quod qualiſcunque impedimenti cauſa excuſat à contumacia. Unde prius citandus eſt ad allegandum ſuam innocentiam, & cauſam, quare non debeat, velut hæreticus condemnari, ut tradit Menoch. *de arb. cas.* 416. *num.* 68. Navar. *conſ. 7. numer.* 4. *de hæret. lib.* 1. Pegna *p. 3. com.* 174. Farinac. *ibid. numer.* 22. & Carena *ubi ſupra num.* 23. Nam ſi inſtiterit pro abſolutione, vel obtulerit ſatisfactionem, ac ſimilia, non erit velut hæreticus declarandus, ut per Locat. *in judic. Inquiſ. v. catholica cap. 25. numer.* 2. Jo. And. *in d. cap. cum contumacia*, & Farinac. *ibid. num.* 21. Annus autem perſiſtentiæ in excommunicatione currere incipit, non à die incurſus in excommunicationem, ſed à die, in quo fuit declaratus excommunicatus; quia tunc incipit contumacia & contemptus clavium, ut per Albertin. *in rubr. de hæret. in 6. q. 13. numer.* 35. *& ſeq.* & Farinac. *loc. cit. num.* 29.

Qui verò, elapſo excommunicationis anno, comparet, & vult excuſare ſuum crimen, ac probare ſuam innocentiam, admittendus eſt ad judicium, non ſolum antequam ſit declaratus hæreticus, ut ducent Scaccia *de judic. lib. 1. cap. 28. numer.* 95. Pegna *par. 3. com.* 49. *num.* 214. *& com.* 174. Sanctarell. *de hæres. cap. 4. dub. 5. concl. 1. num.* 3. ſed etiam ſi compareat poſtquam fuit hæreticus declaratus, & ejus ſtatua combuſta, ut per Pegnam *d. com. 49. n.* 224. Sanctarel. *loc. cit.* & Caren. *p. 2. tit.* 8. §. 5. *n.* 24.

Jam diximus alibi, quod excommunicatus non ex cauſa fidei, ſed ob aliam cauſam, etiam civilem & per annum in excommunicatione inſordeſcens redditur ſuſpectus de hæreſi, & contra eum procedere poteſt Tribunal S. Officii juxta decretum S. Concilii Trid. *ſeſſ. 25. cap. 3. ref.* & tradunt Royas *ſing.* 60. *nu.* 2. Simanch. *tit. 27. numer.* 4. Suar. *de cenſur. lib. 2. cap. 10. num.* 10. Quia contumax eſt in omni excommunicatione uniformis, hæc tamen ſuſpicio hæreſis eſt levis, non ſufficiens ad condemnandum, ut hæreticum, neque ad torturam, ſed tantum ad indicendam purgationem, & cogendum excommunicatum ad reſpondendum, ut per Eymer. *p. 2. q. 47 nu.* 7. ibique Pegna *com* 71. Zach. *in ſum. p. 1. tit. de fid. rubr. de hæres. cap. 11. nu.* 14. Unde Inquiſitores, licet poſſint adverſus hujuſmodi excommunicatum inſordeſcentem procedere, ex conſuetudine tamen non procedunt, niſi contra excommunicatum ob cauſam fidei, ut teſtatur Scacc. *loc. cit. cap.* 98. *nu.* 36. Graff. *p. 1. lib. 4. cap. 14. nu.* 4. Pegna, & Zechius *ubi ſupra*, Souſa *lib. 1. aph. cap. 17. nu.* 6. & Farinac. *de hæres. d. quaſt.* 191. *nu.* 25.

Taliſque ſortilegus excommunicatus, per annum inſordeſcens, condemnatur de illo crimine, pro quo fuit excommunicatus. Quia habetur pro convicto, & confeſſo, ut tradunt Gloſſ. *in d. cap. cum contumacia v. hæreticus de hæret. in 6.* Repert. ſi quis. *v. contumacia*, Paul. Ghirland. *in tr. de hæret. quaſt* 8. *num.* 4. & Farinac. *loc. cit.* Et quoniam eſt de hæreſi leviter ſuſpectus, ſufficit, ut de levi abjuret, & purgatio canonica ei imponatur, quam ſi exequi noluerit, velut hæreticus condemnari poterit, ut firmant Farinac. *d. quaſt.* 191. *nu.* 16. Salzed. *ad Diaz cap.* 118. *nu.* 12. Sanctarel. *d. cap. 4. nu.* 5. At hæc doctrina procedit de jure. Secus enim eſt ex conſuetudine, ut notat Carena *d. §. 5. nu. 25 in fine.*

Siquis autem ſortilegus, antequam ſit elapſus annus inſordeſcentiæ in excommunicatione, obtineat Bullam Apoſtolicam alicujus gratiæ cum clauſula: *Teque abſolventes &c. ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis.* &c. non interrumpitur dictus annus inſordeſcentiæ, ita, ut dici non poſſit per annum in excommunicatione inſordeſcens. Nam hæc clauſula non valet, niſi ad conſequendum effectum illius gratiæ tantum. Sic namque in ea ſemper exprimitur: *Ad effectum præſentium duntaxat conſequendum.* Actus autem non operatur ultra intentionem agentis, ut præter alios & ob alias rationes alibi citatos, ſentiunt Felin. *in cap. Apoſtolica de except. in 6.* Navar. *in ſum. cap. 27. nu.* 22. Boer. *dec.* 290 *nu.* 3. Rebuf. *in pr. p. 3. tit. forma nov. proviſ. vers. Teque abſolventes nu* 10. Henriq. *lib. 13. cap. 12.* §. 3. Sayr. *de cenſur. lib. 2, cap. 5. dub. 2. concl.* 4. & Carena *p. 2. tit.* 8. §. 7. *nu.* 39. *& ſeq.*

CONSUL-

Consvltatio CLXXIII.

De Pœna irregularitatis ob ſortilegia hæreticalia, deque pœnis temporalibus in ſortilegos, in divinos, & mathematicos, inque eorum filios. Ubi, an liceat maleficium maleficio tollere? Delrii, aliorumque in hoc hallucinatio, & ad id plura graviter, ſanè, probè.

Cenſent Doctores aliqui, hæreticum tantùm notorium, non autem occultum, eſſe irregularem. Quia irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus in jure expreſſis. Jura autem, ex quibus colligitur hæc irregularitas, non loquuntur, niſi de hæretico notorio, *ut cap. ad abolendam de hæret. cap. 2. §. hæretici eod. tit. in 6. can ſaluberrimum 1 q. 7. can. nos §. ita Daniel 2. q. 7. & can. presbyter de pœnit. d. 5.* Atque adeo niſi ſortilegus ſit hæreticus notorius non dicitur irregularis quemadmodum de hæreticis quibuſcumque opinantur Henriq. *lib. 14. cap. 4. nu. 6. & cap. 5. num. 2.* Sayr. *de cenſur. lib 7. cap. 11. n 16.* Avila *eod. tr. p. 7. diſp. 4. dub. 2.* Philiarch *lib. 4. cap. 15.* Garz. *de benef. p. 11. cap. 10. nu 83. & ſeq.* Peirez *lib. 8. ordinar. tit. 4. lib. 3. p. c. tract. de hæres.*

At verò, licet indubitatum ſit, ſortilegum hæreticum notorium eſſe irregularem, communiter tamen exiſtimatur, idem dicendum de occulto ex *can. ſi qui presbyteri, d. can. ſaluberrimum, can. convenientibus 1. q. 7. & can. nos conſuetudinem d. 12.* ubi Clerici ob crimen contra fidem prohibentur ad ulteriorem gradum aſcendere. *Et in cap. 2. & 11. de hæret. in 6.* redduntur inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica & officia publica, & proinde ſunt irregulares, eo, quod irregularitas non minus eſt annexa crimini hæreſis, quàm excommunicatio. Atque ideo ſicuti ob crimen hæreſis, ſive notorium, ſive occultum, quilibet in excommunicationem incurrit, ita etiam incurrit in irregularitatem.

Et quidem ad incurrendam hanc irregularitatem non requiritur ſententia declaratoria criminis, ut cum aliis docet ac probat Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 1. nu. 4.* Ergo neque ad eam incurrendam requiritur notorietas facti. Nam quando ipſo jure incurritur pœna ob delictum, non eſt neceſſaria illa probatio, vel notitia, niſi tantum exterior delicti commiſſio. Accedit, quod hæretici, ante ſententiam ſuper crimine, ſunt ipſo facto infames, ut cum Alph. de Caſtro *lib. 2. cap. 9. de juſt. hæret. punit.* atque aliis probans Pegna *p. 1. com. 4.* ac Suar. *loc. cit.* Quia ſi hæreticorum complices ipſo jure ſunt infames *cap.* excommunicamus *1. §. credentes,* multo magis infames erunt hæretici. Infames autem ſive juris, ſive facti ſunt irregulares, ut tradunt Navar. *cap. 27. num. 204.* Suar. *ibid. diſp. 48. ſect. 2.* Avil. *d. diſp. 4. dub. 5.* Coninch. *de cenſur. diſp. 18. dub. 7.* & colligitur *ex can. infames 6. q. 1.* & ex regula *Infamibus de reg. jur. in 6.* Atque adeò ſortilegi hæretici, tanquam infames, ſunt irregulares. Præterea in conſtitutione Clementis VII. quæ incipit, *cum ſicut,* ac refertur à Pegna, conceditur Inquiſitoribus, quod poſſint diſpenſare in irregularitate contracta ob hæreſim occultam. Ergo ſupponitur, quod contrahitur irregularitas, etiam ob crimen hæreſis occultum. Atque ita ſentiunt Pegna *in direct. p. 3. com. 162. & com. 175.* Navar. *d. cap. 27. nu. 205.* Sylveſt. *v. irregularitas q. 5.* Tolet. *lib 1. cap. 64.* Suar. *de cenſur. diſp. 43. ſect. 1. nu. 3. & de fide diſp. 21. ſect 5. nu. 1. & 2.* Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 25. nu. 2.* Farinac. *de hæreſ. q. 189. nu 43. & d. quæſt. 192. nu. 67.* Filiuc. *tr. 20. cap 9. nu. 17.* & Carena *p. 2. tit. 1. §. 26. n. 137.*

Hoc autem intelligendum eſt de ſortilego hæretico occulto, qui ſigno aliquo externo oſtendit ſidem abnegare. Nam qui ſola mente fidem negat, ſicut non incidit in excommunicationem, ita neque in irregularitatem per rationes alibi adductas. Et ita expreſſe tradunt Navar. *d. cap. 27. n 249* Suar. *loc. cit. ſect 1. n. 3.* Philiarch. *de offic. ſacerd. tom. 1. p. 1. lib. 4. cap. 15.* Sanch. *in decal. lib. 2. cap. 25. n. 4.* aliique communiter.

Sortilegus etiam, qui fidem exterius, ſed non interius abnegat, fit irregularis, ſive ſponte, ſive metu gravi, ſive ficte fidem abnegat, etſi verè hæreticus non ſit. Quod docent Suar. *ubi ſect. 2. n. 2.* Sanch. *ibid. n. 6.* Majol. *de irreg. lib. 5. cap. 34. n 2.* Vivald. *in can tit. de irregul. nu 8.* Nam *in can. presbyteros d. 50.* dicitur: *Immolantes Idolis ex gravi timore arcendos eſſe ab ordinibus. Sicut autem eum, qui clamantem ſe Chriſtianum eſſe vi præciſe cogitur immolare.* Solum igitur excluduntur ab irregularitatis pœna, qui coacte dæmoni immolant, & in ea comprehenduntur qui ficte, quique etiam ob timorem fidem abnegant. Qui revera cùm non vi præciſa, ſed ſolo timore compellantur, non ſunt à culpa immunes, atque adeo neque à delicti pœna.

Hæc ſententia, licet probabiliter, probabilitate tamen non caret ſententia, quæ tradit cum Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 11. q. ult. & cap 21. q 8.* Navar. *lib 5 conſ. tit. de hæret. cons 3 in 1. edit. & in 2. conſ 9.* Castr. *p 1. p. 6. de cenſur. diſp. 6. pun. 19 §. 1. nu. 4.* Bonac. *eod. tit. diſp. 7. q 3. pun. 7. nu 2.* Diana *p. 4. tr. 2. reſol. 49* Filiuc. *to 1. tr. 20. cap. 9. num. 230.* non incurri irregularitatem, ſi crimen ſit occultum. Nam qui tantum exterius fidem negat, & interius illam in corde retinet, non eſt verè hæreticus, & conſequenter, ſicut non eſt excommunicatus, ita neque irregularis. Nec *in d. can. presbyteros* neque alibi connectitur pœna irregularitatis contra ficte negantem fidem occultè. Nam qui in dicto canone timore ductus à fide apoſtatavit, ibi non dicitur, quod ficte fidem negavit. Potuit enim timore duci, & etiam ex animo fidem abnegare. Deinde caſu, quo canon ille loqueretur de ficte negante, ſolum comprehendit publice delinquentes. Nam in concluſione dicitur: *Eos, quorum crimina manifeſta ſunt, ante, vel poſt ordinationem à ſacris ordinibus dejiciendos eſſe; quorum tamen peccata ſecreta ſunt, ſecreta ſatisfactione ſecundum ſacerdotis edictum in propriis Ordinibus remanere.* Ex quibus verbis patet *d. can. presbyteros* loqui non de occulto, ſed de notorio ac publico contra fidem operante, qui, etſi ficte ac ſine interiori animo fidem negaret, incurreret utique irregularitatem ex infamia, ob crimen notorium, dignum ea pœna, quæ in jure canonico dicitur depoſitio, qua Clericus ab officio amovetur. Nam hoc peccatum eſt crimen, dignum ejuſmodi Eccleſiaſtica pœna, quamvis interno fidei errore careat, & propterea cum manifeſtum, & publicum eſt, eo ipſo irregularitate ſuum autorem afficit, non tamen incurreret irregularitatem peculiarem, quæ afficit eum, qui eſt hæreticus, cùm nullo in fide mentis errore ſit lapſus, neque non videtur inflicta contra tales occultos in aliquo canone.

Quod verò ad fautores, ac defenſores ſortilegi hæretici, eos affici irregularitate, docent Suarez, Sanchez, Coninch. & Bonacina locis allegatis, ac Farinac. *d. q. 192. num. 74.* & Carena *p. 2. tit. 1. §. 26. nu. 139.* Quia *in cap. 2. §. hæretici de hæret. in 6.* prohibentur iſti, ne ad Eccleſiaſticum beneficium, aut officium publicum admittantur. Sub officii autem nomine comprehenditur ordo.

At Henriquez *lib.14. cap. 4. num.6.* Eman. Sa. *v. irregularitas ex defectu animæ num. 2.* Caſtropal. *p.6. de cenſur. diſp. 6. pun. 19. §. 1. num. 5.* probabile eſſe tradunt ejuſmodi fautores, ac defenſores non incurri in irregularitatem, cùm nec à *d. can. presbyteros*, neque ex alio colligitur, eos hac de cauſa fieri irregulares. Nam quando excluduntur ab officio publico, nomine officii publici non eſt intelligendum officium Ordinis, ſed juriſdictionis, nempe Magiſtratus, Prætoriatus, Tabellionatus, & hujuſmodi, ut reipſa Gloſſa intelligit *ex cap. Felic. in §. quod ſiquis de pœn. in 6.* Nam illud vocatur officium publicum, quod ad publicam utilitatem ac regimen populorum ordinatur, etſi Officium publicum non id ſolum accipiendum ſit, quod in adminiſtratione reipublicæ ſolum conſiſtit, & juxta *§. munus publicum l. honor municipalis ff. de muner. & l. 2. ff. de iis, quib. ut indign.* in privatum uſum non cadit, uti eſt magiſtratus, & id genus aliæ functiones, verum etiam quod propter publicam utilitatem eſt introductum. Unde Pomponius *in l. pupillus §. munus de verb. ſignif.* ſcribit, munus publicum eſſe officium privati hominis, ex quo commodum ad ſingulos, univerſoſque cives pertineat. Itaque qui officium publicum à civili diſtare putant, non meminiſſe videntur verborum Arcadii, *qui in l. fin. d. tit. de muner.* & *honor. Hæc omnia*, inquit, *munera quæ trifariam diviſimus, una ſignificatione comprehenduntur. Nam & perſonalia, & patrimoniorum, & mixta munera civilia, ſeu publica appellantur.*

Sortilegi quoque ac omnes alii de hæreſi tantum ſuſpecti ſunt irregulares, ſi delictum ſit notorium ratione infamiæ ac indecentiæ. Dicuntur autem irregulares ſecundum quid, hoc eſt, donec purgaverint hæreſis ſuſpicionem; illa enim purgata, ſine diſpenſatione poterunt ad Ordines promoveri. Unde qui propter vehementem ſuſpicionem hæreſis coactus fuit ab Inquiſitoribus de vehementi abjurare, facta abjuratione, non manet irregularis, neque inhabilis ad beneficia, & officia publica, quia non fuit tanquam hæreticus damnatus, ſed tanquam de hæreſi ſuſpectus, quam ſuſpicionem abjuratione illa facta, ſe nunquam in hæreſim incurriſſe, neque unquam incorſorum, ſufficienter purgat, ac proinde neque infamis, neque inhabilis ad beneficia, vel officia manet, neque ejus beneficia vacare debent, ut docent Navar. *d. lib. 5. conſil. tit. de hæret. conſ. 5. & 6. aliàs 8. & 19.* Parlſ. *de reſignat. lib. 4. q. 3. nu. 17.* Henriq. *lib. 13. cap. 56. nu. 1. & lib 14. cap 4. n. 6.* Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 2. nu 9. & 10.* Sanch. *lib 2. in decal. cap. 25. nu. 52.* Caſtropal. *d. p. 6. diſp. 6. pun. 19. §. 1. nu. 9* Farinac. *d. q. 192. num. 81.* & Coninch. *diſp. 18. de cenſur. dub. 7. numer. 55.*

Filios vero, ac nepotes ſortilegi hæretici opinatur Tolet. *in ſum. lib. 1. cap. 25. nu. 8.* & Sayr. *lib. 6. de cenſur. cap. 10. nu 40.* non ſubjacere irregularitati, quia nullibi adverſus illos ſtatuta eſt.

At illos eſſe irregulares, ſi per lineam maſculinam deſcendant, ſi verò per lineam fœmininam filios tantum, non autem nepotes, fert communis ſententia, & colligitur *ex cap. 2. §. hæretici de hæret. in 6.* ubi idem canonicum impedimentum, quod imponitur hæreticis & fautoribus eorum, ad illorum filios uſque ad ſecundam generationem extenditur. Quod etiam declaratur *in cap. ſtatutum 2. eod. tit.* quoad nepotes, ut ſolum habeat locum in filiis per lineam paternam, per maternam verò quoad filios tantum. Idque ideò fortaſſe factum, quia filius magis videtur patrem repræſentare, vel imitari, quàm matrem. Unde ſi mater fuerit ſortilega, ſive maga hæretica, ejus filii, non autem nepotes ſunt irregulares. Si autem pater fuerit ſortilegus hæreticus, ejus filii ac nepotes irregulares fiunt. Filia verò, quia non eſt capax irregularitatis, neque etiam ejus filii irregularitatem incurrunt; quia deſcendunt ab hæretico per lineam maternam, & ita docent Eymer. *p. 3. q. 114. & 151.* ibique Pegna *com. 164 & ſeq.* Gomez *lib. 3. var. cap. 2. nu. 4.* Navar. *d. cap. 27. nu. 207.* Majol. *de irregul. lib. 5. cap. 46.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 9. n. 14.* Suarez *de cenſur. diſp. 43. ſect. 3. n. 1.* Valentia *diſp. 7. q. 19 pun. 3.* Sanch. *in decal. lib. 2. cap. 28. nu. 7.* Bonacin. *de cenſur. diſp. 7. de irregul. q. 3. pun. 7. nu. 9.* Caſtropal. *tom 6. d. diſp. 6. pun. 19. ſect. 2. nu. 1.* paſſimque alii, qui etiam extendunt hanc irregularitatem ad filios illegitimos ac ſpurios. Quia nulla eſt ratio ob quam iſti ſpeciali privilegio, quo filii legitimi gaudere debeant, dum textus *in d. cap. 2. de hæret. in 6. generaliter loquitur.*

Filios autem natos antequam parentes in hæreſim ſive in ſortilegium hæreticale inciderint, non eſſe cenſendos irregulares, cenſent Navar. *conſ. 27. de hæret.* Simanch. *loc. cit. tit 23.* Henriq. *lib. 14. cap. 5. nu. 4.* Leſſ. *lib. 2. de juſt. cap. 34 n. 121.* Coninch. *d. diſp. 18. dub. 7. n. 53.* Sanch. *ibid. cap. 27. nu 14.* aliique cum Bonacina *ubi ſupra n. 10.* Quia iſti non ſunt formaliter filii hæreticorum, ſed potius catholicorum, dum à parentibus catholicis concepti, & nati ſint. Neque credendum eſt, velle Eccleſiam privare in hoc caſu filios jure acquiſito ad Ordines ſuſcipiendos.

Verum probabilior, ac uſu receptior ſententia eſt, quæ tradit, hos filios cenſendos eſſe irregulares, ut probat Pegna *p. 3. com. 114.* cum Albertino & Saliceto *in l. quiſquis C. ad leg. Jul. Majeſt.* Gloſſa *in can. ſiquis cum militibus 6. q. 1. v. filii*, Covar. *lib. 2. var. cap. 8. num. 5.* Gomez *to. 3. var. cap. 2. nu. 16.* Gundiſal. *in tr. de hæret. q. 23. nu. 5.* Alph. de Caſtr. *de poteſt. leg. pœnal. lib. 1. cap. 7. & de juſt. hæret. pun. lib. 2. cap. ult.* Repertor. Inquiſ. *in v. filii*, aliiſque ab eo relatis. Nam pœna, quæ ob crimen parentis deſcendit in filios, ideo impoſita eſt, ut parentes à perpetrando crimina avertantur, ac cæteris timor incutiatur, ut præ aliis tradit Gloſſ. Extravag. Joannis XXII. *de pœn. §. filii ejus*, & Alph. de Caſtro *loc. cit. corol. 1.* Hæc autem ratio procedit tam in filiis natis, & procreatis ante quàm poſt crimen commiſſum: cum utroſque parentes æqualiter diligant. Et quia in *cap. ſtatutum 2. de hæret. in 6.* aperte cavetur, quod filii ac nepotes illorum hæreticorum in ſupradictis pœnis comprehendantur, quorum parentes hæreticos eſſe, & tales etiam deceſſiſſe probentur. Ergo etiam filii nati ante hæreſim, qui per parentum delictum cenſendi ſunt irregulares.

Filii verò parentis ſortilegi hæretici pœnitentis non ſubjacent pœnæ irregularitatis, ſi parentes ſint verè emendati, & Eccleſiæ reincorporati, ut loquitur, ac decernit textus in *cap. Statutum 2.* his verbis: *Primum & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus, per maternam verò ad primum duntaxat volumus hæc extendi. Hoc ſane de filiis, & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum hujuſmodi, qui tales eſſe, vel tales etiam diſceſſiſſe probantur, intelligendum eſſe, videtur, non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, & reincorporatos Eccleſiæ unitati, & pro culpa hujuſmodi ad mandatum Eccleſiæ, pœnitentiam recepiſſe, vel paratos eſſe ad eam recipiendam.* Ubi notandum eſt, quod textus loquitur de hæreticis pœnitentibus, ſolenniter abſolutis; quia requiritur abſolutio juridica, ut ab Eccleſia judicetur, decedere ſibi reconciliati & incorporati.

De filiis autem parentis ſortilegi hæretici relapſi, qui ob crimen repetitum damnatur ad combuſtionem, & ne comburatur, præbet ſigna pœnitentiæ diſcrepant opiniones, Gemin. *in d. cap. ſtatutum §. hoc ſanè.* Repertor. Inquiſ. *d. v. filii §. nunc videndum*,

Google

dam, Montalu. *lib.* 2. *tit.* 25. *p.* 7. *verſ. Eſt ergo concluſio*, ac Decanus Segovienſis *in tr. de hæret. cap.* 18. negant filios relapſorum pœnitentium fieri irregulares. Qui *d. cap. ſtatutum* irregularitatem filiis hæreticorum indicans, exigit, ut in hæreſi parentes decedant. Relapſi autem pœnitentes non decedunt in hæreſi, quinimmo ad Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ admittuntur.

Contrarium aſſerunt Jo. Andr. *in d. cap. ſtatutum* ibique Franch. Simanch. *in enchir. tit.* 63. *num.* 7. *& de cath. inſtit. tit.* 29. *nu.* 17. Royas de *hæret. p.* 2. *aſſert.* 42. *n.* 337. *& ſeq.* Pegna *p.* 3. *com.* 64. Suarez *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *poſt q.* 8. Molin. *to.* 3. *diſp.* 658. *nu.* 19. pluresque alii, quos citat & ſequitur Sanch. *in decal. lib.* 1. *cap.* 17. *à n.* 22. Eſtque communis ſententia. Quia relapſi, ita pœnitentes, præſumuntur ficte converſi, & potius formidine pœnæ, ne vivi comburantur, quam fidei amore. Et quamvis ad Sacramenta admittantur, non tamen abſolvuntur ſolenniter, quæ ſolennis, ac juridica abſolutio videtur requiri, ut judicentur Eccleſiæ reconciliati. Atque ideo in praxi obſervatur, filios parentum relapſorum, ſic pœnitentium, in irregularitate damnari, quia eorum parentes ſic converſi, præſumuntur in hæreſi decedere. Hoc ipſum dicendum eſt filiis illorum, qui in abſentia condemnantur, eorumque ſtatuæ comburuntur. Quia eorum contumacia hæreſim comprobat, ut ex *cap. cum contumacia de hæret. in* 6. & notat Pegna cum pleriſque aliis *loco allegato*.

Filii verò denunciantes Inquiſitoribus parentes magos, aut ſortilegos hæreticos, evadunt pœnam irregularitatis. Quia filii denunciantes parentem hæreticum, liberantur à pœnis in hæreticorum filios à jure ſtatutis, *arg. l. quiſquis §. ult. C. ad leg. Jul. Majeſt.* & cæteris copioſe adductis probat Alph. Caſtrus *lib.* 2. *de juſt. hæret. puni.* Quod in praxi obſervari teſtantur Pegna *p.* 2. *com.* 15. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 27. *nu.* 30. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *numero* 47. Royas *ſingul.* 12. *n.* 1. & Farinac. *de hæreſ. q.* 191. *numero* 37.

Ut autem filii ſortilegi hæretici pœnam irregularitatis incurrant, non requiritur, ut parentes ſint per Judicis ſententiam damnati, ſed ſufficit quod ipſi parentes in judicio fuerint convicti, vel confeſſi, vel quod res ſit ſatis publica, & omnibus probata, vel conſtet, eos eſſe hæreticos, vel hæreticorum fautores aut defenſores, vel receptatores. Id namque important verba illa *d. cap. ſtatutum* 2. *de hæret. in* 6. *Qui tales eſſe, vel tales etiam deceſſiſſe probantur.* Sufficit igitur, quod parentum hæreſis quomodocunque conſtet, vel probetur, ſive per evidentiam facti, ſive per propriam in judicio confeſſionem, ſive per Inquiſitorum ſententiam. Et ita etiam docent Suarez *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 3. *n.* 2. Sayr. *eod. tr. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 40. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 8. Sanchez *in decal. d. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 28. cum Eymerico *p.* 2. *direct. q.* 15.

Filii verò ac nepotes ſortilegorum hæreticorum, ad Ordines promoti antequam eorum pater in hæreſim incideret, vel ante hæreſis declarationem, aut notorietatem, non privantur uſu Ordinum ſuſceptorum. Nemo enim abſque ſua propria culpa privari poteſt jure jam acquiſito, ut notat Gloſſa *in can. ſacris perverſum d.* 56. At ſi dicti filii non ſuſcepiſſent omnes Ordines, non poſſent ad ſuperiores aſcendere, ſed tantum in ſolis ſuſceptis miniſtrare. Quia licet defectus ſuperveniens non privet jure acquiſito, impedit tamen novam acquiſitionem, ut ex *cap.* 2. *§. hæretici de hæret. in* 6. ubi non præcipitur, hos filios ab officiis adeptis ſuſpendi, ſed ne ad ea in poſterum admittantur. Quod etiam tradunt Majol. *de irregu* *cap.* 47. *n.* 6. Suarez *d. diſp.* 43. *ſect.* 3. *nu.* 2. & Sanchez *d. cap.* 27. *n.* 10.

At quid de filiis ac nepotibus Chriſtianis Judæorum, ac paganorum? Iſti vel ſunt baptizati à nativitate, aut ante uſum rationis, vel in adulta ætate, & poſt uſum rationis. Baptizati à nativitate, aut ante uſum rationis non ſunt irregulares, atque adeo poſſunt ad Ordines ſuſcipiendum admitti, ſive ſint nati poſt baptizatos parentes, ſive antea, ſive etiam eorum parentes baptizati non ſint. Nam jura ſolum hæreticorum filios hac irregularitatis pœna afficiunt. Eccleſia enim Judæos & Paganos non punit ob eorum legem, ut punit hæreticos propter hæreſim. Ideoque filii hæreticorum ob delictum patris ſunt irregulares, non autem filii Judæorum & Paganorum. Id docent Navar. *in ſum. d. cap.* 27. *n.* 105. Covar. *to.* 1. *p.* 1. *relect.* *§.* 2. *n.* 7. Suarez *d. ſect.* 3. *n.* 8. Sanchez. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 28. *nu.* 19. *Salced. ad Diaz in pr. cap.* 2. *n.* 8. Avila *de cenſur. p.* 2. *diſp.* 4. *dub.* 4. Quod ſane intelligendum eſt de jure communi, ac niſi ſtatutis aliquarum Eccleſiarum, à ſede Apoſtolica confirmatis, aliud decretum ſit.

Filii verò Judæorum, vel Paganorum baptizati in adulta ætate, vel ſunt neophiti, hoc eſt recens baptizati, & in fide adhuc non bene inſtructi, & dicuntur irregulares. Quia non admittuntur ad Ordines ſuſcipiendum, ut ſcribit D. Gregorius *lib.* 8. *Epiſt.* 13. ad Fortunatum Epiſcopum Neapolitanum, & ſtatuitur *in can. Monaſterius* 19. *q.* 3. & in Concilio Arelatenſi 2. ſub Sylveſtro primo, in Concilio Leodicenſi ſub Liberio *can.* 3. & in Neoceſarienſi *c.* 12. Vel non ſunt amplius neophyti. Quia diù legem Chriſtianam profeſſi ſunt, in eaque ſunt egregie inſtructi, & non dicuntur irregulares, nec comprehenduntur in hac prohibitione, poſſuntque ab Epiſcopo ad Ordines & beneficia promoveri, dummodo ei viſum fuerit, illos eſſe moribus, & Chriſtiana diſciplina ſatis inſtructos ita, ut veterani Chriſti milites juſte cenſeri poſſint, ut in *can.* 1. *d.* 57. & tradunt Felin. *in cap. cum ſit de Judæis*, Covar. *loc. cit.* *§.* 2. *n.* 7. Suar. *d. diſp.* 43. *de cenſur. ſect.* 3. *nu.* 6. *ac* 7. Avil. *d. tr. p.* 7. *diſp.* 4. *dub.* 4. & Sanch. *d. cap.* 28. *nu.* 12.

Hinc deſcendentes ex genere maculato Hebræorum, Saracenorum, &c. non ſunt neophyti, nec tales vocari poſſunt, niſi per injuriam. Neophytus enim dicitur quaſi novum germen, & planta in fide ac religione Chriſtiana, habeturque Neophytus, qui ad Chriſti fidem eſt recèns converſus eo, quod ſit nuper inſitus Chriſto, non autem qui à multò tempore, vel ab infantia eſt Chriſtianus, Turrecr. *in ſum. d.* 48. *num.* 2. Navar. *d. cap.* 27. *nu.* 105. Sanch. *d. cap.* 28. *nu.* 11. Miranda *in man. to.* 1. *q.* 19. *ar.* 2.

Unde ſtatuere tempus, pro quo cenſendi ſunt dicti filii in fide bene inſtructi, arbitrio Epiſcopi relinquitur, ut notant Suarez *loc. cit.* Sayr. *lib.* 6. *de cenſur. cap.* 13. *nu.* 10. Coninch. *d. diſp.* 18. *dub.* 7. *nu.* 55. ac Bonac. *de irregular. diſp.* 7. *q.* 2. *pun.* 1. *n.* 6. Quare ſi intra biennium, vel triennium à baptiſmo ſuſcepto, ſufficientes probatæ fidei ac religionis ſpecimen dederint ad Epiſcopi arbitrium, poterunt abſque ulla diſpenſatione ad Ordines promoveri, ut per Coninch. *loc. cit.* & Caſtropal. *tom.* 6. *de cenſur. diſp.* 6. *priv.* 19. *§.* 3. *n.* 2. Divus etenim Gregorius ad eundem Fortunatum ſcribit: *Ad religionem converſum ante biennium neminem debere tonſurari.*

Et quamvis neophytus videatur *jure* divino ab Ordinibus prohiberi, ſcribente D. Paulo ad *Timoth.* 3. *Oportet Epiſcopum non eſſe Neophytum*; verius tamen eſt, Neophytum jure tantum Canonico ad Ordines ineptum eſſe, *can. Neophytus d.* 61. *& can. quoniam, & can. ſicut. Neophytus d.* 48. ac proinde ad beneficium promoveri non poſſe. Quod ſi Apoſtolus prædicto loco

loca vetat, neophytum Epiſcopum creari, non id jure divino, hoc eſt ex Chriſti præcepto, ſed tanquam Eccleſiæ doctor, & paſtor interdixit. Hinc quoniam jus divinum quidam juris pontificii conſulti latè vocant quicquid in ſacris litteris vel præcipitur, vel prohibetur, ideo quidam, neophytum ab ordinibus, ac beneficiis jure divino rejectum eſſe, credunt. Et quamvis de Epiſcopo tantum loquatur, Canones tamen, & doctores comprehendunt omnes clericos. Quo fit, ut Romani Pontificis autoritate neophytus poſſit ab ea lege Apoſtoli ſolvi, non tamen id facile indulgere ſolet, niſi quando videlicet bona & magna de aliquo ſpes concipitur, cùm alii non deſint noſtræ hujus ætatis temporibus aptiores, & magis idonei. At poſt biennium aut triennium, ſi bonæ ac probatæ vitæ fuerit, alioqui idoneus Romani Pontificis indulgentia poteſt ad Ordines ac beneficia promoveri, tametſi ejus parentes fuerint à fide ac religione Chriſtiana alieni. Sic Mendos. *in prax. ſignat. grat. v. diſpenſatio cum neophytis.* Immo ſic ibi ait: Signatura cum neophytis, ſeu Marranis diſpenſet ad omnes Ordines, & beneficia, quando ipſi ſemper vixerunt, ut Catholici, licet eorum parentes fuerint combuſti *arg. textus in l. cap. eum te in fine de reſcript.* Et de Judæis converſis fundata eſt Eccleſia *can. in novo d.* 21. *can. recurrat* 32. *q.* 4. Staphyl. *ſuper Signat.* Hæc ille. Qui in Chriſtiana religione eſt veteranus miles, poteſt ad Ordines, & beneficia promoveri, Felin. *loc. cit.* Roman. *ſingul.* 416. Dec. *in d. cap. eum te,* ubi etiam Franchus, & Ripa, & Rota in Ulyſſiponen. Quattenariæ coram Coccino, immo etiam ad Epiſcopatum, prout contigit cum D. Ambroſio.

Idque comprobatur praxi ſummorum Pontificum. Etenim Clemens VIII. ad Epiſcopatum Forolivienſem aſſumpſit Alexandrum de Franciſcis, vulgo Hebræum nuncupatum, in hebraiſmo natum, poſtea tamen ad fidem converſum, & Dominicanam Religionem profeſſum. In Catholica Hiſpania, quæ præ cæteris hebraicam deteſtatur perfidiam, Julianus Pomerius ad Archiepiſcopatum Toletanum, Paulus de Carthagena, Burgenſis dictus, ad Epiſcopatum Burgenſem, Alphonſus etiam de Carthagena ejuſdem Pauli filius, etiam ad Burgenſem, Gonſalvus, pariter de Carthagena, alter Pauli filius, ad Placentinum, Franciſcus ad Caurienſem aſcenderunt.

Hinc plures, graveſque errores efferunt, quod leges, ſive ſtatuta, quæ prohibent, ne tales ad dignitates Eccleſiaſticas promoveantur, ſint invalida, ut Turrecrem. *in can. conſtituit* 17. *q.* 4. Abulenſis *in Levit. cap.* 19. *q.* 32. Henric. Mourol *in apolog. contra Archiepiſcopum Toletanum*, Covar. *in Clem. ſi furioſus p.* 1. §. 2 *Concl.* 6.

Non obſtat *d. can. Conſtituit* 17. *q.* 4. *ex Concilio Toletano* 4. *deſumptus*, ubi ſacrilegi vocantur ii, qui Judæis, aut ex Judæis deſcendentibus publica officia committunt. Nam Canon iſte, vel intelligitur de Judæis, aut deſcendentibus eorum, qui ritus, & obſervationes legis Moſeïcæ ſervebant, ut putat Anton. Fuarter *canon. lect. lib.* 1. *cap.* 4. quo etiam ſenſu explicatur à Nicolao V. in Conſtitutione, quæ incipit, *humani generis*, quam ex Joanne Mariana *de reb. hiſpan. lib.* 22. *cap.* 8. refert Brovius *tom.* 17. *Annal. ad an.* 1449. *nu.* 6. Vel quod attinet ad deſcendentes ex Judæis intelligitur de illis, qui nuper ad fidem ex Judaiſmo ſunt converſi, ut ex aliis autumant Suarez *de cenſur. d. diſp.* 43. *ſect.* 3. *nu.* 9. Sanchez *loc. cit. nu.* 15. quibus favet Gloſ. *in d. can. conſtituit v. qui ex Judæis.*

Nec pariter obſtat conſtitutio Clementis VIII. edita 18. Octobris 1600. in qua prohibetur, ne deſcendentibus ex Hebræorum genere per lineam paternam, vel maternam uſque ad ſeptimam generationem aliqua collatio, ſeu proviſio fiat de Canonicatibus, præbendis, ac dignitatibus Eccleſiarum, parochiis, Vicariis perpetuis, cæteriſque Eccleſiaſticis beneficiis, curam animarum habentibus in Regnis Portugalliæ vacantibus. Quod poſtea ampliavit Paulus V. 17. Januarii 1612. ad Vicarias amovibiles, & ad Eccleſias curam animarum habentes.

Quoniam, cùm in his conſtitutionibus non ſit ſermo de Epiſcopatibus, ſed de inferioribus dignitatibus, vel beneficiis, & tantum reſtringantur ad Regna Portugalliæ, ſintque in materia odioſa, & exorbitante à jure communi, quod talem exceptionem non admittit, *ut d. cap. eam te de reſcript. cap. ad decorem de inſtit.* nam, ut ibi dicitur, in omni gente qui fecit juſtitiam acceptus eſt Deo. Et quia quoad collationem ac proviſionem beneficiorum non eſt attendenda exceptio perſonarum, Rot. *dec.* 24. *nu.* 2. *apud Farinac. in* 1. *collect. aliàs p.* 4. *div.* Maſſobr. *in pr. habendi concurſ. prel.* 7. *dub.* 11. *nu.* 37. Extravag. 2. *de Jud.* & Concil. Baſil. *ſeſſ.* 19. ubi de Judæis ac neophytis ad fidem converſis, ait: *Quoniam per gratiam baptiſmi cives Sanctorum & domeſtici Dei efficiuntur, longeque dignius ſit regenerari ſpiritu, quam naſci carne. hac edictali lege ſtatuimus, ut civitatum, & locorum, in quibus ſacro baptiſmate regenerantur, privilegiis, libertatibus, & immunitatibus gaudeant, quæ ratione duntaxat nativitatis, & originis alii conſequuntur,* Conſtit. 8. Pauli III. incip. *Illius vices ſub anno* 1535. *tom.* 1. *Bullar.* approbantis conſtitutionem Clementis VII. in qua Chriſtianos novos Regni Portugalliæ, & Algarbiorum, eorumque ſucceſſores ad dignitates habilitavit & indultis aliorum Chriſtianorum gaudere decrevit. Quibus concinit S. Scriptura *Exod.* 12. *v.* 48. *Levit.* 19. *v.* 33. *& ſeq.* ad Roman. 2. *v.* 10. *&* 11. *& cap.* 3. *v.* 22. & *cap.* 10. his verbis: *Non eſt diſtinctio apud Deum*, & Eccleſiam, *Judæi & Græci.* ad Galat. 6. *v.* 15. Act. *cap.* 10. *v.* 3. *&* 4. ac ex Patribus Hieron. *ep. ad Celantiam*, Ambroſius *de Noë cap.* 4. Auguſtinus *lib. de bono conjugii cap.* 16. relatus *in can. undecumque d.* 56. *& in Matth.* Chryſoſtomus relatus *in can. nunquam ead. d.* 56. *& homil.* 3. *&* 20. *in Matth.* & Gregorius *lib.* 10. *Epiſt.* 8. *ad Columbum*, quæ referuntur *in can. ſatis ea d.* 56.

Minus quoque obſtat, quod jura præſumant filios imitari mores parentum *l. quiſquis §. filii C. ad leg. Jul. Majeſt.* his verbis: *paterno enim debent perire ſupplicio, in quibus, hoc eſt hæreditarii criminis exempla metuuntur.* Quod probant Tiraquel. *lib.* 7. *ad leg. connub. p.* 7. *gloſ.* 1. Caſſan. *in catal. glor. Mundi p.* 11. *conſid.* 25. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 7. *&* 8. Cordub. *quæſt.* 54. *concl.* 3. Auguſt. Salut. *cap.* 1. *ſui diſcurſ.* Curell. *ad leg. Feder. cap* 36. *not.* 73. *nu.* 5. D. Chryſoſt. *in cap.* 25. *Matth. homil.* 45. inquiens: *Natura regula dicit, quia non poteſt fieri, ut de bonis parentibus mali naſcantur, aut de malis boni, ſed quales fuerunt parentes, tales erant & nati.*

Accedit & illud D. Pauli non ſemel dictum 1. Corinth. 6. *omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, &* 1. Corinth. 10. *omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Et ſi enim jure communi ac diplomatibus Pontificum liceat neophytos ad dignitates, etiam Epiſcopalem promovere, nihilominus, attentis circumſtantiis, non expedit. Nam licet res hæc inter leges non prohibitas cenſeatur, & tamen ex illis, quæ non ædificent, ut eppoſite ait Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *ſtromat.* poſt initium: *Qui faciant quicquid licet, facile dilabuntur, ut faciant quod non licet.* Quod fuſius explicavit D. Bernardus *lib.* 3. *de conſiderat. ad Eugenium*, alibi adductus.

Licet quidem neophytis, Chriſtianam religionem profeſſis, communibus uti Eccleſiæ favoribus, ſed hoc libertatem largientis denotat, non neceſſitatem,

ut

ut in l. diem proferre §. ſi plures ff. de arb. l. 1. ff. de interrog. act. & advertunt Menoch. *conſ.* 381. *nu.* 23. ac Cevall. *com. contr. q.* 750. & 757. Nec expedit, minuſque ædificat id facere, imputareque hoc qui à Judæis reſciſcunt ſuis progenitoribus, dicentibus Matth. 27. *ſanguis ejus ſuper nos, & filios noſtros*, quoad pœnam ſcilicet, qualis hæc eſt. Nam, ut prædixit David pſal. 77. *percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis*, & Daniel. *cap.* 9. *Uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio*, & propter eandem imprecationem dicitur: *ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros*. Unde aliqui apud Hugonem Cardinalem *in pſal.* 77. volunt hoc opprobrium ſempiternum pati Judæos, ut hæmorrhoides, ſive fluxum ſanguinis habeant, ideoque palleſcant. Et S. Vincentius *in ſer. de paraſcev.* refert, quod, quando eorum maſculi naſcuntur, habeant manum dextram ſanguine plenam, capiti inhiaam, exemplo Zaram, qui natus eſt filo rubro ad digitum alligato. Adduntque alii ſolere pari ipſo die paraſceves ſanguinis fluxum, totoſque palleſcere. Nec mirum ſi hinc ſtatuerit Deus ille, qui Exod. 20. dixit: *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.*

At quoniam Deus miſericors eſt, cujus miſerationis non eſt finis Ezech. 18. quaſi retractans hanc rigidam ſententiam contra Judæos prolatam, dixit: *Quid eſt, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terra Iſrael, dicens: Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obſtupeſcunt? Vivo ego dicit Dominus Deus, ſi erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Iſrael*, ideoque hanc piiſſimam Dei diſpenſationem audientes, dicant cum pſalmo 84. *Non in æternum iraſceris nobis.*

Quare limitandum eſt quod obiecimus primo, ut ſuſpicio iſta, quæ oritur ex progenie Judaica temporis curſu purgetur, ſive purgata intelligatur. Et quidem ex jure Canonico ultra ſecundum gradum per lineam paternam, & ultra primum per lineam maternam purgata cenſetur, *cap. quicunque 2. §. hæreticus, & cap. ſtatuimus 2. §. hoc jure de hæret. in 6.*

Secundo, ut hæc mala ſuſpicio ex actibus poſitivis contrariis quæ ſanam, & Catholicam doctrinam palam oſtendant, purgetur, ut probat textus in can. Laici 6. *d.* 33. & faciunt l. deſertorem 5. §. is qui, *ff.* de re milit. ibi: *inſpecta vita ejus præcedenti ſemper*, l. non omnes 5. §. à barbaris *ff.* eod. & l. famoſi *ff.* ad leg. Jul. majeſt. *Nam & perſonam ſpectandam eſſe an potuerit facere, & ante quid fecerit.* Et in ſimili de hæreticis Farinac. *de hæreſ. q.* 187. §. 1. *nu.* 20. *poſt* Simancham, Pegnam, & alios, & in hac ſpecie Corduba *q.* 54. ubi loquens de hujuſmodi ſuſpicione, ſic ait: *purificari igitur, vel auferri poteſt, non ſolum per diuturnitatem temporis, ſed etiam per id omne, per quod habilitas, ſive idoneitas, & illuſtratio perſonæ ac generis ſecundum leges acquiri poteſt, puta per excellentes litteras, per heroica geſta ad utilitatem Reipublicæ, per notabilem fidem, vel meritum profectum ex tali perſona provenientem, per quæ, & per alia hujuſmodi perſona, aliàs vilis, cum ſua etiam poſteritate ſecundum leges, & rectam rationem in mundo apud homines illuſtris, aptuſque homo ille, ac genus ejus ad talem dignitatem, ſocietatem, ſive munus obeundum efficeretur.*

Quatenus etiam talis adeſſet ſuſpicio, ac præſumptio, ea tam rationabilis ac prudens eſſe deberet, ut nullam pateretur exceptionem. Etenim, ut prudenter animadvertit Suarez *d. diſp.* 43. *de cenſur. ſect.* 3. *n.* 8. *hoc ſuſpicionis genus, quod alicubi generale eſt in opinione vulgi per ſe non ſufficit ad reddendas irregulares particulares perſonas, licet poſſit ſufficere, ut interveniente Pontificis auctoritate poſſint condi ſtatuta, quibus excludantur.* Et mox: *Oportet tamen ut ſuſpicio ſit rationabilis, ac prudens, & in individuo de tali perſona, aliòquin injuria illis fiet.*

Notandum autem eſt, quod irregularitas, quæ ad dictos neophytos pertinet, non eſt aliis irregularitatibus ſimilis. Nam propter illam non eſt expectanda ſummi Pontificis diſpenſatio, ſed tantum eſt arbitrio Epiſcopi conſiderandum, an ex eorum probitate, ac plena legis Evangelicæ inſtructione, dicendus ſit veteranus Chriſti miles. Et Covarruvias obſervat *loc. cit.* multos olim fuiſſe ad Ordines ſacros, & ad Eccleſiaſticas dignitates admiſſos, qui à Judaiſmo, vel Gentilium lege fidem Chriſti ſuſceperunt ob vitæ ac morum probitatem, & quod jam diù Chriſtianæ diſciplinæ inſtitutis edocti fuerunt, & nomen neophytorum amiſerant. De neophytis ſatis.

Porro non ſicut punitur filius ob hæreſim patris ita punitur pater ob hæreſim filii: Etenim in crimine quoque læſæ majeſtatis humanæ punitur quidem filius ob delictum patris, dum illius bonis privatur, ſed non punitur pater pro delicto filii, ut probat Gigas *de crim. læſ. Majeſt. lib.* 3. *rubr. de pœn. quas filii incurrunt q.* 12. Salic. *in d. l. quiſquis n.* 8. *C. ad leg. Jul. majeſt.* Decian. *tr. cr. lib.* 7. *cap.* 41. *nu.* 16 ſi que arguit item Decian. *lib.* 5. *cap.* 45. *nu* 9. & Farinac. *de hæreſ. q.* 191. *nu.* 41.

Cum ſortilegis autem hæreticis converſis, & ad fidem redeuntibus ſolus Pontifex diſpenſare poteſt in irregularitate, tam ut poſſint ad Ordines promoveri, quàm ad ſuperiores aſcendere, ut cum aliis tradit Suarez *de cenſur. d. diſp.* 43. *ſect.* 1. *num.* 6. Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 15. *num.* 13 & 14. ac Bonacina *eod. tr. diſp.* 7. *pun.* 7 *q* 3. *nu.* 12.

Similiter cum eorum filiis, ac nepotibus apud Pontificem tantum eſt in eadem irregularitate poteſtas diſpenſandi. Nam, ut ſuprà diximus, hæc irregularitas non provenit ex delicto occulto, ſed ex indecentia, quam filii contrahunt ob parentum delictum. Verùm in ſuſceptis Ordinibus, antequam delictum paternum declaretur, ac notorium fiat, poſſunt hujuſmodi filii miniſtrare, nulla diſpenſatione requiſita. Propter enim delictum paternum non privantur jure quæſito, ut etiam diximus.

Enim, qui poſt ſuſceptos Ordines in hæreſim inciderit ad pœnitentiam deinde converſus, putant Caſpar Hurtadus *diſp.* 2. *de irregul. diff.* 3. *in fine*, & alii, quos tacito nomine refert Coninch. *d. diſp.* 18 *dub.* 7. *num.* 52. non indigere diſpenſatione, ſed libere poſſe Ordines iuſceptos exercere. Quia *in d. can. ſaluberrimum*, 1. *q.* 7. & *d. can. nos conſuetudinem d.* 22. id videtur permiſſum.

Rectius tamen ipſe Coninch. *loc. cit.* Suarez *d. diſp.* 43. *ſect.* 1. *num.* 6. Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 25. *n.* 14. aliique docent, indigere diſpenſatione Epiſcopi, ut colligitur *ex can. presbyteros d.* 50. & *ex d. can ſaluberrimum.* immò iidem Doctores ac Bonacina *d. diſp.* 7. *q.* 3. *nu.* 13. ſuſtinent ne quidem Epiſcopum diſpenſare poſſe quoad ſacerdotii exercitium, ſed ſolum Pontificem ſummum. Et Pegna *p.* 3. *com.* 175. refert B. Pium V. die 6. Septembris anni 1567. id inhibuiſſe Didaco de Spinoſa generali Hiſpaniarum Inquiſitori; ut alibi adnotavi. Probantque Mainl. *lib.* 5. *de Irregul. cap.* 46. & Navar. *in man. d. cap.* 17. *num.* 205. ſolum Papam diſpenſare poſſe in irregularitatibus provenientibus ex defectu animæ. Eymericus etiam & Pegna *p.* 3. *q.* 126. aſſerunt. ne Inquiſitorem quidem poſſe cum talibus in irregularitate diſpenſare.

An autem in irregularitate ob hæreſim occultam contracta, poſſit Epiſcopus virtute S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de reform.* diſpenſare, alibi diſſeruimus.

Pœna

Pœna verò ſuſpenſionis, vel depoſitionis ab Ordinibus ſacris imponi ſolet in S. Tribunali S. Officii clericis, & ſacerdotibus ſortilegis, ſi clericus, vel ſacerdos ex ſimplicitate, & bono zelo, & abſque dolo ſortilegium non hæreticale commiſerit, ſuſpenditur à divinis, & à miniſterio altaris per annum, & ultra, inquiſitorum arbitrio; & termino elapſo abſque diſpenſatione, ipſo jure ad primam adminiſtrationem revertitur, ut probat textus *in cap. 2. de ſortil.* ubi per annum ſuſpenſus fuit ab altaris *miniſterio* Clericus, qui ex ſimplicitate, & abſque dolo ſortilegium non hæreticale commiſerat pro inveniendis bonis Eccleſiæ, furto ſublatis. Et ita etiam tradunt Gloſ. *in d. cap. 2. v. viſum*, & Abb. *n. 4. in fine*, Ghirland. *de ſortil. quæſt. 11. num. 2. & 8.* Menoch. *de arb. caus. 4. caſ. 388. num. 8. & 9.* & Farinac. *de delict. & pœn. quæſt. 20. num. 91.*

Si vero non ex ſimplicitate, neque bono animo, ſed malo, & ex dolo ſortilegium non hæreticale commiſerit, deponitur ab ordine ſacro, privatur omnibus beneficiis, & perpetuo in monaſterio includitur *ex can. ſiquis Epiſcopus 26. q. 5.* ibique Gloſſa, & tradit Panorm. *in d. cap. 2. de ſortil.* Ghirland. *loc. cit. numero 3. 8. & 10.* Menoch. *ibid. numero 10.* Farin. *ubi ſupra numero 92.* ubi notat, quod talis ſortilegus efficitur infamis *can. quiſquis 2. quæſt. 8.* & antequam deponatur, tonſuratur, & decalvatur in modum ſtultorum, & ejus veſtes ante ac retro ſcinduntur juxta *can. de benedicto 32. q. 1.* Et in hoc caſu degradatur verbaliter, non realiter, ut *in can. admoneant 26. q. 7.* Ac *numero 94.* etiam notat, quod hodie tam de jure civili, quàm canonico pœna ſortilegorum non hæreticalium eſt arbitraria, tam in laicis, quàm in Clericis, ut ait Abb. *in d. cap. 2. de ſortileg.* & colligitur *ex l. hodie, l. aut facta ff. de pœn. & l. quid ergo §. pœna gravior ff. de his, qui not. infam. & can. non afferamus 24. q. 1.* Idcirco pœnam ſortilegis, ac etiam eorum conſulentibus, & participantibus imponendam, poteſt Judex ad ſuum arbitrium augere, ac minuere juxta qualitatem facti conditionem perſonarum, animum delinquentis, & ſcandalum inde exortum. Verum hiſce ſortilegis non eſt minuenda pœna, ſtatuta à ſacris Canonibus, niſi adſit juſta cauſa, ut docent etiam Ghirland. *quæſt. 17. numero 4. & 5.* Menoch. *d. caſ. 388. numero 81.* Diaz. *in pr. cr. can. cap. 10.* & Cuch. *in inſtit. Canon. lib. 4. tit. 9. rubr. de div. delict.* qua de re alibi fusè.

Clericus quoque ſortilegium exercens ad bonum finem eſt etiam puniendus pœna depoſitionis, ac privationis beneficiorum, ut ſi ſortilegium exerceret ad ſanandum ægrotos maleficiatos, ad ſolvendas aliorum ſortilegorum facturas, ad incantandum imbres, ne noceant ſegetibus, arboribus, animalibus, & ad hujuſmodi alia, jure Canonico puniendus eſt pœna depoſitionis, ac privationis beneficiorum. Quia Eccleſia ſummopere abhorret hæc remedia ſortilega, etiamſi fiant ad effectum recuperandæ ſanitatis. Non enim licet invocare auxilium dæmonis, ne quidem pro mille corporum ſanitatibus. Quia minus malum eſt quod pereant mille corpora, quàm quod pereat una anima, ut probatur in can. admoneant 26. *q. 7. in can. mirum §. ad hæc autem 26. quæſt. 5.* à D. Auguſtino *lib. 10. de civit. &* à D. Thoma *2. 2. q. 95. ar. 3.* Qua de re ſuo loco.

Ut autem plenius cognoſcatur, quænam pœnæ impoſitæ ſint pro ſortilegis, ſciendum eſt, quod ſicut ſortilegi non ſunt omnes ejuſdem rationis, ſed ſortilegiorum alia ſunt graviſſima, alia graviora, alia gravia, alia levia, ita non eſt in jure ſtatuta certa pœna pro omnibus, ſed ſolum pro aliquibus; unde multoties hæc pœna eſt Inquiſitoribus arbitraria, ita tamen, ut eorum arbitrium regulis juris dirigi debeat, ut per Farinac. *in prax. 20. numero 49.* Souſa *lib. 1. aphor. cap. 58. numero 17.* ut pro modo culpæ, & qualitate ſuſpicionis & infamiæ abjuratio, ac pœnæ imponantur, Pegna *p. 2. com. 67.*

Hinc ſortilegi coërceri poſſunt excommunicatione, dignitatum privatione, verberibus, exilio, carcere, aliiſque pœnis, ac cenſuris, ſpectata perſonarum qualitate, *can. illud 26. q. 2. d. can. admoneant 26. quæſt. 7.* Simanch. *de Cath. inſtit. tit. 2. numero 15.* & ſecundum Panormitanum in *cap. 1. numero 2. de ſortil.* ultra pœnam juris, poſſunt ſortilegi cum mitra infami in publicum produci, aut ſcalis alligati prope fores Eccleſiæ conſtitui, & à diœceſi expelli, *can. Epiſcopi 26. q. 5.*

Cùm verò pœnarum aliæ ſint ſpirituales, corporales aliæ, nulla contra ſortilegos in communi, ac univerſim extat impoſita pœna ſpiritualis, quæ ſit latæ ſententiæ. Ac licet dubium eſſe poſſit de pœna excommunicationis *in can. non oportet*, qui eſt Concilii Laodiceni, *in can. aliquanti* Concilii Agathenſis, *can. ſiquis Clericus* Concilii Aurelianenſis, *can. auguriis* Concilii Carthaginenſis *4. & habentur 26. q. 5.* In his tamen Canonibus ſola excommunicatio ferendæ ſententiæ continetur. Videtur verò, quod *in can. ſiquis ariolos*, qui eſt primus ejuſdem *q. 5.* contineatur ſententia lata, illeque Canon deſumptus eſt ex Concilio Romano ſub Gregorio ſecundo, ubi dicitur, quod ſiquis ariolos, aruſpices, & incantatores obſervaverit, ac phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit. At quicquid ſit, an in eo Canone clauſula anathema ſit, latam excommunicationis ſententiam contineat, de quo dubitant multi apud Suarez *tom. 1. de relig. tr. 2. lib. 2. cap. 19.* & admiſſo, quod illam contineat, conſuetudo tamen contraria vel legem illam interpretata eſt de ſententia ferenda, vel illam abrogavit. Conſtitutio vero Joannis XXII. quæ incipit, *ſuper illius* ſpecula, relata ab Eymeric. *p. 2. q. 43.* quæ nec eſt repoſita inter extravagantes ejuſdem Pontificis, neque in Bullario Romano, non videtur publicata, neque ad hunc effectum uſu recepta. Unde ex his non ſatis colligitur, quod ſortilegi univerſim ſint, & haberi debeant, ut excommunicati, Sylveſt. *in ſum. v. ſuperſtitio q. ult.* Navarr. *cap. 17. numero 12.* Suarez *d. cap. 19. numero 5. & 6.* Leſſ. *de juſt. & jur. lib. 2. cap. 45. dub. 5. numero 19.* Azor. *p. 1. lib. 9. cap. 16. q. 3.* Delbene *p. 2. dub. 228. ſect. 2. numero 2. & ſect. 38. numero 9. & 10.* Bordon. *in Tribun. cap. 21. numero 2.* Et ſane Doctores, qui tractant de excommunicatione, ac recenſent omnes excommunicationes, quæ ex jure ſunt latæ ſententiæ, nullam hujus mentionem faciunt. Neque in praxi ſortilegi, niſi in caſibus particularibus in jure expreſſis, declarantur excommunicati, vel abſolvuntur ab excommunicatione.

Quod verò ad pœnas temporales, iſtæ pro multis caſibus in particulari ſunt determinatæ, & puniuntur etiam pœna mortis. Primus caſus eſt, ſi ſortilegium ſit hæreticum, eo quod adjunctam habeat formalem hæreſim expreſſam, ut quia ſortilegus ſit apoſtata à fide, vel abneget baptiſmum, vel alium fidei articulum. Et in hoc caſu ſortilegus punitur pœnis hæreticorum, etiam pœna mortis, ſi ſit impœnitens, vel relapſus.

Secundus caſus eſt, ſi ſortilegus in ſortilegio abutatur Sacramento Euchariſtiæ. Talis enim ex decreto Pauli IV. edito in S. Congregatione S. Officii anno 1559. relatum

relatum à Diana, & ab aliis, tradendus eſt Curiæ ſeculari. De quo *in conſult. de abuſu Sacramentorum.*

Tertius caſus eſt, ſi ſortilegus in ſortilegio conculcaverit Crucem, vel Imaginem Chriſti, aut Deiparæ, vel Sanctorum, aut eam, data opera, percuſſerit, deturpaverit. Quamvis enim ex jure Canonico pro hoc ſcelere non ſit impoſita determinata pœna, ideoque ſit arbitraria, id tamen arbitrium etiam ad pœnam mortis extendi poteſt, ſicque aliquando hujuſmodi delinquentes fuiſſe Curiæ ſeculari traditos, referunt Farinac. *p.* 1. *quaſt.* 10. *num.* 71. *& qu.* 181. *de hæreſ. num.* 44. Menoch. *de arb. caſ.* 370. Souſa *lib.* 2. *aph. cap.* 42. Salell. *lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 56. Certè hic ſortilegus ſeveriſſimè puniri debet, etiamſi non conſtiterit eum eſſe hæreticum.

Quartus caſus eſt maleficii, qui dividitur biſariam, in illum, quem ſequitur mors, & in illum, quem mors non ſequitur, ſed aliud damnum. Pro hoc crimine in utroque caſu ſtatuta eſt pœna à Gregorio XV. in conſtitutione, quæ incipit, *Omnipotens Dei.* In primo caſu mortis impoſita eſt, pro eo maleficio pœna mortis, ut ſcilicet hujuſmodi ſortilegus tradatur Curiæ ſeculari, etiam pro primo lapſu. Tres tamen conditiones ſunt neceſſariæ ad hanc pœnam incurrendam, pactum expreſſum cum dæmone, apoſtaſia à fide, mors ſequuta ex maleficio. Quare huic pœnæ non ſubjicitur, qui ſolum in iis habuit pactum implicitum, vel ſortilegium mandavit, vel ſortilegio uſus fuit, vel dæmonem non adoravit, vel ſortilegium ſine effectu mortis attentavit, aut mors aliunde, quàm ex maleficio ſequuta fuit. Unde ſi mors maleficiati ex aliqua cauſa proxima fuerit cauſata, ut ex febri, niſi ex maleficio cauſata ſit, non eſt locus huic pœnæ, Carena *p.* 2. *tit.* 12. *à nu.* 268. ac Delben. *dub.* 228. *ſect.* 28. Salell. *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 500.

Si verò ex maleficio mors ſequuta fuerit, ſed maleficus non inierit pactum cum dæmone, aut dæmonem non adoraverit, ut qui uſus fuerit ſortilegio ſibi ab alio tradito, hunc nihilominus tradendum eſſe brachio ſeculari vult Delrius *libro quinto, magie. ſect.* 16. Quia plus eſt occidere hominem veneno, ſive maleficio, quàm ferro *l.* 1. *C. de malef.* At verò ex jure Canonico hic ſortilegus homicidæ extra caſum Conſtitutionis Gregorianæ non traditur Curiæ ſeculari, ſi pœniteat, & paratus ſit corrigi, Farinac. *quaſt.* 20 *num.* 105. Menoch. *de arb. caſ.* 388. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 10. Salell. *lib.* 6. *cap* 8 *n.* 499. Poſſent tamen eſſe tales circumſtantiæ hujus maleficii, ut ex ſupremi Tribunalis S. Officii arbitrio hic ſortilegus homicida tradendus eſſet Curiæ ſeculari. Similiter, etſi mandans hujuſmodi ſortilegium mortiſerum fieri, non comprehendatur ſub pœna d. Conſtitutionis, puniri tamen debet pœnis juris communis canonici, Carena *d. tit.* 12. *numer.* 271. Salell. 6. *cap.* 8. *num.* 516. cum Torrebl. *de mag. lib. cap.* 13. Diana *d. p.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 10. Souſa *lib.* 1. *aph. cap.* 58. *à n.* 14.

In caſu etiam Conſtitutionis Gregorianæ, quod ſortilegus homicida non poſſit per Judices inferiores tradi brachio ſeculari ex indiciis indubitatis, ſi plenè non conſtet de delicto, ſed hoc tantum ſit arbitrarium ſupremo Tribunali S. Officii, dixerunt Carena *d. tit.* 12. *n.* 264. & Salell *lib.* 9. *cap.* 8. *num.* 10 qui etiam adducunt exempla Tribunalium ſupremorum, quæ ex indiciis indubitatis in delictis atrocibus reos in pœnam ordinariam damnarunt.

Si verò ex maleficio non ſequatur mors, ſed tamen ſequantur infirmitas, divortia, impotentia generandi, ſive animalibus, frugibus vel aliis fructibus damnum notabile, & pariter ſortilegus pactionem fecerit cum dæmone, & à fide apoſtataverit, debet in cuſtodias muro includi, aut perpetuo carcere in S. Officio detineri ex ejuſdem Gregorii XV. Conſtitutione, ut per Carenam *d. tit.* 12. *num.* 257. Salell. *d. cap.* 8. *nu.* 516. Aſt ubi maleficus pactum expreſſum cum dæmone non fecerit, vel non apoſtataverit à fide, non ſubditur pœnæ illius Conſtitutionis, ſed prout aliàs de jure puniendus eſt. Non excuſatur verò ab omni pœna ille, qui deceptus à dæmone, ab eo accepit vel pulverem, vel aliud ſimile, ſed inutile, ad maleficium, & illo uſus fuerit ac ſi eſſet utile, ſed puniri debet, nam ipſe, quod ad ſe, maleficium attentavit.

Quodammodo etiam, uti homicida tenetur ſortilegus, qui viris, aut mulieribus naturalem vim generandi impedit, aut efficit, ne mulier concipere poſſit, aut gravida parere, vel ut lac deficiat, aliave hujuſmodi maleficia intra, vel extra corpus conficit, *cap. etſi quis*, ibique Doctores *de homicid. l. ſiquis aliquid, §. abortionis, ff. de pœn.* Farinac. *q.* 20. *numer.* 102. Salell. *d. cap* 8. *n.* 498.

Quintus caſus eſt Aſtrologorum, qui faciunt judicia de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, vel de vita, & morte ſummi Pontificis, aut ejus conſanguineorum uſque ad tertium gradum. Hi enim pluribus pœnis, ac etiam pœna mortis puniuntur in terminis Conſtitutionis Urbani VIII. quæ incipit, *Inſcrutabilis*, exceptis Epiſcopis, ac Prælatis ſuperioribus. Omnes verò ſunt excommunicati ac privati dignitatibus, & officiis, ut *alibi* diximus.

Generaliter autem de ſortilegiis loquendo, pœna illis debita eſt arbitraria. Diſtinguendum tamen eſt inter ſortilegia qualificata, quæ ſapiunt hæreſim manifeſtè, ac ſortilegia ſimplicia. Quod autem ad prima Ghirlandus *de ſortil. quaſt.* 11. exiſtimat, quod ſortilegi hujuſmodi puniendi ſint, ut hæretici. Quod omnino eſt contrarium communi ſenſui Doctorum & praxi, cùm iſti niſi fateantur tenuiſſe hæreſim, quam ſapiunt, non ut hæretici, ſed, ut ſuſpecti de hæreſi, puniri debent.

Ex praxi verò S. Officii ſortilegi hæreticales, ſi ſint perſonæ ignobiles, damnantur ad triremes in quinquennium, vel ſeptennium, Zanard. *in ſum. p.* 1. *cap.* 5. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 10 Carena *p.* 2. *tit.* 12. *num.* 257. Genuen. *in pr. cap.* 68 *num.* 8. Salell. *d. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 8. Et ita in his ſortilegiis arbitrium regulari debet vel ex majori, vel ex minori damno ſequuto ex ſortilegio, vel ex majori, ac minori abuſu rerum ſacratum, vel ex conditione perſonarum. Obſervandum etiam eſt, an ſortilegi ſint relapſi in ſortilegia, anve admoniti noluerint emendari Nam, ut habetur *in can. cum Idolorum* 26. *qu.* 5. ex *D* Gregorio *lib.* 7. *epiſt* 66. *ad Jannarium, iſti ſi ſervi ſint, verberibus, cruciatibuſque, quibus ad emendationem pervenire valeant, caſtigari, ſi verò ſint liberi, incluſione digna, diſtrictaque eſſe in pænitentiam redigendos.* Et *in can. Epiſcopi ead. cauſ. & qu. ex Concilio Ancirano, Epiſcopi &c. ſi aliquem virum, aut mulierem hujuſmodi ſceleris ſectatorem invenerit, turpiter dehoneſtatum de parochiis ſuis ejiciant.*

Mulieres verò flagellis mulctari debent, idque pluries, & ne, ſi relegentur, detur illis occaſio exercendi maleficia, potius ad carceres damnandæ ſunt vel perpetuo, vel ad tempus. Vel, ſi expediat illas ejicere à diœceſi, ablegandæ ſunt, & in ea loca producendæ, in quibus eſt Tribunal S. Officii, cum onere, ut ſemel in menſe coram Inquiſitore ſe ſiſtant. Lamiæ verò, quæ in ludis dæmoniacis apoſtatarunt, aliaque nefanda ſcelera perpetrarunt,

ſunt, pœnis apoſtatarum puniuntur. An autem iſtæ damnandæ ſint, ut relapſæ Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 8. *pun.* 16. §. 7. *num.* 3. ex inſtructione Madriliana edita anno 1613. cenſet eas pluries, tertiò, & quartò admittendas eſſe ad reconciliationem. Sed Carena *eo tit.* 12. *num.* 257. judicat, conſulendum eſſe ſupremum Tribunal S. Congregationis. Quod & nos non abnuimus.

Si verò ſortilegi ſint Eccleſiaſtici gravius puniuntur. Sic Sacerdotes, qui doloris cauſa ſpoliant aras, & extinguunt luminaria conſueta, vel quid ſimile faciunt, honore ac dignitate privantur, ac ita efficiuntur infames, *can. quicunque* 26. *qu.* 5. ex Concilio Toletano 15. Similiter ſi ſacerdos, ſumpta veſte lugubri miſſas defunctorum celebrat pro viventibus, ut moriantur, à proprio gradu ordinis dejicitur, & perpetuò relegatur unà cum conſulente & mandante *d. can. quicunque*, Ghirland. *de ſortileg. d. q.* 11. Menoch. *de arb. d. caſ.* 388. Farinac. *qu.* 20. *num.* 106. *& ſeq.* Souſa *lib.* 1. *aph. cap* 58. *num.* 12. Et pariter Sacerdos, qui celebrat miſſam ſcienter ſuper rebus aptis ad ſortilegia, vel qui veſtibus, aut vaſibus ſacris in ſortilegiis abutitur, aut qui in celebratione miſſarum nefandas preces effundit, deponitur, beneficiis privatur, & in perpetuum carcerem detruditur, Ghirland. *d. q.* 11. Menoch. *ibid. num.* 12. *&* 14. Farinac. *d. qu.* 20. *numer.* 107. *ac ſeq.* Souſ. *d. cap.* 58. *num.* 13. In his tamen multum deferendum eſt arbitrio Judicis. Nam quæ à Gratiano referuntur *ea cauſa* 26. *qu.* 5. ex Conciliis provincialibus, non habent vim legis extra illas provincias, totam Eccleſiam obligantis, quamvis magni facienda ſint, & vim directivam contineant, obſervandumque in his eſt, quod habet D. Gregorius *d. epiſt.* 66. *ad Januarium*, & refertur *eadem quæſt.* 26. *d. can. Cum Idolorum*, ut ſcilicet ſi hujuſmodi ſortilegi pœniteant, nec ſint pertinaces, mitius puniantur, ſeverius verò ſi admoniti ac mitius jam puniti, iterum in facinore perſiſtant.

Si autem ſortilegia ſint ſimplicia, nec ſapiant hæreſim manifeſtè, ut plurimum puniuntur pœnitentiis ſalutaribus; ſed tamen pro qualitate delicti aliquando puniuntur etiam vel pœna pecuniaria, vel pœna carceris in menſes, vel pœnitentia publica levi, ut quod ſtent præ foribus Eccleſiæ die feſto, ut per Zanard. *p.* 2. *cap.* 134. & Caren. *d. num.* 358. Attamen Souſa *d. cap.* 58. *num.* 15. *poſt Menochium d. caſ.* 388. Suarez *d. cap.* 19. *num.* 13. & Farinac. *d. qu.* 20. *num.* 93. ait hujuſmodi ſortilegos, ſi ſint Laici pro prima vice excommunicari, & ab Eccleſia arceri, & ſi in eiſdem ſortilegiis perſeverent, ſi ſint perſonæ viles, verberibus plectuntur, ac infami mitra dehoneſtari. Si verò ſint perſonæ honeſtiores, relegari, vel perpetuo carceri mancipari. At profectò excommunicatio, propriè dicta, ut eſt cenſura, non fertur pro delicto præterito, maximè contra pœnitentem. Aliæ verò pœnæ locum planè habere poſſunt ad arbitrium, ſpectata qualitate criminis, ac pertinaciæ. Nam ſi ſortilegium hoc ſimplex ſit maleficium, conſiderari debet qualitas damni illati, & ad illius rationem pœna imponi, etiam pro primo lapſu, quæ augeri poſtea debet, ſi ſortilegus relabatur. Poteſt etiam, ſi viſum fuerit neceſſarium, præcipi ſortilego ſub pœna excommunicationis, ut abſtineat in futurum.

Si verò ſortilegus iſte ſit Clericus, & uti homo ſimplex committat ſortilegium non qualificatum, ſuſpendi debere per annum à divinis, & à miniſterio altaris, ita tamen ut, elapſo anno, ad priſtinam adminiſtrationem ipſo facto revertatur, quia *d. cap.* 2. *de ſortil.* ita punitus fuit clericus, qui ad inveniendum furtum rei Eccleſiæ uſus fuerat aſtrolabio, tradunt Menoch. *d. caſ.* 388. Farinac. *q.* 1. *&* *qu.* 181. *de hæreſ. num.* 51. Souſ. *d. cap.* 58. *num.* 10. Sed ſi dolo malo aliquod ex his ſortilegiis faciat, deponendum eſſe ab Ordine ſacro, & privandum beneficiis, ac perpetuo includendum in monaſterio, & verbaliter degradandum, ac effici infamem, docent iidem autores.

At certè nimis durum, nec veri ſimile eſt, quod pro ſortilegio non continente, niſi levem ſuſpicionem de fide, nec inferente grave damnum, puniatur Clericus ea pœna, qua punitur, ſi eſſet hæreticus formalis, nimirum depoſitione, carcere perpetuo, ac verbali degradatione. Nec Doctores, qui citantur à Farinacio, vel ab aliis, loquuntur abſolutè de ſortilegio ſimplici ac præſertim Suarez *d. cap.* 19. *num.* 11. non eſt illius ſententiæ. Ibi enim ait, quod Clericus ſortilegus regulariter punitur aliqua ſuſpenſione, & ex Panorm. *in d. cap.* 2. 2. *n.* 3. *de ſortil.* advertit, quod pro ſortilegio aliquando imponitur levior pœna, aliquando gravior juxta qualitatem delicti, & propterea quod poſſit privari beneficio. Cumque Buttrius *in cap. at ſi Clerici de judic. ſenſerit*, Clericum propter hoc crimen deponi, & tradi brachio ſeculari, allegans ad id *can. admoneant* 26. *q.* 5. obſervat idem Suarez, quod Gratianus refert illum canonem ex Auguſtino, apud quem non invenitur. Et licet habeatur in Concilio Turonen. 3. 1. 42. attamen, ut notatur etiam in novis codicibus Gratiani, in Concilio illo non leguntur verba illa quæ pœnam illam conſtituant, nempe: *& ſi quis hæc exercuerit, Clericus deponatur, laicus anathematizetur.* Ideoque ſententia illa Buttrii meritò rejicitur à Panorm. *in d. cap. at ſi Clerici num.* 37. & communiter exploditur, cùm *in eo can. admoneant* nulla fiat mentio de actuali degradatione, ſive traditione Curiæ ſeculari.

Verum quidem eſt, quod in Toletano Concilio 4. *cap.* 18. dicitur, quod Epiſcopus, vel Clericus conſulens aruſpices, ariolos &c. deponatur, & non dicitur, quod ſit ſuſpenſus, ut refert Gratianus, ac idem Suarez advertit, & additur etiam pœna perpetuæ pœnitentiæ in monaſterio. At ſemper advertendum eſt, leges Conciliorum provincialium non obligare Eccleſiam univerſalem, etiamſi ſint inſertæ in decreto Gratiani ſecundum doctrinam Buttrii *in cap.* 1. §. *ſanè de conſtitut.* ac plures alios, quos adducit Barboſa *in proem. decreti num.* 4. Decreta enim Conciliorum, decretales, ac leges civiles à Gratiano volumini ſuo inſertæ, non aliam habent autoritatem, quàm leges ipſæ, decreta, vel decretales, ut notant Jo. Andreas, & alii poſt eum *in cap.* 1. *de reſcript.* & *in addit. ad Specul. tit. de apell.* §. *in quibus*, ac proinde ſi inſerat in volumine leges correctas, vel contrarias, non cenſentur approbatæ, nec canonizatæ, ut notat Gloſſa *in cap. novit. de judic. in cap.* 1. *de reb. Eccleſ. non alim. l.* 6. *& in can. in primis* 2. *q.* 1. Illæque tantum leges cenſentur canonizatæ, quæ à Papa canonibus inſeruntur, *ut in d. can. in primis*, & tradit Præpoſ. *in proem. decreti num.* 2. poſt Archid. *in can. quicunque* 11. *q.* 1.

Etenim Concilia provincialia non habent juriſdictionem ferendi leges univerſalem Eccleſiam obligantes, quas ſolus Pontifex ferre poteſt, *Cajet. opuſc. de poteſt. Papæ tom.* 1. *opuſc. tr.* 1. *capit.* 12. Unde leges Conciliorum provincialium, etiam confirmatæ à Pontifice, non obligant extra ſuas provincias, quia confirmatio legem non extendit, Fagnan. *in capit. Canonum ſtatuta numero* 15. *de conſtit.* poſt Bald. *in l.* 1. *Cod. ſi adverſus rem judicat.* Paul. *de Caſtro conſil.* 187. *libro ſecundo, deciſion.* 175. *numero* 8.

par.

p. 5. rec. & dec. 58. num. 30. p. 6. & dec. 267. num. 1. coram Gregorio XV.

Nec dici poteſt, quod leges Conciliorum provincialium ſint leges univerſales ex eo, quod ſunt inſertæ in decreto Gratiani, quod fuit approbatum à Gregorio XIII. in Conſtit. *Cum pro munere*, ipſi Decreto præmiſſa, & quod Gratiani Decretum eſt pars corporis juris Canonici, & quod tandem contenta in illo Decreto veniunt ſub nomine Sacrorum Canonum. Nam potius ex Conſtitutione illa Gregoriana probatur oppoſitum. Diſtinguenda enim eſt illa Conſtitutio in partem narrativam, & in diſpoſitivam. In diſpoſitiva ſummus Pontifex ſolum prohibet, ne decretum Gratiani cum Decretalibus, Sexto Clementinis, & Extravagantibus imprimatur per decennium, niſi Romæ in officina impreſſoria Populi Romani, nihilque penitus habet, quo contenta in Decreto Gratiani eleventur, ut ſint leges univerſales catholicam Eccleſiam obſtringentes. In narrativa vero refert datam fuiſſe operam ex zelo veritatis ac fidei adque evitandum errores, fidei contrarios, ut Decretum, aliique libri juris Canonici emendarentur, expunctis perfidorum annotationibus, & quod Decretum, librique alii juris Canonici fuerunt emendati, & approbati à nonnullis doctrina, & pietate inſignibus viris. Conſtat igitur, quod emendatio fuit ab erroribus, & approbatio fuit doctrinalis, ut ſcilicet libri nihil contineant contra fidem, ac bonos mores, ſanamque doctrinam. Quæ approbatio nullam vim habet conſtituendi approbata in leges & alligandi Eccleſiam univerſalem, ſi id aliunde non habent. Dicitur verò Decretum pars corporis juris Canonici, & ut tale à Pontifice nuncupatur, non quod omnia contenta in illo ſunt leges Eccleſiaſticę univerſales. Certum enim eſt, leges Civiles in Decreto inſertas, non eſſe, neque haberi pro legibus Eccleſiaſticis. Sed quia in Decreto continentur innumeræ Leges Pontificum, & Conciliorum generalium, quę totam obligant Eccleſiam. Alia verò quę vel è Sanctis Patribus, vel è Conciliis provincialibus decerpta ſunt, maximè juvare poſſunt ad explicandum jura, & ad dirigendum arbitrium Prælatorum, ac Judicum, & ad fidelium inſtructionem. Ideoque dicuntur Canones Sacri in lata quidem ſignificatione, & tum quia decreta Conciliorum provincialium ſunt leges Eccleſiaſticę in ſuis provinciis obligantes. Et quia verbum canon maximè convenit regulis doctrinalibus. Unde in Concilio Tridentino regulæ fidei Canones appellantur. Proinde Judices fidei optimè quidem facient, ſi leges Conciliorum Provincialium in Decreto inſertas venerentur, ac illis ſe regant, non tamen illis alligantur adeo, ut nequeant, ſi juſtum exiſtimaverint, aliter arbitrari. Præcipuè verò cùm illæ leges latæ fuerint, conſideratis locorum qualitatibus, ac circumſtantiis Provinciarum, illorumque temporum in quibus editæ fuerunt, præſentium autem temporum conditio, aliorumque locorum circumſtantiæ ſæpe aliud exigant. Eoque magis, quod pleraque decreta Gratiani, vel non inveniuntur in locis citatis, vel non ſunt ex illis fideliter relata, quamvis id non evenerit culpa, vel cauſa Gratiani, ſed Codicum quibus Gratianus uſus eſt.

Itaque non negamus, quod crimen ſortilegii eſt gravius in Clerico, quàm in laico, immo fatemur, quod urgentior eſt ſuſpicio hæreſis in ſortilegio commiſſo à Clerico, quia majorem notitiam tenetur, ac præſumitur habere quod ſortilegia ſunt opera dæmoniaca, ideoque Clericus ſortilegus gravius puniri debet. Sed tantum aſſerimus, qualitatem pœnæ eſſe arbitrariam, ut ex Panormitano, & Suarez dictum eſt, eſſeque poſſe, quod etiam pro ſortilegio ſimplici poſſit Clericus privari beneficio ac deponi, attenta ſortilegii qualitate. Nam, ut notat Panormit. *in d. cap. 2. de ſortil.* pœna ſuſpenſionis ibi poſita non eſt ordinaria, ſed extraordinaria, & data intuitu ſimplicitatis ac boni zeli illius Clerici. Pro ſimplici tamen ſortilegio regulariter ſufficit ſuſpenſio ab officio ad tempus arbitrio Judicis.

De jure verò Civili contra ſortilegos ſtatuta eſt pœna mortis, ut ferè toto *titul. de malef. & mathem.* Sed Leges hujuſmodi punire videntur damna, quæ malefici Reipublicæ, ac privatis hominibus inferre ſolent. Circa quas leges cavendum eſt, quod in illis continetur, non eſſe dignos ſupplicio eos, qui ſortilegiis utuntur ad medendum corporibus, & impedienda nocumenta frugibus. Siquidem Chriſtiani Imperatores conceſſiſſe videntur, ut à magis contra morbos veneficos auxilia petantur, ut patet *ex l. eorum C. de malef. & mathem.* ubi incantationes contra imbres, grandines, ventos probantur. Et *in leg. partit. Hiſpan. Leg. ult. tit. 23. part. 7.* quod & Canoniſtæ quidam, Oſtienſis, Panormitanus, Goffredus, Humbertinus, & alii docent ut & Scotus *lib. 4. diſt. 34.* ubi ſcribit, ſuperſtitionis eſſe, ſiquis ſtatuat non eſſe maleficium ſuperſtitione depellendum. Et ex Sprengero *in malleo maleficar.* referunt, Epiſcopum quendam in Germania ægrotantem, cùm è vetula ſaga cognoviſſet, ſe ex maleficio ægrotare, nec aliam recuperandæ valetudinis viam eſſe quàm ut eadem ſaga veneficio periret, quæ ipſum veneficio affecerat conſuluiſſe virum doctum, qui reſpondit ex duobus malis fugiatur majus. Sagam dixiſſe, cùm Epiſcopo placeat ſe illud effecturam. Sic media nocte reſtitutum fuiſſe Epiſcopum, ſagam verò, quæ eum faſcinaverat, in morbum, ex quo obiit, incidiſſe.

Verùm error in fide eſt aſſerere, quod liceat ſortilegium per aliud ſortilegium tollere. quia dęmonis invocatio de ſe illicita eſt, & virtuti religionis contraria, ideoque de fide certum eſt, non licere uti ſortilegio ad tollendum maleficium, vel aliud ſortilegium; ſed illæ leges permiſſionem, ſive non punitionem continent. quod aliquando Legislatores faciunt intuitu boni communis, quando delicta non ſunt contra juſtitiam, nec contra publicam pacem. Et in hoc ſenſu intellexerunt leges illas Bartolus, & Salicetus *in d. lib. eorum*, ac Lopez *in d. leg. ult.*

Unde ſaniores, ac prudentiores iſtam curam plane improbant, & ut docti viri annotarunt legem illam Conſtantini lege recentiore ſuſtulit Leo Imperator *conſtit. 35. de incantator pœn.* Etenim cum ſagę mediis illis, quæ adhibent, nihil præſtent, ſed dęmon illa omnia efficiat, in curatione eodem modo ſe ſe res habet, nec ipſæ Sagę aliquid præſtant, ſed dęmon ideoque qui ſagarum, ſive ſortilegorum, ac veneficorum opem hic implorat, ipſius dæmonis opem implorat. Non verò dęmonis opem implorandam eſſe, jam antea probatum, nec facienda mala, ut eveniant bona, ſed potius mors homini chriſtiano ſubeunda, quàm vita ligaturis redimenda ex Chryſoſtomo *homil. 8. in epiſt. ad Colos.* Unde tam ſeverè Deus Levit. 20 prohibuit Magos conſulere, *anima, inquit Dominus, quæ declinaverit ad Magos, ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, exſcindam eam de medio populi mei.*

Itaque, ut ſuo loco, cum de magia tractabimus, dicetur, ſi remedia naturalia non proſint, ab uno Deo auxilium petendum, qui, ſi vult, ſemper juvare poteſt, ſi non vult, in ejus auxilio acquieſcendum. Et licet interdum media, quæ à dęmone adhibentur illicita non videantur, quia tamen à dęmone proveniunt, nullo modo uſurpanda. Ita refert autor *Sagar. dæmonom. lib. 3. capit. 5.* quan-

dam Barbaram Dorcam confeſſam eſſe, ſe iis, quos faſcinaverat, medicinam feciſſe diſciſſa columba & ægrotantis ſtomacho impoſita cum his verbis: In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, D. S. Antonii, & S. D. S. Michaelis Angeli curari poſſis ab hoc malo, & mandaviſſe, ut novem diebus miſſam in templo vici illius curarent celebrari. Verùm cùm eadem faſſa ſit, ſe remedium iſtud à Satana didiciſſe, omnino ut ſuperſtitioſum & blaſphemum rejiciendum. Et licet Sagæ Satanæ ope ægros curent, ſeriò tamen nunquam Satanas hominibus prodeſt, vel prodeſſe cupit, ſed etiam cùm bene facere videtur, alio modo iis nocet. Tollit nimirum morbum ab hoc, & immittit alii. Sanat corpus ut animam ſibi devinciat, ac perdat. Sanat unum, ut plures eidem impietati ac ſuperſtitioni implicet. Id, quod etiam in curatione Epiſcopi illius, cujus modo mentio facta eſt, accidit. Cùm enim antea ſolum illa Saga, quæ Epiſcopum faſcinaverat, ſceleris illius rea eſſet, poſtea factum eſt, ut & Epiſcopus vir ille conſultor & Saga, quæ morbum in primam Sagam immiſit, ejuſdem ſceleris participes facti ſint. Interim Saga illa, quæ mortua eſt, nunquam reſipuit, ſed ad extremum vitæ halitum ſe recuperandæ valetudinis gratia dæmoni commendavit. Et omninò certum eſt veneficas, dum morbos tales depellere volunt dæmonem venerari, vultuque in terram demiſſo ejus opem expreſsè implorare, ut aliquot hiſtoriis probat idem autor *libro tertio, capite quinto, Summa.* Cum Sagæ ac ſortilegi, quidquid faciunt, dæmonis ope præſtent, non fas eſt, alium ad peccandum vel perſuadere, vel cogere, nec dæmonis opem, ſeu immediatè, ſeu per alios implorare. *Nunquid enim non eſt Deus in Iſrael, ut ad Beelzebub eatis* inquit Dominus? 2. *Reg.*1.

Verum diſtinguunt hic quidam, & putant, non licere, ut veneficæ, vel ſortilegi precibus flectantur, ut tollant veneficia, fas verò eſſe, ut minis, verberibus, & violentia adigantur, ut morbum, quem intulerunt, depellant. De qua re pluribus agit Nicol. Remigius *lib. 3. dæmonol. cap.* 3. ubi ſtatuit, multum intereſſe, an vi, an precario aliquid à venefico auferas, & conſequare. Illud enim contemptum ac dedignationem, hoc admirationem, obtemperationem. animumque ſe ſuppliciter dejicientem ac demittentem ſignificare. Additque porrò, potius ipſam mortem ferendam eſſe, quàm ad tam horrendum ſacrilegium adduci nos ſinamus, ut quaſi ſupplices, venerabundique à dæmone opem imploremus, cùm Deus ſolus ſit colendus atque obſecrandus, utque is ſit Zelotes, qui non patitur quicquam de gloria ſua decerpi, delibatique, quod alteri adſcribatur. At quod venefica adigi poſſit, ut morbum, quem induxit, auferat, aliquot hiſtoriis probat, idque licere exiſtimat. Neque enim hic ullas blanditias, & preces, ac venerationem accedere, neque ſagam, verberibus pulſatam, habere quo glorietur, ipſumque dæmonem, quaſi obtorto collo à noxa retractum, amiſſa præda, in fugam verſum, deriſum, ſpretumque, ac nihil penſum ſe agnoſcere. Et rem perinde ſe habere putat, ac ſi quis furto ſibi ablatam rem à fure per vim auferat, aut ab hoſte arcem occupatam armis recuperet. Tandemque concludit, ſiquis fidenter, atque intrepide, uti hominem nullius malæ rei conſcium, & Dei nixum præſidio decet, Satanam, & maleficam mulierem adoriatur vi, miniſque cogat, ut ab injuria, ac maleficio temperet, lædere ceſſet, atque abſtineat, corpore faceſſat, eum nihil illiciti facere.

At ipſe Remigius planè negare non poteſt, eum, qui ita morborum liberationem à maleficis per vim extorquere conatur, non omnino culpa vacare, quia illorum opera, miniſteriumque intercedit, quæ cauſam aliquam impietatis habere videntur. Etſi verò culpam iſtam ita extenuat, ut eum expertem eſſe putet illius, quæ Deum hominibus adeo infeſtum reddit, pactionis cum dæmonibus; tamen ea colpa non ita levis videtur. Nam & hic, & dum vi adiguntur Sagæ, ut morbum tollant, à dæmone auxilium ſperant. Etenim ſicut morbi talea à ſagis non inducuntur, ſed omnia, quæ ipſæ agunt, vana & futilia ſunt, dæmon verò omnis mali autor eſt, ita ipſæ morbum tollere non valent, ſed dæmon illum tollit. Interim Sagæ coguntur, ut dæmonem honorent, & ejus auxilium implorent. Immo ipſe, qui Sagam cogit, dæmonem honorat, quia credit, ipſum poſſe morbum hunc curare, cùm optimè norit, ſagam hoc non præſtare, nec media ab ea adhibita. Ideoque dæmoni hic honor gratiſſimus eſt, & non tam injuriis, quæ mancipiis ſuis inferuntur, offenditur, quam hoc honore delectatur, & proinde qui hoc modo ſanari cupit, implicito pacto cum dæmone ſe commiſcet, cùm cogat veneficum iſta facere vi pacti, quod cum diabolo iniit. Et propterea dæmon non coactus id facit, cùm nulla poteſtas ſit in terra, quæ dæmonem cogere poſſit, quod Deus ipſe de eo Jobi *cap.* 41. *v.* 24. ſub nomine Leviathan teſtatur.

Hinc experientia conſtat, quod dæmon non cedit, neque juvat, niſi cùm putat, ſe plus nocere poſſe. Id, quod ipſe Remigius negare non poteſt, dum eodem loco ſcribit, nunquam eſſe ſolidam gratiam, aut plenum, integrumque beneficium, quod conferunt dæmones, ſed ſtatim vel aliquali, vel graviori aliqua injuria, atque incommodo luendum eſſe ei, qui impetravit, & unius ſalutem alterius interitu conſtare. Id, quod non ſolum de beneficio, ſi ita rectè appellari poteſt, ſed etiam vi impetrato verum eſt. Sicut & id confitetur, nihil ad curationem conferre, quæ Sagæ, etiam vi ac verberibus coactæ, exterius adhibent morbis à ſe immiſſis remedia, ſed vel ea prætexi quaſi integumenta veneficii, quod vetitæ legum ſeveritatem, occultant, ut cum herbas, balnea, unguenta, aliaque, quæ in uſu quotidiano habent homines, quibuſque, quæ videntur, vires certæ nullæ ſunt adhibent, vel excogitari ad infeſtandos ſuperſtitione mortalium animos, veluti cùm ad votivas peregrinationes, vel donaria adducunt, vel denique adhiberi ad convellendam, labefactandamque ſpem, ac fiduciam, quam in uno Deo defixam nobis eſſe oportuit. Summa: qui etiam ſagas vi cogendo à morbo liberari cupit, auxilium non à Deo, ſed à dæmone quærit & ſpectat. Neque eſt, ut quis ſibi perſuadeat, non eſſe alia remedia. Dantur enim alia, de quibus alibi. Eſt Deus dæmone potentior. Et ſi nulla ſpes ſupereſſet, præſtaret tamen mori, quàm per peccata ſanari, cùm ſalus animæ corporis ſaluti præferenda, Deique gloria, quæ hic negligitur, omnibus anteponenda ſit. Et qui amat animam ſuam plus, quam Deum, perdit eam. Et longè alia eſt ratio, ſiquis rem furto ablatam furi abripiat. Vis enim ea jure conceſſa, ac in hominis poteſtate eſt. At maleficium maleficio ſanare, & dæmonis ope ſanari velle, illicitum. Tandem plus peccat, qui cogit invitum, quàm qui orat parentem.

In quibus omnibus, etſi non conſentiat Martinus Delrius, tandem tamen nonnihil à veritate declinare videtur, dum *libro ſexto, diſquiſ. magic. cap.*

cap. 2. ſect. 1. qu. 2. concluſ. 4. ſcribit, quod poſſit maleficus induci, ut per modum aliquem licitum tollat maleficium. Et *concluſ.* 5. quod liceat à maleficio petere, ut illum nimis ac levioribus verberibus cogere, ut maleficium tollat, quandocunque probabiliter credo, illum ſine maleficio, modo aliquo licito id facere poſſe, quandocunque non ſum moraliter certus, quod utetur modu illicito. Et ſenteoriam hanc communem eſſe dicit Henrici, Scoti, Cajetani, & aliorum, quos ibi citat. Verum talia tentare, periculo non vacare, diffiteri non poteſt; ideoque addit cautelam ex Cajetano, ut quis expreſſe proteſtetur, ſe nihil commercii cum dæmone habere velle. Si quis tamen ab ipſo, qui nocuit, medelam petat, fortaſſis, abſolutè loquendo, non eſſe neceſſarium, addere illam proteſtationem, exiſtimat, ſed ſufficere, abſolutè petere, ut nocere deſinat. Quia res, quæ petitur, bona & juſta eſt, nempe non nocere proximo, & poteſt, ac tenetur; maleficus id licito modo facere, nempe per medium aliquod naturale, vel per ſigni deſtructionem.

Verumenimvero, ſi in poteſtate malefici abſolute eſſet, amplius non nocere, licet id ab eo petere, ſed cum maleficus nihil egerit, ſed dæmon morbum intulerit, etiam in malefici poteſtate non eſt, morbum auferre, ſed neceſſarium eſt, ut id à dæmone impetret. Itaque proteſtatio eſt contraria facto, cùm qui à malefico id petit, à dæmone petat. A dæmone verò, ut amico, nihil petere poſſumus, cùm omnis cum eo familiaritas à Chriſto nobis interdicta ſit. Neque per modum imperii id obtinere poſſumus, cùm dæmon non nobis, ſed ſoli Deo ſubjectus ſit. Præterea quis certum me reddere poteſt, maleficum, ſeu qui morbum intulit, ſeu alium, mediis naturalibus, & licitis uſurum? Et ſi ſperem eum mediis naturalibus uſurum, cur non ab aliis, de magia non ſuſpectis, & quibus rerum naturalium vires rectius, quàm ſagis, perſpectæ ſunt, eadem auxilia petuntur? Alia ſuo loco.

Tandem advertendum, quod ſiquis non joco, aut per modum jactantiæ, ſed ſeriò ſe jactet, commiſiſſe aliquod ſortilegium, talis fortaſſe habendus eſſet pro confeſſo extrajudicialiter, eſſetque indiciatus ad torturam, ut per Pegn. *p.* 3. *com.* 110. & Caren. *d. tit.* 12. *num.* 359. ac in omni caſu arbitrio Judicis puniri debet pro jactantia, *cap. quam ſit grave de exceſ. Prælat.* Menoch. *de arb. caſ.* 331. & Caren. *d. num.* 159.

Reſtat modò, ut producamus leges, & exempla gentium, non ſolum in puniendis maleficis, ſed etiam divinis, & mathematicis.

Apud Scythas falſorum vatum pœnæ, eorum, quos ſua lingua vocant *Enaries* per virgas divinantium ſunt, ut pedibus implicatis, manibuſque poſt terga revinctis, atque ore deſtructo, eos extendant in medium ſarmentorum, quibus plauſtrum concameratum referserunt, deinde igne ſuppoſito comburant, trahentibus plauſtrum bobus, Herodot. *lib.* 4.

Inter Indos Sophiſtæ ſunt, ſeu Sapientes, nudi, qui vaticinantur. Aliis enim non licet de rebus publicis, non de privatis, ut de temporibus anni, & ſiqua publica calamitas immineat. Quicomque verò ter divinando à vero erraverit, huic nihil aliud pœnæ loco infligitur, quam quod ei deinceps ſilentium indicitur, nequam cuique licet ei, cui ſilentium imperatum fuerit, ad loquendum cogere, Arrian. *libel. rerum Indicar.*

Athalaricus Gothorum Rex in edicto: *Maleficos,* inquit, *vel eos, qui ab eorum nefariis actibus aliquid crediderint expetendum, legum ſeveritas inſequatur, quia impium eſt, vos illis eſſe remiſſos, quos cœleſtis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas eſt, Creatorem vitæ relinquere, & ſequi potius mortis autorem?* Caſſiodor. *lib.* 9. *var. cap.* 18. Philimerus item Rex Gothorum, qui conſederunt ad Mæotides paludes, cùm auſpicia ſui Imperii à morum reformatione ſumeret, magas mulieres patrio ſermone *Adelrunas*, de maleficio convictas, vel ſuſpectas, in remotas Scythiæ ſolitudines abire coëgit, ne earum commercio reliqua gens contaminata in nefarias operationes procliva collaberetur, Joan. Magn. Goth *lib.* 8. *hiſt Gothor. cap.* 24.

Mathematicos ab Urbis Romæ aſpectu exterminari præceperunt Theodoſius, & Valentinianus, ut nec præſentiæ criminoſorum contagione alii fœdarentur *in l. Manichæos de iis, qui contend. de relig. Cod. Theodoſ.*

Platonis autem lex *lib.* 6. *de legib.* quæ omnes ſpecies veneficiorum, & maleficiorum continet, quæ in Græcis exemplaribus extat, ſic ſtatuit. *Quiſquis aliquem veneno læſerit, ſi non lethaliter, neque eum ipſum, neque quemquam de ejus familia, ſed vel pecus, vel alvearia, ſeu neci dederit, ſeu aliter affecerit, quàm morte: ſi medicus ſit, & venefici fuerit convictus, extremo ſupplicio pœnam luito, ſin inſcius ſit, Judices quod ipſum aut pati, aut ſolvere par ſit æſtimanto, ſiquis autem vinculis, aut illectamentis, aut incantationibus, aut hujuſmodi quibuſcunque veneficiis nocenti ſimilis judicatus fuerit, ſi vatis ſit, aut prodigiorum Conſultor, moriatur, ſin earum artium expers, illud veneficium feciſſe pronunciatum ſit, de hoc quoque conſilium Judicum, num mulcta, vel morte afficiendus ſit, cenſeto.*

Mecænas, eques Romanus nobiliſſimus, inſtituens de Republica Octavium Cæſarem & hoc præceptum adjecit: *Neque contemptorem Dei, neque præſtigiatorem ullum toleratis. Neque magi ferendi ſunt omnino, qui cùm ſæpenumero etiam vera dicant, tamen frequentius mentiuntur, & novarum rerum tentandarum cauſam hominibus præbent*, Dio Caſſ. *lib.* 52. *hiſt.*

Carolus Magnus in Capitularibus *c.* 25. *de pace*, ait *De Incantatoribus, auguribus, vel divinatoribus, qui tempeſtates, vel alia maleficia faciunt placuit in Sacro Concilio, ut ubicunque deprehenſi fuerint, videat Archipresbyter diœceſis illius, ut diligentiſſima examinatione conſtringantur, ſi forte confiteantur malorum quæ geſſerint, ſed tali moderatione fiat eadem diſtrictio, ne vitam perdant, ſed ut ſerventur in carcere afflicti uſque dum, Deo inſpirante, ſpondeant emendationem peccatorum, & ut nullatenus per aliqua præmia à Comitibus, vel Centenariis abſque diſtricta examinatione remittantur.*

Siſenna Statillio, & L. Strabonio Conſulib. facta Senatuſconſulta de Mathematicis, Magiſque Italia pellendis, quorum è numero L. Pitnanius ſaxo eſt dejectus; in Publium Martium Conſules extra portam Exquilinam cùm claſſicum canere juſſiſſet, more priſco animadvertere. Pulſi autem Mathematici ob Libonem Druſum, qui infernas umbras elicuit, Corn. *Tacit. lib.* 2. *Annal.* Suetonius quoque *in Tiberio c.* 32. Tiberium expuliſſe Mathematicos tradit, ſed deprecantibus, ac ſe artem relicturos pollicentibus, veniam dediſſe.

Columella *de re ruſt. lib.* 1. *cap.* 8. in præceptis ruſticis, *haruſpices, ſagaſque qua utraque ſuperſtitione rudes animos ad impenſas, ac deinceps ad flagitia compellunt, ne admiſerit colonus.*

Scipio ſcorta & haruſpices caſtris expulit, quibus milites rebus adverſis territi utebantur, Suid. *in v.* (*ἐἰκῶνα*). Julius Paulus *lib.* 5. *recept. ſent. Qui de ſalute,* inquit, *Principis, vel de ſumma Reipublica mathe-*

maticos, ariolos, haruſpices, vaticinatores conſuluit, cum eo, qui reſpoaderit, capite punitur. Idem etiam alibi *eod. lib. tit. ad leg. Cornel. de ſicar.* magicæ artis conſcios ſummo ſupplicio affici, hoc eſt, aut beſtijs ſubjici, aut cruci ſuffigi; ipſos autem magos vivos exuri; libros item magicæ artis apud ſe neminem habere licere, & eos penes quoſcunque reperti ſint, bonis ademptis, combuſtiſque his publicè, in Inſulam deportari, humiliores capite puniri. Et non tantum, inquit, profeſſio hujus artis, ſed etiam ſcientia punita eſt. Hoc prætextu, quod magam criminarentur Angli, & ut veneficam, Joanna puella virgo quæ auxilio fuerat Carolo Regi Francorum, in Compendii civitate capta, viva juſſu Samleretenſis ducis exuſta eſt, Polyd. Virgil. *l.23. hiſtor. Angl.*

Mitiores leges ſecundum hæc tempora videntur, quæ olim inter Salicos, & Ripuarios contra maleficos poſitæ erant, graviores certè tunc, cùm audiendi facultas tanta, ut nunc eſt, non erat, & plus reverebantur homines pecuniarias pœnas, quàm nunc capitales. Proinde in Salica *lege tit. de malef.* §. 2. hæc: *ſi qua mulier alteri, ut infantem habere non poſſit, maleficium fecerit, duorum M. denariorum, qui faciunt ſolidos 62. cum dimidio culpabilis judicetur.* Et rurſum *in § fin. eod. tit. ſiquis alteri aliquod maleficium ſuperjactaverit, ſive cum ligaturis in aliquo loco miſerit, duorum millium denariorum, qui faciunt ſolides 62. cum dimidio culpabilis judicetur.* Et in legibus Ripuariæ *tit. 81. §. 1. de maleſic. ſi quis vir, ſeu ſiqua mulier Ripuaria per venenum, ſeu per aliquod veneficium aliquem perdiderit, Virgild componat.* Et turſum *§. 2. eod. tit. Si non mortuus fuerit inde, ſed debilitatus 100. ſolidos ſolvat.*

In Codice legum Vuiſigothorum ſic etiam ſcriptum eſt: Ut ſive ingenuus, ſive ſervus utriuſque ſexus, qui in hominibus, vel brutis animalibus omnique generi, quod mobile eſſe poteſt, ſeu in agris, ſeu in vineis, diverſiſque arboribus, maleficium, aut diverſa ligamenta, aut etiam ſcripta in contrarietatem alterius excogitaverit facere, aut expleverit, per quod alium lædere, vel mortificare, aut obmuteſcere velit, aut damnum, tam in corporibus, quàm in univerſis rebus feciſſe reperiatur, ducentis flagellis publicè verberetur, bona confiſceutur, recludatur, &c. *lib. 4. §. 1. & 3. de maleſic. lib. 6. Cod. Viſigoth. tit. 2.*

Tiberius Cæſar, etſi Thraſillo aſtrologo peritiſſimo quotidie uteretur, ac ſingulis diebus vaticinia acciperet, tamen re accuratè conſiderata, cùm aliquando per ſomnium viſus fuiſſet cuidam pecuniam dare, hominem interemit, quod intelligeret ſibi per magicam artem dæmonem immiſſum fuiſſe, reliquoſque omnes aſtrologos, magos, aut quicunque alio auxilio divinationes exercerent, exteros necavit, cives, quos prius Auguſti neglexerant, extorres fecit. Dio Caſſ. *lib. 57.* Auguſtus enim Octavianus anno 764. Interdixerat vatibus, ne abſentibus arbitris, vel coram aliis de morte prædicerent, idem *lib. 56.* Soranus, quod uſus artibus magicis diceretur opera filiæ ſuæ, factis Nerone ægrotante ſacrificiis, occiſus eſt, Dio *in Nerone.*

1. Addamus & pœnas, non ſolum ex legibus tantum humani juris, ſed etiam divini. Lex divina in primis jubet omnes maleficos, & incantatores interfici Levit. 20. verbis ſuperius relatis. Et iterum: *Vir, vel mulier, in quibus ſpiritus Pythonicus fuerit in eis, inquit Dominus ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi mei, vel divinus fuerit, moriatur, lapidibus obruent eos.* Et Deuteron. 18. v. 11. *Non ſit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones conſulat, nec divinos, &c. omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelus delebis eos.* Saul eraſit, dum probe imperabat, magos & ariolos, & pythoniſſas de terra, mortique adjudicavit 1. Reg. 28. licet poſtea ipſe improbus pythoniſſam conſuluerit. Quod ut ad mortem ejus, & in ſignum translationis regni in Davidem notat Sacra Scriptura 1. Paralip. 10. Quemadmodum ob conſultos divinos, & ariolos mortuum fuiſſe alium Regem Ochoſiam narrat 4. Reg. 1. Minatur Deus in Apocalypſi *cap. 9.* divino regno ſe expulſurum veneficos, & alibi per D. Paulum ad Galat. 3.

Jure Civili Conſtantinus Imperator aruſpices, Sacerdotes divinos, & eos, qui eis miniſtrant, jubet ab omnibus domibus excludi, aliter concremari, & eos, qui advocaverint ſuaſionibus, vel præmiis, bonis exutos deportari, *l. nullus C. de malef. & math* Et in Chaldæos, magos, alioſque maleficos, aruſpices, mathematicos, divinationis curioſos gladii ſupplicium decernit *l. nemo aruſpicem eod. tit.* Et pro confeſſione & ſi convincantur, equuleum, ungulas ſulcantes latera, aliaque tormenta ſtatuit, *l. & ſi excepta C. eod. tit.* nulla dignitatis habita ratione. Et lege Cornelia de Sicariis tenetur qui magicis ſuſurris uſus fuerit *§. item lex Cornelia de ſicar. de publ. judic. apud Juſt.* Sicut qui mala ſacrificia fecerit, habueritve, ut ait Modeſtinus *l. ex ſenatuſconſulto ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* cujus pœna mors, aut deportatio *l. 3. & l. pen. eod.* Morte etiam dignus qui ſe paganorum ſacrificiis polluerit *l. 2. 3. & 4. C. de pagan. & ſacrif. eor.* Quemadmodum & iſti divini & ſortilegi faciunt & magi qui adhuc eo ſunt deteſtabiliores, quod ſæpe ſanguine humano impiiſſima, & execranda ſua peragant ſacrificia, quemadmodum Didius Julianus Imperator à militibus Romanorum pretii addictione factus, plures pueros occidit cauſa magicarum artium, ut ſi forte quod futurum erat præcognoviſſet, poſſet avertere, Xiphil. ex Dione *in Didio Juliano.* Nam ſi veneno, vel pharmaco, vel alio modo necem conciliaverint, homicidarum pœnis puniendi ſunt, de quibus in criminibus de veneficis, & legis Juliæ de ſicariis, & alibi diſſerunt Doctores, & in ſingulis ſpeciebus poſtea illius vanitatis pœnas aliquas uſurpatas, annuente Deo, dicemus.

Canonico, quia Eccleſiaſtica diſciplina non infert pœnam mortis temporalis, ſeu, ut dicunt ſanguinis *cap.* in Archiepiſcopatu de raptor. *can. unum ſolum 23. quæſt. 5.* aliæ conſtitutæ ſunt pœnæ. Nam Clericis conſentientibus ſortilegis, Magis, pœna imponitur pœnitentiæ quinquennalis, ſuſpenſio Ordinum, & privatio beneficiorum *cap. 1. & fin. de ſortil. can. non licet cum tribus ſequentibus 26. quæſt. 5.* ſi autem malefici eſſe convincantur, remittuntur ab Eccleſiaſtico Judice ad Curiam ſecularem condemnandi, & puniendi, ut de hæretico pertinaci ſtatutum eſt, *cap. ſuper eo de hæret. in 6.* Novit enim jus canonicum ex jure divino ſacrificantes diis alienis, eſſe morte tollendos *can. ſi audieris 23. quæſt 5.* cujuſmodi ſunt Lamiæ, quæ dæmonibus obſequium præbent. Atque ſi ita impius reperiatur presbyter, qui inventus ſit cum abuſu Sacramentorum ſortilegio operam præbere, graviſſimis exiſtimamus dignum pœnis, utpote graviſſimè peccans, vel irreverenter ſacramenta pertractando, vel aliud immiſcendo illis alienum *cap. de homine de celeb. miſſar. can. nihil in ſacrificiis de conſecr. d. 2.* Veluti ſi ſuper characteres, aut ſupra maleficia Miſſas celebret, cùm alioquin & qui Sacra profanat, etiam ignoranter, ut ſi palla, quæ in altari fuerit, mortuum involvat, vel eam negligenter habuerit, ſi diaconus ſit, trlennio, ſexque menſibus à Dominico removetur altari, gravi percuſſus anathemate; presbyter decem annis & ſex menſibus excommunicatur *can. nemo per ignorantiam de conſecrat.*

crat. d. 1. Sacerdos etiam inimicitiæ ſauciatus, ſi miſſam pro requie defunctorum promulgatam, fallaci voto pro vivis ſtudet celebrari, ut mortis incurrant periculum, tam ipſe ſacerdos depoſitus ordinis ſui gradu, quam ille qui ad talia peragenda eum incitaſſe conſtiterit, exilii perpetui ergaſtulo relegari debent *can. quicunque* 26 *qu.* 5. Jure ex Concilio Toletano 11. *cap.* 7. adde *l. nulls magitis C. de malef. & mathem.* cui junge item *l. Cornelia de publ. judic. apud Juſtin.* Qui etiam aliquid fecerit, vel ad potandum alicui dederit explendæ libidinis cauſa vel odii meditatione, ut non poſſet generare, aut concipere, aut ei naſci ſoboles, ut homicida puniendus erit. *cap. ſi aliquis de homic.* Ejus generis ſunt maleficia, quæ ſteriles, & arctas mulieres faciant, & viros ad coitum impotentes, ut *in can. ſi per ſortiarias* 13. *quæſt.* Jure civili pudicos animos in libidinem delectentes magicis ſeveriſſima ſententia puniuntur *l. eorum eſt C. de malef. & mathem.* Qui mala ſacrificia fecerit, vel habuerit, pœna legis Corneliæ, quoque de ſicariis *l. ex ſenatus conſulto ad leg. Cornel. de ſicar.* De ſacris vaſibus quoque, & aliis rebus Dei cultui conſecratis non profanandis, jura ſanciunt apertè *can.* altaris, *can.* veſtimenta *can. in ſancta, can ad nuptiarum de conſecr. d* 1. Et Deus docuit, quantum iraſcendum ſit in hæc profanantes ex ultione, quam ſumpſit de Balthaſare Daniel. *cap.* 5.

Narrat hiſtoria Gallica *au Reſier hiſtor. fol.* 120. *p.* 2. *vol.* 2. in pago quodam apud Sueſſones fuiſſe presbyterum quendam, qui vindictam cùm quæreret inimicorum, ſortilegam conſuluit ea de re, illam autem ei perſuaſiſſe, ut bufonem more chriſtiani hominis baptizaret, eique inter baptizandum Joannis nomen imponeret, dehinc ut hoſtiam conſecraret, & eidem edendam porrigeret. Quod ut factum, illa eum bufonem membratim diſcerpſit, & ſortilegium additis verbis, confecit, quod juſſit deferri in domum inimicorum presbyteri, unde accidit eoſdem interiiſſe. Eo autem ſcelere detecto, flammis veneficam conſumptam anno Domini 1460.

In legibus Vviſigotorum hæc lex eſt iiſdem verbis *l.* 3. *de malef. lib.* 6. *C. Vviſigoth. tit.* 2. *Malefici, & immiſſores tempeſtatum, qui quibuſdam incantationibus grandinem in vineas, meſſeſque immittere perhibentur, & ii, qui per invocationes dæmonum mentes hominum conturbant, ſeu qui nocturna ſacra dæmonibus celebrant. eoſque per invocationes nefarias nequiter invocant, ubicunque à Judice, vel actore, vel procuratore loci reperti fuerint, vel detecti, ducentis flagellis publicè verberentur, & decalvati deformiter decem convicinas poſſeſſiones circuire cogantur inviti, ut eorum alii corrigantur exemplis. Quos tamen Judex, ne ulterius evagantes talia facere permittantur, aut in retruſione faciat eſſe, ut ibi accepta veſte, atque ſubſtantia, ita vivant, ac viventibus nocendi aditum habeant, aut regia præſentia dirigat, ut quod de illis ſibi placitum fuerit, evidenter ſtatuat. Ii autem, qui tales conſuluiſſe reperiuntur, in populi conventu ducentorum ictus accipiant flagellorum, ut impuniti non remaneant, quos culpa reatus ſimiles accuſat.*

Et iterum alia lege *d. lib.* 6. *tit.* 2. *l. fin.* divinos, & conſulentes eoſdem quinquagenis verberibus coerceri jubetur. Vult & alia lex *l.* 1. *eod. tit.* hos, & qui reſpondent, & conſulunt de morte, vel vita alterius, ingenuos flagellis cæſos, & in ſervitutem redigi, bonis omnibus fiſco delatis, ſervos diverſo genere pœnarum afflictos, in tranſmarinas partes transferendos vendi.

Omitto hic recenſere judicia Dei de his hominibus quotidie apparentia. Vix enim eſt auditum, neque unquam vidi ullum hominem iſtis ſceleſtis artibus deditum, quin miſerè vel vivens diſcruciaretur, vel miſerè & ſummo cum horrore perierit adſtantium. Tandem enim dæmon eos, quibus inſervit, improviſo caſu tollit, ne ſi cogitandi mora illis præbeatur à laqueis effugiant. Sic Execeſtus Phocenſium tyrannus, duos geſtans incantatos annulos, ex quorum eliſione mutua, & ex ſonitu tempus gerendarum rerum commodum captabat, interfectus eſt dolo, etiamſi ei prius illud ſignificaſſet ſonitus, ut ait Ariſtoteles in republ. Phocenſ. & refert Clemens Alexandrinus *lib* 1. *ſtromat.* Blanditur primum iis, quos decipere vult Satan, & linit mortis poculum dulcedine quadam ambitionis, vel voluptatis, pollicetur ſuperbis & gloriæ avidis mille modis ſe effecturum ut à Magnatibus, & Principibus impetrent quæ velint; veneriis mulierum decipiendarum oſtentat artes; curioſis divinandi artem, crudelibus roboris & contra arma adverſariorum plura amuleta. In ſumma ſingulis ratione affectionis propria, & accommoda ſe poſſe mentitur. Interim autem ſubjicit impietatem & involutis artibus clavis adamantinis figit greſſus in ſcelere. Atque ubi jam quæ molitus erat effecit, miſeri homines, dum norunt ſe jam captos, deſperatione quadam acti, contemplantes poſtea, quæ impiè geſſerunt, triſtes ſemper & pavidi degunt, & propria conſcientia ſceleris, & à dæmonis imperio torti, ſibi nunquam ſatisfaciunt.

Consultatio CLXXIV.

De Pœna carceris, hæreticis, maleficis, ſortilegis, aliiſque debita, ubi effata de carceribus, & carceratis S. Officii.

Poena carceris primò imponitur hæreticis pœnitentibus & maleficis, ſive ſortilegis hæreticalibus. Iſti enim dum ad agendam pœnitentiam redire volunt, impuniti eſſe non debent, & ne iterum in hæreſim, aut in hæreticalia ſortilegia incidant, vel ne alios inficiant, ad perpetuos carceres damnandi ſunt juxta Conſtitutionem Innocentii IV. Edita anno 1254. quæ incipit, *Noveris Univerſitas*, & Conſtitutionem Friderici Imperatoris incip. *Commiſſi*, relata à Pegna, & juxta *cap. excommunicamus* 2. *§. fin. de hæret.* ubi dicitur: *ſiqui autem de prædictis, poſtquam fuerint deprehenſi, redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* Et tradunt Doctores, quos refert ac ſequitur Farinac. *de hæreſ. q.* 193. *n.* 101.

Secundo imponitur illis, qui maleficia, vel ſortilegia commiſerunt, ex quibus, licet mors ſequuta non ſit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, aut animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenit. Iſtos enim muro claudi, ſive perpetuis carceribus in S. Officio Inquiſitionis mancipari, decrevit Gregorius XV. quæ incipit Omnipotentis Dei emanata 20. Martii 1623.

Malefici verò ac ſortilegi de criminibus atrociſſimis confeſſi, vel convicti, poſſunt detineri in compedibus, manicis, cippis, in carcere ita obſcuro, ac tetro, ut intra paucos dies moriantur juxta doctrinam Delrii *lib.* 5. *magicar. ſect.* 7. *ſub initio.* Quod intelligendum eſt poſtquam crimen confeſſi, vel convicti & damnati de crimine, mortem meretur. Idem confirmat Farinac. *d. q* 193. *num.* 10. his verbis: Hæretici quoad pœnam poſſunt poni in duro, & arcto carcere, dummodo id fiat ab Inquiſitore de conſenſu Epiſcopi, vel è contra, ut apertè probare videtur textus *in Clem.* 1. *§. propter de hæret.* in illis verbis: Duro tamen tradere carceri, ſive arcto, qui magis ad pœnam, quam ad cuſtodiam videatur, ubi Ca-

noniſtæ, nominatim Vltalin. *num.* 34. qui duri, & arcti carceris exemplum ponit in carcere exiſtente in loco infimo, & ſubreſtaneo, in quo non videtur claritas ſolis, neque lunæ, & ad rem Delrius *loc. cit.* inquit, hæreticos confeſſos, vel coovictos, & ad mortem damnatos, poſſe retineri in carcere obſcuro, & tetro, in quo intra paucos dies moriantur.

Regulariter tamen carcer perpetuus hæretico pœnitenti, hæreticali malefico, aut ſortilego aſſignandus, non debet eſſe ita arctus, ut abbreviet dies incarcerati. Sufficit enim, ut ille vivat pane triſtitiæ & aqua doloris. Immo qui in tales carceres abbrevlantes vitam, reos pœnitentes deponeret, non evaderet irregularitatem juxta Gloſ. *in cap. ut commiſſi de hæret. in 6. in figurat. caſ. verſ. Unde iſte carcer,* Henric. Boich. *in cap. novimus num.* 4. *de verb. ſignif.* ibique Butr *num.* 7. & tradunt Royas *ſing.* 49. *num.* 1. *& ſeq.* Campeg *in addit. ad Zanchin. de hæret. cap.* 10. *litt.* G. Decian. *tr. cr. lib.* 5. *cap.* 42. *num.* 14. & Farinac. *loc. cit. num* 106.

Ii vero hæretici, malefici, ſive ſortilegi hæretici pœnitentes ad perpetuum carcerem condemnari oon debent, qui ſponte ad S. Officium comparent, & ſua delicta fatentur, antequam accuſati, vel denunciati ſiot, etiamſi metu imminentium probationum, ac teſtium ad Inquiſitores veniant.

Item neque ii, qui ſtatim poſtquam capti ſunt, tam de ſe, quàm de aliis, qui complices delicti fuerunt, plenè, ac integrè confitentur.

Neque pariter iis, qui puro corde confitentur, priuſquam dicta teſtium publicentur, ſecus autem eis, qui poſt dicta teſtium publicata. Quia tunc jam videntur convicti, & jure optimo in perpetuum carcerem condemnandi ſunt, ut per Pegnam *p.* 3. *com.* 142. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 47. *num.* 29. Royas *de hæret p.* 2. *n.* 197. Farinac. *d. q.* 193. *n.* 103.

Similiter ad perpetuum carcerem damnari non poteſt, qui ſolum eſt de hæreſi ſuſpectus per textum *in cap. excommunicamus* 2. *de hæret. in* 6. & docent Repert. Inquiſ. *v. Carcer*, & alii, quos ſectatur Farinac. *loc. cit.*

Poſt publicationem itidem teſtium, ſi aliquis rationabilis cauſa urgeat, poſſunt Inquiſitores cum Epiſcopis perpetuum carcerem ad tempus reducere, vel etiam omnino condonare, & in alias pœnas extraordinarias commutare ſecundum poteſtatem eis traditam *in cap. ut commiſſi de hæreticis in* 6. ubi Doctores cum Gloſſa, & Pegna *p.* 3. *com.* 145. Clar. *in pr. §. hæreſis num.* 7. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 16. *n.* 5. & Farinac. *ibid. num.* 104.

Ac demum non eſt imponenda pœna carceris perpetui, ſed ſolum ad tempus, prout Inquiſitoribus viſum fuerit, reis, qui de levi, vel de vehementi non autem de formali abjurarunt, ut per Locat. *in Judic. Inquiſ. v. ſuſpicio num.* 31. Eymer. *d. p.* 3. *de quinto modo termin. proc. num.* 172. ibique Pegna, & per Royam *ſing.* 1. *num.* 21. & Farinac. *d. quæſt.* 193. *numero* 103.

Mulier autem maga, quæ eſt nupta, & meretur carcerem perpetuum, ſi pœnitens ad miſericordiam recipiatur, non eſt ad carcerem perpetuum condemnanda, ſed conſulto ſupremo Inquiſitionis Tribunali, loco carceris aſſignanda ei eſt domus mariti, Pegn. *d. p.* 3. *com.* 142. Zech. *in ſum. p.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæreſ. cap.* 15. *num.* 8. & Farinac. *ubi ſupra numero* 105.

Sacerdos verò celebrans ſuper rebus aptis ad ſortilegia, ut ſunt hoſtia non conſecrata, circumſcripta certis notis, ac litteris ſanguineis, vel cuticula, ſive pellicula, qua infantis naſcentis caput eſt involutum vel panis incoctus, ſive maſſa cruda, aut panis coctus in placenta, vel calamita, hiſque ſimilia; vel abutens vaſibus, aut veſtibus ſacris pallio altaris, calice, patena, purificatorio, tabernaculo eucbariſtico, & hujuſmodi, vel in Miſſæ ſacrificio preces, quæ non tendunt ad Dei cultum, & animarum ſalutem, ſed potius in peccatum, obtulerit, beneficiis eſt privandus, & in carcerem perpetuum detrudendus, ut per Diaz. *pr. cr. cap.* 19. Ghitland. *de ſortil. q.* 14. *&* 16. Menoch. *de arb. caſ.* 188. *num.* 11. Delrium *lib.* 5. *magic. ſect.* 16. Delbene *de offic. S. Inquiſ. p.* 2. *dub.* 229. *ſect.* 9. *num.* 7. & Souſam *in aph. lib.* 1. *cap.* 58. *num.* 10. *& ſeq.*

In ſacris verò conſtitutus Ordinibus, condemnatus ad perpetuum carcerem eſt degradandus *juxta cap. quoniam Epiſcoporum de hæret. in* 6. ac reſcriptum Urbani IV. cujus initium *Conſultas §. quæſtioni*, relatum à Pegna *p.* 3. *com.* 46. ubi ſic ait Pontifex: *quæſtioni vero, qua quæritur, utrum conſtitutus in ſacris deprehenſus in hæreſim, ac propter hoc immurandus perpetuo, prius ſit ab Ordinibus à ſuo Epiſcopo degradandus, antequam tradatur hujuſmodi pœnitentia, reſpondemus, quod talis, qui eſt perpetuo immurandus prius debet à ſuis Ordinibus degradari*, ac notat Eymer. *p.* 3. *direct. quæſt.* 94. nullam eſſe differentiam inter carcerem & murum; nam pro eodem ſumitur *in cap. excommunicamus ult. & in cap. ut commiſſi, & in cap. accuſatus in fin. de hæret. in* 6. Et Pegna *loc. cit.* inquit, ſupradicta verba accipienda eſſe de degradatione reali, & actuali, non autem de ſuſpenſione ab Ordinum executione. Idemque dicendum eſt de illo, qui in perpetuum ad triremes damnatur, cum par ſit ubique ratio. Quia damnatus in perpetuum ad carcerem vel ad triremes æquiparatur damnato ad mortem, ut ait Innoc. *in cap qualiter & quando* 2. *de accuſat.*

Quæ quidem de jure vera ſunt; at regulariter ex benignitate S. Tribunalis inductum eſt, ut qui in perpetuum carcerem, vel in perpetuum ad triremes condemnantur, non ſoleant actualiter degradari, ſed tantum ſuſpendi ab Ordinum executione, ut notat Pegna *d. p.* 3. *com.* 46. de quibus plura *in conſult. de degradatione, ac alibi.*

Sortilegis autem deprehenſis in hæretica pravitate, ac pœnitentibus, eſt imponenda cum pœna carceris alia pœnitentia. Nam, ut advertit Eymer. *p.* 3. *q.* 95. conſuevit S. Inquiſitionis Tribunal iis injungi, quod Cruces deferant ante ac retro, ſtent in valvis Eccleſiæ certis diebus Dominicis, & quod jejunent, ut per has pœnitentias ſatisfaciant debito, quod per culpam contraxerunt, & appareat, an ſint verè pœnitentes, & cum has peragunt, recordentur delicti contra fidem commiſſi, ac illud deteſtentur, & defleant. In his verò pœnitentiis imponendis obſervari debet perſonarum qualitas, & gravitas major, vel minor culpæ, ac etiam ut veriſimiliter credant Judices fidei à pœnitentibus ſore peragendas, & non deferendas *can pœnitentes d.* 50.

Poteſt tamen pœna perpetui carceris mitigari, & in aliam commutari ex juſta cauſa ab Inquiſitoribus, & Ordinariis *juxta d. cap. ut commiſſi de hæret. in* 6. ibi: *Et illorum, qui veſtris mandatis obedientes humiliter ſtant, propter hæreſim in carcere, vel muro recluſi pœnam unà cum Prælatis, quorum juriſdictioni ſubſunt mitigandi, vel mutandi, cum videritis expedire.* Et tradunt quamplures, quos ſequitur Farinac. *d. quæſt.* 193 *num.* 104.

Hæc autem commutatio perpetui carceris admittenda eſt, quando ſortilegus, vel maleficus, vel alius hæreticus non fuit notoriè in hæreſi deprehenſus, & timor non adeſt, quod alios corrumpat, ut advertit Locat. *in Judic. Inquiſ. v. hæreticus num.* 74. Tempus verò carceris, in quo commutari poteſt carcer perpetuus, reo impoſitus, relictum eſt arbitrio Inquiſitorum, ut colligitur *ex d. cap. ut commiſſi*. &

notant

notant Pegna *p.* 3. *com.* 108. Farinac. *d. num.* 104. Repertor. Inquiſ *v. Carcer*, qui cum aliis etiam docent, quod Inquiſitores, etiam poſt ſententiam poſſunt pœnitenti, ad perpetuos carceres condemnato, pœnam commutare, & obviare eorum arbitrio. Regulariter tamen cum condemnato ad carcerem perpetuum non diſpenſatur, niſi poſt annos tres. Cum condemnato autem ad carcerem perpetuum irremiſſibilem, non diſpenſatur, niſi poſt annos octo.

Poſſunt quoque, ut notat Farinac. *ſupra*, loco carceris imponere alias pœnas pœnitentiales, ut jejunare, Sanctorum limina viſitare, errorem publicè deteſtari, & his ſimilia. Probatque Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 16. *num.* 5. & 6. poſſe Inquiſitores pœnitentibus pro carcere aſſignare Monaſteria, hoſpitalia, vel alias domos religioſas. In Hiſpania verò ex ſpeciali privilegio ſedis Apoſtolicæ perpetui carceris diſpenſatio, vel ad tempus relaxatio, ſicut & veſtis crucibus ſignatæ depoſitio, ſolum ſpectat ad Inquiſitorem generalem, ut per Royam *ſing.* 155. *num.* 5. Simanch. *ibid. num* 20. ac Pegn. & Farinac *loc cit.*

Verum, licet commutatio pœnarum, quæ imponuntur damnatis pro S. Officio in ſententiis latis ab Epiſcopo, & Inquiſitore, ad utrumque pertinent, quod obſervandum eſt tam in proceſſu conſtructo in Curia epiſcopali, quàm in S.Officio, in cauſis tamen gravibus, de quibus fuit certiorata S. Congregatio generalis Inquiſitionis, ipſa inconſulta non commutantur, nec mitigantur, ſicuti nec abſque ipſius licentia poteſt ullo caſu fieri commutatio in mulctam pecuniariam, cùm tales mulctæ, etiam ſine expreſſa licentia imponi non poſſint. Atque ita ſcriptum Inquiſitori Papienſi 18. Maii 1657. Qua de re *alibi* plura.

Quamvis autem carcer ſit inventus ad reorum cuſtodiam, attamen Clerici, ſive Eccleſiaſticæ perſonæ poſſunt in pœnam damnati ad carcerem perpetuum, vel ad tempus *per cap. quamvis* 3. *de pœn.* ibique Gloſſa, & Doctores, Menoch. *de arb. qu.* 79. *num.* 10. Sayr. *in clav. reg. lib.* 2 *cap.* 18. *num.* 6. Aldret. *de diſcipl. tuen. lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 14. & Rodriq. *p.* 2. *quæſt* 21. *n.* 4. Ac meritò quidem per jus Canonicum eſt approbata pœna perpetui carceris, quam non admittit jus civile, unde non eſt in uſu apud laicos, ut ait Clar. §. *ult. q.* 70. Quia jus Canonicum in reis præcipuè intendit pœnitentiam delictorum. Deus enim non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, ad quod maxime conducit pœna carceris, quæ aliàs eſt gravior, quam laborare in agro, vel in alio opere publico, ut ait Gloſſa *in l. in ſervorum ff. de pœn.* Et ut Farinacius inquit *in pr. qu.* 17. *nu.* 2. Carcer eſt ſepultura vivorum, conſummatio bonorum, conſolatio inimicorum, experimentum amicorum. Addunt Ancharanus, & ex eo Franchus *in d. cap. quamvis*, quod ubi imponitur pœna carceris ad tempus indeterminatum quod hoc intelligitur ad decem annos per textum *in l. ſive ff. de pœn.* Sed melius dicitur, quod hoc ſit arbitrarium, & quod pœna ſaltem ultra decem annos non debeat extendi.

Sed quid de frangente carceres S. Officii, & aufugiente? Vel loquimur de detento in carcere in cuſtodiam pendente proceſſu, vel de ibi detento in ſui criminis pœnitentiam. Si primo modo, ſunt qui opinantur, quod frangens carcerem, & ab eo fugiens vel fugere, & carcerem frangere tentans, habendus ſit pro convicto, & tanquam hæreticus damnari poſſit, ſecus verò ſi aufugerit è carcere, oſtio aperto. Tunc enim non habetur pro convicto, ſed excommunicatur, ſi in termino ſibi aſſignato ad carcerem non redit, & ſi per annum excommunicationem ſuſtinuerit, tanquam hæreticus punitur. Ita Locat. *v. carcer n.* 16, Zanchin. *in tr. de hæret. cap.* 10. *nu.* 4. ibique Campeg. *lit. P.* Maſcard. *de prob. tom.* 1 *concl.* 820. Farinac. *ea q.* 19. *n.* 137. aliique.

At reum, carcerem frangentem, ac fugientem non eſſe habendum pro convicto, neque tanquam hæreticum puniendum, docent Simanch. *in annot. ad Zanchin. cap.* 8 & *de cathol. inſtit tit.* 16. *num.* 23. Royas *de hæres. p.* 2. *aſſert.* 15. Pegna *p.* 2. *com.* 35 Param. *lib.* 3. *qu.* 4 *num.* 71. & *ſeq.* Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſ* 1. Nam in hoc caſu præſumendum eſt, fugiſſe carceris tædio, aut metu falſorum teſtium, vel tormentorum, non autem quod haberet circa fidem errorem in intellectu. Non debet tamen ob dictam fugam impunitus evadere, ſed pœna arbitrari eſt puniendus, & ſi eſt nobilis, aut doctor, aut religioſus, vel alius honorabilis civis, cuſtodiendus eſt arctius, & puniendus eſt durius. Si verò ſit vilis, verberibus eſt publicè flagellandus, & cauſa hæreſis in ſuo ſtatu permanet, & tractatur, aliiſque pœnis arbitrariis puniri poteſt, ac mitius agendum eſt cum illo, qui ex negligentia cuſtodis è carcere aufugit. Reſultat etiam ex ipſa fuga contra ipſum indicium ad torturam, & ſi citatus non compareat, poteſt condemnari, ut ait Seſſe *tom.* 4. *dec.* 471. *num.* 8. ſed de his infra in Eſſatis.

Qui verò è carcere aſſignato ad adimplendas pœnitentias aufugit, illumque fregit, ſi ſtatim ſe præſentat coram Inquiſitore, vel ſupremo Tribunali, nulla pœna eſt afficiendus. Nam qui ſuperiorem adit, non dicitur frangere, ut probant Aviles *in com. ad leg. Prætor. cap.* 18. Jacob. à S. Georg. *in l.* 1. *num* 9. *C. de ſerv.* ſugit Giurba *dec.* 69. *num.* 19. & Carena *p.* 2. *tit.* 17. *nu.* 77

Si autem è carcere ſine juſta excuſatione aufugiat, & arrepta fuga ſe occultat, & poſtea pœnitens fugæ, ſpontè ſe præſentet, & miſericordiam petat, ſeque offerat de novo pariturum, recipiendus eſt, injuncta ei pœnitentia arbitrio Inquiſitoris.

Si verò captus fuit, & paratus ſit Eccleſiæ ſatisfacere, injungenda eſt ei major, ſed non ſine miſericordia pœna propter fugam, ut ait Pegna *p.* 3. *com.* 146. Sed ſi fugiens non permittit ſe capi, tunc contra ipſum proceditur, ſicut contra contumacem, quia ex ejus fuga non modicum oritur impœnitentiæ ſignum. Reputatur enim fictè converſus, & tanquam impœnitens contumax condemnari debet. Ideo citandus eſt per edictum, ut accedat intra certum tempus præfixum, & ſi non acceſſerit intra illud tempus, pronunciandus eſt excommunicatus, in qua excommunicatione, ſi per annum animo pertinaci perſeveraverit, illo completo, tanquam hæreticus eſt damnandus *ex cap. cum contumacia de hæret. in* 6. Eymer *p.* 3. *num.* 112. Pegn. *d. p.* 3. *com.* 37. 49. & 91. & nos *alias*.

Pœna verò carceris ad tempus in S. Tribunali imponi ſolet omnibus de hæreſi ita tum ſuſpectis, qui de levi, vel de vehementi abjurant, quales ſunt ſortilegi hæreticalia ſortilegia committentes, confeſſarii ſollicitantes ad turpia in ſacra Confeſſione, vel in Confeſſionario, blaſphemantes hæreticaliter, conſpurcantes, vel conculcantes Sanctorum imagines, mulieres, quæ vivente primo viro, tranſeunt ad ſecundas nuptias, Aſtrologi, & divinatores, qui de futuris contingentibus, & à libera hominum voluntate pendentibus, aliquid eventurum eſſe affirmant, & ejuſmodi alii de hæreſi ſuſpecti, ut *in cap excommunicamus* 2. *de hæret. in* 6. ac docent etiam Doctores communiter.

An autem damnatus ad perpetuos carceres ſit inteſtabilis activè, & paſſivè, affirmant Capyc. *cons.* 6. *à num.* 187. allegans pro hac opinione Imolam *in l.* 2. *num.* 3. *ff. de publ. judic.* Bartol. *in l.* 2. *ff. de iis, qui pro*

non

non ſcript. hab. Bald. *in l.2.C. qui non poſ. ad lib. perven. & conſ.* 448. *vol.* 1. Marſil. *ſing.* 565. Abb. *in rubr. de teſtam. num.* 4. Covar. *in d. rubr. numer.* 17. cum aliis multis. Moventur; quia damnati ad perpetuos carceres comparantur damnatis ad metalla, & pœna perpetui carceris morti æquiparatur, ſucceditque loco pœnæ mortis, & ſic damnatus eſt morti proximus, ut per Innoc. *incant. qualiter & quando ſub num.6. de accuſ.*

Quod autem damnati ad metallum ſint incapaces ſucceſſionis activæ & paſſivæ eſt textus *in l. ſi quis mihi bona § 1. ff. de acquir. hered. l. 3. ff. de iis, qui pro non ſcript. hab. l. quidam de pœn. & in l. in metalla de jur. fiſci.* Id quod etiam militat deportato *per* 1. *C. de hered. inſtit.* licet non amittat libertatem, nec ea, quæ ſunt juris naturalis, ſed Civitas, & ea, quæ ſunt juris civilis ut *in d. l. ſi quis mihi bona, & d. l. quidam.*

Negant alii de clerico ad perpetuos carceres damnato. Nam, ut advertit Abb. *in d. rub. de teſtam. num.* 4. jus Canonicum non imponit perpetuum carcerem in pœnam, ſed in pœnitentiam, ut *in cap. novimus de verb. ſignif. in cap. penul. de haret. §. ſi quis autem, & in cap. quamvis de pœn. in* 6. ſubditque idem Abbas *loc. cit.* hanc eſſe opinionem mitiorem, alteram veriorem. Pro hac negativa militant Albertin. *in l. aut damnum §. ſervus num.* 1. *ff. de pœn.* ubi ait, quod liber damnatus ad perpetuos carceres non efficitur ſervus. Idem ſentit Bald. *in lib.* 1. *C. de ſacroſ. Eccleſ.* Abb. *in cap. tua num.* 6. *de pœn.* Anchar. *in d. cap. quamvis eod. tit. ſub num.*4. quem ibi ſequitur Franch. *num* 2. & Covar. *in* 2. *tr. de teſtam. p.*3. *num.*17. Comprobantque hanc ſententiam §. *quod autem auth. de nupt.* Ex qua ſumpta eſt *auth. ſed hodie C. de donat. inter vir. & uxor.* ubi ſancitum fuit, quod nullus hodie bene natus ex ſupplicio, nec ſi fuerit damnatus, efficiatur ſervus pœnæ. Cùm verò Innocentius *loc. cit.* æquiparet pœnam perpetui carceris pœnæ damnationis ad metallum, vel deportationis, hoc diſplicet Anchارano in *d. cap. quamvis de pœn. n.* 3. & Francho *n.* 2. quia non habet locum perfecta æqualitas. Nam neque hujuſmodi pœna carceris perpetui per ſe reddit aliquem inteſtabilem, ſive inhabilem ad teſtimonium præſtandum, neque inducit confiſcationem bonorum, cùm ſatis ſit, quod operetur effectum, ad quem fuit inducta, niſi ex genere delicti, propter quod imponitur, aliud inducatur.

Porrò quod damnati ad carceres perpetuos ſint capaces legati alimentorum, nequit converti per textum *in d. l. quidam ff. de pœn. & in d. l.* 3. *ff. de iis, qui pro non ſcript. hab.* juncta Gloſſa *v. alimentorum. l. is, cui annua de alim. & cib. leg.* ubi etiam Gloſſa *v. præcedentium*, & firmant Cordub. de Lar. *in l. ſi quis à liberis §. unum n.*4. *&* 5. *ff. de liber. agnoſ.* Anton. Quexad. *div. quæſt. jur. cap.* 22. *num.* 8. Surd. *de alim. tit.*8. *privil.* 7. *n.* 4. Caſtill. *quotid. controv. lib.*8. *de alim. cap.* 5. *num.* 3. *& ſeqq.* & Sanchez *in decal. tom.*1. *lib.*2. *cap.*24. *n.*41. ubi ait, quod licet hæreticus ſit incapax aliorum legatorum, eſt tamen capax legati alimentorum, allegatque Specul. *tit. de execut. ſent. §. ſequitur videre n.*11. Surd. *loc. cit tit.*3. *qu.*33. *numero* 8. ac Molina *de juſt. & jur. tom.*1. *diſp.*154. *col.* 2. *verſ. de jure civili.*

Cùm *in cap. ut Inquiſitionis de hæret. in* 6. præcipitur Magiſtratibus ſecularibus, ut reos S. Officii ducant, vel duci faciant, ubi per viros catholicos ab Epiſcopis, ſive Inquiſitoribus deputatos ſecure cuſtodiantur, hinc ſequitur hoc eſſe verum etiam de carceratis in foro ſeculari pro quocunque enormi delicto, & quod iſti etiam ad Tribunal S. Officii remitti debent quandocunque ob negotium fidei petantur. Quod & ſtatuit B. Pius V. in decreto, cujus initium, *Sanctiſſimus*, cujuſque meminere Simanch. *de cath. inſtit.* Pegna *in addit. ad tr. de ſtrig.* Jo. de Senc. *de inhib. cap.*30. *n.*52. Quomodo autem Judex fidei, terminata fidei cauſa, teneatur reum remittere in hoc caſu ad Judicem laicum, ut illum in cauſa ſibi propria judicet, *alibi* diximus.

Eſtque advertendum, quod *d. textus in cap. Ut inquiſitionis* dicit, hos in S. Officio reos eſſe cuſtodiendos caute ac diligenter per viros Catholicos, quia in hoc Judæi, Saraceni, aliique infideles, tanquam ſuſpecti, & inhabiles ad hanc cuſtodiam habendi ſunt. Habeturque etiam ex dicto textu, quod S. Officium proprios carceres habere poteſt, ut notat ibi Gemin. *num.* 3. Idemque habetur *ex Clem.* 1. *§. ſanè, & §. porro*, ubi Canoniſtæ, ac docent Fymer *p.*3. *n.*75. ibique Pegna *com.* 18. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 16. Zanch. *cap.* 8. *n.* 4. Sylveſt. *v. hæreticus nu.* 9 Locat. & Repertor. *v. Carcer*, aliique relati à Farin. *de hæreſ. q.* 185. *n* 8.

Cæterum Carceres virorum ac mulierum debent eſſe diſtincti, Gloſſa *in d. cap. quamvis, v. expedire de pœn l.*3. *C. de cuſtod. reor.*

Quoniam autem aliquantum jura civilia à Pontificali in Pœnæ carceris definitione differunt, cogor, præter alibi dicta, paulo altius hujus materiæ incunabula repetere, tum etiam quia carcerum frequentiſſimus uſus eſt. Varro *lib.* 4. *de lingua lat.* carcerem à coërcendo dici tradit, quod incluſi exire prohibentur. In hoc pars, quæ ſub terra, Tullianum ideo, quod additum à Tullio Romanorum Rege. Siracuſis cuſtodiæ illæ infimæ vocantur Latomiæ, nomine de latomia translatitio, quod inibi quoque aliàs lapidicinæ fuiſſent. Et paulò poſt Varro, *in circo*, inquit, *primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Nævius oppidum appellat. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant antequam Magiſtratus miſit, oppidum, quod à muri parte, pinneis, muribuſque carceres fuerunt.* Proinde & carcer dicetur non abſurdè locus omnis, in quo coercetur quis; unde & privati, & publici carceres, autoritate privatorum, ſeu melius temeritate inſtituti, & publica *l. uni C. de privat. carc.* Atque domus propria pro carcere eſſe poteſt, dum interdicit aliquando Magiſtratus alicui, ne à domo ſua procedat, Ulpian. *in l. fin. ff. de interd.* Permittit & jus marito retinere in propria, veluti carcere, adulterum cum uxore compertum, teſtandæ rei cauſa, per viginti horas *l. capite quinto ff. ad leg Jul. de adult.*

Palam idcirco eſt, carceres non ad pœnam, ſed ad cuſtodiam eſſe adinventos *l. aut damnum. §. ſolent ff. de pœn.* ut dum in ſuſpenſo eſt animus judicantium, interim rei delati ſub tuta cuſtodia retineantur, ſine pœna tamen. Nam innocentibus id eſſet miſerum, nocentibus autem non ſatis ſeverum, *l.* 1 *C. de cuſtod reor.* Atque cuſtodia hæc publica ſine vinculis ſua natura eſt. *Verum &* inquit Ulpianus l. verum eſt ff. de verb. ſignif. *in carcere clauſum non videri, neque vinctum, neque in vinculis eſſe niſi corpori ejus ſint vincula adhibita.* Quamvis publica cuſtodia ea quoque ſit, quæ vinculis etiam retinet, Venul. *in d. l. verum eſt de verb ſignif.* Nam ſicuti cuſtodiæ carcerum non concluduntur, de quorum fuga non dubitatur, quive fidejuſſores dare ſiſtendi arbitrio Judicis parati ſunt, quive ea crimina commiſiſſe non dicuntur, quæ eam arguant futuram, Ulpian. *in l.* 1. *& in l. Divus Pius de cuſtod. reor.* ſi qui in cuſtodia carceris ſunt, ſi is tutus ſit, bene munitus, excubiæ, militeſve ſufficientes ſint, & crimina atrociora non ſint, & de iis adhuc non fuerit reus convictus, nec catenæ, neque manicæ, neque dura manſio adduntur. Contra, ut tuta ſit reorum dignotio, & facilior judicari, & pœnarum executio, placuit addi, ſi de fuga, vel de evaſione periculum

immi-

immineat *l.* 1. *&* 2. *C. de cuſtod. reor.*

In gravioribus cauſis itaque, dicunt ut plerumque rei cauſam ex vincolis, numellæque, ſeu manicæ & compedes Injiciontur, conſiderata perſonæ rei qualitate ac dignitate, fama bona, vel mala, paupertate ac divitiis, *l.* 2. *ff. eod. l. lege Cornelia § præterea ff. ad S. C. Syllanian.*

Eſt in jure & mala manſio, de qua meminit latè apud Labeonem, *& is in l.* 15. *§. quæſtionem ff de injur.* Ulpian. *in l. ſi hominem ff. depoſit.* Numellæ mala manſio dici poſſunt, quamobtem verba illa eſſe in mala manſione, explicant *in ecloga* 12. *Baſilicorum lib.* 31. *& lib.* 60. Prudentius extenſionem manſionis innuit his verbis *ligno plantas inſerit divaricatis cruribus.* Meminit de hoc ſupplicio Lucianus *in Toxaci,* apud Baſilium, Plutarchum, & in actis Apoſtolorum *cap.* 16. *num.* 24. Soleas ligneas Cicero vocaſſe videtur 1. *Rhetor. ad Heren.* dum de quodam judicato, quod matrem necaſſet, agit. Moſque is apud Helvetios, ut indicat Julius Cæſar *lib.* 1 *de bello gallico,* ea inquit, *res ut eſt Helvetiis per indicium enunciata moribus ſuis Orgentorigem ex vinculis cauſam dicere coegerunt.* Aliter Romæ factitatum in cauſis Lælii Scipionis. Is enim damnatus à Marco Minutio Auguſtino tribuno plebis cum judicatæ pecuniæ de reſiduis ſatisdate non poſſet, juſſus eſt duci in vincula. Publius autem Scipio Africanus fratris ſui nomine Tribunorum collegium appellavit, atque ſecundum eum judicium refert Livius *lib.* 8. *decad.* 4. & Valerius Maximus *lib.* 4. *cap.* 1. ac Gellius *lib.* 7. *cap.* 19. ſic in cauſa Cæſonis Quintii, Lucii Quintii Cincinnati filii, ad populum læſæ Majeſtatis rei facti, placuit in illius judicio pecuniis ſatisdari, corpus autem eſſe liberum, ut autor Dionyſius Halicarnaſſeus *lib.* 10.

Cæterum, quamvis hæc ſit præcipua ratio carceris, cuſtodia, hæc tamen cuſtodia, quia ſceleratorum eſt, & interdum diuturna, eſſe non poteſt ſine pœna aliqua, quia ſine miſeria, pedore, & penuria vix eſſe poteſt. Et juſtus metus reſciſſionis promiſſi, carceris horror injectus eſt, Paul. *l. qui in carcerem,* ibique Bartol. *ff. de eo, quod met. cauſ.* Et carcerem ſic quis poterit definire, ut ſit locus tutus, horribilis, delinquentium, vel debitorum cuſtodiæ deputatus. Horridus locus, tum ratione ſqualoris, & miſeriarum, quas ibi concluſi patiuntur, tum ratione ſocietatis hominum pernicioſorum, ut furum, latronum, homicidarum, & ſimilium, qui ibi aſſervantur, cum quibus innocentia vitæ facilè corrumpitur, & mali peiores fiunt. Et accedit ad ſervitutem, quę morti comparatur, non poſſe à loco diſcedere, Ulpian. *l.* 2. *ff. de lib. hom. exhib.* ſic idem Ulpianus ait, interdum aliquem carceris pœnam ſuſtinere debere *in l. Divus ff de cuſtod. reor.* Idipſum & Cæſares tradunt, quibuſdam pœnam carceris, & vincula adeſſe debere *l.* 2. *C. eod.* & mala manſio dicitur carcer *d. l. apud Labeonem ff. de injur.* eſſeque in carcere per ſe miſerrimum, ſcribit Leo *ad Alphonſum lib.* 10. *Epiſt.* 2. Quocirca tempus, quo quis poſt damnationem in exilium detentus fuit carcere, computatur in minutionem pœnæ exilii, & ſi in carcere exilio deputatum tempus fuerit omninò elapſum ſolvuntur inde rei liberi ab eo. Eſſe enim ſatis debet, ut aiunt Honorius, & Theodoſius Cæſares *in l. omnes C. de pœn.* immenſorum cruciatuum ſemel luiſſe ſupplicia, ne ii, qui diu privari ſunt auræ communis hauſtu, & lucis aſpectu, non intra breve ſpatium catenarum ponderibus prægravati, etiam exilii pœnam ſuſtinere iterum compellantur. Quod ego arbitror & obtinere debere in iis, qui ad tempus in remos damnantur.

Carceres itaque omnes, quatorumvis ſpecioſi ſint, pœnam ſua natura habent, & libertatem minuunt, & conſequenter triſtem animam reddunt, non ſecus ac aves quædam liberæ, cavea incluſæ, canendi voluptatem amittunt, ut non mirer, quod ait Livius in 1. carcerem interiorem ad terrorem creſcentis audaciæ media in Urbe ædificatum, & foro junctum, cui Servius Tullius ſubterraneum addidit, de quo Saluſtius, ad majorem ſcilicet terrorem, vinculaque adjecta, & loca horricida ſubſtructa, à quibus tamen abſtinere debent Chriſtiani Judices, quibus etiam cura & humanitas erga carceratos jure Civili jubetur *l. Judices C. de Epiſcop. aud.* Et Conſtantius Auguſtus ait *in l.* 1. *C. de cuſtod. reor. nec ſedis intima tenebras pati debebit incluſus, ſed uſurpata luce vegetari, ac ſublevari, & ubi nox geminaverit cuſtodia, in veſtibulis carcerum, & ſalubribus locis recipi.*

Fuit & aliquando jure civili Romanorum ea ratione, quod non ad puniendos homines carcer haberi debeat, ſed ad cuſtodiendos, interdictum, Ulpian. *l. aut damnum §. ſolem ff. eod.* ne præſides damnarent in carcere continendos, vel in vinculis contineri. Verum enim verò non hoc jure perpetuò uſa Roma eſt. Nam & Cicero carcerem dixit 3. *Catil.* vindicem manifeſtorum ſcelerum, & nefariorum. Meminit & idem de perpetuis carceribus in pœnam ſtatutis, eamque morte graviorem ex ſententia C. Julii Cæſaris 4. *Catil. Intelligit,* inquit Cæſar, *mortem à Deo immortali non eſſe ſupplicii cauſa conſtitutam. Itaque eam ſapientes nunquam inviti, fortes ſæpe etiam appetiverunt. Vincula verò, & ea ſempiterna, certè ad ſingularem pœnam nefarii ſceleris inventa ſunt.* Et Paulo poſt: *Bona præterea publicari jubet, vitam ſolam relinquit nefariis hominibus, quam ſi ademiſſet, multas uno dolore & animi & corporis & omnes ſcelerum pœnas ademiſſet.* Refert. Val. Maximus *lib* 6. *cap.* 3. C. Vatinium alii legunt Vectienum, quod ſiniſtræ manus digitos ſibi, ne militaret bello Italico, amputaſſet, publicatis omnibus bonis, à Senatu æternis vinculis puniendum adjudicatum. Tempore Amulii Latinorum regis, qui præceſſit Romulum, carcerem fuiſſe in pœnam perpetuum colligitur quoque ex Dionyſio Halicarnaſſeo *in* 1. *antiq.* qui de Ilia ſcribens, ait: *Sunt qui confeſtim eam necatam puellam tradant, nec deſunt, qui malint conjectam in occultum carcerem, eumque perpetuum. Unde necatam eſſe vulgo traditum eſt.* Tempore Marii, non vita, ſed mors in beneficio erat poſita, Val. Maxim. *lib.* 6. *cap.* 8. dum agit de quodam ſervo Caii Marii, eratque vita morte acerbior, Apollonius Tyaneus *apud Phil. lib* 1. *de vita Apollonii,* conſultus à rege Babiloniæ de pœna imponenda eunucho, qui deprehenſus fuerat unà cum regiis pellicibus cubans, nihil ſtatuendum amplius cenſuit, quam ut viveret, nec veniæ cauſa, ſed ſupplicii, quod ipſum ſi vixiſſet, comitaretur. *Si enim,* inquit, *in vita permanſerit, ô Rex, difficilia, & tolerata aſpera multa feret, nec cibo, nec potu utens, nec ſpectaculis quæ te, tuosque delectant, fruens. Saliet inſuper in eo cor frequenter, è ſomno excitabitur. Quis igitur ſic viventi morbus non aderit? Quæve peſtis viſcera non laniabit? Quod ſi non nimium vitæ amator ſit, ipſe te ſæpius rogabit, ô Rex, ut ſe interficiat, aut ſibi ipſe mortem conſciſcat, præſentem diem deplorans, quod non ſtatim ſibi mors contigerit.* Severianus cum tanquam ſuſpectus, juſſus fuiſſet ab Adriano Imperatore occidi, priuſquam jugularetur, ignem popoſcit, atque incenſo thure. *Vos,* inquit, *ô Dii teſtor, me nihil mali commiſiſſe. Adriano tantum hoc imprecor, ut cum mori cupiet, non poſſit.* Et ita contigit pro graviſſima pœna, Xiphil. *ex Dione in Adrian.* Sic Nero ſe occidendo, latitans cùm noluiſſet eum libertus rogatus occidere, mœſtiſſimus dixit: Ergo ego nec amicum, neque inimicum habeo? Idem in *Nerone.* Hoc & conqueſtus quod non poſſet mori Mithridates, Dio

Caſſ.

Caſſ. *lib.* 37. *hiſt. Rom.* præ ſenectute non valens ſibi vulnus lethale fingere, nec veneno poſſet offendi, cùm perpetuo fuiſſet antidotis nutritus.

Inter pœnas Julius Pollux *lib.* 8. *onomaſt.* annumerat & carceres, & ſtigmata, & columnam. Et Emanuel. Comnenus Orientis Cæſar, *lib.* 1. *Orient. jur. in* 8. *Conſtit. de homicid. voluntariis*, eum, qui homicidium ſponte ac præmeditate perpetraverit, cuſtodiæ perpetuæ adjudicat. Fuiſſe & ſpeluncam, in quam conjiciebantur malefici apud Spartiatas, teſtatur Thucydides *lib.* 1 ubi ait ſcholiaſtes, Cæadas eſſe locum quendam apud Lacedemonios, in quem ſolebant ſontes conjicere, & ubi ſecundum Alex ab Alexandro *lib.* 3. *genial. dier. cap.* 5. damnati cogebantur mortem oppetere. Meminit & Pauſanias in Miſſeniacis, ſicut & legitimus Athenis Cæadas fuiſſe barathron, & Suidas teſtatur Cæadas apud Lacones, & Siculos fuiſſe regiam cuſtodiam. Apud Perſas autem domicilium cineribus plenum, & in Cæadam conjectos maleficos. Et Atheois barathrum locus profundiſſimos anguſti oris, & fundo lato & cœnoſo *Cal. Rhod. lib.* 9. *tit.* 34. in quem detrudebant ſontes, morti addictos. Certè locus ſupplicii verè potius, quàm carceris, niſi & ibi vita miſerior morte, quibuſdam alimentorum ſubſidiis, ad mala patienda prorogaretur, donec paulatim tabe reſolveretur. Similes his Romæ Scalæ Gemoniæ, ad quas corpora damnatorum, impacto unco, trahebantur.

Erant & alia genera carcerum, & loca diverſa illorum, quæ explicat idem Rhodiginus *lib.* 17. *cap.* 8. *&* 9. Latomiæ erant etiam Siracuſani carceres opus ingens, ut ait Cicero *in pratura urbana act. ult.* magnificum Regum, ac Tyrannorum ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſum, & multorum operis penitus exciſum. Nihil tam ſeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias nec fieri, nec cogitari poteſt. Iſti carceres hypogea, ſeu loca ſubterranea erant, ex quibus exciſſi erant lapides, vel eruta terra. Erant & ſaxifodinæ. Poſſumus & talia dicere loca, Infernus, id eſt inferiora loca, qualia & fuiſſe Romæ quoque colligere licet ex Juriſconſultorum reſponſis, qui de illis meminerunt *l. ſuccurritur ff. ex quibus cauſ. ma l.* 1. *§. fin ff. de alea luſu, & aleat.* Decas erat etiam apud Lacedemones in carcere locus; in quo morte damnatos ſtrangulare conſuetudo fuit, ut autor Plutarchus *in vit. Ægid.*

Ex his autem omnibus neceſſarium eſt colligamus diſtinctionem Carcerum ſecundum Platonis ſententiam *lib.* 10 *de legib. prope finem*, alios eſſe detentionem tantum, alios ad caſtigationem, alios ad ſupplicium. Verba ejus ſunt: *Delati Magiſtratibus, & condemnati rei omnes carceribus contineantur. Tres verò ſint in civitate carceres. Unus pluribus communis in foro rerum venalium, ut multi, ne fugiant, cuſtodiantur. Alter ubi cœtus eorum ſit, qui nocte congregantur correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione ubi quàm maximè deſertus, ſylveſtriſque locus eſt, ſupplicii nomine notatus.* Ad cuſtodiam ſolum deputati leviori cuſtodia & moleſtia feriuntur, hiſque ſolent debitores contumaces concludi, qui pedes habent pulveroſos, ut dicitur, quos licet ea ratione creditoribus apprehendere propria autoritate ac retinere *l. ait prætor §. ſi debitorem, ff. quæ in fraud. cred.* & in carcerem trudere, donec exolvant uſque ad noviſſimum quadrantem. Quod & juris antiqui judicium eſſe videtur ex his, quæ apud D. Matthæum ſcribuntur *cap.* 18. & ex lege duodecim Tabularum, Gellius *lib.* 20. *cap.* 1.

Si contumaces autem non ſunt, nec malæ fidei, non licet in carcerem ducere, ob æſque, aut debitum etiam fiſcale, perſonæ moleſtiam inferre jure civili, quo utimur, *l. nemo carcerem, C. de exact. trib.* Idipſum & apud Athenienſes obtinuit, ut ex Plutarcho liquet *in vita decem orat.* Et maximè veragin mulieribus, quæ pro nulla cauſa pecuniaria carcere concludi poſſunt, *auth. hodie C. de cuſtod. reor. auth. ſed hodie C. de offic. div. Jud. §. neceſſarium ut nul. lic. hab. loc. ſerv.* pro crimine verò tantum poſſunt, tamen in loco ſeparato à carcere virorum, ut dictum eſt.

In hoc carcere quoque capti ob crimen, antequam peragantur rei, poſſunt concludi, ſed poſtmodum ſi criminis aliqua videatur ſuboriri probatio, in alium carcerem transferuntur tutiorem, vel duriorem inter reos cuſtodiendi, injectis, ſi opus eſt, vinculis. Vulgò enim diffamatus, ut tradit Angel. *in l. ſi longius, §. ſi filius ff. de judic.* de crimine, incarcerari poteſt, antequam proceſſus inquiſitionis inſtruatur, & poſt captionem plenior fit inquiſitio. Communis hæc reorum habitatio, niſi ſi de ſociis ſceleris unius fuerit ſuſpicio, quo caſu cuſtodia horum ſeparatur, ne colludendo inter ſe aliquas fallacias, falſaſque rationes excuſandi delicti commentari, machioarive poſſint, atque ideo ſeparandos juſſit Carolus V. Imperator *in conſtit. de capital. cauſ. edita art* 11. quam ex ſermone germanico in latinum vertit Juſtinus Goblerus.

Carcer caſtigationis, ſive admonitionis levior eſt, in quem detruduntur temporali quadam pœna leviorum criminum rei ut reſipiſcant. Hujuſmodi carceres profundi, obſcuri, ibi vincula, nervi, compedes, in quos aleatores Ulpian. *in l.* 1. *§. fin. ff. de al. uſ. & aleat* blaſphemi, contumaces parentibus, & his ſimiles ſolent mitti, jejunio ad modicum tempus ſociato, vel panè ſolo caſeatio, & aqua præbitis. Hunc carcerem primus ad terrorem ædificavit Romæ Ancus Martius, quartus Rex Romanorum, ut ſcribunt Livius *in* 1. *&* Plinius *de vir. illuſtr.* Tribuit hoc tamen Tarquinio Superbo inventum Eutropius *lib.* 1. *de geſt. Roman.* ſicuti & inventionem fuſtium, vinculorum, Latomiarum, catenarum, exilii, ac metalli. Jus & poteſtas iſtius carceris, qui ad pœnam eſt, Imperii eſt, ut notant Alexander, & Bartolus *in l.* 3. *ff. de juriſd. omn. Jud.* Ideo non conceditur civilibus Magiſtratibus *l. ea, quæ ff. ad munic. §. nullum auth. de defenſ. civit.* cum tamen, ſi ad cuſtodiam ſint tantum carceres, minoribus quoque concedantur, quia juriſdictionis ſunt *§. & judicare auth. eod.* Inde non modicum beneficium exiſtimarunt antiqui, pietatis ac religionis cauſa, ſolvere vinctos à carcere, & veluti pœnam eis illam levare, ac remittere, ſi graviorum criminum rei non ſint, in die Paſchatis *l. nemo C. de Epiſc. aud.* quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus reſurrexit, ſolutis mortis vinculis. Quemadmodum & apud Judæos in memoriam liberationis captivitatis Ægyptiacæ, tempore, quo ſuum Phaſe celebrabant, ſolvebant ex reis, etiam maximis, unum à carcere, & pœnam eidem remittebant, Joan. *cap.* 18. & Matth. 27. Et apud Theſſalos die feſto, quem Pelorium dicebant, vincti de carcere dimittebantur, & in convivium admittebantur ob memoriam beneficii à Peloro quodam recepti, ſicut narrat Athenæus *lib.* 14. *dipnoſoph. c.* 17. poſt Bathonem Sinopæum *in orat. de Theſſal.* ſoleor & hodie in die Paſchatis quoque, vel feria ſexta paraſceves à Principe indulgentiæ, & abolitiones criminum reis concedi. Et dum is etiam aliquas perluſtrat civitates carcere detentis pro jucundo ejus adventu veniam delictorum impartitur. Atque Licinius Rufinus juriſconſultus reſpondit, ſi victum, aut ſtratum inferri in carcerem quis judicato non patiatur, utilem in eum pœnalem actionem dandam eſſe, vel ſecundum alios injuriarum actionem in eum dari poſſe, *l. ſi victum ff. de re judic.*

Carceres quoque in ſupplicium dati ſunt jure Civili ac Pontificio, in quo & perpetui. Nam receptum eſt, ſervum pœna perpetuorum vinculorum damnari

Romano

Romano jure poſſe, *l. ſervus ff. de pœn.* Libetos autem minime, *l. in credibile, C. eod.* Calliſtratus *in l. mandatis ff. eod. tit.* Jure ponrificio & perpetuus, & temporalis ob ſceiera in Eccleſiaſtici fori homines, conceſſus carcer, *cap. quamvis de pœn. in 6. cap. un. eod. in extravag. com.* Felin. *in cap. qualiter 2. §. fin. num.* 10. *de accuſ.* Quia ſemper Eccleſia ſperat converſionem & pœnitentiam delinquentium, nec vult cum Principe ſuo Deo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat, Ezech. *cap. 18. can. hi, qui 3. q. 4 can. hi, quibus 23. quaſt. 8. §. ut non luxur. con. natur. auth. coll.* 6. Neque ſupplicium mortis temporalis Eccleſia infligit, neque judicium infert ſanguinis *cap.* in *Archiepiſcopatu de rapt. cap. Clericis, & cap. ſententiam, ac Cler. vel monach. ſec. neg. ſe imm.* ideo grave ſcelus perpetuo carcere plectit ad agendam pœnitentiam reum includendo, ut commiſſa defleat, & deflenda ulterius non committat *cap. novimus, cap. 27. §. fin. de verb. ſignif.* Notant & Interpretes Innoc. *in d. cap. qualiter de accuſ. col. penul.* hanc pœnam carceris perpetui pœnæ damnationis in metallum, impoſitæ à jure civili æquari, & Panormitanus tradit *in cap. tua de pœn.* quod ubi pro delicto imponitur pœna mortis jure civili, tunc jure pontificio depoſitus detruditur in carcerem perpetuum. Vide pugnantia apud Diaz in *pr. cr. can. cap.* 119. Nam in hoc vitæ parcitur. Et idcirco carcer ille non debet eſſe ita horridus, ut intra paucos dies, vel aëris defectu, vel pedore, ſive cœno, vel cibi defectu conjectus moriatur, Panorm. *in cap. à nobis de apoſt.* alioquin Epiſcopus vel Judex talem decernens, fit irregularis, Bald. *in l. pen. C. ad leg. Aquil.* Cardinal. *in Clem. 1. de pœnit. & remiſ. q. 7.* Felin. *in d. c. qualiter §. fin. num. 25. de accuſ.* Quamvis enim hæc pœna ſimilis ſit morti, tamen mortis naturalis non eſt, ſed civilis, ut nec qui ea damnantur teſtari, neque capere ex teſtamento poſſint per Bald. *conſ. 448. vol.* 1. de quo tamen ſupra.

Effata autem de carceribus, & carceratis S. Officii adduximus *in 6. tomo.* Illum adi.

Consultatio CLXXV.

De Detruſione in Monaſterium, ac de ſtigmatum inuſtione.

POtiſſima Eccleſiaſticarum perſonarum habentium juriſdictionem cura in eo verſatur, ut omnibus modis, quibus fieri poſſit, contendant delinquentes à ſcelere revocare, & pertinaces, ſive contumaces in iter, à quo aberrarunt, reducere; mortemque naturalem nunquam infligunt, expectantes, ut aliquando reſipiſcant. Proinde Monaſteriorum, & carcerum perpetuorum pœnam adinvenerunt, vel uſurparunt, expectantes, ſi has inter moras vivendi, incluſos peccaſſe pœniteret.

Monaſteria per ſe loca referunt ſolitaria, ſemota ab omni hominum ſecularium ſocietate, & ab his, quæ mentem à Dei contemplatione avocare poſſunt *can. Luminoſo, 18. q. 2.* ſicut & Monachi nomen ſolitarium, triſtemve ſignificat, *can. placuit, & can. ſi cupis 16. q. 1.* Vitæ auſteritas, quæ in monaſteriis olim eſſe ſolebat, facile ibi addictos pertrahere poterat ad vitam meliorem. Regulare olim erat, ut Epiſcopus aſſignaret Clerico, quem depoſuiſſet, monaſterium, ubi ſua peccata lugeret, & amplius delinquendi ſubmoveretur occaſio, *can. ſacerdos d. 81. cap. Clerici, cap. 4. de exceſ. Præl. cap. tua diſcretioni, cap. fin. de pœn. can. de lapſis 16. quaſt. 6.* ſolebantque vel in quinquennium, vel ſeptennium ibi concludi *cap. ſicut dignum §. clericos de homic.* Jure civili quoque hæc pœna concluſionis monaſterii recepta eſt, ut ex pœna adulteræ conſtat *auth. ſed hodie C. ad leg. Jul. de adult.* Et ex pœna exauthorati Epiſcopi ingredientis contra prohibitionem Civitatem, à qua fuerit pulſus *in l. quicunque, & auth. ſiquis Epiſcopus de Epiſc. & Cler. & in l. Theodoſius §. ſiquis autem de ſanctiſ. Epiſc. novel.* 123. Item ex pœna ejus Clerici, qui contra prohibitionem legis tabulis luſit, vel ſpectaculis interfuit in *auth. interdicimus C. de Epiſc. & Cler. §. Interdicimus eod. tit. in auth.* Attamen non ideo, quod in pœnam monaſterio quis includitur, monachus fit, etſi tondeatur, & habitum ſuſcipiat, ut notat ex ſententia Joannis Accurſius Gloſ. *in d. auth. ſed hodie v. habitu C. ad leg. Jul. de adult.*

Stigmata verò notæ ſunt, quæ inuruntur delinquentibus, ut conſtet per ſigna ea reos fuiſſe criminum. Stigmata namque per ſe ſignum referunt, quæ nec perpetuò ob crimina, ſed & ob alia indicanda inurebantur. Horum exempla exhibere ſupervacaneum puto. Sicut autem facinoroſis quibuſdam, hodie inuritur dorſum, ita olim in pleriſque nequam idem ſervatum, niſi quod olim frequens erat reorum inſcriptio in facie, quod pridem lege Conſtantini Magni abrogatum eſt. Noluit enim optimus Princeps partem humani corporis ad cœleſtis, ut ait, pulchritudinis ſimilitudinem figuratam, dehoneſtari ea deformatione. Decretum hoc Conſtantini habetur *l. ſiquis in metallum C. de pœn.* Alias ergo quorundam reorum inſcriptiones nunc uſurpant chriſtiani Judices.

Sacrilegos notari ſtigmate mandabat his verbis Plato *lib. 8. de legib.* ſiquis ſacrilegium commiſerit, ſiquidem ſervus, aut hoſpes fuerit, in facie, manibuſque crimen inſcriptus, & flagellatus extra fines patrios projicitor.

Eminent inter ſacrilegos blaſphemi, & in perjuria temere proclives, quales multi juratores aſſidui. Eos S. Ludovicus Rex Francorum ſtigmate inuri voluit, ut ſcribit Jonvillæus *in actis Sancti Regis cap.* 85. & plenius Gaufridus à Bello loco Regis Confeſſarius in ea deſcriptione vitæ ejus, quam Gregorii X. juſſu edidit, componens illum cum piiſſimo Rege Joſia. Ibi *n.* 31. ſic habet: Plurimum anxiabatur, & compatiebatur cor ejus ſuper peſtem illam, quæ ab antiquo noxia, occupaverat ſpecialiter regnum ſuum, videlicet vitium jurationum turpium, & blaſphemiarum in Dominum, & in Sanctos ipſius. Zelo igitur divino permotus, & ſolerter cogitans qualiter hæc execrabilis noxa poſſet ad honorem Dei de regno ſuo radicitus extirpari, habito prius conſilio diligenti cum D. Simone S. Ceciliæ presbytero Cardinali, tunc Apoſtolicæ Sedis Legato in Francia, autoritate ipſius Legati, & ſua convocati ſunt Pariſiis Majores de Regno tam Principes, quàm Prælati, ut ſuper hoc damnabili vitio refrenando, vel potius deſtruendo, apponeretur conſilium, & remedium ſalutare. Igitur à D. Legato, facto ſuper hac materia ſermone ſolenni, plurimum efficace, Rex catholicus zelo ſancto ſuccenſus, ore proprio fecit ſuper hoc exhortationem devotam, & rationibus validis, & apertis ſubnixam. Igitur de communi conſilio & aſſenſu edidit pius Rex generale ſtatutum, quod per totum regnum ſervari, & promulgari voluit. Pergit Gaufridus. Igitur poſt edictum hujuſmodi publicatum, quidam civis Pariſienſis, conditionis mediocris, inhoneſte valde jurando, blaſphemavit in Deum. Quem Rex juſtus abſque miſericordia cauterizari præcepit in labiis ferro candenti in peccati ſui memoriam ſempiternam, & ad aliorum exemplum. Super quo cum multi ſecundum ſeculum ſapientes propter hoc contra Regem, verbis maledicis

murmurarent, audiens ſæpe Rex magnus, & ſciens eſſe ſcriptum, *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines* juxta illud *maledicent illi, & tu benedices*, dixit verbum catholicum, videlicet, quod deſiderabat potius ſimile cauterium ſibi in labiis eſſe factum, & quoad viveret talem indecentiam ſuſtinere, dummodo hujuſmodi pernicioſum vitium de regno ſuo penitus tolleretur. Hactenus Gaufridus.

Admittit & jus pontificium hanc pœnam, atque Clericis adulterantibus ſigillum regium, iis ab Ordinibus dejectis, inuri characterem aliquem ſtatuit in ſignum maleficii *cap. ad audientiam de crim. falſ.* nempe per Judicem temporalis juriſdictionis, Gloſſa *in d. cap.* cum Eccleſia non inferat judicium ſanguinis, ut ſæpe monui. Eam inſcriptionem characteris Pavinius *de viſit. p. 1 q. 6. nu. 39. ex d. l. ſiquis in metallum. C. de pœn.* ait non eſſe faciendam in facie. Quod concedendum. Addit vero in alia parte ſtigma debere ita inuri, ut ſola cutis ſuperficies deformetur citra ſanguinis effuſionem, ut ait notari *in d. cap. ad audientiam.* Pontifex tamen nihil tale ibi decernit, ſed tantùm, ut punitio ſit citra mortem. Et quoniam hæc pœna non poteſt non eſſe pœna ſanguinis, idcirco eſt Clerico infligenda per Judicem temporalis juriſdictionis poſt ſententiam tamen declaratoriam Judicis Eccleſiaſtici.

Præ cæteris autem inuſtum Novioduni Calvini dorſum, conſtat. Cùm enim ob nefandas ſpurcitias vivicomburio fuiſſet addicendus per lenitatem toti Eccleſiæ damnoſam, & erga hæreticos, maxime verò erga Hæreſiarcharum capita ſemper improbandam, ut ait Hieronymus *epiſt. ad Theophilum*, mulctatus duntaxat eſt impreſſione liliorum è candente ferro in dorſo ejus facta, ut ex illius ævi hiſtoricis, & ex actis publicis confirmat Leſſius *diſputatione de hoc argumento, ſubtexta Conſultationi de religione capeſſenda*, ubi fraude fratrum reformatorum hoc autoris, & ducis ſui propudium horreſcentium, labem factam in Archivo Noviodunenſi, convincit. Videndus etiam in hanc rem in appendice de Calvino ad calcem tractatus de Antichriſto, ubi propugnat quod priori loco ſcripſerat. Aliunde item liliatum Calvini dorſum confirmat Nicolaus Romæus *in Calvini confeſſione ar. 6.* Fuere hæc Calvini lilia, non alba, ſed nigra, ut ſcite luſit Petrus Alois *centur 3.* ſic canens.

Veris honos roſa, nativo quæ purpurat oſtro,
Autore exeruit, te Cytherea, comas.
Æmulus & conjux tibi Cypria, Mulciber idem
Autor & ipſe novi germinis eſſe cupit.
Hinc dextra ignipotens ferrum molitus & ignem
Lilia Calvini tergore nigra dedit.

Fides ſit penes Authorem.

CONSULTATIO CLXXVI.

De Pœna Triremium, verberum, fuſtigationis, flagellorum, & hujuſmodi, quibus ea, & à quibus imponenda.

DAmnatio ad triremes ſucceſſit in locum damnationis in metallum, vel deportationis, ut per Foller. *p. 2. prax. c. 9. n 9* Diaz. *in pr. c. 146. n. 3.* Salzed. *ad Diaz. c.* 140. § *hic* equidem, Capic. *dec.* 1513. Farin. *q. 19. n.* 14. ad quas damnatus remanet infamis, etiam à triremibus poſtea liberatus, peracto ſcilicet tempore *per. l. ad tempus C. ex quibus cauſ. infam irrogat.* Unde Urbanus VII. in S. Congregatione S. Officii 4. Januarii 1635. decrevit, quod in poſterum tam presbyteri ſeculares, quàm cujuſvis Ordinis Regulares damnati ad triremes perpetuò, vel ad tempus, & cum effectu tranſmiſſi, finito tempore pœnæ, vel habita gratia reſidui pœnæ, nunquam habilitentur ad executionem Ordinum. Putarem gratiam fieri per Principem facile poſſe damnatis in perpetuum ad remos, ut poſt decennium, vel ſi inutiles labori ſint, revocari reſcripto poſſint: non niſi enim à ſupremo Principe hæc pœna remitti, & condonari poteſt, *l. relegati, & l. ad beſtias §. ex provincia ff. de pœn.* Theſaur. *dec.* 21. *num.* 1. Peregrin. *de jur fiſc. lib. 5. tit. 8. num. 8.* Adeo ut nec Barones hanc autoritatem habeant, Oſaſcb. *dec.* 102. *num.* 1 Farinac. *q. 6. num. 8. & ſeqq.* Videndum tamen, ne horum liberatio in perniciem Reipublicæ recidat, ſi ejus generis ſint remiges, qui ſoluti nocere poſſint. Genus pœnæ eſt, qua homines perditi, nefarii, condemnantur ad vincula, ut vocant, nautica, aut Triremes.

Hæc pœna aliquando eſt perpetua, aliquando temporalis. Iſta non minor ſeptennio in ditione Eccleſiaſtica, non minorem eſſe apud ſuos ſexennio, teſtatur Jodoc. *in pr. cr. c.* 151. *num.* 6. *& ſeq.* Alias non poſſunt duces navium breviori tempore reſarcire damnum ac ſumptus, quos ferre debent pro advehendis, & evehendis, ac inſtruendis condemnatis, ut refert idem Jodoc. *loc. cit. n.* 7. Ubi ait, quod ſi delicta ſint talia, ut non ſit imponenda pœna triremium per tot annos, tunc imponenda ſit alia pœna corporalis inferioris qualitatis. Adeoque gravis eſt atque exoſa illam perferentibus, ut plerunque decollationem Ergaſtulis nauticis præferant, quod illis levior videatur ob moriendi neceſſitatem mors quævis ſubita, quàm illa tam diuturna, totque ſuppliciis aſſiduis excarnificans, Jodoc. *d. cap.* 151. *n.* 68. ubi de remigum amictu, ſomno, exercitiis, caſtigationibus, aliiſque innumeris pœnis. De hac re luculentum edidit tractatum Lazar. Boxil. *de re naval.* quem compoſuit ad *l. 2. ff. de capt. & poſtlim. reverſ.* & Antonii de Guevara *de muniis, laborib. & privil. trirem.*

Si in triremibus adſint remiges, qui tempus expleverint, vel alii, qui ſive ab initio ſint, ſive poſt tranſmiſſionem reddantur inhabiles, iſti reconducendi ſunt ad carceres, & coram viſitatoribus inhabilium referenda ſunt remigum impedimenta, præſentibus Medico, & Chirurgo, qui atteſtantur de eorum inhabilitate, fiuntque decreta pro illorum relaxatione juxta qualitatem delictorum ac perſonarum. Si enim hujuſmodi condemnati detegantur ſtatim à condemnatione, & antequam fuerint ad triremes tranſmiſſi inhabiles, ſintque capaces alterius pœnæ, ut puta fuſtigationis, non dimittuntur impune, pœna triremium commutatur in fuſtigationem. Quod ſi non ſint capaces alterius pœnæ, commutatur pœna triremium perpetuarum in exilium ſub pœna ultimi ſupplicii, licet hæc pœna non ita rigoroſe infligatur in caſu contraventionis, immo nunquam pro prima vice. Quod ſi condemnatio triremium ſit ad tempus, commutatur in exilium, ſed ſub alia pœna, quàm ultimi ſupplicii, ſub pœna ſcilicet fuſtigationis, ſi ſit adæquata delicto, ac perſonę, vel alia congruenti. Si imberbis, vel valde gracilis, commutatur pœna in fuſtigationem, ſi tale ſit delictum, pro quo ſoleat infligi hujuſmodi pœna.

Infirmitates verò, quę homines reddunt inhabiles, ſunt quamplures. Valetudinarii, ſi multum debiles ſint, & tenuis corporis conſtitutionis, quamvis non notabili morbo affecti, & maxime qui ex non aſpernabili febre, aut acuto aliquo morbo adhuc non perfecte convaluerint, tranſmittendi non ſunt ad triremes, niſi poſtquam optime convaluerint, qui verò chronicis morbis quibuſdam, ut hydrope, cachexia, febribus longis, etiam levioribus, morbo gallico, arthritide, apoplexia,

paralyſi,

paralyſi, epilepſia, melancholia cum delirio, affectibus oculorum, nempe cæcitate, ophthalmia, & catharacta, ſive ſuffuſione, ſurditate, defectu dentium, hemicrania confirmata, morbis pectoris, pthiſi, empyemate, ſputo ſanguinis ex partibus ſpiritualibus, fluxione à capite ad pectus ſalſa, & continua, anguſtia pectoris, aſthmate, ſchirro epatis, & lienis, epate male affecto, fluxu epatico, ventriculo non bene concoquente, diſſenteria, & lienteria, dolore colico, nephritico, iliaco, omnibus herniis, iſchiade, podagra, & omni morbo articulari, pedibus male affectis, tam vulneribus, quàm contuſionibus, debilitate partium ex cauſa interna producta, ſive ex inſtrumentis incidentibus, ſive ex caſu ab alto, ſive ex ſcloperis, ex quibus, in quacunque parte actio fuerit vel depravata, vel imminuta, vel abolita, ex quibus læſionibus ea non poſſit uti ad remigandum, polypo in naribus, & ulcere, lapide in veſica, fluxu hemorrhoidarum continuo, & ulceribus ani, diſſolutione, & fractura oſſium, fiſtulis, lepra, à trireme excluduntur.

Et ſane conveniens eſt, fieri hujuſmodi viſitationem inhabilium; triremes namque fortes ac robuſtos homines ad remigandum requirunt, & idcirco, ſi ad eas damnati ſunt infirmi, non ſunt tranſmittendi, & tranſmiſſi dimittendi ſunt *l. 2. § corporis ff. de vac. mun.* ubi Doctores, Paris de Put. *de ſyndic. v. condemnatio*, ac Thom. Actius *de infirmit. p. 2. v. triremes.* Sunt præterea impedimento aliis. Hiſque infirmis æquiparantur debilitati, aut mutilati, qui huic muneri incumbere nequeunt, *cap. ſi quis teſtium de teſt & cap. 2. de Cler. ægrot.* Menoch. *de arb. caſ.* 60 *numero* 17. Actius *loc. cit. p. 1. cap.* 18 *ex numero* 8. impoſſibilium enim nulla obligatio *l. ſi ſtipuler ff. de verb. oblig.* Medic. *de caſib. fortuit. q. 4. p. 1.* Decian. *reſp.* 14. *num.* 38. *lib.* 3. Cyriac. *contr.* 10. *numero* 52. Et impoſſibile dicitur, quod propter infirmitatem expleri non poteſt, Ludovic. *dec. Lucen.* 13. *num.* 32. ubi ait, quod torqueri non poteſt, Actius *d. p. 1. cap* 9 *numero* 15. *& ſeqq.* Qua ratione infirmitas quoque in cauſa criminali excuſat *l. quæſitum ff. de re judic.* Gabr. *de maleſ. concl.* 9. *num.* 69. Farinac. *quæſt.* 99. *num.* 122. & Guaz. *def.* 12. *cap.* 1. *numero* 12.

Interque inhabiles computandi ſunt imberbes, non ſolum propter virium debilitatem, ſed etiam ad evitanda ſcandala, quo caſu commutatur pœna in aliam, arbitrio Judicis. Quare Judices abſtinere debent à condemnando in pœnam triremium hujuſmodi inhabiles, & ante condemnationem certiorare debent de Inhabilitate ſupremum Inquiſitionis Tribunal, ut poſſit impertiri facultatem in aliam pœnam condemnandi.

Interdum autem illi, qui ex gratia fuerunt ab ultimo ſupplicio liberati, commutata eis pœna in triremes perpetuas, apparent etiam inhabiles ad hujuſmodi pœnæ ſatisfaciendum. In quo caſu caute procedendum eſt in conſulendo Principem pro nova commutatione. Nam licet conceſſum ex gratia, non debeat revocari, ſed poſtquam eſt facta, ex juſtitia ſuum ſortiri debeat effectum. Rot *dec.* 33. *num.* 16. *de prob.* ſolet tamen Princeps reſpondere, ſi reus non eſt gratiæ ſibi factæ capax, fiat illi juſtitia, ſicque laqueo ſuſpenditur. Conſultius itaque eſt, ut qui habent hujuſmodi gratias, non allegent inhabilitatem, ſed potius patiantur ſe tranſmitti ad triremes, ubi aliquando etiam ii, qui credunrur inhabiles, apparent habiles. Cognita verò eorum inhabilitate, liberantur, & commutatur eis pœna.

Cùm autem damnati ad triremes ſint perſonæ miſerabiles, & ut plurimum in gravi neceſſitate ſpiritualium auxiliorum, admonendi ſunt Epiſcopi, qui habent triremes ſub ſua juriſdictione, ut ad eos mittant confeſſarios, ac prædicatores, eoſque ſæpe viſitari faciant à parochis. Habent enim in mare, ſuæ diœceſi adhærenti juriſdictionem per centum milliaria, Bertaz. *de Epiſcop. lib. 4. p. 6. quæſt.* 34. *Felin. in cap.* Rodulphus *de reſcript.* Et poſſunt viſitare capellanos triremium, niſi obſtent privilegia, Navar. *conſ. 4. de for. compet.* Geuuen. *in man. paſtor. cap.* 79 *num.* 12. *& ſeq.*

Hac pœna triremium ſoliti ſunt puniri ab Ordinariis & Inquiſitoribus, hæretici pœnitentes, qui puniri merentur carcere perpetuo. Iſti enim damnari ſolent in quinquennium ad triremes, ut teſtatur Royas *p. 2. de hæret. num.* 203. & Carena *p. 3. tit. 12. §. 3. n.* 33.

Sortilegi hæreticalia ſortilegia, & proximi læſiva patrantes, ut ait Zanard. *p. 3. ſum cap* 64. *verſic. Ideo animadvertere*, & Cantera *de ſortileg. cap. 6. num. 6.* Et ſic ad triremes fuiſſe damnatum quendam ſortilegum per ſeptennium ob abuſum Sacramenti baptiſmi, & quendam ſubdiaconum, qui pluries confeſſiones exceperat, refert Carena *loc. cit num.* 45. *& ſeq.*

Polygami regulariter damnari ſolent ad triremes per quinquennium, vel ſeptennium, ſi ſemel tantum, vivente prima uxore aliam duxerint. Nam ſi ulterius matrimonium contraxerint, gravius puniendi ſunt, & longiori tempore in triremibus damnandi, arbitrio Inquiſitorum, ut per Carenam cum aliis *p. 2. tit. 5. §. 12. num.* 61. *&* 62. qui etiam cum Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 178. *nu.* 73. in Hiſpania hos polygamos damnari ad pœnam triremium per decennium.

Teſtes, qui in foro Epiſcopali, ut quis poſſit tranſire ad ſecundum matrimonium, deponunt, eſſe mortuam primam conjugem, cùm ſit viva, regulariter una cum polygamis ad triremes per quinquennium, vel etiam ad ſeptennium, juxta eorum culpam, arbitrio Inquiſitorum damnantur, Carena ubi ſupra §. 13. *n.* 67. Et eadem pœna eſſe puniendos teſtes alios, falſum deponentes in S. Tribunali, vel falſum denunciantes, affirmant Souſa *l. 2. aph. cap.* 8. Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp. 8. pun. 16. §. 6. n. 9.* ac Diana *p. 4. tr. 7. reſol.* 16.

Eadem pœna triremium damnandi ſunt, qui, cùm ſint in ſacris Ordinibus conſtituti, matrimonium contrahunt, Diana *d. tr. 7. reſol.* 5. & Caſtrop. *d. pun.* 16. *paragrapho* 8 *num.* 4.

Confeſſarii ad turpia in ſacra confeſſione ſollicitantes, ad triremes damnantur, Freitas *de confeſ. ſollic. quæſt.* 24. *num.* 115. Caſtropal. *loc. cit. diſp. 9. pun.* 11. *num.* 2. Souſa *in aph lib. 2. cap.* 24. *num.* 67. ac Diana *d. reſol.* 7. *num.* 4. teſtatur fuiſſe quendam confeſſarium ad triremes per ſeptennium ob ſollicitationem damnatum. Et ita generaliter ſervari in praxi Inquiſitionis Romanæ affirmat Batiola *de confeſ. ſollicit. poſt flores Inquiſit.* ac Freitas *loc cit.*

Blaſphemi hæreticales ex conſuetudine, ſi non ſint nobiles, ad triremes, alii damnantur per triennium, alii per quinquennium, alii per decennium. Eademque pœna puniuntur conſpurcantes vel conculcantes Crucem, vel Sanctorum Imagines, ut tradit Carena *d. p. 3. tit.* 13. *§. 1. nu.* 41. *& ſeq.* Genuenſ. *in pr. c.* 18. *n.* 12. Royas *de hæret. p. 2. n.* 170. Pegna *in direct. p. 2. comm.* 66. ac Diana *ib. reſol. 8. n. 4.*

Non ſacerdotes miſſam celebrantes, vel confeſſiones audientes ex decreto Clementis VIII. traduntur brachio ſeculari; ſed in Hiſpania damnari ſolent ad triremes, ut inquiunt Souſa *lib. 1. aph. cap.* 32. *numero* 12. ac Diana *ubi ſupra reſol.* 11 *& ſeqq.* A noſtris Inquiſitoribus idipſum ſervatur, quando vel delictum non eſt ita plenè probatum, vel adſunt aliquæ

cauſæ de jure delictum minuentes, ut cum reus eſſet infra vigeſimum annum, ut per Caren. *d.* §. 3. *num.* 44.

Qui Officium Inquiſitionis uſurpavit, ut aliquos terreret, vel pecunias extorqueret, aut alia crimina committeret, pœna fuſtigationis & triremium eſt afficiendus pro qualitate delicti, Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46 *col. ult.* & *in Enchir. c. ult. n.* 15. Clar. *l.* 5. *recept. ſent. tit. ad leg. Cornel. teſtament.* Caſtropal. *d. pun.* 16 §. 7 *n.* 4. & Carena *ib. n.* 52.

Qui teſtes, vel denunciantes ob eorum teſtificationem, vel denunciationem contra delinquentem, percutit, ſi percuſſio ſit gravis, etiamſi mors non ſequatur, ultimo ſupplicio à S. Tribunali damnari ſolet. Si autem ſit levis, & facta baculo, mittitur ad triremes ex Conſtitutione B. Pii V. *ſi de protegendis*; & notat etiam Carena *eo loco n.* 45.

Poſſunt etiam Inquiſitores hæreticis pœnitentibus pœnam triremium, non ſolum ad tempus, ſed perpetuo imponere, ut cum Campegio, & aliis docet Farinac. *de hæreſ. q.* 192. *n.* 88.

Miſcentes in ſortilegiis Oleum ſanctum, ſive ſacrum chriſma, vel ſacramentalia, vel orationes, aut verba ſacra, & negantes ſe credere, quod prædicta vim habeant ad cogendum arbitrium, aut ad alios turpes effectus, abjurare debent de vehementi. & poſſunt, ſpectata perſonarum qualitate, indui mitra infami, in publicum produci, vel cum vituperatione prope fores Eccleſiæ conſtitui, ut tradunt Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 21 *n.* 22. Pegna *d. p.* 1. *com.* 67. Seſſe *tom.* 4 *dec.* 466. *n.* 13 Verum de ſtylo S. Romanæ Inquiſitionis ſolent ad triremes condemnari, ut per Genueoſ. *in pr. c* 68. *n.* 8. Delrium *lib* 5. *magic. ſect* 16. Dianam *p.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 16. ac Souſam *in aph. lib* 1 *c* 58 *n* 10.

Teſtes falſi, ut ſuprà dictum eſt, ex inveterata conſuetudine damnantur ad triremes, & aliquando mitra infami etiam fuſtigantur, ut ait Souſa *l* 1. *aph. c.* 8 *n.* 27. Et eadem pœna puniuntur, ſi pro defenſione inquiſiti falſum depoſuerunt, & abjurant, tanquam fautores hæreticorum, ut docent Caſtropal. *d. p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 8 *pun.* 15 §. 6 *n.* 9. & 10. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 90. ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol* 16. *n.* 3.

Qui precibus, vel minis, vel pecunia teſtem corrumpit, ut falsò contra aliquem in S. Tribunali deponat, plectendus eſt iiſdem pœnis, quibus plectuntur falſi teſtes. Plus enim delinquit qui teſti mandat vel ſuadet, ut falſum teſtimonium dicat, quam teſtis ipſe quia nocendi animum habet, & alium ad falſum teſtandum inducit, ut notant Pegna *p.* 3. *comm.* 127. Simanch. *loc. cit n.* 96 ac Diana *ubi ſupra n.* .. refert, quendam, qui in S Tribunali alios ad teſtificandum falſum corruperat, damnatum fuiſſe ad triremes per decennium cum aliis pœnis

Qui è triremibus aufugit, ſi ibi erat ad tempus damnatus, punitur duplicatione temporis, quod ibi manere debebat. Si autem damnatus erat ad decennium, punitur ad triremes perpetuò. Et ſi ibi perpetuò damnatus erat, punitur pœna mortis. Ita Clar. *in pr.* §. *fin q.* 71. *verſ. quæro* & Carena *d. p.* 3. *tit.* 13. §. 8. *numero* 76.

Verberum autem pœna à jure divino infligitur. Sic enim ſcriptum in eo eſt Deuter. 25 *Judices impium condemnabunt impietatis; ſin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati, erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos pereat frater tuus.*

Verber dicitur & inſtrumentum quo quis cæditur, & plaga ea eo inflicta Eſtque veluti virga longa exilis. Quare & eo nomine continentur virga, baculus, fuſtis, lora, flagellum, ferula, arundo, ac his ſimilia, Valla *lib.* 6. *eleg. cap.* 47. Atque in jure omnis verberatio, percuſſio, ſive plagæ cujuslibet inflictio, vel afflictio, verberatio dicitur, & contra Unde percuſſio corporalis, & ſpiritualis paſſio quædam ad caſtigationem dicitur inflicta *c.* 1. *de Cler. ægrot. can cum beatus d.* 45. Prov. 23. *can. cum percuſſio* 7. *q.* 1. *l.* 3 §. *ſi magiſter ff ad leg Aquil.*

Hæc pœna verberum in foro Eccleſiaſtico infligitur quandoque licitè, *c. in Archiepiſcopatu de rapt. can. fraternitas* 12. *q.* 2. *can.* illi, qui, juncta Gloſſa *v. religioſus* 5. *q* 5 dummodo Judices caveant, ne verbera ſanguinem fundant, *can. his à quibus*, & ibi Gloſſa *v præcipiant*, 23 *q* 8. & ne verbera inferantur Clericis per laicos. Etenim Judices per laicos, etiam diſciplinæ cauſa, clericos jubentes verberari, excommunicati ſunt, *cap. univerſitatis de ſent. excom.* Nec poteſt etiam Epiſcopus ſua manu delinquentem verberare, *can. non liceat d* 86.

Solent autem verbera iis adhiberi, de quorum emendatione ſperatur, non ſecus quam apud parentes, & dominos hoc genus pœnæ ad emendationem familiare eſt, *can. circumcelliones* 23. *q.* 5. *can. cum B. Paulus, & ſeq. d.* 45. *can. diſplicet* 23. *q.* 4. *Claud. l. aut facta* §. *cauſa ff. de pœn l.* 1 *de emend. propin.* Adhibentur & in foro pœnitentiali verba quandoque, quæ pœnitens voluntate propria exequitur juxta illud D. Pauli, *caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo* 1. *ad Corinth.* 8.

Pœna hæc verberum ad mortem etiam jure civili porrigenda non eſt, nec ea pœna quidem Ulpianus damnari aliquem oportere reſpondit, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur *in l. aut damnum* §. *hoſtes ff. de pœn.* Quia ad caſtigationem inducta.

Juris civilis Romanorum etiam Nomothetæ inter pœnas coërcitionis corporalis, fuſtium ponunt admonitiones, & flagellorum caſtigationes, & vinculorum verberationes, autore Calliſtrato *in l. velut fuſtium ff. eod.* Quibus verbis verberandi tres modos exprimit. Fuſtium admonitio forſan eſt, quod nos Itali dicimus *baſtonate*, fuſtinatium. Vocat Cicero hanc pœnam & fuſtuarium. *Nam*, inquit 3. Philip. *ſi Antonius Conſul, fuſtuarium meruerunt legiones, quæ eum reliquerunt.*

Ictus autem fuſtium per ſe non infamat, ſed cauſa, ob quam pœna hæc infligitur, ſi infamiam habet, notat, *l nullam. C. ex quib. cauſ infam. irrog.* Marcell. *in l. ictus fuſtium ff. de iis, qui not. infam. l. in ſervorum* §. *fin ff. de pœn.* ſic non facit martyrem pœna, ſed cauſa, D. Auguſt. *ep.* 61. ac Cyprian. *de unit. Eccleſ.* Nec pudorem, aut ignominiam conciliat carcer, ſed carceris cauſa. Quamobrem & per præconem dum infamia ſequitur, ſi, ut placuit Gordiano Cæſari *l. fuſtibus, & l. verbum precibus C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* additur cauſa ictibus fuſtium.

Verum tamen eſt, fuſtium ictum graviorem eſſe pœnam, quam pecuniariam damnationem, Marcel. *in l. in ſervorum* § *fin. ff de pœn.* Cæterum ſi corporalis hæc, vel alia pecuniaria ob inopiam damnati imponatur, non infamare placuit, licet actio ſit famoſa *d. l. in ſervorum* §. *fin.* & *l. quod ergo* §. *pœna gravior ff de iis, qui not. infam.* Nam gravior pœna corporalis ſobrogata ſupplet pecuniariæ infamiam. Regula enim eſt, ut qui majori pœna, quàm legibus conſtituta eſt, afficitur, infamis non fiat *d. l. in ſervorum* §. *fin.*

Hæc pœna ſucceſſit ſtigmati, & propter gravem, quam irrogat, infamiam, cùm nonniſi pro turpibus, ac ignominioſis delictis infligi ſoleat, *arg. textus in l. ictus fuſtium ff. de his qui not. infam.*

Digitized by Google

ſam, reſpectu exiſtimationis, refertur inter capitales *l. capitalium ff. de pœn.* & gravis reputatur ſecundum Menoch. *de arb. lib.* 1. *quæſt.* 80. *numer.* 54. *& ſeq.* qui eam morti æquiparat *numero* 40. *&* 41. quem ſequitur Farin. *quæſt.* 19. *numero* 29 Licet autem Menochius loquatur ſolum in pœna mitræ, tamen idem eſt in pœna fuſtigationis, de qua Joſeph. Ludovic. *dec. Luc.* 1. *num.* 24. *& ſeqq p.* 1. Clar. §. *fin. q.* 10 *num.* 2. & 8. Immo majorem dicit pœnam mitræ ac berlinæ Farin. *d. quæſt.* 19. *nu.* 29. cum imponatur infamibus ac vilibus perſonis. Fuſtigatio fit ſæpe publicè, interdum per aulam carceris, & aliquando extraneis excluſis. Quod fieri ſolet impuberibus, ac illis, quibus indulgendum videtur ratione ignominiæ, quæ incurritur ob publicam fuſtigationem.

Flagellorum pœna eſt, cùm quis & virgis, & flagris, vel maſtige cæditur. Pœna acerbior forenſis, quàm fuſtigatio, non alia de cauſa, ut opinor, quàm quod flagra, & flagella cui admoventur, & nudantur corpora, fuſtes autem veſtitis inferantur, eruaturque ſanguis ictibus flagrorum & vibices, cute inciſa, durius ferantur. In fuſtium percuſſione rarò ſanguis funditur, § *ſiquis aliquem d. pac. tenen. lib.* 2. *feud.* ſic & majorem pœnam arbitratur Accurſius *in. l. veluti ff de pœn.* flagellorum pœnam, quàm ſit fuſtium. Nam & Marcellus *d. l ita ſervorum ff. de pœn.* exiſtimavit ex quibus cauſis liber fuſtibus cæditur, ex iiſdem ſervum flagellis cædendum, ac domino reddendum. Idemque ſtatuit Paulus *in l. Pedius ff. de incend. ruin. & naufr.* Atque ut mitior pœna poſt comminationem eſt fuſtium caſtigatio, ita poſtea flagellis cæſio *l. levia ff de accuſ. l.* 1. §. *cum patronus ff. de offic. Præf Urb l. fin. ff. de offic. Præf. vigil.*

Ferulæ etiam cutem plagant, ſed levius, unde & impuberum ſunt caſtigationes l. 1. §. *impuberi ff. ad S. C. Syllan.* Compinguntur & maſtiges loris, id eſt corrigiis coriaceis. His, ut plerumque captivi & ſervi hoc modo verberari ſolebant, ut conditionis ſuæ reminiſcerentur, nempe quod capti loris vincti fuiſſent, & vile ducitur loris affici ac ſervile. Opinor Calliſtratum juriſconſultum hoc genus flagelli vocaſſe vincula, dum ait *in d. l. veluti ff. de pœn.* vinculorum verberationem pœnam eſſe. Plagæ eorum duriores illis, quæ loris ſolebant & funicularis magiſtibus addi à tyrannis. Nam & erat ſcutica, habens in ſummitate glandes plumbeas, erant & lora hamata, Unde & ſcorpiones flagells illa dicta quia veluti ſcorpiones caudis lædunt, ſic in flagellorum extremitatibus, & apicibus ſævi addebantur appendices, quibus cutis miſere laniabatur. Fuit autem tormenti ſcorpionis inventum Cretitum, ut ait Plinius *lib.* 7. *c.* 56.

Hac itaque pœna fuſtigationis, ac verberationis primò puniendę ſunt mulieres ſortilegæ, & quę, vivente primo viro, ſecundum matrimonium contrahunt, Souſa *lib.* 5 *aph. c.* 35. *n.* 10. Salzed. *ad Diaz c.* 8. *lit. B.* Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 4. *a.* 6. Carena *p.* 3. *tit.* 13. §. 4. *a.* 55. *& ſeq.*

Secundo conſulens binas nuptias, primo viro vivente, ut obſervat ibidem Diana *n.* 8. *cum* Moura *de incant. opuſc.* 1. *ſect.* 3. *c.* 6. *n.* 11. ubi refert eadem pœna fuiſſe damnatam matrem conſulentem filiam, ut ſecundo nuberet, non mortuo primo conjuge, ac ipſam filiam. Quia non minor ſuſpicio male ſentiendi de ſacramento matrimonii adeſt contra matrẽ, quàm contra filiam.

Tertio ſortilegus, ac polygamus, qui non eſt habilis ad remigandum, non tantum ſemel, ſed pluries fuſtigari ſolet, ut teſtatur Carena *loc. cit n.* 57. *&* 60.

Quarto fuſtigantur teſtes falſi ultra pœnam triremium, Souſa *l.* 2. *aph. c.* 8. *a.* 27. & Caren. *eo loc. n.* 58. qui *n* 60. ait etiam, quod quando teſtes falſi ſunt mulieres, quæ damnari non poſſunt ad triremes, ſemel, vel pluries juxta qualitatem delicti fuſtigari ſolent.

Quinto idem Carena *n.* 59. refert ſæpe uſitatum fuiſſe, præſertim in Hiſpania, Religioſos in ſuo Monaſterio virgis cædi ab aliis Religioſis, præſente Notario S. Officii ob ſollicitationem ad turpia in confeſſione.

Sexto qui de vehementi abjurant, fuſtigari poſſunt, & ad carcerem, vel ad triremes damnari juxta qualitatem perſonæ ac delicti, Zanard. *in direct. p.* 3. *cap.* 134. Genuens. *in pr. c.* 68. *n.* 8.

Septimo qui abjurant de levi condemnari poſſunt, non modò ad aliquam pœnitentiam, & ad pœnam pecuniariam, vel ad carcerem, & ad triremes pro aliquo tempore, ſed etiam ad pœnam fuſtigationis arbitrio Inquiſitorum, conſiderata ſimiliter qualitate perſonæ, & gravitate delicti, Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 7. *pun.* 1. *a.* 9. Diana *p.* 4. *tr.* 7. *de reſol.* 4. *n.* 1.

Octavo quandoque etiam hæretici puniuntur pœna fuſtigationis, ut ait Farinac. *de hæreſ. q.* 193. *a.* 90. & Decian. *tr. cr. l.* 5. *cap.* 42. *a.* 11

Notandum autem eſt hanc pœnam imponendam eſſe citra ſanguinem, ut cum aliis firmant Decianus & Farinacius *loc. cit.* & nos *ſupra*, nec eſſe ad illam damnandas mulieres habentes virum, vel filias nubiles, ne marito fiant exoſæ in odium ſacramenti matrimonii, ac ne filiæ nubiles ob id cogantur carere matrimonio, Souſa *l.* 4. *aph. c.* 13. *n.* 6. & Carena *loc. cit. a.* 61. Idemque dicendum eſt de patre, nubiles habente filias.

Consultatio CLXXVII.

De Pœna exilii, relegationis, ac deportationis. Quibus reis S. Officii imponenda? quænam inter exilium, deportationem, ac relegationem differentia? Et quænam ſit illa exilii pœna, quam exprimit l. quicumque 8. §. *idcirco*, *C. de hæret. Manich. & Samar. Difficilis planè quæſtio.*

PŒna exilii impoſita eſt primo homini à Deo. Nam poſtquam deliquit, ejecit eum de paradiſo, ſive loco voluptatis, ut terram coleret. Itaque peregrinus & exul factus à patria, ejuſque poſteri Geneſ. *c.* 3. *can Adam de pœnit. d.* 1. *can. in capite d.* 50. Et proinde omnes Patres antiqui & Chriſtiani ſe peregrinari in hac vita & peregrinos eſſe profeſſi ſunt Geneſ. 23. Pſal 38. Hier. 35. ad Hebr. 11 1. Petr. *c.* 2. Peregrinamur namque verè à Domino 2. ad Corinth. *c.* 5. Nam patria noſtra eſt illa civitas cœleſtis, quam D Joannes deſcripſit Apocal. *c.* 21.

Hanc peregrinationem univerſorum hominum ſequuta eſt alia particularis peregrinatio, quando à loco nativitatis quis in aliam tranſit patriam vel civitatem, vel coloniam, peregrinique dicuntur omnes extranei alienigenæ § 1. *de non elig. nupt. in auth.* § *fin. de hæred. inſtit.* apud Juſtin Proinde peregrinatio alia eſt voluntaria, & ſine ignominia. Alia ob crimen coacta. Voluntarias peregrinationes plures obierunt, vel ut vitæ neceſſaria ſibi pararent, alios docerent, vel ut diſcerent, & ut laboribus ſuis peccatorum pœnitentiam agerent Peregrinatus Loth, Abraham *Geneſ.* 12. Iſaac, Jacob, aliique patres Hebræorum. Peragrarunt ferè univerſum Orbem D. Petrus & D. Paulus, ut conſtat ex hiſtoria Act. Apoſt. & ex libris recognitionum D Clementis. Idipſum fecerunt & cæteri Apoſtoli, ac diſcipuli Domini, diſſeminandi Evangelii cauſa, ut in hiſtoricorum monumentis legimus. Diſcendi cauſa præſtantes quidam viri orbis perluſtrarunt magnam partem, hoſque Fridericus Cæſar, dignos miſeratione, & favore arbitratur, Conſtit. habita, ne filius pro patre *l.* 4. *C. tit.* 13.

Ex hoc exilii genere peregrinationes temporales introductæ ſunt, quibus pœnæ loco plura peregrinantes patiuntur, vel viſitandi ſacra loca gratia, aut Sanctorum baſilicas *can. ſiquis Romipetas* 22. *quæſt.* 1. quarum conventus qui contempſerit per ſu-

perbiam, anathema dicitur *can. ſiquis d. 30.* ex Concilio Gangrenſi. Tales peregrini ſunt in tutela ſummi Pontificis, ſeu Eccleſiæ *cap. innovamus de tregu. & pac. c. v. de peregr.* atque qui eos ſpoliaverunt, excommunicantur *d. can. ſiquis Romipetas cum duob. ſeq.* Et ita ſunt de foro Eccleſiaſtico, Specul. *in tit. de compend. judic. §. 1. verſ. 28.* quamvis & Imperator eos quoque tueatur, *l. omnes peregrini C. commun. de ſucces.* Frequens erat olim modus in pœnis imponendis in foro Eccleſiaſtico peregrinatio, ut presbyter, qui revelat exomologeſim ſibi commiſſam jure antiquo debebat deponi, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinari *can. ſacerdos de pœnit. d. 6.*

Coacta peregrinatio, quæ criminis cauſa impoſita fuit, dicitur deportatio, *qui deportantur*, inquit T. Ælius Antonius *l. 1. C. de her. inſtit. ſi heredes ſcribantur, tanquam peregrini capere non poſſunt.* Per eam enim deportationem quis civitatem amiſit *l. inter pœnas ff. de interd. & relegat. l. amiſſione ff. de capit. minutis.* Proinde ad peregrinitatem redactus dicitur ab Ulpiano *l. 2. 4. de pœn. & l. 3. ff. ad leg. jul. pecul.* & per conſequens erat ejus juris aquæ & ignis interdictio, in cujus locum ſucceſſit deportatio *l. ſed ſi, §. liberos ff. de in jus voc.* Et hi propriè deportati exules, cæteri relegati. Attamen exilii nomen peregrinationem hanc complectitur, & alias. Quia exul, ſi Nonio Marcello ac Feſto credamus, dicitur, qui extra ſolum proprium poſitus eſt, id eſt, ſine eo, vel extra ſolum ſeu locum. Et Seneca *de conſolat. Exilium*, *ait*, *loci commutatio eſt.* Et Thiliſeus *apud Dionem Caſſium lib. 38. hiſt. Rom. Exilium eſt peregrinatio quædam cum ignominia conjuncta.*

Marcellus exilium triplex conſtituit *in l. exilium ff. de interd. & relegat. Aut eſt*, inquit, *certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnia loca interdicantur, præter certum locum, aut inſulæ vinculum*, id eſt relegatio in Inſulam. Exilium quidem ſemper in pœnam non utique impoſitum eſt, verum illud contendo, ſi in pœnam non ſit, tamen ob pœnam evitandam frequentius eſſe inventum ſolum vertere ac mutare. Proinde in malam partem perpetuò exilii nomen accipiendùm, cùm tamen peregrinatio ſæpius laudabilis dicatur.

Exilium igitur aliud eſt voluntarium ob pœnæ metum, Aliud ex judicio in pœnam decretum. Utrumque & perpetuum, aut temporale eſſe poteſt. De voluntario primum invenio profugum & exulantem Cainum, qui, poſtquam Abelem fratrem ſuum occidit, egreſſus à facie Domini, factus eſt profugus ad orientalem plagam Eden, *Geneſ. 4. Jone 20.* Qui non præmeditate, ſed caſu occiderant in lege antiqua proximum, fuga mortis periculum evitabant, Deuter 4. in civitatibus refugii exulando; lex enim erat à Deo conſtituta. *Num. cap. 35.* Debebat autem exul in urbe uſque ad mortem Pontificis reſidere. Hoc ipſum inter Ethnicos & alios populos obſervatum eſt, ut ex Tullio *pro Aulo Cecinna*, ex Philoſtrato *lib. 6. de vita Apolloni c. 3.* ex Xenophonte *lib. 4. de Cyri minoris expedit. & ex l. aut facta ff. de pœn.*

Exilium involuntarium, & in pœnam inflictum proprie ac improprie dicitur. Propriè deportatio eſt, quæ erat perpetua in exilium, ſeu in Inſulam commutatio, quæ pœna, quia adimebat civitatem *l. inter pœnas ff. de interd. & relegat.* erat graviſſima, & capitalium criminum, ut eam non liceret præſidibus provinciarum, inconſulto Principe, aut ſine ejus conſenſu imponere, etſi Præfecto Urbis liceret, *d. l. inter pœnas.* Deportati cùm civitatem amitterent, & bona, nec manumittere poterant *l. 3. ff. de interd. & releg.* nec teſtari *l. 1. §. hi ff. de leg. 3.* non ab inteſtato filiis hæreditatem relinquere *lib. 2. ff. de interd. & relegat.* nec poteſtatem in eos habere *§. cum autem, quibus modis jus patr. poteſt. ſol.* non legatum accipere *l. ſi deportati ſervi §. 1. ff. de leg. 3.* Omnia quippe bona deportati fiſco applicabantur, *l. deportatorum C. de pœn.* cum ſimilibus. Proxima morti eſt in Inſulam deportatio. *l. capitalium ff. de pœn.* Nam apolides omnibus juris civilis privilegiis, exuti, retinent tantum quæ juris gentium ſunt, Marc. *in l. quidam ſunt ff. de pœn. l. fin. §. 1. ff. de leg. 3. l. conſilio §. pen. C. de curat. furioſ. l. legatum de cap. minut.* Et in ſumma deportatio rerum omnium ſpoliatio eſt, ſicut reſtitutio deportati indicat, quæ bonorum, ac dignitatis uno nomine amiſſorum eſt recuperatio. utrumque Conſtant. *in l. fin. C. de ſent. paſſ. & reſtit. & l. fin. eod.* Ita amiſſis bonis, civitate relicta, nudus exulat, ut ait Paulus juriſconſultus, *l. tales §. fin. ff. de capit. minut.* Philo *lib. de Abrahamo* tradit ſecundam ab extrema capitali pœnam atrociſſimorum criminum convictis imponi à juriſperitis exilium, ſuo autem judicio, ultimo eam eſſe ſupplicio graviorem. Siquidem mors calamitatum finis eſt, exilium verò non finis, ſed malorum novorum initium, dum evitata una ſenſu carente, innumeræ mortes ſentiuntur.

Formam habet deportationis relegatio, quæ in perpetuum, vel ad tempus fit; verùm non ita ſeverum habet judicium, vel exilium. Nam in deportatione locus certus deputatus ac definitus pœnæ cauſa, ex quo excedere non licet, ut in Pathmon inſulam deportatus fuit D. Joannes Evangeliſta Vocatet idioma tritum *confinatos* deportatos, quaſi intra fine concluſos. Hoc ipſum in relegatione, ſed ejus mitior cauſa. Nam relegati in poteſtate liberos ſuos retinent, & omnia alia jura ſua & bona, præter ea, quæ eis per ſententiam mulctæ nomine erepta ſunt. Sicuti poteſt adimi iis, qui in perpetuum exilium relegati ſunt Marcianus omnia hæc *in l. relegati ff. de interd. & releg.* etſi iis quoque inſulam deſignatam egredi non liceat *l. relegati, & l. exilium ff. eod.* At deportatione in perpetuum quis inſulæ vinculum ſubit, relegatione ad tempus, & in perpetuum, ſed cum retentione bonorum ſuorum, & factionis teſtamenti activæ & paſſivæ ac civitatis, *l. relegatorum §. hæc eſt differentia, & §. ſeq. ff. de interd. & relegat. l. capitalium ff. de pœn.*

Recepta etiam exilii deportatio jure pontificio, poſtquam quis verberibus publicè caſtigatus Clericus, primùm ordine privatur *cap. 1. de calumn. can. hi, qui 2. qu. 4.* Barbat. *in c. Cum non ab homine de jud.* Vide Prepos. *in can. in primis 2. q. 2.* Facit & *c. 1. de rapt.* ut poſſit latam fugam reo Epiſcopus imponere.

Alia relegatio eſt, quæ non habet aſſignationem loci, intra quem quis ſe debeat continere, ut præcedens, immò contra habet liberas nationes, & vagandi, dempto uno loco, qui interdicitur, licentiam. Et ita relegatio ab illo loco, vel exulatio dicitur *l. exilium ff. de interd. & releg. l. relegatorum §. ſolet ff. eod.* & interdictio. Sic in exilium damnatus Cicero à Craſſo, Cæſare & Pompeio. Facultates tantum ejus publicatæ, ædeſque ejus, tanquam hoſtis, ſolo æquatæ, & earum area templo libertatis conſecrata, fuit, juſſus abeſſe Româ 468. millia paſſuum, prætereaque edictum, ut ſi intra eos fines veniſſet, & ipſe, & qui eum ſuſcepiſſent, impune à quovis occidi poſſent, Dio Caſſius *d. lib. 8. hiſt. Rom.*

Interdictio etiam aliquando continet, nequis certum locum egrediatur, vel domum ſuam *l. fin ff.*

de ni-

de interd. & relegat. vel alterius. Si autem quis in certo loco concludatur ad tempus, vel in perpetuum, tunc non erit interdictio ſimplex, ſed potius carcer, cuſtodiave publica. Et generaliter interdicere nihil aliud eſt, quàm prohibere, ac denunciare §. *ſunt tamen de interd. apud Juſtin.* Unde & interdicere partia *l. nulli C. de ſent. & inter l. omn Jud.* dicimus interdictum hoc, exulare, quod generale eſt, vel particulare. Generale eſt lata fuga dictum *l. exilium ff. de interd. & relegat.* quando univerſorum locorum fit interdictio, ut quis jubetur fines regni, vel provinciæ excedere. Particulare certorum locorum ac perſonarum, quæ ex cenſura eccleſiaſtica pendent, de quibus *alibi*.

In exulibus autem gradus pœnarum ſunt, ideo ſiquis ad tempus relegatus eſt ſimpliciter, aute redeat, in inſulam relegatur. Si is, qui relegatus eſt in inſulam, eam exceſſerit, deportatur. Qui deportatus evaſerit, capite punitur. Marc. *in l. relegati*, & Calloſt. *in l. capitalium ff. de pœn.* Non enim licebat excedere præſcriptos exilii fines, ne pœna & judicia illudantur. Et diſputant nunc Doctores, num hodie id liceat, Bartolus, Baldus, Jacobus Caſtrenſis *in lib. 1. C. de ſum. Trin.* Albert de Roſat *in l. ſervus C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* & ex præſcripto conſuetudinis rati quidam ſunt, ... licere propria autoritate. Melioribus tamen id non placet, ſed capi quidem poſſe arbitrantur, & non niſi Judices autoritate occandos. Nam & in deportato Judicis pronunciatione n, ut capitali ſententia mulctetur, exigit Marcianus *l. 4. ff. de pœn.* Nec eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratus fieri poteſt, *l. non eſt ſingulis ff. de reg. jur.* Idcirco judiciorum vigor eſt, ne quiſquam ſibi valeat indulgere vindictam, *l. nullus C de Juda.* etiamſi quis ſceleſtiſſimus dicatur, ne prætextu zeli Reipublicæ quis vindictas exerceat privatas *l. fin. C. de malef. & Mathem.* Et inauditum, & aliquando ante necaverit, quàm examinaverit, cùm tamen indicta cauſa nemo damnari debeat, *l. 1. ff. de ſicar*, Quod & Senatuſconſulto eſt Romæ ſancitum, teſte Tacito *Annal l. 18.*

Verum tamen obſervandum eſt, damnatos in exilium temporale, ſi poſt ſententiam retineantur carcere, tempus illud carceris computari pro tempore exilii. Et ſi pendente cuſtodia lapſum ſit tempus, non poſſe in exilium mitti, ſed ſolvi à carcere liberos, ac ſi impleſſent exilium *l. omnes Cod. de pœn.* Veluti & qui vere exulerunt, tempore impleto, in carcerem conjici ex priori delicto, vel loco interdicto antea arceri nequeunt *l. pœn. C. de pœn.* Quæ notabilia ſunt in favorem reorum, qui damnati ad remos ſunt, & in ſimilibus, quos vocant banniros.

Hic verò magna & non facilis explicationis oritur quæſtio, quænam ſit illa exilii pœna, quam exprimit *l. quicunque §. Idcirco C de hæret. Manich. & Samar.* Sitne relegatio, an verò deportatio. Nam in *l. exilii ff. de interd. & releg.* triplex dicitur exilium, aut certorum locorum interdictio, ut dictum eſt, quando certis tantum locis interdicitur alicui, ut in reliquis omnibus, præter loca interdicta liceat morari relegato, ſeu exuli, aut lata fuga, ut omnium locorum (agnoſce Græciſmum *omnium locorum* pro *omnibus locis*) interdicatur, præter certum locum, ut lata fuga videatur, quia longe, lateque loca omnia fugere oportet, excepto certo loco, aut inſulæ vinculum, id eſt relegatio in inſulam. Præter has exilii ſpecies, eſt etiam quarta; Exilium, quo civitas amittitur. Nam *in l. ſed & ſiquis ff. ſiquis caut. in jud. ſiſt. cau. fact. non obt.* rei capitalis condemnatum accipere debemus, qui morte, exiliove coercitus eſt, dixerit aliquis, quo ergo hæc exceptio damnato, qui bona omnia amiſit, neque creditoribus amplius tenetur; ſed reſpondebimus, fidejuſſoribus ejus eſſe neceſſariam; aut ſi forte in exilium, ſalva civitate abiit, ubi defenſori ejus exceptio iſta proderit.

Eſt igitur ibi exilium duplex. Aliud, quo civitas ammittitur, aliud, quo ſalva civitate contingit. Sic in *l. 2. ff. de publ. judic.* capitalia judicia dicuntur eſſe ea, ex quibus pœna mors, aut exilium. Exilium verò dicitur aquæ & ignis interdictio. Poſt addiunt, per has enim pœnas eximitur caput de civitate. Nam cætera non exilia, ſed relegationes propriè dicuntur. Tunc enim civitas retinetur. Aquæ igitur, & ignis interdictio eſt quarta ſpecies exilii. Et ad hanc ſpeciem exilii pertinet deportatio, quæ ſucceſſit in locum aquæ & ignis interdictionis *l. 2 §. 1. ff. de pœn. l. 3. ff. ad leg. jul. pecul. l. res. C. de donat. inter vir & uxor.* Unde in *l. qui cum major, §. 15 demum ff. de bon. libert.* dicitur exilium, *quod ſit vice deportationis*, ubi civitas amittitur, *& l. placet in fin. C. de ſacroſ. Eccleſ. Exilium deportationis perpetuum. & l. 2. C. de iis, qui ex publ. rat. mut pec. accep perpetuæ deportationis exilium. & l. . C. Theod. ad leg. jul. de amb. deportationis exilio multari.* Et *l. 1. Cod. Theod. de his, qui cum diſpen. contrax. perpetuæ deportationis exilio ſubdi.* Unde fit, ut exules & deportati inter ſe commutentur *l. generalis*, ibi: *Exulibus, ſeu deportatis, C. de ſent. paſſ. & reſt.* Et deportatio dicatur tale exilium *in l. ſed ſi mors, §. proinde ff. de donat. inter vir. & uxor* Atque hinc adeo *ut l. capitalium §. in exulibus ff. de pœn.* exulum ſpecies ſunt ad tempus relegati, in inſulam relegati, ac deportati, atque exulare de deportato dicatur, *l. ...elas, §. ult ff. ult. ff. de capite minut.* ubi civitas amiſſa eſt, & damnatus dicitur exulare, amiſſis bonis, & civitate relicta. Et deportationem ſignificat vox exilii *in l. cùm quis ſibi, ff. de ſolut. & lib.* quia ejus qui ibi in exilium ivit, ſtatus non manſit, ſed mutatus eſt.

Etſi verò ſæpe exilium ſignificet deportationem, tamen ea ſignificatio perpetua non eſt, ſed æquè ſæpe, ſi non ſæpius, exilii verbum ſignificat relegationem, ut *in l. relegati, ff. de interd. & relegat.* Nam ibi relegatorum ſpecies ſunt, in perpetuum exilium dati, vel relegati. Et *in l. multus, § 1. ff. de jur. dot.* ibi: *ut in exilium, in inſulam relegati.* Et *in l. relegati ff. de pœn.* ubi perpetuum exilium reſpondet, & convenit in perpetuum relegato. Et *in l. ſiquis forte §. ult. ff. eod.* ubi exilium, ut diſtincta ſpecies opponitur pœnis, illis, quæ aut vitam adimunt, aut ſervitutem injungunt, aut civitatem auferunt, aut coërcitionem corporis continent. Sic *in l. capitalium §. in exulibus ff. eod.* exulum ſpecies ſunt, ad tempus relegari, in inſulam relegari & deportari. Sic *in l. 1. C. de fid. & mand.* exulare juſſus, adempta parte bonorum, relegatus eſt, non deportatus, cùm deportatus omnia bona amittat, exulare verò juſſus ibi partem tantum bonorum amittat Sic *in l. 2. C. de pœn.* exilii pœna ſignificat relegationem. Loquitur enim de ea pœna, quam Procurator Cæſaris, ſi Vice Præſidis functus, fuiſſet, irrogare potuiſſet, & quam proinde irrogare etiam potuiſſet ipſe Præſes, qui tamen deportare non poteſt *l. inter §. deportandi ff. de interd. & relegat.* Sic *in l. 3. C. ſi pend appel. mors intern.* in exilium datus, bonis ademptis, relegatus, non deportatus eſt, quia capitali ſententia damnatus non eſt, ſed ex ſpeciali ſententia Præſidis bona auferuntur. Sic *in l. ſine hærede §. ult. ff. de admin. & peric. tut.* qui in exilium datus eſt tutor, relegatus tantum eſt, quia tutela finita nondum eſt eo exilio. Sic & *in l. plenè ff. de accuſat.* perpetuum exilium non eſt deportatio, ſed relegatio, quia tutor ſe poteſt excuſare, cùm excuſatio in deportato locum non habeat, Sic *in l. lex Julia de repetund.*

petund. §. ult. ff. de leg. Jul. repetund. exilio puniri, & capite plecti, & in inſulam deportari, inter ſe diſtinguuntur, ut exilio puniri non poſſit aliud eſſe quam relegari. Sic juvenes, qui *in l. capitalium §. ſolent ff. de pœn.* exilio puniendi ſunt, illi relegantur apud Harmenop. *lib. 6. T. 6.* exulare enim Græcis communiter eſt relegari, & relegatio. Sic exilii verbum *in l. ſi magnum C. de his, qui accuſ. non poſſ.* Cujacius *lib. 6* Baſilicon vertit, tum in textu Baſilicon, tum in Gloſſa interpretis græci, per relegationem. Et Labbæus *in emend. & obſer. ſynopſeos* Baſilicon teſtatur in græco eſſe, *relegationi ſubjacet.* Et quod *in l. injuriarum ff. de injur. & fam. lib. 5. recept. ſent. Pauli v* ti dicitur, *exilium, aut relegationem, aut ordinis amotionem patiatur*, ita, ut Græci iſta duo verba, exilium, aut relegationem uno relegationis verbo expreſſerint, & exilium pro relegationis quadam ſpecie acceperint, cùm tamen iſtorum ſeparatio ac diſtinctio ſuadere videatur, ut relegationis verbo quamcumque relegationis ſpeciem, exilii vero verbo deportationem ſignificari putemus.

Et Græcorum tamen interpretatio æquitatem habet, ut honeſtiores quidem ordinis amotionem patiantur, humiliores relegationem. Ubi enim in perſonis honeſtis ſufficit ordinis amotio, ibi in humilioribus videtur ſufficere relegatio. Et Cujacius *ad ſent. recept. Pauli lib 5. t. 4. v. 11.* relegationem interpretatur inſulæ vinculum, exilium latam fugam, aut loco circumſcriptum, quod ſalva civitate contingit *l. exilii ff. de interd. & relegat.* Sic accipiendum *d. lib. 5. recept ſent. tit. 15. v. 5.* qui falsò, vel variè teſtimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, aut in exilium aguntur, aut in inſulam relegantur, aut curia ſubmoventur. Sic quæ mulier dicitur exulare juſſa *in l. vim. § mulierem ff ad leg. Jul. de adult.* ea in verſione Baſilicorum Cujaciana dicitur, *relegata.*

Nequè abſurdum videtur *in l. un. C. de ratioc. oper. publ. & de patrib. etc.* perpetuo exilio damnatos, interpretari perpetuò relegatos Eodemque modo in *l. ſi provincialium C. vectig. nova inſtit non poſſe.* Sic perpetuum exilium *in l. qui cum uno §. temporarium ff. de re milit.* nihil videtur eſſe aliud, quàm perpetua relegatio, ut ei, qui in temporarium exilium miſſus ultro ſe dederit militiæ temporarium illud exilium, ſive potius violatio temporarii iſtius exilii, voluntario iſti militi, inſulæ relegationem adſignet; ſi verò, qui cùm ad militiam legeretur, diſſimulavit ſe ad tempus relegatum eſſe, diſſimulatio iſta, lecto iſti militi perpetuum tantum exilium adſignet. Minor pœna eſt perpetuum exilium, quàm inſulæ relegatio. Sic minus eſt peccatum, cùm quis in militiam lectus diſſimulavit ſe in tempus relegatum eſſe, quàm cùm ultro ſe militiæ obtulit. Exilium quoque de relegatione videtur accipiendum *in l. inter virum & uxorem ff. de donat. inter vir. & uxor.* Etſi enim certum eſt, deportationis cauſa factam inter virum & uxorem donationem valere *l. ſed ſi mors. §. proinde ff. eod.* tamen inde nemo effecerit, relegationis cauſa factam donationem non valere. Valde igitur incertum eſt, quænam pœna exilii intelligenda ſit *in d. lege quicunque §. ideirco C. de heret. Manich. & Samar.*

Eademque incertitudo occurrit & in aliis juris locis, veluti apud Paulum *lib. recept. ſent tit. 4. v. 8.* in directarios extra ordinem animadvertitur ita, ut prius irruentis (vim impetum facientis) conſilium pro modo commentæ fraudis pœna vindicetur exilii, aut metalli, aut operis publici. De iiſdem dicitur *in l. ſaccularii ff. de extraord. crim.* quod aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fuſtibus caſtigantur, quæ ſunt minimæ pœnæ. Et *in l. 1. §. 2. ff. de effract. & expil.* quod directarii ſimili modo puniuntur, ut expilatores. Expilatores verò *ex d. l. 1. §. 1. in opus*, vel perpetuum, vel temporarium dari ſolent, honeſtiores autem ordine ad tempus moveri, vel fines patriæ juberi excedere. Sic *in l. ſi quis aliquid ff. de pœn.* ſiquis aliquid ex metallo Principis, vel ex moneta ſacra furatus ſit, pœna metalli, & exilii punitur. Et *l. ſacrilegii pœnam § ult. ff. ad leg. Jul. pec. & de ſacrileg. & de reſid.* ſiquis ex metallis Cæſaris aurum, argentumve furatus fuerit, ex edicto D. Pii exilio, vel metallo, prout dignitas perſonæ, punitur. Etſi enim vicinitas pœnarum faciat, ut veroſimilius videri poſſit, exilium ibi deportationem ſignificare, non relegationem, quia deportatio vicinior eſt metalli pœnæ, quàm relegatio, tamen conjecturam tantum probet, non ſcientiam. Sic *in d. l. ſiquis aliquid, §. qui nondum ff. de pœn.* qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honeſtiores in inſulam relegantur, vel in exilium mittuntur, ubi quid ſit miſſio in exilium, æquè eſt obſcurum, ſitne oiſſio in perpetuum exilium, quæ pœna levior, quàm ſit in inſula relegatio, an verò deportatio, quæ gravior eſt, quàm in inſulam relegatio.

Et ſi quidem pœnarum vicinitatem, & ſequelam intueamur, cùm in inſulam relegatio ſit graviſſima ex relegationibus, honeſtiores ſi mitius punientur, in inſulam relegabuntur; ſi durius, mittentur in exilium, id eſt, deportabuntur, & tanto magis exilii voce ſignificabitur deportatio, quia exilium opponitur relegationi in inſulam. Sic *in d. l. ſiquis aliquid §. 10.* & apud Paulum *lib. 5. recept. ſent. tit. 28. v. 1.* Judices pedanei, ſi pecunia corrupti dicantur, plerumque à Præſide, aut Curiæ ſubmoventur, aut in exilium mittuntur, aut ad tempus relegantur, ubi itidem ſatis expeditum non eſt, quid ſit in exilium mitti, ſed ex vicinitate pœnarum perpetuum exilium poteſt intelligi, ut minima pœna ſit Curiæ, major ad tempus relegari, maxima in perpetuum exilium mitti. Vix enim eſt, ut gravior pœna in iſtius modi delicto, aut crimine ſtatuatur, ſi conferamus cum *l. 2. C. de pœn. Jud. qui male judic.* aliiſque ad eam quæſtionem pertinentibus locis. Et quod attinet *l. lex Julia repetund. §. ult ff. de leg. jul. repet.* exilium ibi relegationem perpetuam, vel in inſulam ſignificat. Opponitur enim exilio mors, vel deportatio, ſi Judices ob hominem necandum pecuniam acceperint, vel etiamſi pecuniam quidem non acceperint, calore tamen inducti interfecerint, vel innocentem, vel quem punire non debuerunt. Hoc enim tale eſt facinus, quod durius, quàm exilio puniri meretur. Eodem fortaſſis modo exilii pœna intelligenda apud Aſcon. Pedian. *in 2. Verr.* ad verba *lis æſtimata ſit.* Eodem modo qui falſis inſtrumentis, actis, epiſtolis, reſcriptis, ſciens dolo malo uſus fuerit pœna falſi coërcetur; ideoque humiliores in metallum damnantur, honeſtiores in inſulam deportantur, Paul. *lib. 5 recept ſent. tit. 25. v. 9.*

Neque ſanè inconcinnum videtur, ut cum pro qualitate perſonarum variæ pœnæ conſtitutæ ſunt, gradatio quædam ſine ſaltu obſervetur, ut à leviori pœna damnatio juſto ordine ad graviorem aſcendat, aut à graviori pœna gradatim, & ſine interruptione ad leviorem pœnam deſcendat, non à remotiori ad remotiorem, mediis omiſſis, tranſiliat, ut ſcilicet à pœna capitis eatur ad pœnam metalli, ab hac ad deportationem, ab iſta ad relegationem in inſulam, inde ad relegationem perpetuam, & deinceps ab iſta ad relegationem temporalem, & ſic deinceps ad leviorem aliquam interdictionis pœnam, aut vice verſa à leviſſima aſcenditur gradatim ad leviores, velut *in l. ſacrilegii pœnam ff. ad leg. jul. pecul.* ubi

plebe-

bejus ſive humilior pœna metalli coërcendus eſt, aut ſi honeſtiori loco natus ſit, deportandus in inſulam eſt. Et *in l. ſiquis aliquid, §. qui vivi, ff. de pœn.* ubi itidem humiliores in metallum dantur, honeſtiores in inſulam deportantur, quod extat apud Paul. *d. lib. 5. recept. ſent. tit. 25 n. 6.* Sic in eadem *l. ſiquis aliquid §. Inſtrumenta* prout perſonæ conditio eſt, aut in metallum damnatur, aut in inſulam deportatur. Sic apud Paulum *loc. cit. tit. 19. num. 1.* qui per diem leve aliquid de templo abſtulerint vel deportantur honeſtiores, vel humiliores in metallum damnantur, cui ſimile eſt, quod habet Ulpianus *in l. ſacrilegii v. cæterum ff. ad leg. Jul. pecul.* Sic fures, vel raptores balnearum plerunque in metallum, aut in opus publicum damnantur Paul. *recept. ſent. d. lib. 5. tit. 3. n 5.* Opus enim publicum perpetuum civitatem adimit *l. ſunt quidam §. 1. ff. de pœn.* non libertatem *l. capita iam §. Divus ff. eod. l. 1. C. eod.*

Eodemque modo ſe ſubſequuntur pœnæ, pro delicti tamen varietate, ut graviorem pœnam, quæ eſt deportatio, ſubſequatur levior in inſulam relegatio *l. relegati. l. Metrodorum ff. de pœn.* ſic cum liber fuſtibus cæditur, ſervus flagellis cædi debet, & cùm libet fuſtibus cæſus in opus publicum damnatur, ſervus ſub pœna vinculorum ad ejus temporis ſpacium flagellis cæſus domino redditur *l in ſervorum ff. de pœn.* Sic injuriarum extra ordinem damnati, ſervi flagellis cæſi dominis reſtituuntur, liberi humilioris loci fuſtibus ſubiciuntur, cæteri vel exilio temporario, vel interdictione certæ rei coërcentur *l. ult. ff. de injur & fam. lib.* Sic ab opere publico temporario ad duplicatum tempus, ab opere decennii ad opus perpetuum, vel ad tranſmiſſionem in metallum fit tranſitus *l. aut damnum §. ſiquis, ff. de pœn.* Sic tranſitur à temporaria relegatione ad perpetuam, à perpetua ad relegationem in inſulam, ab hac ad deportationem, à deportatione ad capitis ſupplicium *l. relegati, l. capitalium §. in exulibus, ff. eod.* ubi tamen à deportatione ad capitis ſupplicium ſaltus quidam fit. Tranſlitur enim damnatio in metallum, & in opus metalli, quæ utraque pœna levior eſt ultimo, ſive capitis ſupplicio. Quia damnato vitam relinquit, gravior verò eſt deportatione, quia libertatem adimit *d. l. capitalium, l. aut damnum §. eſt. pœna §. in monaſterium, l ſunt quidam, l. in metallum ff de pœn.* Inter pœnam verò metalli, & operis metallici differentia tantum eſt in vinculis, quod in opere metallico leviora ſunt vincula, in metallo graviora *d. l. aut damnum §. inter eos.* Sic in cuſtodiis, qui in opus publicum damnati refugiunt, damnantur in opus perpetuum. Qui refugiunt ab opere perpetuo, ſi damnantur in metallum. In metallum damnati, ſi id admittunt, ſummo ſupplicio afficiuntur *d. l. capitalium §. ita.* Sic apud Paulum *d. lib. 5. recept. ſent. tit. 21, nu. 1.* honeſtiores in inſulam deportantur, humiliores aut in metallum damnantur, aut in crucem tolluntur; ſervi autem poſt admiſſum, manumiſſi, capite puniuntur.

Nulla tamen neceſſaria concludendi ratio ab illa non interrupta gradatione deſumi poteſt. Quia illa ipſa gradatio ſæpe negligitur, & fit ſaltus à remotiori pœna ad remotiorem, omiſſa intermedia, quemadmodum modò notavimus, omiſſa damnatione in metallum, aut opus metalli, à deportatione ſaltum fieri ad capitis ſupplicium *l. relegati, l. capitalium §. in exulibus ff de pœn.* Ita venenarii capite puniendi ſunt, aut ſi dignitatis reſpectum agi oporteat, deportandi ſunt *d. leg. capitalium, §. venenarii.* Sic actores, ſive potius auctores ſeditionis, & tumultus, aut beſtiis objiciuntur, aut in inſulam deportantur *l. ſiquis aliquid §. actores ff. de pœn.* Paulus *lib. 5. recept. ſent. tit. 21. n. 1.* Sic apud Paulum *eod. in loco tit. 25. nu. 2.* qui ob falſum teſtimonium &c. humiliores capite puniuntur, honeſtiores, publicatis bonis, cum ipſo Judice in inſulam deportantur. Et *n. 11.* qui inſignibus altioris ordinis utuntur, militiamque confingunt, quò quem terreant, vel concutiant, humiliores capite puniuntur, honeſtiores in inſulam deportantur, quibus in locis à capitis ſupplicio deſcenditur ad deportationem, omiſſa damnatione in metallum. Sic apud eundem Paulum *d. lib. 5. tit. 26. num. 1.* pœna legis Juliæ de vi publica in humiliores eſt capitis, honeſtiores inſulæ deportatione coërcentur. Immo quod plus eſt apud Paulum, *d. tit. 25. v. ult.* ſiqui de Judicis amicitiis, vel familiaritate mentientes, eventus ſententiarum ejus vendunt, quidve obtentu nominis ejus agunt, convicti pro modo delicti, aut relegantur, aut capite puniuntur, ut ita à relegationis pœna aſcendat ad pœnam capitis, prætetita tum deportatione, tum damnatione in metallum.

At verò *in l. capitalium §. graſſatores ff. de pœn.* graſſatores, qui prædæ cauſa id faciunt, proximi latronibus habentur, & ſi cum ferro aggredi & ſpoliate inſtituerunt, capite puniuntur, utique ſi ſæpius, atque in itineribus hoc admiſerunt, cæteri autem in metallum dantur, vel in inſulas relegantur, ubi, deportatione prætetita tranſitus a pœna metalli fit ad relegationem in inſulas. Sic *in l. ſiquis aliquid §. qui nondum ff. de pœn.* qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honeſtiores in inſulam relegantur, vel in exilium (fortè perpetuum, ſiquidem pœna deſcendit, ſecus enim fuerit, ſiquis pœnam aſcendere putet) mittuntur. Sic *in d. l. ſiquis aliquid §. qui abortionis*, qui abortionis, vel amatorium poculum dant, humiliores in metallum dantur, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur. Quod extat etiam in Pauli *recept. ſent. lib. 5. tit. 23. num. 8.* Sic *in d. l. ſiquis aliquid §. ſi quie, & d. lib. 5. recept. ſent.* Pauli *tit. 25. num. 7.* qui inſtrumentum litis ſuæ, à procuratore proditum adverſario convicerit, procurator, ſi humilior ſit in metallum damnatur, ſi honeſtior, adempta parte bonorum dimidia, in perpetuum relegatur. Sic pœna ſtellionatus in plebeis opus metalli egredi non debet, in his, qui ſunt in honore aliquo poſiti, ad tempus relegatio, vel ab ordine motio locum habet *l. penul, ff. ſtellion.* quamvis hoc loco vi ipſa, & tacite videatur contineri deportatio, Sic qui ob falſum teſtimonium perhibendum, vel verum non perhibendum, pecuniam acceperit, dederit, Judicemve, ut ſententiam ferat, vel non ferat, corruperit, corrumpendumve curaverit, humiliores capite puniuntur, honeſtiores, publicatis bonis, cum ipſo Judice in inſulam deportantur, Paul. *d. lib. 5. tit. 25. nu. 2.* Sic quicunque alteri inſtrumenta penes ſe depoſita, altero abſente, reddiderit, vel adverſario prodiderit, pro perſonæ ejus conditione, aut in metallum damnatur, aut in inſulam relegatur, quo tamen in caſu jure Pandectarum locum habet deportatio *l. ſiquis aliquid §. inſtrumenta ff. de pœn.* Siqui caſam, aut villam inimicitiarum gratia incenderunt, humiliores in metallum, aut in opus publicum damnantur, honeſtiores in inſulam relegantur, Paulus *d. lib. 5. tit. 20. num. 2.* apud Cujacium *lib. 21. obſer.* Et *in collat leg. Moſaic. & Roman. tit. 11. de incendiariis.* Sic qui per dolum incendunt meſſes, vineas, olivas in metallum humiliores damnantur, aut honeſtiores in inſulam relegantur, Paul. *d. tit. 20 num 5.* apud Cujacium *d. cap. 21. & in collat. d. tit. 12.* Sic apud Paulum *d. lib. 5. tit 23. ad leg. Cornel. de ſicar. & veneſ. in collat. leg. Moſaic. & Roman. tit. 1. de ſicar. & homicidis caſu, vel voluntate, qui hominem, v. quid ſi in rixa percuſſus homo fuerit*, quo-

niam

niam ictus quoqne ipſos contra unumquemque contemplari oportet, ideo humiliores in ludum, aut metallum damnantur, honeſtiores, dimidia parte bonorum multari, relegantur. Et hujuſmodi plura in utramque partem obſervari, colligique poſſunt, ut proinde ab illa pœnarum vicinitate & conſequentia certa ſignificatio vocabulo exilii nequeat adſtrui.

Fruſtra quoque tentabimus certam exilii ſignificationem eruere ex oppoſitione exilii, & relegationis. Nam oppoſitio iſta *in d. l. quicunque §. idcirco C. de haret. Manich. & Samar.* non apparet. Deinde in illa ipſa quoque oppoſitione exilii verbo relegatio quædam ſignificatur, ut apud Paulum *lib. 5. recept. ſent. tit. 17. num.* 2. ubi inter minimas pœnas recenſet relegationem, exilium, opus publicum, vincula, cùm prius inter mediocrium delictorum pœnas recenſuiſſet metallum, ludum, deportationem. Exilium igitur illo loco non poteſt ſignificare deportationem, aliàs deportatio eſſet minima pœna, quod falſum. Et hinc factum arbitrari licet, quod Græci *in l. qui injuriam ff. de injur. & fam. lib.* relegationem & exilium uno verbo, quo relegationem communiter exprimunt, comprehenderint. Quod ipſum quoque dicendum de verbis Pauli *d. l. 5. recept. ſent. tit.* 4 *n.* 11. *& tit.* 15. *num.* 5. Eadem oppoſitio exilii, & relegationis occurrit *in l. ſiquis aliquid, §. qui nondum, & §. Judices ff de pœn.*

Quod ſi eam adhibeamus regulam, verborum proprietatem ſignificationi impropriæ præferendam, neque à propria ſignificatione recedendum, niſi altera ſignificatio probetur, *l. non aliter ff. de leg. & fid.* Ejus exemplum eſt *in l. Titia §. Cajus Sejus ff. d. leg & fid.* 2. ſi teſtator dixerit, nullam pecuniam eſſe penes uxorem, niſi mulier demonſtret, pecuniæ verbo alias quæque res, & corpora contineri, propria verbi ſignificatio ſervabitur, quæ ſolam pecuniam numeratam complectitur *lib.* 1. *§. ſi autem, l. item, §. mutui ff. de S. C. Macedon.* Sic cùm teſtator ſcripſit, quicquid mihi L. Titium dare facere oportet, præſens tantum debitum ſignificatur. At ſi ſcripſit, quicquid mihi L. Titium dare facere præſens, in diemve oportet, tum ſignificatur etiam id, cujus dies nondum venit *l. ſi ſcripſiſſet ff. de leg. & fid.* 2. At verò exilium proprie ſignificat capitis minutionem, qua civitas amittitur, ſalva libertate per notata ſupra. In dubio igitur verborum proprietati ſerviendum.

Verum hæc etiam ratio conjecturam quidem movet, ſcientiam verò non affert. Nam primò major propoſitio non eſt neceſſariò vera, & multas patitur limitationes. Quia cùm plerumque abuſive loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis ſemper utantur, non eſt ſemper veniendum ad definitionem *d. l. non aliter §. 1. ff. de leg & fid.* 3. & optimum eſt, non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed quid demonſtrari quis voluerit *l. cum de laniomis § item cacabos, ff de inſtruct. vel inſtrum. leg. l. Labeo §. ult. de ſupel. leg.* Et propterea inquirendum, quo ſenſu quiſque hoc; aut illo vocabulo utatur. Quæ inquiſitio, niſi certam ſignificationem evicerit, probabiliter tantum verum eſt, propriam verbi ſignificationem alteri præferendam eſſe.

Deinde aſſumptio non eſt ſatis certa. Nam *in l.* 2. 2. *ff. de publ. judic.* non dicitur, quod exilium proprie ſignificet civitatis amiſſionem, ſed quod ea exilia, quæ capitis minutionem, & civitatis amiſſionem non continent, proprie dicantur relegationes. Ex qua ſententia nulla arte effeceris, exilium propriè dici, quo civitas amittitur. Ad hæc verbum proprie omonimon eſt, aliquando enim opponitur ſignificationi impropriæ, & locutioni abuſivæ, aliquando opponitur ei, quod communiter, ſive generaliter dicitur. Sic accipitur *in l.* 1 *§.* 1. *ff. de commod. vel. cont.* Cum enim Labeo inter utendum datum, & commodatum tantum intereſſe diceret, quantum inter genus & ſpeciem, quaſi res mobilis tantum commodari poſſet, non etiam ſoli, oſtendit Ulpianus, etiam rem ſoli proprie ac in ſpecie commodari, ut tamen maneat inter utendum datum, & commodatum ratio generis, ac ſpeciei, quod inde apparet, quod & precariò datum, ſit datum utendum, & locatum conductum aliquod datur utendum, neque tamen eſt commodatum. Quod ſi in commodati verbo eſt abuſiva & impropria ſignificatio, illa notari poteſt, cum mutui dati ſignificationem comprehendit, ut *l.* 2 *C. de his, qui ex publ. rationib. mut. pec. acc. l.* 2. *C. Theod.* quod juſſu, & apud Ciceronem pro Cælio *ſect* 32. 33. Et errat certè Lambinus, qui aurum commodatum interpretatur ex contractu commodati utendum datum, non autem mutuò ſumptum. Utcumque enim *ſect.* 30. dicatur aurum ſumptum à Clodia, & *ſect.* 31. auro opus fuit, ſumpſit à Clodia, ſumpſit ſine teſte, habuit quandiu voluit. Et *ſect.* 51. auri, quod ſumptum à Clodia dicitur, tamen ex *d. ſect.* 51. intelligi mutuum poteſt. Quia, ut ibi dicitur, aurum ſumpſit (Cœlius) quod L Lucceii ſervis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Ergo aurum ſumptum eſt, ut daretur iis, qui Alexandrinum Dionem occiſuri eſſent, ſive ut homicidium quaſi emeretur, ſive ut emerentur ſicarii. Quod & *ſect.* 52. 53. repetitur Non potuit igitur commodato in eam rem ſumi, ſed mutuo. Neque potuit agi, ut reſtitueretur ipſa ſpecies, ſive ipſa nummorum corpora, ſed agendum fuit, ut in genere reſtitueretur tantundem, quod mutui eſt, non commodati. Et de mutuo quoque ſimplex auri ſumendi verbum facilius ac frequentius accipitur, quàm de commodato.

Sic vocula *proprie* ſignificat idem, quod in ſpecie, ut *l. ſi rem alienam § proprie ff. de pign. act.* Sic proprium nomen, id eſt ſpeciale nomen *l.* 1. *ff de præſcr. verb. & in f. ct. act.* Sic proprius contractus, id eſt ſpecialis *l. rogaſti ff. eod* Sic proprium jus, id eſt ſpeciale *lib.* 1. *ff. de oblig. & act.* Sic propria nomina, id eſt ſpecialia, quibus commune, id eſt, generale nomen opponitur *lib.* 2. *paragraph. his legibus ff de orig. jur.* Sic proprium jus civile, id eſt in ſpecie dictum jus civile nomine generali ad ſpeciem certam inflexo *d. l.* 2. *ff de donat.* id eſt ſpeciali, ſive ea, qua ſpeciem ſignificamus, ut donatio ibi dicatur non in genere donatio quæcunque, ſed donatio in ſpecie, quam ſimplicem dicimus. Sic *in d. lib.* 1. hæc proprie donatio appellatur, id eſt, certa ſpecies generali & nudo nomine ſignificatur. Sunt enim donationes complures *d. lib.* 1. Sic ibidem non proprie donatio appellabitur, id eſt non erit illa propria & ſpecialis donatio, quæ ſimplex dicitur. Et ibidem non proprie donatio dicitur, id eſt non ſignificatur illa ſpecialis donatio ſimplex & pura, & tamen utraque illa donatio, quæ non proprie eſt donatio, eſt donatio, *ibid.* ut ſcilicet donationis genere comprehendatur, & generali nomine ſic donatio. Et *dec. lib.* 1. *paragrapho* 1. contrarium non dicimus, id eſt non negamus donationem eſſe, ſed donationem fieri dicimus. Sic *lib.* 2. *ff. de vacat. & excus. mun.* nihil proprie in patria ſervatur,

vatur, id eſt nihil in ſpecie. Sic. *in lib. 2. §. pen. ff. de admin. rer. ad civit. pert.* propriè expreſſum, id eſt in ſpecie. Sic *l. Lucius Titius §. ult. ff. ad munic.* propriam legem, id eſt ſpecialem, ſive ſpecialiter expreſſam legem. Sic igitur *in d. lib. 2. ff. de publ. judic.* proprie, id eſt, in ſpecie dicuntur relegationes, cùm civitas retinetur.

Sunt igitur exilia in genere ſumpto exilii verbo, & ſunt exilii tanquam generis ſpecies. Non igitur ex *d. lib. 2.* ut neque ex ulla alia, poteſt affirmari, exilia proprie dici ea, quibus caput eximitur à civitate, niſi ubi generis verbum ad illam unam ſpeciem adhiberi conſtat; tum enim exilii verbum non in genere, ſed proprie & in ſpecie uſurpatur. At verò *in d. l. quicunque §. idcirco C. de haret. Manich. & Samar.* nondum conſtat illo exilii verbo notari in ſpecie, & proprie illud exilium, quo civitas amittitur, ſed poteſt adhuc notari proprie, & in ſpecie tale exilium, quo civitas retinetur, quæ proprio, ac ſpeciali vocabulo dicitur relegatio, quo altera ſpecies exilii in jure civili nunquam uſurpatur. Et ita propter ambiguitatem terminorum, ex hac quoque ratione, quæ ſumitur à proprietate ſermonis, nihil quoque certi concluditur.

Fruſtrà quis etiam tentaverit, certam ſignificationem eruere ex iſta diviſione, qua exilium aliud perpetuum, aliud temporale conſtituitur, ut *l. qui cum uno §. temporarium ff. de re milit.* de quo ſupra, *& l. ad cognitionem*, ibi: nam & exilio temporario puniri, ſi defenſor non exiſtat, bona veneant, *ff. quibus ex cauſ. in poſſes. eatur. l. relegati*, ibi: perpetuum exilium, *l. Cicero*, ibi: *temporali exilio, ff. de pœn. leg. relegati*, ibi in perpetuum exilium dari, *ff. de interd. & relegat. lib. 1.* ibi: in exilium temporale dari, *ff. de jure patr. l. tutor, §. ult.* ad tempus exulare juſſum, & ibi: per tempus exilii, *& l. plane*, ibi: Si in perpetuum (ſcilicet exilium) datus eſt, *ff. de excuſat. l. ult.* ibi: exilio temporali, *ff. de injur. & fam. lib. l. bona fiſco*, ibi: pœnam exilii perpetuam, *ff. de jur. fiſc. l. ad tempus*, ibi: ad tempus autem exulare juſſus, *ff. de decur. & fil. eor. l. provincialium* ibi: perpetuo exilio, *C. vectig. nov. inſt. non poſſe, l. un.* ibi: exilio damnati perpetuo, *C. de ratioc. publ. & de patrib. civit. lib. 2.* ibi: ad tempus exulare decurio juſſus, *C. de his, qui in exil. datı*, vel ab ordine moti ſunt. *l. nemo*, ibi: ſtylum proſcriptionis, ac perpetui exilii ſuſtinebit, & ibi: partis bonorum dimidiæ proſcriptionem, & pœnam exilii per quinquennium ſuſtinebit, *Cod. de Epiſc. aud. & l. ult. C. de poſtul.* ubi eadem verba leguntur ultima. Sic in *l. Judai*, bonorum proſcriptione, & perpetuo exilio damnabuntur, *C. de Judæis, & Cælic. l. nemo C. de pag. & Sacr. & temp. l. nullus*, ibi: Fabricenſibus verò graviſſimè coërcitis poſt facultatum ſuarum amiſſionem, perpetua exilii pœna, & animadverſione retinendis, *C. de fabricens. L. ſancimus*, ibi: non ſolum cinguli, & bonorum ſuorum amiſſionem, verùm etiam perpetui exilii ſupplicium ſubituris, *Cod. de executor. & exact. l. jubemus, §. his tabellionibus*, ibi: Irrevocabilis exilii animadverſione plectendis, *C. de Sacros. Eccleſ.*

Utcunque enim deportatio omnis ſit exilium perpetuum; tamen non omne exilium perpetuum eſt deportatio; cùm omnis relegatio perpetua ſit perpetuum quoque exilium. Nam & ipſa relegatio, quæ proprie, & in ſpecie exilio deportationis opponitur, diſtinguitur in relegationem perpetuam, & temporalem, ſive temporariam *l. relegati*, ibi: in perpetuum exilium dari, aut relegari, *l. relegatorum paragrapho 1.* hæc eſt differentia inter deportatos & relegatos, quod in inſulam relegari, & ad tempus, & in perpetuum quis poteſt, *paragrapho tertio* ſive ad tempus, ſive in perpetuum quis fuerit relegatus, *paragrapho quarto* ad tempus relegatis, & ibi: qui ad tempus relegatis, *leg. 18.* ibi: ſive ad tempus, ſive in perpetuum relegatus ſit, *paragrapho primo* deportatio autem ad tempus non eſt, *ff. de interdict. & releg. leg. qui duobus ff. de leg. Cornel. de falſ. ac de S. Cod. lib.* ibi: ut ad tempus relegentur, *leg. ſecunda ſub initio, & paragrapho reſtitutus 1. ff. de decur.* ibi: ad tempus relegatus, *leg. ſiquis aliquid, paragrapho ſiquis*, ibi: in perpetuum relegatur, *paragrapho Idcirco*, ibi: ut ad tempus relegantur *ff. de pœn, leg. ult, paragrapho unuſquiſque:* ibi perpetuò relegetur, *C. de delator.*

Cùm igitur legimus temporarium exilium, certi ſumus de relegatione temporaria, At cum legimus exilium perpetuum. tum incerti hæremus, ſitne exilium deportationis, an verò perpetua relegatio. Et propterea perpetuum exilium eſt quidem deportationi omni proprium per notata ſupra. Sed non ſoli deportationi, cùm in hoc ipſo exiliorum genere id ipſi commune ſit cum relegatione perpetua Et illud ipſum quoque epitheton perpetui non extat *in d. l. quicunque §. idcirco C. de haret. Manic. & Samar.*

Fortius argumentum depromi poterit ex eo, quod *in d. leg. quicumque §.* idcirco exilii pœna conjunctam habeat bonorum amiſſionem. Certum enim eſt, quod relegato ad tempus regulariter nulla bona ſoleant adimi, *leg. relegatorum paragrap 4.* ad tempus relegaris, neque tota bona, neque partem adimi debere, reſcriptis quibuſdam manifeſtatur, reprehenſæque ſunt ſententiæ eorum, qui ad tempus relegato ademerint partem bonorum, aut bona, ſic tamen, ut non infirmarentur ſententiæ, quæ ita ſunt prolatæ *ff. de pœn. l. qui duobus*, ibi: remiſſius puniri ſolent, ut ad tempus relegentur, nec bona illis auferantur. *ff. de leg. Cornel. de falſ. & de S. Cod. & leg. un. in pr.* ibi: ſine ademptione bonorum relegatus, *ff. ſi pend. app. mors interven* Et propterea relegationis in perpetuum, ut & relegationis in inſulam proprium eſt, ut relegatis pars bonorum adimatur, *leg. relegati 4.* ibi: Et bona quoque ſua omnia retinent (relegati in inſulam) præter ea, ſi qua eis adempta ſunt. Nam eorum, qui in perpetuum exilium dati ſunt, vel relegati, poteſt quis ſententia partem bonorum adimere, *ff. de interd & relegat. leg. ſiquis aliquid §. qui abortionis*, ibi: in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegantur *paragrapho, ſiquis*, ibi: adempta parte bonorum domicilia, in perpetuum relegatur, *ff. de pœn, leg. nemo in fine*, ibi partis bonorum dimidiæ proſcriptionem, & pœnam exilii per quinquennium ſuſtinebit. *Cod. de epiſc. aud. leg. ult* ibi: partis bonorum dimidię proſcriptionem, & pœnam exilii (ſcilicet in inſulam relegationis) ſuſtinebit, *C. de poſtul.*

Similia apud Paulum *lib. 9. recept. ſentent. tit. 25. numer. 7. & tit. 26. numer. 11, 12.* apud Cujacium *lib. 12. obſerv. 27.* Ex qua obſervatio-

ne

ne ſcire poſſumos, temporalem relegationem, vel temporale exilium, citra vinculum inſulæ, admitti non poſſe, ubi cum relegatione, vel exilio ſimplici convenit partis bonorum amiſſio, ut *in leg. in ratione paragrapho tertio:* Cùm quidam, parte dimidia bonorum adempta, fuiſſet relegatus, idemque provocatione interpoſita, teſtamento poſtea facto, obiiſſet, *ff. ad leg. Falc. & in leg. ultim.* Ibi: ſi autem relegationis pœnam ſuſtinuit, & in parte bonorum damnatus, appellatione uſus ſit. Et ibi: utrum valeat, nec ne particularis publicatio, *C. ſi reus, vel accus. mort. fuer.* Et *leg. qui cum uno, paragrapho qui filium*, ibi: Exilio, & bonorum parte mulctandus eſt, *ff. de multit. libro primo* ibi: adempta parte bonorum exulare juſſus, *de fidem. & mandan. leg. Donatiſtas, Cod. Theod. de haret.* Spoliari omnibus facultatibus ad ſingulas quaſque inſulas, atque provincias exulandi gratia dirigantur, & *lib. tertio Cod. ſi pendent. appellat. interum.* cujus verba hæc ſunt. *Si is, qui ademptis bonis*, (id eſt parte bonorum) *in exilium datus eſt* (id eſt relegatus in perpetuum, vel in inſulam) *appellaverit, ac pendente provocatione defunctus ſit, quamvis crimen in perſona ejus evanuerit, tamen cauſam bonorum agi oportet. Nam multum intereſt, utrum capitalis pœna irrogata, bona reo quoque adimat, quo caſu morte ejus extincto crimine, nulla quæſtio ſupereſſe poteſt; an verò non ex damnatione capitis, ſed ſpeciali Præſidis ſententia, bona auferantur. Tunc enim ſubducto reo, ſola capitis cauſa perimitur, bonorum remanente quæſtione.* Sic *in leg. un. in pr.* ibi: *Si ademptis bonis* (id eſt parte bonorum) *relegatur, provocatione interpoſita deceſſerit*, & ibi: *quamvis pendente appellatione morte rei crimen extinctum ſit, data tamen etiam de parte bonorum ejus, ſententia proponitur, ff. ſi pend. appel. mors interv.*

Poſſint verò alicui in iſto loco importuna, ideoque exturbanda videri verba illa: *vel in inſulam deportatus, vel in metallum datus* Tum quod reſcriptum Imperatoris Alexandri ibidem ſubjectum, tantum loquatur de eo, cui pars bonorum adempta eſt, quæ pœna locum tantùm habet in relegato in perpetuum, vel in inſulam, non in deportato, multoque minus in damnato in metallum. Tum quod in ſententia deportationis, vel in metallum damnationis ipſo jure inſit publicatio bonorum, utcunque de publicandis bonis nihil illa ſententia contineat. Et ſic deportationis ſententia aufert ea, quæ ad fiſcum perveniunt *leg. ea ſola ff de aro. reg. nr* aufert civitatem Romanam & bona. *leg. inter in pr. l. 14. paragrapho primo ff de interd. & relegat.* cùm relegatio neutrum auferat, niſi ſpecialiter bona publicentur *d. lib. 14. paragrapho primo* ut deportatus neque manumittere poſſit, *lib. 2. ff. eod.* Sic *lib. 3.* deportatorum in inſulam ab eo, cui id faciendi jus erat bona fiſco vindicantur, relegatorum autem non, niſi ſententia ſpecialiter adempta fuerint, *Cod. de pœn.* Adeoque ipſum per ſe deportationis nomen rerum omnium ſpoliatio eſt *leg. ult Cod. de ſentent. pas. & reſtit.* Et ſententiam ſcilicet capitalem deportationis, damnationis in metallum &c. ſequitur bonorum ademptio *lib. 3. Cod. eod.* facitque, ut etiam poſtea acquiſita bona publicentur, *lib. ſecundo C. de bon. proſcript. ſeu damnation.* Et propterea neque ſolet in deportationis, vel ſimilis damnationis ſententia, ſpecialis bonorum ademptio adjici *l. 3. C. ſi pend. appel. mors interv.*

Ad quam difficultatem tollendam, ſi dixerimus, bonorum quæſtionem ſupereſſe, quotieſcumque condemnatio ſequuta eſt *leg. ex judiciorum ff. de accuſ. & inſcr.* nec poſt appellationem morte rei, eam quæſtionem perimi, tum conſtituemus contrarietatem, quæ in concordiam redigi non poſſet, inter *d. lib tertio Cod. ſi pend. appel. mors interv.* & inter. *d. leg. un. in pr ff eod.* Illa enim expreſſe dicit, nullam crimine extincto morte rei poſt appellationem ſupereſſe quæſtionem, neque de crimine, neque de bonis: de his enim duobus ibi quæſtio vertitur. Hæc verò in deportato, & in metallum dato bonorum quæſtionem aſſerit manere. Cujacius in paratitlorum Codicis libello ita conciliare nititur, ut in deportato & in metallum dato, tum demum bonorum quæſtio ſuperſit, ſi ſpecialiter de bonis adimendis ſententia loquatur; quia multum intererſit, tacite quid inſit an expreſſe dicatur. Sublato enim uno expreſſo, non tolli alterum expreſſum, tolli tamen id, quod tacite ineſt, qua uti licebit componendi ratione, dum melius quid doceatur. Præſuppoſitum tamen illius rationis videtur negari *in dec. lib 3. Cod. ſi pend. appel. mors interv.* quaſi in deportationis & ſimili ſententia non comprehendatur quicquam de adimendis bonis, contra quàm in relegationis ſententia, quod *& leg. ult. Cod. ſi pend. appel. appel. mors interven.* ac cæteræ leges paulo ante allegatæ aſſerunt. Tum dubitare licet, cur id, quod adjicitur præter morem & conſuetudinem judiciorum, ideoque pene injuſtum eſt, plus operetur, quàm id: quod à lege ineſt, ideoque prorſus legitimum eſt. Tertiò ſententia illa ſe ipſam videtur conficere. Nam ſententiæ deportationis ineſt à lege bonorum publicatio, quam juris formam Judex mutare non poteſt. Ergo, deportationis ſententia extincta, extincta quoque eſt bonorum quæſtio. Atque ita eadem bonorum quæſtio, quæ ob expreſſionem non eſt extincta, extincta erit, ex eo, quod tacite inſit in ipſa capitali ſententia, etiam tum, cùm Judex id, quod tacite ineſt, ſermone quoque protulit. Poteſtas enim juris non eſt in arbitratu Judicis *lib. 1. paragrapho quorum ff. ad S. Cod. Turpil.* ubi & iſtud dicitur: *pœna perſecutionem, non Judicis voluntati mandari, ſed legis autoritati reſervari.* Cogitent igitur docti ulterius de iſtius difficultatis tractatione, & utrum levis mutatio potius admitti debeat, ut legatur *in d. l. un.* hoc modo: *Nam ſi ademptis bonis relegatus, non in inſulam deportatus, vel in metallum datus*, an verò, quia etiam quæſtio bonorum, ſcelere quæſitorum crimine extincto, ſupereſt *l. Lucius Titius in fin. ff. de jur. fiſc. leg. cum ratio §. præterea ff. de bon. damn. leg. cum falſi ff. de leg. Cornel. de falſ. & de S. C. Lib. l Gaius Sejus ff. de S. C. Sil. & Claud. l. cum hic ſtatus §. ult. ff. de donat. inter. vir. & ux. l. in hæredem in pr. ff. de calumniat.* dicemus verba illa, *Vel in inſulam deportatus, vel in metallum datus* ita tolerari poſſe, ut referantur ad bonorum ſcelere quæſitorum quæſtionem, & verba illa, *ademptis bonis* pertineant tantum ad primum membrum & verbum *relegatus*, non etiam ad ſequentia. Quo reſpectu etiam in ſententia deportationis, aut alterius damnationis capitalis adjici poſſit ſententia ſpecialis de bonis adimendis ſcelere quæſitis, &

tum

rum Cujacii quoque explicatio facilius retineri poterit.

Ut verò hinc in viam redeamus, conſtat ex hactenus dictis cum relegatione temporali ſimplici non eſſe conjunctam ullam bonorum publicationem; cùm relegatione in perpetuum, vel in inſulam conjungi poſſe particularem bonorum publicationem, ut quidem appellatur *in leg. ultim. Codic. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.* cum deportatione, aut alia capitali ſententia conjunctam eſſe omnium bonorum publicationem, idque ipſo jure, nulla etiam facta ejus publicationis mentione in ſententia.

Jam verò in *dict. leg. quicunque paragrapho idcircò Codic. de hæret. Manich. & Samar.* bonorum amiſſio cum exilio conjungitur. Exilium igitur illud eſt deportationis, ſive ut clarius proponamus. Quodcunque exilium cum omnium bonorum publicatione conjungitur, illud eſt deportationis exilium. At verò iſtud exilium, de quo agitur, *in dict. quicunque §. idcirco* eſt exilium conjunctum cum omnium bonorum amiſſione, ſive publicatione. Ergò exilium, de quo agitur *in dict. leg. quicunque paragrapho idcirco* eſt exilium deportationis. Major propoſitio tum ex ante dictis eſt manifeſta. Tum multis locis confirmari poteſt, ubi expreſsè deportatio, & omnium bonorum publicatio, vel ademptio eſt, & omnium bonorum publicatio vel ademptio conjungitur *leg. prim. paragrapho ultim. 4. de leg. Corn. de falſ. & S. C. Lib.* ibi *deportatio eſt omnium bonorum publicatio, in paragrapho item lex Cornelia de falſ.* ſimpliciter dicitur *deportatio leg. 3. paragrapho legis, ff. ad leg. Cornel. de ſicar. & venef.* inſulæ deportatio eſt, & omnium bonorum ademptio, *leg. un. Codic. ſiquis eam, cujus tut. fuer. corrup.* ibi: deportationi ſubjugetur, atque univerſæ ejus facultates fiſci juribus vindicentur *leg. ſiquis in fin. C. ad leg. Jul. de vi publ. & priv. & leg. 3. Cod. Theod.* in inſulam deportetur bonis omnibus abrogatis, *lege ſecunda, Codic. de his, qui ex publ. ration.* ibi: ablatis bonis omnibus, perpetuæ deportationis ſubdetur exilio. Quæ itidem extant *in lege ſecunda, Codic. de his, qui contrax. cum diſpenſat. leg. un. Cod. de his, qui ſe def.* ibi: Exutus omni patrimonio ſuo. & fiſco vindicato in inſulam deportetur, *leg. ult. C. de condit. in horr. publ.* ibi ut deportationis pœnæ ſubjectus totius ſubſtantiæ cogatur ſubire jacturam, *leg Eunomianis pœnam Codic Theod. de hæret.* ibi: deportentur, omnibus bonis ablatis.

Minorem quod attinet, conſtat ea ex lectione *dict. leg. quicunque paragrapho idcirco de hæret. Manich. & Samar.* Et ne quis hic tergiverſetur quod *in dict. l. quicunque paragrapho idcirco* non adjiciatur nota univerſitatis, ut dicatur omnium bonorum, vel ſimile quid, ſciendum, vocabulum bonorum rem univerſam ſignificare, utcunque non oſtendatur univerſaliter prædicatum ſubjecto enunciari, ut docet Ariſtotel. *peribermenias c. 7. part. 1. & 3.* Quò faciunt etiam *leg. nam quod paragrapho ult. l. cogi ff. ad S. C. Treb.* Et quod in bonorum poſſeſſione, quæ eſt ſucceſſio prætoria, bona ita ſint accipienda, ut ſint univerſitas *l. 4. in pr. bon. poſſ. l bonorum appellatio ff. de verb. ſignif.* Et ſic univerſorum bonorum ſocius dicitur ſimpliciter bonorum ſocius *l. cum duobus §. ult. ff. pro ſoc.* Ubi qui prius dicitur ſocius omnium bonorum, poſt etiam dicitur ſocius bonorum, *leg. Titium §. altera ff. de adm. & peric. tut. & curat.* Sic omnia bona intelliguntur, cum dicitur bonorum emptio, & venditio *in rubr. & pr. Inſtit. de ſucceſſ. ſubl. quæ ſi. per bon. vend.* & cum bona dicuntur addici *in rubr. & tot. Inſtit. de eo, cui lib. conſer.* & cum quis dicitur bonis cedere *tot. tit ff. & C. de ceſſ. bonor.* & cùm dicitur uſusfructus bonorum *l. quotiens, § ult. §. de uſufr.*

Quod tanto facilius hic admittendum, quia publicatio bonorum ſucceſſionem fiſci continet *leg. 2. Codic. ad leg. Jul. de vi publ.* Et quia natura ſermonis id exigit. Aliud enim eſt bona amittere, aliud partem bonorum amittere. Quæ duo ſibi invicem ſolent opponi, ut *l relegatorum, § ad tempus*, ibi: ademerunt partem bonorum, vel bona, *ff. de interd. & releg.* Et res ipſa evincit. Nam partis bonorum ademptio in parte ſola ſubſiſtit; bonorum autem ademptio rem univerſam abſorbere poteſt. Et quia frequentiſſimum eſt in jure, ut in pœnis etiam vocabula ejuſmodi rem univerſam ſignificent omiſſa licet univerſitatis nota, ut *l. 1. C. de pagan. & ſacrif. & templ.* ibi: facultates etiam perempti fiſco decernimus vindicari. Ubi capitalis inflicta ſententia particularem bonorum publicationem excludit, univerſam exigit. Idemque eſt *in lege prima, Codic. quæ res ven. non poſ ſic in l. cum C. de apoſt.* ibi: cum diſpendio fortunarum capite puniendum. Sic eorum, qui ad ferrum, vel beſtias damnantur, bona publicantur *leg. ejus §. ult. ff. qui teſtam. fac. poſ.* Quò & referendum videtur, quod eſt *in leg. Eunomiana Cod. Theod. de hæret.* ademptis bonis ultima animadverſione plectantur. Sic in pœna deportationis, vel damnationis in metallum uſu venit, ut omnia bona intelligantur per ſimplex & nudum verbum bonorum, ut *in leg. ſi ademptis bonis Cod. de ſent. paſ. & reſt. lib. 4.* in metallum damnatus pœnæ ſervus efficitur, & ideo ejuſmodi ſententiam paſſi, bona vindicantur rationibus fiſci *C. de bonor. proſcript. ſeu damn. leg. deportatorum Codic. de pœn.* Sic apud Paulum *libro quinto, recept ſent. titulo vigeſimo quinto, verſiculo ſecundo*, publicatis bonis deportari. Sic ejus cui aquâ interdictum eſt, bona, quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicantur *leg. ejus paragrapho ſi cui, ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Et in metallum damnati bona publicantur, *dict. leg. ejus, paragrapho ult ſic in leg 4. paragrapho ult. ſic in leg. 4. paragrapho ult. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* bona eorum fiſco vindicari, univerſa intelliguntur bona, cùm illic pœna legis Corneliæ locum habeat, quæ olim fuit deportatio, & omnium bonorum ademptio, poſtea ultimum ſupplicium *lege tertia paragrapho leges, ff. eod. Sic l. 1. Codic. Theod. de maleſ. mathem. &c.* ibi: poſt ademptionem bonorum in inſulam detrudendo. Et *lego prima, Codic. Theod ad leg. Jul. de amb.* ibi: amiſſis bonis, & fiſco noſtro protinus vindicatis, deportationis multetur exilio. Et *leg. Donatiſtas Codic. Theod. de hæret* ibi: quiſquis hos (Clericos adminiſtros) fugientes propoſitam ultionem, occultandi cauſa ſuſceperit, ſciat & patrimonium ſuum fiſci noſtri compendiis adgregandum, & ſe pœnam, quæ his propoſita eſt, ſubiturum. Ea verò eſt deportatio, ut conſtat ex *eadem leg. v. itant Epiſcopi.* Sic *leg. 14. § 1. ff. de interd. & releg.* deportatio civitatem, & bona adimit. Sic bona à fiſco occupata, ſunt ejus, qui in metallum damnatus eſt *l. 2. C. de ſent. paſ. & reſt. ſic in l. 3. Cod. eod.* ad minimum deportationis eſt ea ſententia, quam ademptio bonorum ſequuta eſt. Reſtituitur enim ibi damnatus civitati Romanæ. Et

in l. ſi ademptis C. de ſent. paſſ. & reſt publicata bona ſunt deportati. Sic patrimonio ſuo fiſco ſociato pœnam ſe deportationis noverit ſubiturum, *l. Marcharidus Codic. Theod. de bon. proſcr.* Idemque evenit in publicatione bonorum, quæ ſine deportatione, aliave graviori pœna infligitur, ut bonorum publicationem intelligere debeamus univerſorum, *leg. cuncta C. Theod de his qui de relig. contend.* ibi: privati cingulo bonorum proſcriptione mulctentur, *leg. jubemus, §. hoc videlicet, C. de erogat. mil. annon.* ibi: Non ſolum ſe ſe cinguli amiſſionem, verum etiam facultatum ſuarum publicationem pro tanto ſubituros flagitio, *l. nullus, C. de adſeſſ. & domeſt.* famæ nota cum bonorum publicatione plectatur *l. ex omnibus C. de decur.* ibi: occultatoribus talium, præter jacturam exiſtimationis, etiam rerum diſcrimen incumbat, *leg. 1. de deſert.* ibi: patrimonii, atque exiſtimationis damno ſubjiciatur. Et cum omni mentione cinguli, & exiſtimationis omiſſa bona publicari dicuntur, ut *l. 1. C. de apoſtat. facultates dominio fiſci jubemus vindicari l. 1. C. de petit. bon. ſublat.* ibi: bonorum ſuſcriptione puniri decernimus. *l. 1. C. ut nemo ad ſuum patroc.* ibi: bonorum proſcriptione plectendus, & ibi facultatum ſuarum amiſſione plectentur: *leg. 3. Codic. de offic. quæſtion.* ibi: publicatione bonorum ſuorum multando. *leg. 4.* defunctorum in deſertione bona confiſcari, *C. de re milit leg. ſi ut proponis Codic de bon. proſcr.* bona ſententiam paſſi ad fiſcum ſunt devoluta, *leg. ſi mandavero paragrapho is, cujus ff. mand.* ibi: cujus bona publicata ſunt, & ibi: bonis publicatis, qui tamen locus de deportato loqui videtur, *leg. ult. in fine Codic. Theod. de hæret.* publicatione bonorum eſſe coercendum *leg. quid C. Theod. eod.* quos bonorum etiam publicatione perſequimur. Et ut modò bonorum præſcriptio occurrit, ſic occurrunt etiam bona proſcriptorum *in rubr. Codic. de bon. proſcr. & in ſimili rubr. Codic. Theod. & in leg. ſi quis, Codic. Theod. eod.* bona proſcriptionis nomine vindicata fiſcalibus ſociati corporibus, *leg. ne quis proſcriptorum Cod. Theod. eod.* bona proſcriptorum, vel eorum, qui publicam videntur excepiſſe ſententiam. Sic indago bonorum ejus, qui ſtylum proſcriptionis incurrit. *leg. ſiquis intra C. de bon. proſcr. l. ſiquis intra Codic. de bon. proſcr. leg ſiquis intra Cod. Theod. eod.* Sic proſcriptorum facultates, *leg. quidam Cod Theod. eod.* Sic proſcriptorum facultatumque fortunas ærario noſtro jubemus accedere, *l. 20. C. Theod. eod.*

Etſi verò in hoc argumentò plus roboris inſit, quàm in reliquis, attamen non omni caret ſcrupulo. Nam *d. l. quicunque paragrapho idirco Codic. de hæret. Manich. & Samar.* non dicit expreſsè cum omnium bonorum amiſſione. Id ſi diceret, facilè concluderemus, ibi agi de exilio deportationis. Nullum enim aliud exilium habet bonorum omnium amiſſionem conjunctam & quod exilium bonorum omnium amiſſionem continet, id facilè concedimus eſſe exilium deportationis. Quod verò ibi intelligenda ſit bonorum omnium amiſſio, id non ſatis certo concluditur. Utcumque enim ſolum verbum *bonorum* pluribus in locis ſignificet univerſa bona, ut loca hactenus aonotata oſtendunt, quamvis quædam diligentius examen admittant, tamen non omnibus in locis id obtinet, ut *in leg. deportatorum Codic. de pœn.* ubi licet in priori membro, dum ait deportatorum bona fiſco vindicantur, neceſſario omnia bona intelligantur, tamen in poſteriori membro, ubi repeti quodammodo illa verba oportet, hoc ſenſu, relegatorum autem bona fiſco non vindicantur, niſi ſententia ſpecialiter adempta ſint, ubi verbum *bona* neceſſario accipiendum eſt non de bonis omnibus, ſed de parte bonorum, quæ tamen pars bonorum & ipſa univerſitas quædam eſt, niſi contra juris regulam velimus dicere, concurrere univerſorum bonorum ademptionem, idque ex jure ipſo. Quod ſanè perquam abſurdum, vel impetitia Judicis relegato adempta eſſe omnia bona. Quæ ſententia, etſi reprehendatur, non tamen infirmatur, *l. relegatorum, §. ad tempus, ff. de interd. & relegat.*

Cur enim *dict. leg. deportatorum* ſanctio ad eum caſum reſtringenda ſit, ratio nulla eſt, neque legis eſt Judicem confirmare, & augere impetitiam. Sic *in leg. chirographis §. 1. ff de admin. & peric. tut.* qui ſententia Præſidis bonis ademptis relegatus erat, nonniſi partis bonorum ademptionem ſuſtinere potuit propter eam cauſam, quòd relegatus fuerat. Sic *in l. cum ratio §. ult. ff. de bonor. damnat.* quod ex græco verſum eſt, ſi is, cujus bona publicata ſunt, relegatus ſit, eandem ob cauſam bona pro parte tantum publicata accipienda ſunt. Sic quod itidem ex græco acceptum *in lege octava, paragrapho tertio, ff. eod.* bona relegati non publicantur, niſi ex ſententia ſpecialiter, ita exaudiendum, ut pars tantum bonorum publicetur. Sic quod itidem ex græco translatum, dicitur *in leg. 14. paragrapho primo, ff. de interdict. & relegat.* Relegatio autem neutrum, ideſt neque civitatem, neque bona tollit, niſi ſpecialiter bona publicentur, de parte bonorum neceſſario accipi debet. Sic *in l. un. ſub initio ff. ſi pend. appel. mors interv.* ademptis bonis relegatus alius non eſt, niſi cui pars bonorum adempta eſt, ut ibidem poſt ſequitur, data tamen etiam de parte bonorum ejus ſententia proponitur.

Eodem modo *in leg. 3. Cod. eod. bonis ademptis*, explicandum eſt, parte bonorum adempta. Quod explicatum ſuprà. Qui locus tanto majorem meretur obſervationem, quanto majorem habet affinitatem cum propoſita noſtra *leg. quicunque §. ideirco C. de hæret Manich. & Samar.* ubi hæc habentur verba: *pœnam exilii cum facultatum ſuarum amiſſione ſubituras*, cùm in *dict. leg. 3.* hæc legantur, *bonis ademptis in exilium datus eſt.*

Si igitur minoris propoſitio illa, quâ maximè contraria opinio nititur, vera eſt, quod ſcilicet quotieſcumque cum verbo exilii concurrit amiſſio facultatum, vel ademptio bonorum, neque enim in effectu differunt, tum exilii verbo ſignificatur exilium deportationis, utique *in dict. leg 3.* exilii quoque verbum ſignificabit exilium deportationis, cum ibi cum exilii verbo, bonorum ademptio concurrat. At abſurdum eſt *in dict. leg. 3.* illis verbis, bonis ademptis in exilium datus eſt, verbo exilii ſignificari exilium deportationis. Nam cùm pendente appellatione deportatus decedit; tum in perſona ejus, & crimen evaneſcit, & nulla de bonis ademptis supereſſe poteſt quæſtio, ut oſtenſum etiam ſupra. At verò *in dict. leg. 3.* qui bonis ademptis in exilium datus eſt, is mortuus eſt quidem pendente provocatione, & crimen in perſona ejus extinctum; quæſtio tamen bonorum ejus ſupereſt,

ſupereſt, quia non ipſo jure erat in exilio illo bonorum ademptio, ſed ſpeciali Præſidis ſententia erat irroganda. Et ſolus ille locus *dict. leg.* 3. evinceret ad oſtendendum, neque exilii verbum ſemper exilium deportationis ſignificare, cùm ei additur bonorum ademptio. Quia bonorum ademptio non eſt ſemper bonorum ademptio, ſed partis bonorum ademptio, eſt etiam aliqua bonorum ademptio. Neque bonorum verbum ſemper omnia bona ſignificat, quando concurrit cum verbo exilii, eam ob cauſam quia exilium non ſemper ſignificat exilium deportationis, ſed ſignificare poteſt & ſimplicem relegationem temporalem, & relegationem in perpetuum, & relegationem in inſulam. Siquis verò iſtis locis alterum ex altero vellet concludere, nimirum exilii verbum ſignificare deportationem ob verbum bonorum, & bonorum verbum ſignificare univerſa bona ob verbum exilii, is in circulum ageretur inertiæ vertigine.

Pro deportatione illud quoque proferri poteſt. Quorum pœna aliàs ſemper eſt deportatio, in iis exilii verbum pro deportatione accipiendum. Atqui hæreticorum pœna aliàs ſemper eſt deportatio. Ergo in hæreticis exilii verbum pro deportatione accipiendum. Aſſumptio probatur *l. haretici §. Montaniſta C. de haret. Manich. & Samar. & l. Ariani verſ. Manichaos, l. ubicunque, l. Manichai undique C. eod. l. Eunomiana, l. Eunomianis pœnam, l. quid, l. Jovinianum, l. Montaniſta, l. domus C. Theod. de haret.* Quomodo etiam intelligere licebit *l. defenſorum, l. caſſatis, l. Jovinianum, l. Donatiſtas, l. Montaniſta l. hareticorum C. Theodoſ. eod. & l. Ariani C. de haret. Manich. & Samar.*

Parique modo cùm aliàs quoque hæretici omnium bonorum amiſſione mulctentur, ut *l. Eunomianis pœnam, l. caſſatis, l. Donatiſtas, l. Eunomiani C. Theod. l. Manichaos § ac primum, §. ſed nec filios, l. Manichai liberos C. de haret. Manich. & Samar.* utique & *in dict. leg. quicunque §. Ideirco, C. eod* bonorum verbum omnium bonorum ſignificationem habebit.

Sed facilè repellitur iſtud argumentum, negata adſumptione, quæ ex iſtis locis non probatur. Neque enim ii loci de noſtro ſubjecto loquuntur, ſed de ſpecialibus caſibus. Nam quod ajunt primo *ad l. Manichai liberos* apertum eſt, eam loqui de Manichæis, eorum omnibus bonis, dum ait: *Omnimodò ipſorum ſubſtantia ad fiſcalem redituræ rationem.* Sed ab iis ad omnes hæreticos, vel etiam in ſpecie ad Eutychianiſtas, & Apollinariſtas progredi ita non licet. Secundò eodem modo de Manichæis ſolis agit *Manichaos* qua de ſupra.

Tertiò Eunomiani ſpadones *C. Theod. de hared.* neque in genere de hæreticis omnibus, neque de Eutychianiſtis, & Apollinariſtis, ſed de Eunomianis. Neque etiam de Eunomianis omnibus, & in genere, ſed in ſpecie de Eunomianis ſpadonibus, qui procul dubio & fictitiæ pietatis ſtudio ſe vel ipſos caſtrarunt, vel caſtrandos aliis probaverunt. De his ſolis ibi dicitur, omnia, quæ talium eſſe vel futura eſſe conſtiterit, ut caduca fiſci noſtri viribus vindicentur, quæ tamen ipſa verba caducam potius hæreditatem notant, quamvis & vivorum iſtorum ſpadonum Eunomianorum bona fiſco videntur obnoxia. Quia illis neque poſſidendi, neque petendi licentia relinquitur ſalva. De aliis Eunomianis ita ſeverè non agitur, ut oſtendit *leg.* 13. *Codic. Theod. eod.* Eunomianos ne caperent aliquid, vel relinquerent teſtamento, legem dudum credidimus eſſe promulgandam, quam quidem nunc conſilio pleniore revocamus. Vivant jure communi. Scribant pariter, ac ſcribantur hæredes. Et quamvis *dict. leg. Eunomianis* abrogetur per *l. omnes pœnas C. Theod. eod.* iis verbis: Eunomianorum verò perfidam mentem, & nequiſſimam ſectam ſpeciali commemoratione damnamus, ſtatuimusque omnia, quæ contra illorum veſaniam decreta ſunt illibata cuſtodiri. Illud addimus, ne quis memoratæ ſectæ militandi, aut teſtandi, vel ex teſtamento ſumendi habeat facultatem, ut ſi omnibus commune damnum, quibus etiam communis eſt religioſis furor, ceſſante videlicet, ſi quid à patre noſtro quibuſdam fuerat ſuper teſtandi jure beneficio ſpeciali conceſſum; tamen reſtituitur per *l.* 27. conficiendorum teſtamentorum dari Eunomianis præcipimus poteſtatem, & concedi id, quod divi genitoris noſtri data nuper præceptio continebat, *C. Theod. eod & l.* 36 *Cod. Theod. eod.* Eunomianis pœnam adimendi teſtamenti factionis, peregrinorumque mutandæ conditionis, patimur eos & donandi è ſuis facultatibus, ut velint, & dono rurſus ab aliis accipiendi habeant liberam poteſtatem &c.

Sic *l. Manichaos C. Theod.* quamvis in futurum donandi jus, & teſtamenti ipſis adimatur, tamen præterita non revocantur, bona etiam ipſis relinquuntur, ut de eorum etiam ſucceſſione agatur. Sic *in l. domus* 58. *C. eod. & in l. omnes* 61. *C. Theod.* cohortalini militiæ ſunt obnoxii. Et bona igitur ipſis relinquuntur. Sic *in l. hareticorum* 68. *C. Theod. eod.* Igitur *d. l. Eunomiani ſpadones* valdè eſt ſingularis, aut ſi omnes fortè Eunomiani ibi vocantur ſpadones, quod eorum animus ſit caſtratus, & caſſus veritatis, tamen pœnæ illæ, & mutatæ ſæpius ſunt, & *in Codic. Theod.* bona ipſorum confiſcata ob ſolam hæreſim non reperitur.

Quartò quod verò *ad l. Donatiſtas*, agit illa quidem initio de Donatiſtis, atque hæreticis, ſed ut ex contextu reliquo apparet, loquitur tantum de Donatiſtis. Sic enim ait *in v. hujuſmodi autem conditionibus Senator &c.* Inventus in grege Donatiſtarum, ut verba illa Donatiſtas, atque hæreticos, quos &c. Sic explicare liceat, *Donatiſtas, ut hareticos, quos patientia Clementia noſtra nunc uſque ſervavit.* Hanc enim vim ea particula quandoque habere notatur. Et verò verba illa, *ſpoliati omnibus facultatibus* tantum pertinent ad Epiſcopos, presbyteros, omneſque Antiſtites eorum, & miniſtros, qui ſpoliati omnibus facultatibus ad ſingulas quaſque inſulas, & provincias exulandi gratia dirigantur. Cæteri levius puniuntur. Et quidem qui in Proconſulari, aut Vicariano, aut Comitivæ primi ordinis fuerit honore ſuccinctus &c. ducentas argenti libras cogatur fiſco ſolvere &c. Senator centum. Sacerdotales tantundem. Decem primi Curiales libras argenti decem, quæ ibi pluribus exponuntur.

Quintò *l. Caſſatis* loquitur itidem de Donatiſtis, quorum quæ fuerit crudelitas habes apud Auguſtinum *epiſt.* 68. *& ep.* 48. *& epiſt.* 50. Perſtringuntur etiam

Donatiſtarum ſeditioſi ac prædatorii conatus & latrocinia ab Auguſtino *l.3. contra Julianum cap.* 1. quorum variè referuntur pœnæ non ideò, quod ſint Donatiſtæ, ſed ſi ea, quæ ſacrilegè catholicis deſciſcivere, vel eripuerunt, atque invaſerunt, non reddiderint, tunc Illuſtres fiſco inferant auri pondo 50. Spectabiles auri pondo 40. Senatores auri pondo 30. Principales auri pondo 20. Decuriones, negotiatores & plebeii auri pondo 5. Circumcelliones argenti pondo 10. &c. Tandem niſi eos illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio ſubſequetur.

Sexto *l. Eunomianis* pœnam cùm jubet deportari eos, bonis omnibus ablatis, loquitur de miniſtris ſceleris, quos falſo nomine ſuo Antiſtites vocant, neque ſimpliciter de iis loquitur, ſed ſi in collectione aliqua fuerint comprehenſi. Itaque *in dict. l. quicunque paragrapho Idcirco C. de hæret. Manich. & Samar.* utcunque agatur de Epiſcopis, Presbyteris, & Clericis, tamen reliquæ circumſtantiæ deficiunt, ut proinde ab iis locis ad alios progredi ſatis tutum non ſit, neque poſſit illico ubivis eadem pœna introduci. Et quamvis ſuſpicio quædam ex ejuſmodi locis moveatur, tamen nulla inde oritur certitudo, niſi hanc eruere velimus *ex d. §. Idcirco*, ubi Valentinianus, & Martianus Auguſti ſic aiunt: *Idcirco Apollinariſtas, hoc eſt Eutychianiſtàs (quibus etſi eſt in appellatione diverſitas, tamen eſt in hæreſis pravitate conjunctio, & diſpar quidem nomen, ſed idem ſacrilegium &c.)*

Excutiamus modò locos, qui deportationem hæreticis imponunt: Et primò quidem *l. hæretici* 50. *§. Montaniſta* 2. loquitur de Epiſcopis & Clericis eorum, eoſque jubet expelli ex Urbe Conſtantinopoli. Quod certè longiſſimè abeſt à deportatione.

Secundo *l. Ariani* 5. *v. Manichæis*, & *l. ubicunque* 11. & *l. Manichæi undique* 12. manifeſtò loquuntur de Manichæis.

Tertiò *l. Eunomiana* 34. loquitur de Eunomianis & Montaniſtis clericis, quos primò urbibus expellit. Quod rurſùs longè abeſt à deportatione. Deinde ſi ruri agentes, aut populos congregent, aut ineant conventus, perpetuo deportentur.

Quartò *l. Eunomianis pœnam* 26. Eunomianorum miniſtri, ſi in collectione fuerint comprehenſi, deportentur, bonis omnibus ablatis.

Quintò *l. quid* 40. agit de Manichæis, & de Frigis, & Priſcillianiſtis, qui Manichæis, tanquam pares junguntur. Et illa ipſa, ubi deportationem minatur, loquitur de conductore, qui Manichæis ad ineundos conventus prædium præbuit. Sic enim colligere licet, locus enim planè mendoſus in editione Lugdunenſi. Et tum demum deportationi ſubjicit, cùm is idoneus non eſt, ſcilicet ut bonorum amiſſione puniatur. Et ſic ibi legendum videtur, idoneus non eſt, niſi quis velit eò extendere ſi idoneus, & locuples ſit, deportetur, ſi pauper, ultimo ſupplicio afficiatur, ut *in l. quidem 5. C. Theod. proſcr.* Quod tamen durius videri poſſit, neque interpreti in legis defectum ejuſmodi pœnæ aſperitatem interpretatione inducere licet. Fortè tamen iſta l. pro *idoneus* legendus eſt *ingenuus*, cujus conſideratio in hac quæſtione non infrequens eſt.

Sextò *in l. Jovianum* 53. ſacrilegi conventus acti ſunt extra muros Urbis ſanctiſſimæ, ideſt, ut videtur, in ſuburbanis prædiis, ubi interdictum fuit conventus agere, & ſic deportantur machinator, & Clerici, atque miniſtri hæretici.

Septimò, præcipuè verò cùm *d. l. quicunque paragrapho. Idcircò de hæret. Manich. & Samar.* convenit *leg. Montaniſtæ* 57. quæ eos ſtylum deportationis vult excipere, qui ut Clerici Montaniſtis Epiſcopos, Presbyteros, vel Diaconos, ſive in genere Clericos creare tentaverint, quique creari acquieverint. Verùm ut hoc iſto caſu in legislatoris fuit arbitrio, ita id ex loco ita ſpeciali ad æquè ſpecialem, ac diverſum proferre, non licet interpreti, ubi lex ipſa obſcurius aut confuſius loquuta eſt; non quicquid poteſt Legislator, idem permiſſum eſt interpreti, ſive Doctori.

Octavò *leg. domus* 58. relegationis pœnam definit illi, qui ſe ultrò, atque ſpontè ſua paſſus fuerit deduci ad ſecundum baptiſma, & geminata ſemel indultæ fidei; (nam ut eadem *l. præterquam* eleganter ait, baptiſma in modum ſemel nati hominis, ſemel à Deo conceditur) myſteria imbui (quod verbum delendum videtur: Turbat enim ſenſum,) temere, vel perperam devocari. Deinde par pœna deportationis ſtatuitur in Eunomianos Clericos, ſi conventus exercere, vel in inclyta urbe Conſtantinopoli, vel in provinciis, civitatibus, ac territoriis, vel creare auſi fuerint clericos peſtiferi dogmatis, vel creari. Quod rurſus habet ſimilitudinem cum dicta noſtra *leg. quicunque §. Idcirco*. Et hæc de iis locis, in quibus deportationis fit expreſſa mentio, ubi duo poſteriora magis, ut indicatum eſt, accedunt ad noſtram *leg. quicunque paragrapho Idcirco*. Sed illam certam, ac neceſſariam concluſionem non faciunt.

Reliquos locos, qui per interpretationem videntur de deportatione accipiendi, videamus. Primo *l defenſorem* 45. loquitur de iis, qui contra prohibitionem illicitas coitiones inſtituunt, & ibi audent diſputare ea, & adſerere, quæ inſtitutio divina condemnat, quos Clericos ita coeuntes, ac diſputantes, atque adſtruentes ea, quæ inſtitutio divina condemnat, lex illa præſcriptos in exilium detrudi jubet. Hæ circumſtantiæ verò *in dict. leg. quicunque paragrapho. Idcirco in fine*, non extant. Et adhuc ſub Judice lis eſt, an qui proſcripti in exilium detruduntur, ſint illicò deportati.

Secundò *leg. caſſatis* 55. non loquitur de iis, qui hæreticos Epiſcopos aut Clericos crearint, aut ſe creari paſſi fuerint, ſed de Donatiſtis, & quidam de iis, qui ea quæ catholicis ſacrilegè eripuere, non reddiderint, de hiſce Clericis deinde ait: *Clerici verò, miniſtrique eorum, ac pernicioſiſſimi ſacerdotes, ablati de Africano ſolo, quod ritu ſacrilego polluerunt, in exilium viritim ad ſingulas quaſque regiones, ſub idonea perſecutione, mittantur*; neque tamen certo conſtat mitti in exilium ad diverſas regiones, eſſe deportari. Nam hoc etiam convenit relegationi, ut cum apud Paulum *libro quinto, recept. ſent. tit. de adulteris* 26. legimus *verſicul.* 12. Adulterii convictas mulieres dimidia parte dotis, & tertia parte bonorum, ac relegatione in inſulam placuit coerceri *v.* 13. Adulteris verò viris pari in inſulam relegatione, dimidiam partem bonorum auferri, dummodò in diverſas inſulas relegentur, quas ſententias

& com;

& complures alias reſtituit Cujacius *libro vigeſimo primo, obſer.* 17.

Tertiò *l. Jovianum* 53. ait, *illum contenſum plumbo cum cæteris ſuis participibus & miniſtris exilio coercendum.* Ea verò lex poſtea verbum exilii explicat, ut ipſum Jovianum machinatorem, in inſulam Boam feſtina celeritate deduci oporteat, cæteris prout libuerit, (dummodò ſuperſtitioſa conjuratio exilii ipſius diſcretione ſolvant) ſolitariis, & longo ſpacio inter ſe poſitis inſulis in perpetuum deportatis. Quod igitur prius dixit, participes, & miniſtros exilio coërcendos, id poſteà dicit, ſolitariis, & longo inter ſe ſpacio poſitis inſulis in perpetuum deportandos. Quod ſi participes, & miniſtri deportantur, deportandus quoque erit ipſe machinator, aut tali exilio coercendus, quod ſit deportatio in inſulam. Eadem explicatio exilii ſi eſſet *in dict. leg. quicunque* §. *Idcircò* nemo contradiceret, verbum exilii ita explicandum; at quia abeſt, meritò quærimus, non an poſſit ita explicari, ſed an oporteat.

Quartò *l. Donatiſtas* 54. loquitur manifeſtè de Donatiſtis, & quidem de eorum Clericis, iſta ſunt verba manifeſta: *Epiſcopi, presbyteri, omneſque Antiſtites eorum, & miniſtri, ſpoliati omnibus facultatibus ad ſingulas quaſque inſulas, atque provincias exulandi gratia dirigantur.* Ubi certè exilium deportationem eſſe dicimus. Quia continet bonorum omnium ademptionem, quod deportationi quidem omni nulli relegationi convenit, cujuſmodi argumentum nullum *in dict. l. quicunque* §. *Idcircò* occurrit.

Quintò *l. Montaniſta* 37. ubi certè *Montaniſtarum Clerici, & Epiſcopi, ſive Presbyteri & Diaconi, ſi nefaria conventicula inierint, vel clericos creare auſi fuerint, vel etiam creati acquieverint, ſtylum deportationis excipiant. Hi verò, qui ad celebrandos interdictos conventus eos ſuſceperint, ea ipſa re, in qua hæc fieri conceſſerint, & execrabilia myſteria celebrare, procul dubio intelligant ſpoliandos, ſive domus ea fuerit, ſive poſſeſſio, ſive procuratoribus ignorantibus dominis ſuſceperint, in exilium ſe vehementer coercitos non ambigant ablegandos.* Ubi exilii verbum, vel ideo deportationem non continet, quia procuratores ablegantur, id eſt relegantur in exilium. Magis enim, ut ablegandi per *relegandi* verbum interpretemur, cum quo majorem habet agnationem, quàm per deportandi, & multò magis, ſi retineas ſcripturam vulgatam, ut ſub iſta ablegatione in exilium contineantur ipſi etiam domini, de quibus *in v. hi verò* ablegatio in exilium erit relegatio, quia tantum illius domus, ſive poſſeſſionis, in qua paſſi ſunt Montaniſtas clericos convenire, & execrabilia myſteria celebrare, confiſcatio in iſta lege ſancitur, non omnium bonorum publicatio.

Sextò denique *in l. hæreticorum* 65. *& l. Arians* 5. *v. ſive de procuratore*, procurator, qui neſciente domino, paſſus eſt hæreticorum conventicula in prædiis ſibi commiſſis agitari, ſi ingenuus ſit, ſubire vel decem librarum auri mulctam, vel exilium. Sed eo loco exilium non poteſt ſignificare deportationem. Quia tantum decem librarum auri mulctæ opponitur. Et ſolutis decem auri libris, poſſit evitari. Quod nullo prorſus modo quadrat in deportatione.

Ex quibus omnibus conſtat, ſi exilii verbum ſignificat deportationem, id fieri vel in aliis & gravioribus delictis, vel ſignificationem oriri ex certis circumſtantiis, quæ tamen *in dict. l. quicunque* §. *Idcircò Codic. de hæret. Manich. & Samar.* deficiunt, vel à ſeparatis ad ſeparata, perperam fieri illationem. Nonnunquam etiam exilii verbum repudiare ſignificationem deportationis, & propterea licet inde per conjecturam dici poſſit *exilii* verbum *in dict. paragrapho idcircò* ſignificare deportationem, tamen ea res nullam habet certitudinem.

Nihilominus opinari quis poſſit, cùm in ſimilibus quibuſdam cauſis ſit pœna deportatio à legislatore conſtituta, cur *in dict. leg. quicunque* §. *Idcircò* à ſimili non admittatur interpretatio? Verùm nos quidem eam interpretationem ſoli legislatori convenire aſſerimus *l. ult. paragrapho* 1. *ff. de legib. & conſtit. Princip.* neque dubitamus, ſi Imperatores voluerint deportationis pœnam & omnium bonorum amiſſionem intelligi *in dict. paragrapho. Idcirco*, quin uno adjecto verbulo id potuerint, cùm non fecerint, noſtrum non eſt mentem Imperatorum divinando indagare, ſed ſequimur potius auream iſtam juris regulam *Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quàm aſperandæ l. pœn. ff. de pœn.* Et in pœnalibus benigniorem interpretationem ſequi non minus juſtum eſt, quàm tutius *l. ea, quæ in partes paragrapho* 1. *ff. eod.* & ſemper in dubiis benigniora præferenda ſunt *leg.* 56. *ff. eodem* & in ambiguis rebus humaniorem ſententiam ſequi oportet. Sic Imperator ipſe humaniorem interpretationem ſequitur *leg.* 3. *in fine ff. de his, quæ in teſt. del.* Sic in ſententiis ſequimur legem mitiorem *leg. ſi præſes ff. de pœn. l. hæ enim paragrapho quid ergo ff. de ſuſp. tut. & curat.*

Et quidem Græci interpretes Baſilicon *dict. l. pœn. ff. de pœn.* ita interpretantur, cùm fortè lex dicit, ille capitaliter puniatur, quia *capitaliter* ſignificat & gladii pœnam, & metalli, & deportationem, id benignius interpretabimur. Nam in dubio benignitas præfertur. Ergo eodem quoque modo & nos dicemus, cùm lex exilii pœnam irrogat, illa verò vel ſit deportatio, quæ graviſſima eſt, vel relegatio in inſulam, vel relegatio in perpetuum, vel relegatio ſimplex temporaria, hanc potius, tanquam leniorem & benigniorem interpretabimur.

Quia verò *in dict. l. quicunque paragrapho Idcircò* cum pœna exilii concurrit bonorum amiſſio, dicemus, ibi non intelligendam ſimplicem temporariam relegationem, ſed ejuſmodi relegationem, cum qua amiſſio quędam bonorum poteſt concurrere, qualis eſt relegatio in perpetuum & relegatio in inſulam, ut ſuperius expoſitum. Neque hic prætereundum, quod Baſilicorum interpres notat ab Iſæo Rhetore dictum: ſeveras quidem leges poni oportere, latius verò quam eæ præcipiunt, coercere. Et quod dicitur *in l.* 200. *ff. de d. v. reg. jur.* quoties nihil ſine captione inveſtigari poteſt, eligendum eſt quod minimum habet iniquitatis. Et quod traditur *in l.* 9. *ff. eod.* ſemper in obſcuris quod minimum eſt, ſequimur. Licet ergò & nobis ſequi mitiorem, & clementiorem ſententiam in iſto ambiguo ac dubio exilii genere. Etſi qua hic captio, ſi quis error, tamen minus eſt iniquitatis in pœna leniori, quàm in aſperiori. Nam & leniores iſtæ pœnæ ſatis ſunt acerbæ iis, qui eas ſuſtinent. Sunt, inquam, ut poſtea ait, *Marti Venerique*

timenda. Hoc enim de pœnis Juliæ, de adulteriis, Satyricus pronunciat. Erant verò iſtæ pœnæ cum amiſſione bonorum telegationca in diverſas inſulas, ut ſupra ea Pauli ſententiia receptis retulimus.

Tantò veiò clementiorem interpretationem ſequimur, quod legamus pios, ac Chriſtianos Imperatores magis ad terrorem, quam ad executionem leges ſeveriores promulgaſſe. Atque ita Sozomenus *libre ſeptimo*, *capite duodecimo*, de Theodoſio majore teſtatur; *Imperatorem lege edixiſſe, ut heterodoxi neque Eccleſias colligerent, neque de fide docerent neque Epiſcopos aut alios ordinarent, & alii civitatibus & agris pellerentur, alii honoribus privarentur, nec eadem cum aliis politia uterentur, ac legibus illis gravia quidem ſupplicia adjeciſſe, verum non eſſe illa executum. Neque enim punire ſubditos, ſed metu coercere ſategiſſe, quò illos in dogmate ſibi de divinitate Chriſti concordes redderet. Nam eos demum laudaſſe, qui ſponte & ex animo convertebantur.* Et *lib. 2. c. 32.* Conſtantinum Magnum contra Novatianos pœnam executum non eſſe, teſtatur, dum ait: *Etenim ut opinor, connivebat illis Imperator haud invitus, hoc tantum agens, ut perterrefaceret ſubditos, non ut perderet.* Ejus quoq; Clementiæ videmus exempla *in l. 3. §. 4. C. de ſumm. Trinit. & fid. cath. & N. 42.* quam etiam Eccleſia vetus probavit, teſte B. Auguſtino *lib. 3. contra Creſcon. gram. c. 50. tom. 7. col. 271.*

Quod verò *in dict. §. Idcircò d. l. quicunque C. de haret. Manich. & Samar.* occurrit, iſtud eſt. Cum Eccleſiæ Antiſtitum nota eſt orthodoxia, tum qui ab illis diſſentiunt, non injuria pro hæreticis habentur. Quod ipſum elicitur *ex l. 1. C. de ſum. Trinit. & fid. cath.* ubi Damaſus Romanus Pontifex, & Petrus Alexandrinus Epiſcopus ab orthodoxia commendantur. Et *ex dict. l. quicunque in pr.* ubi Patres 318. Niceæ, & Patres 150. Conſtantinopoli congregari, & Athanaſius & Theophilus, & Cyrillus Alexandriæ Epiſcopi eodem modo ab eadem fidei ſinceritate commendantur, ut & Procerius *in d. §. Idcirco* Itidem Alexandriæ Epiſcopus, alii de quibus alibi, ubi & iſtud indicatum, hanc Eccleſiæ orthodoxiam eſſe quandam fidei regulam, quia horum confeſſio, & orthodoxia prius ex ſacris litteris, ac traditionibus demonſtranda eſt, ut quæ principaliter examinari ſolent ex ſacrarum litterarum aſſenſu, ac deinde ea communium ſymbolorum acceptatione prompta, maximè ubi de articulis controverſis certi publico conſenſu ſunt conſtituti aphoriſmi, ſive Canones, qui veritatem ex divinis litteris erutam compendio proponant, ut fuit definitio Concilii Niceni contra Arium pro divinitate Filii, & Conſtantinopolitani contra Macedonium pro divinitate Spiritus Sancti, & Epheſini contra Neſtorium pro aſſerenda unione perſonali duarum naturarum, divinæ & humanæ in Chriſto & vera communicatione idiomatum, ex qua Verbum veraciter dicitur natum & paſſum, & Maria Virgo revera dicitur Theotocos, Deipara, & caro vivifica, & adorabilis una adoratione cum Verbo.

Pœna igitur exilii, vel relegationis reis S. Officii primò imponenda eſt tam viris, quam mulieribus ſortilegis poſt fuſtigationem, quando damnari non debent pœnis gravioribus: Nam expedit hiſce maleficis civitatem, vel provinciam purgare, ut dicitur *in l. 1. de Offic. Preſid.* Et ita fuiſſe multoties ſervatum, teſtatur Carena *p. 3. tit. 13. §. 6. n. 71.*

Hinc referente Fabro *in ſuo Codice tit. de malef. & mathem. def. 1.* mulierem, ſortilegii ream, quæ non imprecationibus, aut veneficiis, ſunt enim qui magicis artibus uſi elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant, & manibus acciris audent ventilare, ut quiſque ſuos conficiat malis artibus inimicos, ut loquuntur Imperatores *in l. multi S. C. eod. tit.* junge *l. 3. in pr. & §. 1. ff. de ſicar.*) ſed verbis, & minis, nonnunquam etiam vulgari pane exhibito, plures faſcinaſſe, ſubinde eiſdem artibus ſanaſſe probabatur. Quod apud Chriſtianos æquè diabolicum, & diſtinctè prohibitum eſt, non putavit Senatus aut ſummo ſupplicio afficiendam quæ pœna eſt maleficiorum tanquam qui credendi ſint humani generis inimici *d. l. multi, & l. ſeq. C. eod.* aut cùm omnia negaret, quæſtioni tormentiſque ſubjiciendam. Hoc enim genus hominum ſi accuſentur, nec apertè convincantur, tormentis, & quæſtioni ſubjiciendum eſſe, conſtat, & quidem ita, ut non ſint excipienda corpora honoribus præditorum, quæ tamen aliàs ſolent excipi, præterquam in quibuſdam criminibus *leg. etſi 7. leg. ult. Codic. eodem tit.* propterea quod ſuperſtitionibus muliebribus & anilibus potius, quàm ſortilegiis incubuiſſe videretur. Etſi nec impunitum eſſe debet ſuperſtitiones inducere quibus leves hominum animi moveantur *leg. ſiquid aliquid 30. ff. de pœn.* Nec deerant, qui putarent, ſequendum hac in re exemplum Senatus Pariſienſis, apud quem, cùm ſimilis quæſtio tractaretur, duabuſque inferiorum Judicum ſententiis condemnata mulier, ferendiſque tormentis addicta provocaſſet, tandem abſolutam eam fuiſſe, proditum eſt, relata etiam victoria omnium litis expenſarum, ut refert Jo. Imbertus *in inſtitut. forenſ.* Sed tamen juſtius viſum eſt, exilio perpetuò mulctandam eſſe, quod communi popularium voce & fama, quaſi faſcinatrix laboraret, malorumque ferè omnium, quæ ab annis aliquot municipio acciderent, cauſa in eam detorqueretur. Etſi enim vanas populi voces parum curare bonus Judex debeat; publicè tamen intereſt purgari provinciam eis perſonis, quarum converſatio, & fama ſcandalum aliis adferat, *l. 3. in fine, l. congruit 13. in princ. ff. de off. præſid.*

At ego nihilominus tutius eſſe cenſeo, hujuſmodi perſonas in determinatum locum relegari, ut poſſint diligentius obſervari, & ne alienæ civitates, & loca ab eis inficiantur; quod ſequitur Canter. *de haret. c. 1. n. 55.* Abav. *in pr. §. forti eorum n. 98.* & Carena *loc. cit.* Quare ſtrigæ & maleficæ, ut alibi dixi, non ſolent puniri exilio, ne in regiones, in quibus non cognoſcuntur, errent, ſed aliquo in loco includuntur, ut obſervari poſſint. Quod ſcriptum fuit Inquiſitori Placentino 23. Martii 1596.

De Sortilegis, & maleficis quid credendum ſit, quid ſtatuendum, & quibus probationibus crimen hoc detegi, ac pro vero haberi poſſit, ut etiam ultimo ſupplicio afficiantur, ſunt qui volunt, mulierem ex hac cauſa virgis cędendam, ſuſpenſo etiam ad dorſum faſciculo ligneo, ut omnes intelligerent ſi paulò certiores probationes criminis habuiſſet Judex, cremari eam debuiſſe. Quia & plus eſt, hominem extinguere veneno & hujuſmodi magicis artibus, quàm gladio *l. 1. C. de malef. & math.* ac iſti, quos nonniſi ob facinorum magnitudinem maleficos vulgus appellat, ut ait *l. nemo 5. C. eod. tit.* hac maxima omnium pœna digni viſi ſunt quam vivi cremationem ducit Calliſtratus *in l. capitalium 28. in in pr. ff. de pœn.*

At cùm de tota hac re alii aliter ſentiant, & nonnulli faſcinantium artes, tanquam meras nugas rideant, quod vulgò credantur multa poſſe facere, quæ ſacroſancta Religio noſtra, ne credamus etiam à diabolo fieri poſſe prohibet *can. Epiſcopus d. 26.* alii nimis faciles ad credendum inhumanas in hujus

criminis

criminis reos ſententias proferant, nos mediam ſententiam ſequendam putamus, ut neque temerè quaſcunque probationes admittamus, neque omnes etiam rejiciamus, unde illud etiam fit, ut in ſtatuenda pœna mediocritatem quoque ſequamur, & pro qualitate perſonarum probationumq; gravitate nunc graviorem, nunc leviorem pœnam decernendam eſſe arbitmur. Raro tamen contigerit, ut ex hac cauſa ſummo Supplicio affici quenquam S. Officium præcepiſſet, defectu nimirum probationum, quæ ſanè perdifficiles ſemper, & obſcuræ ſunt, cùm tamen in criminalibus debeant eſſe luce meridiana clariores *l. ult. Codic. de probat.*

Verum, ſi latius hæc generis humani peſtis graſſetur, paſſimque emergant mala graviſſima, quorum cauſa ad maleficos iſtos, & ſortilegos referatur, quo caſu exacerbari oportet ſupplicia maleficorum, cum multis perſonis graſſantibus exemplo opus ſit *l. aut facta 16. §. ult. ff. de pœn.* ad eam ſententiam deveniendum eſt, ut eos ſtrangulari primum, deinde flammis voveri oporteret, eos præſertim, qui diabolicas iſtas ſynagogas frequentaſſe, ibique cum diabolo duxiſſe choreas, ſaltaſſe, manducaſſe, bibiſſe, fœminas etiam cum eo concubuiſſe, fidem denique & homagium ei præſtitiſſe, ac in neceſſarium ſive antecedens, ſive conſequens baptiſmo, & ſacroſanctæ fidei renunciaſſe, ab eoque varias, miraſque nocendi artes didiciſſe, eaſdemque magno multorum malo, nunc in hos, nunc in illos nominatim deſignatos exercuiſſe fatentur. Quæ confeſſio contra eos fidem facit, alioqui fruſtra quæſtioni dedetentur, ſi eorum confeſſioni ſtandum non eſſet, *leg. etſi 7. leg. ultim. Codic. de maleſic. & mathem.*

Cùm præterea ipſorum confeſſionibus non tantum vox, & fama publica congrueret, quæ illos pro ſortilegiis, & maleficis vulgo habitos eſſe prædicat; calumniam enim pati vir bonus, & innocens quilibet poteſt, at publica omnium voce & fama laborare non poteſt, ſed etiam effectus rei reſponderet multis conquerentibus, & illis ipſis, quos ii nominaverant, quod ea ipſa damna, & ab iis & per eadem media, quæ ii detexerant, perpeſſi fuiſſent. Vix enim poſſet fieri, ut omnia iſta congruerent in adſtruendo mendacio. Nam quemadmodum periculoſum eſſet ultimi ſupplicii pœnam iis irrogare, qui delictum ultrò faterentur, de quo tamen non aliter, quam ex ipſorum confeſſione conſtaret *l. 1. §. Divus Severus juncto §. 1. ff. de quæſtio.* ita ſi aliunde conſtet de ſortilegiis, & maleficiis ex evidentia morborum, quorum ſcilicet naturalis cauſa, nec per peritiſſimos medicos proferri ulla poſſit, nec niſi de ſortilegii, & maleficii autore dubitetur, abſurdum ſanè eſt alias certiores criminis probationes requirere, quam ex ejus, qui feciſſe dicitur, publicaque infamia urgetur, confeſſione *l. ſi is, cum quo ff. de confeſſ.* tametſi quibus artibus, & mediis damnum illatum ſit, neſciatur. Tanto enim clarius eſt arte diabolica factum eſſe, quod naturaliter fieri non potuit, unde eſt, quod iſti etiam tanquam hæretici puniendi ſunt, & tanquam apoſtatæ, fideique abnegatores.

Sed ſi, quod plerumque evenit, vel panem, vel pomum, vel quid aliud à malefico exhibitum fuiſſe appareat, quo accepto confeſtim ac derepentè damnum emerſerit, minorem dubitationem res habet, quin ſortilegii, ac maleficii reus haberi debeat. Nec enim naturaliter fieri poteſt talis, tantaque mutatio in inſtanti, cùm natura operetur in tempore, ut ajunt Philoſophi. Vide *l. multi 6. & alias C. de malef. & math. & can. non mirum §. magis 26.*

qu. 5. qui ſe ſaltem & ipſe confeſſus eſſe, & ab aliis vulgò haberi paſſus eſt.

Secundò mulctantur exilio à locis, in quibus deliquerunt, Confeſſarii ſollicitatores in ſacra confeſſione, ut præcipitur in Conſtitutione Gregorii XV. *de confeſſ. ſollic.* & tradit Souſa *de confeſ. ſollic. tract. 2. c. 15. n. 13.*

Tertiò blaſphemi nedum nobiles, ſed etiam plebeii ac viles poſt abjurationem de levi, mittuntur in exilium, ut teſtatus Seſſe *tom. 4. dec. 270. n. 24.* Viles autem aliquando poſt fuſtigationem, ut notat Simanch. *de cath. inſtitut. tit. 8. nu. 10.* Salzed. *ad Diaz cap. 110. ſub litt. A.*

Quartò, Sacerdos, qui Miſſas defunctorum celebrat pro viventibus, ut moriantur, exilio perpetuo punitur, Souſa *in aph. lib. 1. c. 58. n. 12.* Menoch. *de arb. caſ. 388. n. 5.*

Quintò, Sacerdos, qui ſortilegè celebravit ſuper rebus aptis ad maleficia in plures annos relegatus fuit cum conditione quod ſingulis menſibus ſe præſentaret Inquiſitori illius Civitatis, ut teſtatur Carena *d. p. 3. tit. 13. §. 5. n. 66.*

Sextò, qui habens uxorem ſponſalia contrahit cum alia, vel ad alium actum proximum contrahendi aliud matrimonium devenit, ut ſi dotem ſtipulet, vel determinet, vel publicationes in Eccleſia fieri mandet, vel ſimilia, abjurat de levi, & in exilium, vel in carcerem mittitur, vel aliis pœnis arbitrariis punitur, Souſ. *dict. lib. 1. aph. c. 35. n. 6.* Diana *p. 4. tr. 7. reſol. 4. n. 10.*

Septimò, vir nobilis, qui nulliter contraxit primum matrimonium, & antequam illius nullitas ab Eccleſia declaretur, contrahit ſecundum, in Italia pœna arbitraria punitur, & abjurat de vehementi, ut teſtatur Pegna *in direct. p. 2. com. 81.* Farinac. *de hæreſ. qu. 178. n. 68.* in Hiſpania verò abjurat de levi, & exilio, ac pœna pecuniaria mulctatur. At ſi plebeius ſit, flagellis cæditur, & ad triremes in quinquennium damnatur, ut per Simanch. *de cath. inſtit. tit. 40. n. 5.* Farinac. *loc. cit. n. 174.* Caſtropal. *p. 1. tr. 4. diſp 8 pun. 8. n 2.* qui ait, idem eſſe dicendum de eo, qui aliqua apparenti ratione ductus, de morte prioris conjugis, cum ſecunda contrahit. Quod procedit, tam in viro ducente uxorem, quàm in uxore ducente virum, ut notant Simanchas *ib.* & Farinac. *ubi ſupra n. 173.*

Mulieres verò nobiles, quæ non mortuo primo viro ſecundum duxerunt, relegantur, ut inquit Souſa *dict. cap. 35. numer. 20.* Carena *dict. titul. 13. §. 5. num. 65.*

Octavò, Aſtrologi Genethliaci, qui de futuris contingentibus, & à libera hominum voluntate pendentibus, frequenter aliquid futurum affirmant, & maximè cum aliorum damno, merentur in actu publico abjurare de levi, & in exilium, ac pœnam pecuniariam damnari, ut per Dianam *dict. p. 4 tract. 7. reſolut. 17. numero 2.* Carena *dict. titul. 13. §. 6. num. 72.*

Nonò retinentes libros hæreticorum, vel alia ſcripta continentia ſortilegia hæreticalia, ſi exteri ſunt, expelluntur à diœceſi, in qua deliquerunt, ut teſtatur Genuenſ. *in pr. c. 84. num. 12. in priori edit.* Carena *eo tit. 13. n. 73.*

Decimò relegantur à S. Officio, qui concionando, vel diſſerendo propoſitiones dixerint ſcandaloſas, & qui inciderint in Conſtitutiones Pauli V. & Gregorii XV. in materia Conceptionis B. Mariæ Virginis, ut per Caſen. *loco citato, paragrapho 6. num. 74.*

Undecimo qui à loco, ubi relegatus fuit in tempus aufugit, vel exilium frangit, ei duplicatur tempus relegationis, vel exilii, ut *ex l. relegati ff. de pœn.*

de pœn. Si autem relegatus, vel exiliatus erat in decennium, punitur relegatione, vel exilio in perpetuum; Et ſi relegatio, vel exilium erat perpetuum, punitur pœna mortis, ut per Clar. *in pr. §. fin. q.* 71. Qua de re Giurba *conſ. crim.* 47. *num. vigeſimo primo & ſequens.* ubi plures caſus diſtinguit ac definit.

Duodecimo fautores, defenſores, ac receptatores hæreticorum relegantur in perpetuum, & bona publicata amittunt, ut videntur ſtatuiſſe Innocentius IV. & Clemens IV. ac etiam Fridericus Imperator, relati à Pegna *p.* 2. *direct. com.* 76. & tradunt Zanchin. *de hæret. cap.* 17. *num.* 4. Simanch. *de cath. inſtit. tit.*13. *num.* 14. Sed mitius puniuntur, ſi ſint uxores, patres, fratres, filii, aliique hujuſmodi, quia, ut ait Pegna *ibidem & com.* 81. ratione ſanguinis, & naturalis affectionis non fidei contemptu, aut hæreſis amore id feciſſe videntur.

CONSULTATIO CLXXVIII.

De Pœna Habitus pœnitentialis. Quænam ſit, & quare ac quibus in S. Officio imponatur, & cum qua obligatione? & mulcta in tranſgreſſores?

HÆC pœna eſt quędam delatio veſtis, ſive ſacci benedicti, in cujus ſuperiori parte ſunt duæ cruces crocei, ſive rubei coloris, longitudinis duorum palmorum ac dimidii, latitudinis duorum; unam in pectore, aliam inter ſcapulas. Ea deferenda eſt apertè, ut qui publicè deteſtati ſunt catholicam fidem manifeſtò etiam ſignum converſionis, ac deteſtationis erroris commiſſi deferant. Hujus autem ſigni delatio eſt pœna propter infamiam, quam irrogat, palam oſtendens eum, qui illam defert, fuiſſe hæreticum. Id ſtatutum fuit in Conciliis Tarraconenſi, Tholoſano, & Bitterenſi, ut tradit Pegna *p.* 3. *direct. com.* 42. fuitque per totum Orbem uſu receptum, ut teſtantur Farinac. *de hæreſ. qu.*193. *num.* 91. & Caſtropal. *p.*1. *tract.*4. *diſ.*6. *pun.*3. *nu.*1. ac injungitur hæreticis pœnitentibus reconciliatis & non relapſis ex relatis Conciliis, atque ex Eymerico *in direct. in* 6. *modo term. proc. nu.*175. ac Pegna *d. com.* 42. & imponitur aliquando ad tempus in perpetuum, ut cum aliis notat Farinac. *loc. cit.* ubi etiam docet cum Simanch. *de cath. inſtitut. titulo* 47. *numero undecimo*, quod Inquiſitores non poſſunt præfinitum tempus deferendi hunc habitum moderari aut remittere ſine mandato ſupremæ Inquiſitionis.

Qui autem hunc habitum occultaverit, vel abjecerit poteſt ab Inquiſitoribus puniri, tanquam de hæreſi ſuſpectus, & ut impœnitens. Quia non levem ſuſpicionem ingerit ſuam converſionem ad fidem catholicam fuiſſe fictam, ſuumque errorem non ex animo deteſtatum fuiſſe, dum ſatisfactionem, ac pœnitentiam parvipendit, vel omittit. Quod etiam tradunt Eymer. *p.* 3. *quæſtione nonageſima ſeptima* ibique Scholiaſt. *com.* 146. Simanch. *ibidem titul.* 48. *num.* 29. *& ſeq.* & Farinac. *dict. quæſtion.*193. *num.* 123.

Et hoc caſu eſſe, tanquam impœnitentem, ac relapſum condemnandum, & Curiæ ſeculari tradendum, aſſerunt Locat. *in Iudicial. Inquiſ. v. carcer. num.*16. Zanchin. *de hæret. cap.* 10 *numer.* 4. *&* 5. ibique Campeg. *lit. C. v. detruſus.* Nam ut dictum eſt, omittens ſine cauſa pœnitentiam ſibi injunctam exequi præſumitur fictè eſſe converſum, ac in errore priſtino perſeverare, atque adeo quod ſit relapſus, dum in errorem reprobatum perſeverat.

Probabilior tamen ſententia eſt, hunc violantem injunctam ſibi pœnitentiam, eſſe impœnitentem, non autem relapſum, ac proinde contra illum, tanquam contra impœnitentem procedi poſſe, dum in illo ſtatu perſeverat. Unde, ſi à contumacia recedat, & miſericordiam poſtulet, admittendus eſt, ac nullo modo Curiæ ſeculari tradendus. Debet tamen pro crimine violatæ pœnitentiæ abſque cauſa arbitrio Inquiſitorum puniri, vel pœna pecuniaria, vel fuſtigatione, vel jejuniis, penſata qualitate perſonæ, & gravitate criminis Pegn. *loc cit.* Royas *de hæret. p.* 2. *aſſert.* 41. *num.* 335. Simanch. *de cath. inſtit. tit.*16. *num.*14. *& ſeq.* Farinac. *dict. quæſt.*193. *num.*136. *&* 146. Zech. *p.*1. *ſum. tit. de fide rubr. de hæreſ. capite undecimo, numero decimo nono*, Caſtropal. *dict. pun.* 3. *numer.* 4. aliique apud ipſos.

Et hæc ſententia extendenda eſt, ut procedat, etiamſi hæreticus pœnitens ſub juramento, ac pœna relapſi ſe obligaſſet ad pœnitentiæ executionem. Nam obligatio cujuſcunque metienda eſt juxta juris regulas, quibus cenſendus eſt quilibet ſe velle obligare *l. ſi duo ff. de acq. vel omit. hæred. & l. nemo poteſt. ff. de legat.* Regula autem juris non præcipit, hunc violatorem, ut relapſum puniri. Atque adeò hanc pœnam ex ſua obligatione ſubire non debet, ut per Riminald. *conſ.* 150. *num.*6. *&* 7. Menoch. *conſ.* 82. *numer.* 113. *& ſequent.* Pegnam *ſupra*, Farinac. *ibidem numero* 242. & Caſtropal. *eo loco numero quinto.*

Non eſt tamen hæc pœnitentia delationis habitus injungenda pœnitentibus, & converſis abjurantibus, ut ſuſpectis de hæreſi, ac etiam de vehementi. Nam hujuſmodi Cruces ſunt inſignia hæretici impœnitentis. Suſpecti autem de hæreſi, etiam de vehementi, non ſunt verè hæretici, ac proinde non ſunt cruce ſignandi, Eymeric. *p.* 3. *de* 6. *modo term. proc. n.*175. ibique Pegna *com.*42. *verſicul. Quoniam verò.*

CONSULTATIO CLXXIX.

De Pœna ſive Pœnitentia pecuniaria in ſortilegos, ac de hæreſi ſuſpectos atque alios. A quibus imponi ac commutari poſſit. In quos uſus applicanda. Quidve hodie hac in re ſervandum ſit.

POſſe Inquiſitorem ex jure communi imponere pœnam pecuniariam, habetur ex Conſtitutione Alexandri IV. incip. *ſuper extirpatione*, relata poſt Direct. Gloſ. *in Clem.*2. *illicitis de hæret.* ubi Zabarel. §. *Inquiſitoribus num.* 10. Imol. *num.*6. Vitalin. *n.* 57. *& ſequens.* ac tradunt Eymer. *p.* 3. *q.* 103. ibique Pegna *com.* 152. Souſa *lib.* 3. *aph. cap.* 28. & alii, quos ſequitur Farinac. *de hæreſ. q.* 193. *num.*108. Carena *p.*3. *tit.*11. *paragrapho* 8. *num.* 80 Quod Simanch. *de cath. inſtit. tit.*46 *num.*76. declarat hanc pœnam eſſe injungendam vehementer ſuſpectis, qui propter infirmitatem aut propter ſenectutem, aut ob aliam juſtam cauſam torqueri non poſſunt. Tunc enim poſt abjurationem pecuniaria pœna mulctantur.

Ceſſante

Ceſſante autem impedimento, pœna pecuniaria non puniuntur, ſed torquentur. Idipſum firmant Pegna *loc. cit.* & Roias *ſing.* 1. *n.* 21.

Poſſuntque hac pœna mulctari fautores, ac defenſores hæreticorum non hæretici, ut docent idem Zabarel. *loc. cit. verſic. de fautoribus*, Imol. *ibidem n.*6. & Calderin *de hæret. rubr. de execut. ſententia nu.*3. Proferentes per jocum, aut ex ira, aut ex ignorantia verba hæreticalia, ut per Eymer. *de q.*103. & Pegn. *d. com.*152. Decian. *in tract. cr. lib.* 5. *cap.* 44. *poſt nu.* 7. Farinac. *eo loco num.*113. Carena *ubi ſupra num.* 8. Nobiles blaſphemi, ut teſtantur Salzed. *ad Diaz. cap.* 110. *lit. A.* Souſa *lib.*1. *aph. cap.*19. *num.* 20. Cantera *de blaſphem cap.* 3. *numero* 4. Sortilegi avari, qui hanc pœnam pecuniariam magis timent, ac vehementius dolere ſolent de pecunia ſolvenda, quàm de pœna corporali, ut aſſerunt Zanchin. *de hæret. cap.* 19. *num.* 5 Pegna *d. com.* 152. Catena & Farinacius *loc. cit.* ille *d. n.*80. hic *n.* 115. *&* 116.

Quod ſi condemnatus ad pœnam pecuniariam non poſſet, vel nollet illam ſolvere, poſſunt illam Inquiſitores non modo ante, ſed etiam poſt ſententiam commutare in pœnam corporalem juxta regulam: Qui non poteſt ſolvere luat in corpore, ut per Manduſ. *in addit. ad Repert. Inquiſ. v. pœna lit. R.* Gundiſal. *in tract. de hæret qu.*17. *num.*6. Turius tamen aliqui exiſtimant, ut fiat in eadem ſententia, dicendo: Condemnamus te in tantam pecuniam, quam niſi ſolveris intra tantum terminum, mandamus, quod patiaris talem pœnam corporalem. At Pegna *d. com.* 152. hanc praxim minimè admittendam eſſe in S. Officio tradit. Nam antequam quis condemnetur in pecunia, videndum eſt, an eam ſolvere poſſit. Non negat tamen poſſe poſt ſententiam corporalem pœnam imponi ob defectum pecuniariæ. Quod etiam ſequuntur alii apud Farinacium *ibidem n.* 114.

Verum ubi contigerit imponi pœnam pecuniariam, vel eleemoſynam, poteſt Inquiſitor petere fidejuſſorem, & ſi non comparuit reus, tunc pœnam à fidejuſſore exigere, de quo extat Conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit, *Cùm venerabilis* apud Pegnam poſt Directorium & d. Conſtitutio Alexandri IV. & aſſerunt Zanchin. *de hæreſ. qu.* 16. *n.* 9. & Farinac. *d. quæſt.*193. *num.* 124. ac ſupponitur *in cap. accuſatus* §. *ſi verò de hæret.* Quod Inquiſitor damnaverit quendam ut aliquam eleemoſynam erogaret de bonis ſuis, ad quod obligaverit ſua bona. In quo tamen textu expreſsè advertitur, quod ille reus non erat hæreticus, ſed fautor; quod factum fuit, quia de publicatione bonorum facienda hæreticis, etiam poſt mortem longè alia eſt ratio, ut patet ex §. *In eo verò ejuſdem cap. accuſatus.* Ex quo etiam colligunt Gloſſa & Geminianus *ibi. n.* 1. fautores hæreticorum ex hoc non eſſe hæreticos, niſi hæreticorum dogmata credant, licet ſint ſuſpecti de hæreſi.

Unde duplex regula traditur *in dict. cap. accuſatus.* Prima eſt quod ubi alicui non hæretico, ſed fautori hæreſi impoſita eſt pœna exigenda ex bonis ipſius rei, qui ad hoc ſua bona obligavit, & hæc pœna reſpicit ſalutem animæ illius, hæredes, ſi reus principalis obierit, non impleta pœnitentia, tenentur illam implere, & Inquiſitor poteſt ad hoc illos compellere Habet igitur locum hæc regula in fautore hæreticorum non hæretico, ſed ſuſpecto de hæreſi. & ſic locum habet in quocumque de hæreſi ſuſpecto. Exempli enim gratia in textu poſitus eſt caſus fautoris hæreticorum non hæretici, ut ex hac Intelligamus regulam communem eſſe ad omnes ſuſpectos de hæreſi.

Ut verò hæc regula comprobetur, primò requiritur, quod pœna lata non ſit perſonalis, ſed realis, ſcilicet cum obligatione bonorum ipſius rei. Sic enim hæres non tenetur ad implendum pœnas perſonales ſui autoris, ſicuti ſunt orationes, jejunia, peregrinationes, aliæque pœnæ ſpirituales, quæ perſonales ſunt. Quinimò ne corporales quidem pœnas, etiam pecuniarias tenetur hæres ſolvere, ſi ſint perſonales, ut quia ad dictam pœnam obligata fuiſſet perſona, & non illius bona. Ideoque *in dicto cap. accuſatus* requiritur, quod damnati bona fuerint obligata.

Secundò requiritur, quod impoſitio pœnitentiæ ſit in ſalutem animæ rei damnati, & obligati ad illam, ut ædificatio hoſpitalis, vel ejus reparatio, eleemoſyna pauperibus eroganda, taliſque cenſeri debet quotieſcunque pœnitentia ordinata eſt ad utilitatem Eccleſiæ alicujus, aut alterius loci pii, aut pauperum, aut divini cultus.

Tertiò requiritur, quod ante mortem damnati pœnitentia fuerit injuncta, & ſic quod per ſententiam ille fuerit ad illam damnatus.

His itaque conſtitutis poſſunt Imperatores compellere hæredes, ut de bonis defuncti adimpleant pœnitentiam; immò ne ſolum quidem hæredes, ſed ſucceſſores quoſcunque qui in bonis defuncti ſucceſſerunt, cùm ad illam pœnam bona defuncti fuerint ante mortem illius obligata, nec illa potuerint in aliquem tranſire. niſi cum illa obligatione, ceu docent Jo. Monachus, Archidiaconus, Ancharanus, Geminianus, & Franchus *in d. c. accuſatus d.* §. *qui verò* Eymer. *p.*2. *q.*110. ibique Pegna *com* 169. Decian. *lib.* 5. *c.* 45. *n* 13. Simanch. *de cath. inſtit tit.* 34. *nu.* 32. Farinac. *dict. quæſt.*193. *num.* 125. *& ſequent.* Souſa *l.* 3. *aph. capit.* 29. *num.* 14 & Sylveſt. *verſ. hæreticus* 2. *num.* 16.

Secunda regula eſt, quod ſi hujuſmodi pœnitentia non fuerat reo ante mortem impoſita. non poſſunt Inquiſitores illam poſt mortem vel imponere, vel exequi facere. Nam quoad hoc crimen fautoriæ morte extinctum fuit, ut ex *d. cap. accuſatus* tradunt idem Doctores Non implens verò pœnitentiam injunctam puniri quidem debet, ſed pœna arbitraria, ut per Catenam ad Fulcodium *q.* 13. *n.*10. Et in dubio allegans ſe illam adimpleviſſe id probare debet, Caten. *p.* 1. *tit.* 2 *num.* 15. At verius puto, illius eſſe id onus probandi, qui in non adimplemento vel implemento ſuam intentionem fundat.

Hanc autem pœnam pecuniariam poſſunt Inquiſitores imponere etiam reo Clerico beneficiato qui patrimonium non habet, dummodo recipiat fructus beneficiorum in proprios uſus, Pegna *p* 3. *com* 152. *&* *com* 161. ubi ait, Clericis poſſunt imponi pecuniariæ, ſi ipſi in fructibus beneficiorum habeant dominium. Contrarium adſtruit Repert. *v. Clericus* §. *an Clerici.* Sed certum exiſtimo, ſi proprium habeant patrimonium, poſſe iis dictam pœnam injungere. Et ita quoque firmant Zanchin. *de hæret. c.* 19. *num.* 5. Diaz *in pr. cr. can. cap.*134. & Pegna *d. com.*152.

Pœnæ autem pecuniariæ non ſunt applicandæ in proprios particulares uſus ipſorum Inquiſitorum. In omnibus enim Judicibus vehementer reprehendenda, & evitanda eſt avaritiæ, & cupiditatis ſuſpicio, multoque magis ab Inquiſitoribus fidei quos integerrimos eſſe oportet hæc labes abeſſe debet. Sed applicandæ ſunt vel pro expenſis, ac neceſſitatibus S. Inquiſitionis Officio, vel ad Eccleſias ædificandum, vel ad pauperes alendum, vel ad dotandum inopes virgines vel ad alios hujuſmodi uſus, ut per Eymericum, Pegnam & Farinacium *loc. alleg.* Locatum *in judic. v. mulcta.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 46. *n.* 36. Decian. *dict. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 7.

Atque

Atque hæ quidem de jure communi, nunc verò ſervandum eſt perquam ſeligioſè decretum ſub Urbano VIII. anno 1632. hac de re editum, quod eſt hujuſmodi. *Ad retinendam exiſtimationem, majeſtatem, atque integritatem S. Officii, quod ſicuti aliis Tribunalibus autoritate, reſpectu rerum, quæ in eo tractantur, antecellit, ita etiam præter animarum ſalutem ab omni alio mundano intereſſe alienum debet eſſe, aliiſque juſtis de cauſis animum ſuum moventibus, innovando in primis, & confirmando decreta alias facta de non imponendo reis mulctas pecuniarias, inconſulta S. Congregatione, decrevit, & mandavit, ne de cætero, tam eminentiſſimi, quàm alii Inquiſitores pro tempore poſſint ſub quovis prætextu, cauſa, & occaſione, etiam conſulendi neceſſitatibus S. Officii, reis imponere mulctas pecuniarias, nec minus pœnas corporales eiſdem reis impoſitas, in mulctas pecuniarias commutare, niſi facto verbo, & habito conſenſu Sanctitatis ſuæ. Qui inſuper revocavit, & pro revocata declaravit, ac eſſe voluit facultatem aliàs Inquiſitoribus, præcipuè Medioluni & Cremonæ, mulctas hujuſmodi imponendi, ac pœnas corporis inflictivas in pecuniarias commutandi conceſſam. Et pro inviolabili præmiſſorum obſervantia juſſit de omnibus ac ſingulis in præſenti decreto contentis, certiores reddere omnes Inquiſitores, nec non in proxima Congregatione coram Sanctitate ſua habenda fieri verbum de facultate, ut ſupra Inquiſitoribus Medioluni, & Cremonæ conceſſa.*

Scriptum autem Inquiſitori Mediolani, quod utatur facultate, ſibi aliàs conceſſa imponendi mulctas pecuniarias, ſed certiorem reddat S. Congregationem, prout ei aliàs fuit demandatum. Nonnunquam tamen fuit ei ſublata hujuſmodi facultas, ut eodem anno 1632. Uude ſcriptum eidem Inquiſitori anno 1633. non placuiſſe S. Congregationi permutationem pœnæ carceris in pecuniariam, inconſulta S. Congregatione, atque idcircò illius exactionem non permittat in poſterum, nec contraveniri decreto de hac re emanato. Tandem aliquando Eminentiſſimi Patres anno 1636. conceſſerunt eidem Inquiſitori Mediolanenſi facultatem ſecundum rerum eventum, ac diſcrimen imponendi mulctas pecuniarias, nec non commutandi pœnas corporales in pecuniarias, conſulto tamen prius Eminentiſſimo Cardinali Monrio, Archiepiſcopo, & quod poſtmodum teneatur S. Congregationem certiorem reddere. Denegatur hæc facultas imponendi, & commutandi mulctas pecuniarias etiam pro ſubventionibus S. Officii.

Et ſanè has mulctas pecuniarias raro imponit S. Officium, & impoſitas ferè ſemper erogavit locis piis, voluitque ſæpiua exhiberi fides erogationis, ſæpiuſque declaravit non poſſe pro commutatione pœnarum imponi tales pœnæ abſque licentia S. Congregationis. Fueruntque interdum diſtributæ modò locia piis, modò pauperibus ejuſdem Civitatis, vel loci.

Hodie igitur [t] Inquiſitores ex ſpeciali decreto S. Congregationis ſupremæ Inquiſitionis non poſſunt pœnis pecuniariis ſortilegos, vel alios de hæreſi ſuſpectos damoare, ioconſulta eadem S. Congregatione in quocumque caſu particulari. Unde non eſt audiendua Catena *p.* 3. *tit.* 12. *paragrapho* 8. *numero* 83. ubi ait, quod etiam, ſtante hac prohibitione poſſint Inquiitorea damnare reum ad pœnam pecuniariam ſolvendum pro eleemoſyna alicui loco pio. Quia inquit in hoc caſu ceſſat ratio prohibitionia *l. in omni ff. de adopt.* ibique Bartol. & Surd. 375. *num.* 24. Nam non ſolum id prohibetur in peculiaribus decretis jam diu emanatia, ſed io ſpecie in decreto generali ſub Urbano VIII. jam relato in quo prohibetur imponi has pœnas pecuniarias ſub quovis prætextu, cauſa, & occaſione, etiam conſulendi neceſſitatibus S. Officii, quod certè, inter loca pia, piiſſimum cenſendum eſt, niſi fortaſſis Catena loquatur de Inquiſitore Cremonenſi, at huic etiam ſublata fuit in dicto decreto generali hujuſmodi facultas, nec lego fuiſſe ei reſtitutam. Undè ratio decreti non ceſſat, ſed comprehendit etiam hunc caſum, ut de lege comprehenſiva alibi.

CONSULTATIO CLXXX.

De Pœna Publicationis bonorum, quâ hæretici afficiuntur, ubi multa, non abs re diſceptantur.

UTuntur Judices tum Eccleſiaſtici, tum temporales confiſcatione bonorum, ſive publicatione in pœnarum impoſitione. Publicatio bonorum eſt in publicum reductio, adimere ſcilicet bona privatis, & ad uſus, utilitatemque publicam transferre. Ea quoque publicatio, confiſcatio dicitur, quaſi in fiſcum ſeu ærarium publicum redactio. Fiſcus vas capacius quoddam, ſacculi inſtar eſt, à ferendo nomen ductum, ſicuti & Marcus Terentius Varro *l.* 4. *de lingua latina* fiſcinam à ferendo quoque declinat, cum qua & fiſcus affinitatem habere videtur. Cumque antiquis temporibua pecunia publica eo genere vaſorum deferretur, & contineretur, uſurpavit Cicero *in* 1. *Verr.* fiſcos Sicilienſes pro pecunia publica Sicilienſium, & apud Tacitum *lib.* 1. *annal.* fiſci rapti Imperatoris dicuntur id eſt arcæ quibus deferebantur pecuniæ Principis. Et Suetonius in Octav. *c.* 101. dixit, Auguſtum habuiſſe confiſcatam, repoſitamque pecuniam Neque de ſignificatione nominis hujus video valde dubitatum, cùm & fiſcalia ad publicum dicantur à Juſtiniano jus pertinere *in* §. *oportet in auth. de Mand Princip. tit.* 4. excepto, quod quidam putant, ærarium fuiſſe propriæ pecuniæ publicæ, fiſcum autem pecuniæ patrimonialis Principis, adducti Pliniana autoritate *in paneg. ad Trajanum. Fortaſſe*, inquit, *non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes, immò tantò majore, quanto plus licere de tuo, quàm de publico credis.* Huicque ſententiæ non levis autoritatis viri ſe ſubſcribunt.

Verùm quomodò potius propriè Principis patrimonium fiſcus, quàm ſit Reipublicę ærarium non explicant, nec ſatisfaciunt. Legimus quippe hęc confuodi, & ad ęrarium deferri idem eſſe, quod in publicum, & fiſcum apud Paulum juriſconſultum *l.* 3. *ff de jure fiſci.* Antea enim modica erant fiſci compendia, ideò fiſcis, & ſacculis continebantur. Poſtquam autem creverunt, arcas, & ærarium oportuit inſtitui, Gloſ. *in l.* 4. *v. fiſcales, C. de numer. & actuar.* Remanet itaque natura eadem compendii, ſed diverſa nomina ratione quantitatis illatæ.

Confiſcationia meminit & bonorum, & corporis Suetonius in Caligula *cap.* 14. & in Tiberio Cæſare c 49. ac in Octavio *c.* 15.

Confiſcare autem Princeps propriè dicitur, vel alii ejus permiſſione, & jus fiſci Principis. Neque Civitatea, vel alii, quibus permiſſum eſt habere corpus, vel arcam communem *l* 1. §. *quibus ff. quod cujuſque civitas*, jus hoc habent ſine ſpeciali privilegio ut notant Bald. *in l.* 1. *n.* 8. *ff. de hæred. vel act vend.* & Bartol. *in leg. item veniunt* §. ait Senatus *ff. de petit. hæred.* Nam & Civitates propriè publica bona non dicuntur habere, & quæ communia eis ſunt, vel in commune reducuntur, pro privatis habentur, Caio juriſconſulto teſte *l. eum qui ff. de verb. ſignif* cùm publicum jus ſit, quod ad ſtatutum rei Romanæ conſervandum, id eſt imperii, vel Regni pertinet. *l.* 1. §. *hujus ſtudii eod. ubi Inſtit.* Niſi forſan ſint Civitates liberæ, quæ ſuo jure vivant,

vivant, & rempublicam conſtituant, ut idem Bartolus *explicat in dict. §. ait Senatus.*

Eccleſiaſtici quoque Antiſtites, in his, in quibus non habent ſuperiorem, fiſcum habere dicuntur, Gloſ. *in cap. quia diverſitatem v. præter ejus de conceſſ. preb.* Negavit tamen Baldus *in rubr. C. de jure fiſci*, Epiſcopum fiſcum habere, quem tamen & aſſeclas Butrigarius, Imola, Panormitanus, aliique interpretes *in dict. cap. quia diverſitatem*, & Felinus *in c. irrefragabili §. cæterum n. 1. de Jud. ordin.* rejiciunt, qua de re & nos alibi fusè.

Ratione porro conceſſionis juris ejus inferioribus, & aliis quàm Principi competentem, nempe & univerſalem, & privatum, Bald. *in c. 1. §. ad hoc de pac. jur. firm. in uſ. feud.* Univerſalis propriè fiſcus, & abſolutè dicitur, qui Principis, ſeu Regis eſt vel Imperatoris, ac ſummi Pontificis, ad quem, niſi aliud ſpeciale privilegium refragetur, fiſcalia pertinent *l. 1. C. de bon. vacan.* Marcian. Juriſc. *in leg. ſimile ff. ad municip.*

Privatus fiſcus eſt, veluti Epiſcoporum, ac dominorum temporalium locorum, ad quos confiſcationes bonorum ſubditorum, etiam aliorum Judicum ſententia damnatorum, pertinent. Et ita quilibet, habens merum imperium, fiſcum habet, Chaſſ. *in §. 1. de confiſc. in conſuet. Burgund.* Guido Pap. *dec. 76.* Bald. *in l. 1. C. de hered. vel act. vend.* Etiam in crimine hæreſeos, Guido Pap. *loc. cit.* ac textus expreſſus *in cap. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* ibique Jo. Andr. & Anch. Vide Henric. Boic. *in cap. vergentis de hæret. & in cap. ſuper quibuſdam de pæn.* exceptis criminibus, quæ majeſtatis ſunt, & aliis privilegiatis, quibus, ſicuti Principis verſatur injuria, & ita ejus eſt delinquentium confiſcatio, ſi bonorum ulla fiat publicatio *l. quiſquis & l. fin. C. ad leg. Jul. majeſt. l. donationes ff. de donat.* Guido Pap. *quæſtione trecenteſima trigeſima ſecunda*, & facit *leg. ſi finito paragrapho ſi de vectigalibus ff. de damn. infect.* ac notata *in c. poſtulaſti de for. comp.* Bart. *in l. cunctos populos in fine de ſum. Trinit.*

Jure civili cùm confiſcatio una ſit ordinaria, alia extraordinaria, hoc eſt in caſibus in quibus jus non imponit confiſcationem, nemo præter Principem, & præter eos, qui habent ſupremam juriſdictionem confiſcare poteſt, Jo Faber, Angelus, Salicetus *in leg. un. ff. ne ſine juſ. Princ licer. Jud. confiſc.* Jaſon *conſ. 46. n. 1. vol. 3.* At ordinaria, quæ eſt in caſibus à jure expreſſis, vel ſtatuto, vel conſuetudine permiſſi, omnibus Judicibus, merum, ut aiunt, imperium, vel altam juriſdictionem habentibus, ratione territorii, non aliis conceditur, Alberic. *in 1. p. ſtat. q. 18.* Boer. latè *d. dec. 164. n. 1. & 2.* Quamvis ex confiſcatione ad eos compendia perveniant, & quamquam mulctas ſuo fiſco addicendas rectè irrogent, ſine publicatione tamen bonorum.

Cæterum ex bonis publicatis bona immobilia debent applicari fiſco ejus, in cujus territorio ſita ſunt *leg. quicunque §. univerſi C. de hæret*, mobilia, quę ſunt alibi applicantur commonitari Judicis condemnantis *c. 1. §. ſi Judex de pac. jur firm. in uſ. feud.* Chaſſ. *§. 3. tit. de confiſcat. in conſ. Burg.* Quod ſi plures diverſo jure domini ſint ejus loci, qui fortius jus habet, confiſcationes colligit, Chaſſ. *in d. §. 3.* Num autem mutatis dominis poſt contractum crimen, & ante condemnationem, vel mutatis conductoribus fructuum juriſdictionum confiſcationes pertineant ad eum, qui erat tempore commiſſi criminis, vel ad eum, qui erat tempore condemnationis, diſputatur à Guiliel. de Benedict. quem videre oportet *in repet. cap. Raynucius ad verba cætera bona num. 38. & ſequent.* ſed quæ veniant in publicationem bonorum breviter diſcutiamus.

Sitque in primis regula generalis aliquibus in Regnis, ut in Gallia, ex conſuetudine Regni communi confiſcato corpore, confiſcari & bona, Chaſſ. *in §. 1. de confiſc.* Sic jure Pandectarum qui ad ferrum, aut in metallum, aut ad beſtias damnarentur, libertatem perdunt, bonaque eorum publicantur *leg. ejus §. ii verò ff. de teſt. l. 1. ff. de bon. damn.* Et idem jure Codicis, ſi damnati pœna mortis liberis careant, *leg. fin. Cod. de bon. proſcript.* Sic Calliſtratus *ſupplicii*, inquit, *leg. 1. ff. de bon. damnat. damnatione bona publicantur, cum aut vita adimitur, aut civitas, aut civilis conditio irrogatur.* Nam ſi fuerint damnatis liberi nati, vel poſthumi, vel nepotes, interdum ex æquitate omnia bona patrum illis relinqui, ſi plures fuiſſent, placuit Cæſaribus. Interdum quaſdam portiones, ut mediam partem, ſi pauciores *l. 1. §. 1. & l. cum ratio ff. de bon. damn. l. fin. C. de bon. proſcr.* Non tamen de bonis damnatæ matris filiis relinqui quicquam voluerunt *§. 1. de inceſt. nupt. auth. coll. 2. titul. 6.*

Jure autem Novellarum variatum eſt. Nam principio admiſſa publicatio bonorum damnatorum, ſi liberos non haberent ex inculpato matrimonio inceſtas nuptias contrahentes. Et deinde viſum eſt damnatis reis, etiamſi liberos non haberent, bona fiſco non eſſe adjudicanda, ſed proximioribus relinquenda, quod res non ſint, quæ delinquant, ſed qui eas poſſident, nec reciprocandum eſſe ordinem, nempe eos, qui digni pœna ſunt, relinquere, illorum autem auferre res, & ita alios punire inſontes, qui ad ſucceſſionem reorum veniebant *§. oportet autem in 2. de mand. Princip. coll. 3. tit. 4. auth.* Ad extremum alia Conſtitutione placuit *§. fin. ut nul Jud. lic. hab. loc. ſer. coll. 9. tit. 9. auth. bona damnat. C. de bon. proſcr.* ea bona damnatorum, quæ olim fiſco deferebantur, aſcendentibus, & deſcendentibus, & collateralibus uſque ad tertium tantum gradum, ſi ſupereſſent, reſervanda, uxoribus dotem, & donationem propter nuptias, & ſi ſine dote ſint, data de ſubſtantia viri parte, ſive filios habeat, ſive non. Nemine autem illorum prædictorum damnatorum exiſtente, bona fiſco ſocianda, excepto crimine majeſtatis, in quo filii privantur etiam bonis patris, de eo crimine damnati, relictis alimentis filiabus *leg. quiſquis C. ad leg. Jul. Majeſt.*

Notat Boerius §. 10. *de juriſd. omn. Jud in conſuet. Biturig.* ſingulare, ex variis interpretum locis collectum, quod ſi is, qui ex crimine, qui confiſcationem habet, damnetur, habitator ſit ejus loci, qui non admittat confiſcationem, bona ejus non ſolum ejus loci, ſed & aliorum, in quibus confiſcatio locum habet, eximuntur à confiſcatione, ut contra, ſiquis incolat locum, ubi cum confiſcationi locus ſit, non ſolum ejus ibi ſita bona confiſcantur, ſed & alia, quæ ſunt in locis, ubi non habet locum confiſcatio. Sic ergo delictorum compendium ad fiſcum pervenit, Guid. Pap. *dec. 259. n. 2. per l. in heredes ff. de calumn. l. Papinianus § meminiſſe ff. de inoff. teſt.* unde lieni fiſcus comparatur, qui humores melancholicos ex hepate per vas venoſum ad ſe attrahit, quorum partem tenuiſſimam in alimentum convertit, reliquam per proprium quendam meatum, quem ſtomachum vocant medici, in ventriculum eructat, Galen. *l. 4. de uſ. part.* eſtque atræ bilis receptaculum lien, Galen. *lib. 2. de nat. facult.*

Corpus & bona confiſcantur, in quibus quis morte afficitur, aut fit ademptio civitatis, aut libertatis *l. 1. ff. de bon. damn. leg. bona ff. de jur. fiſc.* ut in crimine læſæ Majeſtatis *dict. leg. quiſquis C. ad leg. Jul. Maieſt. & leg. fin. C. de bon. proſcript.* falſæ monetæ *l. ſiquis C. de falſ. monet. de ſicariis leg. 3. §. legis Cornelia ad leg. Cornel. de ſicar.* hæreſeos *leg. Manichaos Codic. de haret. dict. cap. cum ſecundum leges eod. tit. in 6.* divinationis *leg. nullus C. de malef. & math.* ac ſimilibus. Bona autem ſine corporis pœna infinitis prope caſibus fiſco deferri comperimus, ut theſauros illicitis artibus inveſtigatos *leg. 1. Cod. de theſaur.* bona ab indigno extorta, & ab eo, qui de bonis reſtituendis contra legis ſanctiones fidem accommodavit teſtatori *leg. eum, qui ff. de iis, quib. ut indign.* bona eorum, qui monopolium committunt *leg. un. C. de monop.* Omnia ſcelerate quæſita *l. Lucius de jur. fiſc.* Ea, quæ exportantur, vel importantur contra prohibitionem Conſtitutionum Regni, vel locorum, latè Boer. *dec.* 178. *num.* 18. *& ſeqq. Vide l. cotem 11. in princ. ff. de pub. & leg. 2. C. quæ res export. non deb.* Refert & Calliſtratus ſexdecim caſus, in quibus bona ad fiſcum deferantur *in leg. 1. ff. de jur. fiſc.* quos explicant *ibi* Gloſſa, & Interpretes, ut non opus ſit hic tranſcribere.

Quod verò ſpeciatim attinet ad hæreticos, inter alias pœnas in eos ſtatutas, eſt ademptio omnium bonorum mobilium, immobilium, ac ſe moventium, jurium quoque & actionum quæ dicuntur bona incorporalia, quæ omnia ipſo jure publicantur, ut *in l. Manichaos §. 1. Cod. de haret.* ibique Salic. *Auth. Gazaros C. eod. cap. vergentis §. 1. de haret.* ubi Gloſſa *cap. excommunicamus 1. §. damnati eod. tit. cap. ſi adverſus eod. cap. cum ſecundum leges eod. tit. in 6. clem. 2. eod.* & tradunt Suarez *de fid. diſp.* 22. *ſect.* 2. Sanchez *dict. cap.* 22. *num.* 7. De qua pœna Eymer. *p.* 3. *quaſt.* 109. *ac ſeq.* ibique Scholiaſt. *ſchol.* 151. Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 9. Zanch. *de haret. cap.* 25. Alphonſ de Caſtro *lib. 2. de juſt. haret pun. cap.* 5. Brun. *lib. 5. de haret. c.* 6. Gomez. *tom 3. var. reſol. c.* 14. ac Doctores communiter. Unde Oſtienſis *in ſum. rubr. de haret. §. qualiter*, ait, hæreticis omnia bona eſſe adimenda, non ſolum de jure civili, & canonico, ſed etiam de jure naturali ac divino. Idemque confirmant Goffred. *in ſum. de haret. num. 2. ac* 3. Simanch. *dict. titulo nono, numero primo, & ſecundo.* Locat. *in Judic. verſic. bona numero primo*, ac cæteri, quos ſequitur Farinac. *de hæreſ. q.* 190. *num.* 1.

Hæc autem pœna incurritur ipſo jure à die commiſſæ hæreſis. Et quamvis Panorm. *in capite vergentis de haret. not.* 2. affirmet bona hæreticorum non eſſe ipſo facto confiſcata, ſed confiſcanda, ejus tamen doctrina intelligitur de tempore, antequam fuiſſet decretum *in dict. capite cum ſecundum leges*, in quo expreſsè ſtatutum fuit, ut ipſo jure, ſeu ipſo facto bona hæreticorum ſint confiſcata. Et ita docent Pegna *p. tertia, direct. com.* 158. & Fariṇac. *delict. ac pœn. quaſtione vigeſima quinta, numero* 13. ubi ait in hæreſis crimine bona confiſcantur ipſo jure, & ſtatim à die commiſſi delicti eorum dominium tranſit in fiſcum, & reus adminiſtrationem ſuorum bonorum omittit *ex dict. capite cum ſecundum leges* ibique Gloſſ. & communiter Doctores. Idemque tradit *in tract. de hæreſ. dict. quaſtione centeſima nonageſima numero tertio.* Qui etiam docent, quod licet in fiſcum ipſo jure tranſeat dominium bonorum hæretici, non tamen tranſit eorum poſſeſſio, per regulam, quod in illis caſibus, in quibus tranſit poſſeſſio, niſi expreſsè dicatur, ut *in leg. cum haredes ff. de aquiſ. poſſeſſ.*

Quare de hac re nec ſatis verè & conſtanter videtur Bannes diſſerere *in 2. 2. quaſtione duodecima, articulo ſecundo D. Thoma.* Nam negat amitti ipſo facto per hæreſim dominium bonorum, & tamen verè cum Cajetano concedit incurri ipſo facto eas pœnas juris, quæ poſſunt per ſe incurri, ſine aliqua rerum excuſatione, ut excommunicatio & non animadvertens hujus planè generis eſſe quoque pœnam illam privationis dominii bonorum. Definit enim aliquis eſſe Dominus ſine ulla etiam executione, aut actione, neque ad id requiritur etiam, ut tradat quis ea bona fiſco. Quod quidem non tenetur facere ante Judicis ſententiam.

Nec valet argumentum Bannis, quod ſcilicet ſi hæreticus non eſt Dominus eorum bonorum, ſed fiſcus, teneretur hæreticus fiſco ſtatim ea tradere. Non enim id ſequitur: nam non tenetur niſi cum illa circumſtantia id facere, neropè ut ſententia præcedat, ut nec tenetur quis reſtituere alienum, niſi pro opportunitate. At de hoc leges inferius veram ſententiam.

Porro ſervi, & ancillæ, & animalia cum cæteris bonis fiſco deferuntur. Immò ſi aliqua ex contractu conditionali debeantur reis, ad fiſcum quoque pertinent ſubſecuta conditione, & jus ipſum conditionis implendæ ad fiſcum tranſit, ſi modò fiſcus commodè conditioni parere poſſit. Hinc ſi uxor criminoſa ſit, omnia ejus bona dotalia, & parapheṛnalia, & donata & accepta propter nuptias, quæ alicubi dicuntur Arrhæ, & omnia lucra, quæ conſtante matrimonio alicubi Conſtitutionibus Principum, ac ſtatutis Populorum ad uxorem pertinent, publicantur.

Eum qui in hæreſim incidit, antequam à Judice condemnetur, teneri in foro conſcientiæ omnia bona ſua, quæ ob commiſſum hæreſis crimen amiſit, fiſco offerre; ita ut ſi ei illa non tradat, mortaliter peccet, aſſerunt Panorm. ac Felin. *in capite primo, de Conſtit.* & Alph. de Caſt. *libro tertio, capite decimo, de leg. pœnal.* ac *libro ſecundo, capite ſexto, de juſt. haret. punit.*

At contraria ſententia verior, benignior, ac tutior eſt. Quia nemo obligatur ad pœnam ergà ſe ipſum exequendam, neque cogitur ut ſe ipſum in publicum prodat, per text. *in can. quis aliquando de pœnit. diſt* 1. graviſque ac importabilis obligatio eſſet, ſi quis in foro conſcientiæ teneretur ad privationis omnium bonorum ſuorum erga ſe ipſum exequendam. Quod ſentiunt Conrad. *de contr. quaſtione ſeptima. concl.* 2. Sylveſtr. *v. hæreſis* 1. *q.* 8. Simanch. *de cath. inſt. tit* 9. *num.* 157. *& ſeqq.* & alii, quos citat ac ſequitur Pegnà *p. 3. direct. com.* 158.

Quare eum eſſe hæreticum ipſo jure, ante illum in judicio ſui delicti condemnationem ſuorum bonorum dominio in foro conſcientiæ privatum, tanquam probabilius affirmat Azor *p.* 1. *libro quinto, capite ſeptimo quaſtione ſecunda*, ubi etiam *quaſtione prima & tertia*, eam ſententiam magis probat, quæ negat ullo jure aut lege eum ipſo facto debere in conſcientiæ foro bona ſua fiſco tradere ante ſui criminis condemnationem

ſtatim

ſtatim in foro conſcientiæ debere ſua bona fiſco reddere, antequam ea fiſcus ſibi vendicet, & capiat. Eſtque probabilius, eum lege adſtringi ad crimen confitendum, quoties fuerit de eo rogatus legitimè, alioqui, ſi ipſi talis animus non ſit, peccatorum abſolutio denegari debet, nec tamen interim eum ullo jure compellir, ad ſua bona fiſco reddenda. Quod ſi nunquam iterum de crimine rogetur, nec lege adſtringitur ad id, quod antea dixit, revocandum, neque ad bona relinquenda fiſco, eique imputari amplius non debet, ſi crimen ſuum non prodat. Si quidem nunquam amplius de eo legitimè à Judice rogatur.

Requiritur itaque declaratoria, & quod executio publicationis non fiat, donec per Eccleſiaſticam ſententiam fuerit daliberata, Sylveſt. *verſic. hæreſis 1. numero duodecimo*, Simanch. *loc. citat. nu.* 126. Locat. *ibid.* pluresque alii, quos ſectatur Farinac. *num.* 5.

Si verò hæreſis eſſet notoria, non deſunt Doctores, qui ſentiunt, tunc non eſſe neceſſariam declaratoriam ſententiam, eſſe tamen neceſſariam aſſignationem termini ad excuſandum crimen, quo elapſo executionem fieri poſſe, ut per Navar. *libro quinto, de hæret. conſilio vigeſimo, numero quinto, & ſeqq.* Pacian. *conſilio decimo nono, numero decimo ſexto, & decimo ſeptimo*, ac alii, quos citat Sanchez *d. libro ſecundo, in decal. capite vigeſimo ſecundo, numero decimo quarto*, qui hanc ſententiam impugnat, & probat requiri neceſſariò ſententiam criminis declaratoriam. Quia falſum eſt, illam exigi ſolum, ut conſtet de crimine, ſed exigitur, ut per Judicem, tanquam per cauſam particularem, auditis delinquentis defenſionibus, pœna legis univerſalis applicetur huic caſui, quo ſuum effectum ſortiatur, ut per Doctores, quos ipſe adducit.

Communi omnium conſenſo receptum eſt, ut exemplo ejus, qui crimen læſæ majeſtatis humanæ patravit, à die commiſſi criminis bona hæretici omnia publicentur poſt declarationem delicti in judicio factam. Sic interpretes omnes Archid. Jo. Andr. Imol. *in dict. cap. cum ſecundum leges de hæret. in 6.* ac etiam juris civilis interpretes *in leg. ult. ac leg. quiſquis C. ad leg. Jul. majeſt.* Ex quo efficitur, ut donationes ab hæretico, quamvis occulto, factæ, à die commiſſi delicti poſt ſententiam Judicis, & condemnationem criminis reſcindantur. Immò dotes etiam filiabus datæ, à fiſco vendicantur, quamvis ad onera matrimonii ſublevanda dentur. ut per Simanch. *dict. titul 9 num.* 23. Dotes pariter à parentibus ſanctimonialibus datæ, ut vitam monaſticam profiteantur, fiſco ſimiliter deferuntur, Simanch. *loc. citat. numer.* 24. Omnes denique quarumlibet rerum alienationis à die criminis admiſſi factæ, poſt ſententiam Judicis & condemoationem delicti reſcinduntur, & colligitur ex eadem *leg. quiſquis & l. ult. Codic. ad leg. Jul. Majeſt.*

Quod verò ad ſervos, ſi ii catholici fuerint, vel eorum Dominis in hæreſim prolapſis, ad fidem catholicam ſe ie contulerint, dominorum impietatem deteſtati, ac fortaſſis etiam ſi cathecumeni ſint, aut infideles quidem, ſed qui dominorum hæreſim ſtudio, & amore catholicæ religionis ad Inquiſitores detulerint, jure communi civili libertatem acquirere, ac ſui juris fieri, habetur *ex d. l. manichæos §. ult. Codic. de hæret.* ubi dicitur: *ſervos quoque extra noxam eſſe volumus*, id eſt, ut interpretatur Accurſius, liberos fieri volumus, ſi dominum ſacrilegum evitantes ad Eccleſiam catholicam ſervitio fideliori tranſierint. Et *in direct. inquiſ.* Pegna *comm. ſuprac.* ait eſſe ita conſtitutum per inſtructionem quandam Hiſpalenſem anno Domini 1434. cap. 14. ubi ſic habetur: *Domini Rex & Regina humanitate & clementia utentes, voluerunt ſervos quorumcumque hæreticorum libertate donari, ſi in eorum poteſtate exiſtentes chriſtiani eſſent.* Hoc idem docet Simanch. *de cath. inſtitut. tit. 61. n. 8.*

Quod igitur ſervi hæreticorum chriſtiani libertate donentur, cùm domini labuntur in hæreſim, benigna eſt Principum humanitas, alioqui enim ad fiſcum unà cum aliis bonis deveniſſent. Servus enim quædam eſt poſſeſſio domini. Ex hoc autem fit, ut cæteri ſervi à fide, ac religione catholica alieni, ſui juris minimè efficiantur, ac proinde unà cum aliis bonis publicari debeant, & ad fiſcum pertineant. Unde *in leg. ult. C. ad leg. Jul. majeſt.* ſtatuitur, manumiſſiones à die commiſſi criminis nullius eſſe momenti, quoniam ſi ſervi Chriſtiani fuerint, ſui juris effecti ſunt, libertate acquiſita. Si Chriſtiani non fuerint à fiſco unà cum aliis bonis poſt ſententiam Judicis, & condemnationem criminis vendicantur, Alph. de Caſtr. *lib. 2. cap.* 7. generatim docet, ſervos ſtatim, atque eorum domini ſunt in hæreſim prolapſi, ſui juris fieri ac libertatem acquirere, eo quod *cap. ult. de hæret.* ſervi ob hæreſim dominorum eximuntur ab omni ſervitutis vinculo, quo dominis tenebantur. Sed ex eo capite ſolum colligitur, ſervos non amplius ſuis dominis obligari, non autem ſui juris fieri. Immo univerſim docent Jo. Andr. Gemin. Franch. & alii *in cap. quicunque §. ult. in 6.* Anan. & Socin. *in cap. ult. de hæret.* ſervos hæreticorum, ſicut & alia bona ad fiſcum tranſire. Siquidem ſervi numerantur, & habentur in patrimonio ac bonis dominorum *l. rem in bonis ff. de acquir. rer. domin. & leg. ult. §. ult. C. de verb. ſignif.*

Feudum autem, quod erat penes hæreticum, unà cum cæteris bonis, ob hęreſim non publicatur, ita ut ad fiſcum tranſeat, ſed ad catholicum dominum redit, ut colligitur ex *d. capit. excommunicamus §. moneantur de hæret.* & tradit Simanch. *dict. loco n. 20. ſed de confiſcatione* hac feudorum ſunt aliæ valdè implicatæ rationes, quas extricat Boer. *deciſ. 264. num. 7. & ſeqq.*

Quod verò ad emphiteuſim, an ſcilicet unà cum cęteris bonis ob emphiteutæ hæreſim à fiſco vendicetur, ita reſpondeo. Si res emphiteutica ſit hominis privati, in rem fiſci cedit cum cæteris bonis emphiteutæ, ſed integrum jus ei, qui directum habet dominium conſervatur, Simanch. *loc. cit. n.* 97.

Quæſtio autem eſt, quando emphiteuſis eſt Eccleſiaſtica, an ob hæreſim emphiteutæ ad fiſcum quoque transferatur? Hæc controverſia pendet ex alia, num res Eccleſię in emphiteuſim data, poſſit ad hæredes extraneos tranſire? Nam ſi non poſſit, neque ad fiſcum perveniet, qui extraneus ſucceſſor eſt.

Multorum opinio eſt, quos refert Covar. *lib. 2. var. capite decimo ſeptimo, numero quinto.* & Simanch. *ibidem numer. 99. & ſeq.* ad hęredes extraneos tranſire non poſſe. Contra alii cenſent, poſſe pervenire. Verior eſt opinio dicentium rem Eccleſiæ in perpetuam emphiteuſim datam, ſervatis omnibus neceſſariis juris ſolennibus formulis, ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum requiſitis, poſſe tranſire ad extraneos, ſin minus non poſſe. Hanc opinionem dicit eſſe communem Simanch. *eo loco numero centeſimo primo.* quo fit, ut poſſit quoque ad fiſcum devenire, ſed optio datur Eccleſię, ut intra biennium deliberet, an velit habere fiſcum in emphiteutam, an verò rem ſuam recuperare malit, quam in emphiteuſim dederat, Simanch. *numero centeſimo quinto.* Sed dubiæ quæſtionis eſt, an Eccleſia recuperaret rem ſuam emphiteuticam unà cum emolumentis in ea factis ab hæretico

ita, ut nihil ſolvere debeat. Reſpondeo: Si Emphiteuta rem Eccleſiæ meliorem fecit antequam incideret in hæreſim, Eccleſia recuperat omnia emolumenta, non tamen ſi fecit meliorem poſtquam eſt in hæreſim lapſus.

Res quoque cenſui obligata & ſubjecta publicatur & fiſco defertur; ſed integrum jus, quod in ea dominus cenſus habet, ipſi conſervatur. Nam res, ſicut ad hæredes cum ſuis oneribus tranſit, ſic etiam ad fiſcum.

Bona verò primigeniorum ob hæreſim primogeniti ea poſſidentis generatim non publicantur, ſed ad ſucceſſorem tranſeunt, ut ait Caſtr. *d. lib. 2. de juſt. hæret. pun. cap.* 7. At diſtinguendum eſt cum Simanch. *d. tit. 9. n.* 253. Nam hujuſmodi bona poſſunt tripliciter conſtitui. Primò conceſſu & privilegio Principis, ut cum Rex concedit alicui, ut ejus bona perpetuò ad primogenitos ſucceſſores pertineant, cæteris exclusis. Secundò legis beneficio, & autoritate, ſicut cum lege Principis decretum eſt, ut poſſit quiſque de ſuis bonis ſtatuere, uti perpetuò ad primogenitos ſucceſſores perveniant. Tertiò jure ſucceſſionis, ut cùm in bonis perpetuo primogeniti ſuccedunt ab antiquo tempore, cujus initii memoria non extat.

Ex his duæ ſunt opiniones. Prima ita diſtinguit. Si primigenia conceſſu, & privilegio Principis conſtituta ſunt, bona primigeniorum ob hæreſim, vel crimen læſæ majeſtatis publicantur, & ad fiſcum ſpectant, etiamſi Regis privilegium clauſulam contineat, ne ob talia crimina à fiſco vendicentur. Et idem juris eſt de bonis primogeniorum, quæ vel legis autoritate, & decreto, vel jure ſucceſſionis alicui deferuntur ita, ut etiam ſi fuerit de ejuſmodi bonis clauſula, ne ob hæreſim, vel crimen majeſtatis offenſæ publicari queant, ſed eo ipſo ad propinquiorem cognatum devolvantur, nihilominus tamen à fiſco vendicentur.

Secunda opinio tradit, bona primigeniorum nequaquam publicari ob hæreſim, vel crimen læſæ majeſtatis, quando ſunt conſtituta vel legis autoritate, vel jure ſucceſſionis ab antiquo tempore, vel beneficio Principis cum expreſſa clauſula, ne publicari queant. Id probant primò, quia quiſque poteſt de ſuis bonis conſtituere, uti ea propinquiori cognato deferantur ob flagitium & indignitatem poſſidentis. Deinde quia interdum primigeniorum bona ad aliquem tranſeunt per contractum, nempè ob matrimonium initum. Sed ſive ejuſmodi rationes, ſive oppoſitæ plus ponderis, & virium habeant, hoc certum eſt, magis eſſe uſu receptum, ut hujuſmodi bona primigeniorum ob hæreſim, vel crimen læſæ majeſtatis fiſco vindicentur.

Porrò id certum quoque eſt, poſſe Inquiſitores publicare bona primigeniorum, ſive Majoratus, ac fideicommiſſi, quando inſtitutor eſt ille idem, qui in hæreſim incidit. Quia à die delicti erant illa bona fiſco obligata, cui juri acquiſito nequit inſtitutor præjudicare, ut docent Vaſquez 1. 2. *quæſtione 96. articul.* 5. *diſp.* 169. *num.* 39. Sanchez *in decal. dict. lib.* 2. *cap.* 18. *num.* 60. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *capit.* 12. *quæſt.* 13. Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 13. *numer.* 252. *& ſeq.* Publicantur autem dicta bona in perpetuum, quando majoratus, vel fideicommiſſum fuit inſtitutum poſt hæreſis crimen commiſſum, vel in teſtamento, aut codicillo, vel donatione cauſa mortis. Tum ob dictam rationem, & tum quia cùm ea bona tunc temporis nondum erant alicui obligata, Judex illa adimens, nemini præjudicat, ut per Molin. *lib. 4. de primog. cap. ultim. num.* 20. *&* 21. alter Molina *tom. 3. de juſtit. diſp.* 659. *num.* 2. & Sanch. *ibidem num.* 63. Publicantur verò ad tempus, & durante vita delinquentis, quando ſua vita durante tantum gaudere poterat illorum bonorum fructibus, & poſt ejus mortem majoratus, vel fideicommiſſi dominium tranſire debet ad alios in illo vocatos, & ſucceſſores. Quod accidit quando inſtitutor non eſt is, qui deliquit.

Similiter non publicantur in perpetuum quando majoratus, aut fideicommiſſum fuit ab inſtitutore fundatum, contractu irrevocabili ante ipſius delictum, & donatio illa fuit accepta. Quia tunc ſicut inſtitutor nequit illa bona contractu aliquo alienare, ita neque ob ſequens ejus delictum poſſunt publicari. Quemadmodum etiam donationes aliæ ante delictum factæ, nequeunt à fiſco reſcindi, niſi in ejus fraudem factæ ſint *l. poſt contractum* 15. *ff. de donat.* Molina *lib. 4. de primog. d. capit. ult. num.* 18. Sarmient. *lib. 3. ſelect. cap. 4. num.* 5. Gomez *lib.* 40. Tauri *numero* 91. *col.* 3. Vaſquez *dict. quæſtion.* 96. *art. 5. diſp.* 196. *numero* 39. *& diſp.* 171. *num.* 17. Simanch. *ubi ſupra numero* 59. & Sanch. *ibidem numero* 64.

Si verò majoratus inſtitutus ſit contractu revocabili inter vivos, nec quidem publicari poterit in perpetuum, ſed tantum vita durante ipſius inſtitutoris. Quia cum talis contractus ſit perfectus, ac validus, etſi revocabilis ab ipſo inſtitutore, jus tamen eſt acquiſitum ſucceſſoribus, illudque jus revocandi non tranſit ad fiſcum, ſive ad Inquiſitorem, quia eſt perſonale, ut tradunt uterque Molina, Gomez & Sanchez *locis allegatis.* Immò ſi tempore, quo inſtitutor in hæreſim incidit, non poſſideret majoratum, vel fideicommiſſum, ſed ſucceſſori tradidiſſet, neque ad tempus, & durante vita ipſius inſtitutoris publicari poſſet. Quia ejus delictum nequit prejudicare ſucceſſori, qui jam verus dominus erat majoratus, vel fideicommiſſi. Et revera hujuſmodi bona non erant amplius inter bona delinquentis, ut ipſemet Sanchez notat *ibidem num.* 65.

Si autem inſtitutor majoratus, vel fideicommiſſi non fuerit ipſe delinquens, ſed aliquis ex ejus antenatis, tunc obſervanda eſt forma inſtitutionis, ac regii privilegii. Nam ſi in ejus inſtitutione, vel privilegio adeſt clauſula, ut eo ipſo, quod poſſeſſor ſtatuerit, vel tractaverit committere crimen læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ amittat majoratum, vel fideicommiſſum, & ad ſequentem vocatum tranſeat cum omnibus ſuis fructibus, tunc neque majoratum, aut fideicommiſſum, neque illorum fructus in perpetuum, vel ad tempus publicari poſſunt, ſed à die perpetrati criminis ad ſequentem vocatum tranſeunt. Quia hujuſmodi clauſula non eſt appoſita in fraudem fiſci, neque in utilitatem poſſeſſoris delinquentis, ſed in commodum, & favorem familiæ, & teſtator, ſive inſtitutor, qui non deliquit, poteſt hoc onus ſuis bonis adjicere aliumque fiſco præferre. Neque videtur dolo id fieri, dum quis utitur jure ſuo.

Atque ita docent Gomez *dict. leg. quadrageſima*, Taur. *numero nonageſimo primo, col. penul.* uterque Molina, Juriſta *dict. libro quarto, de primog. capit. ult. num. decimo ſexto*, Theologus *dict. tom. 3. de juſtit. diſp. ſexcenteſima quinquageſima ſexta, num. ultim.* Sanchez *dict. libro ſecundo, in decal. capite decimo octavo, numero decimo tertio*, Diana *dict. p. quarta, tractat. 8. reſol. ſexageſima*, Peregrin. *de jur. fiſc. libro quinto, titulo primo, numero centeſimo tertio, & ſeq.* Cancera *in qq. crim. tit. de punit. delict. cap.* 1.

cap. 1. *numero* 51. Menoch. *conſ.* 91. *numero* 6. *vol.* 1. & Farinac. *tit. de delict. & pœn. q.* 25. *nu. item* 25. *ac ſeq.*

At vero ſi io inſtitutione, ac privilegio adeſt clauſula, ut à die commiſſi ſceleris læſæ Majeſtatis divinæ, vel humanæ bona majoratus, vel fidei-commiſſi tranſeant in fiſcum, tunc in perpetuum publicantur. Quia à die commiſſi criminis illorum bonorum dominium in fiſcum transfertur, quamvis executio, vel bonorum ipſorum ademptio fieri non debeat, niſi ſententia ſuper hæreſis crimine fuerit pronunciata, ot præcipitur *in cit. capit. ſecundum leges de heret. in* 6. & tradunt Lopez *lib.* 6. *queſtione ſecunda, titul.* 31. *p.* 6. Gomez *eo v.* 91. *col.* 4. *& ult.* Cantera *dict. capite primo, numero quinquageſimo ſecundo*, alter Molina *diſp.* 582. *numero primo, & diſp.* 657. *num.* 2. *de juſtit.* & alter *lib.* 2. *de primog. capite ſecundo, numero decimo, & capite duodecimo, numero quinquageſimo ſeptimo, & dict. lib.* 4. *cap. ult. num.* 63.

Advertendum eſt, bona Eccleſiæ, qualia ſunt prædia, domus, poſſeſſiones, & ſimilia non publicari cum bonis Clerici hæretici, ſed Eccleſiæ, cujus ſunt bona, reſtitui per Clem. 2. *de heret.* in 180. præcipitur Inquiſitoribus, & tam ipſorum, quàm Epiſcoporum, ſeu Capitulorum, ſede vacante ſuper hoc deputatis Commiſſariis quibuſcumque, ne ſcienter attentent Eccleſiarum bona ob Clericorum delicta, prædicti occatione officii, Fiſco, etiam Eccleſiæ applicare. Quod ſi ſecus fecerint, excommunicationis ſententiæ eos ſubjacere decernit ipſo facto, à qua non poſſint abſolvi, præterqnam in articulo mortis, donec illis, à quibus extorſerint plenè ſatisfecerint, nullis privilegiis, aut remiſſionibus ſuper hoc valituris. Atque ita dictam Clementinam etiam contra Inquiſitores procedere intelligunt Doctores communiter, licet in textu illo hodie non reperiantur expreſſi, ut per Suar. *de cenſur. diſp.* 23. *ſect.* 5. *num.* 24. Filiuc. *tract.* 15. *num.* 207. Sanchez *in decal. libro ſecundo, capite vigeſimo, numero quarto*, Eymer. *in direct. p. tertia, queſtione centeſima duodecima*, ibique Scholiaſt. *com.* 161. Repert. Inquiſ. *v. confiſcatio §. an bona*, Simanch. *dict. titulo nono, numero octuageſimo octavo.* Sot. *libro decimo, de juſt. queſtione quarta, articulo tertio*, & Farinac. *de hereſ. queſtione centeſima nonageſima, numero centeſimo ſexageſimo ſecundo.* Quia delictum miniſtrorum præjudicare non debet Eccleſiæ. Nec æquum eſt, ut ejus bona minuantur propter eorum flagitia.

An autem fiſco deferantur fructus, quos Clericus hæreticus ex beneficio Eccleſiaſtico acquiſivit? Nam videntur eſſe bona illius, cujus eſt beneficium. Ancharanus, Felinus, & alii cenſent, Eccleſiæ deberi hujuſmodi fructus. Citat eos Simanch. *loco citato*, ipſe tamen reſpondet, non deberi illi Eccleſiæ, ſed unà cum cæteris bonis Clerici à fiſco, præſertim in Hiſpania, vendicari. Quia licet in opinione Doctorum ſitum ſit, an beneficiarii hujuſmodi fructuum dominium, aut quaſi dominium acquirant, an verò ſolum uſum & adminiſtrationem habeant, eſt tamen receptum conſuetudine in Hiſpania, uti Clerici ſimplices de hujuſmodi fructibus teſtari queant tanquam de ſuis bonis. Ergo cum cæteris bonis patrimonialibus, aut quaſi patrimonialibus connumerantur. Verum in hac re id ſervandum eſt, quod fuerit uſu receptum, ut ait Eymer. & Pegna *loc. cit.* addens, quod ubi non eſt uſu receptum, ut Clerici ex fructibus beneficiorum teſtentur, neque de fructibus, quos perceperat Epiſcopus, vel alius dignitatem habens nuſquam teſtetur, ſi ii fructus pertinent ad portionem debitam Clerico, ſive Epiſcopo, publicari poſſunt. Quod planè diſplicet. Nam ii fructus omnes, tanquam ſpolia Clericorum ad Cameram Apoſtolicam pertinent, ut alibi dictum.

Regularis etiam hæretici, qui S. Franciſci inſtitutum fuerit profeſſus, ſupplex, libri ſcilicet, veſtes ac cætera hujuſmodi, quæ in bonis habet, non monaſterio deferuntur, ſed publicari debent. Quia ad monaſterium nequaquam borum bonorum dominium pertinet, ut per Simanch. *loc. cit. nu.* 88.

Quando verò paterfamilias eſt hæreticus, & per ſententiam condemnatur, non publicatur uſusfructus, quem habet in bonis adventitiis filii, ſed ad filium unà cum proprietate pertinet, quia filius factus eſt ſui juris *ex cap.* 2. *§. ult. de heret. in* 6. cùm primum pater hereſim admiſit. Quare cùm ex tempore fuerit patria poteſtate ſolutus, ad eum pertinet uſusfructus unà cum proprietate. Quod ſi filiusfamilias hæreticus damnetur, publicati debet uſusfructus, quem pater habet in bonis adventitiis ejus, & ideo unà cum proprietate ad fiſcum tranſeunt, ut opinatur Simanch. *loco ſuperius citato, numero* 18. Sed probabilius videtur, non publicari, quia filii crimen non poteſt nocere juri patris ante acquiſito.

Ex quibus perſpicitur, quænam bona penes reum criminis inventa non publicentur. Publicatis enim viri bonis, dos integra reſtituitur uxori Bona item paraphernalia, & extera, quorum proprietas, & dominium eſt uxoris, cujuſmodi ſunt accepta propter nuptias, & pars lucrorum, conſtante matrimonio acquiſita, & dona accepta ab aliis, præterquam à viro, Simanch. *dict. titul.* 9 *num.* 67. *& ſeq.* de quibus etiam *infra*. Publicatis bonis filiifamilias, non publicatur portio illa legitima, quæ ipſi poſt patris obitum debetur, nec publicatur item peculium profectitium, quia ejus proprietas pertinet ad patrem. Præterea generaliter publicatis facinoroſi bonis, non publicantur bona futura, hoc eſt, quæ poſtea acquiruntur, ſed tantum ea, quæ ipſe reus criminis habet, cum delicti damnatur. Unde jura conditionalia, ex ultima voluntate pendentia, ſi conditio impleta fuerit poſt condemnationem criminis, ad fiſcum non tranſeunt, ipſa quoque debita non publicantur. Item ſi quid alienum reperiatur inter nocentis bona, utpotè depoſitum, commodatum, conductum, pignori datum, id omne domino reſtitui debet, ſicque creditoribus criminoſi, qui ante crimen erant, debet fiſcus ſatisfacere ex bonis publicatis: Nam id bonorum cujuſque eſſe intelligitur, quod, deducto ære alieno ſupereſt.

Pecunia verò mutuò data hæretico occulto ante criminis condemnationem, ſi data fuerit ad ejus inopiam ſublevandam, non publicatur. Item ſi criminis reus pecuniam mutuò acceptam converterit in rem aliquam, ut ſi horreum neceſſarium, vel quippiam ſimile ædificaverit, ſi aliquid jamjam ruiturum refecerit, ſi oliveta pene abſumpta, renovaverit, ſi vites propagaverit, arbuſta coluerit, ſeminaria fecerit, flumina congeſtis aggeribus averterit, aut ſi in valetudinem ſuam, vel familiæ, aut in funus ſuum, & ſuorum impenderit, tantumdem debet reſtituere. Idemque dicendum eſt, quando pecunia mutuò accepta in res neceſſarias, aut utiles verſa fuerit, quamvis poſtea res ipſæ caſu perierint.

Si autem hæreticus occultus ante condemnationem criminis vendiderit aliquid, ex communi ſententia civilis & Canonici juris Interpretum pretium emptori non eſt reſtituendum. Quia res vendita eſt ea conditione ut venditio reſcindi poſſet à fiſco. Nec refert, ſi bona fide emptor cum reo ipſo contraxerit, Quoniam rem, vitium habentem emit

perinde ac ſi qui bona fide rem fortivam pretio comparavit. Si tamen pretium ab emptore ſolutum, vel alind loco pretii eſſet in bonis ipſius nocentis, id raſtitui debet emptori, ut docent Jo. Andr. Archid. Gemin. Anchar. Decius *in dict. cap. eum ſecundum leges de haret. in* 6. Hoc idem quoque dicendum, ſi non totum pretium, ſed pars ejus in bonis hæretici ſit. Ea ſine dubio eſt emptori reddenda. Nam quod juris eſt de toto, eſt etiam de parta.

Qui ante ſententiam, & antequam fiſcus apprehendat poſſeſſionem bonorum, ſincero corde hæreſim abjurando, ad fidem catholicam revertitur, illius bona non tranſeunt ad fiſcum, ſed ipſi integrè remanent, quia redeundo ad unitatem Eccleſiæ debet atiam redire ad exercitium jurium ſuorum bonorum, ut per Abb *in cap. quia diligenti de elect.* Squillac. *in tract. s. de fideic. cath. cap. in fine*, Farinac, *d. q.* 85.

Qui vero poſtquam per ſantenriam traditus eſt Curiæ ſeculari, etiamſi per pœnitentiam ad miſericordiam admittatur, bona ſua amittit, nec illa recuperat, niſi domini temporales voluerint ei ſua bona condonare, Pegna *d. com* 158. addens, non alle faciendam talem condonationem illi, qui poſtquam traditus eſt Curiæ ſeculari, convertitur. Quia indignus omnino eſt tanta benignitate, nac videtur juſtum, ut duo tam inſignia, & ingentia privilegia, vitæ ſcilicet, ac condonationis bonorum conferantur indigniſſimo, ac perdiriſſimo homini. Quare in S. Tribunali Inquiſitionis Hiſpanæ nulli hæretico fit bonorum condonàrio, niſi tantum ſponta comparenti, qui nullo metu probationis, ac teſtificationis ductus, ad Inquiſitores accedit, hæreſimque ſuam manifeſtando, miſericordiam poſtulat, ut ex Inſtruct. Toletana ſub anno 1561. *num.* 41.

Nequit ramen hæc pœna publicationis exigi anta Epiſcopi, & Inquiſitoris ſententiam, in qua declaretur, reum hæreticum eſſe impœnitentem, vel relapſum, ac illam incurriſſe. Ita enim ſtatuitur *in cap. Ut inquiſitionis §. prohibemus & d cap. cum ſecundum leges §. fin. de haret in* 6. his verbis: *Confiſcationis tamen hujuſmodi executio, vel bonorum ipſorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios dominos temporales antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam, qua ſuper hoc habeat poteſtatem, ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.* Idque proſequuntur Zanchin. *de haret. c.* 24. *num.*2. Pegna *d.p* 3. *com.* 158. Farinac. *de heref. qu.* 190. *num.* 5. pluresque alii, quos ipſe refert. Qui etiam docent, poſſeſſionem dictorum bonorum à Judica Ecclaſiaſtico accipiendam eſſe. Et hæc ſententia declaratoria requiritur atiam de jure civili, etiamſi hæreſis crimen ſit notorium, & in judicio confesſum. Ac propterea, ſi ante hanc declararoriam ſententiam hæretici bona publicarentur, eſſent reſtituenda, ut per Farinac. *ibidem* & Sanchez *in decal. libro ſecundo, capite vigeſimo ſecundo, numero decimo quinto, & ſeq.* qui mulros alios adducit.

In dicto autem *cap. ſecundum leges* Ponifacius VIII. duas regulas conſtituit Primo enim, receuſitis nonnullis criminibus, pro quibus ipſo jure amittantur bona temporalia, cùm hæreſis crimen ſit multò gravius, decernit, quod hæreticorom bona ſint ipſo iure publicata. Quod Doctores omnes ſequuntur, & comprobat praxis Unde videtur, quod Pontifex velit, ut per confiſcationem ipſo jore latam is, cujus bona ipſo facto ſunt publicata, ſtatim ac commiſſum eſt crimen, amittat eorum proprietatem ac dominium, & hoc tranſeat in fiſcum. Id non pauci Doctores tradunt, quod tamen negant Simanch. *cath. inſtitut. titulo nono, numero* 173. & 187. & alii, quos refert Barboſa *in dict. capit. Cum ſecundum leges numero quarto*, Farinac. *de heref. quaſtione* 190. *numero tertio*, & Sanchez *in decal. libro ſecundo, capite quadrageſimo ſecundo, numero ſecundo.*

At ratum habeo, quod aliàs dixi, hoc eſt, bona hæreticorum revera non publicantur, neque actu apprehendi poſſunt, niſi ſequuta ſententia Judicis Eccleſiaſtici, uti fit in crimine læſæ Majeſtatis humanæ *leg. quiſquis, & leg. fin. in princ. C. ad leg. jul. Majeſt. & in auth. ut nulli Judices paragrapho ſi facit, lege prima & ſecunda, & leg. fin. C. de ſent. paſſ. & reſt. leg. Arianus C. de haret. & d. cap cum ſecundum leges in fine.* Ex quo ſequitur, quod dominium bonorum hæreticorum non pertinet ad fiſcum, nequa ad Eccleſiam, niſi ſequuta damnatione criminis, quam fert Judex Eccleſiaſticus, cujus condemnationis effectus retrotrahitur à dia commiſſi delicti. Unda publicatio bonorum, quæ fit ipſo jure contra hæreticum nil aliud operatur, quam prohibitionem alienandi, cum nullum dominium transferat, niſi ſequuta ſententia per textum *in leg. fin. Codic. ad leg. Jul. Majeſt.* Hinc infertur, quod à die commiſſi delicti interdicitur hæreticis adminiſtratio ſuorum bonorum, ut *in cap. vergentis de haret. & in dict. ca. cum ſecundum leges eod. tit. in* 6. Et accuſatione pendente interdicitur etiam hæreticis eadem adminiſtratio, ut per Repert. inquiſ. *v. adminiſtratio*, ubi allegat *an. nonne* 8. *quaſt.* 4. Vide Sanctarel. *de heref. capite decimo ſexto, dubio ſecundo*, & Salell. *tomo tertio, fol.* 291. *num.* 440. *& ſeq.*

Secundo ſtatuitur, quod hujuſmodi publicationis executio fieri non debeat, niſi poſt promulgatam ſententiam, ut modò dictum eſt, ac explicant *in dict. cap. cum ſecundum leges* Gloſſa, Jo. Monachus, aliique apud Farinac. *dict. quaſt.* 190. *numero quinto.* Et ſic quandiù hæreticus non privatur ſuis bonis quoad axecutionem, habet jus utendi ac fruendi illis, etiam ad donandum, & ad hæredes conſtituendum. Quæ omnia erunt rata, donec per ſententiam reſcindantur. Vide quæ de hac re docet Becan. *in tr. de legib. cap.* 7. *de lege pœnali q.* 4. 5. & 6.

Bona verò fautorum hæreticorum, eorumqua defenſorum, credentium, & receptatorum non ſunt confiſcanda ſicut bona hæreticorum ex jure canonico, ſecus autem ex jure civili. Quia ex jure canonico non confiſcantur, niſi plenè & concludenter hæreſis probata ſit, aut per teſtes idoneos, aut per eorum confeſſionem, non autem per ſolam ſuſpicionem, ut tradunt Tabiena *in ſum verſ. hereticus numero primo*, Repert. Inquiſ. *v. confiſcatio*, Locat. *in Indic. verſio. bona hareticorum numero primo, in fine* Zanchin. *de haret capite vigeſimo quinto, numero* 1. *& capite vigeſimo octavo, numero ſeptimo*, & Farinac. *dict quaſtion.* 190. *numero vigeſimo ſexto.* Fautores autem, defenſores, ac receptatores hæreticorum, ac ſimiles, ut tales ſunt tantum de hæreſi ſuſpecti, ut probant Repert. *loc. cit.* Decian. *tr. cr. libro quinto, capite* 51. *numero ſexageſimo ſeptimo*, Cantera *in qq. crim. rubr. de haret. & capite primo, numero quinquageſimo quinto, in fin.* Farinac. *de heref quaſt.* 182. *numero quinquageſimo ſecundo.* Atque adeò ex jure canonico eorum bona non ſunt confiſcanda, niſi verè conſtiterit illos eſſe hæreticos, ac defendant potius eorum errores, quàm perſonas.

Secus autem ex jure civili. Extat enim Conſtitutio Friderici Imperatoris, cujus initium eſt, Patarenorum, relata à Pegna inter litteras Apoſtolicas,

licas, in qua receptatoribus, & fautoribus hæreticorum imponitur pœna publicationis bonorum cum perpetua relegatione, ac ita ſentiunt Zanchin. *de haret. capite decimo ſeptimo, numero quarto.* Pegna *p. 2. direct. com. 76. & 77. in fine*, Aſflict. *in Conſtit. Regni de haret. rubr. 2. n. 25.* Decian. *loco citato, numer. 79.* & Farinac. *ea quaſt.* 182. *num.* 51. & 53.

Poſt mortem etiam hæretici poteſt ab Inquiſitoribus declarari, illum fuiſſe hæreticum, ut ejus bona publicentur: Quia crimen hæreſis quoad publicationem bonorum non extinguitur morte ipſius hæretici, ut probat Gemin. *in cap. accuſatus §. in eo verò de haret. in 6.* facitque Gloſſa *v. mortuos cap. A nobis 2. de ſent. excom.* & firmant Panorm. *in d. c. vergentis de haret. not.* 2. Gloſſa communi conſenſu recepta *in l. 3. quod autem ff. quod quiſque juris*, & hanc eſſe communem ſententiam, teſtatur Covar. *in epit. p. 2. cap. 6 §. 8 num. 6.* Quia cum bona hæreticorum ſint publicata ipſo jure à die commiſſi delicti, ut diximus, ſequitur, quod etiam poſt ipſorum mortem poſſunt declarari eſſe publicata.

Notat verò Gloſſa *in dict. cap. accuſatus*, id eſſe intelligendum uſque ad quadraginta annos, ſi filii vel nepotes fuerint catholici, & bona fide bona patrum hæreticorum poſſederunt. Quia *in capite ſecundo, §. 2. de praſcript. in 6.* ſancitur, *bona hareticorum defunctorum praſcribi per filios, vel haredes catholicos ſpatio quadraginta annorum, dummodo ea poſſederint bona fide.* Tunc autem bona fide cenſendum eſt, poſſediſſe, quando tempore mortis, & toto quadraginta annorum ſpatio crediderint, ac intellexerint, defunctum deceſſiſſe catholicum. Nam intra hos quadraginta annos quandocumque intellexerint, defunctum, hæreticum deceſſiſſe, cùm jam incœperint eſſe in mala fide non amplius præſcribere potuerunt, cùm ad præſcriptionem inter cætera, ſaltem de jure Canonico, requiratur per omne tempus bona fides *capit. fin. de praſcript.* Ideòque ſi dicti filii, vel hæredes mala fide poſſederint, Fiſcus S. Officii hujuſmodi bona, etiam poſt quadraginta annos, adimere poteſt: ut per Zanchin. *de haret. capit.* 24. & 25. Simanch. *de cathol. inſtit. titul.* 18. *num.* 6. & *ſeq.* Repert. Inquiſ. *v. bona, §. ſed an ſint*, Squillacen. *de fid. cathol. capit.* 34. Royas *ſing.* 50. Pegnam *p. 3. com.* 92. & Covar. *loc. cit.* communem ſententiam ſequutum qui tamen addit, bona alterius criminoſi poſſe hæredem legitimo tempore uſu capere, etiam cum mala fide, hoc eſt, etiamſi noverit eum fuiſſe criminoſum.

Non deſunt autem Doctores, qui affirment, teneri Inquiſitores legitimam, & alimenta præſtare hæreticorum filiis catholicis ex hujuſmodi bonis publicatis. Ii ſunt Torrebl. *lib. 3. de mag. cap.* 11. *n.* 46. & 47. Surd. *conſ.* 386. *nu.* 8. Plot. *inter conſ. crim.* Ziletti *lib.* 1. *conſ.* 130. *n.* 83. Soccin. *lib.* 1. *conſ.* 30. *nu.* 3. Royas *ſing.* 47. & 95. aliique. Sed hoc procedere poteſt, ut notat Farinac. *de hareſ. quaſt.* 191. *num.* 4. *de jure civili* juxta textum *in l. Manichaos, & in l. cognovimus Codic. de haret.* De jure enim civili hæreticorum filii catholici non privantur hæreditate paterna, ut probat idem Farinac. *loc. cit. num.* 29.

De jure autem canonico certum eſt, non teneri Inquiſitores dictis filiis præſtare legitimam, neque alimenta. Quia propter paternam hæreſim filii, etiam catholici privantur hæreditate paterna, ut expreſsè ſtatuitur *in dict. cap. vergentis de haret. in 6.* Nam ſi in crimine læſæ Majeſtatis humanæ filii paterna hæreditate privantur, multo magis privari debent in crimine læſæ Majeſtatis divinæ, quod majus delictum eſt, ut argumentatur Boniſacius VIII. *in dict. capit. cum ſecundum leges eod. titul. pariter in 6.* Etenim parentes, quamvis jure naturali adſtringantur ad alendos filios, poſſunt tamen omnia eorum bona alicui hypothecare per contractum, & ob id ſæpè à Creditoribus omnia eorum bona adimuntur, non deductis filiorum alimentis, nec legitima. Igitur à fortiori ob hæreſis atrociſſimum crimen id juſtiſſimè fit propter bonum publicum, & ut parentes propter hanc pœnam arceantur à commiſſione hujus criminis. Atque ita docent Gloſſa *in dict. cap. vergentis* ibique Oſtien. *numer.* 9. Sylveſt. *v. hareticus §.* 1. *num.* 14. Simanch. *de cat. inſtitut. d. titul. 9. numero 4. & ſequent. & titul.* 20. *num.* 1. & 2. Farinac. *de hereſ. quaſtione centeſima nonageſima prima, numero* 1. & *ſequent.* Sanch. *in decal. dict. lib.* 2. *cap.* 16. *num* 26. Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 40. *numero* 1. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 45. ac præ cæteris Eymeric. *in direct. p. ſecunda, capite decimo*, aliique communiter.

Adverto tamen cum Pegna *dict. p. 2. com.* 9. Quod Inquiſitores pueris, ac puellis hæreticorum damnatorum pauperibus relictis, providere debeant ex miſericordia, habita ratione ſexus, & ætatis. Nam maſculos jam corpore validos, alicui arti mechanicæ jubebunt addici; fœminas aliquibus honeſtis matronis tradent, ut eis famulentur, & in fide inſtruantur. Cæteris verò, quibus per ætatem aut incommodam valetudinem laborare non licet, tenuia alimenta ex paternis bonis ex ſola miſericordia ſubminiſtrabunt, deprecantes interdum Principes, tam Eccleſiaſticos, quàm ſeculares, ut in hujuſmodi filios damnatorum aliquam exerceant liberalitatem. Quæ res ad eos pertinet, ad quos damnatorum bona ex publicatione pervenerunt. Quod etiam ſtatuitur *in cap.* 22. Inſtruct. Hiſpalenſ. ſub anno 1484. Sique magni alicujus Principis ob hoc crimen bona publicata fuerint, iſque filias habuerit, bonorificè ab eo, cui bona obvenerunt, erunt dotandæ, exemplo Ferdinandi, Regis Neapolitani, qui filias Principis Roſſani, qui Majeſtatis crimen admiſerat, & idcirco bona amiſerat, ex eiſdem bonis ditiſſimè dotavit, ut memoriæ prodidit Gigas *in tract. de crim. laſa Majeſt. lib. 3. tit. de pan. q.* 15. *n.* 2.

Propter autem mariti hæreſim non poſſunt Inquiſitores publicare dotem ac alia bona uxoris catholicæ, niſi mulier ſcienter matrimonium contraxerit cum hæretico. Tunc enim in pœnam ſui delicti ob mariti hæreſim, ejus quoque dos publicatur, ut decernitur *in cap. decrevit de haret. in 6.* per hæc verba: *Decrevit felicis recordationis Innocentius Papa IV. quod propter hareſim maritorum uxorum catholicarum dotes non debeant confiſcari, niſi fortè mulieres ipſa cum viris matrimonia contraxiſſent, quos hareticos tunc ſciebant.* Quod ibi adnotant Gloſſa, Jo. Andr. *n.* 6. Gemin. *num.* 2. & 3. Sylveſt. *v. hareticus §.* 1. *n.* 13. & 14. Eymer. *p.* 2. *q.* 101. ibique Pegna *com.* 160. & Farinac. cum aliis quos ipſe citat *d. quaſt.* 190. *num.* 43. & 49. Quia mulier ſcienter nubens cum viro hæretico, eſt de hæreſi ſuſpecta, & cenſetur hæreticorum fautrix, ejuſque errori conſentire videtur, atque hæretica putatur.

Si verò uxor à principio neſcivit virum, cui nubebat, eſſe hæreticum, etiamſi poſtea talem eſſe ſciat, dummodo illius peccato non conſentiat, dotem non amittit. Quia initium reſpicitur, Gloſ. *loc. cit.* aliique communiter. Præſumitur autem ignorantia, niſi probetur ſciviſſe; ut *ex l. verius ff. de probat.* Neque dotem uxor amittit, ſi S. Officio non revelat, maritum eſſe hæreticum. Quia ex revelationis omiſſione non contrahitur hæreſis, ſed ſuſpicio hæreſis.

Pœna autem publicationis bonorum, non infligitur ob ſolam hæreſis ſuſpicionem, ſed ob hæreſim formalem, ut colligitur ex *dict. cap. decrevit.* Minuſque dotem amittit, quia receptat hæreticum: Nam potius affectu maritali, quàm affectu illius criminis id facere videtur, ut notant Gigas *de crim. læſæ Majeſt. libro tertio, titul. de pæn. quæſtione vigeſima, numero ſecundo*, ac Pegna *loco citato.*

Quod ſi fiſcus mulieris dotem ademerit cum aliis bonis viri, poteſt illa ſuam dotem repetere *leg.* 1. cum ibi notatis *Cod. de repud.* & docent Bapriſta à S. Blaſ. *tract. de privil. dot. privil.* 146. Campeg. *de dot. p.* 3. *queſtione vigeſima tertia*, Gigas *dict. libro tertio titul. de pæn. quas filii incur. quæſtione decima octava, numero ſexto*, Pegna *p.* 3. *com.* 160. Reſtituenda tamen ei eſt illa dos, quam verè ejus maritus acceperat, non illa, quam in inſtrumentis dotalibus maritus ſe habuiſſe affirmavit juxta *leg. ſiquis poſthac C. de bon. præſcript.* ubi dicitur; *dos etiam non quæ aliquoties inaniter dotalium inſtrumentorum tenore conſcribitur, ſed quam ſe corporaliter tradidiſſe docuerit, repræſentetur.*

Parique modo reſtituenda ſunt uxori omnia paraphernalia, aliaque ejuſdem propria quocumque titulo illa habebat, etiamſi ſcienter cum hæretico contraxerit. Quia *in dict. cap. decrevit de hæret. in* 6. Pontifex ſolum de bonis dotalibus mentionem fecit, & ſi voluiſſet, ut ob contractum matrimonium ſcienter cum hæretico, uxor amitteret omnia bona ſua, id expreſſiſſet, & non ſe reſtrinxiſſet ad dotem. Pœnæ enim non ſunt extendendæ. Ac ita ſentiunt Sanch. *dict. libro ſecundo in decal. capite decimo ſeptimo, numero vigeſimo ſecundo*, Sanctarel. *de hæreſ. capite decimo nono, dubio tertio numero decimo quarto*, ac Diana *p.* 4. *eod. tract.* 8. *reſol.* 62.

Hinc ea, quæ mulier ante nuptias à viro titulo donationis acceperat, & alia munuſcula, quæ ei data fuerant cùm primum copularentur, non publicantur. Quia pudicitiæ præmio cedunt, ut ex *dict. leg. ſi quis poſthac C. de bon. proſcript.* Neque propter hæreſim mariti publicantur uxori quæ dono ipſa accepit à conſanguineis ejuſdem, niſi nominatim ab eo, qui ei donavit dictum ſit, ut marito acquirantur. Quia hujuſmodi donationes non intuitu viri, ſed uxoris factæ videntur, & eò magis ſi res donatæ ſuit tales, ut potius uxori, quam viro competant, ut firmant Palac. Rub. *in rubr. de donat. inter vir. & uxor.* §. 45. Simanch *de cath. inſtitut. dict. titul.* 9. *num. ſeptuageſimo ſexto*, Pegna *ibidem.* Qui etiam ſentiunt non eſſe publicanda ob mariti hæreſim, quæ uxor, conſtante matrimonio acquiſiverit. Quia non eſt rationi conſonum, ut bona lucrata ex parte uxoris, non committentis delictum, fiſco cedant, *l. ob maritorum C. ne uxor pro marito.*

Quæ autem bona publicari poſſunt Clericis hæreticis, & quibus illa applicanda, nunc explicemus. Bona quæ à Clericis poſſidentur in triplici ſunt genere. Patrimonialia, quæ à parentibus, conſanguineis, & amicis, aut ex propria induſtria comparantur. Eccleſiaſtica, quorum, fructus, ac reditus ab ipſis Clericis percipiuntur. Beneficialia, quæ ex beneficiis Eccleſiaſticis ad Clericos perveniunt.

Inquiſitores igitur Clericis hæreticis publicare poſſunt bona patrimonialia, & quæ ex eorum induſtria, vel ratione alicujus miniſterii Eccleſiaſtici, ut ex celebratione Miſſarum, vel ex concionibus, docendo, ſepeliendo defunctos, & hujuſmodi aliis acquiſiverunt. Quia in his bonis Clerici habent verum dominium, & ſicut ad eorum libitum ea poſſunt alienare, ita ab Inquiſitoribus ob eorum hæreſim poſſunt publicari, ut docent Oldrad. *conſ.* 1. Paul. Caſtrenſ. *conſ.* 154. Covar. *lib.* 2. *var. reſol. c.* 9. *num.* 12. Repert. Inquiſ. *v. confiſcatio* §. *bona* Clericorum, Simanch. *de cath. inſtitut. dict. tit.* 9. *num.* 92. Pegna *p* 3. *com.* 161. & Farinac. *de hæreſ. d. q* 190. *n.* 154.

Hæc autem bona applicanda eſſe fiſco Eccleſiæ, & Epiſcopi in uſus pios diſtribuenda, ſi ipſe Clericus non habet ſtipendia ab aliqua alia Eccleſia, cenſent Felin. *in cap. vergentis numero* 1. & allegati ab eo, Anchar. *in cap. excommunicamus* 1. *numero* 4. aliique quos citat ac ſequitur Farinac. *loco citato, num.* 158.

Alii putant, quod bona clericorum patrimonialia immobilia ob hæreſim ab Inquiſitoribus publicata applicari debent fiſco Regio, ut Oldrad. *conſ.* 17. Repert. Inquiſ. *d. v. confiſcatio*, Gulielm. de Benedict. *in repet. cap.* Raynucius *v. & uxorem num.* 242. *& ſeq. de teſtam.* & ita ſervari in Regnis Hiſpaniæ & Franciæ teſtatur Cantera *in quæſt. crim. rubr. de hæret. apoſt. cap.* 1. *num.* 41.

Sunt qui docent, hujuſmodi eſſe applicanda Sancto Inquiſitionis Officio, ut Zech. *in ſum. p.* 1. *titul. de fid. rubr. de hæreſ. cap.* 11. *num.* 16. Simanch. *dict. titul.* 9. *num.* 90. *& ſeq.* At in hac opinionum varietate, ſtandum eſſe locorum conſuetudini mox dicemus.

Si verò clericus bona feudalia habeat, ea non publicantur ob ejus hæreſim, ſed ad directos dominos tranſeunt, ut docent Oſtien. *in dict. cap. excommunicamus* §. *moneantur*, Albertinus *in libr. de ſtatut. p.* 3. *q.* 7. Gigas *de crim. læſ. Majeſt. q.* 5. Pegna *de com.* 161. Idemque dicendum eſt de bonis reſtitutioni ſubjectis. Ea enim non publicantur ob hæreſim poſſidentium, ſed reſtituenda ſunt quibus reſtituenda erant, ut notant Simanch. *ubi ſupra num.* 93. Pegua *ibidem* & Quemada *in comp. quæſt. de bon confiſc. q.* 17.

Bona, quæ ſunt alicujus Eccleſiæ, quorum fructus à Clericis percipiuntur, ob eorum hæreſim nequeunt confiſcari, ut *ſupra* dictum eſt.

De bonis verò, quæ proveniunt ex beneficiis Eccleſiaſticis, ita diſtinguimus. Aut Clerici poſſident beneficia curam animarum habentia aut ſimplicia, & non habentia curam animarum. Si primo modo, cum fructus talium beneficiorum non omnes ſpectent ad Clericos beneficiarios, ſed ſint diſtribuendi in cultum divinum & Eccleſiæ ornatum, in uſus pauperum, ac in neceſſitates ipſorum Clericorum, ideò ipſi ſuper his beneficiis dominium totale non habent, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 18. *art* 7. & Sotus *lib.* 10. *de juſtit. & jur. q.* 4. *art.* 3. ſed tantum dominium habent in illa portione quæ per canones eſt deputata ad ſuam & ſuorum ſuſtentationem *can de redit.* 11. *q* 1. ſequitur, quod in hac tantum portione fieri poteſt publicatio. Quia de hac portione idem videtur dicendum, ac de fructibus perceptis à non habentibus curam animarum, ut tradunt Pegna *d. com.* 161. & Farinac. *d q.* 190. *n.* 160.

Si ſecundo modo, fructus, ac reditus publicari poſſunt. Quia beneficiarii verum illorum dominium naniſcuntur, ut docent Major *in* 4. *ſent. d.* 24. *q.* 20. Gabr. *diſt.* 15. *q.* 8. Sylveſt. *v. Clericus* 4. Corneus *conſ.* 314. *lib.* 1. Covar. *in cap. cum in officiis de teſtam.* Sot. *de juſt. lib.* 10. *q.* 4 *art.* 3. & iſtorum beneficiorum fructus ob hæreſim poſſidentium, applicari poſſunt non Eccleſiis, à quibus ſtipendia habuerunt, ſed Inquiſitionis Officio, ut placuit Simanch. *d. tit.* 9. *n.* 90. & Pegnæ *d. com.* 161. ac Farinacio *dict. quæſtione centeſima nonageſima, numero centeſimo ſexageſimo.*

Idemque dicendum de bonis à Clericis acquiſitis ex quotidianis diſtributionibus Eccleſiaſticis. Quia in his etiam bonis verum dominium ipſi habent.

Sicuti

Sicuti enim in illis ſuccederent eorum hæredes, ita ſi committant hæreſis crimen videtur poſſe ſuccedere S. Officium Inquiſitionis, quando ab Inquiſitoribus bona cujuſmodi eis publicantur, ut per Pegnam *dict. com.* 161. & Simanch. *ibidem.* Sed Farinacius *ubi ſupra* cum Pegna inquit, quoad applicationem horum fructuum, ac bonorum, ex illis acquiſitorum, vel attendendam eſſe conſuetudinem loci, vel conſulendum ſupremum S. Inquiſitionis Romanæ Senatum.

Non poſſunt tamen Inquiſitores ſortilegis, & magis, aliiſque de hæreſi ſuſpectis imponere pœnam publicationis bonorum, ut docent Zanchin. *de heret. cap.* 19. *num. ſecundo*, & *capite vigeſimo*, *num.* 2. Decian. *lib.* 5. *tract. cr. capit.* 44. *num.* 7. Repert. Inquiſ. *verſ. confiſcatio*, *v. an autem veniant*, Clar. *in pr. v. hereſis numero* 23. *in fine*, Binsfeld. *de confeſſ. maleſ. prælud.* 14. Farinac. *de hereſ. quæſt.* 181. *num.* 4. & 53. & *quæſt.* 193. *num.* 120. Quoniam in Extravag. Joannis XXII. contra magos, magicaſque ſuperſtitiones facientes, relata ab Eymerico *p.* 2. *direct. quæſt.* 43. *nu.* 9. ſtatuitur quod ſortilegi ineuntes fœdus, pactumque facientes cum dæmone, vel illi immolantes, aut illum adorantes, vel annulum, ſpeculum, phialam, vel aliam quamcunque rem ad dæmonem alligandum conficientes, & ab eo petentes reſponſa, vel pro implendis eorum pravis deſideriis auxilia poſtulantes, in his omnibus caſibus puniri debeant omnibus & ſingulis pœnis, quibus hæretici puniuntur, excepta bonorum confiſcatione. Et ideò talis pœna jure canonico in ſortilegis locum non habet. Hinc S. Congregatio non ſolet inquiſitis de magia imponere confiſcationem bonorum, ut reſcriptum anno 1638.

De jure verò civili ſortilegi cujuſcumque generis ſint, & quomodocumque committant ſortilegia, puniuntur pœna mortis naturalis, & bonorum publicatione *ex l. nemo*, *l. multi*, *ac l. etſi excepta*, & *l. eorum Cod. de maleſ. & mathem.* & tradunt Paul. Ghirland. *de ſortil. quæſt.* 2. *num.* 10. & *quæſt.* 11. *num.* 5. 7. 11. & 12. *ac* 27. Menoch. *de arb. lib.* 2. *cent.* 4 *caſ.* 388. *num.* 5. Clar. *in pr. §. fin. q.* 68. Farinac. *de delict. & pœn. quæſtio.* 20. *numer.* 88. *qui nu. ſeq.* ſubdit, quod, quidquid ſit de jure, de conſuetudine tamen hæc pœna mortis naturalis, & confiſcationis bonorum non ſervatur tam rigorosè. Nam ſortilegi conficientes ſortilegia non hæreticalia, vel fuſtigantur, vel mittantur publicè, ac deinde banniuntur, vel alia pœna arbitraria plectuntur.

Quod tandem ad applicationem hujuſmodi bonorum Summi Pontifices in ſuis conſtitutionibus diverſimodè ſtatuerunt. Nam primò Innocentius Tertius anno 1199. ſive 1200. ſtatuit, ut bona hæreticis publicata in terris Eccleſiæ applicarentur fiſco Eccleſiæ. In terris verò Imperii fiſco Judicis ſecularis, idque obſervari præcepit, etiamſi hæretici filios haberent catholicos, quia ſuccedere non debent in bonis paternis, ut *in dict. cap. vergentis de heret. in* 6.

Innocentius verò quartus anno 1152. in conſtit. ad extirpanda, Alexander item quartus anno 1149. & Clemens pariter Quartus anno 1265. ſtatuerunt ut omnia bona hæreticorum, quæ per dictos officiales fuerint occupata, ſive inventa, & condemnationes pro his exactæ, dividantur hoc modo, ut una pars deveniat in commune Civitatis, vel loci, ſecunda in favorem, & expeditionem Officii detur Officialibus, qui tunc negotia ipſa peregerint, tertia ponatur in aliquo tuto loco ſecundum quod dictis Diœceſano, & Inquiſitoribus videbitur, reſervanda, & expendenda per conſilium eorundem in favorem fidei, & ad hæreticos extirpandum.

Notat autem Comenſis *in Lucer. Inquiſ. v. bona hereticorum num.* 2. quod Communitas Civitatis, vel loci juxta prædictam Conſtitutionem tunc tenebatur ſolvere & dare certam pecuniam quolibet die Officialibus S. Inquiſitionis, quando exibant è Civitate, vel loco pro S. Officio exequendo. Et quia nunc Communitates & loca id non ſervant, ideò amplius dari non ſolet aliqua pars ipſis Communitatibus & locis dictorum bonorum.

Notat etiam Farinacius *de hereſ. d. q.* 190. *num.* 181. ſupradictam tripartitam diviſionem bonorum fuiſſe ſublatam per Apoſtolica reſcripta, ex quibus declaratur, Romanam Eccleſiam velle dimidiam dictorum bonorum tradi ſuæ Cameræ Apoſtolicæ, & aliam dimidiam remanere Officio S. Inquiſitionis pro ſubventione illius neceſſitatis. Et ita etiam tradunt Repertorium Inquiſ. *v. diviſio*, Zanchin. *de heret. cap.* 19. *num.* 5. & *cap.* 26. *num.* 1. & 2. Tabien. *in ſum. v. hereticus nu.* 7. Locat. *in Judic. Inquiſ. eod v. n. itidem* 7. Tuſch. *eod. pariter v. concl.* 102. *numer.* 16. Quia hæretici cum ſua hæreſi Eccleſiam offendunt, ſatisfaciendum eſt præſertim eidem Eccleſiæ offenſæ, ut notat Felin. *in dict. cap. vergentis de heret.* & confirmatur ex Jacobo Butrigario *in l. quicunque Cod. de heret.* dicente, quod ubicumque delictum eſt Eccleſiaſticum, bona confiſcata Eccleſiæ applicari debent.

Quamplures docent, bona hæreticorum applicanda eſſe, nec Cameræ Apoſtolicæ, nec Imperiali, nec Communitatibus, aut Officialibus, nec fiſco ſeculari, aut Eccleſiaſtico, ſed tantum Sancto Inquiſitionis Officio, & Inquiſitoribus. Quia nec Domini, neque Communitates, neque Officiales, ſed Inquiſitores proſpiciunt carceribus, & carceratis, aliiſque neceſſariis impenſis S. Tribunalis, Gloſ. *in d. l. quicunque v. fiſco*, ibique Buttigar. Alberic. *p.* 3. *ſtatut. q.* 18. *n.* 9. Felin. *in cap. cum nobis poſt n.* 12. Comenſ. *in Lucer. d. v bona hereticorum n* 6. Navat *conſ.* 20. *num.* 2. *lib.* 5. Locat. *in Judic. v fiſcus* ac cæteri, quos citat Farinac. *d. q.* 190. *n.* 185. ac Pegna *com.* 158.

In ditione Mediolanenſi bona hæreticorum confiſcata dividuntur in tres partes æquales. Una traditur Fiſco Ducali. Altera Epiſcopo. Tertia Inquiſitori, ut referunt Clar *in pr. cr. v. hereſis num.* 11. Tuſch. *eod. v. concl.* 102. *n.* 16. & Farinac. *de hereſ. d. qu.* 190. *n.* 191.

Pro Sabaudia in ſpeciali conceſſione Gregorii XIII. ſub die 28. Septembris 1584. hac de re emanata ſic legitur. *Si bonorum valor ad ſcuta mille aſcenderit, & uſque ad illum valorem pro medietate Cameræ & fiſco Ducali, pro altera verò medietate officio S. Inquiſitionis applicentur. Si verò dicta bona exceſſerint valorem mille ſcutorum, omnia applicentur eidem Cameræ & fiſco Ducali, ſed dicti Ducis miniſtri pro qualibet confiſcatione realiter, & cum effectu ac ſine ulla mora S. Inquiſitionis Officio ſcuta quingenta omnino ſolvere teneantur.* Ita refert Farinacius *loc. cit. n.* 193.

In Placentia & Mantua hujuſmodi bona dividuntur in duas partes. Altera applicatur fiſco Principis, qui brachium ſuum S. Inquiſitionis Officio confert. Altera ipſi S. Officio, teſtibus Locato *in Judic. v. fiſcus num.* 1. Burſatto *conſ.* 43. *n.* 45. *lib.* 1, & Farinacio *idem n.* 189. & *ſeq.*

Multi denique volunt, ſervandas eſſe conſuetudines locorum, dummodo ſint rationabiles, legitimè præſcriptæ, & Pontificiis Conſtitutionibus conformes juxta *caput fin. de conſuet.* Atque ita ſentiunt Burſat. *conſilio quadrageſimo tertio*, *numero quinquageſimo primo*, & *ſequent.* Clar. *in pr. cr. §. hereſis numero undecimo*, Mandoſ. *in addit. ad Repert. Inquiſ.*

d. v. diviſio litt. A. Martin. Laudenſ. *conſ. crim. div. 58. ante numer.* 1. *lib.* 1. & Farinac. *dict. quæſtion.* 190. *numer.* 187. Hanc ſententiam hodie tenendam eſſe autumo, quam confirmo reſcripto S. Congregationis. Cum enim Inquiſitor Alexandriæ conſuluiſſet S. Congregationem an debeat tertiam partem bonorum confiſcatorum conſignare foro ſeculari, aliam tertiam partem menſæ Epiſcopali, & aliam tertiam S. Officio, quemadmodum cenſet Farinacius. Decretum, ut circa hoc ſervet ſolitum, ut alias ei ſcriptum fuit ſub anno 1631. Unde ab Inquiſitoribus nihil eſt innovandum, inconſulta S. Congregatione.

Confiſcationes vero S Officii Mantuani diſtribui debent juxta Breve Apoſtolicum datum ſub die 11. Julii 1569. Reſcriptum pariter ſub anno 1633. quod Inquiſitor Saluciarum non debet aliquid prætendere circa confiſcationem bonorum hæreticorum. Solent aliquando applicari per decretum Summi Pontificis Cameræ Apoſtolicæ, licet in ſententia publicè lecta fuerint applicata S Officio.

Cur autem in Hiſpania bona hæreticorum omnia publicata ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ Regio fiſco applicentur, ea ratio eſt, quia Auguſtiſſimus Rex Catholicus non ſolum curam habet conſtituendi ſapientiſſimum Senatum, qui omnes cauſas ad hæreſis punitionem pertinentes, agitat, ſed etiam Inquiſitoribus ad extirpandum hæreticę pravitatis labem expenſas abundè ſuppetit, ac omnia, quæ neceſſaria ſunt ad conſervationem S. Inquiſitionis ex ſuo patrimonio ſubminiſtrat, ut conſtat, & teſtantur Pegna *p.* 3. *d. comm.* 158. Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *nu.* 12. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 23. *dub.* 1. *n.* 3. Simanch. *de cath. inſtit. dict. tit.* 9. *num.* 132. Diana *p.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 43. Quare licet, attento jure Canonico bona Clericorum publicata, tradenda ſint fiſco Eccleſiæ ut probat Covar. *d. cap.* 9. *num.* 12. tamen in Hiſpania, etiam bona Clericorum, ſive mobilia, ſive immobilia, quę ob ipſorum hęreſim publicantur, adimit à Regio fiſco propter eandem rationem, ut teſtes ſunt Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 26. Hieronym. Rodriq. *in compend. quæſt. regul. reſol.* 73. *numero decimo quarto*, Lorca *in* 2. 2. *quæſtione undecima, articul.* 4. *diſp.* 46. *membr.* 1. *n.* 6. & Covar. *loc. cit.*

Hæc autem bona confiſcata interdum expendi, & applicari poſſunt ad alios pios uſus, ut ad ſumptus belli ſacri contra infideles, aut alios ſimiles ac Reipublicę Chriſtianæ utiles, ſicut tempore Catholicorum Regum Hiſpanię Ferdinandi & Iſabellæ magna eorum pars applicata fuit bello contra Saracenos, & Granatenſes, quod tunc gerebatur, teſtantibus Repertorio Inquiſ. *d. v. diviſio*, ac Pegna *p.* 3. *d. com.* 158.

Ordinarius vero, ſive diœceſanus nil penitus conſequi debet ex parte hujuſmodi bonorum, applicata officio Inquiſitionis, quamvis & ipſe in Inquiſitionis Officio procedat, ſed debet illud propriis explere ſtipendiis ex redditibus ſuis cùm ſit Ordinarius, ut in Extravag. Benedicti X I. edita anno 1303. quæ incipit, *ex eo, quod*, & in Gloſſa *v. providebit Clem. I. de hæret.* Nec Inquiſitores tenentur reddere rationem ipſis diœceſanis de bonis habitis ex officio Inquiſitionis. Quia ſic dictus Pontifex in citata Extravaganti præcipit in hæc verba: *rationem autem iidem Diœceſani proventuum obvenientium ex Inquiſitionis Officio, non obſtante aliqua Conſtitutione, conſuetudine, vel mandato contrariis, non expoſcant, ſed eam Cameræ noſtræ, vel alii, cui nos, vel ſucceſſores noſtri Romani Pontifices mandabimus reddendam, reddatis, quæ generaliter obſervari jubemus.* Hodie hanc rationem Inquiſitores reddunt S. Congregationi ſupremæ ac generalis Inquiſitionis Romanæ.

Consultatio CLXXXI.

An Hæretici priventur dominio, ac juriſdictione temporali, hoc eſt, an ipſi propter hæreſim, aut apoſtaſiam à fide priventur ſuis Regnis, Imperiis, ac dominiis, quæ antea legitimè habebant ita, ut ſubditi eorum non teneantur amplius præſtare ipſis obſequium, ac fidelitatem? Ubi de Pontificis ſummi poteſtate in Principes hæreticos ex ſacris Bibliis, Conciliis, Patribus, hiſtoricis, atque ex praxi Eccleſiæ, cum Apologia pro plurimis Pontificibus, & parœneſi ad Epiſcopos.

Hanc quæſtionem quatuor aſſertionibus definimus. Prima eſt. Solo jure naturali ac divino non privatur aliquis dominio, ac juriſdictione in ſubditos propter peccatum hæreſis, vel apoſtaſiæ à fide. Ita docent D. Thom. 2. 2. *quæſtione duodecima, articulo ſecundo*, aliique Theologi communiter. Nam fundamentum dominii, & juriſdictionis non eſt fides Chriſtiana, ſed alius titulus politicus, robur habens ex jure gentium, vel ſucceſſionis hæreditariæ, vel electionis, vel juſtæ acquiſitionis per juſtum bellum. Qui tituli poſſunt etiam manere ſine fide. Neque uſquam extat jus aliquod divinum, quo ejuſmodi tituli enerventur propter defectionem à fide.

Immo contrarium ex veteri, ac novo Teſtamento colligitur. Nam ex veteri conſtat, Pharaonem, Nabuchodonoſorem, Jeroboam, Achab, Antiochum, & plures alios habuiſſe regna temporalia, & tamen fuiſſe infideles, vel apoſtatas. Idem ex novo Teſtamento conſtat de Tiberio, Herode, Claudio, Lyſia, Felice, Feſto, & aliis de quibus Apoſtolus ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Et I. Petri 2. ℣. 13. *ſubjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas* Dei. & ibid. v. 18. *non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Quare D. Auguſtinus *in pſal.* 124. affirmat Julianum Imperatorem, etiam tum cùm erat à fide apoſtata, fuiſſe verum dominum, ac ſuperiorem, cui meritò milites obtemperaverint.

Secunda eſt. De Jure Eccleſiaſtico, atque adeo per Summi Pontificis autoritatem, atque ſententiam poteſt quis omni dominio, ac juriſdictione erga ſubditos privari propter crimen hæreſis, & multo magis propter apoſtaſiam à fide. Ita quoque D. Thomas *loc. cit.*

Probatur illis omnibus argumentis, quibus ſupra convicimus, poſſe hæreticos, & apoſtatas à fide privari, etiam ipſa vita per Eccleſiæ autoritatem. Nam ſi vita poſſunt privari, multo magis omnibus aliis bonis, atque adeo etiam dominio, & juriſdictione in alios, cùm omnibus ejuſmodi bonis temporalibus vita pręponderet, & ea ſublata, reliqua omnia tollantur.

Probatur item ex Scriptura veteris Teſtamenti, ducto argumento ab autoritate, quam tunc habuerunt

Summi

Summi Sacerdotes. Non enim habent modò Summi Eccleſiæ Pontifices minorem autoritatem in eos, qui fidem profeſſi ſunt, quam habebant tunc Synagogæ Pontifices. Nam illa Eccleſia vetus erat, tanquam *umbra, & figura*, hæc autem eſt, tanquam *corpus & veritas* I. Cor. 10. ad Hebr. 10. & alibi. Non eſt autem plus vigoris in umbra, & figura, quàm in corpore, & veritate. Et illuſtriora multo argumenta, & teſtimonia habet Eccleſia de benevolentia, & providentia Dei erga ſe, quàm olim habebat Synagoga, ut vel ex unico illo teſtimonio Apoſtoli abundè patet: *Nunc autem melius ſortitum eſt miniſterium, quanto & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*, ad Hebr. 8. Illi autem non præditi erant autoritate ad privandum dominio & juriſdictione eos, qui à fide recederent. Nam 2. Paral. 21. Iojada Summus Sacerdos, & vita & regno expoliavit Reginam Athaliam, non ſolum quia tyrannicè occupaverat Regnum, ſed ideo maximè, quod idololatriæ addicta erat, traditurque ibi cauſa hujus facti, ſcilicet ut apoſtaſia à fide coerceretur, & ſtabiliretur rectus cultus divinus. Ex quo liquet manifeſtè, habuiſſe tunc Pontificem ſummam autoritatem extirpandi impium regimen illius populi, ac de eo diſponendi, prout expediebat ad finem ſpiritualem, & ad rectam rationem colendi Deum.

Atque ex 2. Paral. 26. Ozias rex Judæ, alioqui legitimus, ac diù optimus adeò, ut *direxerit eum Dominus*, ſicut ibi dicitur, *& auxiliaretur ei, & corroboraret eum*, tamen quia poſtea, bona licet intentione colendi Deum, erravit circa cultus rationem, volens ipſe nimirum in templo Domini adolere incenſum ſuper altare, & ideò lepra divinitus percuſſus, ab Azaria Pontifice, atque Sacerdotibus à templo expulſus eſt, & habitare juſſus in domo ſeparata, ſuccedente ei in Regno Joathan filio ejus, per autoritatem videlicet Summi Sacerdotis, de qua *Levit.* 13. ſic legimus: *Quicunque maculatus fuerit lepra, & ſeparatus eſt ad arbitrium Sacerdotis, ſolus habitabit extra caſtra.* Eſt igitur & nunc multo magis in poteſtate Summi Pontificis propter ſpiritualem lepram hæreſis, impium Principem ſeparare à communione fidelium, & privare etiam regno.

Ex nuvo pariter Teſtamento, *Matth.* 16. & *Joan.* 22. & 2. *Cor.* 5. & 2. *ad Theſſal.* 3. Nam *Matth.* 16. Dominus promiſit, *ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam* ſuper Petrum & ſucceſſores ejus, Alioqui non ſatis aptè ac perfectè Dominus ſuper Petrum, & ſucceſſores ejus Eccleſiam ſuam ædificaſſet. At unus modus maximè neceſſarius ſtabiliendi, & conſervandi bonum, & incolumitatem Eccleſiæ eſt, ut Princeps impius, & hæreticus expolietur ſua autoritate, ne vel exemplo ſuo, ut fit, etiam aperta vi noceat ſubditis fidelibus. Igitur confitendum eſt, Pontificem Summum, ſucceſſorem Petri, præditum eſſe poteſtate hoc faciendi.

Idipſum patet ex illo *Joan.* 21, Nam ibi Dominus Petro, & ejus ſucceſſoribus plenam poteſtatem regendi Eccleſiam univerſam tradidit illis verbis: *Paſce oves meas.* Quemadmodum igitur ad munus Paſtoris pertinet non modò eas pecudes, quæ de grege ſunt, quando aliis pecoribus petulanter nocent, coercere, ſed etiam lupos, qui de grege non ſunt, arcere, ac prohibere modis omnibus, ne gregem dilanient, & perdant, ita ad munus Summi Eccleſiæ Paſtoris ſpectabit non modò in ipſos fideles, quando malè ſe gerunt convenienti modo animadvertere, ſed etiam hæreticos quoſcumque, qui lupi ac prędones animarum ſunt, quibuſcumque modis prohibere, & arcere ne noceant ſpirituali animarum gregi, atque adeò etiam hunc ad finem eos privare omni dominio, ac poteſtate, quam in ſubditos habent.

Ex 2. autem Cor, 5. Apoſtolus inquit: *Auferte malum ex vobis ipſis.* Quo loco, ut Auguſtinus notavit *quaſt*, 39. *in Deuter.* non ait hoc malignum. Vult igitur eſſe fugiendum ac vitandum decreto Eccleſiaſtico quandoque criminoſum aliquem, atque adeo ei minimè obediendum, quo ipſo amittit is certè jus, & autoritatem aliis imperandi, Siquidem ii non tenentur ipſi obedire, & connivere. Et eodem pertinet quod ait 2. Theſſal. 3. *Siquis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo.*

His adſtipulantur Sancti Patres, qui variis modis indicarunt poteſtatem Eccleſiaſticam ita eſſe ſuperiorem quacunque politica poteſtate, ut exerceri ab Eccleſia queat, non ſolum ordinariè quoad ſpiritualia, ſed etiam extraordinariè quoad temporalia, ſi nimirum quo caſu ad Eccleſiæ bonum expediat, aliquid circa temporalia quoque ſtatui per Eccleſiaſticam poteſtatem, pręſertim ſummam, qualis eſt Chriſti Vicarii.

Etenim S. Cyprianus *in lib. de unit. Eccleſ.* generatim affirmat, quoſcumque hæreticos pertinaces, tanquam lupos per Eccleſiaſticam poteſtatem ſeparandos & arcendos à cœtu fidelium, ut etiam nequeant cum eis verſari communi convictu, quo ipſo certè privatur quis autoritate aliis imperandi, ut quæ exerceri nequit communi convictu. *Quid facis*, inquit, *in pectore chriſtiano luporum feritas? Et canum rabies? Et venenum lethale ſerpentum? Et ſævitia beſtiarum? Gratulandum eſt, cum tales de Eccleſia ſeparantur, ne columbas, ne oves Chriſti venenata ſua contagione prædentur.*

S. Ambroſius, teſte Theodoreto *lib.* 5. *capit.* 17. non modo Theodoſium Imperatorem excommunicavit propter cædem factam Theſſalonicæ, ſed ipſius politicæ autoritati modum quendam præſcripſit. Juſſit enim, ut legem ſanciret, ne de cætero ſententiæ capitis, aut expoliationis bonorum robur haberent, niſi poſt dies triginta à die, quo eſſent latæ, ut interea ſcilicet revocari poſſent, ſi temere forſitan ferrentur ex aliqua iracundia. Idemque Ambroſius *lib.* 1. *de pœnit. cap.* 14. ita ſcribit; *Sequeſtrari oportet graviter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat.* Et ſerm. 11. in Pſal. 118. *Scriptum eſt*, ait, *in Cantico Canticorum; prehendite mihi vulpes puſillas, exterminantes vineas, & vinea noſtra floreant. Quo oſtenditur quod vel Dominus Jeſus, vel Eccleſia fraudulentorum hæreticorum dolos à vineis ſuis exterminandos eſſe præcipiant.*

Item S. Auguſtinus *in lib. contra Donatiſtas poſt collationem cap.* 4. *&* 20. ſimiliter agnoſcit in Eccleſia poteſtatem ſeparandi impios à cœtu & converſatione fidelium, *juxta præceptum*, inquit, *Apoſtoli qui dixit: Siquis autem non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & nolite commiſceri cum eo* 2. ad Theſſal. 3.

S. Gregorius Nazianzenus *in orat. ad Cives Nazianzenos, timore perculſos, & Principem iraſcentem*, Eccleſiaſticam poteſtatem agnoſcit eſſe ſuperiorem politica, etiam ut politica eſt, atque adeo de politica, ut politica eſt, poſſe ſtatuere ad ſuum finem, nempe ſpiritualem. Sic enim Principem ſecularem alloquitur. *Vos quoque poteſtati meæ, meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubjicit. Imperium enim ipſi quoque gerimus, adde etiam præſtantius, ac perfectius, niſi verò æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere.*

Quo

Quo loco tribus modis indicat Nazianzenus ſubjectam eſſe poteſtatem politicam poteſtati Eccleſiaſticæ, ut hæc de illa cum autoritate ſtatuere poſſit, quod expediat ad ſpirituale bonum Eccleſiæ, quæ eſt finis Eccleſiaſticæ poteſtatis. Primò cum dicit, Principes quoque eſſe poteſtati Eccleſiaſticæ ſubjectos. Non enim ſolum ſignificare vult, eos eſſe ſubjectos Eccleſiaſticæ poteſtati, ut ſunt fideles, atque adeò ſpiritualem ipſorum ſalutem. Hoc enim per ſe notum erat, neque oportuiſſet cum tanta emphaſi a Nazianzeno dici; ſed ſignificat, eſſe etiam ſubjectos Eccleſiaſticæ poteſtati, tanquam Principes, atque adeò ſecundum politicam ipſorum poteſtatem, ut de hac etiam poſſit Eccleſia in certis caſibus ſtatuere, quod propter bonum ſpirituale expediat. Secundo idem agnoſcit Nazianzenus, cum imperium Eccleſiaſticum, & imperium politicum ita comparat, ut Eccleſiaſticum dicat eſſe præſtantius, & perfectius politico. Tertio, cùm eam cenſet comparationem eſſe poteſtatis Eccleſiaſticæ, & poteſtatis politicæ, quæ eſt ſpiritus & carnis Certum enim eſt ſpiritum, hoc eſt, rationem & voluntatem in homine, eſſe ſuperiorem carni, hoc eſt ſenſui & ei ſecundum ea quoque, quæ ſunt carnis propria, debere imperare ac præſcribere, ſive eam cohibendo, ne quædam uſurpet, quæ obſunt ſpiritui, ſive jubendo, ut quædam amplectatur, etiam ſenſui contraria, propter emolumentum ſpiritus, ut jejunia, & alia corporis incommoda, imo etiam mortem ipſam quibuſdam in caſibus, ſicut eam oppetiverunt Martyres.

Sanctus quoque Chryſoſtomus *hom. 4. de verbis Iſaiæ* in eandem ſententiam dicit: *Major eſt Sacerdotii, quàm Regis principatus.*

Similiter D. Gregorius Magnus *lib. 12. regiſtri poſt epiſt. 31.* in privilegio, quod conceſſit Gairaldo, Abbati Monaſterii S. Medardi planè agnoſcit, ſe habuiſſe autoritatem, etiam Reges privandi propter aliqua crimina, regia dignitate. Ita enim ait: *Siquis Regum, Antiſtitum, Judicum, vel quarumcumque ſecularium perſonarum hujus Apoſtolica autoritatis, & noſtra præceptionis decreta violaverit, &c. cujuſcumque dignitatis, vel honoris ſit, honore ſuo privetur.*

Divus etiam Bernardus *lib. 4. de conſideratione ad Eugenium* aſſerit, Eccleſiaſticam poteſtatem, non ſolum ſpiritualis, ſed etiam temporalis gladii jus habere, in eos ſcilicet, qui non poſſint, niſi temporali quoque animadverſione prohiberi, ne noceant fidelibus, tametſi gladius hic temporalis non ſit exercendus immediatè per ipſos Prælatos Eccleſiaſticos, ſed per manum laicorum Magiſtratuum, qui Eccleſiæ ſubſidium ferant. Sic enim cum Eugenio Papa loquitur ibi Bernardus: *Quid tu denuò uſurpare gladium tentas* (immediatè ſcilicet) *quem ſemel juſſus es ponere in vaginam? Quem tamen, qui ſuum negat, non ſatis mihi videtur attendere ad verbum Domini dicentis: Converte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipſe, tuo forſitan nutu, & ſi non tua manu evaginandus. Alioquin ſi nullo modo ad te pertinet & is, dicentibus Apoſtolis: Ecce gladii duo hic, non reſpondiſſet Dominus, ſatis eſt, ſed nimis eſt*; &c. Atque idem ferè totidem verbis ſcribit Boniſacius VIII. in extravaganti Unam Sanctam *de major. & obed.*

Accedit his omnibus uſus ipſe Eccleſiæ. Nam ſæpe Pontifices Romani exautorarunt ſecula es Principes, nemine Catholicorum reprehendente id eorum factum, tanquam excedens limites Pontificiæ autoritatis, ut fusè proſequitur Sixtus Senenſis *lib. 6. Bibliotheca ſancta annot. 71.* & Bellarminus *lib. 5. de Romano Pontifice cap. 8.* Nam Zacharias Pontifex depoſuit Childericum, Galliæ Regem, tanquam regno ineptum, narrat Cedrenus in vita Leonis Iſauri, & Paulus Diaconus *lib. 6. hiſt. Longobard. cap. 5.* Item Gregorius VII. depoſuit Imperatorem Henricum IV. idque jure optimo, ut conſtat ex Mariano Scoto in Chron. anno 1075. & Dodechino *in addit. ad id Chronicon* anno 1090. & anno 1093. & 1106. Innocentius III. depoſuit Imperatorem Othonem IV. ut refert Blondus decade 2. *lib. 6.* Innocentius IV. in Concilio Lugdunenſi depoſuit Imperatorem Fridericum II. ut patet *ex cap. ad Apoſtolica de ſent. & re judic. lib. 6.* Clemens VI. depoſuit Imperatorem Ludovicum VI. ut narrat Robertus Arboricenſis *tom. 2. theorem. 7.* & Pighius Campenſis *lib. 6. de Eccleſiaſt. hierarch. cap. 14. & 15.* & tandem B. Pius V. Eliſabetham Angliæ Reginam ſuo diplomate, quod in fine hujus Conſultationis referam exautoravit.

Atque etiam aliis modis Pontifices Summi autoritatem ſuam circa temporalem adminiſtrationem Principum exercuerunt. Nam Gregorius II. prohibuit ſolvi vectigalia Leoni Imperatori Iconomacho, ut patet ex Cedreno, & Zonara in vita Leonis Iſauri Leo III. Pontifex tranſtulit Imperium à Græcis ad Germanos, ut patet *ex cap. per venerabilem de elect.* & ex Zonard. & Cedreno *in vita Irenai*, & ex aliis hiſtoricis qui de illo tempore ſcripſerunt, ut oſtendit accuratè Bellarminus in libro peculiari de translatione Imperii. Gregorius V. ſtatuit, ut Imperator eligeretur per ſeptem illos Germaniæ Principes, qui & hodie ſunt Electores, ut enarrat Blondus *lib. 3. decad. 2. lib. 3.* & Nauclet. *generat. 34.* & Platina *in vita Gregorii* V. Innocentius IV. adjunxit Regi Luſitaniæ Coadjutorem in adminiſtratione, ut liquet *ex capit. grandi de ſuppl. neglig. Prælat. lib. 6. decretalium.*

Nec deeſt ratio: Nam ſi poteſtas Eccleſiaſtica eſt ſuperior poteſtate politica, etiam ut politica eſt, conſequens eſt, ut poſſit Eccleſia ſtatuere circa politicæ poteſtatis ſubjecta, vel uſum, quod ad ſpirituale bonum Chriſtianæ Reipublicæ judicaverit conducibile, nempè qui eam poteſtatem detrahendo, & altari dando, vel modum illi aliquem præſcribendo.

Id probatur tum ex fine poteſtatis Eccleſiaſticæ Nam cum poteſtatis finis eſt ſuperior fine alterius poteſtatis, ea quoque poteſtas ſuperior eſt quàm altera, ut poteſt intelligi ex Philoſopho 1. *Eth. capite primo.* Habent enim poteſtates, & facultates omnes vim, atque dignitatem ſuam ex fine. Eſt autem finis Eccleſiaſticæ poteſtatis ſuperior fine poteſtatis politicæ; nam eſt ipſa ſalus ſpiritualis fidelium, ad quam referri, & ordinari debet temporalis tranquillitas, & commoditas Rerumpublicarum, quæ eſt finis politicæ poteſtatis.

Tum ex proprio fine poteſtatis politicæ. Nam is non eſt humanę vitę ultimus, ſiquidem eſt temporalis & ideo debet omnis actio poteſtatis politicę, ut recta, & prudentię conſentanea ſit, in ulteriorem quoque aliquem finem referri, ſcilicet in ſalutem ſpiritualem animę & ęternam beatitudinem. Quos fines cùm poteſtas Eccleſiaſtica ſuaptè vi, inſtitutioneque reſpiciat, ipſam eſſe oportet ſuperiorem, atque directricem poteſtatis politicę. Unde non poteſt rectus eſſe ſtatus politicus, niſi ejus actiones, tanquam fundamento, nitantur recto ordine ad ultimum finem, qui eſt ſalus animarum ſpiritualis, & beatitudo æterna. Qui ordo, ſublata fide, ac religione erga Deum, funditus evertitur.

Et tum ex ordine, quem oportet eſſe inter utramque poteſtatem, ſcilicet Eccleſiaſticam, & politicam.

politicam. Nam utraque poteſtas eſt unius & ejuſdem corporis Eccleſiæ. *Sumus enim*, ut ait Apoſtolus ad *Rom. unum corpus in Chriſto.* Itaque aliquam neceſſe eſt eſſe ſubordinationem inter has duas poteſtates. Nec tamen ea poteſt talis eſſe, ut Eccleſiaſtica poteſtas ſubjecta ſit poteſtati politicæ. Nam, ut S. Gregorium Nazianzenum dicentem audivimus, *minime æquum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cœleſtia terrenis cedere.* Quare reliquum eſt, ut poteſtas politica poteſtati Eccleſiaſticæ ſubſit. Quod cum ita ſit, poterit certè Eccleſia propter hæreſim, & apoſtaſiam à fide privare Principem politica poteſtate. Unde non eſt à facto ad jus arguere, & virtutes antiquas novis velle flagitiis emendare, ut temere effutiunt hæretici, qui ſemper nugas blaterant.

Aſſertio tertia eſt. Hanc privationem politicæ poteſtatis de facto etiam incurrunt ii, qui propter hæreſim, ſeu apoſtaſiam à fide nominatim excommunicantur per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici. Ita etiam docet D. Thomas eodem *loco art.* 2. Cajetanus, Bannes, & alii paſſim, ac probatur primo ex Gregorio VII. *in can. nos Sanctorum* 15. *quæſt.* 6. & ex Urbano II. ibi *in can. juratos*, qui etiam abſolvunt ſubditos juratos, ne teneantur dominis ſuis excommunicatis obſequium præſtare, & prohibent etiam, ne præſtent, ſi nimirum negare obſequium dominis ſuis poſſint abſque notabili ſuo detrimento. Ita enim hoc eſt intelligendum, ſicut rectè notavit Bannes.

Deinde probatur ex Extravag. Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda*, ubi habetur, debere vitari à fidelibus eos, qui ſint nominatim excommunicati.

Poſtremo ex ipſa ratione excommunicationis. Nam hoc ipſo, quod alicui inhibetur communicatio cum aliis, privatur is jure, & facultate communicandi, atque adeo imperandi aliis, & conſequenter dominio ac juriſdictione in alios.

Notant autem rectè hoc loco Cajetanus & Bannes, non eſſe opus ad effectum incurrendi hanc pœnam, declarari ipſum quoque per ſententiam Judicis, ſed ſufficere, ſi per ſententiam declaretur cenſura Eccleſiaſtica, puta excommunicatio, vel crimen ipſum, cui ea cenſura, & pœna ſunt annexæ.

Sit quarta aſſertio. Si crimen hæreſis, ſive apoſtaſiæ à fide ita ſit notorium, ut nulla poſſit tergiverſatione celari, etiam ante Judicis ſententiam incurritur ea parte prædicta pœna, nimirum eatenus, ut ſubditi quidem licitè poſſint negare obſequium domino hæretico, aut apoſtatæ à fide, non tamen ita, ut etiam teneantur id ei negare. Ita docent Cajetanus, & Bannes *ad eumdem locum D. Thomæ.* Quod etiam quoad primam partem aſſertionis docet Panorm. *in cap. cum non ab homine de judic.* & Felin. *in cap. Rudolphus de reſcript.* Nam de eo, qui ita eſt notoriè hæreticus, & apoſtata à fide certò conſtat, quod ſit excommunicatus, per cenſuram ſcilicet excommunicationis, quam tales incurrunt ipſo jure. Excommunicati autem vi ipſius excommunicationis privantur quoque autoritate, & jure aliis imperandi, ut ante dictum eſt. Ac proinde alii non tenentur talibus manifeſtè excommunicatis obſequium præſtare. Secus autem ſi crimen hæreſis non eſſet ita notorium, quin aliquo modo celari poſſet. Nam tunc in re dubia tenerentur ſubditi obtemperare domino, tanquam exiſtenti in poſſeſſione, donec ſufficienter conſtaret de crimine, atque adeò de annexa excommunicatione.

Poſterior autem pars aſſertionis ſtatuitur ibidem à Cajetano contra Panormitanum, & Felinum locis allegatis. Et probatur primo ex prædicto Extravaganti. Ad evitanda, per quam juxta interpretationem communis ſaltem praxis Eccleſiæ, in duobus tantum caſibus tenentur alii vitare excommunicatum, nempe ſiquis nominatim ſit excommunicatus, juxta tertiam aſſertionem, vel notorius percuſſor Clerici ita, ut nulla poſſit tergiverſatione celari hoc crimen. Sed neuter caſus habet locum in noſtro propoſito. Ergo adeo non tenebuntur ſubditi evitare dominum hæreticum, & Apoſtatam à fide, atque adeò neque ei obſequium negare.

Secundo probatur argumento Cajetani. Nam non eſt rationi conſentaneum, ut iis, quos Eccleſia, quæ omnium ſuperior eſt, ita tolerat, ut nolit in eos nominatim ſententiam ferre, teneantur ſubditi obſequium negare, atque adeo nominatim eos habere pro excommunicatis.

Id autem obſervandum eſt, pœnam hanc privationis autoritatis in ſubditos incurri per excommunicationem, non ſolum ob hæreſim, & apoſtaſiam à fide, ſed etiam ob quamcumque aliam cauſam, ut patet ex dictis Canonibus, *nos ſanctorum*, & *juratos*, in quibus ea pœna generatim decernitur quibuſcunque excommunicatis excommunicatione majori, quamvis peculiari quadam ratione, ut notat in eundem locum Cajetanus, cenſeantur à Theologis ea pœna digni, qui excommunicantur ob hæreſim. Qui enim negat fidem Deo, dignus eſt, cui negetur fides à ſubditis. Et, ut notat etiam Bannes, hoc eſt diſcrimen inter alios excommunicatos & excommunicatos propter hæreſim, & apoſtaſiam à fide, quod hi abſolutè amittunt autoritatem in ſubditos, & ideò ſi reſipiſcant, indigent novo conſenſu Eccleſiæ expreſſo, vel tacito, ut eam autoritatem recuperent, ut conſtat ex Eccleſiæ praxi. Alii autem excommunicati non amittunt autoritatem in ſubditos, niſi quandiu non reſipiſcunt juxta tenorem illorum duorum canonum, quos citavimus, in quibus excommunicati exautorantur *quoad reſipiſcant.*

Et quidem quod illæ Romanæ eloquentiæ princeps dixit, *nihil eſſe difficilius, quàm à conſuetudine oculorum aciem mentis abducere*, & rem quamque à ſuis propriis momentis æſtimare, id cùm multis in controverſiis ſit verum, tum in hac re longè eſt veriſſimum. Ita enim Reges plerique auro fulgent ac oſtro, tot habent majeſtatis glorioſa inſignia, ut vulgus hominum exiſtimet ſub cœlo nihil eſſe regio nomine divinius. Huc accedit Chriſti, & Apoſtolorum, ac Chriſtianorum conſenſus, qui jubet *Chriſtianos Cæſari dare, quæ ſunt Cæſaris*, Matth. 22. ℣. 21. honorare Regem 1. Petri 2. ℣. 13. & 17. Impium eſſe *majeſtatem contemnere, omnem animam poteſtatibus ſublimioribus debere eſſe ſubjectam.* 2. Petr. 10. ad Rom. 13. 1. & alia hujus generis multa, quibus Apoſtoli hortabantur ſui temporis Chriſtianos, ut fideliter parerent Romanis Imperatoribus, etiamſi paganis, more tamen tum Reipublicæ Romanæ probato, Imperium Romanum adminiſtrantibus. Quæ omnia ſicuti quiſque chriſtianus probat, eaque in paganos quidem Reges aptè, in chriſtianos autem multo plenius, ac perfectius convenire judicat, ita illud unà cavendum eſt, ne iſto externo ſplendore oculos nobis ita perſtringi patiamur, ut non etiam mentis aciem ad verum Regis officium, officiique limites expendendo convertamus, ut quæ generaliter de Regibus dicuntur, ea

de

de ſingulis Regibus ſemper & quocunque modo ſe gerant erga ſuos, & in Eccleſiam, ac in Rempublicam peccant interpretentur. Hoc enim ut nimis injurioſum eſt omnibus Rebuſpublicis tum paganis, tum chriſtianis, ita magis injurioſum eſſet Eccleſiæ, in qua eminet tradita à Chriſto poteſtas, regali longè excellentior, & in qua Eccleſia Chriſtiani perpetuò crediderunt, potentiam Regis, ſi quando is in officio excedendo fidei chriſtianæ graviter noceret, correctioni Eccleſiaſticę eſſe obnoxiam.

Hanc autem æquitatem tribuendi Eccleſiæ quod ſuum, & Regi quod ſuum eſt, ita religioſè tenuerunt veteres chriſtiani, ut quandiù Reges ſua regalia tractarent, Dei autem Sacerdotibus, quæ Dei erant relinquerent, nihil erat chriſtiànis humilius, nihil ad maximos honores Regibus præſtandos paratius. Ita nimirum chriſtiana diſciplina requirebat, poſtulabat fides, confirmavitque laudatiſſima chriſtianorum omnis temporis vita, & conſuetudo.

Cùm verò Reges egreſſi ſepta, quæ illis chriſtiana Religio præſcripſerat, aliquid moliebantur, quod Chriſti honorem minueret, ejus fidem læderet, Eccleſię ejus jura infringeret, Chriſtianos à recta ad cœlum via in obliquos hæreſium, vel ſchiſmatum, vel etiam in gravium flagitiorum tramites averteret, quia hæc talia erant, ad quæ regia poteſtas ſe non porrigebat, & in quibus Scriptura Regibus non parere, ſed reſiſtere jubet, his temporibus nihil erat Chriſtianis ad Reges coarguendos liberius, nihil optimis Epiſcopis animoſius, qui quo erant perfecta in Deum pietate flagrantiores, eo Reges in officio ſuo contra Deum, ejuſque fidem delinquentes increpabant acrius, & contemnebant ſecurius.

Hujus rei valdè illuſtria exempla ſuppeditant & Scripturæ ſacræ de variis Prophetis, Summiſque Pontificibus acriter invectis in impios ſui temporis Principes, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ de Epiſcopis ſumma libertate inſectantibus ſuæ tempeſtatis hæreticos Reges, atque Imperatores.

Vide enim ut moderatiſſimus ille vir & Galliarum lumen Hilarius Pictavienſis Epiſcopus Imperatorem Conſtantium alloquitus in libro contra Conſtantium Auguſtum: *Proclamo*, inquit, *tibi Conſtanti, quod Neroni loquutus fuiſſem, quod ex me Decius, & Maximinus audirent. Contra Deum pugnas, contra Eccleſiam ſævis, ſanctos perſequeris, prædicatores Chriſti odis, Religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, ſed divinorum. Hæc tibi cum multis communia ſunt, at verò nunc propria tua accipe. Chriſtianum te mentiris, Chriſti novus hoſtis es, Antichriſtum prævenis, & arcanorum ejus myſteria operaris*, &c. Ad hunc modum integro illo libro contra hęreticum illum Imperatorem Hilarius detonat.

Et D. Chryſoſtomus Babylam martyrem propterea ſummis laudibus celebrat *lib. 5. contra Gentiles*, quod Decium *Imperatorem multarum Civitatum, multarum gentium, immenſi exercitus Dominum, quaſi vile quoddam & nullius pretii mancipium, ſic impacta in pectus dextera è templo exegit, immenſamque famulorum circumſtupentium turbam, ſatellites haſtatos, milites ſcutatos, Præſides civitatum, nobiles alios præeuntes, alios ſequentes, ſeque denſo numero viciſſim urgentes, ipſumque in medio Imperatorem, tanquam ſemideum, auro, gemmiſque rutilantem contempſit, huncque univerſum faſtum non magis æſtimavit, quàm depictam in pariete imaginem.*

Idemque Chryſoſtomus *in hiſtoria Azariæ Pontificis* Oziam Regem ſacerdotale munus invadentem à templo expellentis omnium bonorum Epiſcoporum officium, & fortitudinem erga Reges impios deſcribens *hom. 5. de verb. Iſai.* ſic ait: *Azarias ſacerdos poſt Regem in templum ingreſſus eſt, non ut Regem, ſed ut profugum, & ingratum famulum ejecturus. Non aſpiciebat principatus faſtum, non audiebat illud Salomonis, mina Regis ſicut ira Leonis, ſed ſublatis oculis ad verum Regem cœlorum, & illud tribunal conſiderans, impetum fecit in tyrannum. Noverat enim, quod comminatio Regis ſimilis ſit iræ Leonis duntaxat iis, qui terram ſpectarent. Verum hominis, qui cœlum haberet præ oculis, quique ſic induxerat animum, ut citius vitam deponeret, quàm ſacras leges conſpiceret violari quovis cane vilior erat Rex ille. Nihil enim imbecillius eo, qui divinas conculcat leges, & qui committit peccatum, ſervus eſt peccati, etiamſi decem millia coronarum habeat in capite.*

Divus ipſe Chryſoſtomus à tota Eccleſia mirificè prædicatur, quod non minori conſtantia Eudoxiæ Imperatrici, ejuſque conjugi Arcadio ſe oppoſuerit. Ambroſius, quod Juſtinæ, ac Valentiniani obſtinatam voluntatem ſua Epiſcopali fortitudine fregerit, & Theodoſium ob cædem Theſſalonicenſem extra Eccleſiam projecerit, & poſt diuturnam octo menſium pœnitentiam deprecanti culpam, & ut in Eccleſia admitteretur ſupplicanti ægrè conceſſerit. Nec minori fiducia ſe ſe opponebant Conſtantio Imperatori magnus ac mitis Athanaſius, Oſius Cordubenſis, Leontius martyr, & Lucifer Sardiniæ Epiſcopus.

Athanaſius enim *in epiſt. ad ſolitar. vit. agen.* ita inquit: *Conſtantius iſte idem facit, quod Antichriſtum facere decuit. Novus eſt Achab, & noſtris temporibus ſecundus Baltaſar, & qui alter Pharao quo magis atteritur, eo magis obdureſcit, verus Antichriſtus, qui in gratiam hæreſis ſuæ Saulem immanitate ſequitur*, &c.

Lucifer verò reliquorum cauſam agens cum eorum omnium approbatione docet, uti prius Babylas ille martyr, cùm Chriſti fides, & honor in quæſtionem vocatur, totam illam magnificentiam Regum nihil aliud eſſe, quàm depictam in pariete imaginem, illum ambitioſum faſtum Imperatorum eſſe meram pupam & larvam, quam planè detrahere oportet, & hoc tempore Imperatori maximo non magis, quàm minimo chriſtiano parcere. Is enim cùm ea, quę ſuperius libavimus contra Conſtantium expoſuiſſet, ipſe ſibi proponens hanc communem omnium objectionem de Regibus honorandis, ita eam diſſolvit, ut multò fortius Reges omnes conſtringat, & eos Eccleſiaſticæ cenſuræ ſubditos eſſe optimè demonſtret. Sic enim ille *lib. de non procedendo in Deum delinquenti fol. 197. Videns* (Imperator) *te veritate ſuperatum eſſe, dicere es ſolitus: Sacra Scriptura præcipiunt Regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis homines eſſe ſubditos, & audet tanta & talia mihi ingerere Lucifer?*

Quid verò ille contra? *Hæc conſpicis, hujuſmodi, quæ te jubent honorare intelligis; quæ verò littera ſacra te jubent facere, illa fingis non eſſe illa, in quibus monet te Dominus Sacerdotibus obedire, illa, quæ urgent unum te exhibere ex omnibus conſervis tuis oportere, nec cuiquam* (Epiſcopo) *ſi velis Dei inveniri ſervus ſuperiorem ducere. Hæc inquit Tito 2. verſic. 15. beatus Apoſtolus, loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Si Chriſtianus es, quia & tu unus ex illis, propter quos Apoſtolus dixit: Hæc loquere & argue cum omni imperio, nemo te contemnat, utique me cum omni imperio te corripientem audire debes, non contemnere, ſi tamen Chriſtianus es. Quod ſi contempſeris, jam Chriſtianus non es; quia ſi fuiſſes*

Chriſtianus,

Chriſtianus, non contempſiſſes eum, quem Deus ordinavit ad inſtruendum plebem ſuam & eus Apoſtolus dixit: Hac argue eum omni imperio, & nemo te contemnat.

Eſt ergo, Apoſtolo Paulo teſte, in Eccleſia imperium ſacerdotale ſuper imperium civile, atque Imperator in ſuo imperio civili jure poſtulat à ſubditis obedientiam, ita Sacerdos in imperio Eccleſiaſtico pari, vel potius meliori jure exigit obedientiam ab Imperatore, qui ſi Chriſtianus eſt, Epiſcopo ſubjectus eſt, & quem humiliter audire debet *eum omni imperio arguentem.* Et hac potiſſimum defenſione nititur quoque Athanaſius loco citato.

Ratio quoque & alia eſt, cur Reges, ac Principes reprehendere poſſumus, atque iis etiam, ſi vim faciant, reſiſtere. Cum enim ſiolta ſit eorum poteſtas, ut quæ circa certam rerum civilium materiam per ſe verſatur, ad divina autem non pertingit, niſi quatenus Eccleſiæ ſubſervit, & opitulatur, ut alibi fuſius declaratum eſt, ſi quando extra terminos ſibi præſcriptos, evagari vult, quia jam non ut Rex agit, ſed ut tyrannus, hic glorioſum eſt, Regem coarguere, eique non verbo ſolum, ſed re quoque obſiſtere. Id, quod idem Lucifer admonet *lib. 1. pro S. Athanaſio fol. 55. Retineo quidem*, inquit Ille, *ſacris libris ſcriptum eſſe; noli ſuperbire coram Rege, & ſi intra terminos tua poteſtatis eſſe voluiſſes, & tum ſuperbus extitiſſem contra te, revera ipſe me, ut prævaricatorem legis condemnaſſem. Nunc verò quia homicida tibi, & ſacrilega vera dicimus, non utique tanquam ſuperbi puniri meremur, ſed magis præmiis afficiemur cœleſtibus, quod tibi erranti non pepercerimus. Scriptum eſt enim, flagellum equo, & ſtimulum aſina, virgam autem genti inſipienti, Prov. 16. v. 3.* Cum autem ſic abeſſet Princeps, & ab Epiſcopo ſuo vel acerrime reprehenditur, ne dicat, ut idem vir *alibi de non parendo in Deum delinquenti fol. 298. facis mihi injuriam Lucifer, ſed dicat, Dei Sacerdos commonet, atque hortatur ſecundum ſacra legis præcepta, ut poſſim ducere vitam Deo acceptiſſimam.*

Hoc potiſſimum clypeo ſuam loquendi libertatem tuetur Hilarius eodem in libro contra Conſtantium: *Pugnamus*, inquit, *contra perſecutorem fallentem, contra hoſtem blandientem, contra Conſtantium Antichriſtum &c. qui Chriſtum confitetur, ut neget, Eccleſia tecta ſtruit, ut fidem deſtruat, &c.* Atqui diceret adulator aliquis, hoc eſt calumniari, et mentiri, hæc eſt contra Cæſaris majeſtatem contumelia. *Imò verò*, inquit Hilarius, *ſileant iſta ineptia, ceſſet maledictorum opinio, & mendacii ſuſpicio. Veritatis enim miniſtros decet vera proferre. Si falſa dicimus, infamis ſit ſermo maledicus: ſi verò univerſa hæc manifeſta eſſe oſtendimus, apoſtolica libertas jubet, ut Conſtantium Antichriſtum dicam, & ſic eum alloquar, ut Joannes Herodem, ut Machabæus Antiochum, ut primi Chriſtiani Neronem, Decium, & Maximinum.*

Quod ſi totam utriuſque Teſtamenti hiſtoriam perluſtremus, comperiemus viros Sanctiſſimos ex eo præcipuè maximam laudem conſecutos, quod Reges regio munere abutentes, et Dei gloriæ adverſantes, ſingulari quodam modo abjicerent. Quinimò prophetica dignitas magna ex parte in id cernitur verſari, quemadmodum enim Iſaias ſuam prophetiam exorditur? *Audite verbum Domini, principes Sodomorum. Percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrha c. 1.* Quemadmodum ad prædicendum mittitur Jeremias? *Ecce*, inquit Deus, *dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna*, ut evelles & diſperdas, & diſſipes, & plantes, *cap. 1.* Quid Ezechiel *cap. 2. Mitto ego te*, ait Deus, *ad filios Iſrael, ad gentes apoſtatrices, quæ receſſerunt à me.*

Cùm conſilio Prophetæ indigerent 4. Reg. 3. *deſcenderunt ad Eliſeum, Joram Rex Iſrael*, ſchiſmaticus, *Joſaphat Rex Juda* fidelis, & *Meza Rex Moabitarum* Gentilis, quibus ejus domum ingreſſis, ita Regem ſchiſmaticum excepit Propheta: *Quid mihi & tibi eſt. Vade ad Prophetas patris tui Achab, & matris tua Jezabel.* Sed interponente petitionem ſuam Joſaphato, ita pergit Joram alloqui Eliſeus: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conſpectu ſto, quod ſi non vultum Joſaphat Regis Juda erubeſcerem, non attendiſſem quidem te, nec reſpexiſſem*, pariter o tendens qualis catholicis Regibus conveniat reverentia, & unà ſchiſmaticos, hæreticoſque Reges, atque apoſtatas ita deſpici oportere, ut eos non alloquio, imò neque vultu familiari dignemur.

Venerat in Betel, primariam ſynagogam Samariæ, vir Dei è Juda, ibique contra Regis Jeroboami ſacrilegia magna fiducia prædicaverat. Jeroboam, quamquam tyrannus, non tamen mortem intentavit, aut injecit vincula, ſed contra potius ut placeret, & blandiendo ſilentium imponeret, amiciſſime eum affatus eſt: *Veni mecum domum ut prandeas, & dabo tibi munera* 3. Reg. 13. At quid ille, ad Regem? *Si dederis*, inquit, *mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam, nec bibam in loco iſto*, ibid. *v. 7.* ubi tam nefanda hæreſi nomen Dei blaſphematur.

Denique hoc eodem prophetico zelo clariſſimus ille Mathathias, Judæ Machabæi pater, eum, reliquoſque liberos ad bellum invicto animo gerendum contra Antiochum, tunc temporis Judææ tyrannicè, quia contra religionem Dei, imperantem, exſuſcitat: *Majorum*, inquit, *veſtrorum Joſue*, Phinees, *Davidis, Eliæ fortia facta, & exempla imitamini, & à verbis viri peccatoris*, Antiochi, *ne timueritis, quia gloria ejus* & regalis majeſtas, atque amplitudo Dei legi pervertendæ intenta *ſtercus, & vermis eſt; hodie extollitur, & cras non invenietur, converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit. Vos ergo, filii, confortamini*, & contra tyrannum iſtum *viriliter agite in lege, quia in ipſa glorioſi eritis*, 1. Machab. *cap 3. v. 62.*

Quæ omnia eò pertinent, non ut Regum dominatum improbemus, aut etiam populum Chriſtianum ad ſpernendum Principes inciremus, quod eſt impium, & Anabaptiſticum, ſed ut Deum Principi præferamus, ut æternam Chriſti fidem fluxo, & caduco Regum nitori ſciamus præcellere, & quemadmodum D. Chryſoſtomus ait de verb. Iſai. hom. 4. *ut intelligamus Sacerdotium regno majus eſſe, & eſſe principatum ipſo regno venerabiliorem; ideoque Deus ipſum regale caput ſubjecit manibus Sacerdotis, nos erudiens, quod hic princeps eſt ille major.*

Abſit autem, ut quiſquam Chriſtianus ſuſpicetur ſynagogam Judæorum rectius fuiſſe ordinatam, ideoque ex ea parte præferendam Eccleſiæ Chriſti. Conferamus ergo illam cum iſta. In Lege Moſaica habemus neminem potuiſſe Judæis deſignari Regem, qui non eſſet origine & religione Judæus. Habemus expreſſam legis vocem, *non poſſe aliquem eligi Regem, qui non ſit frater Judæorum.* Habemus Pontificem in quæſtionibus de lege ſupremum Judicem, cui cum Senatu ſuo de illis decidente ab omnibus ita erat obtemperandum, ut *ſiquis ſuperbiret, nolens obedire Sacerdotis imperio*, mors illi refractatio fuerit inferenda, & à corpore Iſraelis tam impium membrum abſcindendum. Providentiſſime

cavebat lex illis, *ne Princeps legibus ſe præponeret, neve quicquam præter Pontificis, & Senatus Levitici ſententiam faceret*, *Malach.* 2. 7. Sanctiſſime præſcribebat, petendum eſſe Regi exemplar legis à Sacerdotibus Levitis, à quibus etiam interpretatio legis erat ſumenda, in eaque meditandum omnibus diebus vitæ, nec unquam poterat Rex quocunque prætextu populum ad alias Dei colendi ceremonias abducere, Deuter. 13. *v.* 6. Quare Deus Pontificem, & cum eo Senatum certum Hieroſolymis omnium de lege quæſtionum Judicem ſupremum deſignaverat, hiſque ſchiſmaticis in ſua cauſæ non magis, quàm homicidis, & latronibus in ſua credendum erat, unde ex decreto Judicis omnes illi ultima internecione erant delendi quæcunque interim pro ſe nugas, & cavillationes contingerent.

Atque in hoc Concilio, quod ex Pontifice ſummo, & ſeptuaginte aſſeſſoribus conſtabat, tota majeſtas Reipublicæ Judaicæ, maxime quoad religionem erat poſita. In hoc Concilio expreſſa erat imago ſceptri per ſpiritum ſanctum Judæ promiſſi, nec uſque ad adventum Meſſiæ auferendi, Geneſ. 49. 10. Ideoque hoc Concilium & ante Reges maxime, & ſub Regibus, & poſt Reges uſque ad Herodis tempora, quanquam aliquando Regum crudelitate, vel infelicitate temporum intermiſſum, oppreſſum, vel imminutum viguit, ut eſt omnium Hebræorum, & è Judæis doctiſſimorum legis interpretum ſententia, Joſeph. *lib.* 14. *cap.* 17. Petrus Galatin. *de arcan. cathol. verit. lib.* 4. *cap.* 5. Quod expreſſe confirmavit Rex Joſaphat, cùm cauſas civiles, vel regias à cauſis legalibus ſegregans, ſtatuit juxta antiquam Moyſis ordinationem 2. Paralip. *cap.* 19. *v.* 10. & 11. *ut Levitæ & Sacerdotes & principes familiarum judicarent cauſam Domini ubicunque quæſtio erat de lege, de mandato, de ceremoniis, & juſtificationibus, præſidente Amaria Sacerdote & Pontifice. Zabadias autem* ea tractaret, *quæ ad Regis Officium pertinebant.* Et generalem Reipublicæ Judaicæ conſuetudinem optime exponens Joſephus contra Appionem *lib.* 2. *pag* 888 *Sacerdotes*, inquit, *noſtri ſemper colunt Deum, quos ſemper regit qui genere primus eſt, qui quidem ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat leges cuſtodit, dijudicat controverſias, convictos delictis punit, eos qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.* Et rurius eodem loco, *Sacerdotes omnium inſpectores, & controverſiarum Judices, & damnatarum punitores conſtituti ſunt à Moyſe. Qui autem principatus fieri poſſit hoc ſanctior, aut quis honos Deo convenientior. Ubi & plebs univerſa eſt ad pietatem bene comparata, & Sacerdotibus concredita rerum maximarum cura præcipua.*

Hoc igitur ſtabilito per Deum ipſum tribunali, quod in Republica Judaica ſummum erat, omnibuſque aliis in Judæa civitatibus, & magiſtratibus imperabat, eratque illius Reipublicæ tanquam vita, & quo per Herodem ſublato, deſiit vera Reipublicæ Judaicæ forma, & terminata eſt lex, venitque Meſſias novam in Orbe univerſo Eccleſiam inchoaturus, hoc, inquam pontificali judicio poſito quadringentis poſtea annis creati ſunt Reges, populo intemperanter contra Samuelis, Deique voluntatem eos flagitante 1. Reg. 8. quos tamen & populi jura, & Dei item legitima conculcaturos Deus prævidit, ac prædixit 4. Reg. 17. quod in pleriſque omnibus conſequentibus Regibus nimis verum fuiſſe, hiſtoria Teſtamenti veteris declarat. Nam præter omnes Iſraelis Reges à primo Jeroboamo ad ultimum uſque Oſeam vel ſchiſmaticos, vel plane idololatras, è Judæis quoque plurimi, illis idololatris, ac divinæ legis hoſtibus apertis nihilo fuerunt meliores. Qui quoniam tyrannica potentia debitam illis divina lege pœnam erant declinaturi, Deus pro ſua infinita bonitate ac miſericordia, illo ipſo regiæ inſtitutionis tempore intermortuam jamdiu à Moyſis temporibus Prophetarum vocationem renovavit, qui divino Spiritu pleni, Regibus bonis perpetuo aſſiſtentes, ut Natham Davidi, Iſaias Ezechiæ, Ananias Joſaphato, Regeſque malos acriter coarguentes, ut Samuel Saulem, Ahias Jeroboam, Elias Achabum, Zacharias Joam, & bonos in officio ſuo, legiſque obedientia continerent, & malos conſtanter monerent, quod eſſent ſuppliciorum juxta legem promeriti, illudque extraordinariè & terribiliori forma velle Deum illis imponere, quando tyrannice viribus ſuis ordinarias & à Deo in lege præſtitutas pœnas negligerent, 1. *Reg* 13. 3. *Reg* 14. & 18. 2. *Paralip.* 24.

Ita Saul, quòd Sacerdotale Officium uſurpaſſet, per Samuelem regni jure privatus, aliuſque ab eodem Samuele Rex ungitur 1. Reg. 13. Et quanquam Saul aliquot annis contra divinam ordinationem pro Rege ſe geſſit, ibid. *cap.* 16. verumque Regem Davidem ſucceſſurem ei divinitus inſtitutum à regno adminiſtrando repulit, tandem tamen in eam miſeriam decidit, ut ipſe à ſe ipſo pœnas exigeret, & ſeipſe miſerrime interficeret 1. Reg. 31.

Propter idololatriam Salomonis diviſum eſt regnum Judææ, & longe major pars è duodecim nimirum Tribubus decem datæ ſunt Jeroboamo, qui ſtatim cum regni diviſione ſchiſma quoque religionis conjunxit, & primus in veteri Teſtamento autor fuit ſpiritualis illius in Eccleſia primatus, quem in Teſtamento novo ad ejus exemplum olim Ariani Reges, & nuper Angliæ inſtaurarunt, eaque autoritate novum Sacerdotium, novamque religionem idololatricam, veræ Hebræorum fidei contrariam in regnum ſuum induxit.

Et quoniam longè majorem Judææ partem ſuæ ditioni habebat ſubjectam, verumque Sacerdotium funditus ſuſtulerat, & quod adulterinum miniſterium ejus loco ſubſtituerat, totum à ſua voluntate pendebat, idcirco legis de ſe judicium ſevere contemnebat. Sed Deus per Prophetam denuntiat ſe cumulate executurum quod lex decreverat, & propter Regis potentiam nemo juxta legem exequi poterat. *Ecce*, inquit Dominus, *ego inducam mala ſuper domum Jeroboam; & percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clauſum, & noviſſimum in Iſrael. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cœli.* 3. *Reg.* 14. 10. Id, quod paulò poſt implevit Baaſa, *qui percuſſit omnem domum Jeroboam, non dimittit, ne unum quidem animam, de ſemine ejus, ibid. cap.* 15. *v.* 29. Cùm autem Baaſa, adeptus ſolium Jeroboam, ab ejus impietate nequaquam diſcederet, ſed ſchiſma, ab eo cœptum, continuaret, Prophete propterea eundem cum Jeroboamo interitum ei, & ſuis omnibus prædixit, quem & ſucceſſor Baaſæ Amri intulit, qui *percuſſit omnem domum Baaſa, & propinquas & amicos ejus, non reliquit ex eo*, canem, *mingentem ad parietem* 3. Reg. 16. *v.* 11.

Verum, ut alias hujus generis hiſtorias multas prætermeam, & in una celebrariſſima inſiſtam, nihil ad jus hoc, quod inquirimus, declarandum aptius eſt eo, quod de Eliſeo, & Achabo in eiſdem ſacris libris perſcribitur. Achab ſiquidem cum uxore Jezabel eiſdem majorum ſuorum veſtigiis ingreſſi,

ad

ad eorum impietatem hoc inſuper adjecerunt, ut effuſo ſanctorum hominum ſanguine, novo hoc ſcelere ſupra alios graviſſimo ſeſe commacularent. Et certè rarum eſt aliquem eſſe vehementem hæreſis alicujus defenſorem, qui non ſanctiſſimos viros tali apoſtaſiæ adverſantes crudeliter trucidet, ut olim apud Judæos ſub Herode, apud Romanos in illis decem cruentiſſimis perſecutionibus, & nuper apud Anglos ſub illa Jezabele Anglicana. Deus itaque ad naſcitium illum tyrannum cum ſua Jezabele extirpandum monet Iſaiam, ut vadat *in Damaſcum & ungat Hazael regem ſuper Syriam, & Jehu regem ſuper Iſrael, & Eliſeum ungat prophetam* 3. Reg. 19. v. 15. & 17. adjicens, quod *quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu, & quicunque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliſeus.* Quod nihil aſt aliud quàm generalem quandam occiſionem omnibus Achabitis denunciare. Atque ita, quod ſupplicium, ſi ex lege Moyſis juxta pontificalis Synodi ſententiam fuiſſet inflictum, in unica Regis ipſius morte, vel forſitan abdicatione deſiiſſet, ut in Ozia liquet, id quoniam Reges iſti legi divinæ, & Pontificum judicio ſe noluerunt ſubmittere, Deo ipſo jubente, & contemptum legis ſuæ ad exemplum aliorum longè ſeverius ulciſcente, ad omnem regiam poſteritatem, & cognationem, & amicos, noroſque extenditur.

In novo autem Teſtamento, quod non temporarium, ſed æternum eſt, ubi Pontificatus Judaicus in Chriſtianum, & cathedra Moyſis in cathedram Petri tranſlata, quanto magis neceſſe eſt per Chriſtum Jeſum omnia eſſe ad æternam ſtabilitatem quàm aptiſſime ordinata; Quanto magis hic neceſſe eſt ſanciri ſubditorum obedientiam erga ſupremos Eccleſiæ paſtores, quando non de umbris ac figuris, ut olim, ſed de iſtarum olim ſignificatarum veritate, de Dei gratia, de æterna beatitudine, de ſempiternis inferorum ſuppliciis agitur, ubi Chriſtus poſtulat tantam Eccleſiæ ſuæ rectoribus exhiberi ſubjectionem, ubi ſiquis eorum imperium ſpreverit, is Dei imperium eadem opera rejicit, dicente Salvatore Luc. 10. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui me miſit.* Hoc enim Teſtamentum *in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*, Hebr. *cap.* 8. *v.* 6. Ideoque quæcunque illic ad Teſtamenti veteris diuturnitatem conſtituta fuerant, per eſt hìc in teſtamento novo multò vigere firmius, & coli religioſius. Idque Chriſtus abundantiſſima providit, qui Eccleſiæ ſuæ paſtorem ſummum ea inſtruxit collata divinitus gratia, ut ſuper eum novi Teſtamenti Eccleſiam ædificarat, cui & fundamento, & Eccleſiæ eam tribuit firmitatem, atque robur, ut ad eam evertendam omnes & tyrannorum furores, & hæreticorum fraudes, ac inferi vires inanes eſſent, atque irritæ, Matth. 16.

Quanquam enim Petrus, cujus humeris Chriſtus hoc divinum, & longè graviſſimum onus impoſuit, homo eſſet ejuſdem cum cæteris mortalibus fragilitatis & conditionis, tamen participatione quadam à primaria illa Petra Chriſto Jeſu eam accepit ſoliditatem, ac firmitudinem, ut quemadmodum à Chriſto Petra, & Cepha, hic Petra & Petrus ac Cephas dictus eſt. Joan. 1. v. 42. Baſil. *lib. de pœnit.* ſic item à Chriſto eam habuit communicatam virtutem, ut in ſanis, & Chriſtianis religionis dogmatis *ejus fides* ab ipſiſſima veritatis regula *nunquam deficeret*, *ejus* cathedra à Spiritu Sancto nunquam deſereretur. Luc. 22. v. 32. Et quemadmodum Chriſtus à Patre, ſic iſte à Chriſto miſſus, univerſalis ejus Eccleſiæ toto orbe diffuſæ præpoſitus eſt, omneſque agnos, & oves, quas Chriſtus ſuo ſanguine redemit, eas paſcendas & regendas Petro huic ſupremo Chriſtiani gregis Paſtori commiſit.

Quæ certa veritas in Scripturis luculenter poſita, & eiſdem ſcripturis inter ſe comparatis multo luculentius deducta, ſic eſt communi ſenſu primitivæ Eccleſiæ, & omnium in ea doctiſſimorum Patrum, & Epiſcoporum, Tertulliani *de præſcript.* Origenis *hom.* 5. *in Exod.* Cypriani *de unit. Eccleſ. & epiſt.* 73. Baſilii *lib.* 2. *in Eunom.* Cyrill. *in Joan. lib.* 2. *cap.* 2. & 12. Auguſtini *ſerm.* 15. 16. 26. 29. *de Sanct. de verb. Domini ſecundum Joan.* 49. *Annot. in Job. cap.* 30. *in pſal. contra partem Donati. & in pſal.* 69. Epiphanii *in Ancor.* Hieronymi *in Jovin. in cap.* 2. *Iſai.* & *cap.* 16. *Hierem.* Ambroſii *ſer.* 47. Leonis *ſer.* 2. *de anniv. & epiſt.* 89. Hilarii *in Matth. cap.* 16. Proſperi *de vocat. gent. lib.* 2. *cap.* 28. Chryſoſtomi *in Matth. homil.* 55. & *in pſal.* 50. *hom.* 2. Gregorii *lib.* 4. *cap.* 32. & 76. confirmata teſtimoniis, etiam adeo perſpicua ipſorum hæreticorum, qui doctiores ſunt, & in aliquorum monumentis mediocriter veritati roborata confeſſionibus, quas ipſa rei notiſſimæ manifeſta veritas expreſſit, ut hac certo nihil ſit in Chriſtiana theologia clarius, nihil magis munitum, & invictum, Magdeburg. *cent.* 3. *cap.* 4. *centur.* 4. *cap.* 7. *centur.* 5. *cap.* 4.

Quoniam autem huic Pontifici tam difficilem, & immenſam provinciam adminiſtraturo legitima neceſſariò tribuenda erat auctoritas, ideo Chriſtus, ne quid tanto muneri optime perfungendo deeſſet, claves regni cœlorum illi tradidit, unico verbulo poteſtatem, quanta maxima cogitari poteſt, deſignans, tum eam, qua Eccleſia cœleſte Chriſti in terra regnum gubernetur, tum etiam eam, qua eadem Eccleſia ad æternum cœlorum regnum perducatur, quàm etiam, ut omnis præcideretur cavillandi occaſio, uberius explicavit cùm adjecit, ita Deum in cœlis perpetuò Paſtoris hujus in terra prolatam ſententiam firmaturum, *ut quodcunque ligaret in terra*, id Deus item aſtringeret in cœlis, & rurſus, *quodcunque is ſolveret in terra*, id quoque Deus ſolutum haberet in cœlis.

Quibus verbis manifeſte continetur, quidquid ad bonum Eccleſiæ regimen requiritur, quidquid ad fidem ſtabiliendam eſt neceſſarium, quidquid ad diſciplinam ſanciendam eſt commodum, quidquid ad profligandos ab ovili Chriſtiano hæreticos, eſt utile, ſive ſeveritate opus ſit ad reſtringendum, ſive lenitate & clementia ad relaxandum, quoad iſta enim omnia quodcunque in terris ſolvitur, vel ligatur, idem in cœlis quoque laxatur, vel aſtringitur, neque D. Chryſoſtomus in hæc verba Chriſti ſcribit hom. 5. de verb. Iſai. *A terra judicandi principalem autoritatem ſumit cœlum. Nam Judex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſervum, & quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in ſupernis comprobat.*

Huic item ſpectat extremum illud Chriſti è mundo ad cœlos aſcenſuri præceptum, quod Petrus oves, agnoſque ſuos paſcere atque regere jubetur, Joan. 21. Id enim totum vox Chriſti manifeſte comprehendit. Paſcendi autem & regendi Officium quid flagitet, communis vitæ conſuetudo, communis civitatum, & rerum publicarum gubernatio, facile declarat. Certe bonas leges ferre, malas tollere, artes honeſtas alere, inhoneſtas prohibere, à quorum commerciis abſtinendum ſit, ad quæ ſtudia incumbendum, qui amandi, ut cives, qui cavendi, ut proditores, quando contra inimicos pugnandum, quando ut

in altiſſima pace quieſcendum, hæc omnia civibus ſuis civitatis rectorem debere præſcribere, tam eſt manifeſtum, quàm evidens eſt paſtoris officium requirere, ut à ſanis ovibus morboſas arceat, ut ſalutaria eis paſcua provideat, ut ovile contra lupos probe ſepiat, ut eos è caulis ſuis baculo paſtorali arceat, vel etiam ſi quando ad mactandum oves irruant, gladio paſtorali jugulet.

Hæc autem poteſtas, etiamſi ſingulari modo in Petro, Apoſtolorum Principe, excellat, quia tamen certo quodam modo eſt cum Apoſtolis & Paſtoribus omnibus communicata, ejus uſum & praxim in Apoſtolicæ Eccleſiæ moribus ſi contuemur, ſtatim admirabimur Dei in ſervis ſuis potentiam, & ſuſpiciemus, nobiſque ipſis imitandam proponemus egregiam primorum Chriſtianorum erga paſtores ſuos reverentiam atque ſubjectionem. Siquis enim hæreſim docebat, nec monitus vellet ab ea diſcedere *tradebatur Satanæ, ut diſceret non blaſphemare* 1. *Timoth.* 1. 20. quem aliquando Satanas viſibili quadam ratione ita invadebat, & miſerrime vexabat, ut hæreticus ille jam tum pœnas quaſdam inferni perſentiſceret, ſemper autem à Chriſtianis certò credebatur adeò funeſte Chriſti præſidio orbatus, & à dæmone obſeſſus, ut eum non aliter, quàm verum diaboli membrum exhorreſcerent, ideoque ſæpe luctu & mœrore vir ille ad deſperationem pene adigebatur, Chryſoſt. *in* 1. *Corinth. cap.* 5. *homil.* 15. & *in* 1. *ad Timoth. hom.* 5. e. Coeloth. c. *v.* 6. *Act.* 5. & 13. Nonnunquam cæcitatem, aut ſimilem vexationem inferebant. Interdum etiam præfecti morte plectebant, ſemper quoties Chriſtianorum aliquem, ſive ob hæreticam fidem, ſive ob nefariam vitam communione Eccleſiaſtica privabant, Chriſtianos reliquos ita inſtituebant, ut cum eo vel cibum capere, vel in domo eadem manere, vel familiariter colloqui, vel prætereuntem ſalutare, vel ullum civile Officium exercere nefas ducerent. Ut autem Apoſtoli hac à Chriſto poteſtate præditi, non glorioſe, ſed verè illud de ſe prædicant: Si Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia? 1. Cor. 3. v. 3. & 2. Cor. 10. *v.* 4. *habere ſe arma militiæ potentia Deo ad deſtructionem munitionum, arma quibus deſtruunt conſilia, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & ulciſcuntur omnem inobedientiam*, utque comminatur Corinthiis Apoſtolus 1. Cor. 4. *v.* 21. *vultis in virga veniam ad vos*, ſuam eos corrigendi & caſtigandi potentiam ſignificans, ita in Chriſtianis alias nihil magis idem Apoſtolus commendabat, quàm ſummam erga ſuos paſtores humilitatem, & reverentiam, quam in Romanis potiſſimùm extollit, & generaliter omnibus Chriſtianis præcipit, Rom. 16. 19. *obedite*, inquiens, *præpoſitis veſtris, & ſubjacete illis: Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

Ac his quidem regendi, parendique moribus inchoata & perfecta Eccleſia Chriſti, à Hieroſolymis incipiens, in omnes Aſiæ, Africæ & Europæ provincias ſeſe effudit, doctiſſimoſque philoſophos, oratores omnium ſcientiarum peritiſſimos ſibi ſubjecit *Philip.* 1. 12. *Heb.* 13. 17. Et tandem etiam Orbis terrarum Imperatores juxta Prophetarum vaticinia ſibi ſubjugavit. Sic enim perſpicue de ea prædixerat Iſaie 60. 10. *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi. Aperientur portæ tuæ jugiter, ut afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur. Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Ita omnino admiranda Dei providentia factum eſt, ut quemadmodum in veteri Teſtamento poſt ſacerdotium ordinatum, legeſque, & cæremonias, & ſacrificia deſcripta, quibus ſynagoga conſtabat, multa ſecula interjecta ſunt priuſquam regium nomen apud Judæos auditum ſit, quo tempore toto nihil ad ſui perfectionem deſideravit Synagoga, & poſt item deletis Regibus, Synagogæ ſtatus nihil propterea imminutus, aut immutatus eſt, ſed antiquam ſuam formam retinuit, donec adveniente Meſſia, ejus finem exitus à Deo præſtitutus advenerat; non aliter in novo Teſtamento Eccleſia Chriſti perfecta, ſuiſque omnibus numeris abſoluta plerasque omnes cogniti terrarum Orbis provincias complexa eſt, & tanquam fructuoſa arbor, altis defixa radicibus, è parvis initiis exorta ampliſſime dilatavit ramos ſuos, trecentis annis, priuſquam Imperator, aut Rex aliquis publice in ejus ſe communionem adſcripſerit, imò cum Imperatores, ac Reges omnes regnorum, & imperiorum ſuorum nervos intenderent, ut quibuſcunque poſſent artibus ac viribus arborem hanc ſtirpitus excinderent, cumque deinceps Imperium in varias eſt partes diviſum, nunc in Oriente, nunc in Occidente, aliquando inter duos, quandoque inter tres, nonnunquam etiam inter triginta Reges, vel tyrannos potius, ut ſub Auguſtulo dilaceratum, nunquam tamen propterea Eccleſiaſticæ politiæ quidquam vel acceſſit, vel deceſſit, ſed vel ſub uno Imperatore, vel ſub multis, vel etiam ſub nullis, aut cùm Imperatores hoſtes eſſent, eodem ſemper tenore progreſſa eſt Eccleſia, eandemque ſemper tenuit gubernandi formam, ut Pontifices præeſſent, alii quocunque nomine appellati ſubeſſent, illi eſſent paſtores, hi oves.

Ex quo item eſt evidens perpetuam, & immutabilem Eccleſiæ politiam Imperatoris baptiſmo nihil fuiſſe variatam, ideoque neceſſe fuit cum Imperatores, Regeſque, veritatis Chriſtianæ conſtantia convicti in Eccleſiæ corpus per baptiſmi ſacramentum inſcribantur, in ovium, & ſubditorum numerum fuiſſe ſuſceptos. Id quod etiam Iſaias clare deſignat, cùm ait *cap.* 60. *Reges miniſtrabunt Eccleſiæ. Regnum, quod tibi non ſervierit, peribit. Venient ad te curvi filii eorum*, Imperatorum, *qui prius*, perſequendo, *humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Ex quo item eſt conſequens, in nos non minus quàm alios ea omnia Chriſti, & Apoſtolorum præcepta convenire.

Quare ſi Rex jam Catholicæ & Chriſtianæ Eccleſiæ membrum effectus per baptiſmum, *Eccleſiam non audierit*, ſit Chriſtianis reliquis *tanquam Ethnicus, & publicanus.* Si Rex apoſtata, vel hæreticus evaſerit, *tradatur ſatanæ in interitum carnis, ut diſcat non blaſphemare.* Si Rex ſit hæreticus, abſtineatur ab ejus conſortio, congreſſu, ſalutatione, *ſubjaceat Rex, & obediat præpoſito ſuo, qui pro ejus anima vigilat, rationem Deo redditurus.* Habet paſtor *virgam*, habet baculum, quo hunc Regem, ovem Chriſtiani gregis caſtiget. Epiſcopus eſt apoſtolica autoritate præditus, qua & *Angelos judicabit*, quanto magis Regem ſecularem, quoad ea, in quibus contra Eccleſiam Chriſti, & Chriſtianam pietatem offenderit. Et de hac conſequentia quis dubitare poteſt, qui Chriſtianæ doctrina vel leviter tinctus eſt? *Gregis enim mei ovis es*, ait ad Imperatorem ſuum Gregorius Nazianzenus, & *quid Imperatori honorificentius eſt, quàm ut dicatur filius Eccleſiæ?* inquit ad Valentinianum Ambroſius, & uſque adeo Epiſcopo ſubjectus eſt Imperator, ut ſi ab eo excommunicatus, vel ingredi Eccleſiæ limen audeat, ſtatim eo facto ex Imperatore juſto degenerat

In

in impium tyrannum, inquit ad eundem Theodoſium idem Ambroſius.

Neque ex variis titulis, quos ex præclariſſimis victoriis multos, omneſque glorioſos adeptus eſt Carolus ille Gallorum Imperator, nomine Magnus, ſed re Maximus, ullus fuit illuſtrior, quàm quo ſe Catholicæ Eccleſiæ *humilem adjutorem* vocavit, vel, ut aliàs, *filium, & defenſorem ſanctæ Dei Eccleſiæ* in litteris ad Archiepiſcopum Toletanum *tom. 3. Concil. pag.* 247. Eſtque hoc longè excellentiſſimum beneficium Regibus paganis ad Chriſtum converſis per Chriſti fidem, & doctrinam collatum, quod cum prius eorum regnum, etiam cùm optime gereretur, erat mere politicum, mundanum, profanum, carnale, & à vera ſanctitate alienum, jam per Chriſtianam profeſſionem, qua ipſi in filios Dei, & Eccleſiæ mutati ſunt, eorum quoque ſceptrum, ſacrum, religioſum, Eccleſiaſticum, ſpirituale, & ſacerdotale quodammodo effectum eſt, quia ad eandem Chriſti Eccleſiam cum ſacerdotibus ſuo modo regendam, admittuntur, & roborandis Spiritus ſancti, divinis ſanctionibus edita per eos, *quos Spiritus ille poſuit regere Eccleſiam ſanguine Chriſti acquiſitam*, eorum ſceptra inſerviunt, id, quod ipſiſſimum eſt Regum miniſterium tantis antea ſeculis à Prophetia prædictum, & in eo præcipue vertitur regiæ poteſtatis natura, quando in hominem Chriſtianum incidit.

Etſi enim Regum, quatenus reges ſunt, officium eſt leges civiles ferre, tamen cum Chriſtianus homo commiſſum ſibi à Deo regimen quodcunque accipit, primo loco Chriſtiana fides eſt attendenda, ac diligentiſſime providendum, ut omnes de civili regimine leges cum legibus Chriſtianis conveniant, & ſi quando in præjudicium, damnumve Religionis eæ leges cedunt, in regali officio graviter peccat, niſi leges eas corrigat, & ita formet, atque immutet, ut ne profeſſioni Chriſtianæ noceant. Et quemadmodum apud paganos Principes in particularibus legibus ſcribendis ſuprema, & generalis regula, qua ſua omnia cogitata, conſulta, reſponſe, inventa dirigebantur, erat illud, *Salus populi ſuprema lex eſto*, Cicero *de legib. lib.* 2. Ita apud Chriſtianos quorum regna Chriſto ſubjiciuntur, quorum imperia ad ſalutem animarum, ac felicitatem æternam tendunt, quæ ſola Chriſti fide comparetur: hanc ſibi fidem Principes in omnibus particularibus ſtatutis perpetuò proponere debent, illudque ut firmum & indubitatum tenere: *Salus animarum*, æterna beatitudo, catholica fides, Chriſti *ſuprema lex eſto*, qua omnes aliæ Reipublicæ leges dirigantur, cum quibus pugnantia Regum, vel populorum decreta non magis Chriſtianæ leges cenſendæ ſunt, quàm illa tyrannorum juſſa vocandæ ſunt leges civiles, quæ ad unius tyranni privatum commodum ſpectantia, totius Reipublicæ utilitatem evertunt. Atque hunc fuiſſe ſenſum ac ſententiam omnium veterum Imperatorum, omniumque bonorum Regum hiſtorici demonſtrant, idemque convincit particulares ſingulorum Europæ Regum tùm Reges creantur, inauguratio, ex quo vere Chriſtiano fundamento fluxit illa in plurimis regionibus praxis, ut populi nonniſi Eccleſiaſtica autoritate Principes ac Reges ſibi voluerint præficere.

Quamvis enim, ut ſuprà docuimus, regia poteſtas, non à fide, ſed à naturæ, ſuam duxerit originem, omneſque legitimæ hominum ſocietates eam habeant vim à natura ipſis inſitam, ut ad commune bonum tuendum & publica detrimenta arcenda Magiſtratus ſibi poſſint, quos velint aſciſcere, tamen post Romani imperii inclinationem, quod à Julio Cæſare inchoatum, Saracenorum viribus ita eſt fractum, ut ducentis poſt Mahumetem annis plane videatur corruiſſe, aut certe in ſummas quoad Occidentem anguſtias redactum, quæ Regna, & imperia emerſerunt inter Chriſtianos, pleraque non tam populorum voluntate, quàm Eccleſiaſtica poteſtate, populis tamen idem ipſum volentibus, & ut fieret exoptantibus inſtituta ſunt. Quia etſi publica rerum terrenarum commoditas populari prudentia, & acumine diſcerni poterat, atque naturali ſagacitate provideri, an regnum, vel aliter principatus cujuſcunque generis tali ſocietati futurus eſſet commodior, tamen quia idem Chriſtiani ſciebant regionem ſuam fuiſſe generalis corporis Reipublicæ chriſtianæ membrum particulare, cujus privato bono ſic erat conſulendum, ut prius ad commune bonum totius attenderetur, idcirco eundem Regem poſtulabant à generali Chriſtianorum Pontifice, quem Chriſtus Eccleſiæ totius quaſi *in ſublimi arce ſpeculatorem* poſuit, ut inquit Auguſtinus *contra Epiſt. Pelag. lib.* 1. *cap.* 1, quo ille ſimul animadverteret, & quemadmodum cum univerſalis Eccleſiæ bono particularis illius provinciæ utilitas conſiſteret.

Ita cùm in Hiſpania, inſuliſque maris mediterranei nimis augerentur Saracenorum opes adeo, ut bonam etiam Galliarum partem occuparent, per Italiam autem omnia affuſe popularentur Longobardi, nec afflictis miſerabilem in modum provinciis aliquam opem præſtarent Imperatores Græci, partim in hæreſim lapſi, partim de Republica non ita ut par erat, ſoliciti, Italiæ, Galliæ ac Germaniæ Chriſtiani communi quodam deſiderio ſeparandum ab Oriente Occidentem cenſuerunt, & novo Imperatori Occidentem committendum, eam tamen curam in Pontificem Leonem tertium rejecarunt, qui cum Chriſtianorum eo tempore miras difficultates mature expenderet, videretque imperii Græci onus in imbecillis fœminæ, nec Cæſareo ſanguine ortæ, humero reſediſſe, quæ ad Europam contra Barbaros defendendam nihil omnino poterat, ſimulque egregiam Francorum pietatem, & in bellis gerendis mirabilem fortitudinem, ac præclariſſimas victorias à Deo contra infideles Saracenos, Germanos, Saxones, Bavaros, Hungaros, & Longobardos illis datas perſpiceret, communi prudentiſſimorum Romæ, Italiæque Senatorum conſilio, in eam ſententiam conceſſit, *Italiam nunquam fore quietam, niſi Carolus Urbis Romanæ Conſul, & Tribunus perpetuus præſens in Italia operam daret, ne quid illa detrimenti caperet, & ſua autoritate Reipublicæ ſtatum componeret*, Paul. Æmil. *lib.* 3. & Aventin. *in Annal. lib.* 4. Quamobrem Carolo paulo poſt Romam adventanti ad aram D. Petri diadema Imperatorium impoſuit, *ingenti aſſenſu procerum, qui undique in Urbem admiratione Caroli, Francorumque convenerant.* Eumque ſacro oleo perfudit, populo univerſo acclamante, *Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria*; moxque ab omnibus adſtantibus, *Auguſtus Imperator* eſt appellatus, Paul. Æmil. *loc. cit.* Regin. *lib.* 2. eodemque tempore idem Pontifex Leo filium item Caroli Pipinum inunxit, eumque ſolenni decreto Italiæ Regem pronunciavit, Platina in Leone tertio.

Nec quiſquam alicujus nominis, vel in Occidente, vel in Oriente tunc temporis, nec poſtea ad noſtram uſque ætatem dubitavit, quin hoc tanquam pleniſſimo jure Carolus ad Imperium ſit juſte elatus; Ipſa quidem Græcorum Imperatrix Irene, & paulo poſt

Nicephorus Imperator, miſſis ſtatim in Italiam legatis cum Carolo pacem & fœdus ſtatuerunt, Imperiumque his terminis diviſerunt, ut alter Orientis, alter Occidentis Auguſti, fratreſque eſſent, ac dicerentur. Ea pars Italiæ, quæ hinc à Neapoli, illinc à Siponto incipiens ſupero, infatoque mari clauditur verſus Auſtrum, à Græco, reliqua pars à Franco jure pereret, exceptis iis, quæ erant Eccleſiaſticæ ditionis. Inter duo Imperia medius cardo Venetiæ utrinſque Imperii majeſtatem piè conſervarent, Plat. *ibid.* & Paul. Æmil. *eo lib.* 3. ita ut præter mediam Italiam, & Germaniam, quæ eſt inter Danubium, & Savum flumina, totam Galliam, Saxoniam item, utramque Pannoniam, Iſtriam, Aquitaniam, Gaſconiam magnamque partem Hiſpaniæ, iſtud Caroli, & Francorum imperium complecteretur. A maritimis autem Dalmatiæ Imperatorum Conſtantinopolitanorum incipiebat. Quam item diviſionem Michael Curopalates, vel Rigabis, & alii, qui deinde ſecuti ſunt in Græcorum Imperio comprobarunt.

Et quanquam deinceps Caroli poſteris hæc Imperialis dignitas hæreditarie Eccleſiaſtico decreto facta eſt, ea tamen conditio adjecta eſt, ut nec ſine Pontificis aſſenſu honor ille tribueretur, ac penes eundem Pontificem remaneret libera judicandi facultas, utrum is, qui ſanguinis ſucceſſione proximus erat, ingenio item ac prudentia valeret officium imperatorium adminiſtrare. Nam quid abſurdius erat quàm potentiam inſtitutam ad Chriſtiani populi ſalutem, tali homini tradere, qui vel præ ſtupiditate neſciebat ea recta uti, vel præ malitia eam volebat ad Chriſtiani populi perniciem convertere?

Diù itaque retenta eſt ea conſuetudo, ut Pontifices ipſi Romani Imperatorem inungerent, eique de ſua manu Auguſtæ Majeſtatis inſignia traderent, ut Stephanus Pontifex Ludovico Pio, qui filium Lotharium, natu majorem Imperii ſocium deligens, & Italiæ Regem declarans, eundem ad Pontificem miſit, à quo in Baſilica S. Petri inungitur, & Auguſtus declaratur. Cùm autem Lotharius poſtea filium ſuum Ludovicum Imperatorem creari, eique Romanos jurare voluiſſet, Eugenius Secundus, optimus Pontifex, ex ſimplici presbytero propter ſingularem ſanctimoniam Pontificatum ſummum adeptus, quia eum gerendo Imperio ineptum prævidebat, liberè reſtitit, & ut patri quidem ſacramentum fiat *permitto*, inquit, *at ut Ludovico filio hoc tribuatur, nec ego, nec omnis Romana nobilitas conſentit*, Hiſtoria Eccleſ. Remens. *lib.* 1. *cap.* 18. Aimon. *lib.* 4. *cap.* 111. & 104. & *lib.* 5. *cap.* 28. Platina *in Paſchali primo*, & *in Eugenio ſecundo*.

Manſit itaque Imperium hoc modo ad aliquot annos in Caroli poſteritate, tandem verò, ut eſt continua Imperiorum viciſſitudo, divulſa in varios Principatus Germania, Gallia, Italiaque, Caroli que poſteris à majorum pietate, ac fortitudine multum degenerantibus, converſiſque ad rapinas, & ſpoliationes templorum, quæ Carolus Magnus magnis ſumptibus extruxerat, & multis ornamentis, opibuſque locupletaverat, cùm propter varios tyrannos undique emergentes res turbatiſſimæ eſſent in Italia, Germaniaque, de Imperio ſurſus inſtaurando Chriſtiani proceres cœperunt cogitare. Quo tempore magnum erat in Germania Othonis nomen, & propter pietatem, & propter fortitudinem bellicam, qui ex Italia Saracenos, Græcoſque illis adhærentes profligans, Romanæque Eccleſiæ, poſt magnam tempeſtatem magnam tranquillitatem reſtituens, omnium Germanorum Principum primus Imperiali corona donatur à Romano Pontifice Joanne ejuſque benedictione, atque conſecratione, ut ajunt hiſtorici, primus Imperator factus eſt, Genebr. *in chron. an.* 995. Baptiſta Egnat. *Rom. Princ. lib.* 3. *in Arnulpho* & in Othone, Lambert. Schafnaburg. *de reb.* Germ. *an.* 692. Sigibert. *an.* 963. Paul. Æmil. *hiſt. lib.* 3. *in Rege* 33.

Licet enim majores Othonis Magni Principes eſſent, rebuſque præclare geſtis egregium fecerant honorem, & famæ celebritatem adepti, tamen poſt Imperium juſta ſobole, & agnatione Caroli Magni ablatum, primus hic Otho juſtus, legitimuſque Cæſar numeretur, eo quod Conradus, Henricuſque majores ejus, qui magnum ſibi nomen comparaverant, Pontificis autoritate, benedictioneque caruerunt, Æmil. *ibid.* Neque verò taliqui Chriſtiani Principes fremuerunt, aut ipſi Franci, quorum maxime intererat, tumultus aliquos concitarunt, quaſi magna aliqua ipſis injuria fuiſſet illata, quod à Caroli Magni progenie ad Othonis ſtirpem ſuprema illa in Orbe Chriſtiano majeſtas fuiſſet tranſlata, ſed contra ut primum Otho à Pontifice Romano coronatus in Germaniam reverſus eſt, ad eum concurſus totius orbis terrarum fiebat. E Francia Francus Rex cum fratre Carolo, & matre, & magiſter equorum Hugo Capetus, poſtea Rex, gratulandi cauſa affluere. Duces nobiliſſimi genere, factiſque comitabantur. Totius Latini nominis proceres aderant, & ſummi Græcorum viri, quod Nicephorus Græcorum Auguſtus Theophaniam filiam Othonis filio per oratores deſpondebat. Feſti, celebreſque dies cum omni magnificentia, & hilaritate acti. Nunquam Francicum nomen junctius Germanico fuit adeo, ut quotquot in orbe terrarum fuerunt Chriſtiani Principes, ipſique qui præ reliquis majorem habebant expoſtulandi cauſam Franci & Græci, publica gratulatione teſtificari ſunt Pontificia judicium ſumma ratione nixum, ſibi nequaquam diſpliciuiſſe, Æmil. *loc. cit.*

Sed cùm hoc Pontificis novum Imperatorem eligentis factum præſentibus tantum malis mederetur, futuris autem non occurreret, nec ſtabilem aliquam vel diuturnam quietem promitteret, & vere proclivis erat lapſus Reipublicæ Chriſtianæ in priſtinas calamitates, niſi certus ordo iniretur, eos deinceps præcludendi ab imperio, qui pueri, infantes, poſthumi ſimplices, ſtupidi, & effœminati eſſent, quales erant Francorum nonnulli, & ex quo priores omnes miſeriæ emanaverant, illa conſiderans Gregorius quintus, magna ſapientia Pontifex, ut deinceps certa, & ſtabilis eſſet Imperatorum deligendi ratio, ne a patris indulgentia in multas partes rurſus dilaceraretur Imperium, ſed ei præficeretur ille ſolus, qui & propter catholicam religionem quod in primis erat Chriſtiano Imperatori neceſſarium, & etiam propter heroicas virtutes, quæ proximo loco erant requirendæ, imperio gerendo eſſet idoneus, has ob cauſas cum Chriſtianorum Principum aſſenſu legem tum poſuit, qua Germanorum nobilitati, qui hoc tempore de re Chriſtiana non minus præclara, quàm ſuperiori ſeculo Franci erant promeriti, Imperialem dignitatem perpetuam aſſignavit, quæ lex ad hodiernum uſque diem viget, qua tribus Archiepiſcopis, Moguntino, Trevirenſi, Colonienſi, & totidem laicis Germaniæ Principibus, Saxoniæ Duci, Palatino Comiti, & Brandeburgenſi Marchioni, & ſi quando horum in diverſis Imperatoribus eligendis ſuffragia eſſent paria, Duci Bohemiæ, Imperantis electio attribuitur, ita nimirum, ut quem illi deſignarent, *is diceretur Cæſar; & electus*, & quum à Romano Pontifice confirmatus eſſet, & coronatus,

nunc

tunc haberetur *Imperator Auguſtus*, Plat. *in Gregor. V.* Pental. *de vir. illuſtr. Germ. p. c. in Gregorio V. & Orbon. III.*

Et quanquam de hoc inſtituto diſſentiant aliquantulum hiſtorici, quod hoc nonnulli ad poſteriora tempora, & Gregorium alium, non quintum, ſed decimum revocant, tamen quoniam major hiſtoricorum pars, & major rationum ad veritatem proximè accedentium copia Gregorio quinto hoc adſcribit, & utcunque ponatur, ad ſummam concluſionis noſtræ nihil intereſt, quandiu utrique à ſummo Eccleſiæ chriſtianæ Paſtore id factum concedunt, non puto operæ pretium prolixius vel in reconciliandis ſcriptoribus, vel in veritate ſubtiliter indaganda perſiſtere. Videatur Genebrard. *in chron. an.* 995. Onuphr. *in chron. & cap. Venerabilem de elect. lib.* 1. *tit.* 6. *decret.* ac Bellarminus ſuperius citatus.

Eodem ferè tempore Hungaria ad fidem Chriſti converſa eſt ſingulari Stephani Principis ſtudio ac diligentia, quem egregie populi Hungarici benevolentia, & conſenſus regali majeſtate judicavit digniſſimum, qui propter magnam pietatem poſt mortem in Sanctorum numerum relatus, dignitatem oblatam noluit ſuſcipere priuſquam, conſultus per Legatos Pontifex, eum ſibi honorem Apoſtolicæ Sedis decreto aſſignaſſet, Cromer. *lib.* 3. *de reb. Polonia*, Genebrard. *an.* 984.

Rogerius quoque, Siciliæ Comes cùm bello Romanum Pontificem Innocentium Secundum, & Cardinales cepiſſet, moxque, mira modeſtia uſus, liberos feciſſet, eamque ob cauſam facilè quæ volebat pleraque à Pontifice obtineret, Regni tamen titulum, quem maximis præmiis & pollicitationibus impetrare contendebat, aſſequi non potuit, Platina *in Innocentio II.* Ejus autem hæres Gulielmus, qui armis magnam Apuliæ, Calabriæque partem occupaverat, ab Adriano IV. utriuſque Regni & Siculi, & Neapolitani titulos obtinuit, etſi Conſtantinopolitani Imperatoris orator, Beneventum ad Pontificem veniens, id ne fieret vehementer intercederet, Platina *in Adriano IV.*

Alphonſus quoque Portugalliæ Dux, etiamſi cum quinque ſimul Saracenorum Regibus bellum committens, eoſque profligans, ab univerſo exercitu Rex ſalutaretur, poſtea tamen quadraginta ſex annos in principatu honoratiſſimè degens, Regem ſe vocari paſſus non eſt, donec ab Alexandro Tertio regium nomen & diadema fuiſſet conſequutus, Genebrard. *in chron. an.* 1116. & 1180.

Alia multa ſunt hujus generis in chriſtianis Regnis exempla, quæ verum chriſtiani Regis, & Regni naturam in religione vel maximè poſitam eſſe demonſtrant. Utque olim ante annos ferè mille fortiſſimus, idemque valde religioſus Hiſpanorum Rex Bambe prohibuit ſe Regem appellari, antequam per Archiepiſcopum Toletanum eſſet ſolenniter unctus, & coronatus, Jo. Magn. *Gothic hiſt. lib.* 5. *cap.* 22. Quod etiam de Henrico V. Anglorum Rege produnt annales Anglicani. In qua unctione, & coronatione ſemper continetur obligatio ad defendendum Eccleſiam catholicam, ſic eadem cæremonia, cùm in Teſtamento novo tantum ſit ſacerdotalis, non regalis, & à Sacerdote Summo cum pleriſque omnibus Europæ Regibus communicata, convincit eorum Regna ad Sacerdotium chriſtianum, & fidem catholicam tuendam eſſe comparata, ideoque legitime Reges chriſtianos dici non poſſe, qui non ſinunt ſe à Sacerdotibus in Reges inungi eum in finem, ut admoneantur *per præſentem illam ſanctæ unctionis infuſionem Spiritus paracleti benedictionem eis infundi, ut infideles expugnent, juſtitiam colant, benè, vel malè meritos remunerent*, ſed inprimis ac potiſſimum, *ut Eccleſiam ſanctam, & fidem chriſtianam defendant ad decus, & laudem Chriſti, qui Rex Regum eſt, & à Patre oleo exultationis unctus præ participibus ſuis.* Quod niſi credant, & opere complere laborent, neque verè ſub Chriſto Rege Reges ſunt, neque cum Chriſto, id eſt uncto, aliquam habent unctionis participationem, neque jure chriſtiano chriſtianos in baptiſmo unctos regere poſſunt, quocunque jure, & modo, & à quibuſcunque electi in regali faſtigio ſint collocati.

Verum iſta prima Regum ordinatio minoris eſt ponderis, & fieri poteſt, ut aliquando ſine expreſſo Pontificum ſuffragio chriſtiani Reges eſſi iantur. Sic enim & in Hiſpania eveniſſe legimus, ubi à Saracenis oppreſſi Chriſtiani, Reges ſibi contra eorum furorem Pelagium, Hiſpaniæ Regum, qui deinceps ad hodiernum uſque diem regnarunt, ſtirpem, eodemque tempore Garziam, Navarræ, & Aragoniæ Regum autorem, Reges ſuos fecerunt, Genebrard. *in chron. an.* 714. Jo. Vaſeus *in chron. Hiſpan. cap.* 17. Et aliquot poſtea ſecula, illa, quem Pontifex Romanus ſacrarat Imperatorem Germaniæ Otho tertius, Principem Poloniæ tum Imperio Germanico ſubjectum, ab obedientia Imperatorum deinceps abſolutum, ad regiam dignitatem extulit, Gagnin. *rer. Polonic. to.* 1. *in Boleslao. I.* Munſter. *coſmogr. univ. lib.* 4. *an.* 1000. Genebrard. *in chron. an.* 1080. & 998. Nec diu poſt Uratislaus eo tempore Bohemiæ Dux, ab Henrico Imperatore Moguntiæ in comitiis Imperialibus Rex declaratus eſt, miſſuſque cum eo Pragam in Bohemiam Trevirorum Archiepiſcopus, qui eum coram provincialibus Regem inungeret, & regalibus adornaret inſignibus. *Æneas ſylv. in hiſt. Bohem cap.* 22. & quin alii Duces, Principeſque eodem modo talibus honoribus amplificati fuerint, non eſt valde controverſum.

At verò, ut omnes illi quocunque modo honores eos adipiſcantur, ſi chriſtiani ſunt, ſummo Eccleſiæ Paſtori ita ſubſint, ut ab eo poſſint corrigi, adeoque excommunicari ac deponi, ſi in hæreſim incidant, vel contra Reipublicæ chriſtianæ generale bonum graviter delinquant, hoc adeò certum eſt, quàm certum eſt eundem Regem eſſe chriſtianum, eſſe chriſtiani gregis ovem, quàm certum eſt, eum eſſe Eccleſiæ chriſtianæ filium, eſſe in Eccleſia Chriſti baptizatum, eſſe Eccleſiæ Chriſti diſciplinæ ſubjectum, eique præeſſe in Eccleſia catholica Epiſcopum, qui pro ejus anima Chriſto ſupremo Judici rationem eſt redditurus. Eſt enim hoc non humani juris, ſed divini, non mutabile, ſed æternum, non in cujuſque vel Regis, vel populi libera voluntate poſitum, ſed expreſſè à Chriſto, & Apoſtolis mandatum.

Neque verò alicujus rei praxis fuit omnibus ſeculis in orbe chriſtiano magis clara & illuſtris. Et hoc propriè erat initium Imperii Græcis eripiendi, & conferendi Francis. Neque enim Imperium Conſtantinopolitanum è Pontifice inſtitutum eſt, ſed poſtquam in Conſtantino Magno chriſtianum effectum eſt, perpetuò Imperatorium honorem vel ſucceſſione, vel militari electione collatum retinuit, eoſque Eccleſia tota, ut legitimos Imperatores venerabatur. Cùm tamen Philippicus, Conſtantinopolis Patriarcha catholico in exilium acto, hæreſiarcham ſuffeciſſet, ejuſque dogmata Romam miſiſſet, mandans, ut omnium conſenſu apprehenderentur, & antegreſſis ſex generalibus Conciliis ſe ſe hoſtem declaraſſet, Pontifex Romanus non modo Imperatoris edicto decreta contraria promulgavit, verum etiam prætereà conſtituit, ne Imperatoris hæretici nomen publicis ſcriptis, aut privatis in ære, argento, plumbove reciperetur, Paul. Diacon. *lib.* 8.

Platin. *in Conſtantino*, Sigibert. *in chron. an.*712. Regin. *chron. lib.* 1. Marian. Scot. *eod. an.*712. Nec multò poſt cùm Leo Iſauricus odio Pontificis Romani omnes in Imperio Romano Sanctorum imagines, picturaſque deleri præcepiſſet, Gregorius Secundus Pontifex Romanus huic impietati modò non obtemperavit, verùm etiam omnes catholicos admonuit, ne in tantum errorem vel timore, vel edicto Principis ullo modo laberentur. Qua cohortatione adeò animati ſunt Italiæ populi, ut parum abfuerit, quin ſibi alterum Imperatorem deligerent. Sed quominus id fieret, Pontifex autoritate ſua obſtitit. Simul tamen, ut ſanctiſſimum virum decuit, per litteras Imperatorem monuit, ut hoc, aliiſque impiorum erroribus omiſſis, veram fidem amplecteretur, Platin. *in Gregorio II.* Qui cùm monitoria impatiens multò, quàm antea furiosius in amentia progrederetur, Chriſtianoſque unà cum ipſo bellum imaginibus ſacris non inferentes caperet, & tyrannicè obtruncaret, amotoque catholico Conſtantinopolitano Patriarche, hæreticum ejus loco imponeret, ſucceſſor Gregorii III. cum Cleri Romani conſenſu Imperatorem illum ſimul Imperio, & communione fidelium privavit, poſt quam ſententiam Italia, Occidenſque totus ab ejus obedientia receſſit, nec deinceps vectigalia ei voluit perſolvere, Platin. *in Gregorio III.* Sigibert. *an.*727. Paul. Diacon. *lib.*21. *rer. Roman.* Cumque proximi imperatores Conſtantinus Copronimus, ejuſque filius Leo in eodem furore pergerent, nec moniti ad ſanam mentem redirent, neque Chriſtiani Eccleſiæ Occidentalis ſub eorum dominatum redire voluerunt, ſed de alio Imperatore ſibi providerunt. Atque hanc fuiſſe veram cauſam, cur Italia, & Occidentis Imperium ab Orientis Imperatore avulſum ſit, & Latini, & Græci fatentur, Glycas *in annal. p.*4. Zonaras *tom.*3. *in Leone Iſaure.*

In proximo autem Francorum Imperio quanta fuerit Pontificis autoritas, non quando Francis præſidebat hæreticus: neminem enim aliquando vel ex Merovingiis, vel ex Carolingiis, vel Capetingiis Regem Francorum hæreticum ad noſtram uſque memoriam ulla ſecula viderunt, ſed quando Gallorum Imperio præerat vir ignavus, ut Reipublicæ chriſtianæ incommodus, omnes hiſtoriæ loquuntur. Poſtea verò cum Philippus primus, legitime uxore repudiatâ, nobilem quandam Andegavenſis Comitis uxorem nefario matrimonio ſibi adjungeret, Urbanus Secundus, ſummus Pontifex, natione Gallus, aqua & igni regi interdixit, & ne diadema regium ei imponeretur præcepit, illudque anathema Pontificis ampliſſimo aſſenſu generalis Concilii Claromontani in ipſa Gallia coacti, in quod pluſquam trecenti Epiſcopi ex orbe chriſtiano convenerunt, comprobatum eſt, Nauclet. *generat.* 37. Paul. Æmil. *hiſt. lib.*3. *in Rege* 38. Papir. Maſſon. *in annal. lib.*3.

Videque dignum eſt animadverſione, quod ex optimorum Galliæ Epiſcoporum ſententia S. Ivo Pontificem Romanum hortatur, ne ullo modo Regem abſolvat, donec is plene ſe correxiſſet, & adulteram à ſe repuliſſet, etiamſi Rex interim valde tumultuaretur, & ingentes minas ederet, ſe *ſchiſmatica ſeparatione* totum Galliarum Regnum à Romani Pontificis obedientia avulſurum, niſi illi adulterinas eas nuptias approbaret, vel ſaltem permitteret. Sic enim S. Ivo ep.82. *Qui ad vos venturi ſunt in calliditate ingenioli ſui, & venuſtate linguæ impunitatem flagitii ſe impetraturos Regi à Sede Apoſtolica permiſerunt, hac ratione ex parte uſuri, Regem cum Regno ab obedientia diſceſſurum, niſi Coronam reſtituatis, eumque ab anathemate abſolvatis.* Quid verò Pontifici hoc in loco faciendum cenſet doctiſſimus Epiſcopus? Num connivendum? Num diſſimulandum, Regiſque furori indulgendum? Nihil minus. *Non eſt meum*, inquit, *inſtruere veſtram prudentiam, cujus potiſſimum intereſt delinquentium errata non fovere, ſed ferire. Si tamen aliquid ſubdoli evidenter ab unitate matris ſuæ Eccleſiæ diſcedunt, qui jampridem mente diſceſſerunt, conſoletur Sanctitatem veſtram divinum reſponſum: Reliqui mihi ſeptem millia virorum* 3. *Reg.* 19. *& illud Apoſtoli* 1. *Corinth.* 11. *Oportet hæreſes eſſe.* Cùmque hac via tanquam leonis pelle Rex ille nihil proficeret, ideoque mox vulpinam aſſumeret Romam ſe profecturum ſumma cum humilitate ad impetrandam abſolutionem in vulgus emitteret, S. Ivo ea de re ad Pontificem ſummum ſcribens *epiſt.* 49. *Notum*, inquit, *facio Sanctitati veſtræ quod Francorum Rex Romam ſe in proximo venturum dicit, quod tamen non credimus. Sed ſeu veniat, ſeu mittat, cavete & vobis & nobis, ut ſemper clavibus & catenis Petri fortiter teneatur, & ſi forte abſolutus fuerit, & ad vomitum, ſicut jam contigit, reverſus fuerit, è veſtigio eiſdem clavibus recludatur, eiſdem catenis religetur, & hoc literis veſtris omnibus Eccleſiis manifeſtetur.* Quo ſic Chriſtiani omnes cognoſcant, quemadmodum erga eum ſe ſe gerere debeant, nimirum non ut erga Regem catholicum, & chriſtianiſſimum, Eccleſiæ catholicæ filium primogenitum, ſed tanquam ſchiſmaticum, vel excommunicatum, & ab ejuſdem Eccleſiæ unitate, omniumque Chriſtianorum communione præciſum. Quo tempore toto, quandiu nimirum Philippus iſte manſit excommunicatus, in communibus & publicis ſcriptis, ubi de more Regis nomen ſolebat interſeri, *regnante Philippo* hoc omiſſum eſt, ejuſque loco poſitum, *regnante Chriſto*, Paul. Æmil. *lib.*3. *in Rege* 38. Vide Ivonis *epiſt.*134.

Et quamvis poſt mortem Urbani Pontificis Regis fautores criſtas nonnihil cœperunt erigere, & quidam etiam Eccleſiaſtici eidem adulari, ſummam tamen in Gallicanis Epiſcopis univerſis conſtantiam & fortitudinem oſtendit, quod memorant hiſtorici, *valde tunc laudatam fuiſſe magnitudinem animi Joannis Legati Romani, quod abſtinuerit à communione Philippi Regis, & vituperatos quoſdam Belgarum Epiſcopos, qui contra interdictum ſummi Pontificis coronam Regi impoſuerant, quaſi mortua fuerit juſtitia, cùm mortuus fuit Urbanus juſtitiæ præco*, Paul. Æmil. *ibid.*

Ex qua hiſtoria perſpicitur in excommunicatione ad Reges ſtringendos quanta ſit vis, optimoſque ejus ætatis Gallicanos Epiſcopos ita propter eandem à Regis conſuetudine caviſſe, ut cum coronari vellet, mortuo Urbano, qui eum excommunicaverat, ab aliquo Gallicano Epiſcopo eum honorem impetrare non potuerit, ſed ad Belgas, & Semigallos confugere ſit coactus. Et tamen num majus fuit peccatum Philippo illi repudiata legitimam uxoram, & meretrici adhæreſcere, quàm Regi alicui catholicam Eccleſiam rejicere, & cum Synagoga Satanæ per inceſtam hæreſis ſuæ libidinem copulari? Aut non eadem eſt hodierna die Summi Pontificis, & Conciliorum poteſtas, quæ tum fuit Urbani Pontificis, & Concilii Claromontani? Et qualis eſt Theologia quorundam, qui contendunt Regem à nemine mortalium poſſe excommunicari? Sic enim nuper quidam Androgyni catholici Calviniſtæ prædicare cœperunt, quo Regem ſuum omnibus & Pontificibus, & Conciliis faciant ſuperiorem, Apolog. cathol. *p.* 2. *pag.* 164. *& ſeq.* Et quis verò chriſtianus concipere poteſt hujus theologiæ fundamentum? Illud nimirum, opinor, dicent Regem ſuum hominem chriſtianum non eſſe,

ovem

ovem Chriſti non eſſe, in Eccleſia Chriſti & ovili ejus non contineri, nec eſſe Chriſti ſanguine redemptum. Hoc certe dicant, opus eſt, & ut eum vel Angelum, vel dæmonem, vel ſaltem paganum, aut Turcam, non autem chriſtianum facient, neceſſe eſt; ſiquidem eum ab Eccleſiæ diſciplina, & Paſtoris ſummi ſubjectione volunt abſtrahere. Sin verò Chriſtianus eſt, etiam ſi hæreticus, ſubjectus eſt præpoſito, & curatori animæ ſuæ; ſi ovis habet paſtorem, cui obediat, ſi in Eccleſia, habet Epiſcopum, à quo regatur, à quo corrigatur, à quo ligetur, & ſolvatur, à quo, cœlorum claves gerente, cœlum ei aperiatur, vel claudatur, & à quo, ſi Eccleſiam contempſerit, tanquam ethnicos, & publicanus à Chriſtianis cavendus eſſe demandatur. Denique ſi ſanguine Chriſti redemptus eſt, agnoſcere debet Petri Succeſſorem, tanquam præſidem ſuum, utpote cui Chriſtus eum paſcendum commiſit, *& qui*, ut divine ſcripſit Chryſoſtomus *lib.* 2. de Sacerdotio ſub initium, *ſanguinem ſuum effudit, ut eas pecudes acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat.*

Sed ut ad hiſtoriam revertamur, Is, qui ea ætate & doctiſſimus, & ſanctiſſimus fuit in Gallicana Eccleſia Carnotenſis Epiſcopus Ivo propter admirabilem pietatem Sanctis poſt mortem annumeratus, cùm poſt hoc Pontificis anathema à Rege in aulam accerſeretur, & ſimul moneretur, ut milites quoſdam Regi contra hoſtes in auxilium ſubmitteret, utrique ita reſpondit, ut egregium, & vere Apoſtolicum Galliæ ac totius Orbis chriſtiani Epiſcopis univerſis obedientiæ erga Deum magis, quam erga Regem exemplum præbuerit. *Ad vos ne veniam*, inquit *epiſt.* 105. *magna & multa cauſa me prohibent. Nam & Papa Romanus interdixit vobis autoritate Apoſtolica thorum mulieris, quam pro uxore habetis, & interdicit etiam omnibus Epiſcopis, ne capite illius mulieris coronam imponant. Parcens igitur majeſtati veſtræ veſtram diſſimulo adire præſentiam, ne Sedis Apoſtolicæ juſſione compulſus, cui vice Chriſti parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in veſtris, & multarum auribus publicare.* Vide Belforeſtum *lib.* 3. *cap.* 25. Id nimirum veri & Apoſtolici eſt Epiſcopi, à Regis aula, & præſentia, quem Summus Paſtor eccleſiaſtica communione ob manifeſta ſcelera privavit abſtinere, niſi forte vel capitis ſui periculo, ut Joannes Baptiſta, Babylas martyr, D. Chryſoſtomus, D. Thom. Cantuarienſis, ac ſimiles divinæ conſtantiæ ac libertatis viri, velit Reges impios non aliter, quàm ethnicos, uti monet Chriſtus, libere de ſuis ſceleribus, & palam coarguere. *Milites autem*, inquit, *mei*, quos idem Epiſcopus, quia erat ſimul Comes Carnotenſis debebat ſuppeditare, *pene omnes vel abſunt, vel pro pace Eccleſiæ violata ſunt excommunicati, quos ſine ſatisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo.* Ita Regem juſta Apoſtolicæ ſententia, fidelium communione privatum à veris Chriſtianis, nec in pace, neque in bello regio honore afficiendum eſſe egregiè declaravit.

Id quod item in Anglia erga Joannem Regem Epiſcopi, Proceresque ejus regni præſtiterunt. Is enim cum propter indigna & nimis atrocia Eccleſiarum ſpolia, atque ſacrilegia, per Innocentium Tertium Romanum Pontificem excommunicatus, & regali in ſubditos jure privatus eſſet, proptereaque Epiſcopi omnes, vix uno & altero excepto, eum deſeruiſſent, & ex Anglia in Galliam demigraſſent; mox cives, ac milites, & militum tribuni, atciumque præfecti magno numero ab ejus aula & obedientia diſceſſerunt, alii in Galliam, alii in alias Inſulæ partes. Cumque Joannes, conſcripto exercitu contra Scotorum Regem profecturus eſſet, proceres regni ſe ſe eum comitaturos negarunt, cauſamque poſtulanti reſponderunt, *eam cuivis eſſe perſpicuam*, quoniam videlicet *ſcirent à Pontifice excommunicatum*, proptereaque non poterat ullam à ſubditis ſuis expectare ſubjectionem, quandiu ipſe maneret rebellis Chriſto, & Eccleſiæ, quibus ex chriſtiana diſciplina primò tenebantur obedire. Polidor. *in hiſt. Anglic. lib.* 15. *& Annal. Anglic. in Joanne.* Qua neceſſitate permotus, quod etiam ſciret Gallorum Regem Philippum Auguſtum magnos ad regnum ejus invadendum facere terra, marique apparatus, Rex enim Galliæ juſtam & piam belli cauſam duxit, ut Epiſcopos exortes ſedibus ſuis reſtitueret, omneſque Franci contra Anglum excommunicatum ſe ituros ingenti aſſenſu profitabantur, Æmil. *lib.* 6. *in Philippo Auguſto Rege* 41. Pontifici ſe ſubmiſit, & Epiſcopos revocavit, illiſque ac aliis proceribus ſe ſatisfacturum, ſumma religione juravit, & quàm fuit in rebus proſperis ferox, ac inſolens, tam in adverſis fractus, atque abjectus *ad Legati Romani pedes regia inſignia poſuit, privatuſque & quis ſe tandem maneret exitus, quinque dies egit, ſexto ut ingens munus & prope deſperatum beneficium à Romano accepit diadema, ſe beneficiarium, Angliamque, ac Hiberniam vectigalem ſacroſanctæ poteſtati profeſſus*, Polidor. *ibid.*

Ut autem quæ Epiſcopis, Proceribus, totique regno promiſerat, ſincere itidem præſtaret, nec poſt ſublatum interdictum ad veterem tyrannidem rediret, proceres gentis jurejurando adacti ſunt, ſi qua parte à fide decederet, ſe eum quacunque ratione coacturos, ut conventa præſtaret, id quod factum eſt, Polid. *loc. cit.* Cùm enim promiſſa minus fideliter exolveret, univerſum contra ſe regnum concitavit, & poſt ærumnoſam vitam in civilibus bellis, miſerè actam, longè miſerius obiit. Scoti item, etſi in rebus politicis æterno fere diſſidio ab Anglis diviſi, in hac tamen chriſtianæ diſciplinæ erga Reges praxi, cum Anglis fuerunt conjunctiſſimi. Id quod ante annos mille in Frecardo Rege monſtrarunt, qui quod valde eſſet & in homines crudelis, & in Deum impius adeo, ut uxorem jugularet, & ſtupraret filias, propter quæ ſcelera ab Epiſcopis Chriſtianorum communione ejectus eſt, mox proceres ad eum puniendum copias contraxerunt, quos etſi Epiſcopus Colmannus cohibuit, prædicens brevi affuturam divinam ultionem, quæ eos tanta moleſtia liberaret, juxta cujus vaticinium paucis poſt diebus pediculari morbo conſumptus eſt, exclamans, merito ſibi hoc evenire, qui Epiſcopum illum benè monentem ſpreviſſet, tamen Epiſcopum retardaſſe proceres ab hoc bello, non tanquam illicito, ſed tanquam minus neceſſario, quoniam ultio mox futura immineret divinitus, patuit ex avo iſtius altero Rege ejuſdem nominis, qui cùm ſceleratiſſimus eſſet, & nominatim reus hæreſis Pelagianæ, & contemptus baptiſmi, & aliorum Sacramentorum, propter hæc à nobilibus ſuis captus eſt, & in carcerem conjectus, ubi ipſe ſibi violentas manus intulit, Bucanan. *hiſt. Scot, lib.* 1. *pag.* 153. *&* 251.

Longe minora fuerunt ſcelera Sancii ſecundi, Regis Portugalliæ, propter quæ tamen & Clerus, & Nobilitas magna ex parte, & in primis optimus, prudentiſſimuſque ille Romanæ Sedis Pontifex Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunenſi eum cenſuit abdicandum, vel ita ſaltem coërcendum, ut eo honorifice quodammodo privatam vitam agente, penes curatorem maneret regni illius adminiſtratio. Scelera autem ejus fuerunt, quòd animo eſſet remiſſo & ignavo; quòd ad uxoris nutum res graviſſimas diſponeret; quòd aulici quidam Regis facilitate ac negligentia elati, populum gravibus tri-

buis

butis opprimeret; quod ad Eccleſiarum, orphanorum viduarumque defenſionem, non ea, qua Regem decebat cura, & generoſa magnanimitate incumberet. Has ob cauſas bona pars nobilitatis, & Cleri fratrem ejus Alphonſum Comitem Boloneienſem vicarium, ut ita dicam, Regem elegit, Duard. Nonius *in hiſt. Reg. Portugal. & in cenſura lib. de ra Reg. Portugal. genealog.* Hancque electionem comprobans clariſſimus ille Pontifex, miſſis litteris ad univerſos Portugalliæ proceres: *Mandamus*, inquit, *cap. 2. de ſuppl. negl. Prælat. quatenus dilectum filium virum nobilem Comitem Boloniensem, cùm ad curam & adminiſtrationem generalem, & liberam regni ejuſdem jam ſit aſſumptus, ubi ad vos advenerit, in civitatibus, caſtris, villis, & munitionibus Regni cum omnibus ſuis recipere, ac ejus diſpoſitioni, ordinationi & mandatis univerſaliter ſinguli, & ſingulariter univerſi per omnia & in omnibus intendere abſque difficultate qualibet procuretis impendentes illi contra quoſlibet repugnantes, ac etiam violentos auxilium, conſilium, & favorem.*

Neque verò eſt, cur quiſpiam vetera aliqua promiſſa, aut juramenta Regni Sanctio facta objiciat, & iis ſe impediri queratur, ne Sanctio derelicto, Alphonſi ſe poteſtati ſubjiciat. Nam cum populi ſalus, & Eccleſiæ Chriſti defenſio hanc ſtatus in illo regno mutationem depoſcat, ineptum eſt hoc loco, hiſque temporibus juramentum prætexere ne Reipublicæ ſimul, & Eccleſiæ ruinam jam nunc minanti ſuccurratur, ideoque, *mandamus*, inquit Pontifex, *hac à nobis præſtari fidelitate, homagio, juramento, ſeu pacto, ſi aliquibus forte præfato Regi, vel cuicunque alii perſonæ tenemini, aut etiam ipſius Regis prohibitione nequaquam obſtantibus.* Atque ita univerſus populus, paucis admodum exceptis, amoto Sanctio, ad Alphonſi ſe dominatum, & autoritatem contulit.

Neque Polonia, Germaniaque illuſtribus caret exemplis hujus chriſtiani & in Epiſcopis & in Regibus officii. Boleslaum enim Poloniæ Regem quòd infami eſſet libidine, & nimia crudelitate, nec ex æquo jus diceret, ac ſubditos intolerabilibus exactionibus opprimeret, admonuit conſtanter Staniſlaus Epiſcopus Cracovienſis, nec indigne ferenti & minas intentanti pepercit, quominus quod Epiſcopalis erat muneris, eum ſubinde ſuorum graviſſimorum ſcelerum argueret. Cumque verbis nihil proficeret, Rexque ei mortem minaretur, ipſe Regem ſacris tota urbe Cracovienſi interdixit. Id quod ita Regem offendit, ut capta opportunitate, dum extra urbem Epiſcopatus in ſacello quodam diviniſſimum Sacrificium peragit, irruens in eum cum ſuis ſatellitibus profanus Rex, Epiſcopi ad altare ſtantis caput abſcinderet, ejuſque cerebro parietes conſpergeret, cujus corpus mox in minutas partes à ſatellitibus eſt diſſectum, & objectum canibus. Quam ob cauſam Pontifex Romanus Gregorius VII. *liberavit ab ejus obedientia omnes Principes, Barones, & vaſallos, Regemque Boleslaum anathematizavit, totamque interdixit Poloniam, cui etiam Coronæ regalis conferendæ jus abſtulit, ac de cætero quemquam Principum abſque ſpeciali conſenſu Sedis Apoſtolicæ coronari.* Cromer. *de reb. Polon. lib.* 4. Grantzius Vandal. *lib. 3. cap. 13. & ſeq.* Munſter. *Coſmogr. lib.* 4. Boleslaus autem à ſuis expulſus, fugit in Hungariam, ubi proximo anno, Deo vindicante, in amentiam incidit, & ipſe ſibi mortem conſcivit. Quo ita interempto, Poloni ejus fratrem Ducem Uladislaum, Regem ſuum conſtituunt. Qui quanquam uſurparet regium titulum, non tamen fuit coronatus, horrentibus Epiſcopis Apoſtolici mandati prævaricationem, Munſter. *ibid.* Poſt hujus autem mortem depoſitum eſt nomen regale, nec ducentis deinceps annis uſque ad Premislaum ſecundum cuiquam Polono attributum. Hic verò primus ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, veteri more repetito, unctus, & coronatus eſt, aſſentiente Romano Pontifice, qui ordinavit, ut in poſterum ad honorandam Staniſlai Epiſcopi Cracovienſis memoriam, Rex Polonus in Cracovienſi Eccleſia coronaretur. Quod jus deinceps Cracovienſi Eccleſiæ Pontificiis diplomatis perpetuum factum eſt, Cromer. *lib.* 11. & Munſter. *loc. alleg.*

In Germania autem, ut Lodovicum quartum, Othonem, item quartum, & Henricum tertium jam relatos, prætercam, à ſui temporis Pontificibus Alexandro III. Joanne XXII. Innocentio III. & Gregorio VII. exautoratos, unica Frederici II. hiſtoria ſatis manifeſte docet & quæ ſit Pontificum erga Imperatores autoritas, & quæ fuerit Orbis chriſtiani de tali Pontificum autoritate fides. Excommunicaverat illum primo Honorius tertius, & deinde Gregorius nonus. Cum tamen potentia, & vi imperium retineret, & in Germania, Italiaque multi propterea cruentiſſimi tumultus naſcerentur, obeunte Gregorio, Innocentius quartus in generali Concilio Lugdunenſi, miſſis orbis Chriſtiani nomine Legatis Fridericum ad pacem invitavit, pollicitus quæcunque optari poſſent ad ſarciendam Eccleſiæ concordiam. Etſi quidem Fridericus *diceret, quod ſe nulla contra juſtitiam læſerat Eccleſiam, aut quod vel Pontifex defunctus, vel Innocentius contra juſtitiam eum læſiſſet, parati eramus*, inquit Pontifex in cap. ad Apoſtolicæ de ſent. & re judic. in 6. *vocare Reges, Prælatos, & Principes, tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares ad aliquem tutum locum, ubi Fredericus vel per ſe, vel per ſolennes nuncios conveniret, eratque parata Eccleſia de conſilio Concilii ſatisfacere illi, ſi eum læſiſſet in aliquo, &c.* Cùm verò Imperator omnem iſtiuſmodi pacificationem reſpueret, & obſtinate incœptos tumultus tota Germania, Italiaque foveret, pacemque inter Eccleſiam, & Imperium ſtabilitam infringeret, & ob gravem hæreſis ſuſpicionem, & ob ſacrilegia, & quia eccleſiaſtica jura ſibi uſurpavit, & quia contra fas, juſque bello Pontificiam vexabat ditionem, & quia ſua inſigni ſimulatione expeditionem in Orientem contra Saracenos cum magna chriſtianorum clade impedivit, & quia Epiſcopos à Gregorio Romam ad Concilium generale vocatos, Cardinaleſque varios, obſeſſis itineribus cepit, & in vincula conjecit, *qua ex re Gregorius tantum dolorem cepit, ut non diu ſupervixerit*, Paul. Langii *chron. Citizens. an.* 1219. *&* 1237. *&* 1229. Platin. *in Gregorio IX.* Crantz. *Saxon. lib.* 8. *cap.* 8. & quia Epiſcopatus, & monaſteria quadraginta in odium ſummi Pontificis expoliavit, multoſque Sacerdotes, ablatis eorum bonis, ſuſpendit, *ob hos, & ob alios ejus nefandos exceſſus, nos cum patribus act...is*, ait Innocentius Pontifex in Concilio Lugdunenſi, relato in d. cap. ad Apoſtolicæ, *& Sancto Concilio poſt diligentem deliberationem, ea autoritate, quam Chriſtus Jeſus in B. Petri perſona Pontificibus tradidit, memoratum Principem, qui ſe Imperio, & Regno, omnique honore & dignitate reddidit tam indignum, omni honore, ac dignitate privatum, à Domino oſtendimus, denunciamus, & ſimul ſententiando privamus omnes, qui ei fidelitatis juramento tenentur adſtricti, ab hujuſmodi juramento abſolventes, autoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam deinceps ei, tanquam Imperatori, vel Regi, pareat, decernendo quoslibet, qui ei deinceps, velut Imperatori, vel Regi conſilium auxiliumve præſtiterint, ſeu favorem ipſo facto excommunicationis ſententia ſe...e.* Sic Pontifex.

Neque

Neque tum fuit aliquis in Orbe chriſtiano Princeps, vel Reſpublica, quæ Pontificis ſententiam improbavit, ſi eos excipias, quos armis, militibuſque Fridericus ſibi habebat alligatos. Electores quidem Principes ſucceſſorem ei dederunt Henricum Landgravium Turingiæ, Divæ Eliſabethæ filium, eoque defuncto, Gulielmum Comitem Hollandiæ. Galliæ Rex Ludovicus Sanctus omnibus viribus Pontificis judicium roboravit, & ipſe Fridericus paulò poſt cum immenſo exercitu ſexaginta millium, partim Germanorum, partim Turcarum, & Saracenorum, quos longè quàm Chriſtianos, habebat cariores, favebatque magis, à multo minoribus Pontificis copiis profligatus, fugit in Apuliam, ubi à Manfredo filio ſpurio, injecto ori pulvino, dum dormiret, ſuffocatus eſt, Genebrard. *in chron. an.* 1254. Belforeſt. *in annal. lib.* 4. *cap.* 9. Naucler. *generat.* 42. Neque verò opus eſt exquirere ſingulorum Principum ſuffragia, quando in Concilio Lugdunenſi habemus generalem omnium Chriſtianorum, ſaltem Occidentis conſenſum. Quin & ipſi Imperatores Græci dum in his inter Fridericos patrem & filium, Romanoſque Pontifices tumultibus, ſuos Romam mittunt Oratores, ut vel favore, vel præmiis, vel ſubminiſtratis contra ſchiſmaticos Germanos auxiliis, Imperialem dignitatem à Pontifice ſibi procurarent, tanquam poſtliminio reddi, quando eadem jam ſuppetebat ejus Germanis eripiendæ, & Græcis iterum tradendæ cauſa, quæ prius Pontifices impulerat, ut Græcis ablatam ad Francos, Carolumque Magnum transferrant, Græci, inquam, hoc facto ſuo ſatis clarè demonſtrarunt nec ipſos dubitaſſe, quin in Pontifice Romano juſta fuerit hujus honoris dandi, & auferendi poteſtas.

Hac ſiquidem tempeſtate *Emanuel Imperator Græcus Legatos ad Pontificem miſit, qui ei pollicerentur & magnas copias in Fridericum & mentem omnium Græcorum cum Eccleſia Romana convenientem, ut Occidentalis eadem fieret, ſi pateretur imperium Romanum antea diviſum, in unum corpus redigi*, Platina *in Alexandro tertio*, & Naucler. *generat.* 39. Sed renuit Pontifex, & re infecta, dimiſſi Legati. Cùm verò deinde Fridericus atrocius Alexandrum perſequeretur, & Roma à militibus ſuis Germanis capta, in Apuliam fugere compuliſſet, eo jam in majoribus anguſtiis poſito, miſit rurſus Emanuel alios Oratores, qui majora pollicerentur, ſi Pontifex in ſuam ſententiam deſcenderet, & coronam Occidentalis Imperii, qua Fridericus juſta, ac debite privatus videbatur, Conſtantinopolitano redderet, Naucler. *ibid.* Verum ille, habito conſilio Cardinalium maxima gravitate & conſtantia, non tam quid ſibi in præſens, quàm quid in poſteritatem, ac univerſæ rebus chriſtianis utile futurum eſſet, conſiderans, reſpondit, ſe nolle id in unum conjungere, quod olim de induſtria majores ſui disjunxiſſent. Unde rurſus ſpe ſua fruſtrati Oratores domum redierunt, ita tamen, ut certum argumentum relinquerent, eam fuiſſe Eccleſiæ Græcæ hoc tempore fidem, quòd Pontifex Romanus juſtis de cauſis, ea, quam à Chriſto derivatam habebat poteſtate, Imperium Occidentis & Orientis vel disjunctum colligere, vel colligatum poterit disjungere, eademque ratione duo Imperia in unum contrahere, quæ majores ejus unum in duo ſeparaverant.

Nec verò eſt, quod hæretici more ſuo oggannniant, hæc facta eſſe à Pontificibus impiis, ambitioſis, furori, vindictæ & gloriæ ſuæ indulgentibus. Si enim his perturbationibus occupati à recta ratione everſi fuiſſent, nunquam Alexander hanc tam præclaram occaſionem ſe de inimico ulciſcendi, tam opportunè oblatam, eamque adeo probabili & ſpecioſo prætextu fundatam, quid enim erat in ſpeciem glorioſius, quàm diſtractas Orientis, & Occidentis vires in unum redigere? prætermiſiſſet. Sed qui noverit, quàm ignave, ſeditioſe, ſacrilegè, ac hæreticè hac ætate Imperium Græcum fuerit adminiſtratum, ut Patriarcha Conſtantinopolitanus vir ſanctiſſimus Reipublicæ miſeriam deplorans loco ceſſerit, in cujus locum ab avaro Imperatore Alexio *ſuffectus eſt Spada, ſimplex vir ingenio, & dignus qui in angulo magis, quàm in clariſſima Orientis Eccleſia degeret.* Glycas *in annal. p.* 4. & Joan. Comnen. *in contin. annal. Glyca annal. pag* 470. & 479. Quo tamen poſt triennium deturbato, ad ſublimem illam cathedram evectus eſt Nicolaus Grammaticus, quæ Eccleſiaſtici & Epiſcopalis honoris ad ſordidos homines traductio, ruentis Eccleſiæ certum eſt præſagium, qui meminerit, ut iidem Græci cum ſuis Imperatoribus Chriſtianos Germaniæ & Galliæ hoc ſeculo in Aſiam Turcis debellandis maximo numero commeantes, nequiſſime contra fidem datam o, pugnaverint, *quos per inſidias arctis, & opportunis locis collocatas interimebant, clauſis portis urbium ingreſſu arcebant, & ſi quid chriſtiani emere vellent funibus ex muro attrahenda pretia cauſa demiſſis, pro eo minimum commeatus, prout Græcis ipſis placuit, ſubminiſtrabant, ſæpe perparcè, ſæpe nihil penitus, aliquando calcem farinæ miſcentes, panem corrumpendo exercitui peſtiferum efficiebant, Imperatoris juſſu de argento minime probo pecuniam cudebant, quæ venditoribus aliquid ex exercitu Alemanico daretur, idemque Imperator miſſis litteris Turcas hortatus eſt*, & edocuit quemadmodum cum Latinis illis bellum gerere debebant. Vide Græcorum nequitiam in Paulo Æmilio *lib.* 5. *in Ludovico juniore Rege* 40.

Hæc qui recordatur ab ipſis Græcis hiſtoricis ſcripta & memoriæ mandata perſpiciet Pontificem Romanum divino potius, quàm humano conſilio, nec perturbatione animi, ſed maturiſſimo judicio adductum fuiſſe, ne populo adeo mutabili, inconſtanti, religionem negligenti & ad Turcas magis, quam ad Chriſtianos juvandos propenſo, Imperium rurſus tradendum cenſeret. Illis autem reliquis Pontificibus, qui in Imperio transferendo, vel Regibus, & Imperatoribus excommunicandis, deponendis, mutandis ita infracto animo laborarunt, nihil unquam Reſpublica chriſtiana ea tempeſtate vidit ſanctius, nihil prudentius nihil religioſius, quemadmodum & in veteri Teſtamento illis Prophetis Pontificibuſque, qui contra ſuæ tempeſtatis tyrannicos Reges eadem fecerunt, nihil fuit ſuo tempore magis divinum & heroicum.

Gregorius etenim ſecundus, qui, excommunicato Philippico, prima jecit fundamenta Imperii Græci ad Latinos transferendi, vir græce, latinaque doctiſſimus, propter ſummam liberalitatem in reparandis publicis ædificiis, mœnibus, templis, propter caſtitatem, ſapientiam, Sanctitatem, in primis propter ſummam manſuetudinem, & pacem inter Principes procurandam ita laudatur, ut eum proponant tanquam ſingulare harum virtutum Epiſcopalium exemplar, cujus certe in hoc ipſo transferendi Imperii negotio mira eluxit moderatio. Nam cum Itali deteſtantes dominatum Imperatoris græci, Eccleſias ſpoliantis, ſuos quiſque duces magiſtratuſque ipſi creaſſent, Pontificemque rogaſſent, ut Italici generis Cæſarem deſignaret, is illud ſe facturum abnuit, quod compertum haberet Leonis tantum, & aſſentatorum ſcelus illud fuiſſe, non Græcorum omnium, ideoque tum ſanctione ſua tantum-

modo

modo vetuit vectigal illi pendi, Platina, Genebrardus, & Marianus Scotus.

Gregorius verò tertius, & Zacharias, qui quod Gregorius ſecundus inchoaverat, perfecerunt, cùm alter fuerit Syrus, alter Græcus, uterque græci Imperii alumnus, Leo item tertius numquam in cœptis Gregorii ſecundi perſeveraſſent, ſed Græcos potius, quàm Francos Imperiali honore frui voluiſſent, niſi maximæ rationes, ipſa nimirum religionis chriſtianæ veritas, & Eccleſiæ tuendæ neceſſitas aliud ſuaſiſſet. Nam erant iſti nihilo quoad perfectam virtutum omnium complexionem Gregorio ſecundo inferiores. Hic enim tertius vir ſingularis doctrinæ, & humanitatis præcipuæ, græce, latineque doctus, mentem divinæ *Scripturæ* ita callebat, ut nemo prædicatione, atque interpretatione rerum abditarum eum vinceret; ita autem ſanctè vivebat, ut judicare difficile eſſet utrum promptior lingua, an opere habendus eſſet, tantæ denique humanitatis, ac beneficentiæ fuit erga pauperes captivos, ære alieno oppreſſos, viduas, & pupillos, ut fere omnium parens, ac paſtor meritò vocaretur. Platina *in Gregorio tertio*, Genebrard. *in eodem Gregorio*, Nauclet. *generat.* 25.

Zacharias autem natione Græcus, *optimus Pontifex*, ut ait Platina, Genebrardus, & Naucleras ibidem, *vir fuit mitiſſimi ingenii, mira ſuavitate, & gratia, omni virtute praditus, ad iram tardus, ad miſericordiam, & clementiam promptiſſimus, nulli malum pro malo, ſed pro malo bonum reddens, ut quos ante Pontificatum habuerit inimicos, & amulos, eos, inito Pontificatu, pramiis, & honoribus afficeret*, ipſis hoſtibus adeo amabilis, ut Longobardorum Rex, antiquus Pontificum Romanorum hoſtis, huic tamen magnos, & præclaros urbes dono dederit.

Leo tertius, nec horum nemini quicquam conceſſit. *Ab ineunte atate optimè educatus, vir caſtus, integer, facundus, virorum doctorum magnus amator, ea agere et vivere, eoſque ad patientiam adhortari, eleemoſynas indigentibus prabere, deſperatos conſolari, errantes in viam reducere, pradicando, admonendo, quibus plurimum ob doctrinam, & eloquentiam valebat, peculiare fuit. Homo certè ita mitis ingenii, ut omnes diligeret, neminem odio haberet, tardus ad iram, ad miſericordiam promptus, inſignis pietate*, ſed unà *fortiſſimus rerum Eccleſiaſticarum honoriſque divini procurator, ac defenſor.* Et iſti Pontifices Græcos Imperatores propter hæreſim Imperio, ut diximus, Occidentis exuerunt. Et qui non ſtatim cogit viros doctiſſimos, & ſanctiſſimos, eoſdemque Græcos, & cùm aliis virtutibus inſignes, tum maxime ob pietatem, humanitatem, clementiam, animum à vindicandis injuriis alieniſſimum, adeo celebres, ut hoſtibus etiam ſuis, non ſolum injurias condonaverint, ſed eos quoque beneficiis cumulaverint, ita voluiſſe non modò Regum, & Imperatorum, ſed patriæ quoque ſuæ honorem minuere, &, ut videri poterat, labefactare potentiam, niſi fides Chriſti, ac Reipublicæ chriſtianæ neceſſitas, quam omnibus privatis commodis, & affectionibus anteponere debebant, eos ad hæc facienda perſuaſiſſet.

Reliqui autem Pontifices, qui eadem autoritate contra Galliæ, Angliæ, Poloniæ, Germaniæque Reges uſi ſunt, Urbanus ſecundus. Innocentius tertius, & quartus, Gregorius ſeptimus, omnes ab hiſtoricis deſcribuntur fuiſſe præſtantiſſimi, ac veræ fidei, divini honoris, Eccleſiæque tuendæ, etiam cum capitum ſuorum diſcrimine, ſtudioſiſſimi, id quod vel ex operibus eorum quivis ſtatim animadvertat. Aliàs enim cur, ut alii multi Romæ otioſi non conſederunt; Cur maximorum Regum odium, & hoſtilem inimicitiam ſuſceperunt? Cur Urbanus Gallus Gallorum Regem potius laceſſere, quam placare voluit, cùm naturali inclinatione magis Galliam amaverit, quàm Zacharias Græcus, qui tamen ereptum Græcia ſuis Imperatorum diadema Gallis attribuit? Sed zelus Dei, ac defenſio Religionis, quam iſtis præcipue commiſerat Chriſtus, eos in hanc cum Regibus, & Imperatoribus palæſtram impulit, à qua aliàs in umbra, & nutæis, & monaſteriis educati erant abhorrentes. Urbanus enim antea monachus, egregia erat doctrina & ſanctitate, cujus tota vita, ea ſque in Pontificatu ad reformandum Clerum, & tollendam ſimoniam magna & conſtantia, & moderatione geſtæ, declarant, eum fuiſſe eo ſupremo Magiſtratu digniſſimum. Innocentius autem quartus doctiſſimus vel Theologus, vel Juriſconſultus, quam vehementer pacem & concordiam cum Friderico expetierit ex iis, quæ in Concilio Lugdunenſi geſſit, ac ſuperius commemorata ſunt manifeſtè perſpici poteſt. Gregoriumque ſeptimum, quem pauci aulici, paraſiti, & ſchiſmatici carpunt, ita plurimi fideles hiſtorici, virique Chriſtiani Orbis judicio Sancti habiti, mirificis laudibus extollunt, ut nihil eo fuerit admirabilius, qui, ut ait Platina in Gregorio VII. *in gremio ſancta matris Eccleſia à teneris annis enutritus, tam eximie, tamque apoſtolice vitam inſtituebat, ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret, ſignaque & prodigia, qua per orationes ejus fiebant frequentius, & zelus ejus ferventiſſimus pro Deo, & eccleſiaſticis legibus, ſatis eum contra venenatas detractorum linguas communibant, cujus innocentia divinitus eſt approbata, qui inter omnes ſacerdotes, & Romanos Pontifices pracipui zeli, & autoritatis fuit, qui juſtis clamoribus, & querimoniis Catholicorum motus, & zelo Dei accenſus, Henricum Regem excommunicavit. Vir certè timens Deum, Deoque gratus, religioſus, juſtitia & aquitatis amator, prudens, clemens, pauperum &c. patronus, atque unicus Eccleſia Romana fortiſſimus defenſor contra hareticorum improbitatem, & malorum Principum potentiam, res eccleſiaſticas per vim occupare conantium, & qui propter Deum in iis, qua ad juſtitiam pertinebant, nihil timuiſſet perficere.*

Hæc & ſimilia de his Pontificibus ſcribunt hiſtorici fideliſſimi, multoque plura & pro iſtis, & contra eos Reges, quos privarunt fidelium communione ac Regno ſcripſerunt Sanctiſſimi eorum temporum viri Anſelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus *ep.* 8. *& lib. de azimo ſub initio*, & alter Lucenſis *ep. apud Abbatem Urſpergenſem*, ipſe Urſpergenſis *anno* 1068. Leo Oſtienſis *lib.* 3. *hiſt. Caſin.* Guitmund. *de ſacram. lib.* 1. *&* 3. Genebr. *an.* 1087. Stephanus Epiſcopus Halberſtatenſis Lambertus Schafnab. *de reb. Germ. an.* 1077. aliique, permulti ejus ſeculi ſcriptores egregii, extatque ad ejus tumulum hæc inſcriptio.

Gregorius ſeptimus, olim Ildebrandus, Etruſcus,
Non is eſt, cujus famam obruat
Sepulchrale hoc marmor.
Vivet in ſinu memoria, in memoria temporum.
Jactatus ſemper, immotus ſemper,
A paleſtra fortior,
Cujus pectoris firmitudinem arena probavit, & pugna
A Cincio aque natalibus, ac ſceleribus inclyto
Compingit urio carcerem,
Cujus tenebras non Pontificia Tiara fulgor,
Quàm ignis ille magni pectoris diſpulit.
F altis verò à Populo Romano elatis,
Publica luce, ſplendoreque Majeſtatis reſtituitur,
Cincio fuga delapſo,

Quem

Quem ſummo Sacerdoti, ſueque ira, ceu victimam immolaſſent.
Incubuit tamen in ædes Civium, incenditque
Cum Henrico Cæſare,
Ne venales Sacrorum Inſulas faceret auri ſacra fames,
Supercilio primum agit Gregorius,
Oſtenditque, non deeſſe arcuatæ fronti ſua tela,
Quæ ille dum negligit,
Viſa in Auguſtam, intentamque rapinis Aquilam
Exarſiſſe fulmina.
Exuta namque Imperii facibus in Henrico audacia,
In Imperatore tyrannis;
Addito ad corollarium anathemate,
Exauteratiſque, qui à Cæſare erant,
Gilberto, Ugone, Sigefrido
Tricipiti nempe, qui Pontificem admordebat, Cerbero.
Henricus è Cæſare jam nihil
Trux intus, foris pius
Oculis ſimul manantibus, ſimul minantibus
Exuto etiam ad pœnitudinis initamentum pede,
Veniam poſcit, & impetrat.
Sed redit mox ingenio mendax ſplendidus,
Dum pronus ad Pontificis pedes accidit,
Contumaciores ſumit ſpiritus attactu terræ
Auguſtus hic Antheus.
Inſperſa lachryma,
Acrius exarſit flamma diri pectoris,
A nudo ille pede vehementius impetit Sacrorum Regem.
Eo furente expilata, impiata Templa,
Ab immani bellua conculcata ſacra.
Hinc repetita in Henricum fulmina,
Ademptoque iterum Imperio,
Quæ remanſerat, umbram Cæſaris,
Stricto iterum Petri gladio, exagitat Gregorius,
Illamque, inaugurato Rodulpho Saxone, ceu Saxo petit
Retreduit hinc Henricus.
Arma in Rodulphum movet, in Gregorium Acheronta
Gilbertum Pontificem pronunciat Clementis nomine,
Quid inclementius?
A Rodulpho armis victus, à Gregorio vincitur patientia.
Unà cum Henrico filio, digna patre ſobole,
E Germania ſacram Urbem petit ſacrilegus
Dehoneſtato Petri Solio,
Pſeudo-Pontificem in eo collocat,
Mirante Laterano, coronari monſtrum, ac tantumſcelus
Obſeſſum interim Adriana in mole Gregorium,
Robertus Guiſcardus, fugato Henrico, triumphato Capitolio,
In libertatem aſſerit, Salernum ducit,
Ubi infractus Pontifex dat fato manus,
Romanæ libertatis cuſtos,
Pauperum condus, & promus,
Virtutis miraculum.
Nulla huic, niſi in ſepulcro quies.

Neque tamen ſolum urgeo Pontificem probitatem & excellentiam, ſed etiam Orbis chriſtiani conſenſum, Eccleſiæ Græcæ, Latinæque judicium, Chriſtianorum in illis Regnis, ubi Reges excommunicati erant fidem, eamque & Scripturis divinis, & omnium ætatum, tum apud Chriſtianos, tum apud Judæos praxi perſpicue teſtatam adeo, ut hæc veritas fuerit & olim inter Chriſtianos maxime certa, atque indubitata, & jam poſt eandem tribus œcumenicis Conciliis, Claromontano, Lugdunenſi, & Lateranenſi firmatam, multoque magis ſine omni quæſtione à chriſtianis recipienda; ut verè chriſtianus haberi non poſſit, ſi quis Eccleſiæ ſententiam agnoſcens, de ea in poſterum diſputare, aut litigare voluerit. Sic autem eſt in Concilio Lateranenſi *cap.* 3. decretum: *Si Dominus temporalis requiſitus, & monitus ab Eccleſia, terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & Comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et ſi ſatisfacere contempſerit intra annum, ſignificetur hoc Summo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denuntiet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, ſine ulla contradictione poſſideant.* Sic Concilium illud ex omnibus, quæ ab annis mille in orbe chriſtiano coacta ſunt, ampliſſimum, in quod, præter Innocentium tertium Pontificem Laudatiſſimum; præter Legatos Imperatoris Romani & Græci, Regumque Jeruſalem, Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ; Cypri, & aliarum Rerumpublicarum, Archiepiſcopi Græci & Latini ſeptuaginta, Epiſcopi quadringenti ac duodecim, Prælati alii octingenti, præter doctiſſimos viros plurimos ex omnibus Chriſtianis Regnis convenerunt.

Atque hoc etiam decretum Epiſcopos omnes excitare debet, ut recordentur ad quem locum in Eccleſia & Republica chriſtiana divina providentia vocati ſunt, ſe ſpeculatores eſſe domus Iſrael, & paſtores populorum, quorum negligentia ſi chriſtiani in hæreſes abducantur, eorum ſanguinem de Epiſcoporum manibus Deus jam olim pronunciavit ſe repeiturum, Ezech. 3. *v.* 18. Meminerint, non eſſe tempus adulandi, & gratificandi, ſed arguendi, & increpandi opportune, importune, non conſuendi pulvillos, & ſupponendi cubitis hæreticorum, ſed virga diſciplinæ eos caſtigandi, ſed lancinandi eorum ulcera, eaque ſale & aceto perfricandi. Reminiſcantur ex ea lenitudine quæ barbarica pluſquam Turcica graſſata ſit in Anglia, quæ vaſtitas, & depopulatio facta ſit in Belgio, & quam propterea mercedem hæretici, ſi quando rerum potiantur, illis, niſi penitus apoſtatæ velint evadere, ſint repoſituri, utriuſque regionis lamentabili exemplo conſiderent. Sumant ſibi ſpiritus, loco, quem & divinitus, ac humanitus ordinatione Chriſti & Reipublicæ tenent reſpondentes. Deus enim tales ſe paſtores exciſurum minatur, niſi Eccleſiæ, in qua eos poſuit Epiſcopos tuendæ, & à lupis inhiantibus liberandæ, diligentem, fortemque navent operam. Caveant, & horreant, quod eſt in Concilio Lateranenſi ſub Martino primo *pag.* 788. ſapientiſſime dictum, *negligere cùm poſſit deturbare perverſos, nihil eſt aliud, quàm fovere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare.*

At quid Epiſcopis faciendum eſt? Ut cum Principibus, quos habent catholicos contra Pſeudo-Reges, ac Principes, quos habituri ſunt hæreticos, cum proceribus, ac Civitatibus Chriſtianis & Catholicis contra illos ſuas operas jungant, ſua conſilia conferant, & ſuis armis ſpiritualibus eorum arma temporalia corroborent. Quod eò facient alacrius, & animoſius, ſi primò autoritatem, ſibi à Deo commiſſam seriò reputent, ſi cum Coepiſcopo ſuo Gregorio Nazianzeno perpendant omnes chriſtianos Principes, ac Reges quocunque ſe titulo commendent, ſui eſſe gregis oves, quas Epiſcoporum imperio, & throno lex Chriſti

ſubjicit,

ſubjicit. Imperium enim Epiſcop. quoque gerunt, idque præſtantius, ac perfectius. Hoc cùm animis infixum, atque inſculptum habuerint, ſe pari cum D. Nazianzeno, cum D. Ambroſio, cum aliis Hiſpaniæ, Germaniæ, Poloniæ, veteribuſque Galliæ Epiſcopis, à Chriſto eſſe inſtructos, tum ſuorum majorum fortes animos ad memoriam revocent. Ambroſius & Nazianzenus in cauſa religionis non reveriti ſunt potentiſſimos Orbis terrarum Monarchas. Hiſpaniæ Epiſcopi conſonam promulgarunt jam olim, Deoque placituram ſententiam, nequis regiam ſedem conſcendat, niſi prius de religione Catholica in Regno ſuo ſarta tecta tuenda juſjurandum ſanctiſſimum emittat. *Cujus promiſſi, ſi Rex ipſe temerator extiterit, ſit anathema maranatha in conſpectu æterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni. Similiter & chriſtiani omnes, qui cum eo conſenſerint.* Cur hanc conſonam, Deoque ſine quæſtione placituram ſententiam Epiſcopi omnes contra Reges hæreticos, & omnes, qui cum eo conſenſerint, non promulgabunt? Cur non denunciabunt gregi ſuo Regem hæreticum eſſe anathema maranatha in conſpectu æterni Dei, hoc eſt, creaturam cœlo, terræque inviſam, quem propter hæreſim omnes chriſtiani fugere, atque abominari tenentur? Cur quod pauci Epiſcopi Hiſpani fecerunt, id multo plures Epiſcopi, & Archiepiſcopi totius Orbis chriſtiani facere reformident?

Henricus quartus, etſi legitime fuiſſet electus, & à Romano Pontifice Paſchali coronatus, tamen, quòd poſtea evaderet ſimoniacus *nefandiſſimus, inveſtituras Epiſcoporum, & alia beneficia eccleſiaſtica pro pecunia conferens, pro arbitrio denique Epiſcopos conſtituens, ac deponens*, Chronicon Citizenſe Pauli Langii an. 1057. Epiſcopi Germani hoc modo diſputabant, & ſuos docuerunt diſputare apud Stephanum Epiſcopum Halberſtat. *in append. ad chron. Mariani Scoti: Omnis, qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. Henricus autem, quem Regem dicunt, Epiſcopatus, & Abbatias vendit, ut Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem, & plures alias pro pecunia, Ratiſbonenſem, Auguſtenſem, Strasburgenſem pro gladio, Abbatiam Fuldenſem pro adulterio, &c. quorum omnium teſtis eſt cœlum, teſtis eſt terra, nec niſi impudentiſſime negare poſſunt.* Ex iſtis quid efficitur? *Omnes nimirum, etiam è furno redeuntes ſcioli concludent: Ergo Dominus Henricus hæreticus eſt, & pro iſtis nefandis malis ab Apoſtolica ſede excommunicatus, nec Regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, quia catholici ſumus, poteſt obtinere.* Idem Epiſcop. Halberſtat. *loc. cit.*

Hoc uno argumento ſuæ fidei commiſſos Chriſtianos Epiſcopi Germaniæ inſtruebant, ut Imperatori hæretico excommunicato parendum non eſſe ſcirent. Cui & alterum hoc adjecerunt ex ſacris litteris petitum apud eumdem autorem. *Abſit, ut dicamus Henricum inter fratres, aut Chriſtianos reputari, qui toties Eccleſiam corripientem non audientes, ſicut Ethnicus, & publicanus habetur, cujus odium pro magno ſacrificio Dei offerimus, dicentes cum Pſalmiſta: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi.*

Præfuit Polonis ante annos quadringentos Miecislaus, quem hiſtorici Monarcham Poloniæ vocant. Is, cùm copioſam ſobolem haberet, filiaſque ſuas Bohemiæ, Saxoniæ, Pomeraniæ, aliiſque vicinis Principibus magnis in matrimonium dediſſet, ideoque contra ſuos ſe firmis præſidiis munitum putaret, ita ſuperbe dominari cœpit, ut ſubditorum, ſive Procerum, ſive Præſulum, ſed iſtorum maxime, bona licentioſe, & admodum tyrannice prædaretur. Quare ab *Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Gedeone Epiſcopo Cracovienſi Monarchatu dejectus eſt, in Caſimirum Ducem Sandomirienſem ejus fratrem natu minorem tranſlato Principatu*, Cromer *hiſt. polon. lib.* 3. & Staniſl. Oricho. *in chimæra. fol.* 55. & 56. Licet enim Rex quinque haberet filios, præter filias plures, illis tamen rejectis Poloni ad fratrem regios honores detulerunt, & unà *Archiepiſcopus Gneſnenſis cum Epiſcopis Cracovienſi, & Uladiſlavienſi, cæteriſque omnibus, pontificalibus induti* decretum hoc communi ſententia factum *adſtante Caſimiro Monarcha, & Baronum multitudine pronunciavit: Qui bona Pontificum, aut Eccleſiaſticarum perſonarum rapuerit, occupaverit, diſtraxerit, etiam ſi perſona ſit illuſtris, & Regali, Ducali, aut quacunque alia præfulgeat dignitate, anathema ſit*, Munſter. *in coſmogr. lib.*4.

Quod ſi aliis exemplis delectantur, ut S. Ivonem, Epiſcopum Carnotenſem omittam, pulchre tamen oſtendentem, quemadmodum erga Regem excommunicatum ſe gerere debeant, quod illuſtrius ſignum, tanquam alteram Cynoſuram, qua in turbulentis his fluctibus dirigantur, & quò referant oculos, poterunt exoptare quàm magnum illum ac divinum Remigium, Archiepiſcopum Rhemenſem, totius Galliæ Primatem, ad quem in omnibus hujuſmodi difficultatibus Eccleſiæ Gallicanæ ordo eos jubet reſpicere? Hiſtoria Eccles. Rhemens. *lib. primo capit.* 23. Ille autem ut vivens nihil ab hac communi Epiſcoporum chriſtianorum de Regibus excommunicandis fide diſſenſit, ita moriens hanc ſuam quaſi ultimam voluntatem & Regibus, & Epiſcopis Galliæ commendavit. *Si*, inquit, *Dominus meus Jeſus Chriſtus vocem orationis meæ, quam quotidie pro chariſſimo filio meo Rege, in conſpectu divinæ majeſtatis ſpecialiter fundo, audire dignatus fuerit, ut ſicut à me accepit, ita in diſpoſitione, & ordinatione, Sancta Dei Eccleſia perſeveret, benedictiones, quas Spiritus ſanctus per manum meam peccatricem ſuper caput ejus infudit, plurima ſuper caput illius per eumdem Spiritum ſanctum ſuperaddantur, & ex ipſa Reges, & Imperatores procedant, qui & in præſenti, & in futuro juxta voluntatem Domini ad augmentum ſanctæ ſuæ Eccleſiæ virtute ejuſdem judicio, & juſtitia confirmati Regnum obtinere, atque augere valeant, &c.*

Hoc Regibus Galliæ, filiis ſuis chariſſimis, magnus ille Gallorum Apoſtolus precatur. Nec dubium eſt, quin has benedictiones per manus Epiſcoporum Spiritus Sanctus illis infundat, qui ſicut à B. Remigio acceperunt, ita in diſpoſitione & ordinatione Sanctæ Dei Eccleſiæ perſeverant, & qui juxta voluntatem Domini ad augmentum Sanctæ Eccleſiæ ſe à Deo chriſtianis hominibus præpoſitos eſſe norunt. At cum benedictionem S. Rhemigii Reges hæretici percipere non poſſint, quid aliud ſupereſt, niſi ut maledictio, & anathema ejuſdem S. Remigii in eos jaciatur, uti Sanctus ipſe his verbis præcipit loco citato? *Si Regium genus, quod ad honorem S. Eccleſiæ, & defenſionem pauperum unà cum fratribus meis, & coepiſcopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neuſtriæ, in regia Majeſtatis culmen perpetuo regnaturum ſtatuens eligi, baptizavi, de fonte ſacro ſuſcepi, donoque ſeptiformis Spiritus conſignavi, & per ejuſdem ſacri chriſmatis unctionem*

ordi-

ordinavi in Regem. Si, inquam, aliquando genus illud regium per benedictionem meam tatum Domino conſecratum mala pro bonis raddens, Eccleſiarum Dei perverſor, deſtructor, depopulator, gravis, aut contrarias exiſtere voluerit, convocatis Rhemorum Epiſcopis, primùm moneatur, & deinde Eccleſia Rhemenſis adjuncta ſibi ſorore Eccleſia Trevirenſi iterum eum conveniat. Tertio verò Archiepiſcopis Galliarum tantummode tribus, aut quatuor convocatis. Princeps ille, qui. anque fuerit admonatur. Quod ſi deinceps intorregibilis contamacia ſpiritum non depoſuerit, & ſe per omnia Deo ſubdens, benedictionibus Eccleſia participare noluérit, elagium ſegregationis à Chriſti corpore ei ab omnibus porrigatur, totumque ei, quod in perſona Juda traditoris Domini noſtri Jeſu Chriſti decantare ſolet Eccleſia: Fiantque dies ejus pauci, & principatum ejus accipiat alter. Hæc vobis, ò Epiſcopi omnes præcipit S. Ramigius, & ita præcipit, ut ſi ea facere neglaxaritis, ea Sanctus ipſe vobis imprecetur, quæ Reges hæretici ſua ſacrilega contumacia ſunt promeriti. Doceantur, in veſtre puteſtate eſſe eos à corpore Chriſti Eccleſie chriſtiena ſegragare, ut deinceps Reges Chriſtienorum gregis effici non poſſint, quèm Judas traditor. Doceantur cum S. Rhemigio precari Deum, ut fiant dies eorum pauci, & decarnite eum ſequaures, æquiſſimum jus eſſe, ut principatum eorum accipiant altari.

Orbis enim Chriſtiani fides catholica eſt, poſſe à Pontificibus, qui ſunt generales Eccleſiæ Paſtores, omnes ejuſdem Eccleſiæ chriſtienos, tanquam oves chriſtiani gregis, ſive Reges vocentur, ſive Imperatores, modò tamen chriſtiani, à ſuis Paſtoribus corrigi, & quando opus eſt excommunicari, ſuoque in chriſtianos dominatu privari. Hoc Evangelium Chriſti docet. Hoc fides chriſtiana ſemper tenuit. Hoc praxis Chriſtiani Orbis in Oriente, in Occidente, in Græcia, in Gallia, in Italia, in Germania, in Polonie, in Anglia, in Hiſpania, in quocunque chriſtiano Regno confirmavit. Hoc Concilie generalia ſuis canonibus fecerunt retum. Hoc chriſtiani ſubditi ſuis moribus docuerunt ſe unà cum chriſtianæ diſciplinæ lacte à matribus ita ſneiſſe, ut panci admodum, & quod ſcio, nullus aliquando Rex propter hæreſim à Sede Apoſtolica regio jura privatus ſit, quin ſubditi ſtatim ejus obedientiem deſeruerint, niſi tyrannico metu, tanquam armata manu comprimebantur, ne poſſent exequi quod maxime cupiabant. Atque huic variari omnis ratio, omnes leges humanæ, divinæque, & communis naturæ jura ſuffragantur.

Siquidem longe arctiori nexu jus humanum, ſive naturale ſive etiam divinum reſpiciamus, mariti uxoribus, vel uxores maritis, filiari parentibus, & mancipia dominis obligantur, quàm ſubditi certo aliani Regi. Hæc enim mere civilis ſtipulatio eſt, eaque multis conditionibus temperate. Hæreſis autem & uxorem ab obſequio maritali facit immunem, & parentum irritem facit in filiis emancipandis actionem; *quia dignum eſt propter tanti atrocitatem delicti, ut filii eſſe in parentum poteſtate deſierint, & ſervi quod abſolvantur à debito fidelitatis, dominii, totiuſque obſequii, ſi lapſis manifeſte in hæreſim aliqua pacto, quacunque firmitate vallata, tenebantur adſtricti, capit. abſolutos de hæret. capit. quicunque eod. tit. in 6. ac leg. Manichæos C. de hær.* Et quid hos à naturali obligatione, & obedientia dicto ſolutos, cùm Scripture divine tam expreſſe & maritos in neutrum, & parentes in filiorum, & ſervos in dominorum cædem armat, hocque ut Sacrificium Deo gratiſſimum prædicat, ſi illi à vera Dei religione ad hæreſim, & idulolatriam deſciſcant? Exod. *cap.32. v.27.*

Atque hoc totum, poſſe nimitum Principem hæreticum & ab Eccleſiæ totius Paſtore generali, & à ſuæ quoque Provinciæ Epiſcopis, principatu ceui, evidens ratio ex ipſius naturæ viſceribus deducta abunde docet. Quis enim eſt adeo brutus, ut manum cancro correptem non potius velit emputare, quàm permittere manum magis magiſque ad reliqui corporis perniciam computreſcere? Qualis ergo eſt illa Reſpublica, quæ juſta caret autoritate, vel etiam voluntate peſtilentiſſimum membrum à reliqua populi totius ſocietate ſegragandi? Quod autem ab hæretico Principe virus in univerſum Reipublicæ corpus permaneat, ecquis chriſtianus ita ſtupidus eſt, qui non ſentiat, ita improbus ut diſſimulat? Si chriſtiane aliqua Reſpublica Turcam ſibi Regem veſit aſſumere, quis dubitet Paſtorem ſupremum, cui à Deo Eccleſiæ procuratio commiſſa eſt, eam electionem Chriſtianis ſub anathematis cenſura poſſe interdicere? At hæreticus chriſtienæ fidei hoſtis eſt Turca longe capitelior. Nam & in Turcia ſub crudeliſſimis Turcarum Tyrannis ſeculus degunt catholici, & hodie viget illic magis, ſemperque magis viguit catholica fides, quàm in Scotia, in Anglia, in Hollandia. Et ſub hæretico Rage quamadmodum regnum gubarnebitur? Catholicè, an hæreticè, aut vero centaurica, ut ita dicam, hoc eſt partim humenè, partim belluinè, ita nimitum, ut aliæ provinciæ ſint catholicæ, aliæ hæreticæ? At primum quemadmodum vel fingi poteſt, ut hæreticus regat catholicè, improbitas præſit honeſte, miniſtri Satanæ ſe gerent Angelice, infidelitas hæretica catholicam fidam funditus everſura, patiatur, illam cum impedire poteſt, viventem & vigentem? Si hæretice, quales illi catholici dicendi ſunt, qui ſcientes volentes, ferre poſſunt ſuam religionem eripi ſibi, & hæreticos catholicæ religioni pro ſue libidine imperare? Imo ſi hoc tolerate jam antea cugitent, nequaquam certe catholici, ſed vel hæretici, vel potius athei, ac infideles ſunt. Sin verò, quod probabile eſt, partes aliæ catholicæ, aliæ hæreticæ ſint futuræ, quàm citò corruet, ac minutè dilacerabitur Regnum? Omne ſiquidem regnum in ſe diviſum vaſtatum iri Salvator prædicit Matth. *capit.* 12. *v.* 25. Et qui criminis dabit Catholicis, ſi Hiſpanos, ſi Allobruges, ſi Burgundos, ſi Italos, ſi vel ab extremis Scythiæ, Aſiæque finibus Moſcuvitem, aut Indum ad ſuum auxilium accerſant? Quando magis honeſtum eſt & laudabile, quemcunque vel remotiſſimum Africæ, Americæve inculam Hennibalem, modò catholicum, Chriſtienis Ragem dare, quàm hæreticum quemcunque.

Et verò ſine controverſie legibus chriſtianis majus Americano catholico jus in regnum convenit, quàm hæretico qualicunque, etiamſi proximo ſenguinis gradu regiam familiam attingat. Multò enim, & inſultè multò majus eſt impedimentum in hæreſi, quàm in peregrinitate, & peregrinus catholicus lege ſucceſſionis regiæ conjunctior eſt catholicis Regibus, quàm hæreticus, etiamſi fortaſſe recte ſerie naturalis generationis ad eos ſuæ ſtirpis originem referret. Unde juſtiſſime, & chriſtianiſſime contra Nevarræum, hæreticum Calviniſtam fuit Eccleſiæ cenſura, ac ſententia, qua ille declaratus fuit à Sixto V. Summo Pontifice *ipſo jure privatus, & incapax, ac inhabilis ad ſuccedendum in*

quibuſcunque ducatibus, principatibus, dominiis, & regnis, ac ſpecialiter in regno Franciæ, in quo tot atroces & nefaria crimina patravit.

Reſtat modò ut eam, quam promiſimus B. Pii V. ſententiam in Anglicanam Jezabelem, exhibeamus. Ea eſt hujuſmodi. *Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regnans in excelſis, cui data eſt omnis in Cœlo & in Terra poteſtas unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam extra quam nulla eſt ſalus, uni ſoli in Terris videlicet Apoſtolorum Principi Petro, Petrique ſucceſſori Romano Pontifici in poteſtatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum ſuper omnes Gentes, & omnia Regna Principem conſtituit, qui evellat, deſtruat, diſſipet, diſperdat, plantet, & ædificet, ut fidelem populum mutuæ charitatis nexu conſtrictum in unitate ſpiritus contineat, ſalvumque & incolumem ſuo exhibeat Salvatori.*

Quo quidem in munere obeundo nos ad prædictæ Eccleſiæ gubernacula Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus omni opera contendentes, ut ipſa unitas, & catholica Religio, quam illius autor ad probandam ſuorum fidem, & correctionem noſtram tantis procellis conflictari permiſit, integra conſervetur; ſed impiorum numerus tantum potentia invaluit, ut nullus jam in Orbe locus ſit relictus, quem illi peſſimis doctrinis corrumpere non tentarint, admittente inter cæteros flagitiorum ſerva Eliſabetha prætenſa Angliæ Regina ad quam veluti ad aſylum omnium infeſtiſſimi profugium invenerint. Hæc eadem Regno occupata ſupremi Eccleſiæ locum Capitis in omni Anglia, ejuſque præcipuam autoritatem atque juriſdictionem monſtruoſe ſibi uſurpans, Regnum ipſum jam tum ad fidem catholicam, & bonam frugem reductum, rurſus in miſerum exitium revocavit.

Uſu namque veræ Religionis, quam ab illius deſertore Henrico VIII. olim everſam claræ memoriæ Maria Regina legitima hujus Sedis præſidio reparaverat, potenti manu inhibito, ſecutiſque, & amplexis hæreticorum erroribus, Regium Conſilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudque obſcuris hominibus hæreticis complevit, catholicæ fidei cultores oppreſſit, impios concionatores, atque impietatum adminiſtros repoſuit, Miſſæ ſacrificium, preces, jejunia, ciborum delectum, cœlibatum, ritusque catholicos abolevit, libros, manifeſtam hæreſim continentes, toto Regno proponi, impia myſteria, & inſtituta ad Calvini præſcriptum, à ſe ſuſcepta, & obſervata etiam à ſubditis ſervari mandavit, Epiſcopos, Eccleſiarum Rectores, & alios ſacerdotes catholicos ſuis Eccleſiis, & beneficiis ejicere, ac de illis, & aliis rebus eccleſiaſticis in hæreticos homines diſponere, deque Eccleſiæ cauſis decernere auſa, Prælatis, Clero, & populo, ne Romanam Eccleſiam agnoſcerent, neve ejus præceptis, ſanctionibuſque Canonicis obtemperarent, interdixit, pleroſque in nefarias leges ſuas venire, & Romani Pontificis autoritatem, atque obedientiam abjurare, ſeque ſolam in temporalibus & ſpiritualibus Dominam agnoſcere jurejurando coegit, pœnas, & ſupplicia in eos, qui dicto non eſſent audientes impoſuit, eaſdemque ab iis, qui in unitate fidei & prædicta obedientia perſeverarunt, exegit. Catholicos Antiſtites & Eccleſiarum Rectores in vincula conjecit, ubi multi diuturno languore, & triſtitia confecti extremum vitæ diem miſere finiverunt. Quæ omnia cùm apud omnes nationes perſpicua, & notoria ſint, & graviſſimo quamplurimorum teſtimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excuſationis, defenſionis, aut tergiverſationis relinquatur.

Nos multiplicantibus aliis, atque aliis ſuper aliam impietatibus, & facinoribus; & præterea fidelium perſecutione, Religioniſque afflictione, impulſu, & opera dictæ Eliſabethæ quotidie magis ingraveſcente, quoniam illius animum ita obfirmatum, atque induratum intelligimus, ut non modo pias Catholicorum Principum de ſanitate, & converſione preces, monitioneſque contempſerit, ſed ne hujus quidem Sedis ad ipſam hac de cauſa Nuncios in Angliam trajicere permiſerit, ad arma juſtitiæ contra eam de neceſſitate converſi dolorem lenire non poſſumus, quod adducamur in eam animadvertere, cujus majores de Republica chriſtiana tantopere meruere.

Illius itaque autoritate ſuffulti, qui nos in hoc ſupremo Juſtitiæ throno, licet tanto oneri impares, voluit collocare, de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus prædictam Eliſabetham hæreticam, & hæreticorum fautricem, eique adhærentes in prædicti anathematis ſententiam incurriſſe, eſſeque à Chriſti corporis unitate præciſos. Quin etiam ipſam prætenſo Regni prædicti jure, nec non omni & quocunque dominio, dignitate privilegioque privatam. Ac item Proceres, ſubditos, & populos dicti Regni, ac cæteros, qui illi quomodocunque juraverunt, a juramento hujuſmodi, ac omni prorſus dominii, fidelitatis, & obſequii debito perpetuò abſolutos, prout nos illos præſentium autoritate abſolvimus, & privamus eandem Eliſabetham prætenſo jure Regni, aliiſque omnibus ſupradictis, præcipimus, & interdicimus univerſis & ſingulis Proceribus, ſubditis, populis, & aliis prædictis, ne illi, ejuſve monitis, mandatis, & legibus audeant obedire. Qui ſecus egerint, eos ſimili anathematis ſententia innodamus.

Quia verò difficile nimis eſſet præſentes quocunque illis opus erit proferre, volumus, ut earum exempla Notarii publici manu, & Prælati eccleſiaſtici, ejuſve Curiæ ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem in judicio, & extra illud ubique gentium faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1570. 5. Kal. Maii Pontificatus noſtri anno quinto.

Divinitus contigit, ut exemplum quoddam hujus declaratoriæ ſententiæ in Angliam ad Joannem Feltonum deferretur, virum & generis nobilitate ſatis clarum, & animi fortitudine multò clariorem. Is enim catholicæ fidei ſtudio, zeloque adductus, cùm pene deſperatam patriæ ſuæ valetudinem, nonniſi acerbiſſima aliqua medicina reſtitui poſſe animadverteret, noluit committere, ut hæc ſententia Summi Paſtoris fruſtra iret. Itaque eo ipſo anno in ipſo Corporis Chriſti feſto, eam in civitate Londinenſi ad fores Epiſcopii juxta Summum Templum publice affixit. Manſerunt litteræ in loco publico ſub clara luce pene ad uſque horam octavam ſequentis diei, & à plurimis viſæ, à multis lectæ, à nonnullis etiam tranſcriptæ fuerunt. Et alius quidem, qui Feltono eas litteras affigenti aſtabat, cùm ex Inſula profugeret, admonuit Feltonum, ut ſibi quoque per fugam conſuleret. At Feltonus recuſavit id facere, conteſtatus, ſe in omnem eventum per Dei gratiam paratum fore. Cum vero de hac re diligentiſſime quæreretur, Joannes Feltonus tandem comprehenſus, dignum ſe Jeſu Chriſti, & Primatus ab eo conſtituti teſtem exhibuit. Interrogatus enim, quid ſibi videretur de his litteris, paululum cunctatus tandem reſpondit, Si vere Pii V. Pontificis Maximi litteræ eſſent, merito ſibi eas venerandas videri, ſe enim agnoſcere illum

eſſe

eſſe Jeſu Chriſti Vicarium in terra. Qua confeſſione facta, primùm in vincula dejectus, ac deinde in judicium duodecim virùs productus eſt, ubi de litterarum ejuſmodi affixione palam interrogatus: Ego, inquit, libero vos omni ulteriori ſollicitudine & labore, meque fateor hiſce litteris affigendis operam dediſſe. Mox ubi acclamatum eſſet. Feltonum eſſe inſignem proditorem, omnium Judicum ſententiis condemnatur. Die igitur octava Auguſti ad ſupplicium trahendus, in ipſo carceris veſtibulo veſtam holoſericam, qua induebatur exuens, ad populum adſtantem dixit, ſe propter fidem catholicam mori, eo quod Summi Pontificis Primatum confiteretur, negaret verò, prætenſam Reginam Summum Eccleſiæ caput eſſe. Moxque in cratem conjectus extulit oculos in cœlum, & pſalmos pœnitentiales intentiſſimo ſtudio recitavit.

Ubi ad locum ſupplicii ventum eſt, è crate levatur; cumque pavorem mortis aliquem ſibi obrepere ſentiret, ſeipſum alloquutus: Quid hoc eſt, inquit, Feltona? An mortem times? Moxque ſcalam juſſus conſcendere, illam januam in conſpectu habuit, in qua ſententiam Pii Quinti affixerat, & manu ad illam extenta: Verè ibi, inquit litteræ Pontificis Maximi contra prætenſam Reginam propoſitæ fuerunt, & nunc pro fide catholica mori paratus ſum. Interpellarunt eum qui aderant, & admonuerunt, ut veniam à Regina peteret, quibus ille ait: Non læſi eam, ſed ſi quem læſi, ab illo, inquit, atque adeo ab omni mundo veniam peto. Ita cum oculos ad cœlum levaret, ac in Dei manus animam fidelem commendaret, torque in collum injecto, de ſcala dejectus eſt ubi cùm aliquantulum pependiſſet, funis præſcindi jubetur, ut vivus adhuc reliqua tormenta ſubiret. Cui verò id officii commiſſum erat, nonnihil moratus dicitur, ut pœnæ hominis parceret. Verum, urgente Magiſtratu, vivus in terram demittitur. Ibi amputantur virilia & in ignem propoſitum conjiciuntur. Tum autem venter aperitur, viſcera eruuntur, ipſum cor effoditur, ac neque adhuc finis. Nam & caput præſcinditur, & membra in quatuor partes diſſecantur. Quo ſpectaculo, ac præſertim tanta nobilis viri conſtantia ſic animi hominum commoti ſunt, ut nulla res æque aut fidem catholicam promovere, aut prætenſæ Reginæ cauſam lædere potuerit. Sanderus *l.7. de Monarch. Eccleſ.6.*

Et quidem, ſi Dominus temporalis monitus, & requiſitus ab Eccleſia, terram ſuam ab hæretica neglexerit purgare fœditate, per Metropolitanos, & cæteros Comprovinciales Epiſcopos excommunicationis vinculo coërceri debet, & ſi ſatisfacere intra annum contempſerit, ſignificari debet Summo Pontifici, ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate denunciet eſſe abſolutos per textum *in cap. excommunicamus de hæret. in 6. cap. fin. de eod. tit. cap. per venerabilem de elect.* multò magis quando Princeps ipſe manifeſte lapſus eſt in hæreſim. Nam nulla reconciliatione facta ejus cum Eccleſia, alioquin contra, cenſentur fidelitates eis & dominia adempta, non minus quàm ſi per ſententiam vaſalli fuiſſent ab ejus fidelitate abſoluti, *arg. cap. de illa de divort.* & ſic reſolvit Oſtien. *in d. cap. fin.* ac ibi Panorm. *de hæret.* niſi abſolutio à fidelitate fuiſſet lata ad tempus, & ſub conditione, puta quamdiù Principes hæreticos ſuſtinerent, vel quamdiù in errore eſſent, tamdiù abſolvi à fidelitate eorum ſubditos, *ut in cap. penul. & fin. 5. quæſt. 6. Sic in § 1. tit. hic finitur lex lib. 2. feud. tit.* 28. Obertus & Girardus dicunt, quod vaſallus dominum excommunicatum, vel bannitum à Rege, non tenetur adjuvare, vel ei ſervire, & interim ſit ſolutus ab ejus juramento fidelitatis, niſi ab Eccleſia, vel Rege fuerit reſtitutus.

Ejuſque terra exponitur catholicis occupanda ex prædictis juribus, & refertur in Conſtit. Friderici Imperatoris *de ſtat. & conſuet. §. ſi verò dominus temporalis in uſib. feud.* tranſcripta *in auth. ſi vero dominus C. de hæret.* facitque novella Juſtin. 110. *de privil. dot. hæreticæ mulier. non præſt.* & quod Leo & Juſtinus ſtatuerunt, ne hæretici cum ulla participarent militia, *l. probatorias 9. C. de divers. offic.* Tollitur Principatus & datur occupanti catholico Principi, quando chriſtianus Princeps hæreticus factus eſt, nec admonitus reſipiſcere vult, vel ſub ſe patitur hæreticos vivere ſubditos, factus ita erroris particeps. Quare ante moneri debere ſtatuit, *d. cap. excommunicamus §. moneantur de hæret. in 6.* Deinde excommunicari, nec excommunicatio etiam valeret, niſi præcedente monitione, *cap. ſacro approbante Concilio de ſent. excom.* Ruſus poſt excommunicationem jus exigit Principum contumaciam non ſatisfaciendi per annum, antequam terra illorum occupantibus exponatur. Deinde occupationem, non quibuſcunque permittit, ſed eis tantum, qui occupatam ab hæreſibus expurgent.

Refert Guicciardin. *lib. 11. hiſtor.* Julium ſecundum, Summum Pontificem, edictum in Ludovicum XII. Regem Galliæ pronunciaſſe, quo eum, & quotquot illi ſtuderent, omnibus & ſchiſmaticorum, & hæreticorum pœnis ſubjiciebat, facta cuique poteſtate fortunas, regna, reſque illorum invadendi, ex quo ſequuta fuerit Regni Navarræ occupatio. Vide Joannem Tillium *in chron. Galliar.* & Paulum Jovium *lib.* 4. B. Pius V. quoque regnum Angliæ proſcripſit, prædæque expoſuit ob hæreſim anno Domini 1569. cujus ſententiam poſtea anno ſequenti Feltonus Londini ad fores Epiſcopii affixit, ut ſuperius dictum eſt. Et hæc dicta ſint de Poteſtate Summi Pontificis in Principes hæreticos.

Cæterum, cogor ſæpius repetere, quod alibi dixi. Quod ſcilicet valde metuenda ſit hæc regnorum cenſura, & in qua graviſſimæ, &, ut quod ſentio dicam, immedicabiles præcedere debeant hæreſes, vel aliæ cauſæ quæ non ſolum Principes, ſed etiam populum inficiant, alioquin ſi ex ſola cauſa, vel delicto, ut contumacia Principis, tanta maledictione prædæ cujuſque populus exponatur, medicina, tantum abeſt, ut proficiat, quin contra aditum infinitis & irreparabilibus malis dabit, cùm mutatio Rerum publicarum, & Principatuum ſoleat turbare ita ſtatum publicum ac privatum, ut antequam conſiſtere poſſit, & quieſcere, ac in tranquillum pervenire ſtatum, boni cum malis pereant, & mali deteriores reddantur, & ita in furorem, furor in deſperationem, contumacia in hæreſim, & ſchiſma, ſchiſma in atheiſmum tranſeat. Omitto exempla plura, ſufficiet ipſa Anglia, maxime antea catholica, quæ ob crimen adulterii Regis Henrici VIII. primum ob repudiatam legitimam uxorem, non conceſſa ſecunda, lapſa ob Regem contumacem in ſchiſma contra Summum Pontificem; deinde ob excommunicationem, & interdictum in hæreſim, & poſt expoſitionem ejus in prædam, in tantam ſævitiam, ut crudelior perſecutio chriſtianorum fere nunquam extiterit. Extant hac de re hiſtoriæ & Pontificum extenſæ cenſuræ, quas, ut cognitas, pertranſeo, ut ea, quæ in aliis expoſitionibus Regnorum acciderint. Sunt etiam Summi Pontifices in hac re

 vigilan-

vigilantiſſimi, qui & prævidere debent. Reges impiiſſimos etiam habere gladium, & ſocios impietatis, quibus hoſtiliter aggreſſi ab exteris, quibus terra illorum exponitur, & cogunt bonos in defenſionem patriæ armari, unde tot cædes bonorum cum malis, tot viduarum, orphanorum, & incendiorum, oppreſſionum, cadaverum reliquiæ luctuoſiſſimæ. Mihi repetenda eſt oraculi D. Pauli, jam alibi explicata recordatio, quæ in ſanis conſiliis renovata non modò delectat, ſed juvat: *Omnia mihi licent*, ait Apoſtolus ad Corinth. 1. v. 22. & 23. *Sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant.* Hinc D. Bernardus *lib. 3. de conſid. ad Eugen.* ait: *Spiritualis homo omne opus ſuum trina conſideratione præveniet. Primo, an liceat, deinde an deceat, poſtremò an expediat. Nam, etſi conſtat in chriſtiana atque philoſophia non decere, niſi quæ licent non expedire, niſi quæ decent, & licent, non continuò tamen omne, quod licet decere, aut expedire conſequens erit.*

CONSULTATIO CLXXXI.

De Pœna Jejunii & abſtinentia à cibis.

INter alias pœnas divinas connumeratur jejunium, & abſtinentia ciborum. Scio jejuniorum vires plures eſſe, de quibus alibi, verum & illa eſt pro peccatis eluendis, ſicut ex D. Ambroſio *ſerm. de Helia & jejunio cap. 3.* conjicimus. *Quid eſt*, inquit, *jejunium, niſi ſubſtantia, & imago cœleſtis, refectio animæ, cibus mentis. Jejunium vita eſt Angelorum, culpæ mors, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis.* Omittimus reliquas vires ejus, tantum illud, quod inſtitutum eſt, perſequamur, in pœnam Jejunia indicta, ut ſolvatur delictum, & reconciliatio fieret cum Deo, qui inimicus erat ob peccatum. Nam in aliis copioſe demonſtrandis laborarunt & antiqui & recentiores Patres, ut D. Baſilius *de jejunio*, D. Ambroſius *loc. cit. & ſer. 40. de jejun. Ninivit.* D. Chryſoſtomus *de jejun. & tenent. Chriſti*, D. Bernardus *ſerm. 4. in ante jejunii*, & alii. Jejunium quidem magnum, & optimum eſt abſtinere à peccatis, & illecebris voluptatum, *can jejunium de conſecrat. d. 5.* & ſine quo corporis jejunium parum prodeſt, *can. nihil prodeſt ead. d. 5. can. utoriſtatem 15. q. 6.*

Verum & hoc, quod à cibis eſt, corpus affligit & divexat, ut melius ſpirituali jejunio obſequatur D. Chryſoſt. *to. 1. hom. 8. in Geneſ.* & jam immiſſa elevat antidoto ſordes. Sicut initio abſtinentia, & jejunium ſigni vitæ indicium, ne incideret homo in peccatum, *can. ſexto die d. 35.* Ergo ad pœnam quoque pertinere jejunium docemur ex S. Scriptura, & Patribus. Etenim per Johelem Deus ſic loquitur *cap. 2. Convertimini ad me in jejunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Audita Prophetæ comminatione, jejunavit Achab Rex Samariæ, & dormivit in ſacco 1. Reg. 23. & Judith. 3. dicebat: *Si jejuniis & orationibus permanſeritis, coram Domino, exaudiet preces veſtras.* In pœnam eſſe & docet David pſal. 34. *Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu convertetur.* Et Moſes in Numerorum libro cap. 30. *Si mulier juramento, & voto ſe conſtrinxerit, ut per jejunium, & cæterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam in arbitrio viri erit, ſi faciat*, &c. ſolentque oratione & jejunio dæmones, qui corpora obſident & mentes, edomari Marc. 9. *ſicut in viſceribus puerorum*, loquit D. Baſilius, ſermon. de jejun. *vermes acutis medicinis expelluntur, ſic peccatum in animo radicatum, jejunium interficit.* Idipſum tradit Ambroſius *ibid.* & Athanaſius *lib. de virginit.* cùm per id jejunium Dei gratia ad miſerendum flectatur, jejunium delinquentia vulnera curat, curatos ſanctificat, *can. ſint tibi jejunia de conſecr. d. 5.* ſatiſfacit pro commiſſis *can. igitur d. 76.* non tantum viventium, ſed & eorum, qui jam hinc emigrarunt *can. animæ defunctorum 13. quæſt. 2.*

Neque ſoli populi, qui Dei veri cognitionem habuerunt, jejunia ad expianda delicta valere, & ad purgandas animas exiſtimarunt, ſed & inter ethnicos ii, qui ſeriò philoſophati ſunt. Atque Clemens Alexandrinus *orat. adhort. ad Gent.* myſteriorum Eleuſinorum ſignum fuiſſe hæc verba tradit: *Jejunavi, potum confectum bibi, ex ciſta accepi, poſtquam feci, depoſui in calathum, & ex calatho in ciſtam.* Porphirius teſtatur *lib. 2. de abſtinen. animal.* ubi de his plura, Theologos Gentilium jubere ſuis ſacrificiis, antequam ſacrificarent, purgare animum jejunio, ac præcipuè animalium abſtinentia. Exiſtimant namque, inquit, ſanctam animi puritatem ſymbolum eſſe, characteremque divinum, quo cuſtodiaris adeo, ut nihil patiaris ab ſpiritibus dæmonum.

Quamobrem quia in pœnam delicti & jejunia inflicta, quia omnibus temporibus omni peccatur, omnibus quoque ſtata quædam jejunia *can. hujus obſervantiæ d. 76.* quædam etiam indicta, & repentina vel à nobis ipſis, vel à ſuperioribus. Stata ſunt in temporibus decretis, prout refert Gratianus per totam diſtinctionem 76. ubi & Patrum leges affert. Et Innocentius III. *in cap. 1. & 2. de obſer. jejun.* & alii. Adjicio tantum Aerium, hæreticum fuiſſe olim judicatum, quòd tempora præſtituta jejuniis non debere dixerit, teſte Epiphanio. Indictum jejunium eſt, quod extra tempora decreta jejunia ob placandam iram Dei indicitur, vel ob aliam cauſam, quod niſi quis ſervaverit legitimè indictum Concilio Moguntino anathematizatur *c. 35.* Sic filii Iſrael contra Philiſtæos pugnaturi indixerunt jejunium, jejunaverunt, clamantes dixerunt Deo, *Tibi peccavimus, Domine* 1. *Reg.* 7. Et David propter infirmitatem filii ſui ſibi indixit jejunium 2. *Reg.* 3. Et Judith 4. tempore indictum populo metu Holophernis; Et cùm tradenda eſſet Judæorum gens ab Aſſuero, invidia Amanis, per Eſther indictum jejunium eſt, *c. 14.* & tempore Johelis 14. & Jonæ inter Ninivitas *cap. 3.*

Gradus abſtinentiæ plures ſunt in jejunio ſtatuto, vel indicto. Nam aliis licet aliquibus temporibus lacticinia edere, aliis non licet. Aliquando oleribus tantum & vino uti, aliquando pane & aqua ſolum. Quæ omnia vel lege, vel conſuetudine recepta ſunt, vel proprio ſtatuto. Unde jejunium aliud alio levius & gravius ratione rerum, perſonarum, temporis, & criminis, ut licet obſervare ex canonibus pœnitentialibus *can. hæc omnia d. 72. cap. accepiſti de ſponſ. duor. can. admonere 33. q. 2. cap. accuſaſti de accuſ. can. quicunque 16. q. 1. can. qui compulſus 22. q. 5. can. ſi quis convictus eod. can. demea. 22. q. 2. cap. licet de pœnit. & remiſſ.*

CON-

Consultatio CLXXXII.

De Redargutione, ac Reprehenſione.

INter etiam pœnas utriuſque Teſtamenti eſt & verborum flagellatio, nec contemnitur, ſed ſalubria habetur. *Peccantes*, ait D. Paulus 1. Timoth. 5. *coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant.* in Levitico 19. lex ſtatuit, *non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeat ſuper illo peccatum.* Et alibi Prov. 24. *Qui audiunt, laudabuntur, & ſuper eos veniet benedictio.* Et iterum 2. ad Timoth. 4. *Argue, obſecra in omni timore & doctrina, & argue eum omni imperio* ad Tit. 2.

Et hoc munus potiſſimùm eſt eorum, qui palam verbum Dei annunciant, quibus annunciare populo ſcelera ejus convenit Iſaiæ 58. Qui inſtare debent delinquentibus opportune & importune 2. ad Timoth. 4. Deſævit ira Dei in populum, cùm Eccleſiaſtici viti palpant, nec reprehendunt vitia *can. ſed illud d.* 45. *Deceperunt*, inquit Ezechiel. cap. 13. *populum meum Prophetæ, dicentes, pax, pax, & non eſt pax; & ipſe adificabat parietem, illi autem liniebant luto abſque paleis, &c. Væ, qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite ad capiendas animas*, id eſt, aſſentationibus, & delinimentis, deceperunt peccatores, illos non reprehendentes *can. ſunt nonnulli d.* 46.

Reprehenſio autem hæc publica debet eſſe, ſi crimen publicum, vel monitus non reſipuerit. Et ita accuſatio publica recipitur in foro conſcientiæ *d. can. ſed illud*, D. Matth. cap. 18. ſic D. Joannes Baptiſta palam delinquentem Herodem arguit Marc. 6. & Dominus noſter Jeſus Chriſtus palam reprehendit Phariſæorum juſtitiam & mores Matth. 23. Hoc enim & confundit, & pudore afficit delinquentes gravius, & ad reſipiſcentiam ſtimulat 2. ad Theſſalon. 3. qui plus de hujus ſeculi fama ſolliciti ſunt, quàm de ſalute. Facitque ad exemplum aliorum ut cæteri timorem habeant 1. ad Timot. 5. Quod ſi peccata ſint occulta, vel ſecreta, privatim argui delinquentes debent can. plerunque 2. q. 7. *Vide cap. novit*, ac ibi Panorm. *de judic.* Forſan enim hac privata admonitione lucrabitur quis animam fratris. Comminari dicunt Juriſconſulti pro reprehenſione *l.* 1. *§. cum patronus ff. de offic. Præf. Urb.* Comminationes autem iſtæ, etiam à Judice factæ, non infamant, l. interlocutio Præſidis *C. ex quibus cauſ. infam. irreg.* 22.

Consultatio CLXXXIII.

De Pœnis in Iure Pontificio uſurpatis.

JUre pontificio impoſitæ ſunt pœnæ, partim à jure divino, partim à jure civili Romanorum, & aliarum gentium tranſlatæ, partim illi peculiares. Utitur namque in ſpiritualibus increpatione, ſive reprehenſione, vel monitione, infamia, depoſitione, degradatione, ſive exauctoratione, cenſura, ſive excommunicatione, interdicto, ſuſpenſione, anathemate, & aliis quoque corporalibus abſtinentia, jejunio, verberibus, publicatione bonorum, detruſione in monaſterium, interdictione loci, peregrinatione, carcere perpetuo, ex quibus quædam jam tractata ſunt, quædam ſuperſunt explicanda, & primum agemus de infamia.

Non poſſumus autem ſatis commode Infamiam deſcribere, vel definire, niſi prius quid fama ſit intelligamus. Fama itaque eſt frequens, ac vulgaris de aliqua re ſermo. Et cùm ſermones aliqua de re in bonam & malam proferri poſſint partem, & ad laudem & ignominiam conſequens eſt rectè famam & bonam & malam conſtituere. Æſchines contra Timarchum ſcribit, famam efferre in vulgus privata cujuſque ſtudia, multa quoque divinare, quæ futura ſunt, & Cicero *ad fin. topic. fama vulgi, multitudinis eſt quoddam teſtimonium.* Sic Demoſthenes in proœm. 21. aliàs 51. *Actiones*, inquit, *in ejuſdem poteſtate ſunt, à qua geruntur; at exiſtimationis, quæ actiones ſequitur, nemo tantus eſt, qui dominetur, ſed qualemcunque tandem res geſta excitarunt, talis de autoribus fama ſpargitur à populo.* Providendum igitur, & danda opera, ut eæ juſtæ videantur.

Falſa quippe ſæpe eſt & mala fama bonorum, quam Deus permittit ſuſcitari in humiliationem eorundem *can. omnes* 6. *q.* 1. ut in timore operentur ſuam ſalutem. Bonam famam exiſtimationem vocant juriſconſulti *l. pen. §.* 1. *ff. de var. & extraordin. cogn.* eaque dicitur dignitatis illæſæ ſtatus legibus & moribus comprobatus, qui autoritate legum ex delicto aliquo aut conſumitur, aut minuitur. Sic contra, infamia erit diminutio ejus exiſtimationis & ſtatus. Et in ſumma quot erunt diminutiones, tot erunt infamiæ ſpecies. Idcirco contra, mala fama, quæ, ut plerunque infamia dicitur, pœnæ loco eſt, cùm nomen bonum, & fama bona alicujus notatur. Unde omnes dignitatum gradus infamibus utroque jure prohibentur, *l.* 1. *C. de infam. Neque enim* inquit Lex 2. C. de dignit. *famoſis, & notatis, & quos ſcelus, aut vitæ turpitudo inquinat, & quos infamia ab honeſtorum cœtu ſegregat, dignitatis portæ patebunt.* Ex quibus verbis etiam colliguntur infamiæ variæ ſpecies. Alia enim juris, alia facti eſt. Juris vel pontificii, vel civilis, quando ab aliquo, vel utroque horum jure ob aliquod factum; vel ſcelus inuritur nota, vel ipſo facto, vel interveniente Judicis ſententia, ſeu ex genere delicti, vel pœnæ, vel modo, quo condemnatio fit *can. infames §. porrò* 3. *quæſt.* 7. ubi Gloſſa notabilis, quæ hæc diſtinguit ac prob. t.

Infamia in jure pontificio irrogatur vel ex peccato mortali *can. illi, qui* 6. *q.* 1. vel ex ſententia excommunicationis *can. infames, & d. can. illi qui ibid.* Infamia peccati quod ad culpam aboletur ſacerdotali abſolutione, dum Eccleſiæ ſatisfit, *d. can. illi, qui; can. præceptum* 32. *q.* 5. *can. ſi duo* 15. *q.* 6. Et ſi clericus majori infamia notetur, abolitur à ſummo Pontifice *can. Euphemium §.* 1. 2. *q.* 3. Infames ſic declarentur jure pontificio *can. conſtituimus* 3. *q.* 6. *can. infames* 6. *q.* 2. homicidæ, malefici, fures, ſacrilegi, raptores, adulteri, inceſtuoſi, venefici; perjuri, falſi teſtes, aliique iis ſimiles, & ideo repulſi meritò à teſtimonio dicendo, ut prævaricatores fidei Chriſtianæ, hæretici *can. alieni* 2. *q.* 7. hiſtriones *can. definimus* 4. *q.* 1. Eccleſiaſticorum bonorum direptores *can. attendendum* 17. *q.* 4. ſuperiores calumniantes *can. conſanguineorum* 3. *q.* 4. Simoniacus *can. ſane* 15. *q.* 3. *& l. ſi quenquam C. de Epiſc. & cler.* ſua culpa irregularis factus clericus *can. omnes* 6. *q.* 1. qui adverſus Sacerdotes ex malitia armantur *can. Sacerdotes* 6. *q.* 1.

Jure civili non omnis damnatus ob crimen, fit infamis, ſed ſi damnetur crimine publico, vel privati furti vi bonorum raptorum, injuriarum. ut ſic Marcellus *l. infamem* 7. *ff. de publ. judic.* & ſic de ſimilibus privatis, quando civilis actio ex his prodita infamat, & de dolo damni ac tutela, mandati, depoſiti, directæ, non contrariæ, pro ſocio §. *Ex quibuſdam*

inſtit. de pœn. tem. litig. l. 1. §. quinet. ff. de his, qui not. infam. l. 4. §. fin. l. 5. & 6. eod. tit. l. 5. 8. 10. 12. C. eod. Jure civili multis ex cauſis vel directò, vel ſententiis quoque quis notatur infamia, prout late explicant Juſtinianus, Gajus, Ulpianus, Paulus, & alii Juriſconſulti ac Cæſares propriis titulis *l. 1. 2. 3. 4. & tot. tit. ff. de his, qui not. infam. & tot. tit. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.*

Sunt autem aliquando quidam infames utroque jure, pontificio, & civili, aliquando altero tantum. Nam non omnis, qui infamis jure civili eſt, jure pontificio talis eſt *d. can. Euphemium, & can. proximo 2. q. 3. cap. pen. de ſecund. nupt. l. 1. C. eod.* Regulari tamen jure, qui jure civili infamis dicitur, & jure pontificio infamis eſt *can. omnes verò 6. q. 1.* ut non poſſit ad ordines ſacros conſcendere.

Infamis facti quando juris diſpoſitione quidem expreſſe quis non notatur, ſed tantum per ſe probrum & ignominiam inter bonos, & graves habet, ſitque famæ aggravatio, ut *in l. ... ff. de obſeq. à liber. vel &c.* Turpitudo vitæ infamia ejus eſt *l. 2. C. de dign.* & probra quædam natura ſunt turpia, ut puta furtum, adulterium, quædam tantum opprobria & turpia civiliter, & quaſi more civitatis improbata, ut damnati tutelæ, teſte Ulpiano *l. probrum ff. de ſignif. verb.* Eſt infamia facti, à patre seriò filium malo nomine notari, etſi juris non ſit *l. ea, quæ C. ex quibus cauſ. infam. irrog.* Idem in his, quæ Judex interloquendo cauſa non cognita, in litigantes infamatoria refert, ſtatuendum eſt *l. verbum, & l. interlocutio C. eod.* Dicta enim cenſentur à Judice, ut ad meliorem frugem redeant, non infamiæ cauſa. Eſt & facti ignominia celare ſcortum, ut eo abutatur celans *l. verum eſt ff. de furt.* Infamia, quæ oritur à crimine, & turpitudine pœnam habet. Primum, ut infamis non ferat teſtimonium *can. conſtituimus 3. q. 9. can. infames 6. q. 1. cap. licet de teſtib. lib. 3. §. lege Julia ff. de teſtib.* ſecundo non ſit advocatus, nec procurator ſecundum jus pontificium *can. infames 3. q. 7. l. 1. §. ait Prætor ff. de poſtul.* Procuratores tamen eſſe jure civili poſſunt, quia vile hoc jure putatur eſſe munus *§. fin. inſtit. de excep. apud Juſtin.* Item infamis ab omni dignitate arcetur generaliter *l. ne quis C. de decur. l. 1. C. de infam. l. nec famoſis C. de dignit. l. cum Prætor ff. de judic. l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ. cap. infamibus de reg. jur. in 6. cap. licet de teſtib. cap. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* Tertiò arbitri eſſe nequeunt infames *l. Pedius ff. de arbitr.* Quarto à locis, in quibus Princeps degit, infames ejiciuntur *l. 2. §. ignominia ff. de iis, qui not. infam. l. 3. C. de re milit.* Quinto repelluntur ab Ordinibus Eccleſiaſticis *can. omni pontens de accuſ. can. tantis d. 81.* Sexto, promoti etiam ſuſpenduntur ſecundum Innocentium *in cap. de poſtul. Prælat. cap. ſuper eo de elect. & cap. niſi cum pridem de renunciat.* Septimo infamis hæres inſtitutus, & turpis perſona facit, ut frater, qui alioquin repellitur ab inofficioſi querela contra teſtamentum fratris, poſſit admitti *l. fratres C. de inof. teſtam. l. 1. ff. eod.* Octavo, ſicuti miles damnatus de crimine, quod infamiam habet, ſolvitur ſacramento militari, ita & ab Eccleſiaſtico *l. 2. §. miles, & ibi Gloſ. in v. ſacramento ff. de iis, qui not. infam.* Atque Panormitanus exiſtimat collationem beneficii factam infami, ipſo jure nullam eſſe, quanquam ſupervenientem infamiam dicat non privare beneficio, etſi privet dignitate tituli, quia non invenerit textum hanc pœnam ſtatuentem, *in cap. querelam de jurejur.* Angel de Clavaſ. *in ſum. v. infamia. §. ſed nunquid.*

Cœterum obſervandum eſt, infamiam evitari, ac tolli poſſe. Evitatur, ſi is, qui in judicio arceſſitur, ex quo condemnatio infamiam irrogat, litem componat ante ſententiam, *arg. l. ſirens ff. de prec.* Vel ſi litem perſequatur procuratorio nomine, eo nomine procuratorio condemnatus, infamis non eſt ex ſententia *l. furti §. ſiquis aliene*, ac ibi Gloſſa Bartolus, & Doctores *ff. de iis, qui not. infam.* Vel ſi à judicio provocaverit *d. l. furti §. ſiquis.* Facti infamia aboletur contrario facto, Panorm. *in cap. ex diligenti de ſimon.* Item ſi deroget Princeps, vel remittat. Tunc enim, etſi infamia ſit, tamen effectu caret, idem Panorm. *in cap. cum te de ſent. & re jud.* Poſſe etiam id fieri per Senatum, tradit Gloſ. *in can. omnes 6. q. 1. per can. fin. §. notandum 2. q. 3. & per l. 1. §. de qua ff. de poſtul.* Unde Judex ſæpe utitur hac clauſula, ſine nota infamiæ, dum condemnat. Aboletur & pœna, vel effectus infamiæ facti purgatione jurata præſtita *can. de crimine 15. q. 5. cap. 1. 3. 5. & 6. ac fere tot. tit. de purg. can. & can. 1. 2. q. 1. can. omnes. 6. q. 1.* quando ſcilicet fama probationem veram, aut certam non habet, ſed rumor vagus, incertuſve circumfertur, quempiam hoc, vel illud crimen admiſiſſe, ſuſpicionibus & præſumptionibus quibuſdam excitatus, concurrenteſque in contrarium de ejus bonitate, ac fide præſumptione, alioquin ſi crimen, de quo quis infamatur, haberet probationem, non admitteretur purgatio *cap. ſiquis de purg. can.* Infamia à jure canonico irrogata ob peccatum mortale tollitur per pœnitentiam impletam *can. illi, qui 6. q. 1.* Verùm apud bonos & graves, & in negotiis ſeriis non ſufficit nunc non eſſe infamem, ſed requiritur aliquando non fuiſſe infamem, ut ſi de accuſando alio, vel de probatione ejus, qui infamis fuit, agitur, ſi modo ex criminibus damnatus fuerit. *can. qui crimen 6. q. 1.* vide ibi diſtinctionem Gloſſæ, & Gloſſam *in d. can. omnes 6. q. 1.* Infamia excommunicationis tollitur per abſolutionem *can. 1. 4. q. 1.* Infamia autem, ex impoſitione pœnæ orta, tollitur poſt ſublatam, & impletam pœnam, ut in relegationis impleto tempore ſtatuitur *l. 1. 4. & 6. C. ex quib. cau. infam. irrog. l. 1. & 2. C. de iis, qui in exil. dati ſunt,* Papin. *l. falſi nominis §. 1. ff. ad leg. Cornel. de falſ.* Quod Paulus *in l. ordine ff. ad munic.* exiſtimat verum, ſi damnatus delinquens durioribus pœnis, quàm legitimis, non autem ſi minoribus, quàm leges permittant, ſubjiciatur, quo caſu putat infamiam etiam præſtita fama, ut minori, non aboleri. Unde & iſti tanquam famoſi à dignitatibus in poſterum repelluntur, illi minime, ut reſpondit etiam Julianus *in l. interdum §. 1. ff. de furt.* Papinianus *l. ad tempus ff. de decur.* & Marcellus *l. in ſervorum §. fin. ff. de pœn.* Quia non plene eluitur minoribus delicto pœnis ſcelus, nec in poteſtate Judicis reſidet juris autoritas *d. l. ordine*, & minoribus impoſitis videtur de infamia tranſactum, Ulpian. *l. quid ergo §. pœna ff. de iis, qui not. infam.* Proinde indulgentia Principis, quos liberat à pœna, notat infamia, ad quam diluendam propria indulgentiæ natura non extenditur, *l. fin. C. de gene. abolit.* ſicuti etſi delicti condemnatio perpetuam habeat infamiam, alia pœna temporalis impleta cum infamia impoſita non eluit infamiam, Arrian. Juriſconſ. *in l. qui cum uno §. ad tempus ff. de re milit.*

CONSULTATIO CLXXXIV.

Speciatim de pœna Privationis Beneficiorum, & Officiorum, quibus hæretici, ac ſortilegi hæreticales privantur, ubi fuſe, lateque de pœna lata ſententiæ, tanquam de re utiliſſima in explicandis pœnis canonicis de quibus paſſim Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicæ.

CLericus hæreticus, vel hæreticale ſortilegium committens incurrit ipſo jure, ſive ipſo facto à die

die commiſſi criminis in pœnam privationis beneficiorum ante Iudicis ſententiam, & ad alia obtinenda redditur inhabilis *ex cap. ad abolendam § ſi clericus de haret.* ubi Geminianus ponderat verbum *ſpoliatus*, quod executionem ipſo jure importat, traditque Covar. *var. reſol. lib. 2. cap. 8. num. 4.* ubi ait, hoc probari *ex can. quo jure d. 8.* Locat. poſt Iudic. Inquiſ. *fol.* 473. ubi refert decretum Pauli IV. editum in Congregatione S. Officii, quod hæreticorum beneficia vacent à die commiſſi criminis Lopex *in addit. ad Diaz. cap. 114. lit.* A. Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 26. num. 6.* Farinac. *de hareſi q. 189. nu. 73. & 77.* Pegna *p. 3. com.* 162. Extatque reſcriptum B. Pii V. quod incipit, *Cum ex Apoſtolatus* relatum à Pegna, in quo univerſa beneficia, cujuſcunque generis fuerint ob hæreſis crimen, Sedi Apoſtolicæ reſervavit. Unde apertiſſime ſupponit, ipſo jure ille ob crimen hæreſis commiſſum vacare, illiſque privari, & inhabiles ad alia reddi. Atque ita etiam declaravit S. Congregatio S. Officii ſub die 18. Iunii 1556. & 29. Septembris 1559. per hæc verba: *Hareticorum beneficia vacant ipſo jure à die commiſſi criminis, & eorum collatio eſt reſervata Summo Pontifici. ac reſignationes, ab ipſis hareticis facta, ſunt nulla, nec Ordinarii poſſunt talia beneficia conferre.*

Non obſtant Alphonſus de Caſtro *lib. 2. cap. 4. de juſtit. haret. part. 1.* Simancas *de cat. inſtit. tit. 41. nu.* 72. aliique, opinantes, requiri ad hanc privationem Judicis ſententiam ex eo, quod *in cap. ut commiſſi §. privandi de haret. in 6.* dicatur: *privandi pratérea, vel privatos nunciandi, dignitatibus, & aliis beneficiis Ecclesiaſticis.* Verum enim illud *privandi* ſignificat non latam à lege ſententiam, ſed à Judice ferendam.

Nam reſpondetur, quod hæc verba non ſunt intelligenda disjunctive, ſed expoſitive ita, ut ſenſus ſit *privandi*, id eſt *privatos denunciandi*. Vel illud verbum *privandi* refertur ad hæreticorum fautores, receptatores, ac defenſores, verba verò *privatos denunciandi* ad hæreſis crimen committentes, ut etiam docent Covarruvias, Pegna & Sanchez locis citatis.

Requiritur tamen ſententia declaratoria quod Clericus commiſerit hæreſis crimen, ſive ſortilegium manifeſte hæreticale, ut beneficium ante tale crimen adeptum, dimittere teneatur. Quia communis ſententia docet, privatos ipſo jure beneficiis, non teneri ea dimittere ante ſententiam criminis declaratoriam. Etenim quamvis à die commiſſi criminis titulo beneficii hæreticus, ac ſortilegus hæreticalis careat, poſſeſſionem tamen retinet, quæ ſufficit, ut illud retinere valeat. Et ita ſentiunt Menoch. *de arb. caſ. 416. num. 62. & ſeq.* Salzed. *ad Diaz. d. cap. 114.* Azor *p. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8.* Enriq. *lib. 14. de irreg. cap. 4. nu. 6. & lib. 13. de excom. cap. 56. num.* 1. Sanch. *loc. cit. num. 7.* Farinac. *de hareſ. q. 189. num.* 80. aliique.

Nec talis clericus declaratus, quod crimen hæreſis commiſerit, tenetur ſe beneficiis ſpoliare. Nam etiam dum quis privatur ipſo jure beneficio, præter ſententiam declaratoriam, requiritur ſententiæ executio, ut docent Covar. *in 4. decretal. p. 2. cap. 6. § 8. num.* 8. Enriquez *d. lib. 13. de excom. cap. 56. num. 3.* Azor *d. p. 1. lib. 5. cap. 8 q. 4.* & Sanch. *ubi ſupra numero* 8.

Porrò pœna latæ ſententiæ eſt, quæ effectum ſuum ſortitur, & afficit ex ipſo *jure*, ſen canone diſponente, id eſt ex ſola ipſius præcepti poteſtate, ſeu ipſo facto abſque miniſterio Judicis, hoc eſt abſque alia ſententia condemnatoria, vel executoria, quam requirit pœna ſententiæ ferendæ, nam ipſa trahit ſecum executionem. Sic Abb. *in cap. 1. de re jud.* Bartol. *in l. 1. in fin. de compenſ.* Felin. *in cap. Rodulphus n. 24. de reſcrip.* Tiraquel *in l. ſi unquam v. revertatur num. 5. C. de revoc. donat.* Syl. *in clav. reg. lib. 3. cap. 8. num. 24. ac de cenſur. lib. 1. cap. 11. num. 4* Salas *de legib. diſp 15. ſect. 3. num.* 41. & Suarez *de legib. lib. 5. cap. 7. num. 1.*

Cognoſcitur autem pœna latæ ſententiæ ex eo; quod profertur verbis directis, quæ ſcilicet non requirunt ex natura ſua factum, ſive opem hominis. Pœna verò ſententiæ ferendæ cognoſcitur, quia profertur verbis obliquis, quæ requirunt manum hominis. Et quamvis pœna latæ ſententiæ interdum proferatur verbis obliquis, vel communibus, id tamen contingit, quia ex aliis addita verba communia, vel obliqua determinentur ad ſenſum directum, ut per Tiraquel. *loc. cit. num. 36. & ſeq.* ac Felin. *ibid. nu.* 14. Quæ autem in particulari ſint verba directa, quæve obliqua, vel communia, declarat Bartol. *in l. centurio a n. 23. ff. de vulg. & pupil.* Felin. *eo loco*, Tiraquel. *à num.* 21. Saytus, Salas, & Suarez *ubi ſupra.* Illud tamen prætereundum non eſt, quod verbum *incurrere*, etiamſi in infinitivo, vel futuro exprimatur, eſt verbum directum. Quia ex natura ſua excludit factum hominis, ut per Rot. Caſſador. *dec. 1. nu. 4. & 5. de ſimon.* & de magis communi teſtatur Tiraquel. *loc. cit. num.* 147. eſtque textus *in extravag. 2. de ſimon.* Quando verò eſt dubium, aliquod verbum, ſive canon ſit latæ ſententiæ, vel ferendæ, ut contingit in verbis communibus, debet intelligi eſſe ferendæ, ut in partem benigniorem in pœnali materia fiat interpretatio, Glos. *in cap. in pœnis de reg. jur. in 6.* Abb. & Butr. *in cap. ſi diligenti de for. comp.* Felin. *in d. cap.* Rodulphus, *v. cadat*, ubi ponit exemplum *ad v. cadat.* Et nullum crimen privat ipſo jure, niſi in caſibus à *jure* expreſſis, Felin. *in cap. 2. num. 3. de reſcript.* cum Innoc. Gemin. & aliis, & *in cap. querelam num. 2. de jurejur.*

Pœna item latæ ſententiæ formaliter eſt aliqua privatio moralis, & non phyſica. Quia cùm trahat ſecum executionem abſque facto hominis, non poteſt ſolà efficere privationem phyſicam. Lex enim per ſe non poteſt ſola efficere actum phyſicum, ſed moralem, ideoque non poteſt privare actu ea corporea, ſeu illius poſſeſſione, ſed re morali tantùm, ſeu jure aliquo, verbi gratia dominio, habilitate, fama, &c. ut per Suarez *de legib. lib. 5. cap. 7. num. 1.* quamvis in conſequentiam moralis privationis ſequi etiam poſſit obligatio ad privationem phyſicam, ut mox dicetur.

Certum item eſt, quod præceptum Eccleſiaſticum ſub pœna gravi, ſive temporali, ſive ſpirituali latæ ſententiæ, cenſetur obligare ſub peccato mortali ad tale præceptum, & continere materiam gravem. Nam aliàs præceptum foret iniquum, imponendo pœnam gravem pro levi culpa ut per Sayt. *lib. 3. clav. Reg. cap. 7. num.* 21. cum communi ſententia, & Sanch. *in decal. lib. 6. cap. 4. num.* 64. Et quamvis nonnulli, ut Cajetanus, Navarrus, Driedo, & Valentia relati à Sayro *ibidem*, teneant, quod præceptum, etiam ſub gravi pœna comminatoria, ſeu ferendæ ſententiæ, non ſignificet obligationem ſub mortali ad tale præceptum, tamen etiam ipſi ſecus dicunt in pœnis latæ ſententiæ.

Quamvis verò Canoniſtæ communiter dicant, pœnam latæ ſententiæ inferri poſſe, & afficere etiam pro peccato omnino occulto, ſcilicet pro actu pure interno, pœnam autem ferendæ ſententiæ ſolum pro actu externo inferri poſſe, ut conſtat ex allegatis à Sanchez *lib. 2. in decal. cap. 8. num. 1.* ac tenet etiam Tiraquel. *in d. l. ſi unquam v. revertatur n. 95.* Tamen vera, & communis ſententia Theologorum, & multorum etiam Canoniſtarum, quos citat & ſequitur Sanch.

Sanch. *ibid. num.* 2. Salas *de legib. diſp.* 9. *ſect.* 2. *nu.* 3. & 6. tenet neque pœnam latæ ſententiæ pro actu merè interno inferri poſſe, quia Eccleſia non judicat de omnino occultis, ſed ea ſoli Deo reſervantur, *can. conſuluiſti* 2. *quæſt.* 5. *can. erubeſcant d.* 32. ibique Gloſſa.

Qui autem dicendus ſit actus externus, declarant Sanch. *ibid. num.* 7. Suarez *to.* 1. *de relig. tr.* 3. *lib.* 3. *cap.* 6 *num.* 12, & *cap.* 4. *num.* 1. *ac de fid. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 9. Laym. *lib.* 2. *tr. de fid. cap.* 14. Et dicunt ſufficere, ac requiri quod ſit ſignum ſenſibile moraliter ſignificativum in ordine ad alium actus interni, id eſt, ut ſit intelligibile ab alio homine, ſi adeſſet, ſaltem in aliqua circumſtantia loci, etiamſi actu nullus adſit.

Lex verò humana, præſertim Eccleſiaſtica, poteſt ferre pœnas ipſo facto incurrendas pro actu interno non ut in interno, ſed quatenus refertur ad externum, & cum eo componit unum in genere moris, ſeu quatenus actum externum informat, efficit, corrumpit & depravat. Et procedit, etiamſi actus externus aliàs eſſet bonus, vel indifferens ex objecto, & fine operis, ſeu ex objecto immediato, quia poteſt reddi malus ex objecto & fine operantis, ſeu ex objecto remoto, ſeu ab actu imperante, ſeu intentione malegantis, ut ait D. Thomas *p.* 2. *q.* 20. *ar.* 2. ibique Theologi communiter. Idque etiamſi illa mala intentio, ſeù internus actus nullo modo prodeat exterius, nulloque ſigno ſe manifeſtet. Et ideo hanc ſententiam docent Sayr. *lib.* 3. *clav. reg. cap.* 6. *in fin.* Salas *de legib. diſp.* 9. *ſect.* 1. *num.* 7. 10. & 12. aſſerens eſſe probabiliorem, ac tutiorem, Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. §. In hoc itaque, dicens eſſe compertum ac certum, poſſe legem humanam prohibere, ſeu punire, ut ſupra, actum externum, ut ex aliqua mala intentione interna provenientem, & hanc eſſe communem ſententiam Juriſtarum, & Theologorum, conſtat ex iis quæ de Inquiſitoribus ſtatuitur *in Clem.* 1. §. *verum de hæret.* In qua incurrunt illius pœnas etiam ob actum internum, id eſt odii, vel amoris, vel quia lex poteſt punire, & punit actum externum de ſe malum geſtum cum tali intentione mala, ut Soar. *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 2. *num.* 21. quamvis alii putent, legem humanam, etiam Eccleſiaſticam, non poſſe punire actum externum ratione actus interni mali, niſi vel ille actus externus ſit de ſubſtantia actus externi, ita ut ſine illo actus externus mutet ſpeciem, vel niſi actus internus, verbi gratia mala intentio, prodeat exterius aliquo ſigno. Secus autem ſore dicunt, ſi actus externus ſit de ſe bonus, vel indifferens, licet malus fiat à malitia actus interni, quæ illi accidat, ut à circumſtantia tantum extrinſeca, & accidentaria, ut ab actu imperante, ſeu intentione mala, ut tenent Navar. *in cap. mandato n.* 20. *de ſimon.* Vaſquez 1. 2. *diſp.* 160. Suar. *loc. cit. n.* 19. & *ſeqq.* Illud verò certum ratione malæ alicujus intentionis, aut ratione defectus actus interni, quando id fiat per modum legis, ſeu pœnæ conventionalis, ſcilicet quia aliàs legislator non publica bona alicui conferri, niſi ceſſet, vel adſit talis intentio, ut per Azor. *loc. cit.*

Pœna autem latæ ſententiæ quatenus eſt merè privativa, ſcilicet non requirens factum hominis, ſeu actum poſitivum phyſicum ad ſui conſummationem, ſeu executionem totalem, ut inhabilitas, vel privatio tituli, ſeu tutiùs dominii civilis, privatio vocis activæ, vel paſſivæ &c. obligat in conſcientia ipſo facto, etiam in occultis ante omnem declaratoriam ſententiam. Quatenus autem non ſit mere privativa, ſed requirens ad conſummationem actum poſitivum phyſicum, ut privatio bonorum corporalium patrimonialium, vel beneficiorum, aut Officiorum, aut pœnæ banni, licet non requirat ſententiam condemnatoriam, regulariter tamen requirit ſententiam declaratoriam, ut per Felin. *in cap. cum ab homine n.* 10. *de judic.* Gemin. *in cap. felicis de pœn. in* 6. *num.* 8. & alios, quos allegat Farinac. *qu.* 116. *num.* 20. & ita dunt plures apud Tiraquellum, qui teſtatur de magis communi, & veriori *in d. l. ſi unquam v. revertatur n.* 400. ac multi Theologi, quos refert Sayr. *in clav. reg. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 25. & tenet Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 5. & communem ait Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 15. *num.* 5.

Idque ampliatur, etiam ſi lex dicat, pœnam amiſſionis bonorum, vel beneficii, ſeu rei poſſeſſæ incurrat ipſo facto ante omnem ſententiam declaratoriam. Intelligi enim id debet de declaratoria juris, & non facti, id eſt, ut non requiratur declaratoria pœnæ incurſæ, ſed tamen requiratur declaratoria criminis. Ita Em. Sa *v. pœna num.* 1. Sanch. *lib* 9. *de matr. diſp.* 30. *num.* 2. Filiuc. *tr.* 44. *cap.* 6. ac Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 19 *num.* 63.

Ampliatur item quod pœna privans delinquentem re ſua corporali jam poſſeſſa, non obligat ad executionem, niſi poſt ſententiam declaratoriam accedat executio facta à Judice. Ita uſo receptum ait Leſſ. *loc. cit.* Suarez *de fid. diſp.* 22. *ſect.* 3. *nu.* 5. ac tenet Molin. *to.* 1. *diſp.* 96. Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 22. *num.* 8. Azor. *p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 7. *quæſt.* 5. & *p.* 3. *lib.* 4. *cap.* 16. *quæſt.* 9.

Limitatur tamen id primo, quod ſatis probabilis ſententia eſt, pœnas etiam purè privativas, ſi ſint valde graves, privantes ſcilicet jure quæſito, vel naturali, vel civili, vel Eccleſiaſtico magni momenti, non obligare pro foro conſcientiæ ante declaratoriam, ut pœna infamiæ, inhabilitas ad beneficia, vel Officia, vel privatio vocis activæ, vel paſſivæ. Ita Navar. *de dat. & promiſſ. num.* 32. & 44. Molin. *d. diſ.* 96. Sanch. *de matrim. ea diſp.* 30. *num.* 1. & *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 39. *num. ult.* & *lib.* 2. *opuſc. cap.* 1. *dub.* 52. *n.* 11. & 13. & *alibi*, Filiuc. *tr.* 10. *nu.* 264. Tannet. *to.* 3. *diſp.* 5. *quæſt.* 8. *nu.* 97. Sonſ. *ſuper Bull. Clem. VIII. de largit.* §. 9. Caſtellin. *de elect. can. prælud.* 1. §. 6. *nu.* 26. Malder. *p.* 2. *q.* 96. *ar.* 4. *membr.* 4.

Sed hæc ſententia nullo modo intelligitur procedere in cenſuris, & irregularitate. Quia ex antiquiſſima Eccleſiæ univerſalis conſuetudine ſemper obligarunt abſque alia declaratoria, ut Tiraquel. *loc. cit. n.* 401. Sayr. *ubi ſupra num.* 31. Salas *de legib. diſp.* 15. *ſect.* 2. *ſub initio*, Suar. *de cenſur. diſp.* 3. *ſect.* 2. Sanchez *de matr. lib.* 9. *diſp.* 30. Nec procedit ſecundum aliquos, ſi reus fuit legitime interrogatus à Judice ſuper delicto, & negavit, unde non potuit procedi ad declarationem. Tunc enim tenentur, obligati ad pœnam in foro conſcientiæ, ut per Sot. *lib.* 1. *de juſt. qu.* 6. *ar.* 6. *col.* 1. Cordub. *lib.* 1. *q.* 35. & *q.* 36. Rodriq. *qq. regul. to.* 2. *q.* 57. *ar.* 1. *in fine* & Sanch. *in opuſc. loc. cit. dub.* 52. *num.* 14.

Secundo limitatur, quod etiam pœna requirens factum hominis, ſi ſit moderata, & non valde gravis, poteſt ipſo jure imponi cum obligatione, ut reus per ſe exequi debeat ante declaratoriam, ut per Sanchez, & Molinam, & alios ſupra citatos, ac eos quos citat ac ſequitur Garz. *p.* 11. *cap.* 10. *nu.* 19.

Primus autem effectus pœnæ latæ ſententiæ eſt, quod hæc pœna, ſecuta ſententia declaratoria, retrotrahitur, etiam in iis caſibus, in quibus dictum eſt, pœnam latæ ſententiæ non ligare ante ſententiam declaratoriam; unde adhuc pro eo tempore intermedio pœna hujuſmodi non caret effectu. Nam primò declaratoria ſequens retrotrahitur ad diem pœnæ incurſæ, ſeu commiſſi delicti ita, ut actus medio tempore geſti irriti cenſeantur. Unde ſi declaretur aliquis hodie hæreticus, vel majeſtatis læſæ reus,

eo ipſo caſſantur alienationes factæ à die criminis commiſſi, & fructus ab ea die publicantur. Eſt certa, & communis ſententia tam eorum, qui dicunt dominium à momento criminis commiſſi tranſiiſſe in Fiſcum, quàm eorum, qui aiunt tranſire ſolum à momento declaratoriæ. ut per Farinac. *q.116. num. 20. & ſeqq. cum multis aliis*, & Sanch. *in decal. lib.2. cap.22. nu.2. 3.5. & 53.*

Secundus effectus quod juxta magis communem ſententiam ſtatim pœna incurſa, ante declaratoriam, alienationes à reo factæ, ſunt invalidæ ac illicitæ. Quia licet non amiſerit poſſeſſionem, atque ideo uti poſſit bonis ad ſuam ſuſtentationem, tamen dominium amiſit, ideoque alienare non poteſt. Atque ita tenent multi quos citat Sanch. *d. cap.12. num.48.* ac Tiraquel. *in d.l. ſi unquam v. revertatur nu. 324.* & communem inquit Farinac. *loc. cit. nu.72.* Ac ſimiliter incurſa pœna privationis beneficii, reſignatio ſecundum magis communem non tenet, etiam ante declaratoriam, ut per Gonzal. *ad regul. Cancel. gloſ.15. num.146.* Farinac. *de hæreſ. q. 189. nu.79.* & Pariſ. *de reſignat. lib.3. q.1. num 21.* Quamvis contrà, quod immo pro eo medio tempore poſſit etiam licitè alienare bona, etſi per declaratoriam alienatio ſit reſcindenda, dummodo non adſit præjudicium recipientis, ut ſi alienetur titulo oneroſo, tenent Sanchez *loc. alleg. nu. 50. & 51.* aliique apud Farinac. *ibid. num.72.* ac Suarez *de fid. diſp.22. ſect. 4. num. 3.* Quia, inquit, è momento criminis ante declaratoriam reum amiſiſſe dominium directum, ſeu de ſubtilitate juris, non autem utile, vel de æquitate. Et ſimiliter probabile eſt valere reſignationem medio tempore factam, donec ex vi declaratoriæ ceſſetur, ut Sanch. *d. lib.2. in decal. cap.26. nu.9.* & Azor. *p 1. lib 8. cap 13. q 8.* At prima ſententia tenenda eſt, quia eſt conformior decreto S.Congregationis S.Officii ſuperius relato.

Primus autem effectus limitatur, ut procedat in actibus privatæ poteſtatis, non autem in actibus publicis, ſeu juriſdictionis. Nam etſi quis incideret in pœnam privationis Officii publici, vel dignitatis latæ ſententiæ, quandiu delictum maneat occultum, acta per eum ſunt valida, neque erſſarint per declaratoriam ſubſequutam, quia retinuit poſſeſſionem, & titulum coloratum. Probatur id *ex l. Barbarius*, ibique Doctores *ff. de Offic. Præſ.* ac docent Felin. *in d. cap. Rodulphus nu.43. poſt med. de reſcrip.* cum Innocentio, Abbate ac aliis, Garz. *de benef. p.5. cap. 4. num.328. ac ſeqq.* ac late Sanchez *de matr. lib. 3. diſp. 22. nu.56.* Quod etiam procedit in juriſdictione interni fori, ut per Sanch. *ibid.* ac in poteſtate conferendi beneficia, vel confirmandi, quia hoc dicitur publicum Officium, non autem quoad poteſtatem eligendi, quia dicitur Officium privatum, ut per Innoc. *in cap. cum dilectus num.5. de conſuet.* Abb. *in cap. ſi vere num.9. de ſent. excom.* Felinum & Garziam *loc. cit.*

Id amplietur, ut valeant geſta ratione publicæ poteſtatis, quamvis etiamen, propter quod ipſo jure privatur quis Officiis publicis, eſſet delatum ad forum, ut ſi Epiſcopus, vel Prælatus jam fuiſſet accuſatus. Nam, etſi ex accuſatione reſultet infamia facti, ſi nondum eſt cauſa finita, & ſequuta abſolutoria, *cap. omnipotens de accuſ.* ac Doctores *in l. qui à latronibus ff. de teſtam.* Seraph. *dec.393. num.2.* Molin. *tr.4. diſp. 7. num.6. in fine*, ſaltem conſentiente communi populi, ſeu parœciæ, ſeu viciniæ opinione, ut per Genuen. *in prax. cap. 27. nu.10.* cum Abbate & aliis; tamen quandiù toleratur, & factum non eſt notorium, remanet in poſſeſſione, ac titulo colorato, & acta ſunt valida, Garz. *ibidem numer. 333.* cum ab eo citatis contra Baldum, Gabrielem, & Maſcardum.

Ampliatur etiam, ut procedat etiam ſi lata eſſet declaratoria criminis, vel privationis, ſed reus appellaverit. Pendente ſiquidem appellatione, remanet titulus coloratus. Secus ſi non appellaverit, vel aliàs ſententia tranſiverit in rem judicatam, Gloſ. *in cap. ſæpe v. rata de appell.* ibique Abb. *nu.15.* qui teſtatur de communi, & Garz. *loc. cit. nu.338.*

An autem pœnæ latæ ſententiæ poſſit, ac debeat executioni demandari ante declaratoriam ab iis, ad quos pertinet, variæ ſunt ſententiæ. In qua quæſtione non eſt ſermo de Principibus ſupremis, ſeu jus ſupremum habentibus, aut exercentibus. His namque eorumque Officialibus quandiù ſunt in pacifica poſſeſſione, ſeu quamdiu de facto principatum retinent, ſubditi tenentur parere, & ad eorum tribunalia recurrere poſſunt, ut per Marſil. *in rubr. de conſtit. num.67.* Leyin. *lib.2. tr. 3. cap 13. nu.7.* & alios apud ipſos.

Reſpondeo igitur primò. Quoad pœnam privationis jurium, & actionum diſſident Doctores. Aſſerit enim prima ſententia, debitores ejuſmodi rei non teneri illi ſolvere, quia putant hanc pœnam latæ ſententiæ ligare ſtatim, etiam in foro conſcientiæ ante declaratoriam, & quia hæc pœna non indiget facto hominis poſitivo ad ſui conſummationem ſed eſt pure privative, quo caſu obligat ſtatim ſecundum magis communem, ut ſupra dictum eſt, ac ita tenent Innoc. *in cap. fin. de hæret.* Tiraquel. *in d. l ſi unquam d. v. revertatur n.365.* Alph. de Caſtro *lib.2. de juſt. hæret. punit. cap.7. poſt initium*, Farinac. *q.183. §.5. nu.63.* Et quod talis reus in foro conſcientiæ non poſſit exigere, etiam ſtante delicto occulto, ait Felinus *in d. cap. fin. in princ.* & Farinac. *ibid. nu.67.*

Secunda ſententia tradit, non poſſe debitorem denegare debitum ante declaratoriam. Eam tenent Sanch. *lib.2. in decal. cap.24. num 8.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap 13. q. 2.* Anchar. *in cap. cum ſecundum de hæret. in 6. not.2.* Burſat. *lib.1. conſ.14. nu.18.* & Sanctarel. *de hæreſ. cap.37. num.4.*

Tertia docet, non teneri debitores illi ſolvere; quando delictum eſt manifeſtum, ſeu tale, ut probari poſſit. Ita Canoniſtæ communiter *in d. cap fin. de hæret.* Abb. Socin. Butr. & Cardinal. ac Summiſtæ; quos allegat Farinac. *eo loco num. 66.* Et hæc eſt magis communis, ac verior ſententia, ut ſcilicet per exceptionem debitor repellere poſſit creditorem, ſi ſit certus de delicto, & probare poſſit. Et tunc etiam pro foro conſcientiæ poſſet retinere probaturus, ſi contra eum agatur.

Secundo reſpondeo, quod Fiſcus, ſeu alius, cui bona per pœnam privationis ipſo facto applicantur, non poteſt per ſe ante declaratoriam occupare. Eſt communis ſententia, quam tenent Sayr. *lib.3. clav. reg. cap. 9. nu.30. in fine*, Innoc. *in d. cap. fin. de hæret.* Sanch. *d. lib.2. in decal. cap.22. nu.14. ac ſeqq.* & Farinac. *q.190. § 1. num.5.* ubi plurimos congerit, quamvis aliqui velint ſufficere, crimen eſſe notorium, ut Navar. *conſ.20. num.4. de hæret.* & alii apud Tiraquel. *in d. l. ſi unquam v. revertatur n.401.* Et quod in caſu privationis beneficii, vel Officii, aut dignitatis ipſo jure incurſæ, ſi crimen ſit notorium, aut inexcuſabile, fieri poſſit executio, omiſſa declaratoria, probat Martha *de juriſd. p.3. cap.21. num.12.* At tamen Tiraquell. *ibid. nu.403.* quod ſi executio fiat, etiam in non notoriis ſine ſententia declaratoria, valet, ſi nihil opponatur. Quod etiam tenent alii apud Martham *eo loco.*

Reſpondeo tertio. Quoad pœnam privationis jurium ſuperioritatis, etiam diſſentiunt Doctores. Ajunt enim alii, quod ſiquis Prælatus, vel Dominus incurret pœnam privationis Officiorum, ſeu dignitatis

Digitized by Google

ratis, poſſunt ac debent illico ante declaratoriam ſubditi ab ejus obedientia ſe ſubtrahere. Et Ananiæ, Lapi, ac Bartoli quos allegat, & ſequitur Tiraquel. in ſæpe citata *l. ſi unquam d. v. revertatur* C. *de rev. donat. num. 366. ac num. 354. & ſeqq.* ubi ait, quod agens repelli poteſt exceptione excluſiva juris agentia, etiam ante declaratoriam, & multos allegat. Alii verò generaliter dicunt, requiri declaratoriam, ut generaliter de omni ſubjecto, & obligato docent Azor, & Simanchas apud Sanchez *d. lib. 2. cap. 24. in decal. nu. 6. & 8.* ac tenent Filiuc. *tr. 22. num. 233. ac ſeq.* ac ii, quos allegat Farinac. *q. 189. nu. 61.* & de Prælatis firmat Jo. Valer. *differ. utr. for. 10. nu. 4.* & Dian. *p. 1. tr. 3. miſc. reſol. 67.* ac de omni ſubjecto, exceptis filiis, quando ipſo jure emancipantur ex delicto patris, ait Sanchez *d. num. 8.*

Tenendum tamen eſt, quod, manente reo in poſſeſſione ſui juris, ſeu bonorum cum titulo colorato, non poſſint ſubditi jura denegare, vel obedientiam, niſi vel delictum, & commiſſio pœnæ ſint notoria, vel ſi ſint occulta, ſaltem probari poſſint, & ipſe excipiens ac denegans jura id faciat cum intentione recurrendi, & probandi coram Judice competente. Quamvis ſi velint, poſſint jura reddere uſque ad declaratoriam, poſt declaratoriam autem non poterunt ſubditi parere, niſi quando ob nimiam potentiam Superioris cogerentur, non in contemptum clavium Eccleſiæ. Et ita docent Sylveſt. *v. hæreſis 1. nu. 14.* Bannes, Valentia, & alii, quos allegat Farinac. *loc. cit. nu. 66.* Ex quibus conciliantur Doctores.

Denique reſpondeo. Quoad cenſuras Eccleſiaſticas, ſi ſint nominatim denunciatæ, quilibet tenetur reum vitare. Si autem non ſunt denunciatæ, poteſt, ſed non tenetur evitare, niſi in caſu excommunicationis incurſæ ob percuſſionem notoriam Clerici propter Extravag. *Ad evitanda,* ut alibi diximus.

Eſt tamen advertendum, quod ſi aliquis ſit denunciatus, vel notorius Clerici percuſſor in uno loco, vel diæceſi, ſed in aliis locis res ſit occulta, ſed nos ibi exiſtentes ſciamus cenſuræ denunciationem, ſeu notorietatem percuſſionis, tunc ſecundum multorum ſententiam tenemur eum ubique vitare privatim ac publice, etiamſi probare non poſſimus cenſuram. Ita Innoc. *in cap. Inquiſitioni num. 2. de ſent. excom.* & de communi teſtantur Covar. *in cap. alma mater p. 1. §. 3. num. 2.* & alii apud Sayr. *lib. 2. de cenſur. cap. 13. nu. 25.* ac tenet Bonac. *eod. cit. diſp. 2. q. 2. pun. 6. §. 2. num. 28.* Secundum alios autem Doctores non tenemur illum vitare *publice, ſed occulte* in loco, ubi cenſura manet occulta. Quod tradunt Paludanus, Armilla, & alii apud Avilam de cenſur. *p. 2. cap. 6. diſp. 11. dub. 12.* Em. Sa *v. excommunicatio numer. 34.* Sanch. *in decal. d. lib. 2. cap. 11. num. 20.* Filiuc. *tr. 13. num. 49.* Laym. *lib. 1. tr. 4 de excom. cap. 4. num. 3.* & communem recentiorum vocat Avila *ibid.* Alii autem aſſerunt, quod ſi probare poſſimus, tenemur eum publice vitare ubique, aliàs ſolum occulte, ubi res eſt occulta. Sic Covarruvias, & alii quos ſequitur Sayrus *ibid. loc. cit.* Hæ omnes ſententiæ probabiles ſunt.

Pœna verò latæ ſententiæ requirit actum conſummatum, idque ampliatur, etiamſi in atrocioribus ſufficiat conatus delicto proximus ad pœnam ſententiæ ferendæ *l. ſiquis non dicam,* ibique Gloſ. & Doctores *C. de Epiſc. & cler.* Tamen ad incurrendam pœnam latæ ſententiæ non ſufficit, ſed requiritur actus conſummatus *cap. cum in cunctis 2. Clerici de elect. cap. perpetuo eod. tit. in 6.* & communem eſſe opinionem oſtendit Tiraquel. *in d. l. ſi unquam v. revertatur num. 354.* & Marſil. *in cap. at ſi clerici num. 56. de judic.*

Id verò limitatur, niſi aliter ſit in jure expreſſum, v. g. in crimine læſæ majeſtatis omnis conatus punitur eadem pœna, ac ſi effectus eſſet conſummatus, ut per Farinac. *q. 116. nu. 148.* ubi teſtatur de communi *per l. 1. ff. ad Leg. Jul. majeſt. & l. 5. C. eod.*

Quamvis autem pœna ferendæ ſententiæ nonnunquam extendi poſſit ex identitate rationis de caſu ad caſum, pœna tamen latæ ſententiæ non extenditur, Jo. Andr. *in cap. odia de reg. jur. in 6.* Abb. *in cap. ult. de jurepatr.* Dec. *in cap. tranſlato lect. 1. col. ul. de conſtit.* Tiraquel. *ibid. nu. 303.* qui *num. ſeq.* ampliat procedere etiam in exæquatis, *& num. 305.* ampliat, ut nova conſtitutio juris antiqui declaratoria addens novam pœnam latæ ſententiæ non extendatur reſpectu pœnæ ad præterita, quicquid ſit in pœna ſententiæ ferendæ.

Præterea obſervandum eſt, in hoc eſſe differentiam inter pœnas ſententiæ ferendæ, & latæ, quia pœnæ ſententiæ ferendæ in jure ſtatutæ contra facientem, ſeu committentem crimen, procedunt eodem modo contra cooperantes, ſive cauſas minus principales, ut mediatores, auxilium dantes, conſentientes, mandantes, aut aliter ope, vel auxilio juvantes, quotieſcunque fuerunt cauſa proxima delicti, ut ajunt Juriſtæ, id eſt quando efficaciter in talem effectum influxerunt. Tunc enim omnes aiunt, puniri pœna ordinaria. Si autem ipſorum concurſus non influxit, ſeu non cauſavit effectum, ſed remotè tantum cooperati ſunt, ſcilicet quando etiam ſine illorum cooperatione eodem modo eſſet ſequutus effectus, tunc dicunt, puniendos eſſe pœna minori, id eſt extraordinaria, ut per Salic. *in l. 1. nu. 24. C. de rapt. virg.* Clar. *q. 90. §. fin.* ubi ait communem, & fuſe Farinac. *q. 130. nu. 4.* ubi etiam communem appellat & *nu. 42.* ubi hæc declarat. Probatur *ex l. nihil intereſt ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* & *ex cap. 1.* ubi Doctores *de Off. de leg.*

At quod attinet ad pœnas latæ ſententiæ, ſeu ipſo jure committendas, communis ſententia docet, cooperatores, etiam ſi proxime, ſive efficaciter concurrant, & influant, non incurrere in pœnas latas contra facientem aliquid, niſi verbis legis tacitè, vel expreſſe comprehendantur, Cajet. *in ſum. v. excommunicatio cap. 47. not. 3.* Sylveſt. *eod. v. 10. dub. 4.* Tabien. *eod. pariter v. 3. caſ. 49.* Sanch. *de matr. lib. 7. diſp. 48. nu. 3.* Vitalin. *in clem. 1. num. 34. de conſangu.* & communem dicit Navar. *in man. cap. 27. num. 51.* Avila *de cenſur. p. 2. cap. 3. diſp. 3. dub. 2.* qui omnes loquuntur de pœna excommunicationis latæ ſententiæ, in qua jura aliàs ſolent latiorem facere interpretationem pro majori conſcientiæ ſecuritate; ut Cardinal. *in cap. ſacris de his, quæ vi,* ſed & generaliter de omnibus aliis pœnis latæ ſententiæ tenent Navar. *conſ. 94. nu. 2. de ſimon.* Ugolin. *de ſimon. tab. 4. cap. 8. nu. 4.* Sanch. *lib. 2. opuſcul. cap. 3. num. 104.* Et quod diximus de pœna lata contra facientem, procedit etiam de pœna lata contra committentem aliquod crimen, ut per Suar. *de cenſur. diſp. 4. ſect. 3. num. 3.* & Navar. *conſ. 98. n. 2. de ſimon.*

Idque ampliatur quod etiamſi mediator, ſeu proxeneta quoad pœnas ferendæ ſententiæ dicatur ipſe facere, ſeu committere ad quod mediator extitit, *ut cap. 1. de teſtib.* ibique Gemin. Franch. Anchar. *nu. 1.* ſecus tamen quoad pœnas latæ ſententiæ, ut per Sanchez, & Navarrum *loc. alleg.* Ratio autem hujus differentiæ eſt, quia in pœnis latæ ſententiæ fit ſtrictiſſima interpretatio, ut non fiat extenſio, etiam ex identitate rationis, ut dictum eſt ſuprà.

Limito tamen hanc concluſionem primo, ut non procedat, ut etiam diximus, quando ex verbis legis pœnalis aliud colligitur, ut ſi appoſita ſit illa clauſula;

ſiquis

Digitized by Google

ſiquis cauſa fuerit, vel ſiquis directè vel indirectè, mediate, vel immediate tale quid fecerit, vel ſiquis de tali delicto culpabilis extiterit, vel ſiquis auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterit. Idem, ſi dictum ſit, tale delictum procurantes, ut *in extravag. 2. de ſimon.*

Secundo, ut non procedat in excommunicatione ob percuſſionem Clerici vel monachi, quia jura expreſſe extenderunt *can. ſiquis ſuadente*, ut patet *ex cap. quanta de ſent. excom.* Eſt tamen verum, quod in actu abſolutionis minor eſt pœnitentia injungenda cauſis ſecundariis proportionaliter juxta eorum concurſum, ut *ex cap. ſicut dignum de homic.* ubi agitur de complicibus necia, ſeu martyrio S. Thomæ Cantuarienſis.

Tertio, ut non procedat in pœna infamiæ juris, reſultante ex ſententia condemnatoria, vel ex tranſactione in cauſa famoſa. Quia hæc pœna eſt in conſequentiam pœnæ ferendæ ſententiæ. Ideoque procedit etiam contra cauſas minus principales, ſi fuerint condemnati, vel ſi pacti fuerint. Et in hoc ſenſu rectè dixit Gloſſa, & Baldus *in l. Imperator ff. de poſtul.* quod infamia non eſt propriè pœna, ſed eſt aliquid conſecutivum ad pœnam.

Quarto, ut non procedat in irregularitate ex homicidio, vel abortu. Quia omnis, quomodocunque cooperans, ſeu influens in illud, eſt irregularis ſcilicet ſi ſine illius auxilio principalis illud non patraſſet, vel non tam facile, vel non tam citò, ut per Canoniſtas communiter *in d. c. ſicut dignum §. qui verò.* Unde Covar. *in Clem. ſi furioſus p. 2. §. num. 2. ait:* Et ſi ad pœnam ſententiæ ferendæ probabilis ſit ſententia, quod non puniatur pœna ordinaria, qui non concurrit ad actum proximum homicidii, tamen quoad irregularitatem ſufficit, ut influxerit modo prædicto, ſcilicet in totum, vel ex parte. Et de communi omnium Canoniſtarum teſtatur Farinac. *q. 131. n. 10.* & Suar. *de cenſur. d. diſp. 4. ſect. 3. n. 8.* ubi affert rationem diverſitatis. Quia inquit, irregularitas ex homicidio non imponitur principaliter per modum pœnæ, ſed per modum inhabilitatis ob ſignificationem, & indecentiam, ideo militat, non ſolum in homicida, ſed etiam in dante cauſam homicidio.

Pœna verò latæ ſententiæ commiſſa ante declaratoriam tranſit in hæredes paſſivè, vel activè. Quamvis enim aliàs crimen extinguatur morte delinquentis ita, ut integro ſtatu decedere cenſeatur, qui nondum condemnatus deceſſit *l. is, qui in reatu, ff. ad leg. Jul. Majeſt. l. 1. C. ne ex delict. defunct. l. 1. ff de priv. delict.* & tradit Simanch. *de cath. inſtit. tit. 18. an. 1.* Pœna tamen bonorum ipſo jure incurſa tranſit contra hæredes defuncti, Cyn. *in l. 2. C. qui teſt fac. poſ.* Bald. *in rubr. C. ſi pendente appel. mors inter.* & communem dicit Tiraquel. *in d. l. ſi unquam v. revertatur n. 296. &* 298. *per d. l. ſi is*, qui in reatu, *& l. Gaius ff. ad Syllan. & l. commiſſa ff. de public. & vectig.* ubi ratio aſſignatur, quia quod commiſſum eſt, ſtatim deſinit ejus eſſe, qui crimen commiſit.

Quod limitatur, ut non procedat in pœna, quæ non incurritur, niſi poſt declaratoriam partis, cujus intereſt, ut in caducitate emphyteuſis ob non ſolutum Canonem, de qua te Clarus §. *emphyteuſis q. 9.* Nam ſi non fuit declarata à domino directo, non ignorante caducitatem in vita emphyteutæ, non poterit contra illius hæredes declarari, ſecus in caducitate ipſo jure incurſa, ut in caſu alienatæ rei, & traditæ domino irrequiſito, vel incurſa caducitate ipſo facto vi pacti appoſiti. Tunc enim pœna caducitatis tranſit contra heredes, Rota coram Buratto *dec. 617. num. 9.* ubi plures allegat. Idemque dicendum eſt de caducitate feudi. Nam ſi incurratur ob felloniam, non poterit declarari contra hæredes defuncti. Quia privatio non inducitur ipſo facto, niſi poſt declarationem domini directi. Secus autem ubi ipſo jure inducitur, ut in caſu alienati feudi, & traditi, vel ex pacto, Clar. §. *feudum q. 65.* ubi teſtatur de communi, juncta *q. 65.*

Pœna verò indigens declaratione creditoris non poteſt declarari ab hæredibus creditoris, qui ſciens pœnam commiſſam non declaravit vivens. Quia tunc præſumitur condonata, niſi ex conjecturis contrarium appareret de animo illius. Pœna autem ipſo jure commiſſa, non indigens declaratione creditoris, poteſt exigi per hæredes defuncti creditoris, ut de communi teſtatur idem Clar. §. *feudum quæſt. 64.* cum allegatis, & Gabr. *com. concl. lib. 7. tit. de jur. emphyt.* cum Ruino & aliis. Quicquid in contrarium velit Tiraquel. *loc. cit. n. 300. ac 301.* dicens proteſtandi jus ad hunc effectum ad hæredes tranſire. Et pro dicta communi ſententia facit, quod hæres penſionarii non poteſt declarare, beneficiatum debitorem incurriſſe excommunicationem ob non ſolutam penſionem, ſi penſionarius ipſe vivens non declaravit, ut per Caſtropal. *tom. 2. de relig. tr. 13. de benef. diſp. 1. pun. 7. num. 2.* cum Suarez contra Navarrum.

Regula autem eſt, quod pœna latæ ſententiæ legis novæ diverſa, tolli, ac ceſſare facit pœnam legis antiquæ pro eodem delicto, ſi nondum erat commiſſa, Gomez *lib. 3. var. cap. 1. nu. 38.* Boſſ. *tit. de Offic. corrup. num. 10.* Clar. *lib. 5. §. fin. q. 85.* ubi ait eſſe magis communem, & plurimos allegat, & ait, quod ita totus mundus obſervat. Quod procedit, etiamſi utraque ſit pœna latæ ſententiæ. Quia eadem eſt ratio, ne quia duplici pœna puniatur, & quod pœnæ ſunt potius reſtringendæ quàm exaſperandæ, & augendæ. Ita Henriq. *lib. 13. cap. 38. num. 2.* Sayr. *de cenſur. lib. 3. cap. 15. n. 10.* Suarez pariter *de cenſur. diſp. 32. ſect. 4. numero 13.*

Quamvis alii Doctores contrarium probabiliter teneant, nempe quod licet pœna nova ferendæ ſententiæ ceſſare faciat antiquam, ſecus tamen in pœna latę ſententiæ. Ita Anan. *in cap. fin. de colluſ. in fin.* Navar. *conſ. 1. de pœn. & conſ. 10. de conſtit.* Sanch. *de matr. lib. 3. diſp. 84. nu. 8.* Alter. *de cenſur. tom. 2. diſp. 11. cap. 5. col. 6. & 7.* Alii tradunt, quod poteſt concurrere pœna latæ ſententiæ à jure cum pœna ſententiæ ferendæ ab homine, ut Bartol. *in l. nemo, C. de Sacr. Eccleſ.* Aliique amplius univerſaliter aiunt, pœnam legis novæ non tollere pœnam legis antiquæ, quos adducit Clar. *loc. cit.* & Suarez de Paz. *com. opin. v. pœna num. 152.* eamque tenet ac communem teſtatur Miranda in man. Præfat. *p. 2. quæſt. 25. ar. 26. concl. 13.*

Limitatur autem ſecundum omnes, quod regula ſupradicta procedit de pœnis ejuſdem fori, non autem diverſi. Nam ubi pro uno crimine jus Canonicum unam pœnam imponit, & jus Civile aliam, delictum eſt mixtum, & utriuſque fori, & ambæ pœnæ concurrunt, ut tamen ſit locus præventioni, Canoniſtæ *in cap. cum ſit generale de for. comp.* Carrer. *in pr. tit. de hæret. §. nunc de recept. n. 16.* Item pœna injuncta pro foro pœnitentiali, ſeu animæ non tollit pœnam impoſitam pro foro externo, cùm habeant diverſos fines, & à diverſa poteſtate proveniant, ut per Abb. *in cap. de his n. 3. de accuſ.* Menoch. *de arb. caſ. 539. n. 32.* & mox dicemus.

Limitatur item ut non procedat, quando altera pœna eſſet in caſu ſpeciali. Sic ſuſpenſio quæ incurritur in Clem. 1. *de reb. Eccl. non alien.* non cenſetur ſublata per extravag. Ambitioſæ *ejuſd. tit.* Quia d. Clementina loquitur in caſu particulari, & genus non derogat ſpeciei, & lex generaliter loquens poſterior non derogat legi antiquæ,

antiquæ, loquenti in caſu particulari, Fulgoſ. *conſ.* 215. & 135. Angel. *conſ.* 60. Alex. *conſ.* 170. *lib.* 3. Bartol. *conſ.* 100. *num.* 7. *lib.* 1. Imol. *conſ.* 140. *n.* 3. Et ita in terminis tenet Rodriq. *q. reg.* 27. *ar.* 13. *tom.* 1. & ſupponit Suarez *de cenſur. diſp.* 31. *ſect.* 6. *num.* 8. Conioch. *diſp.* 15. *num.* 53. Filiuc. *tr.* 17. *n.* 167. Verùm multo magis procedit in locis ac perſonis, in quibus non militat *d. extravag. Ambitioſa.*

Id quoque obſervandum eſt, quod in pœnis latæ ſententiæ non admittitur moræ purgatio, *ex l. ſi is, cui*, ibique Bart. *ff. de leg.* 2. late Tiraquel. *in d. l. ſi unquam v. revertatur num.* 310. Et facit, quia pœna latę ſententiæ habet vim rei judicatæ, Gloſ. & Bartol. in *l. furti* §. 1. *ff. de his, qui not. infam.* Aretin. *in l. qui à latronibus* §. *ſi quis in capitali ff. de teſtam.*

Quod limitatur, ut procedat ſolùm, quando pœna ipſo jure impoſita eſt abſolute, & incurſa, ſecus ſi indigeat declaratione creditoris, ad cujus favorem eſt impoſita, ut commiſſa cenſeatur. Tunc enim ante factam declarationem admittitur purgatio moræ, Gemin. *in cap. licet Canon, verſ. is etiam de elect. in* 6. Tiraquel. *ibid. nu.* 311. Exemplum eſt in Emphyteuta Eccleſiæ, qui per non ſolutionem canonis tempore debito non incidit in commiſſum, niſi poſt declarationem domini directi, & antea admittitur purgatio moræ, *cap. potuit de locat.* Rota coram Seraph. *dec.* 793. *num.* 16. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 22. *tit.* 27. *num.* 35. Et idem eſt in pœna caducitatis ob felloniam vaſalli, ut diximus, & tradit Clar. §. *feudum q.* 62. ac Imol. *in cap. ult. col.* 7. *de donat.*

Pœnitentia verò impoſita ac peracta, ſive in foro pœnitentiali, id eſt ſacramentali, ſive in foro conſcientiæ, ſeu quaſi pœnitentiali, etiamſi ſit publica, non tollit, neque minuit pœnas latæ ſententiæ, ſeu ipſo jure commiſſas, ut per Menoch. *de arb. caſ.* 539. *num.* 43. *& ſeq.* an autem pœnitentia tollat pœnam ſententiæ ferendæ, quidam ajunt, quod ſi ſit pœnitentia publica, eam tollit. Alii verius negant, ut Abb. *in cap. de his num.* 3. *de accuſ.* Menoch. *ibid. num.* 31. & 32. Sed ſi à Judice Eccleſiaſtico impoſita fuiſſet talis pœnitentia, qui illum pro foro contentioſo punire poterat, tunc remiſſa cenſeretur in totum pœna ſententiæ ferendæ. Quia tunc pœnitentia, ſeu pœna ſpiritualis cenſeretur ſurrogata in locum temporalis, Menoch. *loc. cit. num.* 41. cum Oſtien. *in cap. tua de procur.* Butr. Imol. & Anan. *in d. cap. de his, de accuſ.* & Marſil. *ſing.* 639. *v. abſolutus.*

Neque ſpontanea confeſſio, facta coram Judice non metu tormentorum, excuſat à pœna latæ ſententiæ, quamvis ſit cauſa minuendi pœnas ſententiæ ferendæ, Tiraquel. *de pœn. temper. cauſ.* 30. *num.* 14. cum illi alleg. Simanch. *de cath. inſtit. cap.* 47. *num.* 1. & 2. Immo in foro S. Inquiſitionis deprecatio, ſeu ſpontanea comparitio, & confeſſio criminis cum ſignis pœnitentiæ excuſat ab omni pœna ſententiæ ferendæ, Simanch. *loc. cit. nu.* 4.

Pœna item latæ ſententiæ, quæ à jure eſt impoſita non parenti intra certum tempus, non incurritur, niſi toto tempore, ſeu termino elapſo, etiamſi ante finem illius ſit certum, eum non poſſe adimplere, etiam ea culpa ſua. Secus autem eſt in pœna impoſita ab homine, ſive ſit conventionalis, ſive judicialis. Nam hæc committitur, quando certum eſt, non poſſe rem præceptam implere, ſcilicet ex ejus culpa; quia antea in tempore aſſignato implere potuit. Quo caſu pœnam quidem incurrit, ſed executio, ſeu exactio pœnæ non habebit locum, niſi poſt tempus, ſeu terminum aſſignatum, niſi pœna à Judice impoſita, eſſet ipſo facto incurrenda, ut ſi præceptum fuit ſub pœna excommunicationis, ſeu alterius cenſuræ ipſo facto incurrendæ. Quia talis pœna trahit ſecum executionem eo ipſo, & ſic non expectatur finis termini. Hæc doctrina eſt Gloſſę *in l. cum ſtipulatus v. commiſſa ff. de verb. oblig.* ibique Bartol. *n.* 4. Caſtr. *nu.* 4. & 5. Jaſ. *n.* 7. *& ſeq.* utrobique dicens eſſe communiter receptam, & Alex. *n.* 9. Rationem afferunt, quia mitius agitur cum lege, quàm cum homine.

Quod autem dictum eſt de pœna à jure, ſeu legali, multo magis procedit, ſi pœna eſſet latæ ſententiæ. Quia non incurritur ante finem termini, etiam ſi quis ea ſua culpa ſe nimium arctaverit, ut implere non poſſit. Quia pœna latæ ſententiæ requirit actum conſummatum. Ita Bald. *in l.* 1. *quæſt. ult. C. ſi pendent. appel. morſ. int.* quem ſequitur Aretin. *in d. l. cum ſtipulatus num.* 3. ac tenet Gloſ. *in cap. commiſſa v. elapſus de elect. in* 6 & communem teſtatur Pariſ. *de reſignat. lib.* 3. *quæſt.* 2. *à n.* 8. ubi multa citat jura & exempla.

Limitatur tamen id, ut non procedat, quando jus imponit pœnam latæ ſententiæ delinquenti, niſi intra certum tempus emendaverit, ſeu ſatisfecerit.

Quia tunc ea quo ſe nimium arctavit, ut non poſſit parere, eo ipſo pœnas incurrit.

An autem ignorantia juris excuſet à pœnis latæ ſententiæ? Reſpondeo primo. Si ignorantia juris ſit probabilis, ſcilicet penitus inculpata, certum eſt, excuſare ab omni pœna pro utroque foro, ut cùm quis ignorat inculpabiliter legem prohibentem ac punientem actionem aliàs non damnatam. Ita Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 12. *num* 8. Sanch. *de matr. lib.* 9. *diſp.* 32. *à num.* 29. Layın. *lib.* 1. *tr. de legib. c.* 20. *nu.* 1. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 1. *pun.* 17. *nu.* 1. Sayr. *in clav. reg. lib.* 2. *cap.* 9 *num.* 24. Salas *de legib. diſp.* 15. *ſect.* 9. *n.* 110. Baldel. *to.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 45. *n.* 2. Canoniſtæ communiter *in c.* 2. *de conſtit. & in cap.* 2. *eod. tit. in* 6. ac per eoſdem textus Rota coram Buratto *dec.* 182. *à num.* 1. ubi deciſum, ignarum prohibitionis teſtatoris, ſi alienet, non incurrere pœnam privationis ſtatutam à teſtatore, & *num.* 3. ait, emphyteutam, & vaſallum non incurrere caducitatem alienando ſine conſenſu domini, ſi ignorent rem eſſe emphyteuticam, vel feudalem & *nu.* 4. aſſerit, eſſe generale in omnibus caſibus, in quibus quis in pœnam cadit à jure ſuo.

Deinde reſpondeo. Si ignorantia juris ſit leviter tantum culpabilis venialiter, non ob imperfectionem actus, ſed ex objecto, magis communis ſententia tenet, excuſare ab omni pœna gravi, vel, ut alii dicunt, ab omni pœna, excepta excommunicatione minori, quæ propter veniale peccatum communicationis in humanis incurritur. Si autem ſit venialis ob imperfectionis actus, tunc ab omni pœna, etiam levi excuſare, Suar. *loc. cit. nu.* 26. Silas *d. ſect.* 9. *num.* 110 Bald. *ibid. num* 4. & Sanch. *ubi ſupra nu.* 29. *& ſeq.* qui ait procedere, etiam quoad pœnam irregularitatis ex delicto & ſuſpenſione, quamvis aliqui, per eum citati diſſentiant.

Reſpondeo prætetea. Siquis delinquat ſciens, ſiva reputans talem actionem eſſe graviter malam, ſive prohibitam jure naturali, vel divino, ſed ignoret eſſe à lege humana ſpecialiter prohibitam, nihilominus incurret in pœnas dictæ legis humanę, ſive Eccleſiaſticæ, ſive civilis. Quia hæc ignorantia juris habet admixtam gravem culpam, & lex intendit punire illam actionem, quatenus ęſt de ſe mala. Eſt magis communis ſententia, & in praxi recepta, quam ſequitur Clarus § *fin. q.* 60. & eſſe communem Legiſtarum oſtendit G.br. *com. concl. lib.* 5. *tit. de re. jur. concl.* 6. *numero* 34. atque ita deciſum ait Franch. *dec.* 521. &

magis

magis communem Theologorum eſſe conſtat ex allegatis à Sanchez *loc. cit. num.* 7. *ac* 16. & tenent Salas *ibid. nu.* 110. *&* 113. Suarez *ſupra num.*7. Azor *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. *quæſt.* 2. Baldel. *d. diſp.*45.*n.*7. *ac ſeqq.* etſi contra hanc concluſionem teneant alii, quos allegat, & ſequitur Sanch. *d. lib.* 9. *de matr. diſp.* 32. *num.*17. & communem teſtatur Grat. *conſ.* 49. *num.* 35. *lib.* 2. ac tenent multi Canoniſtæ *in d. cap.* 2. *de conſt. in* 6. Id tamen limito, ut non procedat quoad cenſuras incurrendas, ut infra dicetur.

Poſtremo reſpondeo. Siquis ſciat, talem actionem à lege humana prohibitam eſſe, ſed ignoret pœnam per illam legem inflictam, non excuſatur à tali pœna ſive latæ, ſive ferendæ ſententiæ, regulariter loquendo. Probatur ex modò dictis, & quia poteſt, ac intendit Legiſlator delinquentem obligare ad pœnam etiam invitum. Ergo etiam à fortiori, etiam ignorantem per regulam *l. qui poteſt invitis ff. de reg. jur.* Eſtque verior & communior opinio, ac in praxi recepta, ut conſtat ex allegatis à Gabriele *loc. cit.* & communem Theologorum teſtantur Suarez *ibid. num.* 9. *&* 10. *ac* 12. & Laym. *d. cap.* 20. *num.* 6. ac probabiliorem ait Sanch. *ubi ſupra num.* 21. ac ſequitur Baldel. *cit. diſp.* 45. *num.* 11. Quamvis Canoniſtæ contrarium teneant *in d. cap.* 2. *de conſtit. in* 6. Felin. *in d. cap.* 2. *de conſtit. num.* 6. ac Genuen. *practicab. quæſt.* 766. exiſtimantes ignorantiam pœnæ excuſare à pœna quacunque etiam ſcientem juris poſitivi prohibitionem. Ac idem tenent plures Theologi, quos adducit Sanchez *ibid. num.* 21. qui eam probabilem dicit.

Alii verò diſtinguunt, dicentes ignorantiam ſolius pœnæ excuſare à pœna latæ ſententiæ, ſed non à pœna ſententiæ ferendæ, ut Jo. de Lignan. *in d. cap.* 2. *de conſtit.* quem ſequitur Imula *ibi col.* 4. & tenet Caſtropal. *loc. cit. num.* 5. qui alios allegat.

Illud tamen certum eſt, etiam ſtando in hac ſententia, quod non requiritur ſcientia diſtincta, & ſpecifica pœnæ illius, ſed ſufficit ſiquis exiſtimet in confuſo, ac in genere adeſſe aliquam pœnam contra talem tranſgreſſorem, ut per Regiald. *lib.* 13. *num.* 273. *per can. ult. d.* 37. quæ notitia nunquam deeſſe ſolet in delinquente.

Hanc poſtremam concluſionem amplio, ut procedat, etiam in dubitantem de juris poſitivi prohibitione, & nihilominus agentem cum conſcientia dubia. Quia tunc dicitur ignorantia craſſa, ſeu ſupina, quæ non excuſat à pœnis, ut patet *ex d. cap.* 2. *de conſtit. in* 6. *& de can. ult. d.* 37. & docent Suarez *ibid. cap.* 18. *num.* 8. & Baldel. *loc. cit. num.* 1. niſi quando lex pœnas ſtatuit contra agentes aliquid ſcienter, vel audacter, ſeu ex præſumptione. Quia tunc excuſat juris ignorantia, etiam craſſa, & ſupina, non tamen affectata, vel craſſiſſima, ut per Sanch. *eo loco num.* 36. *&* 37. ac Suarez *ibid. num.* 14. & communem teſtantur Laym. *ubi ſupra num.* 1. & Baldel. *num.* 3.

Item amplio, ut procedat, etiam quoad pœnam irregularitatis ex delicto, ut ex violatione cenſurarum. Quia etiam hæc ſecundum magis communem incurritur ab ignorante hanc pœnam impoſitam eſſe pro tali actione, ſi tamen norit actionem à jure graviter eſſe prohibitam. Ratio autem eſt, quia vel irregularitas tunc eſt propriè pœna, & ſic locum habet concluſio. Vel ſecundum alios non imponitur à jure proprie loquendo, ac formaliter, ut pœna, ſed ut impedimentum Canonicum ob indecentiam, ideo incurritur facilius ab ignorante illam ſubeſſe. Ita Suarez *de cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 5. *numero* 10. Salas *de legib. diſp.* 15. *ſect.* 9. *numero* 13. Filiuc. *tr.* 11. *n.* 158. Avila *p.* 2. *cap.* 5. *diſp.* 5. *dub.* 10. *concl.* 2. Azor. *p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. *quæſt* 7. & plures Canoniſtæ ac Theologi, quos citat Sanchez *lib.* 9. *de matr. diſp.* 32. *num.* 16. *&* 21. ac ſequitur Baldel. *cit. lib.* 5 *diſp.* 45. *num* 7. *&* 8. ſatiſque probabile ait Diana *p.* 2. *tr.* 5. *miſcel. reſol.* 67. qui alios adducit, quique putant ob violationem cenſurarum non incurri irregularitatem ab ignorante hoc genus pœnæ ſubeſſe violationi.

Amplio etiam, & à fortiori, ut procedat in caſus reſervatione. Nam ſi reſervatio ſit facta ob bonam gubernationem, ut edictu Ordinarii, non eſt pœna, ſed eſt reſervatio cauſæ, & juriſdictionis ademptio; unde ligat ignorantem reſervationem, ſi tamen non ſit immunia à caſu, ſcilicet à culpa gravi, quod etiam concedit Sanch. *loc. cit. diſp.* 32. *num.* 18. Si autem reſervatio fiat in conſequentiam pœnæ latæ ſententiæ, ut excommunicationis, &c. tunc certum eſt, quod ſi incurrit in cenſuram, incurrit etiam in reſervationem abſolutionis, quia hæc non eſt pœna, ſed conſequutivum ad pœnam. Idemque dicendum, quando lex canonica vetat aliquem abſolvi ante factam reſtitutionem; quia hæc non eſt in pœnam, ſed pro juſtitiæ reparatione, quamvis Sanchez *nu.* 18. cum Molina quos ſequitur Caſtropal. *d. to.* 1. *tr* 2. *diſp.* 1. *pun.* 17. *n.* 8. putent, quod ignorans talem legem prohibitivam etiam actus aliàs damnati, non incurrat in caſus reſervationem, quia ſupponunt, neque incurrere in pœnas talis legis, cujus contrarium ſuprà aſſeruimus.

Limito autem dictam concluſionem, ut non procedat in cenſuris ſecundum magis communem. Quia cùm ſint pœnæ medicinales ad contumaciam amovendam, non incurruntur etiam à ſciente legis prohibitionem, ſi neſciat invincibiliter talem pœnam annexam per *d. cap.* 2. *de conſtit. in* 6. Ita Sanch. *diſp.* 32. *nu.*17. cum allegatis per eum, & Caſtropal. *ibid. num.* 5. 6. *&* 7. cum Suarez, Coninch, Bonacina & Pariſio, ac ſequitur Baldel. *ſupra nu.* 9. *&* 11. quamvis nonnulli contradicant, quos citat Sanchez *loc. cit. n.* 16.

Ignorantia autem facti, ſive delicti, ſi ſit inculpata quoad talem ſpeciem facti, excuſat ab omni illius pœna latæ ſententiæ, etiamſi aliàs quis daret operam rei illicitæ, ſeu facto aliàs damnato, ut ſi cogitans percutere Titium laicum, errans invincibiliter circa perſonam, percutiat Caium clericum. Non enim incurret in pœnas percutientis clericum, ſed ſolum percutientis hominem, excepta tamen pœna irregularitatis ex homicidio caſuali. Quia dans operam rei illicitæ, ac periculoſæ mortis inferendæ, etiam adhibita omni diligentia, fit irregularis, morte, vel mutilatione inde ſequuta *ex cap. fin. de homic. in* 6. Eſt communis ſententia apud Sanchez *de matr. d. lib* 9. *diſp.* 32. *n.* 22. cum binis ſequentibus. Si autem ignorantia facti ſit culpabilis, ſcilicet craſſa, vel ſupina circa illam ſpeciem facti à lege punitam, non evadet pœnas juris, niſi quando lex punit operantes ſcienter, ſive ex præſumptione, *d. cap.* 2. *de conſtit. in* 6. & late Sanchez *loc. cit. num.* 31. 36. *ac ſeqq.* cum ibi allegatis.

In caſibus vero, in quibus dictum eſt, ignorantiam non excuſare à pœnis, etſi circa pœnas ferendæ ſententiæ probabilius ſit eſſe juſtam cauſam illas minuendi, cum ignorantia ſit cauſa intrinſeca minuens culpam, ut per Sot. *de juſt. lib.* 5. *q.* 1. *ar. in fin.* Suarez *de legib. lib.* 5. *cap.* 12. *nu.* 16. Laym. *lib.* 1. *tr. de legib. cap.* 20. *num.* 3. Tiraquel. *in proëm. de mitig. pœnis numero* 24. Tamen quoad pœnas latæ ſententiæ

certum eſt ipſo jure non minuere. Quia cùm eas lex inferat ipſo facto, & abſolute, ſemper eodem modo locum habent. Ita Abb. *conſ.* 122. *num.* 2. *lib.* 1. Suarez *loc. cit. num.* 10. Salas *de legib. diſp.* 5. *ſect.* 9. *num.* 3. ac Tiraquel. *d. num.* 24. Eſtque probabilius, ne quidem eſſe in poteſtate Judicis pœnas latæ ſenteotiæ commiſſas, tunc minuere, etiamſi requirant declaratoriam Judicis, vel executionem. Nam ex quo Judex declaravit crimen commiſſum, pœna illa adſtringit independenter à ſententia Judicis, oeque poteſt ipſe gratiam facere ſuper pœna ipſo jure commiſſa, ſed Princeps. Hanc ſententiam tenet Bald. *in l. fin. num.* 8. *C. de prob.* Molin. *tr.* 4. *de juſt. diſp.* 9. *num.* 20. cum Lopez, ac veriorem, & in praxi receptam, ait Suarez *d. cap.* 12. *num.* 10. etſi contrarium alii teneant, ſcilicet, quod ſi pœna indigeat declaratoria, vel executoria, poſſit Judex illam minuere indirecte, vel utiliter, hoc eſt attemperando declarationem, ſive executionem propter ignorantiam, vel aliam ſimilem cauſam minuentem culpam, & hanc tenet *Abb. in cap. ſacris nu.* 10. *de his, quæ vi*, Salas *d. num.* 3. ac Tiraquel. *eo num.* 24. Illud verum eſt in uno caſu, quia Judex poteſt ſaltem indirecte remittere pœnam infamiæ juris, quando conſurgit ex condemnatione in cauſa famoſa.

Dubitans verò, ſe incidiſſe in pœnas latæ ſententiæ, an excuſetur ab illarum obſervatione, ſi facta diligentia dubium ſuperare, & in veritatis cognitionem pervenire non poſſit? Nec loquor hic de reatu quoad culpam tantum, id eſt pro foro ſacramentali. Quia tam in dubio facti, quàm juris omnes conveniunt, quod dubitans teneatur peccatum mortale dubium confiteri ſub dubio, ſive conditione, ut per Suarez *de pœnit. diſp.* 18. *ſect.* 1. *nu.* 12. *& diſp.* 22. *ſect.* 9. ac plures alios, quos citat & ſequitur Sanchez *in decal. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 66. Nam ex Concilio Trid. ſeſſ. ... *cap.* ... tenemur confiteri peccatum prout eſt in conſcientia.

Reſpondeo igitur primo. Si dubium eſt juris, quia ſcilicet dubitat, an pro tali caſu, vel culpa à ſe commiſſa, ſit impoſita à jure talis pœna, tunc in dubio pro ſua libertate judicare poteſt per textum *in cap. cum ſunt partium de reg. jur. in* 6. Suarez *de cenſur. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 15. Sanchez *lib.* 2. *de matr. cap.* 41. *quæſt.* 3. & alii multi, quos ſequitur Garz. *de benef. p.* 7. *cap.* 1. *num.* 14. Et procedit, etiam in dubio juris de irregularitate quacunque, Suarez *ibid. num.* 4. *&* 15. Sanch. *in decal. d. lib.* 1. *cap.* 10. *numero* 42. Sayr. *de cenſur. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 16. ac plurimi quos ſequuntur Bonac. *tr. de irreg. quæſt.* 1. *pun.* 5. *nu.* 2. *in fine*, & Garz. *loc. cit. num.* 21. Proceditque etiam in dubio juris de excommunicatione, aliiſque cenſuris quibuſcunque, Sanchez *in decal. loc. cit. num.* 55. *&* 62. Azor. *p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 19. *q* 10. *&* 11. Sayr. *in clav. reg. lib.* 1. *c.* 13. *num.* 23. *&* 24. contra alios, quos allegat Sanchez *ib. n.* 50.

Si verò dubium ſit facti, tunc, licet quoad pœnas ſententiæ ferendæ in totum non excuſetur, quia non punitur reus pœna ordinaria, ſed extraordinaria, ſive arbitraria, ut per Bald. *in l. fin. num.* 8. *C. de prob.* Capic. *dec.* 126. *num.* 14. *&* 15. Sanch. *in decal. d. cap.* 10. *num.* 45. Tamen quoad pœnas latæ ſententiæ excuſatur in totum. Quia pœnæ iſtæ non accipiunt augmentum, neque diminutionem, cùm ſint à lege limitatæ, Bald. *in d. l. fin. num.* 9. Carrer. *in pr. v. argumentis convictus nu.* 4. Et pœna impoſita, tanquam pro delicto certo, non habet locum pro caſu dubio, Sanchez *d. cap.* 10. *n.* 45. ac tenet Rota *coram Buratto dec.* 182. *num. ult.* Alban. *conſ.* 91. *n.* 41. & Honded. *conſ.* 58. *nu.* 43. *lib.* 1. qui loquuntur de pœna privationis ipſo facto incurrenda.

Limitatur id tamen primo in irregularitate. Quia in dubio facti de incurſa irregularitate, ſive ex homicidio, ſive ex alio delicto, vel facto, cenſendus eſt irregularis. Nam irregularitas non imponitur principaliter per modum pœnæ, ſed inhabilitatis, ut de communi teſtatur Garz. *d. p.* 7. *cap.* 1. *nu.* 19. ubi plures, tametſi alii probabiliter teneant ſolum procedere hanc limitationem in dubio facti de homicidio, ut Sanch. *ib. num.* 48. cum Suarez, Salas & alii, quos ſequitur Bonac. *d. tr. de i. reg. q.* 1. *pun.* 5. *n.* 3. qui ait, hanc probabiliorem, & ſequitur Diana *p.* 2. *tr.* 5. *reſol.* 72. Imo aliqui ex iis dicunt, ſolum procedere de homicidio injuſto, non autem de juſto, ſcilicet quoad irregularitatem ex defectu lenitatis, ut Sanch. *ibid. num.* 49. *in fin.* §. *rurſus*, aliique apud ipſum, & multi, quos ſectatur Diana *loc. cit.* & Tanner. *to.* 4. *diſp.* 6. *quæſt.* 10. *n.* 220. Item aliqui, ut Sanchez *ib. num.* 49. & quos allegant, & ſequuntur Bonacina & Diana *loc. cit.* inquiunt dictam limitationem ſolum procedere in irregularitate ex homicidio, non ex mutilatione, etiam injuſta. Alii tamen contra tenent apud eoſdem.

Limitatur ſecundo in excommunicatione, & aliis cenſuris, quia in dubio facti debet quis petere abſolutionem, ſaltem ſub conditione, quæ eſt communis ſententia, ut patet per relatos à Sanchez *ibid. à num.* 50. Et hanc tenet Suarez de *cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 8. Quia, inquit, dubio facti de cenſura incurſa pro foro conſcientiæ, eligenda eſt pars tutior, etſi contrarium teneant *Sanch. ubi ſupra nu.* 55. *&* 62. ac Bon. *de excom. q.* 2. *pun.* 6. § 2. *n.* 49. *&* 51.

Prædicta autem concluſio, ac limitationes aſſignatæ de dubio facti procedunt primo quando dubium eſt proprie dictum, ſcilicet cum æquali animi ſuſpenſione, quia ob ſolam ſuſpicionem nemo puniri poteſt *l. abſentem ff. de pœn.* Bald. *in l. fin. num.* 8. *C. de prob.* Item non habent locum in dubio poſitivo, quando ſcilicet adſunt præſumptiones prævalentes pro alterutra parte. Etenim primò in dubio facti de homicidio, vel abortu, ſiquis applicavit media fallibilia ad procurandum abortum, vel homicidium, v. g. ſi ſolum mandavit, vel conſuluit, vel ſi prægnanti fecit venæ ſectione ſanguinem emitti, & poſtea non poteſt certior reddi, an res habuerit effectum, tunc in dubio non eſt cenſendus irregularis. Quia non proceditur contra quendam ad pœnas, niſi conſtet de corpore delicti *l.* 1. *item illud ff. ad Syllan.* Oſaſch. *deciſ.* 42. Menoch. *de arb. caſ.* 452. *n.* 20. Et procedit tam pro foro externo, quàm interno, Sanch. *loc. cit. in decal. d. cap.* 10. *nu.* 44. *lib.* 1. Navar. *conſ.* 47. *de homic.* Quaranta *in ſum. Bullar. v. abortus* §. *nota.* Si autem applicata fuerint media efficacia, & communiter effectum trahentia, debet judicari & Irregularitatem, & alias pœnas juris incurriſſe, ut per Navar. *ib.* Quia licet facta in dubio non præſumantur, fallit tamen, quando ſunt ſolita fieri, ut *l. ult. C. de fid. inſtrum.* Maſcard. *concluſ.* 732. *n.* 5. *&* 7.

Secundo. Si conſtat de corpore, ſeu materiali delicti, ſive dubitat quis an habuerit ſufficientem advertentiam, tunc in dubio cenſeri debet pœnas juris incurriſſe. Quia licet in actibus internis facile præſumi poſſit ſubreptio, & inadvertentia, non tamen in actibus externis graviter malis. Quia actus externi ex natura ſua, cùm ſint valde ſenſibiles, & non momentanei, ſolent excitare mentem ad ſui conſiderationem. Et quia membra externa non moventur, niſi per rationem ſuperiorem, ut per *Leſſ. lib.* 2. *c.* 7. *nu.* 29. cum D. Thoma.

Tertio. Siquis conſilium, vel mandatum dedit ad delictū, ut ad homicidium, abortum, vel Clerici percuſſionem &c. & conſtat de corpore delicti, ſeu effectu

ſequuto

ſequuto, ſed dubitat, an ille motus ſit à ſua cooperatione, ſive conſilio, vel mandato, an verò aliàs id principalis eſſet facturus, tunc in dubio præſumptio eſt contra ipſum, & cenſetur pœnas incurriſſe, ut per Sanchez *d. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 44. Farinac. *q.* 129. *n.*140. Sayr. *d. lib.* 7. *de cenſur. cap.* 3. *num.* 2. Imo etiamſi executor dicat, ſe aliàs fuiſſe facturum, non eſt ei facile credendum, ut Farinac. *ibid. num.* 152. niſi adſint aliæ conjecturæ infringentes talem præſumptionem, ut gravis inimicitia præcedens, vel ſi proteſtatus jam fuerat ſe facturum, aut ſe jam præparaverat ad illud, Farinac. *eo loco num.* 129. cum multis Doctoribus, *& nu.* 143. *cum ſeqq.* Aliqui tamen dicunt ſtari poſſe dicto illius, ſi ſit perſona alioqui fide digna, & non adſint aliæ conjecturæ contrariæ, ut Henriq. *lib.* 14. *cap.* 16. *num.* 3. Sayr. *d. lib.* 1. *de cenſur. cap.* 3. *nu.* 2. Sanch. *ibid. num.* 4. Avil. *p.* 7. *diſp.* 6. *ſect.* 2. *dub.* 3. *concl.* 5. & conjectura bona erit credendi illi dicenti, ſe alias fuiſſe facturum, ſi longo poſt tempore id fecit, ut per ſupra citatos Doctores.

Reſpondeo ſecundo. Ex decreto S. Congregationis ſuper Epiſcopis & Regularibus juſſu Clementis VIII. edito ſub anno 1601. die 9. Januarii ſtatutum eſt, ut nemo, etiam privilegiatus abſolvere poſſit à caſibus clarè, vel dubie in Bulla cœnæ Domini contentis. Quod eſt intelligendum de dubio juris proprie dicto, id eſt negativo, ſeu cum æquali ſuſpenſione pro utraque parte, non autem de dubio poſitivo, quando eſſent hinc inde probabiles ſententiæ, ut per Graff. *lib.* 1. *de caſib. reſer. num.* 51.

Quod verò ad pueros, & minores tenendum eſt primò, infantes, qui ſcilicet ſeptennium non exceſſerunt, & impuberes infantiæ proximi, id eſt, qui decimum annum cum dimidio non exceſſere, non incurrunt pœnas juris, etiamſi ſint doli capaces, quia præſumptione juris & de jure non cenſentur delinquere, ut per Gomez var. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 57. & alios, quos ſequitur Barboſ. *in cap.* 1. *num.* 2. *de delict. puer.* ac tenet Laym. *lib.* 1. *tr. de legib. cap.* 10. *num* 5.

Id verò limitatur primo, quod iſti nihilominus, ſi ſint doli capaces & delinquant pro foro conſcientiæ, ex delicto obligantur ad reſtitutionem pro eo, quod intereſt offenſi. Quia hæc non eſt pœna, ſed æqualitas in juſtitia commutativa, & probatur ex *l. impubes ff. de furt.*

Limitatur ſecundo, quod impubes, infantiæ proximus, doli capax, irregularitatem incurrere poteſt ex delicto, ut homicidio ſecundum communem ſententiam ex Clem. *ſi furioſus de homic.* Sylveſt. *in homicidium* 3. *quæſt.* 2. Ugolin. *de irreg. cap.* 27. *num* 3. Sanchez *lib.* 1. *in decal. cap.* 12. *num.* 8. Avil. *p.* 7. *diſp.* 7. *ſect.* 1. *dub.* 13. Laym. *cit. nu.* 5. Quia irregularitas, ut diximus, formaliter non eſt pœna; quidquid in contrarium dicat Diana *p.* 2. *tr. miſcel. reſol.* 88. Excipe ſolum irregularitates, quæ conſequuntur ex infamia juris, quia impubes, infantiæ proximus, infamiæ pœnam non incurrit ex regula ſupra poſita, cùm ſit propriè pœna juris. At infans, etſi doli capax exiſtat, ſecundum veriorem ſententiam, excuſatur ab irregularitate ex delicto naſcente, ut per Laym. *loc. cit.* cum Henriq. & Avila, & tenent Sayr. *lib.* 6. *de cenſur. cap.* 17. *n.* 30. & alii apud Dianam *ibidem.* Quamvis alii dicant, non excuſari infantem doli capacem, ut Covar. *in d. Clem. ſi furioſus p.* 3. *num.* 5. & Rodriq. *p.* 1. *ſum. tr. de irreg. cap.* 176. *concl.* 1.

Limitatur tertio in excommunicatione, aliiſque cenſuris ipſo jure latis, vel ex edictis generalibus per modum juris pro futuris culpis. Quia impubes, infantiæ proximus, eas poteſt incurrere, ſi doli ſit capax, Henriq. *lib.* 8. *cap.* 41. *in fine in comm.* Navar. *in man. lib* 8. *cap* 27. *num.* 76. Sanch. *d. c.* 12. *n.* 8. Suar. *de cenſur. diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 19. Laym. *eod. n* 5. & Sancius *ſelect. diſp.* 26. *n.* 18. Interdictum autem generale ligat etiam infantes quoſcunque, ut per Bonac. *de cenſur. diſp.* 1 *q* 1. *pun* 4. *n.* 9. cum per eum allegatis. Cenſuris verò ſpecialibus, ſcilicet ab homine latis, vel etiam per edicta generalia pro præteritis culpis, impuberes quicunque nondum proximi pubertati, etiam majores ſeptennio, juſte quidem ligari non poſſunt, ſed tamen valide ligantur, dummodo doli capaces exiſtant, Suar. *d. diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 19. Coninch. *diſ.* 13. *n* 45. Rodriq. *quæſt. regul.* 60. *ar.* 2. *to.* 2. Bonac. *ib.* & Sanch. *loc. cit. n.* 8. Verum tamen quod non cenſeantur impuberes, ſi non ſint proximi pubertati, comprehenſi in ſententiis iſtis generalibus pro præteritis culpis, niſi exprimantur, tenent Doctores, quos allegat Sanchez *d. cap.* 12. *n.* 7. & ſequitur *Diana d. p.* 2. *tr.* 4. *reſol.* 120. & citata *reſol.* 88. & Laym. *ibid. num.* 6.

Secundo tenendum eſt, minores viginti quinque annis, puberes etiam impubertati proximos, & impuberes proximos pubertati ex ſuo delicto, quamvis pœnis ſententiæ ferendæ ſint mitius puniendi, ut non teneantur pœna ordinaria ratione teneræ ætatis, tanquam ex cauſa minuente culpam, Gomez *d. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 58. 59. *&* 62. Tiraquel. *de mitig. pœn. Cauſ.* 7. *n.* 1. Sanchez *loc. cit n.* 7. Covar. *in d. Clem. ſi furioſus p.* 3. *in princ. n.* 5. Clar. *in pr. q.* 60. *n.* 1. Menoch. *de arb. caſ.* 329. Theſaur. *dec.* 161. *per totam.* Attamen pœna latæ ſententiæ ipſo jure, regulariter loquendo incurrere eodem modo, ſicut majores, Gloſ. *in l. pen. C ex quib. cauſ. infam. irrog.* ibique Bald. & Salic. Abb. *conſ.* 21. *n.* 2. *lib.* 1. Molina *de juſt. tr.* 4. *diſp* 9. *n.* 20. cum Lopez. Unde minor incurrit pœnam infamiæ ipſo jure latam pro tali delicto, etiamſi non puniatur aliis pœnis ordinariis illius delicti ferendæ ſententiæ. Intelligitur autem de infamia, quę incurritur ipſo facto, & non expectata ſententia condemnatoria, ut per Abbatem, Molinam, & Lopez *loc. cit.* Sic etiam minor, qui incidit in commiſſum, & caducitatem incurrit ex ſua culpa, vel dolo, quamvis, ſi dolus non interceſſit, ſit reſtituendus in integrum, ut habetur *in l. ſi ex cauſa §. ſi in commiſſum ff. de minor.* & apud Seraph. *dec.* 313. *n.* 6. Sic etiam minor, impugnans voluntatem defuncti, ipſo jure perdit relictum ab eodem defuncto, quamvis reſtituendus ſit adverſus lucri amiſſionem, ſi non dolo egit, *l. poſt legatum §. ætate ff. de his, quib. ut in indign.* Bartol *in l. tutorem ff. eod.* Gloſ. *in l. Pollà C. eod.* & Aretin. *conſ.* 67. *numero* 9.

Excipitur tamen primo, ut minor non incurrat pœnam infamiæ latam ipſo jure contra exercentes artem ludicram *l. pen. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* ibique Gloſ. Bald. & Salic. & conſequenter neque ſit irregularis ex tali exercitio, Bald. *ibid.* Secundo, ut non incurrat pœnas ipſo jure latas in venientes contra pacta jurata *ex l. ſi quis major C. de tranſ.* & notat Seraph. *dec.* 313. *n.* 7. Tertio, ut non incurrat pœnam non petentis tutorem, *l. fin. C. ſi adverſ. delict.* Alias etiam exceptiones habes apud Angel. *de maleſ. tit. de pœn. reor. num.* 30. ſed illam addo, quod minor impubes, pubertati proximus, non incurrit juris pœnas proprie dictas, ſi delinquat in omittendo, ut de communi teſtatur Clar. *§. fin. q.* 60. *in princ.*

Sed quid de compulſo metu gravi, delictum committente? Neque hic eſt quæſtio de vi abſoluta, quæ ſcilicet tollit omnem libertatem. Nam cùm omnem culpam excludat, etiam à pœnis præſervat pro utroque foro, ſive ſint latæ, ſive ferendæ ſententiæ *l. fœdiſſimam,*

ac ibi Gloſ. & Doctores *C. ad leg. Jul. de adult. l. 1. §. removes ff. de poſtul.* Farinac. *q.* 148. cum ibi allatis, & Sanch. *de matr. diſp.* 31. *n.* 1. *lib.* 9. & textus *in cap. diſcretionem de eo, qui cognov.*

Circà igitur metum gravem, ſive cadentem in conſtantem virum, certum eſt, quod quoad pœnas ſententiæ ferendæ, quoties metus non excludit omnem culpam, ut cùm actio eſt intrinſece mala, non excuſat ab omni pœna, ſed minuit, ut non ordinariæ, ſed arbitrariæ, ſive extraordinariæ ſit locus, ut per Saoch. *loc. cit. n.* 4. Abb. *in c. ſacris n* 2. *de his, quæ vi, & conſ.* 4. *nu* 4 *lib.* 4. Tiraquel. *de pœn. mitig. cauſ.* 36. *n.* 3. Farinac. *q.* 97. *n.* 23. Clar. *§. fin q.* 60. Ut ſiquis metu gravi coactus à viro potente aliquem innocentem occidat, ut per Clar. *ibid.* Vel ſi mulier gravi metu adulterium committat, Abb. *loc. cit.*

Quoad pœnas verò latæ ſententiæ duæ ſunt præcipuæ ſententiæ. Prima aſſerit, quod etiamſi metus non excuſet à culpa mortali, ut quia res erat intrinſece mala, ſi tamen excuſabat in tali caſu à præcepto, quatenus erat juris poſitivi, ſcilicet quia non agebatur de gravi publico damno, ut Principis, vel Patriæ, vel Chriſtianæ Reipublicæ, vel Religionis Chriſtianæ, vel Eccleſiæ contemptu, pro quibus cauſis privatus homo vitam exponere teoetur, excuſabit à cenſuris, & pœoit latæ ſententiæ, à jure impoſitis, aliàs ſecus. Ita teneot Navar. *in man. c.* 27. *n.* 63. Henriq. *lib.* 13. *c.* 21. *n.* 3. Avil. *p.* 7. *diſp.* 2. *dub.* 7. *concl.* 5. Suar. *de cenſur. diſp.* 5. *n.* 14. Coninch. *de cenſur. diſp.* 13. *n.* 101. *& ſeqq.*

Secunda tamen ſententia, quam probabiliorem, ac tutiorem exiſtimo, aſſerit, quod ubi metus non excuſat à culpa, ut quia actio erat intrinſecè mala, & non de ſe indifferens, non excuſat à pœnis latæ ſententiæ, illi culpæ proportionatis. Ita Richard. Sylveſt. Aſtenſ. Roſel & Graff. quos ſequitur Sanch. *d. lib.* 9. *de matr. diſp.* 31. *n.* 4. ubi ponunt exemplum de pœna privationis juris petendi debitum ob inceſtum, ſive copulam commiſſam ab oxore cum conſanguineo viri metu gravi, ac tenent Durand. *in* 4. *diſt.* 8. *quæſt.* 5. *ad* 3. Cajet. 1. 2. *quæſt.* 96. *ar.* 4. Vitalin. *in Clem.* 25. *de conſangu.* qui loquuntur de pœna cenſuræ, ut incurratur, ubi non excuſat metus à culpa; & de omni pœna latę ſententiæ, ſive ipſo jure inflictæ, quod metus non excuſet, tradit Abb. *in d. cap. ſacris, de his, quæ vi num.* 2. ubi communicans cum excommunicato metu gravi io caſibus io quibus noo licet jure communicare, noo excuſatur totaliter à culpa, & ideo neque ab excommunicatione ob comminationem, vel participium. Et ita abſolutè *d. cap. ſacris communiter* intelligunt Canoniſtæ, ut teſtatur Sanch. *loc. cit.* At præſertim procedit hæc ſententia in pœnis latæ ſententiæ iodividnis, ut cenſuris, inhabilitatibus; privationibus Officiorum, infamia, & ſimilibus, ut per Anan. *in d. cap ſacris num.* 1. & Anchar. *num.* 3. *notab.* 6. qui putant dividuas minui ex parte. Proceditque etiam præcipue de jure Canonico, & in pœnis latis à lege Eccleſiaſtica, quæ poteſt punire omne peccatum mortale, & nullum peccatum permittit; *cap. novit. de judic. cap.* 1. *de Offic. Ordin.* Navar. *conſ.* 7. *de Offic. Ordin.* & Abb. *in d. cap. ſacris numero* 5. ubi ait, quod metus gravis non excuſat delinquentem à pœnis de jure Canonico, quia propter nullum metum quis poteſt peccare mortaliter.

Licet autem ipſo jure ob metum gravem talis pœna incurratur, tamen Judex debet habere reſpectum ad metum, & in exequutione pœnam minuere, ſcilicet quando eſt pœna indigens facto hominis ad illius exequutionem, ut per Abb *in d. cap. ſacris num.* 2. In contrarium verò eſt doctrina Bald. *in l. fin. num.* 8. *C. de prob.* communiter recepta, quod ubi eſt pœna certa, & determinata à jure, non poteſt Judex illam minuere. Qua de re dictum eſt *ſupra.*

An autem metus gravis excuſet à reſervatione caſus, facta ab Ordinario in ordine ad forum ſacramentale? Affirmat Graf. *de caſib. reſer. lib.* 1. *cap.* 13. *numero* 33. etiam quando oon excuſat à culpa. At contrarium verius eſt. Quia non eſt pœna, ſed provida reſervatio juriſdictionis, ut quoque dictum eſt. Et quia ubi non excuſatur quis ob metum à culpa, non excuſatur à pœna proportionata delicto. Secus tamen eſt de reſervatione pœnali facta à ſummo Pontifice, *v. g. abſolutionis cenſuræ*, quia metu compulſus poterit abſolvi ab inferiore, Anan. *in d. cap. ſacris num.* 5. *de his, quæ vi*, ibique Imol. *num.* 5. *per cap. ſacris de ſent. excom. v. voluntarius.*

Hoc autem limitatur, quod tunc metus gravis excuſat à cenſura, vel pœna latæ ſententiæ, quando lata eſt contra ſcientes, vel præſumptione delinquentes, aut alias ubicunque dolus punitur, ut per Gloſ. *in d. cap. ſacris a. v. voluntarius de ſent. excom.* Suar. *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 3. *nu.* 12. eſtque communis ſententia.

Quod verò ad furorem, vel dementiam, quamvis furor ſuperveniens poſt delictum commiſſum excuſet à pœnis ſententiæ ferendæ corporalibus, ut de veriori, & magis commuoem teſtatur Meooch. *de arb. caſ.* 325. *num.* 13. & per ea, quæ Cevall. *commun. contra commun. quæſt.* 33. *tom.* 1. Tamen quoad pœnas latæ ſententiæ, jam commiſſas, nunquam excuſat, quia jam ſententia accepit ipſo facto exequutionem. Et quia ſicut pœnæ ſententiæ ferendæ inferri poſſunt contra eum, qui poſt delictum furioſus effectus eſt, ſi non ſint pœnæ corporales, ſed pecuniariæ, ut cunfiſcatio bonorum, Meooch. & Ceval. *loc. cit.* ac cenſuræ, ut per Sayr. *de cenſur. lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 3. Suarez *eod. tit. diſp.* 5. *ſect.* 1. *nu.* 20. *ac* 21. Ita pœnæ latæ ſententiæ ex ipſo jure, cùm nunquam ſint corporales, ſemper locum habere poſſunt.

Furor item ſuperveniens poſt cauſam culpabilem datam delicto, non excuſat à pœna latæ ſententiæ, ſi effectus fuerit conſummatus in ſtatu furoris, ſeu dementiæ, quia jam ſufficieoter deliquit in cauſa, & hic effectus quoad pœnas juris incurrendas componit moraliter cum illa cauſa, & ſufficit influxus phyſicus ab illa cauſa peccaminoſa, & tempore cauſæ datæ contrahitur obligatio ad pœnam ſub conditione eventus, etiamſi culpa eſſet per pœnitentiam retractata medio tempore, ut per Leſſ. *de juſt. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 17. Atque ita in terminis docent Sayrus, & Suarez *loc. cit.* Addit tamen Suarez, quod ſi furor cenſeretur futurus perpetuus, deberet furioſus abſolvi à ceoſuris incurſis. Quia ceſſaret finis cenſurę, quæ eſt medicina ad reſipiſcendum. At de his ſatis. Reliqua cum de abſolutionibus, ac diſpenſationibus agemus.

Clericus, lata ſenteotia, quod hæreſim, vel ſortilegium hæreticale commiſerit, privatur non ſolum in poſterum beneficio, ſed etiam fructibus perceptis à die commiſſi criminis. Quia pœna amiſſionis ipſo facto beneficii, hoc operatur, ut delinquens, cùm fuerit lata ſententia declaratoria ipſius criminis, privetur beneficio & fructibus perceptis à die criminis patrati. Sic Diaz *in pr. can. cap.* 131. *num.* 5. Covar. *in* 4. *decretal. p.* 2. *cap.* 6. *§.* 8. *nu.* 8. Molina *de juſt. to.* 1. *diſp.* 96. *in fin.* Henriq. *lib.* 13. *de excom. cap.* 56. *numero* 2. & Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 10.

Quod

Quod ſi Clericus poſt patratam hæreſim, vel commiſſum ſortilegium manifeſte hæreticale, ſuum beneficium alteri Clerico reſignat, illius reſignatio eſt irrita. Quia, licet talis reſignatio non ſit nullius momenti; nam ille cui reſignatur, acquirit jus percipiendi fructus illius beneficii, donec declaretur, Clericum reſignantem hæreſim, vel ſortilegium manifeſte hæreſim ſapiens, commiſiſſe; nihilominus facta hac declaratione, retrotrahitur ſententia ad diem commiſſi delicti & renunciatio beneficii reſcinditur, ac ſi non fuiſſet, ut per eundem Diaz *loc. cit. cap.* 14. *num.* 2. ibique Salzed. Pegn. *p.* 3. *comm.* 162. Sanch. *ubi ſupra num.* 9. & declaravit S. Congregatio S. Officii *ſuperius relata*.

Qui etiam docent, idem dicendum eſſe de permutatione beneficiorum. Si enim Clericus, qui hæreſis crimen commiſit, commutavit ſuum beneficium cum beneficio alterius Clerici, qui ejuſmodi crimen non commiſit, talis permutatio reſcinditur, ut nulliter facta, cum hac tamen differentia, quod dum Clericus innocens ſpoliatur beneficio, habito à Clerico de hæreſi reo, poteſt ad ſuum beneficium, quod illi dederat, redire. Quia non abſolute ſuum beneficium reſignavit, ſed via permutationis, ac ea lege, ut permutatio omnino teneret, ſuumque haberet effectum. Ita Flam. Pariſ. *de reſign. benef. lib.* 1. *q.* 14. *à n.* 6. & Sanch. *d. cap.* 26. *num.* 9.

Immò beneficium Clerici, qui in hæreſim incidit, poteſt ante illius ſententiam declaratoriam ab alio impetrari, ſed beneficii poſſeſſio alteri conferri nequit, illo non vocato. Nam id fieri poteſt quoties beneficium ipſo jure amittitur, ut colligo *ex cap. licet Epiſcopus de preb. in* 6. ibique Gloſſ. *v. te non vocato*, & tradunt Franch. ac Gemin. *in fine*, Pariſ. *loc. cit. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 37. Lambertin. *de jurepatr. p.* 1. *lib.* 2. *q.* 6. *ar.* 9 *&* 10. Azor. *p.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 3. Decian. *in pr. lib* 5. *cap.* 44. *num.* 26. & Sanch. *ib. num.* 12.

Et quamvis Eymericus exiſtimet *p* 3. *q.* 113. in fine pœnam privationis beneficiorum non habere locum in hæreticis pœnitentibus, id tamen intelligendum eſt de ſponte comparentibus, qui, ut ibi notat Pegna *com.* 162. ſi Religioſi, aut Clerici ſponte comparuerint, mitiſſime tractari debent & facilius poſſunt ad ſua reſtitui beneficia. Quod ſi poſt deprehenſionem tardius, & poſt multas admonitiones revertantur, ad officia, & beneficia non tam facile debent reſtitui. Immo verbaliter degradati, in monaſterium conjicientur ad agendum condignam pœnitentiam, nec facile debent habilitari in poſterum ad aliqua beneficia obtinendum. Idemque docent Sanch. *d. c.* 26. *n.* 13. Simanch *in Enchir. tit.* 58. *n* 4 Nam cum eo ipſo, quod quis in hæreſim incidit, ſit verus hæreticus, amittit ſtatim beneficium, ſicut & alia bona. Sicut igitur non recuperat alia bona, ita nec beneficium.

Nec poſſunt Inquiſitores non ſpoliare beneficiis prædictos Clericos, vel illis ſpoliatos eiſdem propria autoritate reſtituere. Nam extat motus proprius B. Pii V. incipiens, Cum ex Apoſtolatus, ubi beneficia qualiacunque ſint, ob hæreſim vacantia, Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervavit. Atque ideo, cùm ex jam dictis conſtet beneficia ob hæreſim ipſo jure vacare, ſolus ſummus Pontifex de illis diſponit, ut per Pegnam *loc. cit.* Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 13. *quæſt.* 8. Zerola *in pr. Epiſc. p.* 2. *v. beneficium*, & Sanchea *in decal. d. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 13.

Clericus verò ſuſpectus tantum de hæreſi non eſt beneficiis ipſo jure privatus, ſed juxta ſuſpicionis qualitatem eſt beneficiis privandus. Nam pœna, quæ debetur Clerico ipſo jure de hæreſi convicto, vel confeſſo, non extenditur ad de hæreſi tantum ſuſpectum, ut docent Pegna *loc. cit.* Sanchea *ib. n.* 15. & Farinac. *de hæreſ. q.* 189. *n.* 86. Unde talis Clericus, de hæreſi tantum ſuſpectus, poteſt ante ſententiam beneficii alteri renunciare, & renunciatio, ſequuta contra eum ſententia, non reſcinditur. Refertque Farinacius *d. n.* 86. ita fuiſſe deciſum in Rota *coram Comitulo in Gadicenſi Canonicatus* 20. *Junii* 1587. Et Sanchez *ubi ſupra c.* 25. *n.* 12. ait, quod ejuſmodi beneficia non vacant virtute dicti motus proprii, quia ſuſpectus de hæreſi, non eſt vere hæreticus. Quod notant etiam Navar. *lib.* 5. *conſil. tit. de hæret. in* 1. *edit. conſ.* 5. *&* 6. *& in* 2. *edit. conſ.* 18. *ac* 19. Pariſ. *de reſignat. l.* 4. *q.* 3. *n.* 16. Henriq. *d. l.* 13. *de excom. c.* 56 *n.* 1. Em. Sa. *in ſum. v. hæreſis n.* 5.

Receptatores autem, defenſores, & fautores hæretici, non ſunt beneficiis ipſo jure privati, ſed per ſententiam privandi juxta *c. Excommunicamus* 1. §. *credentes de hæret.* Nam iſti ſunt tantum de hæreſi ſuſpecti. Suſpecti autem de hæreſi, ut diximus, non ſunt ipſo jure beneficiis privati, ſed privandi, ut etiam tradunt Covar. *l.* 2. *var. c.* 8. *n.* 4. Pegna *p.* 3. *com.* 162. Sanchea *d. cap.* 26. *n.* 15. & Farinac. *d. q.* 189. *n.* 81. Unde valide poſſunt beneficia renunciare in alterius favorem, antequam illis per ſententiam priventur, & talis renunciatio per latam ſententiam non reſcinditur, ſed ſuum robur retinet, etiamſi aliquis à Pontifice in eventum vacationis ea obtinuerit. Quia privandus per ſententiam beneficio, poteſt adhuc, lite pendente, ante ſententiam in favorem tertii illud renunciare. Nam, donec illo privetur, eſt ſuum, ut multis citatis docet Pariſ. *d. l.* 5. *de reſign. q* 16. *n.* 8. Henriq. *d. l.* 13. *de excom. c.* 36. *n.* 4. & Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 26. *n.* 16. *& de matr. lib.* 7. *diſput.* 42. *nu.* 2.

Clerici verò filii hæreticorum ſunt ipſo jure beneficiis privati, & inhabiles ad alia obtinenda. Nam quod ob hæreſim paternam Clerici priventur ipſo jure Eccleſiaſticis beneficiis, probatur *ex cap. ut commiſſi* §. *privandi de hæret. in* 6. & ex conſtit. Alexandri IV. edita ſub anno 1258. quæ incipit, *quod ſuper relata*, & ex alia ejuſdem Pontificis edita ſub anno 1259. cujus initium, *Ad extirpanda*, & ex alia Honorii IV. emanata ſub anno 1286. incipiente *exhibita*, relatæ à Pegna *poſt Directorium*. Et tradunt Doctores, quos ſequitur Farinac. *de hæreſ. q.* 191. *num.* 44. *&* 46. Covar. *var. lib.* 2. *cap.* 8. *nu* 4. ubi, aliis relatis, teſtatur de communi, Sanch *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 27. *n.* 27. *& ſeq.* Quod certum eſt, procedere in beneficiis Eccleſiaſticis à filiis acquiſitis poſtquam eorum pater in hæreſim incidit. Tunc enim ipſo jure illis privantur. Quid autem de beneficiis acquiſitis ante delictum patris dicendum ſit, mox dicemus.

Quod autem ſint inhabiles hujuſmodi Clerici ad alia beneficia obtinenda, probatur *ex cap. quicunque* §. *hæretici de hæret. in* 6. ubi Gloſ. & Doctores, & *ex cap. ſtatutum* 1. *eod. tit. pariter in* 6. ubi etiam Gloſſa, & alii. Extat etiam Conſtitutio Nicolai tertii edita anno 1281. quæ incipit *Noveris Univerſitas*, relata à Pegna, & confirmant communiter Doctores, relati a Farinacio *loc. cit. num.* 48.

Idemque dicendum eſt de nepotibus, ac deſcendentibus uſque ad ſecundum gradum. Etenim & iſti privati ſunt Eccleſiaſticis beneficiis, & ad alia obtinenda inhabiles ſunt, ut habetur *in cap. ut commiſſi, in d. cap. ſtatutum, & in d. cap. quicunque de hæret. in* 6 ubi Canoniſtæ, extatque Conſtitutio IV. emiſſa ſub anno 1254. ejuſdem initii, *Noveris Univerſitas*, quam refert Pegna, & tenent Covar. *l.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. & Farinac. *ubi ſupra n.* 50 ubi alii, teſtantes de communi.

Hoc tamen intelligendum eſt de nepotibus ac

deſcendentibus ex linea paterna, & maſculina. Quoniam deſcendentes ex linea materna, & fœminina non privantur beneficiis, nec ad obtinenda ſunt inhabiles, niſi uſque ad primam generationem. Habetur expreſſe *in d. cap. ſtatutum 1. de hæret. in 6.* his verbis alibi relatis: *Primum & ſecundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus. Per maternam verò ad primam duntaxat volumus extendi*, ibique notat Gloſſa, quod nepotes hæretici ex filia, & nepotes ex muliere hæretica non comprehenduntur ſub dicta pœna, quia filii magis patrem, quàm matrem repræſentant. Et ſicut nobilitas familiæ deſcendit in poſteros magis ex patre, quàm ex matre, ita majorem jacturam ex hæreſi paterna, quàm ex materna eos pati, juſtiſſimum eſt, ut per Eymer. *p. 3. direct. quæſt.* 115. Pegna *ibi com.* 164. Gomez *tom. 3. var. cap. 2. numero* 4. & alios, quos ſequitur Sanchez *in decal. lib. 2. cap.* 27. *numero* 2. & Farinac. *de hæreſi q.* 191. *num.* 51.

Id ipſum quoque dicendum eſt de filiis hæreticorum, credentium, receptatorum, & fautorum, qui inhabiles etiam ſunt ad beneficia Eccleſiaſtica inſtar eorum parentum per lineam paternam uſque ad primam & ſecundam generationem, & per lineam maternam ad primam tantum ex *d. cap. ut commiſſi, ex cap. credentium, ex cap. quicunque, & ex cap. ſtatutum de hæret. in 6.* ubi communiter Canoniſtæ, Farinac. & Sanchez *loc. alleg.*

Clerici item illegitimi, aut ſpurii privantur beneficiis Eccleſiaſticis, & ad illa obtinenda ſunt inhabiles propter hæreſim paternam, alioquin eſſet melior conditio illegitimorum, quàm legitimorum. Immo hujuſmodi filii duplici ex capite ſunt inhabiles & irregulares ad beneficia. Primo propter hæreſim paternam. Secundo, quia ſunt illegitimi, vel ſpurii, vel geniti ex coitu damnato, dummodo certum ſit, eos eſſe illegitimos, vel ſpurios, vel hæretici filios, Zanchin. *in tr. de hæret. cap.* 28. *num.* 13. Repert. *Inquiſ. v. filii*, Covar. *var. lib. 2. cap. 8. num.* 3. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *numero* 16. ac Pegna *d. p. 3. comm.* 163.

At quid de filiis genitis ac natis ante paternam hæreſim? Prima ſententia tradit, illos eſſe beneficiis obtentis privatos, & ad alia inhabiles. Quia hæc pœna ideo impoſita eſt, ut parentes hæreſim non committant, ne eorum filii illam patiantur. Parentes autem æqualiter diligunt filios, tam genitos, & natos ante ſuam hæreſim, quàm poſtea. Nec textus loquentes de hac pœna id diſtinguunt. Ita Salic. *in l. quiſquis C. ad leg. Jul. Majeſt*, ibique Albertinus, Gloſ. *in can. ſiquis cum militibus 6. quæſt. 1 v. filii*, Gomez *d. to. 3. var. c. 2. num.* 16. Caſtrius *lib. 1. cap. 7. de poteſt. leg. pœnal. & lib. 2. cap. ult. de juſta hæret. punit.*

Secunda ſententia eſt, non eſſe privatos, nec privandos beneficiis obtentis ante paternam hæreſim, ſed ſolum poſtea obtinendis. Hanc aſſerunt Calderin. *conſ. 3. de hæret.* Cyn. *in d. l. quiſquis*, Præpoſitus *in can, quo jure d.* 8. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 29. *num.* 23 *& ſeq.* Pegna *p. 3. d. com.* 163. Covar. *d. c.* 8. *n.* 5. Bald. *in l. 2. C. de libert. & eor. lib.* Farinac. *de hæreſ. q.* 191. *nu* 57. Decian. *tr. cr. lib. 5. cap.* 45. *n.* 5. Surd. *conſ.* 386. *n.* 5 Menoch. *conſ.* 805. *n.* 33. & *conſ.* 808. *n.* 26. Azor. *p. 1. lib* 8. *c.* 13. *q.* 8. Sanch. *d. lib. 2. in decal. cap.* 27. *num* 14. *& cap.* 28. *nu.* 28. aliique apud ipſos. Et hæc ſententia benignior eſt, uſuque magis recepta. Probatur, quia *in c. 2. §. hæretici de hæret. in 6.* filii ac nepotes ob paternam hæreſim ſolum redduntur inhabiles ad beneficia, vel Officia publica obtinenda, quæ inhabilitas non privat obtentis, ut tradunt Gloſ. *in Clem. 1. v. obtinenda de pœn.* ibique Cardin. Imol. & Vital. *numero* 54. &, ut refert Covar. *eo numero* 5. ait Gloſſa *In can. jam itaque v. reatum 1. quæſt.* 4. reatum patris tranſire in filium poſtea natum, non in eum, qui antea natus fuerat, obſervatque idem Covar. *loc. cit. num.* 4. quod quamvis jure Canonico hæreticus effectus inhabilis ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica, etiam obtentis privetur, non tamen eſt idem in ejus filiis quoad beneficia, quæ iſti obtinuerunt ante parentis crimen. Hi enim ob alterius culpam inhabiles efficiuntur ad Eccleſiaſtica beneficia acquirenda, non tamen bonis propriis privantur, & ideo poterunt etiam retinere beneficia obtenta.

Præcipue verò hæc ſententia probatur ex eo, quod nullibi expreſſum eſt, filios obtentis beneficiis privari ob ſcelus paternum. Qui enim inhabilis efficitur ad illa obtinendum, regulariter obtentis non privatur. Sic, licet infamis infamia facti inhabilis ſit ad obtinenda beneficia Eccleſiaſtica, ut ex Gloſ. *in cap. omnipotens de accuſ.* ibique Abb. Aretin. & alii, & *ex cap. inter dilectos de exceſ. Præl.* obtentis tamen dignitatibus, beneficiis, & honoribus non privatur, ut docent Panorm. *in cap. per inquiſitionem col. 3. de elect.* Doctores *in d. cap. omnipotens, & in l. 2. §. ult. ff. de pœn.* Gloſ. *in cap. cum non liceat de præſcript. l. 1. §. integer ff. nil novar. appel. pend. l. furti §. 1. ff. de his qui not. infam.* aliiſque autoritatibus, & rationibus hanc ſententiam probat Sanchez *loc. cit. cap.* 28. *nu.* 30. addens, quod filii ob paternam hæreſim neque per ſententiam privandi ſunt beneficiis, jam antea obtentis, quia ſolum ad beneficia obtinenda redduntur inhabiles. Quod etiam docent Covarruvias, Clarus, Simanchas, Salzedo, Suarez, Ledeſma, & Pegna ab eo citati.

Porrò filii ac nepotes ſicut ob paternam hæreſim ſunt inhabiles ad beneficia in poſterum obtinenda, ſic etiam ſunt inhabiles ad acquirendum penſiones. Nam, etſi appellatione beneficii non veniat penſio, cùm longe inter ſe differant, & pœna ſtrictiſſime interpretanda ſit, attamen textus *in d. cap. ut commiſſi de hæret. in 6.* privans prædictos filios beneficiis, utitur verbis generalibus, nempe quibuſcunque beneficiis. Et *in cap. 2. § hæretici eod tit.* utitur illa negativa generali *nullum beneficium*, atque ideo continet etiam penſiones. Cumque textus dicat, prædictos filios ad nullum beneficium eſſe admittendos, Gloſſa *ibi*, ac Gemin. *num.* 2. aiunt, *beneficium ſumi late.* Sub lata autem beneficii ſignificatione comprehenditur etiam penſio, ut fuſe probat Gigas *de penſ. tota quæſt.* 18. Atque adeò qui eſt incapax beneficii, eſt etiam incapax penſionis. Et ſane cùm penſio ſit fructus, eſt beneficio acceſſoria, & proinde ſequitur naturam ſui principalis, atque adeo ſub privatione beneficii includitur etiam privatio penſionis. Ita Gigas *loc. cit.* & *quæſt.* 94. *nu.* 7. *& conſ.* 142. *num.* 7. Gloſ. *in Clem. 2. v. quodcunque de vit. & honeſt. cler.* Farinac. *de hæreſ. d. q.* 191. *n.* 60. & Sanchez *d. lib. 2. in decal. cap.* 28. *num.* 36. ubi refert extato hac de re multas Rotæ deciſiones, aliique apud ipſos.

Filii verò patris pœnitentis, qui in hæreſis crimen incidit, non ſunt inhabiles ad alia beneficia obtinenda, etiam ſi pater ante peractam pœnitentiam obierit, dummodo illam vel inceperit, vel eam recipere paratus ſit. Habetur *in cap. ſtatutum 1. de hæret. in 6.* per hæc verba: *Non autem illorum, quos emendatos eſſe conſtiterit, ac reincorporatos Eccleſiæ veritati*, ad quem textum Gloſ. *v. reincorporatos, & v. paratis*, Gemin. *in ſum. ſub initio &*

in

in §. Hoc ſane nu.2. De quo etiam extat Conſtitutio Honorii IV. edita anno 1286. incipiens *Exhibita,* & Alexandri IV. ſub anno 1258. quæ incipit, *Quod ſuper,* & tradunt Calder. *de hæret. rubr. de pœn. hæret. num.4.* Zanchin. *de hæret. c.* 28. *nu.* 3. *&* 4. Pegna *d. p. 3. com.* 162. Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 27. *numero* 26. *&* 28. ac Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. diſp.* 43. *ſect.* 3. *num.* 1. Et in hoc voluit lex conſtituere differentiam inter patrem, qui crimen hæreſis commiſit, ac ejus filios. Nam ille, quamvis Eccleſiæ reconcilietur, adhuc manet irregularis, donec cum eo diſpenſetur, filii verò non indigent diſpenſatione poſt parentis reconciliationem. Quia licet ob criminis gravitatem ac infamiam potuerint parentes, etiam in filiis puniri, ut ipſi parentes facilius converterentur, attamen gravius puniendi ſunt parentes in tali caſu, quàm filii, ac juſte impoſita eſt illis delinquentibus pœna, quàm iſtis.

Quod verò ad filios ac nepotes relapſi, qui ſui criminis pœnitens, Eccleſiæ reconciliatur, ſed brachio ſeculari traditur puniendus, putant Gemin. *in d. cap. ſtatutum §. hoc ſane de hæret. in 6.* Repertor. Inquiſit. *d. v. filii, §. nunc videndum,* Monteſiu. *l.* 2. *tit.* 25. *par.* 7. aliique non fieri ad beneficia inhabiles. Quia iſtorum parentes non videntur hæretici diſceſſiſſe, cùm pœniteant, & ad ſacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ admittantur per textum *in cap. ſuper eo de hæret. in 6.* & dum hæc Sacramenta recipiunt, incorporari videntur Eccleſiæ. Ad incurrendum autem filios hanc pœnam, requiritur *in d. cap. ſtatutum,* ut parentes in hæreſim diſceſſiſſe probentur.

At, licet hæc ſententia minor ſit, verior tamen eſt ea, quæ docet, filios relapſorum infames, ac inhabiles fieri ad Officia, & beneficia, quamvis eorum parentes convertantur, & admittantur ad Eccleſiaſtica Sacramenta. Primò, quia relapſi pœnitentes non dicuntur propriè Eccleſiæ incorporati in ſenſu, de quo loquitur textus *d. cap. ſtatutum.* Ibi enim non eſt ſermo de his, qui per Sacramenta pœnitentiæ tantum incorporantur Eccleſiæ, & poſtea Curiæ ſeculari traduntur puniendi, ſed de reincorporatione per abſolutionem ſolennem, & juridicam, quando ab Inquiſitoribus abſoluti, & ad gremium Eccleſiæ reducti, admittuntur, ut injuſtam pœnitentiam peragant. Quod etiam tradit Gemin *in cap. accuſatus, §. ſi verò num. 5. de hæret. in 6.* ac Pegna *d. p.3. com.164.* & Sanch. *in decal. d. lib.1. c. 27. num. 23.*

Secundo quia *in d. cap. ſtatutum* duo requiruntur, ut filii eorum, qui revertuntur ad Eccleſiæ gremium, juris pœnas in eos latas effugiant. Alterum eſt, ut emendentur. Alterum, ut Eccleſiæ reincorporentur. Relapſi autem pœnitentes nec ſolenniter Eccleſiæ incorporantur, ut diximus, nec dici poſſunt emendari, dum ſunt relapſi, & in illud crimen reinciderunt, quod ſolenniter abjuraverant, & ad quod non reverſuros juramento ſe obligaverant. Omnino itaque dicendum eſt, dictos filios inhabiles eſſe ad beneficia, & Officia, etiamſi eorum pater relapſus convertatur, dum brachio ſeculari puniendus traditur, tanquam fictus pœnitens. Et hanc ſententiam præter citatos Doctores, tenet Gloſſa in eodem *cap.* Statutum v. reincorporato, ac ibi Jo. Andr. & Franch. & tradunt Simanch. *in Enchir. tit. 63. numero. 7.* Royas *de hæret. p. 2. numero 337.* Decian. *in pr. lib. 5. cap. 45. num.3.* & alii, quos ſequitur Sanch. *loc. cit. qui num.* 24. etiam docet, idipſum dicendum eſſe de filiis ac nepotibus eorum, qui, licet relapſi non ſint, & ad fidem redeant, traduntur tamen brachio ſeculari puniendi. Quia cùm ij ſimiliter non admittantur ad ſolennem reincorporationem cum Eccleſia, militat eadem ratio in eis, ac in illis.

Quoniam autem in *d. cap. ut commiſſi de hæret. in 6.* Bonifacius VIII. concedit Inquiſitoribus ut privare poſſint, vel privatos denunciare dignitatibus, ac beneficiis de Conſilio Epiſcopi, aut ejus Vicarii, ac omnibus Officiis publicis, & honoribus quoſcunque hæreticos, credentes, receptatores, aut defenſores ipſorum, eorumque filios ac nepotes, idcirco exquirendum eſt, quomodo Inquiſitores, vel ſoli, vel cum Epiſcopis poſſint id facere.

Et quidem ad privandum beneficiis Eccleſiaſticis non ſunt requirendi Epiſcopi, ſi legitime conſtet, quod illi ſcienter hujuſmodi perſonis beneficia contulerint. Tunc enim illi non ſunt requirendi, ſed à ſuis Judicibus puniendi. Hoc idem habetur in conſtitutionibus, quæ incipiunt *Præ cunctis* Urbani IV. & Clementis IV. apud Eymericum *p. 2. direct.* & in Conſtitutione *quod ſuper* Alexandri IV. apud Pegnam *poſt direct.* quibus concinit Gloſ. in figura caſus *in d. cap. ut commiſſi,* Jo. Monach. *num.3.* Archid. & Jo. Andr. *nu. item 3.* Gemin. *num.2. 5. & 6.* Franch. *num.* 2. & tradunt Roſel. *v. hæreticus nu.* 44. Tabiena *num.16.* Eymer. *p.3. q.113. & ſeq.* ibique Pegna com. 162. *& ſeqq.* Simanch. *de cath. inſtit. tit. 46. num.71.* Zanchin. *de hæret. cap.* 18. *nu.6.* & Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 186. *n.* 77. *& ſeq.*

Notandum autem primo eſt, quod ex quo hæretici ſunt ipſo jure privati beneficiis, ideo dictionem *vel* in *d. cap.* ut commiſſi appoſitam *privandi vel privatos nunciandi* intelligendam eſſe expoſitive, at idem ſignificet ac dictio *ideſt* volunt Jo. Andr. *ibid. num.* 4. Gemin. *eod. num.* Franch. *num.* 2. Pegna *d. com.*162. & Farinac. *d. num.* 77. At vero nulla eſt neceſſitas impropriandi ſignificationem disjunctivam dictionis *vel.* Nam, ut accipiatur in propria, & ſolita ejus ſignificatione disjunctiva ſufficit, quod inter perſonas in textu nominatas aliquæ ſint, quæ non ſint ipſo jure privatæ beneficiis. Nunc enim clarus ſenſus eſt, Inquiſitores poſſe privare beneficiis illos, qui de jure non ſunt privari, ſed privandi, vel illos privatos nunciare, qui de jure ſunt privati. Receptatores enim, fautores, ac defenſores hæreticorum non ſunt ipſo jure beneficiis privati, ſed privandi, *cap. excommunicamus* 1. §. *credentes* Covar. *l.2. var. d. cap.*8. *n.4.* Pegna *d. com.*162.

Secundò notandum eſt, quod diſputant Doctores, an ut Inquiſitores privent, vel privatos beneficiis nuncient Clericos, ſit neceſſarius conſenſus Epiſcopi, an ſufficiat ejus conſilium inquirere? Affirmat Archid. *in d. c. ut commiſſi num.* 20. & Gemin. *nu.* 6. ſed nixi levi fundamento, quia ſcilicet ubi jura dicunt aliquid fieri debere de conſilio alicujus ſit neceſſarius ejuſdem conſenſus. Negant igitur alii, & recte, quia textus ſolum requirit conſilium Epiſcopi, non conſenſum, Pegna *loc. cit.* Pariter quando agitur de privandis Clericis ſuis dignitatibus ac beneficiis requirendum eſſe Epiſcopi conſilium, patet ex *d. cap. ut commiſſi,* at ubi agitur de privandis hæreticis ſuis Officiis, ac honoribus ſecularibus non eſſe neceſſarium, quod Inquiſitores requirant conſilium Epiſcopi, colligitur ea eodem textu, & advertit Gloſ. *v. honoribus* Farinac. & alii apud ipſum *d. q.* 186. *n.* 7. 8. Verum hodie ceſſant iſtæ difficultates ea Clem. *de hæret.* in qua decernitur, quod ad ſententiam contra hæreticos, fautores eorum &c. nec Epiſcopi ſine inquiſitore, nec Inquiſitores ſine Epiſcopo procedere poſſint. Nunc igitur in utroque caſu utriuſque conſenſus requiritur.

In uno tamen caſu, non obſtante *d. Clementina* 1. ſolus Inquiſitor poteſt Clericos privare beneficiis, ſi

Epiſcopus

Epiſcopus ſcienter Clerico hæretico contulerit beneficium. Quo in caſu neceſſe eſt, quod conſtet de ſcientia, nec ſcientia præſumitur, niſi probetur, Gloſ. *ib. v. ſcientia*, & Archid. *num.* 22. Epiſcopos autem conferentes ſcienter hæreticis beneficia, eſſe fautores hæreticorum, & ut tales eſſe puniendos, docent Archid. *in d. c. ut commiſſi nu.* 23. Gemin. *n.* 6. *Franch. n.* 4. ac Pegna *d. com.* 162. qui hoc extendit etiam ad illos, qui hæreticos præſentant ad beneficia, Farinac. *de hæreſ. q.* 189. *num.* 75. Eſtque certum ſi Epiſcopus id faciat intuitu favendi hæreſi, vel ſi collatio ipſa, ſpectatis perſona, & aliis circumſtantiis faveat hæreſi, quemadmodum favere dicendum eſt, ſi beneficium collatum ſit parochiale. Sed etiamſi beneficium ſit ſimplex, adhuc conſerentes erunt de hæreſi ſuſpecti.

A quonam autem puniendus ſit Epiſcopus, ſcienter conferens beneficium hæretico, variant Doctores. Archidiaconus *d. n.* 23. & poſt eum Jo. Andr. illum puniendum eſſe, inquit à Metropolitano, in Concilio exiſtente. Geminianus vero *n.* 6. & Franchus aiunt eſſe puniendum à Metropolitano, etiam extra Concilium, ſi non ſit ex hoc de hæreſi ſuſpectus, ſecus autem ſi ſit ſuſpectus de fide. Quia in eo caſu quoad cognitionem ac punitionem dicitur Metropolitanus ejus Judex in Concilio. Dicendum tamen eſt, quod cum Epiſcopus ex hujuſmodi collatione reddatur vehementer de hæreſi ſuſpectus, ideo illum punire pertinet ad ſummum Pontificem, ad quem cauſam remittere debent Epiſcopi, & Metropolitanus juxta *cap. Inquiſitores in fine de hæret.* Immo in Extravag. Pii IV. quæ incipit *Romanus Pontifex* apud Pegnam Cardinales S. Congregationis S. Officii poſſunt procedere contra Epiſcopos, ac Prælatos hæreticos.

An autem id verum ſit, etiam in hæreticis pœnitentibus, diſſident etiam Doctores. Non habere locum, ſed quod hæreticus, paratus corrigi, non ſit deponendus, nec ſuis dignitatibus privari debeat docent Archid. *in d. c. ut commiſſi u.* 21. & cum eo Jo. Andreas, Eymer. *p.* 3. *q.* 113. aliique plures, quos refert Farinac. *d. q.* 186. *n.* 86. Diſtinguunt alii inter hæreticum, qui pœnitet ante ſententiam, & qui poſt ſententiam. Illum aiunt, non eſſe privandum beneficiis, ſed illa recuperare, hunc illa non recuperare, niſi ex diſpenſatione. Ita Gemin. *ibid. u.* 4. & 6. Farinac. *n.* 4. *&* 7. aliique plures quos citat Farinac. *d. q.* 189. *n.* 84. At verò cùm cauſæ Epiſcoporum, ac Prælatorum majorum Epiſcopis cognoſcat ſolus Pontifex, aut S. Congregatio S. Officii, ut dictum eſt, eorum erit videre quando expediat tales reſtituere ad ſuas priſtinas dignitates, quas ob hæreſim ipſo facto omiſerunt.

Inferiores verò Prælati, aut Rectores, curam animarum habentes, ſi ſibi ſubditos, aut alios infecerint, etiamſi ante ſententiam pœnituerint ac humiliter converſi fuerint, non ſunt ad ſuas dignitates & beneficia reſtituendi. Si autem nemini nocuerint, ac ſeipſos detulerint, mitius cum ipſis eſt agendum. Qua in re Inquiſitores inferiores ſupremum Tribunal conſulere debent. Quod eſt tutius. Si vero ſunt ſimplices Clerici ac Religioſi, nullamque alicui noxam intulerint, & ſponte reverſi fuerint, mitiſſime tractari debent, faciliuſque poſſunt ad beneficia reſtitui, & ſi Epiſcopo & Inquiſitori videbitur, poterit eis ad tempus ſuſpendi ordinum exercitium. Quod ſi poſt deprehenſionem tardius, & poſt multas admonitiones revertantur, non tam facile debent reſtitui, immo verbaliter degradari conjicientur in Monaſterium ad agendam condignam pœnitentiam.

Cæterum neceſſariò hìc diſtinguendum eſt inter hæreticos, ſive illos, quorum beneficia ipſo jure vacant, & ſunt inhabiles ad nova beneficia obtinenda, & inter ſolos ſuſpectos de hæreſi. Nam iſtorum beneficia non vacant ipſo jure, illis tamen, ſpectata criminis qualitate privari poſſunt, ac debent, ut notat Pegna *eo com.* 162. Si verò ſunt hæretici, vel tales, quod ſunt ineligibiles, ac inhabiles ad valide beneficia obtinendum, quales ſunt credentes, receptatores, fautores ac defenſores hæreticorum, horumque ac hæreticorum filii, de quibus ſupra, de iſtis inhabilibus loquendo, cùm collatio, & obtentio beneficiorum illis facta, ſit ipſo jure irrita *c. quicunque §. hæretici de hæret. in* 6. certum eſt, quod non ſunt in beneficiis manutenendi, etiamſi pœniteant, & ſponte ſe ipſos deferant, cùm nulliter, ac invalide beneficia poſſideant, neque in hoc, niſi à ſummo Pontifice diſpenſari cum eis poteſt. Si verò loquamur de beneficiis, quæ hæretici, aut credentes ante hæreſim juſte poſſidebant, quia iſta nedum ipſo jure vacant, ſed ſunt reſervata diſpoſitioni ſummi Pontificis, ad eum ſolum pertinet, hæreticos ad hujuſmodi beneficia reſtituere. Solum igitur in caſibus, in quibus beneficia ipſo jure non vacant, poterunt Inquiſitores, inſpectis qualitate criminis, & qualitate pœnitentis, ac ſpontanea delatione, & confeſſione erroris, aliiſque circumſtantiis, judicare, an ſint privandi beneficiis. Et tamen tutius erit, & convenientius, ſi agatur de beneficiis curatis, conſulere ſupremum Tribunal Congregationis S. Officii.

CONSULTATIO CLXXXV.

De pœna privationis vocis activæ & paſſivæ, ac Officiorum Regularium ob cauſam ad S. Officium Inquiſitionis pertinentem.

NUllam exigi ſententiam ad incurrendam privationem vocis activæ & paſſivæ, ac etiam regularium Officiorum, quando ipſo jure, ſive ipſo facto & abſque alia declaratione imponitur, aſſerunt in motu proprio B. Pii V. *nu.* 31. *& ſeq.* Rodriquez Sorbus *in comp. privil. Mendic. v. ingreſſus Monaſteriorum Monialium num.* 10. Azor *p.* 1. *l.* 5. *c.* 7. *q.* 6. Nam, alias nihil operarentur illa verba, *abſque alia declaratione*, ſi reus hanc privationem non incurreret ante Judicis declaratoriam ſententiam.

Contrarium tamen probabilius docent Covar. *lib.* 4. *decretal. p.* 2. *cap.* 6. *num.* 10. Lopez *p.* 1. *inſtruct. cap.* 296. Graff. *p.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 11. *u.* 41. Henriq. *lib.* 13. *de excom c.* 56. *n.* 3. Sot. *lib.* 1. *de juſt. q.* 6. *ar.* 6. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 9. *nu.* 229. Sanch. *in decal. lib.* 2. *cap* 22. *num.* 20. Peytin. *tom.* 1. *q.* 2. *cap.* 2. *§.* 11. Diana *p.* 1. *tr.* 10. *reſol.* 24. *n.* 2. Ledeſma *in ſum. q.* 19. *ar.* 2. Molina *de juſt. tom.* 1. *tr.* 2 *diſp.* 96. *nu.* 8. ac Lazena *to.* 2. *v. pœna Eccleſiaſtica n.* 8. Nam privatio vocis activæ, & paſſivæ, etiamſi impoſita ſit, ut ipſo jure, & abſque alia declaratione incurratur, non incurritur, neque obligatur delinquens in conſcientia ad illius executionem ante Judicis declaratoriam ſententiam criminis ita, ut probari debeat, coram Judice, tale delictum à tali fuiſſe commiſſum. Quia nullus delinquens tenetur pœnam contra ſeipſum exequi, Judice eandem minime exequente, ut docent D. Thom 2. 2. *q.* 62. *ar.* 3. ac ibi Caiet. & alii, ſtatuitque Romanus Pontifex *in c. cum ſecundum de hæret. lib.* declarationem Judicis requiri in pœnis, etiam ipſo jure incurſis, ut eorum executio juſte fieri poſſit. Et in Extravag Ambitioſæ *de reb. Eccl. non alien.* decernitur contra alienantes bona Eccleſiæ abſque debitis ſolennitatibus, quod ipſo facto beneficiis privati exiſtant, illaque abſque declaratione aliqua vacare cenſeantur ac libere conferri poſſint; & tamen Doctores citati firmant, ad incurrendum hanc pœnam requiri declaratoriam ſententiam criminis.

Ergo

Ergo ſimiliter requiritur in aliis caſibus, docetque D. Thomas *loc. cit.* pœnam in foro conſcientię non deberi, donec reus ſit condemnatus. Siquis enim relinqueret Officia, vel deſiſteret à ſuffragiis ferendis, ſeipſum infamaret, manifeſtando aliquod delictum ſe commiſiſſe, propter quod exiſteret talibus privatum. Præceptum autem de tuenda ſama eſt naturale. Atque ita in praxi ſervatur. Non enim qui incidunt in pœnam privationis Officiorum, & vocis activæ & paſſivæ ſtatim renunciant Officia, & à dandis ſuffragiis abſtinent. Conſuetudo autem eſt optima legum interpres, *cap. cum dilectus de conſuet.*

Neque obſtat ratio, quam contra adduximus. Quia illa verba, abſque alia declaratione intelligi debent de ſola declaratione pœnæ, & quod non excludant criminis commiſſi declarationem. Neque dici poſſunt ſuperflua, quia adducitur, ut magis pœna ipſa exprimatur, ut in ſimili docent Covar. *lib. 3. var. cap. ult. num. 3.* Vaſquez 1. 2. *quæſt. 9⁶. ar. 5. diſp. 170. c. 4. n. 14. & 15.* & Sanchez *loc. cit.* de qua re *ſupra* cum ſuis ampliationibus, ac limitationibus.

Regulares autem cognoſcentes ſuorum ſubditorum cauſas ad S. Officium pertinentes, vel non denunciantes S. Tribunali illos de hæreſi infectos, aut ſuſpectos, incurrunt pœnas Conſtitutionis Pauli V. editæ Kal. Septembris 1605. incip. *Romanus Pontifex*, ubi ita decernitur: *Præterea ipſis Generalibus, Superioribus ac Prælatis pari autoritate præcipimus, atque mandamus, ut omnes proceſſus, & acta cauſarum hujuſmodi Inquiſitoribus, ſeu Ordinariis prædictis reſpective remittant & conſignent; nec non profeſſores, fratres, & religioſos ſupradictos quos hæreſis labe infectos, vel ſuſpectos, etiam in viſitatione eſſe noverint, abſque conſultatione cum propriis ſuperioribus facienda, eiſdem Inquiſitoribus, vel Ordinariis locorum viciniorïbus reſpective denuncient. Quodſi Generales, aliique prædicti præſentibus literis non paruerint, eos omnes privationis quarumcunque dignitatum, ſeu Prælaturarum, vel Officiorum ſuorum Ordinum, ac vocis activæ & paſſivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eaſdem, nec non contra fautores hæreticorum, & impeditores Officii ſtatutas, & inflictas pœnas, aliaſque cenſuras eccleſiaſticas, etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ, à qua nonniſi à nobis, vel à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolutionis beneficium valeant obtinere, eo ipſo incurriſſe.* Quod etiam declaravit S. Congregatio S. Officii ſub die 11. Januarii 1607.

Hæc tamen Conſtitutio non impedit quin Prælati Regulares jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habentes poſſint contra ſuos ſubditos, tam ſeculares, quàm Regulares procedere. Intellige tamen de illis Prælatis, qui habent territorium ſeparatum, & exemptum à juriſdictione Epiſcoporum, ut declaravit Sanctiſſimus ſub die 13. Decembris 1618. Quoad Regulares verò poſt receptas denunciationes tenentur certiorem reddere S. Congregationem ſub pœnis, ac cenſuris in dicta Conſtitutione contentis. Alii verò Superiores Regularium contra ſuos ſubditos morantes in locis, in quibus hæreſes impune graſſantur, & in quibus non exercetur per Ordinarium per Inquiſitores S. Officium, procedere poſſunt, ut declaratum 11. Januarii 1607.

Iidem quoque Regulares incurrunt pœnas in caſibus expreſſis ab Urbano VIII. in Conſtit. quæ incipit Inſcrutabilis *emanata* Kal. Aprilis 1631. in qua præcipitur his pœnis ſubjacere: *Omnes eos, qui de ſtatu Reipublicæ Chriſtianæ, vel Sedis Apoſtolicæ, ſive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore exiſtentis, ejuſque uſque ad tertium gradum incluſive conſanguineorum, mathematicos, ariolos, aruſpices, vaticinatoreſque nuncupatos, vel alios aſtrologiam judiciariam exercentes, ſeu alias quomodolibet profitentes de cætero conſuluerint, ſive deſuper eorum judicia, prognoſtica, prædictiones, ſeu præcognitiones, etiam ſibi oblatas receperint, illiſque quomodolibet uſi fuerint, vel illius penes ſe ſcienter retinuerint, aut alicui oſtenderint. Nec non mathematicos, ariolos, aruſpices, vaticinatores, ſeu alios aſtrologiam judiciariam, ſeu quamlibet artem divinatoriam quomodolibet profitentes, qui judicia, prognoſtica, ſeu præcognitiones, & prædictiones ſuper præmiſſis, etiamſi id non certo ſe affirmare proteſtentur, fecerint, ſive a ſe vel ab aliis jam facta, ſeu factas in poſterum penes ſe ſimiliter retinuerint, vel alicui dederint, ſeu oſtenderint, aut de eis quovis modo, etiam improbando ſcripto vel verbis tractaverint, nedum excommunicationem majorem latæ ſententiæ, & alias pœnas, ſed etiam incurrere privationem beneficiorum, dignitatum, & Officiorum Eccleſiaſticorum, & aliorum quorumcunque & inhabilitatis perpetuæ ad illa in poſterum obtinenda.*

Item Regularis qui pro ſuo delicto ad pœnam aliquam temporalem à S. Officio damnatus fuit, expleto hoc tempore, non poteſt promoveri ad gradus, & Officia ſui Ordinis. Nam Urbanus VIII. in S. Congregatione univerſalis Inquiſitionis habita ſub die 1. Octobris 1626. hoc edidit decretum, alibi à nobis relatum, in quo aliæ pœnæ ſtatuuntur. *Sanctiſſimus D. N. juſtis de cauſis animum ſuum moventibus decrevit & ſtatuit, ut in poſterum Regulares omnes cujuſcunque Ordinis, Religionis, Societatis, & Inſtituti, quibus pro delictis ad S. Inquiſitionis Officium ſpectantibus, pœnitentiæ genus aliquod impoſitum fuerit, ſalutaribus pœnitentiis exceptis, eo ipſo ad omnes Religionis ſuæ gradus, & Officia inhabiles cenſeantur, & deinceps, etiamſi pœnitentiæ tempus expleverint, nullatenus poſſint, niſi prius obtenta à Sanctiſſimo D. N. vel ab hac S. Congregatione, coram Sanctiſſimo habenda, ſpeciali, & expreſſa rehabilitationis gratia, aliàs promotio qualibet nulla ſit, & promoventes ipſi privationem ſuorum Officiorum, ac præterea vocis activæ & paſſivæ ipſo facto incurrant, ad quæ reſtitui, niſi ab eodem Sanctiſſimo D. N. vel ab eadem S. Congregatione, coram Sanctiſſimo habenda, non poſſint. Præſens autem decretum omnibus Religioſorum ſuperioribus intimari mandavit idem Sanctiſſimus D. N.* Ita refertur hoc decretum à pluribus, nominatim à Diana *p. 4. in fine.* Fuit tamen declaratum, ut alibi etiam dixi, in hoc decreto non comprehendi pœnitentiatos ante illius promulgationem 30. Junii 1627. & 7. Junii 1628. neque expeditus cum monitione ac pœnitentiis ſalutaribus tantum ut 14. Junii 1628.

Regularis etiam, qui fuit privatus voce activa & paſſiva, & inhabilitatus ad Officia, ſi ſemel poſtea ad ea habilitatur, manet in poſterum ad alia habilitatus, niſi talis rehabilitatio conceſſa ſit cum expreſſione pro illa vice tantum. Siquidem quando non exprimitur hæc limitatio, intelligitur abſolute generaliter, ac indefinite rehabilitatus. Sicut ſi cum ligato voto caſtitatis, vel religionis diſpenſatur, ut poſſit matrimonium contrahere, ſoluto primo matrimonio, poteſt ad ſecundas nuptias abſque nova diſpenſatione tranſire. Quando enim id non intenditur, in diſpenſatione exprimitur, dumque abſolute conceditur ad matrimonium ineundum, abſolute etiam tollitur vinculum obſtans, ac voti impedimentum, ut per Sanch. *de matr. lib. 8 diſp. 31. nu. 11.* Similiter quando cum illegitimo diſpenſatur ad beneficium obtinendum abſque aliqua reſtrictione, intelligitur diſpenſatio abſolute, nec coarctatur ad primum tantum, ſed extenditur ſucceſſive ad aliud, ut tradunt Jo. Andr. *in cap. 1. de fil. presbit. in 6. & in cap. non poteſt num. 5. eod. tit.* Angel. *v. beneficium nu. 24.*

Armil.

Armil. *eod. v. num.* 29. Sylveſt. *pariter. v. beneficium* 3. *q.* 11. *num.* 14. Tabiena *v. item beneficium* 2. *q.* 17. *n.* 19. Quia diſpenſatio illa reddens illegitimum capacem beneficii, non reſpicit ipſum beneficium, ſed perſonam.

Si in aliqua Conſtitutione Apoſtolica inſeratur pœna privationis vocis abſque expreſſione vocis activæ & paſſivæ, putat Leſſius *lib.* 2. *de juſt. cap.* 34. *dub.* 19. *num.* 105. utramque vocem eſſe comprehenſam ita, ut nec eligere, neque eligi poſſit. Quia ubi jus non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

Probabilius tamen cenſeo cum Garzia *p.* 3. *de benef. cap.* 4. *n.* 15. Caſtropalao *p.* 2. *tr.* 13. *diſp.* 5. *pun.* 6. *n.* 15. ac Diana *p.* 5. *tr.* 13. *miſcel.* 1. *reſol.* 91. pœnam in hoc caſu debere intelligi de ſola voce activa. Quia pœnæ non ſunt extendendæ, & vox activa proprie & abſolute vos dicitur, & verba abſolute prolata accipienda ſunt in ſua propria ſignificatione.

Nomine verò privationis graduum, Officiorum & dignitatum propriè intelligitur gradus honorificus cum ſuperioritate, quæ habeat adminiſtrationem cum juriſdictione tam in foro interno, quàm externo, cujuſmodi ſunt Generales, Provinciales, Viſitatores, Abbates, Præpoſiti, Priores, Guardiani, Commiſſarii generales, Vicarii tam Religioſorum, quàm Monialium, ac ſimiles, qui cum adminiſtratione juriſdictionem habent. Quare non comprehenduntur Conſultores, definitores, magiſtri novitiorum, Miniſtri, Admonitores, Concionatores, Lectores, Confeſſarii, Præfecti, aliique hujuſmodi, qui nec ſuperioritatem, neque juriſdictionem habent, Sanchez *in decal. to.* 2. *lib.* 6. *c.* 15. *n.* 66. *& cap.* 18. *num.* 25. Rodriq. *in expoſ. motus proprii Pij V. n.* 21. Bonac. *to.* 1. *de largit. mun. diſp.* 3. *pun.* 5. *n.* 2. Filiuc. *to.* 2. *tr.* 34. *c.* 3. *n.* 77. ac Diana *p.* 4. *tr.* 4. *reſol.* 224.

Pœnam item privationis Officiorum, & vocis activæ ac paſſivæ incurrunt Regulares, non obſervantes decretum S. Congregationis S. Officii, juſſu Urbani VIII. editum ſub die 14. Aprilis 1633. legendi litteras Apoſtolicas ad dictum S. Officium pertinentes. In illo autem Pontifex mandat, *ut omnes Superiores cujuſvis Ordinis Congregationis, ſocietatis etiam de neceſſitate exprimendæ, Regulares, aut cujuſvis alterius Inſtituti, quantumvis etiam exempti, & privilegiati, teneantur ſub pœna privationis Officii, ac vocis activæ & paſſivæ, ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio Sanctitatis ſuæ infligendis in perpetuum, ſemel ſaltem in anno, id eſt feria 6. poſt Octavam Aſſumptionis B. Mariæ Virginis in publica menſa, vel in Capitulo, ad hoc ſpecialiter convocato. Et inſuper in quocunque generali, ac provinciali Capitulo, Conventu, dicta, vel alio quovis nomine nuncupato, capitulares congreſſu ſuos ſubditos ac Religioſos commonere de injuncta omnibus obſervantia, & executione earundem Apoſtolicarum Conſtitutionum, & decretorum ad S. Officium Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem continentium, &c.* ac mox: *Et inſuper iidem Superiores teneantur curare & efficere, ut hujus decreti exempla aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conſerventur ita, ut ab eiſdem ſubditis Religioſis omnibus videri, ac legi commode queant, deque hujuſmodi commonitione publico documento ſtatim certiorem facere Congregationem ſupremæ Inquiſitionis in Urbe. Et ita mandat, ac præcipit Sanctitas ſua.* Sufficit tamen, ut fides publicationis hujuſmodi præſentent Inquiſitori, cui ſubſunt. Tenentur verò illud publicare in Capitulis generalibus & provincialibus, non autem particularibus & declaratione S. Congregationis ſub anno 1638. Et quod ſit ſatis, fidem publicationis ultra Montes exhibeant Nunciis Apoſtolicis, ſufficitque ſubſcriptio ſuperioris Conventus, ac duorum teſtium ex eadem S. Congregatione eodem anno, & hujuſmodi fidea poſſunt exhibere Inquiſitoribus, ex eadem S. Congregatione anno 1640.

Tempus verò præfiſum in ſupradicto decreto poteſt aliquantulum anticipari, vel poſtponi. Et quoad anticipationem nulli dubium eſt, fieri poſſe. Quia plus ſolvit qui anticipate ſolvit. Quoad dilationem verò S. Congregatio S. Officii 11. Februarii 1638. declaravit ad petitionem Canonicorum regularium S. Auguſtini, *Tempus faciendi dictam commonitionem extendi per totum menſem Auguſti, & hanc extenſionem ſuffragari omnibus Religioſis.* Et eadem S. Congregatio die 16. Aprilis ejuſdem anni decrevit, ut in poſterum dictas ordinationes perlegi facere poſſint vel in die in ipſis ordinationibus præſcripta, vel intra terminum unius menſis immediatè ſubſequentis.

Non autem Prælatus regularis tenetur, ut dictum decretum legatur per extenſum, ſed ſufficit ſi verbis, vel per ſchedulam publice lectam ſuos ſubditos de illius obſervatione commoneat. Nam in eo Superioribus præcipitur ſuos ſubditos commonere, ut notat Pelliz. *tom.* 2. *tr.* 7. *cap.* 6. *ſect.* 2. *num.* 38. Verum ad evitandum ſcrupulos puto, quod expediat, ut publice legatur integrum, ſive per extenſum.

Si autem in aliquo monaſterio adeſſet Generalis, vel Provincialis cum Superiore locali, & in die præſcripta non commonerentur ſubditi de hujus decreti obſervatione, ſolus Superior localis ſubjiceretur pœnis in illo inflictis. Quia ipſe habet ſpecialem, ac immediatam adminiſtrationem Monaſterii, ejuſque onus eſt commonere ſuos ſubditos ad dicti decreti obſervationem, Generalis autem & Provincialis illius monaſterii curam habent generalem, ac mediatam. Ideoque Superior localis dictam pœnam incurrit, non autem illi. Et quia lex reſpicit communiter contingentia. Communiter autem omiſſio hujus lectionis ſive commonitionis accidit ex defectu Superioris localis, qui in ſuo monaſterio ſemper degit, non autem Generalis, vel Provincialis, qui modo ad hoc, modò ad illud monaſterium adeunt. Idemque dicendum eſt, ſi tempore faciendi hanc commonitionem ſuperior localis abeſſet à Monaſterio, & ejus Vicarius omitteret illam facere. Tunc enim ipſe Vicarius pœnam incurreret, quamvis in Monaſterio tunc adeſſet Generalis, vel Provincialis. Quia ſicut eo tempore Vicarius ſuccedit in Superioris juriſdictionem, ac Monaſterii regimen, ita ad ipſum pertinet talem commonitionem facere, & ſi illam omittat, ipſe pœnam incurret.

Ignorantia verò, ſive negligentia, vel oblivio exequendi die præfixo ſupradictum decretum excuſat Superiores ab illius pœna. Quia cùm pœna privationis non ſit ſtatuta ad favorem dici, ſed ſolum ad inducendam obligationem lectionis dictarum Conſtitutionum, nec ullo unquam tempore in oblivionem, aut deſuetudinem abeant, quod eſt præcipuum conſilium; atque propoſitum dictæ lectionis, dicendum eſt, quod qui ex ignorantia, ſive negligentia, vel oblivione dictas Conſtitutiones diebus præfiſis non curaverit legi, non incurrat dictam pœnam, ſi alio tempore, poſt menſem ſcilicet termini præfixi, legi faciat, & legere feciſſet in termino ſtatuto, ſi meminiſſet. Ubi namque quis ſine culpa omittit facere, quod lex præcipit, vel facit, quod prohibet, pœnam non meretur. Ignorantia autem, inconſideratio, ac negligentia non craſſa, quæ eſt cauſa, cur non

impleatur

impleatur præceptum, excuſat à culpa omninò, vel multum illam minuit juxta D. Thomam. 1. 2. q. 76. ar. 3. & 4. Ergo etiam à graviſſima privationis pœna. Quod in ſimili docent Ledeſma *tom. 2. ſum. tr. 1. cap. 8. concl.* 10. *dub.* 3. Navar. *lib. 2. conſ. de jurejur.* 11. *num.* 1. Filiuc. *tom. 3. tr. 41. cap. 6. num.* 10. Azor. *p. 2. lib. 7. cap. 2. quæſt.* 5. Scortia *in ſelect. Bull. theor.* 207. & Sanchez *in decal. lib. 2. cap. 5. n. 5.* Et in ſpecie tradit Peyrin. *tom. 2. in Conſtit. Urbani VIII. cap. 8. num.* 4. quem ſequitur Diana *p. 5. tr. 14. miſcel. 2. reſol.* 15. qui etiam ait, hoc idem dicendum eſſe de alia conſtitutione Urbani VIII. edita ſub die 14. Aprilis 1643. de obſervantia Conſtitutionum, pertinentium ad S. Officium. Et quidem cùm ſecundum communem Doctorum ſententiam, oblivio inculpabilis, & naturalis inadvertentia, ſive actualis inconſideratio inculpata æquivaleat ignorantiæ invincibili, ut præ cæteris docent Cajet. *in ſum. v. Inconſideratio*, Sylveſter *v. naufragium in fin.* Vaſquez 1. 2. *diſp.* 107. *cap.* 3. Et ignorantia invincibilis excuſet ab incurſu cenſuratum & à culpa, excuſabit etiam oblivio inculpabilis, & naturalis inadvertentia, ſive inconſideratio inculpata à pœna, quæ nunquam debetur, niſi ob culpam.

Hujuſmodi autem ignorantia, vel inadvertentia aut oblivio, ut excuſet à ſupradicta pœna, probari poteſt medio juramento. In dubio enim ſtandum eſt juramento. Neque obſtat, quod contra ſuperiorem adeſt præſumptio juris, quia jus præſumit illum non ignoraſſe, quæ tenebatur ſcire pertinentia ad ſuum officium. Nam reſpondetur, quod etiam præſumptio juris eliditur per juramentum in contrarium, *cap. cum in tua qui matrim. accus. poſ.* ubi Gloſ. & tradunt Navar. *lib. 1. tit. de conſtit. conſ. 1. quæſt. 2. num. 6. & 7.* Diana *p. 5. tr. 14. miſcel. 2. reſol. 24.* ac Portel. *p. 1. reſp. regul. caſ. 27. n. 3.*

Superior igitur excuſatur à ſupradicta pœna, non ſolum ob ignorantiam invincibilem, tam juris, quàm facti, quæ reddit actum ſimpliciter, non voluntarium, ſed etiam ob ignorantiam moraliter vincibilem, dummodo non ſit craſſa, ſeu ſupina. Quia ſupradictas pœnas incurrunt Superiores ratione contemptus. Contemptus autem adeſſe non dicitur, quando ignorantia non eſt craſſa, vel ſupina. Atque adeo neque ob ignorantiam vincibilem ſuperiores has pœnas incurrunt. Nec omiſſio hujuſmodi Lectionis, ſive commonitionis eſt imputanda ad culpam, niſi voluntaria ſit Voluntaria autem dici non poteſt, dum cogitatio dictæ obligationis in mentem non venit. Unde ceſſante culpa, ceſſare debet etiam pœna, quæ eſt effectus culpæ. Atque ita, quod ignorant, etiam vincibilis, ſed non craſſa, neque ſupina, excuſet à cenſuris ac pœnis, tradit Sanch. *tom. 3. lib. 9. de matr. diſp. 32. num.* 31. Portel. *in addit. ad dub. regul. v. ignorantia num.* 25. Bonac. *de cenſur. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 1. num.* 10. ac Diana *p. 5. tr. 5. reſol. 13. & tr. 9. reſol.* 17.

Ignorantia verò craſſa & ſupina illa eſt, quæ procedit ex lata culpa in adimplenda diligentia, ut colligitur ex *cap. quæſitum de pœnit. & remis.* & docent Gloſ. *in cap. 2. de conſtit. in 6. v. ſupina*, ibique Anchar. *num.* 3. Franch. *num.* 9. & proſequuntur D. Antonin. *p. 3. tit. 24. capit.* 75. Angl. *v. excommunicatio 7. caſ. ult. num.* 8. Sylveſt. *v. ignorantia §.* 5. & Sanch. *loc. cit. num.* 32. Lata autem culpa eſt, quæ vel ex nimia negligentia, vel ex malitia, ſive dolo procedit, ut per Graff. *p. 1. dec. lib. 4. cap. 8. num.* 20. Portel. *d. num.* 25. Sanch. *eod. loc. nu.* 33. & Diana *p. 3. tr. 5. miſcel. 1. reſ.* 13. De qua re infra, & ſæpe alibi.

Prætetea ſubditus tenetur ſub mortali monete Superiorem de hujuſmodi decretis legendis, ſive commonendis, ut notat Peyrin. *tom. 2. in addit. ad Conſtit. Urbani VIII. cap. 8. num.* 4. ubi ait, quod ſubditus ſcienter omittens monere Prælatum ſuum, ut die ſtatuta legi faciat dicta decreta, mortaliter peccat propter grave damnum, quod ea ſua omiſſione malitioſa Prælato ſuo infert, unde poteſt, ac debet à Superiore puniri.

Consultatio CLXXXVI.

De Pœnitentiis ſalutaribus reorum in S. Officio pœnitentium.

Hujuſmodi Pœnitentiæ ſunt jejunia, orationes, eleemoſynæ, peregrinationes, frequentia Sacramentorum Confeſſionis, & Euchariſtiæ, permanere certis diebus ſolennibus ante fores Eccleſiæ, vel circa altare dum miſſarum ſolennia celebrantur cum candela accenſa in manibus, ſe præſentare coram Inquiſitore ſemel in menſe, vel in hebdomada, & id genus alia Inquiſitoris arbitrio, de quibus Zanchin. *de hæret. cap. 21. num. 1. & 2.* ibique Campeg. Eymer. *p. 3. direct. qu. 95. & qu.* 103. Farinac. *de hæres. qu. 193. num.* 8. aliique paſſim. Dicuntur autem pœnitentiæ ſalutares, quia ſunt medicinæ contra peccati venenum, ordinatæ ad animæ ſalutem: Magnam enim vim habent ad vitanda peccata, & ad catholicam fidem præſervandam.

Tamque in injungendis hiſce pœnitentiis, quàm aliis pœnis arbitrariis uti debent Inquiſitores miſericordia cum juſtitia, ut Proverb. 3. ait Salom. Miſericordia, & veritas te non deſerant. Conſiderare etiam debent gravitatem, & circumſtantias delicti, an illud fuerit completum, an ſolum attentatum, Quo loco, & quo tempore fuerit commiſſum: Locus enim & tempus aliquando illud augent, aliquando minuunt, *l. aut facta, ff. de pœn. l. Prætor ff. de injur. l. 3. §. ult. ff. de re milit.* Attendere quoque debent ſubſtantiam hæreſis, ſive maleficii, ac ſortilegii. Quia unum altero gravius eſt, ſcandalum inde exortum, ad cujus menſuram pœna modò major, modò minor debetur. Item perſonæ delinquentis qualitatem. Gravius enim puniendus eſt reus diffamatus, quàm integræ famæ, qui pluries, quàm qui ſemel deliquit, *l. capitalium ff. de pœn.* qui conſultò, quàm qui ignoranter *l. reſpiciendum ff. eod.* qui ex mala voluntate, quàm qui ex magna ira, orta ex cauſa juſta, major, quàm minor, doctus, quàm indoctus, ac rudis, vir, quàm mulier.

In hac item pœnitentiarum injunctione conſiderare debent Inquiſitores, an pœnitens ſtatim reverſus fuerit, vel poſt longum tempus, quia mitius agendum eſt cum iis, qui ſtatim ac in hæreſi deprehenſi ſunt, pœnitentes miſericordiam petunt, quàm cum illis, qui pertinaciter in errore perſiſtunt, & non niſi poſt longum tempus convertuntur. Advertere etiam debent, an ſponte comparuerint, an verò vocati, an ſit clericus, anve laicus, an ſenex, anve juvenis, an Prælatus, anve ſubditus. Habenda eſt etiam ratio contritionis, quæ aliquando tanta eſſe poteſt, ut omnis pœnitentia remitti poſſit, vel ſaltem leviſſima ſit injungenda. In his inſuper pœnitentiis imponendis obſervandum eſt, ut talis

ſit pœnitentia ; quam veriſimiliter credant Inquiſitores à pœnitentibus eſſe peragendam *can. pœnitentes d.* 50.

Denique ſicut Deus naturalis filii ſui pater ſimul eſt ac mater, ut ſcitè dixit Synetius hymnum Deo pangens 1. & 3. idemque mundi, quem regit Pater ſimul ac mater à Clemente Alexandrino *lib* 5. *ſtrom.* nominatus habetur, ita Inquiſitor in Dei imitationem intentus, pater ſimul ac mater eſſe debet eorum, quos habet in Chriſto reos pœnitentes, ſicque ſuavitatis ac fortitudinis mixturam aſſequetur. Utramque commiſtam & contemperatam præfert Patris appellatio. In quam rem egregiè ad rem noſtram præter cæteros diſſerit Philippus Abbas *lib. de obed. cap.* 41. Exhibeo partem longioris diſputationis circa illud Apoſtoli ad Ephes. 6. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros*, quibus verbis effrænatam filiorum licentiam, & Patrum poteſtatem repreſſam, ne ultra paternam, id eſt benignitate commiſtam auctoritatem ſæviant, arbitratur. Itaque perinde id eſſe ait, ac ſi dixiſſet Apoſtolus, nolite eis iræ venenum infundere, quos grato unctionis oleo debetis perfundere. Nolite ad aliquod eos vitium provocare, quos ab omni debetis vitio revocare. Nolite filiis paſſu tenero ad Dei feſtinantibus viſionem, occurſu peſtifero importunam inferre læſionem, ne qui debent affectu filiali veſtris juſſibus obedire, impulſu fero compellantur ab eadem obedientia reſilire. Bonus enim pater, non clatus collocatæ ſibi faſtigio præfecturæ, ſed volvens, & revolvens onus impoſitæ ſibi curæ, non ſpirat minas in cervices tremulas ſubjectorum, ſed vix reſpirat, dum frequenter ſuſpirat, gravi ſollicitudine filiorum. Bonus pater filiis non parat laqueum, non ruinam, ſed eis ſalutarem, non tam verbis, quàm moribus dat doctrinam, ut ſerpentis aſtutiæ jungat manſuetudinem columbinam. Illa prudenter corrigit proſerpentem fortitudinem vitiorum, iſta ſibi clementer allicit pronam teneritudinem animorum. Corrigit, inquam, ne effluant, vel forte pereffluant nullo repagulo cohibente; allicit verò, ne deficiant & è via reſiliant, ſævitia intolerabiliter perſtrepente. Per illam filiis pater ingerit reverentiam, & timorem, per iſtam verò ſuggerit patientiam & amorem, ne vel amor ſine timore efficiat negligentes, vel timor ſine amore quod eſt gravius, odientes. Unde Paulus cum Philippenſes inſtruens diceret. *Quæcunque ſancta*, ſtatim ſubjunxit *quæcunque amabilia, hæc cogitate*, ſic acquirendam, vel tenendam innuens ſanctitatem, ut ei neceſſariò copulandam aſtrueret charitatem; Et, ne hoc videretur cæteros præmonere, quod ipſe vel non poſſet, vel nollet forſitan adimplere, conſequenter adjecit: *Quæ & didiciſtis, & vidiſtis, & audiſtis in me.* Super quo etiam Theſſalonicenſes 1.5.14. loquens, Prælatos breviter Inſtruens dicit: *Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes.* Quibus verbis dat aperte intelligi, quod non ſufficienter operetur in ſubditis correptio ſanctitatem, niſi in eis etiam ædificet conſolatio charitatem, cùm, ſub faſce correptionis puſillus animus defatiſcat, niſi grato conſolationis beneficio reviviſcat. Non vult ergo Apoſtolus, ut pater à filiis ſolummodo timeatur, ne timor ad odium devolvatur, ſed ſic eum vult timeri, ut etiam amplius diligatur. Sic Philippus Abbas.

Idipſum ſub aliis verbis Dorotheum admonebat S. Iſidorus Peluſiota *lib.* 5. *epiſt.* 251. variiſque ſacris ſymbolis, quæ juvat adducere, illuſtrat Hugo Victorinus *tom.* 3. *lib.* 4. *mis.* 11. *Cura dum*, inquit *eſt*, „*ut rectorem ſubditis, & matrem* pietas, & patrem „exhibeat diſciplina, & inter hæc ſollicita circumſpe„ctione providendum; ne aut diſtrictio rigida, aut „pietas ſit remiſſa, ut inſit & juſte conſulens miſeri„cordia, & piè ſæviens diſciplina. Hinc ſemivivo „vinum, & oleum adhibetur, ut per vinum mordean„tur vulnera, per oleum foveantur, & ſit in vino „morſus ſeveritatis, & in oleo mollities pietatis, fiat„que ex utroque temperamentum quoddam, quo „videlicet nec multa aſperitate exulcerentur ſubditi, „nec nimia lenitate ſolvantur. Unde in arca fœde„ris cum tabulis virga ſimul, & manna eſt, quia cum „Scripturæ ſacræ ſcientia in arca pectoris ſicut eſt vir„ga diſtrictionis, ſic & manna dulcedinis. Hinc Da„vid, *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* „Virga enim percutimur, baculo ſuſtentamur. Sit er„go diſtrictio virgæ, quæ ferit, ſit & conſolatio ba„culi, quæ ſuſtentet. Sit amor, ſed non emolliens, „ſit rigor, ſed non exaſperans, ſit zelus non immo„derate ſæviens, & pietas non pluſquam expediat parcens. Eadem fere apud S. Gregorium *lib.* 6. *in* 1. Reg. *cap. & in paſtorali*, ac cæteros Patres in hanc rem proferuntur.

Porrò damnatis ad carcerem, vel ad ſimilem pœnam, debent Inquiſitores pœnitentias ſalutares Injungere, Eymer. *p.* 3. *q.* 95. ibique Pegna *com.* 144. ubi ait: hæreticis redeuntibus, præter carceris perpetui pœnam, injungendas eſſe alias pœnitentias ſalutares, quæ Injunguntur, tum, ut per eas ſatisfaciant debito, quod per culpam contraxerunt, tum, ut appareat, an ſint verè pœnitentes, an ficte converſi, & cum eas peragunt, recordentur delicti contra fidem commiſſi, ac illud deteſtentur & defleant. Idem ait Farinac. *de hæres. qu.* 193. *num.* 102.

Quod ſi pœnitentia ſalutaris ſit injuncta perſonæ, & in ejus bonis diſtribuendis pietatis operibus, ipſo moriente, poſſunt compelli hæredes ad illam implendam. Quia illius bona ad ejus hæredes pervenerunt cum onere. Unde ſicut ipſe vivens compelli poterat ad illud opus pium implendum, ita etiam poſt ejus mortem compelli poſſunt hæredes. Quod etiam tradunt Zanchin. *de hæret. cap.* 28. *num.* 6. Repertor. Inquis. *v. filii* §. *nunc ſubſequenter, & v. obligatio* §. *quod ſiquis*, & luculenter Concilium Biterenſe *cap.* 10. relatum à Pegna *par.* 3. *com.* 169. & colligitur *ex cap. accuſatus de hæret. in* 6.

Poſſunt autem Inquiſitores has pœnitentias aggravare, mitigare, & commutare. Nam in ipſa ſententia hanc facultatem ſibi reſervare ſolent per hæc verba. *Reſervantes nobis ex certa ſcientia, & expreſſe, quod poſſimus liberè dictam ſententiam, ſeu pœnitentiam mitigare, aggravare, commutare, tollere totaliter vel in parte, ſi, & quando, & prout nobis, & toties, quoties videbitur faciendum.* Et tradit Eymer. *p.* 3. *direct. tit. forma ſententiæ &c. num.* 194. ibique Pegna *com.* 44. qui etiam notat, ita decretum fuiſſe in Concilio Narbonenſi *capit.* 7. & in d. Concilio Bitterenſi *cap.* 22. & hoc eſſe inſigne Inquiſitorum privilegium, ut etiam poſt ſententiam pronunciatam eorum juriſdictio in eadem cauſa non expiret, ut copioſe docet Guido Fulcodius *in conſult. ad Inquis. quæſt.* 13. quem ſequitur Archid. *in cap. ut commiſſi de hæret in* 6.

Idque Inquiſitores facere poſſunt, etiamſi ex oblivione, vel ex alia cauſa hanc poteſtatem ſibi non reſervaverint, ut aſſerunt Eymer. & Pegna *loc. cit.* eſtque de jure *ex d. cap. commiſſi.* Nam aliàs delinquentes, vel exiguitate pœnitentiæ injunctæ elacti, ac indevoti effecti, facilè relaberentur, vel illius aſperitati eam non adimplerent, aut in deſperationem inciderent.

Cauſæ

Canſæ autem rationabiles, ob quas Inquiſitores augete, vel minuere, aut remittere debent injunctas pœnitentias, pendent ex eorum prudentia, qui, perpenſa delicti, ac delinquentis qualitate, illiuſque converſione & humilitate, vel illius impietate, & mali:ia, quid expedire videbitur, judicabunt, Sic etiam detrahere poterunt injunctis pœnitenriis, eaſque minuere, vel remittere ob pœnitentis infirmam valetudinem, vel ob inſignem humilitatem ac religionem & veram convetiionem. E contra illas augere ob converſi impietatem, malitiam, contentionem, ac ſimilia, quæ illius animum ac voluntatem parum Dei legi, ac injunctis ſibi mandatis obedientem indicant. Itaque, cùm materia, circa quam verſatur pœnitentia, ſint peccata, ſecundum quorum circumſtantias, & rei pœnitentis contritionem, pœnitentiæ modus injungitur *cap.* 3. *& cap. Deus* 18. *de pœnit. & remis. can. conſideret de pœnit. d.* 6. *tota* 26. *quæſt.* 7. *uſque ad cap.* 10. quemadmodum jus civile conſiderat *in l. aut facta ff. de pœn.* nempe delictorum animadverſa qualitate, & quantitate *can.* 1. *conſideret de pœnn. d.* 5. *cap. ſicut dignum* 6. *de homic.* ſicuti quædam crimina ob ſui gravitatem, & circumſtantias perſeverantes, quæ dicuntur irremiſſibilia, ut quæ contra Spiritum Sanctum committi dicuntur, non quidem ex parte Dei, qui omnipotens eſt, facileque operatur, quæ hominibus videntur impoſſibilia Marc. 19. ſed quia ita diſponunt illa peccata hominem, ut agat, quæ contraria ſunt remiſſioni. Ætate *can. illud.* 15. *quæſt.* 1. *cap.* 1. *&* 2. *de delict. puer.* Scientia, veluti num amens, ſeu furioſus, vel mentis compos deliquerit *can. indicat* 3. *quæſt.* 9. *can. ſiquis inſaniens* 15. *quæſt.* 1. vel num putaret ſe delinquere, vel non, ut *in l. fin. ff. de rit. nupt. ſexu can. indignantur* 32. *quæſt.* 6. & conditione delinquentis *can. qui compulſus* 22. *quæſt.* 1 *can. aut facta de pœnit. d.* 1. obſervato modo, tempore, loco delinquendi, voluntate, propoſito, eventu, cæteriſque quæ ut variant delicta, ſic quoque & pœnas, ac pœnitentias delinquentium *d. can. aut facta, & d. l. aut facta ff. de pœn.* Vide *& l. Prætor edixit* §. *actorem cum duabus ſeqq. ff. de injur.* Vide & Glos. *in princ. de pœnit. d.* 1. *ad verbum verum*, ex Toletano Concilio *c.* 2. *relato in can. nunm oratorium* 25. *can.* 11 *& can. Apoſtolus d.* 81.

Qui verò ex legitima cauſa impeditus pœnitentias injunctas non àdimplet, non peccat mortaliter. Secus autem ſi abſque legitima cauſa illas omitteret. Quia quando abjuravit, juramento ſe adſtrinxit adimplendi pœnitentias ſibi injunctas, vel injungendas, nec in aliquo contravenire. Unde ut impœnitens, niſi reſipiſcat, puniendus eſt gravioribus pœnitentiis, ut ait textus *in cap. ad abolendam* §. *præſenti de hæret. in* 6.

Sunt autem hæ pœnitentiæ ſalutares injungendæ primo ſponte comparentibus, ſive ſint pœnitentes hæretici, ſive ſint ſortilegi, ſive quomodolibet de hæreſi ſuſpecti. Quia, ut decretum ſuit in d. Concilio Bitterenſi *c.* 2. ſpontè venientes, pœnitentes, ac dicentes plenam de ſe, ac de aliis veritatem, habent impunitatem mortis, immurationis, exilii, & confiſcationis bonorum, ac benigne Inquiſitorum arbitrio tractantur, ut eleemoſynas aliquas erogent, vel charitatis opera præſtent, jejunent, orent, ac hujuſmodi alias pœnitentias ſalutares agant, ut etiam notant Symanch. *de cath. inſtit. tit.* 44. *nu.* 3, & Inſtructio Hiſpalenſis 1. *cap.* 3. *&* 7. ac Pegna *p.* 3. *comm.* 12. Secundo, hæ pœnitentiæ imponuntur ſuſpectis leviter de hæreſi, contra quos leviſſima ſunt indicia, ut tradunt Repertor Inquis. *v. teſtes*, Decian. *tr. cr. l.* 5. *cap.* 38 *nu.* 7. Farinac. *de hæres. quæſt.* 187. *n.* 33. Tertio damnatis ad carceres, vel ad exilium, & ad ſimiles pœnas obrationes ſupradictas, ut per Eymer. *p.* 3. *q.* 95. ibique Pegna *com.* 144. & Farinac. *de hæres. qu.* 193. *num.* 12.

Consultatio CLXXXVII.

De Pœna Talionis.

De hac re nonnulla diximus alibi, quibus hæc ſubdimus. Accuſator non probans alterius crimen, ad quod probandum in Tribunali S. Inquiſitionis ſe obligaverat, eſt puniendus arbitrio Inquiſitorum, ſed non pœna talionis. Non quidem quia tali pœna dignus non ſit, ſed quia Eccleſia vult cum illo miſericordiam, & non rigoroſam juſtitiam exercere. Ideoque hæc pœna eſt jam per deſuetudinem abrogata. Nam ſi accuſatoribus infligeretur, difficile reperirentur, qui vellent aliquem accuſare, & ſic crimina remanerent impunita in maximum Reipublicæ chriſtianæ detrimentum. Id, quod teſtantur etiam Jo. Andr. *in addit. ad ſpecul. tit. qui accus. non poſ.* Gandin. *de maleſic. eod. tit. num.* 38. Salicet. *in l. qui crimen num.* 4. *C. eod.* Covar. *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num.* 1. Bartol. *in l. ſicut de accus.* Royas *ſing.* 9. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *num.* 93. Pegna *p.* 3. *direct. com.* 14. ac Delben. *de offic. inquis.* 181. *petit.* 1. *num.* 1.

Idque etiamſi accuſator ſe inſcribat ad pœnam talionis, & in criminis probatione deficiat, ne puniendus quidem eſt ex pœna talionis, *l. in pravitatis ff. ad Turpil.* Gloſſ. *in cap. tua v. effectum de procurat.* & docent Covarruvias, Royas, & Pegna *loc. alleg.* & Farinac. *de hæres. q.* 185. *num.* 37. Unde licet ad pœnam talionis ſe obligavit, & in probatione defecit, non eſt tamen tradendus Curiæ ſeculari, ſi formalem hæreſim objeciſſet, nec probaſſet per textum *in c. ſuper his de accus.* Nec unquam in S. Tribunali accuſator pœna talionis punitus fuit, ut ibidem teſtatur Pegna. Erit igitur arbitrio Inquiſitorum puniendus, ſive ſe inſcribat ad pœnam talionis, ſive non inſcribat *ex cap. ſuper his de accus.*

Nec qui ſciens aliquem innocentem, & falsò illum Tribunali Inquiſitionis accuſat, puniendus eſt pœna talionis, ſed multo acrius ac ſupradictus, qui ſolum in probatione defecit. Docentque Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 4. *n* 7. Decian. *tr. cr. l.* 5. *c.* 28. *n.* 12 Royas *ſing.* 8. Farin. *loc. cit.* hunc accuſatorem eſſe puniendum pœna calumniatoris. Scaccia verò *de jud. c.* 57. *poſt n.* 6. *& ſeq.* Pegna. *p.* 3. *direct. com.* 40. exiſtimant, quod falſus accuſator punitur eadem pœna, qua punitur falſus teſtis. Quia in crimine hæreſis accuſator eſt etiam teſtis, ut tradunt Royas *ſing.* 7. Farinac. *d. quæſt.* 185. *num.* 32. Souſa *in aph. lib.* 2. *cap. nu.* 8. Carena *par.* 3. *tit.* 1. §. 1. *numer.* 10. Teſtis autem falſus punitur gravius in tali crimine, quàm in aliis. Quia multo gravius delictum eſt, falſum deponere in crimine hæreſis, quàm in cæteris, ut notant Simanch. *ibid. tit.* 64. *num.* 48. *& ſeq.* & in Enchir. *tit.* 38. *nu.* 2. Pegna *in d. p.* 3. *com.* 122. Farinac. *q.* 188. *n.* 36. de quo mox. At, quod calumniatores, ultra pœnas corporis afflictivas damnentur in S. Officio ad reficiendum damna, expenſa & intereſſe diximus alibi ex declaratione S. Congregationis 30. Maii 1601. Et calumniantes aliquem ut hæreticum puniuntur in S. Officio, inſtante tamen calumniato, ut etiam diximus cum eadem S. Congregatione 20. Martii 1613.

Similiter denunciator, ſi convincatur, falſum denunciaſſe, eſt ut calumniator, & falſus teſtis puniendus. Quia denunciator ex generali conſuetudine S. Inquiſitionis aſſumitur, ut teſtis. Quod notant Repert. Inquis. *vers. accuſatio, & vers. teſtis*, Simanch. *de cath. inſtitut. tit.* 19. *num.* 17. & Farinacius *dec. quæſt.* 188. *numero* 45. Si enim teſtis, qui citatus & vocatus ad ſe examinandum, & falſum deponens, acriter puni-

nitur, multo magis acriter puniendus eſt denunciator, qui ſponte alium falsò denunciat. Quod, ſi ex ſola ipſa denunciatione falſa graviſſime læditur denunciatus, merito denunciator, tanquam calumniator puniri debet, ut per Doctores, quos citat & ſequitur Pegna *in d. p. 3. comm.* 4. Et in conſtitutione B. Pii V. generaliter ſtatuitur, ut in omni crimine denunciantes per calumniam pœna talionis puniantur. At licet hæc pœna regulariter hodie non imponatur, ex hac tamen Conſtitutione clarè patet, falſum denunciatorem eſſe graviſſime puniendum.

Nec falſus accuſator, vel denunciator deſiſtere volens ab accuſatione, vel denunciatione, ante inquiſiti ſententiam eſt audiendus ab Inquiſitoribus, ut pœnam evadat. Quia hoc crimen graviſſimum eſt, multumque intereſt S. Tribunalis, ac totius Reipublicæ, ut puniatur. Unde Imperatores etiam optime ſanxerunt *in l. ult. in fin. C. de abol.* ut Judex non minus accuſatorem ad probandum, quæ detulit, quàm reum ad purgandum, quæ negat, urgere debeat. Et hoc idem ſervandum eſt in eo, qui denunciat. Hic enim ſi dixerit falſo denunciaſſe non eſt facile audiendus, tradente Pegna *in d. p. 3. com.* 14. Farin. *d. q.* 185. *n.* 36. & Jo. Andrea *in c. excommunicamus.* 2. *de heret.*

Et tamen aliqua ratio, ob quam excuſari poſſit ut ei minuatur pœna, ſi accuſator in probatione contra inquiſitum deficiat. Nam excuſari poteſt vel producendo unum teſtem in confirmationem ſuæ accuſationis, vel ſi docuerit de eo crimine publicam fuiſſe famam, aut audiviſſe illud crimen ab amicis, vel conſanguineis inquiſiti, vel ab aliis fide dignis, Bartol. *in l. fin. ff. de her. inſtit.* Marſil. *ſing.* 47. ac Pegn. *ib.*

Quod vero ad teſtem falſum non deſunt Doctores, qui cenſeant, hunc in S. Tribunali puniri poſſe pœna talionis, & tradi Curiæ ſeculari una cum publicatione bonorum. Nam Leo X. in ſuo diplomate, dato Adriano Cardinali, generali Inquiſitori Hiſpaniarum anno 1518. quod incipit, *Intelleximus* apud Pegnam, facultatem dedit illis Inquiſitoribus tradendi falſum teſtem Curiæ ſeculari, ſi ipſis viſum fuerit, ſicque videtur arbitrariam pœnam poſſe extendi ad mortem, ut tenent Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *nu.* 86. *&* 90. & in enchir. *tit.* 38. *n.* 2. *&* 3. Royas *de heret. p.* 2. *aſſert.* 8. *n* 156. *& ſeq.* Gomez *in l. Tauri* 83. *n.* 8. *in fin.* Lopez *ad Diaz in pr. cr. can. cap.* 93. *lit. B.* Zech. *in ſum. p.* 1. *tit. de fide, rubr. de hereſi cap.* 11. *nu.* 14.

Verum, etſi de jure ſuſtineri poſſit, teſtem deponentem falſum in cauſa hæreſis contra aliquem, poſſe puniri pœna talionis, & eadem, qua puniretur inquiſitus, ſi teſtis verum dixiſſet. Jure enim pati deberet, quod proximo ſuo facere cogitavit. Ac licet verum ſit, quod ex reſcripto Leonis X. habetur, attamen in Supremo S. Inquiſitionis Tribunali ex regula falſi teſtes non puniuntur pœna mortis, ſed vel pœna fuſtigationis, vel triremium, vel ad utranque condemnantur, ut teſtatur Farinac. *de heres. qu.* 188. *n.* 39. atque Eymer. *p.* 3. *direct. n.* 209. *in rubr. de forma pun. & condemn. fals. teſt.* falſum teſtem ad perpetuum carcerem eſſe condemnandum, in quo ſub vinculis ferreis in pane doloris, & aqua anguſtiæ quandiù vixerit, agat pœnitentiam, ſolam vitam ei de miſericordia relinquentes, & quod ponatur in tali porta Eccleſiæ, in qua ſtet ligatis manibus, & capite diſcoperto, & in camiſia ſpoliatus uſque ad horam prandii. Verba ſunt Eymerici.

Puniendus pariter eſt teſtis, qui in S. Tribunali veritatem occultat. Probatur *ex cap.* 1. *de crim. fals.* ubi hæc leguntur: *Uterque reus eſt & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit. Quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* Ac docent Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *n.* 89. Pegn. *d. p.* 3. *com.* 122. Farinac. *d q.* 188. *n.* 42. ac Zech. *loc. cit. cap.* 11. *n.* 14. Qui notant falſum eſſe teſtem, qui refert quidem verba ipſa illius contra quem teſtificatur, ſed in alio ſenſu quam prolata fuerunt, ut ſi dicat verba hæreticalia fuiſſe prolata affirmative, cùm tamen, aut recitando, ac referendo, aut interrogativè fuerint dicta.

Teſtis verò, qui ſua falſa teſtificatione hæreticum, vel ſortilegum à pœna ei debita liberavit plectendus eſt eadem graviſſima pœna. Quia Deo, & ejus Eccleſiæ graviſſimam intulit injuriam. Nam ille, qui ejus pernicioſo mendacio liberatur, à priſtino errore non corrigitur, & in eo perſeverans, etiam alios conatur ſua inficere pravitate. Unde Leo X. in citato Diplomate ait: *Nos igitur ſceleſtum hoc hominum genus, qui in nefandi criminis cauſa vel injuſtæ abſolutionis, vel iniquæ condemnationis autores exiſtunt, acriori longe ſupplicio, quàm cæteri falſidici teſtes plecti ſoleant, dignum cenſentes, &c. tradendi, vel relaxandi Curiæ ſeculari plenam, & liberam concedimus facultatem. Non obſtantibus &c.* Ita etiam Pegna *d. com.* 122. & Farinac. *loc. cit. num.* 50.

Hinc quando ſententia contra reum ex falſis teſtibus lata fuit, ac executioni demandata, eſt ipſis falſis teſtibus pœna talionis imponenda ita, ut ſi reus fuerit ad triremes, vel ad mortem damnatus, etiam falſi teſtes ad triremes vel mortem damnari debent; ut per Farinac. *d. q.* 188. *n.* 46. *&* 51. Zanard. *in ſum. divin. precept. p.* 2. *rubr. de teſtib. in cauſ. fid. §. ſed. notandum,* Catena *p.* 2. *tit.* 17. *§.* 15. *n.* 55. Et colligitur ex dicto diplomate Leonis X. ac ibi notat Pegna. Nec ullo modo eſt eis parcendum, quia in hoc caſu eos graviſſime nocuiſſe, pluſquam manifeſtum eſt. Si verò ſententia contra reum non fuerit lata, neque executioni tradita, tunc falſi teſtes non ſunt pœna talionis puniendi, ſed alia extraordinaria, nempe fuſtigationis, & triremium, ut idem Doctores docent, ac Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 64. *num.* 91. Quod ſervatur in praxi.

Is etiam, qui prece, vel pretio, aut minis, ac terroribus teſtem corrupit, vel alicui mandavit, ut illum corrumpat ad falſum deponendum, incurrit eandem pœnam, quam ipſe falſus teſtis, qui illius criminis auctor eſt, immo gravius delinquit, quia peccat ipſe & alium ad peccandum inducit; Probatur etiam ex eo diplomate Leonis, ubi ait: *Qui ad talia committenda minis aliquem cogunt, aut pecunia alliciunt.* Et paulo poſt: *aut alium ad falſum deponendum, aut verum non dicendum inducunt, ſint Curiæ ſeculari tradendi*; ac tenent Simanch. *d. tit.* 64. *n.* 8. Pegna *ibidem*, Lopez *ad Diaz. cap.* 93. *litt.* B. ac Zech. *in ſum. p.* 1. *tit. de fide rubr. de her. c.* 11. *num.* 14.

Idemque dicendum eſt de eo, qui mandavit alicui ut teſtem aliquem prædictis modis corrumperet *l.* 15. *damnum. dat. ff. de reg. jur.* ibique Doctores, & tradit Simanch. *ubi ſupra num.* 96. ac Pegna *loc. cit.* verum in his caſibus res eſt deferenda ad ſupremum Inquiſitionis Tribunal, ejuſque expectandum decretum.

Teſtis verò, qui falſum in S. Tribunali depoſuit, admittitur ad pœnitentiam, ſi pœnitens ſuum crimen Inquiſitoribus fateatur, & ſponte ſe ipſum detulerit, falſum dixiſſe antequam reus teſtibus ſit convictus, & re integra libere ſuum crimen fateatur, præſertim ſi alios ejuſdem conjurationis ſocios indicaverit, tunc mitius erit puniendus, ut pluribus juribus, & exemplis probant Simanch. *loc. alleg. nu.* 94. *& ſeq.* & in Enchir. *tit.* 48. *num.* 6. *&* 7. Royas *de heret. p.* 2. *aſſert.* 8. *num.* 156. *&* 158. Pegna *d. com.* 122. & Farinac. *ea quaeſt.* 188. *numer.* 43. Si verò ſponte ſe non detulerit, licet antequam inquiſitus condemnetur, pœnitentia ductus, veniam petat,

gra-

graviſſima tamen eſt ei pœna injungenda, perpetui ſcilicet carceris, aut triremium, ut per eoſdem Doctores, ac Eymericum *p.* 3. *direct. in* 12. *modo term. proces. num.* 209.

Quinimmo, licet depoſitio falſi teſtis ob aliquem defectum ſit invalida, nec inquiſito nocuit, ipſe tamen teſtis, uti falſus eſt puniendus. Quia per ſe non ſtetit, quin noceret, ac ſuum delictum jam conſummavit, Bartol. *in l. ſiquis legatum ff. ad l. Cornel. de teſt.* Panorm. *in cap.* 1. *de crim. fals.* Salic. *in l.* 1. *C. de ſepulchr. viol.* & Clar. *in* §. *falſum, vers. tu ſcis.*

Teſtis autem falſi ſententia eſt ab Inquiſitoribus publicè pronuncianda. In publicum enim ſpectaculum producendus eſt, & coram populo ſuum nefarium, ac deteſtabile ſcelus detegendum, & cur puniatur ratio eſt reddenda, ut ejus pœna omnibus innoteſcat, ejuſque exemplo diſcant cæteri tantum ſcelus vitare. Et hac ratione etiam pœna publicè executioni mandatur ac producitur cum infami mitra, fuſtibus cæditur, & ad triremes mittitur, vel alia extraordinaria pœna plectitur, ut per Simanch. *d. tit.* 64. *num.* 91. Zanchin. *de heres.* Pegna *in direct. p.* 3. *d. com.* 122. ubi notat, quod falſi teſtes neque per ſolum Epiſcopum, neque per ſolum Inquiſitorem puniri poſſunt, ſed per utrumque. At de his alibi ſæpe dictum eſt.

Consultatio CLXXXVIII.

De Pœna in Apoſtatas à Fide Chriſtiana, & in ſchiſmaticos.

APoſtata à fide chriſtiana is eſt, qui ab illa recedit in totum, convertendo ſe ad aliquam falſam religionem. Unde apoſtaſia dicit formaliter hæreſim & connotat terminum, ad quem convertitur, poſitivum falſæ religionis, ut per Suarez *de fide diſp.* 16. *ſect.* 5. *num.* 8. & Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 16. Et ideo contra hujuſmodi apoſtatas eodem modo procedendum eſt ab Inquiſitoribus, ſicut contra hæreticos, ut ſtatuit Bonifacius VIII. *in cap. contra de heret. in* 6. & tradit Menoch. *de ar. caſ.* 546. *num.* 6. *& ſeq.* Cùm autem apoſtaſia addat ſupra malitiam hæreſis ſpeciem incompletam, ſeu differentiam gradualem, ſequitur ſecundum probabiliorem ſententiam, eam eſſe exprimendam in confeſſione, ſcilicet terminum iſtum, ſeu falſam religionem, ad quam quis ſe convertit, explicando, ut per Suarez *ibid. n.* 10. & Sanchez *d. nu.* 16. *cum* aliis.

Pœnæ autem apoſtatæ à fide chriſtiana ſunt excommunicatio, infamia, irregularitas, privatio omnium bonorum, & jurium, aliæque pœnæ contra hæreticos ſtatutæ, ut de communi teſtantur Sanch. *d. cap.* 7. *num.* 18. ac Menoch. *loc. cit. nu.* 6. & tradunt Canoniſtæ *in cap. prima de apoſtat.* Quare licet diſputari ſoleat, an hæc apoſtaſia ſit ſpeciei infidelitatis diſtincta ab hæreſi, Judaiſmo, & Paganiſmo, Divuſque Thomas *q.* 12. *ar.* 1. *ad* 3. putet, non eſſe peculiarem ſpeciem infidelitatis, ſed quandam circumſtantiam aggravantem, alii verò aliter ſentiant, hoc tamen certum eandem eſſe pœnam hæreticorum & apoſtatarum, ac proinde, moraliter loquendo, apoſtaſiam ad hæreſim poſſe revocari.

Siquis autem fidem omnino reliquerit, factus apoſtata, ex Chriſtiano Judæus, vel paganus, bona ejus fiſco quæruntur *l.* 1. *C. de apoſt. l. fin. C. Theod. eod. tit.* cum accuſatio fuerit approbata, fiuntque ex eo die, quo fidem reliquerunt, inteſtabiles, & incapaces teſtandi, vel donandi, crimine illo publico irretiti *l. apoſtatarum C. de apoſt. l.* 1. *eod. tit. C. Theod.* exuti omnibus privilegiis, quæ ſolent chriſtianis irrogari *l. hi, qui ſanctum C. eod.* Et ſiquis coëgerit liberum apoſtatare, vel perſuaſerit, capite plectitur *l. pen. C. de apoſt. Theod.* Tanque grave hoc ſcelus eſt, ut deſertæ, atque violatæ religionis accuſatio poſſit inſtitui poſt mortem uſque in quinquennium *l.* 2. *C. de apoſtat.* Neque ita a fide decidentibus datur pœnitendi locus ſecundum leges civiles; lapſis enim, & errantibus ſubvenitur, non autem perditis *l.* 1. *eod.* Quamvis aliquando legamus metu tormentorum chriſtianos, qui ejurarant fidem, & immolaſſent vi idolis, pœnitentia acta, ab Eccleſia receptos, etſi Novatiani reclamarent.

Notandum autem eſt, quod pro foro conſcientiæ non incidit in pœnas iſtas apoſtata ſecundum externum actum tantum ſine aſſenſu, aut errore intellectus, & non continenit *in cap.* 1. *Bulla in cœna Domini*; unde ab hac poſſe eum abſolvi à proprio confeſſario, tametſi graviſſima culpa, ait Diana *p.* 2. *tr.* 4. *reſol.* 143. cum Homobono. Sacra tamen Pœnitentiaria ſolet tales adigere, ut prius abjurent coram Sancto Officio. Qui autem proprie ſit hæreticus alibi diximus, ubi & parerga de hæreticis.

Schiſma verò eſt ſciſſio, vel ſeparatio ab unitate Eccleſiæ catholicæ, quatenus hæc eſt corpus myſticum & morale ex Romano Pontifice, ut capite, & ex univerſis fidelibus, ut membris conſtans, ut per D. Thom. 2. 2. *q.* 39. *ar.* 1. Sanch. *in decal. d. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 1. ac Suar. *de fide diſp.* 12. *ſect.* 1. *n.* 1. Quare ſchiſma aliud eſt purum, ſeu ſimplex, quod in ſola malitia voluntatis conſiſtit, nolentis recognoſcere Summum Pontificem, tanquam ſuum caput aut nolentis cum aliis membris Eccleſiæ catholicæ communicare, licet non habeat errorem in intellectu, nempe quia credit, Papam eſſe verè caput Eccleſiæ, & credit unam Sanctam Eccleſiam catholicam. Ita D. Thomas ibidem. Et præcipuè fit, cùm quis electus eſt à minori parte Cardinalium, aut aliàs non canonicè in Papam. Nam & ipſe, ac eum ſequentes ſunt puri ſchiſmatici, ut per Suar. *de cenſur. diſ.* 21. *ſect.* 2. *n.* 12. *& diſp.* 23. *ſect.* 3. *n.* 2. Sayr. *lib.* 3. *cap.* 32. *n.* 4. Purus igitur ſchiſmaticus incurrit pœnas tantum ſchiſmaticorum.

Aliud eſt ſchiſma conjunctum cum hæreſi, ſeu cum errore intellectus, quia non credit, Papam eſſe caput Eccleſiæ, vel non credit eſſe unam Sanctam Eccleſiam catholicam, & tales ſunt, ut plurimum, ſchiſmatici noſtri temporis, ſcilicet extra cauſam electionis Antipapæ, ut de Græcis ait Pegna *in direct. lib.* 2. *ſchol.* 34. *n.* 1. & generaliter docet id S. Hieronymus relatus *in can. inter hæreſim* 24. *q.* 3. & ſequitur D. Thomas *loc. cit. ar.* 1. *ad* 3. aſſignans etiam illam rationem, quia ſchiſma eſt via ad hæreſim. Tales ergo ſchiſmatici incurrunt pœnas non ſolum ſchiſmaris, de quibus infra, ſed etiam hæreſis, de quibus alibi. Excuſantur autem à cenſuris qui ſunt tantum materialiter ſchiſmatici, id eſt errore probabili excuſati. Nam ſæpe accidit, ut quæſtio ſit omnino dubia. Ita Abb. *in cap. licet de elect.* Sayr. *de cens. l.* 3. *cap.* 5. *n.* 19. Sanch. *d. cap.* 36. *nu.* 3.

Hos autem eſſe ſuſpectos de levi, licet, ſi perſeverent in ſchiſmate vehementem ſuſpicionem incurrere poſſint, ait Souſa *lib.* 1. *aphor. cap.* 20. *nu.* 13. ſubditque *num.* 14. quod ſchiſmatici, qui majorum ſuorum autoritati credunt, à ſuſpicione hæreſis ob ignorantiam excuſantur. Pegna verò *quæſt.* 184. *nu.* 14. inquit eos eſſe aliquando ſuſpectos de levi, aliquando de vehementi; quod non diſplicet Farinacio *de hæres. quæſt.* 184. *num.* 14. Id tamen certum eſt, quod regulariter ac per ſe loquendo ſunt ſuſpecti de vehementi, habentque aliquam hæreſim, per accidens verò ignorantia poteſt tollere rationem ſchiſmatis ita, ut ubi illa non ſit talis, quæ excuſet à ſchiſmate, poterit eſſe talis, & minuat ſuſpicio-

nem; ſed per ſe ac regulariter habendi ſunt, ut ſuſpecti vehementer, Simanch. *de cath. inſt. tit.* 58. *nu.* 8. Menoch. *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 6. *num.* 24. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp.* 4. *pun.* 6. *num.* 19. Caren. *p.* 2. *tit.* 3. *n.* 36. Schiſma enim ſemper, aut plerumque eſt conjunctum cum hæreſi *can. inter hæreſim.* 24. *quæſt.* 3. Navar. *in man. cap.* 27. *num.* 57. Valentia 2. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 15. *pun.* 1. Suar. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 12. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *quæſt.* 1. Unde ſchiſma, & hæreſim eſſe ſorores ait Lopez ait Diaz *cap.* 112. Simanch. *loc. cit. & in can. denique* 7. *qu.* 1. *&c. firmiſſime de hær.* ſchiſmatici & hæretici æquiparantur, ut notant ibi Oſt. *n.* 1. Butr. *num.* 5. Panor. *nu.* 2. Jo Andr. *nu.* 1. & Felin. *ſub initio.* Ubi verò ſchiſma eſt antiquum, inducit vehementiſſimam hæreſis ſuſpicionem, *extravag. ad certitudinem de ſent. excom.* & in minoribus, qui in fide majorum vivunt, non ſemper ignorantia eſt invincibilis, vel probabilis, ideoque nec iſti ſemper excuſantur à ſuſpicione hæreſis, vel vehementi, vel levi, ſicut nec excuſantur ab hæreſi, ſi credant oppoſitum ejus, quod credere debent, & quod catholice fideles alii credunt, & in iſtis illi non poſſunt licitè aſſentiri majorum ſuorum placitis. Quare ubi conſtat, quod ſummus Pontifex à quo majores ſe ſeparant pertinaciter, ac rebellant, eſt verus Pontifex, ſatis apertum eſt, illicitum hoc eſſe, ac idcirco ſimplicitatem non excuſare à crimine ſchiſmatis, quia unuſquique tenetur ſcire, quod diviſio ab Eccleſia Romana eſt magnum crimen, ut *ex can. ſchiſma* 24. *q.* 1. probant Decian. *lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 51. Farinac. *quæſt.* 179. *nu.* 17. ubi quod nec regulariter excuſet ignorantia *can. qui & humanis* 12. *q.* 2. *can. quod dicit. d* 16 *& can. ſi decreta d.* 20. Et ita ſolum aliquando poteſt contingere, quod ſimplices, ac imperiti in his excuſentur, in quo ſenſu verum eſt, quod ait Pegna *d. com.* 73.

Quibus autem pœnis puniantur ſchiſmatici, controvertitur, an ex jure antiquo ſint ipſo jure excommunicati, quod affirmant Innoc. *in cap.* 1. *de ſchiſm.* ibique Panorm. & ſequuntur Sylveſtr. *v. ſchiſma num.* 3. Negant verò Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæſt.* 6. & Sayr. *de cenſur. lib.* 4. *cap* 5. *num.* 19. Quia excommunicatio lata *in d. cap.* 1. *de ſchiſm.* eſt pro caſu particulari, præterquam quod ſchiſmatici, de quibus eſt ſermo in dicto capitulo erant hæretici, & *in can. nulli d.* 19. *& in cap. de Liguribus* continetur excommunicatio ferenda, non lata.

At, quidquid de hoc ſit, hoc certum quod excommunicationem incurrunt ſchiſmatici quicunque latam, & Papę reſervatam in Bulla Cœnæ *can.* 1. ibi: *Nec non ſchiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & à Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.* Quo loco continentur, non ſolum ſchiſmatici per ſciſſuram à capite, ſed etiam à membris, *ut ſupra.* Et ita Ugolin. *in eundem can.* 1. *Bulla num.* 9. Sanctarel. *de hæres. cap.* 43. *num.* 3.

Et advertendum eſt, quod ibi per illam particulam *ſchiſmaticos* intelliguntur ſchiſmatici per antonomaſiam, id eſt quando præter verum Pontificem alius eligitur, eique obeditur. Per ſecundum verò ibi: *Et eos, qui,* intelliguntur ſchiſmatici alio modo, ſcilicet contumaciter recedendo à totali obedientia Papæ, ut Papa eſt. Quia dicunt Doctores, tunc etiam eſſe verum, & purum ſchiſma ut per Sayr. *d. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 21. Suar. *loc. cit diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 12. Ugolin. *ibid. num.* 9. Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. eo cap.* 36. *num.* 12. Duard. *in d. can.* 1. *Bul. num.* 16. Et hæc eſt verior, ac communior, quamvis alii intelligant per primam particulam contineri proprie ſchiſmaticos, per ſecundam autem contineri eos, qui contumaciter alicui mandato Papę nolunt obedire, qui tamen non ſunt ſchiſmatici, ſi in aliis illi conſentiant obedire, ut per Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. Sed communiter rejicitur. Quia nolens in aliquo caſu particulari obedire, etiam in deſpectum Papę, non continetur in hoc canone, ut per Sayrum, Suarez, Sanchez *loc. alleg.*

Et etiam lata excommunicatio contra ſchiſmaticos per electionem Antipapæ & eos, qui illi adhęrent, aut illum defendunt à Nicolao ſecundo in Concilio Lateranenſi, ut habetur *in can. in nomine Domini d.* 23. *in d. cap. licet de elect.* & in Conſtitutione Gregorii XV. de electione Papę, & continet tam ipſum electum ſeſe ingerentem, quàm alios fautores, & ſectatores, at non eſt reſervata hæc excommunicatio ex *d. can. in nomine Domini neque cap. licet*; hodie tamen eſt reſervata ex Bulla Cœnæ, & ex dicta Conſtitutione Gregorii XV. Item generaliter contra ſchiſmaticorum Epiſcoporum, Cardinalium, Legatorum, & Dominorum temporalium ſectatores quoſcunque lata eſt excommunicatio ex Conſtitutione 19. Pauli IV. quæ incipit, *Cùm ex Apoſtolatus,* ſed non eſt ibi reſervata, ut tamen dixi, hodie reſervata eſt in Bulla Cœnę, & in dicta Conſtitutione Gregorii.

Eſt que autem diſcrimen inter hæreticos, & ſchiſmaticos, quod hæreticus non excommunicatur, niſi ſimul habeat hæreſim in intellectu, quia crimen hæreſis eſt in ſui ſubſtantia mentale, & ſic non eſt excommunicans hæreticus pure mentalis, quia Eccleſia de purè mentalibus non judicat, neque hæreticus pure externus, quia hic non eſt hæreticus in rei veritate, ſed ſolum apparet hæreticus. At ſchiſma non conſiſtit eſſentialiter in errore intellectus, ſed in exteriori actu voluntario, ſcilicet in voluntaria ſeparatione à capite, & membris Eccleſiæ, ideoque manet excommunicatus, qui, licet interius non erret in fide, exterius tamen ſe ab Eccleſia ſeparat, ut per Farinac. *de hæres. d. quæſt.* 184. *n.* 4. Sanchez *lib* 2. *in decal. c.* 36. Suarez *de cenſur diſp.* 21. *ſect.* 2. *nu.* 13. Souſa *lib.* 1. *aphor. cap.* 20. *num.* 16. *Alterius*, Bonaciſam, Filiucium, quos ſequitur Carena *p.* 2. *tit.* 3. *num.* 46. Salel. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 33. In quo quidem erravit Farinac. *d. quæſt.* 184. *num.* 59. volens, ſchiſmaticos non eſſe excommunicatos, niſi ſint hæretici, ea motus ratione, quia puri ſchiſmatici non ſunt proprie, ſed large ſchiſmatici. Quod eſt omnino falſum. Nam ideo quis eſt proprie ſchiſmaticus, quia ſe ſeparat ab Eccleſia, non quia eſt hæreticus: Et licet hæretici ſint etiam ſchiſmatici, id tamen eſt, quia hæretici formaliter ut hæretici ſunt ſchiſmatici, ſed quia hæretici ſe ſeparant ab unitate Eccleſiæ. Itaque licet ſchiſmaticus non ſit hæreticus, eſt tamen proprie ſchiſmaticus, ac pœnis ſchiſmaticorum obnoxius.

Irregularitatem etiam incurrere ſchiſmaticos, ſi ſunt hæretici, certum eſt, etſi ſchiſmaticos non hæreticos eſſe irregulares dicant Pegna *p.* 2. *com.* 73. Majol. *de irreg. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 4. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 90. *quæſt.* 8. Duard *in Bull. cœna ib.* 2. *qu.* 56. *num.* 5. Verum Summiſtæ antiqui nullam de hac irregularitate faciunt mentionem, & in jure non habetur; neque ex eo colligitur. Non quidem *ex cap.* 1. *de ſchiſm.* Nam ibi ſolum habetur ſuſpenſio à poteſtate ordinandi, & à collatione beneficiorum, & adminiſtratione Eccleſiarum. Neque *ex can. qui contra* 24. *quæſt* 1. Nam pœnæ illæ ſunt ſententiæ ferendæ & *in can. in nomine Domini d.* 23. nulla fit mentio irregularitatis. In *d. capit. licet de elect.* electus in Papam à tertia parte, vel à minori duabus partibus, ſi ſibi nomen Papę uſurpaverit, excommunicatur ipſo facto, & totius ordinis pri-

vatione

vatione mulctatur ſimul cum illis, qui illum receperunt. Nullibi igitur in jure ſtatutum eſt univerſaliter, ut ſchiſmatici ſint irregulares. Quod etiam obſervant Suar. *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 2. *nu.* 7. Sanch. *d. cap.* 26. *num.* 10. Sayr *ubi ſupra lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 10. ac Delben. *de Officio dub.* 235 *ſect.* 8.

. Neque obſtat, quod nedum illa totius ordinis privatio, qua puniuntur electus à minori parte duabus, & qui illum ſequuntur, videtur quædam irregularitas, quia tales ſunt privati cujuſcunque Ordinis exercitio, multoque magis ſunt impediti, ne ad alios Ordines promoveantur, ſed etiam per Conſtitutionem præfatam Pauli IV. omnes ſchiſmatici ſuis ordinibus ſunt privati ipſo facto. Quod non intelligitur, niſi quia ſuorum Ordinum exercitio, ac miniſterio privati ſint, ac proinde ſint etiam inhabiles, ut ad Ordines promoveantur. Sicque videtur, quod ſchiſmatici ſint irregulares. Quia irregularitas impedit, ne ordines ſuſcipiantur, neve ordinatus utatur ordinibus ſuſceptis.

Nam reſpondetur, quod privatio iſta per quam ſchiſmatici ſuis ordinibus ſunt privati, eſt ſuſpenſio ab ordinibus, non autem irregularitas. Directè enim ſchiſmatici privati ſunt uſu Ordinum, licet indirectè ſint etiam impediti, ne ad minores ordines promoveantur. Hunc enim effectum etiam habet ſuſpenſio ab ordine, ut docet Suarez de cens. *diſp.* 26. *ſect.* 3. *num.* 11. Quare ſchiſmatici privantur ordinibus directè, quatenus ordines ſunt quædam officia Eccleſiaſtica, privantur enim ordinibus, & aliis officiis. Privatio autem ab Ordinibus, ut ſunt officia Eccleſiaſtica, Suſpenſio eſt, & ſuſpenſio ab officio ſimpliciter, eſt etiam ſuſpenſio ab ordine, ut tradit idem Suarez *d. diſp.* 26. *ſect.* 1. *nu.* 3. ſchiſmatici igitur, quamvis non ſint irregulares, ſunt tamen ſuſpenſi ab omnibus ordinibus.

Infamiam verò, ac irregularitatem planè incurrunt ſchiſmatici, ſi crimen ſchiſmatis ſit notorium, quia eſt crimen enorme, depoſitione dignum, quod notorium inducit juris infamiam ipſo facto, & conſequenter irregularitatem ſecundum magis communem Canoniſtarum ſententiam, ut teſtantur Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20 *quæſt* 8. & Sayr. *lib.* 7. *de cenſur. cap.* 11. *num.* 15. *ac* 16. Immo alii ajunt, etiamſi ſit occultum crimen, induci irregularitatem, ut tenet Azor *ibid* cum Speculatore, & Raymundo, ac plures apud Sayrum *ibid. num.* 16. ſed communiter rejicitur, ut per Sayrum *nu.* 17. & Sanchez *ubi ſupra.*

Item contra multi recentiores aſſerunt, ſchiſmaticum occultum nullo modo eſſe infamem, vel irregularem. Si autem ſit notorium crimen, eſſe infamem & irregularem impropriè ob infamiam facti, quæ per pœnitentiam diluitur. Ita Sanchez *d. cap.* 36. *num.* 10. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 43. *num.* 13. & Suarez *de irreg. diſp.* 43. *ſect.* 2. *num.* 7. Verum à prima ſententia communi non eſt recedendum. Immo ex Conſtitutione Pauli IV. ſupra citata, ſi Cardinales, Epiſcopi, Legati, ac Domini temporales in ſchiſma incurriſſe deprehenſi aut confeſſi, aut convicti, incurrunt ipſo facto privationem omnium dignitatum, Eccleſiarum, beneficiorum, officiorum Eccleſiaſticorum, & vocis activæ ac paſſivæ, ac dominiorum publicorum temporalium. Eorum autem ſectatores, ſeu fautores ſunt eo ipſo inneligibiles active & paſſive, & inteſtabiles, hæreditatum, & ſucceſſionum incapaces, & omni actione judiciali, & omnibus beneficiis & Eccleſiis privati, omnibuſque dominiis publicis, vel privatis, & primo occupanti bona iſtorum temporalia conceduntur. Quod minus rectè *ex cap. ad ſuccidendos de ſchiſm. in* 6. deducit Farinac. *d. q.* 184. *num.* 41. Simanch. *de cath. inſt. tit.* 58. *num.* 7. & Decian. *lib.* 5. *cap.* 67. *num.* 6. Nam Bonifacius VIII. *in d. cap. ad ſuccedendos* ſtatuit hanc pœnam contra ſchiſmaticos illos, quos ibi in caſu particulari damnat. Et quamvis poſtea in fine decretalis loquens in futurum de ſchiſmaticis decernat, quod ſimiles exceſſus, & culpę pœnis ſimilibus in poſterum puniantur, ex vi tamen hujus textus ſchiſmatici non ſunt ipſo facto privati, ſed tanquam infames omnibus beneficiis, officiis, dignitatibus, ac honoribus ſunt privandi. Unde ſolum ex citata Conſtitutione Pauli IV. ſchiſmati, tam Clerici, quàm laici reſpective ſunt privati perpetuo omni officio, Prælatura, dignitate etiam Cardinalitia, Comitatibus, Marchionatibus, Ducatibus, Regnis, Imperio, immo voce activa & paſſiva, & perceptione penſionum

Dicuntur autem deprehenſi in ſchiſmate qui in flagranti, ac per evidentiam facti in eo crimine reperti ſunt, vel probato crimine, vel confeſſo condemnati. Glos. *in cap. ad abolendam* §. *præterea v. deprehenſi*, ibique Oſtiens. *num.* 4. Butr. *num* 19. *de hæret.* Glos. *in cap. ex litterarum*, *v. deprehenſam de eo, qui duxit.*

Id tamen limitatur, ut non propterea licitum ſit Catholicis auferre à Gręcis mercatoribus bona eorum, etiamſi ſchiſmatici eſſe dicantur, ſeu Eccleſię ſchiſmaticorum, ut per Rot. *deciſ.* 48. *num.* 4. *p* 1. *poſthum.* Farinac. Quia Eccleſia Catholica eos tolerat, ut per Archid. *in can. magnum* 11. *quæſt.* 1. quia ipſi ſeculares ſępe laborant ignorantia invincibili ſchiſmatis. Unde requiritur monitio facta à Sede Apoſtolica.

Ineligibilis autem eſt ad Papatum Epiſcopus, aut eo major Pręlatus, etiam Cardinalis, aut Legatus, ſchiſmaticus ſemel exiſtens ita, ut ſi ullo unquam tempore, etiam poſt electionem in Romanum Pontificem, etiam in concordia, apparuerit, talem ſchiſma incurriſſe, ſive excitaſſe, electio cenſenda ſit ipſo jure nulla, nulla expectata declaratoria, non ſuffragante ei poſſeſſione, coronatione, aliove actu & licitum eſt omnibus ab ejus obedientia impune quandocunque diſcedere ex citata Conſtitutione Pauli IV. §. 6. & 7. Et quamvis hæc Conſtitutio non reperiatur publicata, ut ibi notat Cherubinus, ſufficit tamen, quod confirmata fuerit à B. Pio V. *conſtit.* 22. *incip. Inter multiplices* §. 3. quæ fuit publicata. Unde apparet, quod in hac re eſt derogatum dicto *cap. licet de elect.* ubi nulla exceptio electo in concordia in Papam objici poterat. Conſtitutio autem Gregorii XV. de electione Papæ ſolum ſtatuit, nullam cenſuram objici poſſe. Unde hoc impedimentum ſchiſmatis ac hæreſis ex dicta Conſtitutione Pauli IV. in ſuo vigore remanere videtur.

Hinc deducitur privatio Eccleſiaſticæ poteſtatis, ſive juriſdictionis, quam ſchiſmatici incurrunt ipſo facto, ac ita, ut habeat locum etiam in ſchiſmatico non denunciato, ut volunt Azor *d. lib.* 8. *cap.* 20. *quæſt.* 9. Valent 2. 2. *diſp.* 3. *qu.* 11. *pun.* 3. At quod hæc pœna non habet locum, niſi in ſchiſmatico denunciato, tradunt Sot. *in* 4. d. 12. *quæſt.* 1. *ar.* 4. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. Duard. *in Bul. Cœnæ d. lib.* 2. *q.* 56. *num.* 13. Carena *p.* 2. *tit.* 3. *n.* 43 & Salell. *lib.* 6. *cap.* 8. *nu.* 79. Quod autem iſti ſint privati omni juriſdictione, tenent etiam Sanchez *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 36. *num* 10. Suarez *de charit. diſp.* 12. *ſect.* 2. 3. qui omnes fundantur *in can. didicimus* 24. *quæſt.* 1.

Sed conſiderandum, quod *d. can. didicimus* eſt Sancti Cypriani, unde non continet legem Eccleſiaſticam obligantem. Et amplius eſſe loquitur de omnino hæretico, & ſchiſmatico. Hæretici autem

ſchiſmatici abſque dubio ſunt privati dignitatibus, Officiis, &c. Immo loquitur de ſchiſmatico ſine legitima electione intruſo in Papatum, qualis fuit Novatianus. Eſt enim certum, quod intruſus eſt privatus juriſdictione, immo nullam habet, vel habuit juriſdictionem ea vi illegitimæ electionis, ac intruſionis. Quare hanc juriſdictionis privationem incurrunt ea dicta Conſtitutione Pauli VI. Tum quia etiam pœnas ſtatutas à Sanctis Patribus contra ſchiſmaticos idem Pontifex approbavit, & vim habere voluit, & ſic canon ille *dudum* continet in hac parte legem canonicam univerſalem. Tum quia idem Pontifex expreſſe voluit ſchiſmaticos confeſſos, vel convictos, & ut tales deprehenſos, perpetuo eſſe privatos ipſo facto omni autoritate, officio, dominio, ac poteſtate. Ad hanc tamen pœnam incurrendam neceſſe eſt, quod in judicio ſint confeſſi, vel convicti, aut deprehenſi. Atque ita licet ſtatim ac aliquis in judicio ſit deprehenſus ſchiſmaticus, ipſo facto hanc, & alias pœnas in dicta Conſtitutione contentas, incurrant ante ſententiam, nihilominus ex communi ſententia, ut pœnæ iſtæ ſecum plenarium obtineant effectum, utque ſchiſmaticus revera privetur poſſeſſione officiorum, juriſdictionis &c. ſaltem requiritur ſententia declaratoria.

Nec poteſt ſchiſmaticus eligi ad beneficia, Prælaturas, dignitates, &c. Hac autem pœna ita afficitur ſchiſmaticus, ut etiam, abjurato ſchiſmate, ac eo ad communionem recepto, non poſſit canonice, & valide eligi, & ſi eligatur, ſit nulla electio, ut docent ea Butrio, ac Imola Pegna *d. com.* 73. Jacobat. *de concil. lib.* 7. *cap.* 4. *col.* 2. Decian. *lib.* 5. *cap.* 66. *num.* 7. & Farinac. *d. q.* 184. *num.* 36. ubi quod licet ſchiſmaticus reſtituatur ad communionem, non reſtituitur tamen ad honores, ut per Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 18. Suar. *de cenſur. diſp.* 43. *ſect.* 2. *nu.* 7. Catenam *d. p.* 2. *tit.* 3. *num.* 48. & Salell. *l.* 6. *cap.* 8. *n.* 81. ubi quod ſchiſmaticus non poteſt promoveri ad Ordines. Quod multo magis tenent, qui putant, ſchiſmaticum eſſe irregularem. Ad id autem probandum Farinacius allegat *can. nos conſuetudinem d.* 21. qui eſt S. Gregorii Papæ, & *can. convenientibus* 1. *q.* 7. qui eſt ſeptimæ Synodi. Verum in his canonibus agitur de hæreticis, nec in iis eſt verbum aliquod de ſchiſmaticis, aut de irregularitate. Allegatur item non ſatis firmo fundamento *cap. quia diligentia de elect.* ubi Alexander III. diſpenſative permittit confirmari electionem unius ſchiſmatici, qui abjuraverat ſchiſma. Ex hoc enim colligitur, quod electio illa non poterat confirmari, niſi Papa diſpenſaſſet. Quare dicunt, non poſſe ab hac inhabilitate Epiſcopum diſpenſare, niſi delicto exiſtente occulto in terminis conceſſionis S. Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 6. At ego cenſeo, quod Epiſcopi nequeant diſpenſare in hac inhabilitate, incurſa ob hæreſim, vel ſchiſma, etiam in caſu occulto. Quod eſt plane certum ex adducta Conſtitutione Pauli IV. in qua ſchiſmatici, ut ſupra deprehenſi, fiunt ipſo facto perpetuò incapaces, ac inhabiles ad Officia, Prælaturas, dominia, Regna, Imperium; vocem activam & paſſivam, ac ita, ut ad illa nec reponi, neque redintegrari poſſint. An autem & quomodo intelligatur, quod ſi poſt promotionem ad Epiſcopatum, & Papatum apparuerit, promotum fuiſſe hæreticum, vel ſchiſmaticum, ejus promotio habenda ſit pro irrita, explicat Paſſerinus *in tr. de elect. Papa.*

Privantur quoque ſchiſmatici perpetuo beneficiis, Gloſ. *in cap.* 1. *de ſchiſm.* Simanch. *d. tit.* 58. *n.* 7. Paris. *de reſign. lib.* 3. *q.* 1. *n.* 36. Pegna *d. com.* 73. Sanch. *lib.* 2. *in decal. d. cap.* 36. Farinac. *d. qu.* 84. *num.* 42. Catena *d. num.* 48. Sanctarel. *de hær. cap.* 43. *dub.* 1. *num.* 12. Salel. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 80. Rebuf. *in prax. benef. rubr. de modo amit. benef. num.* 29. exque iis plerique exiſtimant, ſchiſmaticos eſſe ipſo facto privatos, nedum beneficiis poſt ſchiſma, acquiſitis, ſed etiam antea obtentis. Sanchez vero, Catena, & Salelles, quibus conſentit Bonacina *in decal. lib.* 3. *diſp.* 6. *pun.* 5. putant, ſchiſmaticos ipſo jure non eſſe privatos beneficiis antea obtentis. At ego non reperio in jure veteri, quod puri ſchiſmatici, qui non ſunt hæretici, ſint privati beneficiis, niſi *in d. cap. ad ſuccidendos de ſchiſm. in* 6. unde Farinacius ſolum hunc textum allegat, in quo duo Cardinales, tanquam ſchiſmatici, fuerunt perpetuò privati beneficiis. Et ſane textus loquitur etiam de obtentis ante ſchiſma, cùm Pontifex illos privet perpetuò omnibus beneficiis, & poſtea decernat alios ſchiſmaticos eadem pœna eſſe puniendos. Ex citata verò Conſtitutione Pauli IV. hæretici, vel ſchiſmatici, ſi ſint deprehenſi vel confeſſi, aut convicti, ſunt ipſo facto privati omnibus beneficiis, etiam ante ſchiſma quomodolibet ita, ut ſint privati etiam jure ad beneficia, ac ita, ut etiam ſint privati penſionibus iis reſervatis, & conceſſis. Vacare & cenſetur beneficium per adhæſionem Antipapæ, ut per adhæſionem hæreticorum, *cap. olim de accuſ.* Jacobin. *in tr. feud. v. adhærentibus*, & ſolet Summus Pontifex, non vocatis etiam illis, quando manifeſta eſt adhæſio, eorum beneficia aliis conferre brevi manu, ut ajunt.

Incurrunt item ſchiſmatici pœnam depoſitionis. Sic enim *in d. cap. ad ſuccidendos* duo Cardinales à Cardinalatu depoſiti fuerunt. Allegatur etiam ad id *can. in nomine Domini d.* 23. Sed ibi ſermo de Antipapa, qui jubetur deponi ab omni Eccleſiaſtico gradu, in quo prius erat. Citatur quoque *can. ſiquis inquit* 1. *quæſt.* 1. At ibi nihil agitur de depoſitione. Veruntamen quod ſchiſmatici ſint deponendi, docent Sylveſt. *v. ſchiſma num.* 4. Armil. *eod. v. & verſ.* Roſella *v. hæreticus num.* 22. Royas *de hæret. p.* 2. *num.* 531. Decian. *lib.* 5. *cap.* 67. *num.* 2. Farinac. *d. q.* 184. *num.* 50. Sed hæc pœna ferè coincidit cum præcedentibus. Cum enim ſchiſmatici perpetuò ſint privati Ordinibus eo quidem modo, quo illis privari poſſunt, ac ſint privati officiis, dignitatibus, beneficiis, &c. ex hoc ſunt etiam depoſiti. Quia nihil amplius importat depoſitio, quam perpetuam ſuſpenſionem ab ordine, ac privationem omnium officiorum eccleſiaſticorum, niſi depoſitio importat pœnam irremiſſibilem. At hæc ratio irremiſſibilitatis habetur contra hæreticos, & ſchiſmaticos in dicta Conſtitutione Pauli IV. per hæc verba: *Nec ullo unquam tempore ad eorum priſtinum ſtatum, aut Cathedrales &c. ſeu vocem activam, & paſſivam, aut autoritatem &c. Comitatus, Baronias &c. reſtitui, reponi, aut redintegrari, aut rehabilitari poſſint.* Sic itaque ſchiſmatici deponi poſſunt ab omni Eccleſiaſtico gradu, aut ſeculari dominio. Quare ſi ſunt nobiles laici, ac Principes, eorum loca publicanda, & fiunt ignobiles, pœniſque corporalibus afficiendi, per Principes ſeculares, *can. qui contra, d. can. de Liguribus, can. denique* 7. *qu.* 1. *can. non vos* 23. *qu.* 5.

Alia pœna eſt in ſchiſmaticos, quod collationes beneficiorum, alienationes rerum Eccleſiaſticarum, & cætera per eos acta ſunt irrita *ex can. ordinationes* 9. *qu.* 1. *ex cap.* 1. *de ſchiſm.* & tradunt ibi Gloſ. & Doctores, & Valentia 2. 2. D. Thom. *q.* 39. *ar.* 3. & 4. Sylveſt. *v. ſchiſm. num.* 3. Tabiena *eod. v. & v.* Angel. *eodem etiam v. num.* 2. Armil. *eod. pariter v. num.* 4. Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 20. *quæſt.* 11. Decian. *lib.* 5. *cap.* 67. *nu.* 8. Farinac. *d. q.* 184. *nu.* 43. & *ſeq.* Rota coram Seraph. *deciſ.* 112. & *in. Valentia unionis* 2. *Julii*, 1606. *coram Covino*, Franc. Marc.h. *qu.* 197.

197. *num.* 1. Aldrovand. *conſ.* 1. *num.* 50. Salell. *d. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 88. Nam, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 39. *ar.* 3. ſchiſmatici, licet non ſint privati poteſtate ordinis ſecundum ſubſtantiam, ſunt tamen privati poteſtate juriſdictionis, & ideo ſunt etiam privati legitimo uſu poteſtatis ordinis, atque adeo non poſſunt abſolvere, vel damnare, neque excommunicare, neque indulgentias concedere, neque conferre beneficia, neque res Eccleſiæ alienare, neque alia ſimilia facere, & ſi facient, facta ſunt irrita. Quare licet ordinationes ab iis factæ ſint validæ, quia ſunt actus poteſtatis ordinis, qua ſchiſmatici non privantur, unde confertur ordinato character Ordinis, ordinatus tamen à ſchiſmatico eſt ſuſpenſus ab uſu Ordinis, niſi cum illo fuerit legitime diſpenſatum *d. cap.* 1. *de ſchiſm.* Irritæ igitur ordinationes ſunt, quoad executionem ordinum acceptorum, ut explicat Gloſ. *ad d. cap.* 1. *de ſchiſm. v. irritas.* Niſi ordinatus probaſſet, ſe ignoraſſe ſchiſmaticum eum, qui illum ordinavit *d. can. ordinationes*, & facit *can. ſiquis à ſimoniacis* 1. *q.* 1. Quod etiam alienationes rerum eccleſiaſticarum à ſchiſmaticis factæ non valent, docet *can. alienationes* 12. *qu.* 2. Quia & Eccleſia, quæ habet paſtorem ſchiſmaticum, vacare dicitur *c.* 1. *de præſcript.* quare ab eo facta, rata non ſunt in præjudicium Eccleſiæ *can. ſiqua de reb.* 11. *q.* 2.

Itaque ſchiſmatici ſunt privati ſpirituali poteſtate, ſicut hæretici, unde poteſtate ordinis non privantur, & ſtando in jure divino neque poteſtate juriſdictionis, aut beneficiis eccleſiaſticis, ut à fortiori patet de pœnis hæreticorum, tamen de jure poſitivo ipſo jure privantur dignitatibus, beneficiis, atque adeo bonis Eccleſiaſticis *in can. nulli d.* 19. & hoc modo inquit Gloſ. *in d. cap.* 1. *de ſchiſm. Eccleſiam, quæ habet Epiſcopum hæreticum, aut ſchiſmaticum vacare intelligitur.* Quod effatum Turrecremata *lib.* 2. *cap.* 102. extendit ad Summum Pontificem. Sed, quicquid ſit de Papa hæretico, de quo Suarez *de fide diſp.* 10. *ſect.* 6. de puro tamen ſchiſmatico id omnino eſt falſum. Quia extra caſum hæreſis nullus unquam dixit ipſo jure divino Papam privari ſua dignitate. Immo & in caſu hæreſis illud falſum eſt. Jure autem humano privari non poteſt extra cum caſum, ut ipſe Turrecremata docet *lib.* 2. *cap* 93. Quare certum ſit, Papam nullam ex his pœnis incurrere, quia neque ipſe poteſt ſe excommunicare, neque Eccleſia poteſt illum punire, quamvis jure defenſionis poſſit illius conatibus reſiſtere, ut late idem Turrecr. *eo cap.* 102. Cajet. *de auth. Pap.* Canus *cap.* 12. & Alph. de Caſtro *de juſt. hæret. pun. l.* 2. *cap.* 2.

Præterea ſchiſmatici incurrunt pœnam confiſcationis bonorum ex *can. de liguribus* 23. *qu.* 2. *& in d. c. ad ſuccidendos* hæc pœna impoſita fuit, ubi Glos. *in figur. caſ.* Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 58. *n.* 7. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 67. *num.* 5. & 14. Farinac. *ea q.* 184. *num.* 47. Præcipue verò privari debent bonis Eccleſiaſticis, ut ex D. Auguſtino relato *in can. quæ jure d.* 8.

Ultima pœna, quam incurrunt, eſt pœna mortis, ſeu traditionis Curiæ ſeculari, ut per Ananiam *in rubr. de ſchiſm. num.* 6. Baldum *in tit. de pac. jur. firm.* §. *injuria col.* 3. Albertin. *in rubr. de hæret. in* 6. *qu.* 11. *num.* 2. Diaz *in pr. cap.* 112. *nu.* 1. Decian. *l.* 5. *cap.* 67. *num.* 19. Jo. Andr. *in cap. cum non ab homine de judic.* Valent. 2. 2. *q.* 39. *ar.* 3. *&* 4. Farinac. *d. q.* 184. *num.* 51. Carena *d. p.* 2. *tit.* 3. *num.* 49. & habetur expreſſa in ſæpe citata Conſtitutione Pauli IV. quæ quoad perſonas comprehendit omnes, etiam Cardinales, Reges, & Imperatores.

Porrò hic notandum primo eſt, quod Carena *p.* 2. *tit.* 3. *nu.* 50. quem ſequitur Salelles *d. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 92. aſſerit, hanc pœnam ex dicta Conſtitutione Pauli IV. etiam pro primo lapſu ita, ut ſchiſmatici tanquam vere relapſi ea mulctentur. At contrarium habetur ex his verbis dictæ Conſtitutionis: *Niſi apparentibus in eis vera pœnitentiæ indiciis, & condignæ pœnitentiæ fructibus ex ipſius ſedis benignitate, & clementia in aliquo Monaſterio, aut alio regulari loco ad peragendum perpetuam in pane doloris & aqua mæſtitiæ pœnitentiam retrudendi viſi fuerint.* Ergo & in his locum habet jus commune recipiendi tam hæreticos, quàm ſchiſmaticos ad communionem, ac miſericordiam, eoſque pro primo lapſu non tradi Curiæ ſeculari. Nec obſtant illa verba Conſtitutionis: *Habeanturque pro relapſis, & ſubverſis in omnibus, & per omnia perinde ac ſi prius hujuſmodi in judicio publice abjuraſſent.* Nam hæc per ſubſequentia verba modò citata explicantur, & limitantur, cumque illa Conſtitutio præcipue ſit contra hæreticos, nihilominus praxis Sacri Tribunalis eſt, quod pro primo lapſu hæretici recipiantur ad pœnitentiam, nec puniantur, ut relapſi. Atque ideo, quod ſi ſchiſmaticus pœniteat, recipiatur ad pœnitentiam, ſicut hæreticus, jam docuerant Anchar. *in cap. firmiſſime numer.* 3. *de hæret.* ubi & Anan. *num.* 2. Sociu. *in rubr. de ſchiſm. num.* 9 Monach. *in d. cap. ad ſuccidendos num.* 1. ibique Prob. *de ſchiſm. in* 6. Archid. *in cap. inter ſchiſma nu.* 2. 24. *quæſt.* 3. Sylveſt. *v. ſchiſm. num.* 9. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 58. *num.* 8. Jacobat. *de Concil. lib.* 7. *ar.* 4. Decian. *lib.* 5. *cap.* 66. *num.* 6. & Farinac. *d. q.* 184. *numer.* 34. qui duo ſcripſerunt poſt dictam Conſtitutionem.

Notandum eſt ſecundo, quod Anania *loco citato*, quamvis videatur dubitare, an hujuſmodi ſchiſmatici puniri poſſint per Judicem Secularem, etiam ſine degradatione, & Decianus *d. lib.* 5. *cap* 68 *nu.* 5. non cenſeat inconveniens, quod ſchiſmaticus duplici pœna puniatur, à Judice nempe ſeculari, & ab Eccleſiaſtico. Quod confirmatur ex Pelagio Papa *in d. can. nos verò, & d. can. de Liguribus* 23. *q.* 5. & ex D. Auguſtino *in can. non afferamus*, atque ex Beda *in can. omnis, qui recedit* 24. *quæſt.* 3. Tenendum tamen, quod per ſe loquendo ſeculares Judices non poſſunt punire ſchiſmaticos pœna mortis, niſi ab Eccleſia degradatos, & ab illa eiſdem traditos, neque aliis pœnis, niſi ipſi Judices ſeculares ſint ab Eccleſia requiſiti, cùm hoc crimen ſit merè Eccleſiaſticum, ut per Jo. Andr. *in cap. cum non ab homine de Judic.* Simanch. *d. tit.* 58. *num.* 9. Decian. *eo lib.* 5. *c.* 64. *num.* 1. & Farinac. *d. q.* 184 *num.* 52. Per accidens verò, ſi Prælati Eccleſiæ fuerint negligentes, vel non poſſint procedere contra ſchiſmaticos, tunc, prout in dictis juribus habetur, poſſunt contra ſchiſmaticos procedere, tanquam requiſiti à jure. Et tunc etiam ad ſecularem poteſtatem pertineret, compellere ſchiſmaticos ad dimittendum ſchiſma, & ſi pertinaces eſſent, illos tradere deberent Eccleſiæ ab ea judicandos, ſi fieri poſſit. Cæterum & ſeculares quod ad fieri poſſunt, perſequi debent hæreticos, & ſchiſmaticos, illoſque vi compellere, ut redeant ad Eccleſiam, vel ſi ſint pertinaces, illos exterminare & via facti, juſtique belli illos conterere, de quo alibi.

Tertiò autem notandum eſt, quod verba illa, *d. cap. ad ſuccidendos, tanquam contra hæreticos* ſchiſmatici puniendi ſunt, ut hæretici, Gemin. *ibid. n.* 4. & Franch. *nu.* 2. Quod verum puto, ſi ſchiſmatici ſunt hæretici, at ſi non ſunt hæretici, puniendi ſunt pœnis in ſchiſmaticos latis. In Conſtitutione tamen Pauli IV. pluries citata, ſchiſmatici æquiparantur hæreticis, & ideo pœnis latis in ea Conſtitutione ſubduntur ſchiſmatici. Vide Farinac. *d. q.* 184.

184. *num* 53. *& ſeqq.* Souſ. *lib.* 1. *aph. cap.* 20. *num.* 12. Caren. *p.* 2. *tit.* 3. *num.* 34. Salell. *lib.* 5. *cap.* 5. *nu.* 124. *& lib.* 6. *cap.* 8. *nu.* 62.

Quarto denique notandum, quod ſub clauſula generali cujuſcunque dignitatis, aut præeminentiæ non veniunt Cardinales, niſi exprimantur, Gloſ. *in d. cap. ad ſuccidendos*, *v. Cardinales*, itaque Monach. & Franch. *num.* 2. & Barboſa alios referens. Certum tamen eſt, quod quando materia eſt etiam illis adaptabilis, comprehenduntur ſub lege pœnali, etiamſi non exprimantur, ut *in can ſiquis ſuadente* 17 *quæſt. ubi* Glos. *v. Cardinales*, Gemin. *d. numer.* 4. Sed placet diſtinctio Farinacii *ibid num.* 3. quod in ſententia ſub illa generalitate verborum non veniant Cardinales, qui ſunt Patres conſcripti in diademate Papæ, ac pars ejus corporis, licet ſub ea clauſula comprehendantur Epiſcopi, ſed in Conſtitutione, ſeu lege, etiam Cardinales comprehenduntur, licet non exprimantur

Aliæ ſunt pœnæ, quibus ſchiſmatici puniri poſſunt, ſcilicet pecuniaria, carcer, exilium, relegatio, deportatio, triremes, ut per Decian. *d. lib* 5. *cap.* 67. Farinac. *d. quæſt* 184. *numer.* 49. Sylveſt. *d. v. ſchiſma. num.* 4. per textum *in can. quod autem* 23. *quæſt.* 7. proſequuntur Souſa *lib.* 3. *aphor. cap.* 27. *num.* 7. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 6 *diſp.* 4. §. 6. *num.* 20. Carena *p.* 2. *tit.* 3 *numer.* 51 & Salell *lib.* 6 *cap.* 8. *numer.* 93. Verum ſi conſtiterit de ſchiſmate, pœnis ſuperius recenſitis puniri debent. Ubi verò non habet locum pœna ordinaria, pœnis hiſce minoribus arbitrio Inquiſitorum puniri poſſunt.

Fautores autem, qui ſchiſmaticos, in ſchiſmate deprehenſos, aut confeſſos, aut convictos, ſcienter quomodolibet receperint, vel defenderint, aut eis favere, vel credere, ſive eorum dogmata dogmatizare præſumpſerint, ſunt ipſo jure excommunicati, ac infames, & voce activa & paſſiva privati, nec per ſe, neque per alium admitti poſſunt ad publica, vel privata officia, vel conſilia, ſeu Synodum, aut Concilium generale, vel provinciale, neque ad conclave Cardinalium, ſeu electionem alicujus, aut ad teſtimonium dicendum. Item ſunt inteſtabiles, nec ad aliquam ſucceſſionem hæreditatis accedere poſſunt, nec aliquis poteſt cogi eis in aliquo negotio reſpondere. Et ſi fuerint Judices, eorum ſententiæ nullam habent firmitatem, nec aliquæ cauſæ ad eorum audientiam poſſunt deduci Sique fuerint Advocati, eorum patrocinium non debet admitti, ſi verò notarii extiterint, eorum inſtrumenta nullius ſunt roboris ac momenti. Clerici verò quicunque, & qualitercunque qualificati ipſo facto privati ſunt omnibus, ac ſingulis Eccleſiis, etiam patriarchalibus, aut primitialibus, dignitatibus, monaſteriis, beneficiis, & officiis eccleſiaſticis, per eos quomodolibet obtentis. Ac inſuper tam ipſi Clerici, quàm laici ipſo facto privati ſunt Regnis, Ducatibus, dominiis, feudis, ac bonis temporalibus, per eos poſſeſſis. & per quemcunque manentem ſub veri Pontificis obedientia poſſunt occupari, & fiunt primi occupantis. Ita ſtatuit Paulus V. in adducta Conſtitutione.

Advertendum tamen eſt, quod, ut incurrant has pœnas, neceſſe eſt, quod favor ſit præſtitus ſcienter illis hæreticis, vel ſchiſmaticis, qui, ut tales fuerint deprehenſi, confeſſi, vel convicti in judicio, ut conſtat ex his verbis: *Et inſuper qui ipſos ſic deprehenſos, aut confeſſos, vel convictos ſcienter quomodolibet recipere &c* Excommunicatio autem contra hujuſmodi fautores, lata à Paulo IV. non continet aliquam reſervationem. In dicto tamen *cap. ad ſuccidendos* fautores duorum Cardinalium ſchiſmaticorum fuerunt puniti pœna excommunicationis reſervata Pontifici, ac privatione officiorum, & beneficiorum. Unde ex hoc aliorum ſchiſmaticorum fautores eiſdem pœnis puniri poſſunt.

Hæ autem ſchiſmaticorum pœnæ extenduntur ad eorum filios Nam dum bona ſchiſmaticorum publicantur, redundat hoc in pœnam filiorum, qui hæreditate patrum privantur. Farinacius etiam *d. quæſt.* 184 *numero* 58. citans Decianum *d. lib.* 5. *capit.* 67. *num.* 3. ait, quod filii, ac deſcendentes ſchiſmaticorum, tam per lineam maſculinam, quam femininam, ſunt indigni officiis & beneficiis uſque ad quartam generationem. Movetur *ex d. capit. ad ſuccidendos paragrapho contra natos.* Sed advertendum eſſe diximus quod dictum *cap.* continet ſententiam latam contra particulares, ac determinatas perſonas, & in caſu particulari. Quia tamen in fine decernitur, quod ſimiles culpæ eiſdem pœnis puniantur, ideo, licet filii ſchiſmaticorum non ſint ipſo facto inhabiles ad officia, & beneficia, poſſunt nihilominus hac pœna puniri, Immo nedum uſque ad quartam generationem, ſed etiam in perpetuum poſſunt puniri inhabilitate ad Cardinalatum, & ad beneficia in Civitate, vel Curia Romana.

Quod verò ad cauſæ ſchiſmaticorum expeditionem, certum eſt, quod debet conſtare de ſchiſmate, vel etiam de eorum hæreſi ſi damnandi ſint in pœnam ordinariam ſchiſmaticorum, vel etiam hæreticorum. Si autem plene non conſtet de ſchiſmate, ſed adſint indicia ad torturam, torquendi ſunt ſuper veritate. Quod ſi torti negent, quamvis maneant indiciati, ac ſuſpecti de ſchiſmate, non eſt tamen unde torqueri debeant ſuper intentione. Quia ſuſpicio hæreſis non adeſt ubi de facto hæreticali non conſtat, alioquin ſuſpicio deduceretur ex ſuſpicione, quod non licet, ut alibi probavimus. Sic ergo reus pœna extra ordinem pro qualitate ſuſpicionis puniendus erit, ſine abjuratione. Sed ſi conſtat de ſchiſmate, non autem de hæreſi, tunc reus torquendus erit ſuper intentione, & ſi nihil emergat, regulariter, prævia abjuratione de vehementi, damnandus erit pro qualitate ſchiſmatis. Si verò ſchiſmaticus fateatur hæreſim, judicandus erit, ut hæreticus, prævia abjuratione de formali, vel ſi ſit impœnitens, ſine abjuratione tradendus erit Curiæ ſeculari. Duo autem debet abjurare ſchiſmaticus, ſchiſma, & hæreſim, ſi ſit ſimul hæreticus, vel ſuſpicionem hæreſis, ſi conſtet de ſchiſmate; Sed ſi non conſtet de ſchiſmate, ſolumque de illo adſit ſuſpicio, tunc reus non abjurat hæreſim, ſed abjurat tanquam ſuſpectus de ſchiſmate. Ita Simanch. *de cath. inſtit. tit. de abjurat. numer.* 15. Royas *ſing.* 1. *num.* 16. Jacobat. *de Concil. lib.* 7. *ar.* 3. Decian. *lib.* 5. *cap.* 68. *numer.* 2 Pegna *p.* 2. *ad quæſt.* 48. *com.* 73. Farinac. *d. quæſt* 184. *num* 35. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 56. *num.* 12. Carena *p.* 3. *tit.* 3. *nu.* 36. *& ſeq.* Salell. *lib.* 5. *cap.* 5. *à num.* 123.

Consultatio CLXXXIX.

De Pœnis in Blaſphemos generatim.

Etſi Blaſphemantes hæreticaliter ſaltem ſint de fide ſuſpecti. Nam ſpectatis blaſphemiis hæreticalibus, iſti potius dicendi eſſent hæretici externi, quia hæ blaſphemiæ ut antea diximus ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 13. *ar.* 1. ſunt contra confeſſionem fidei

fidei, ſuntque hæreſes externæ, quia hæreſim ſignificant, nihilominus, quia etiam blaſphemia hæreticalis poreſt eſſe ſine hæreſi, ac ſæpiſſime accidit, quod blaſphemi moveantur ex ira, vel alia paſſione ad blaſphemandum, setenta ioterius vera fide, immò aliquando ſenſus blaſphemiæ eſt ambiguus, ot ibi etiam diximus, ideo blaſphemi ſaltem ſunt de hæreſi ſuſpecti.

Triplex tamen caſus ponitur, in quo ſunt vehementer ſuſpecti. Primus eſt blaſphemi conſuetudinarii, qui tam in ludo, quam extra ludum ex omni levi animi motu blaſphemat. Secundus eſt illius, qui in ita blaſphemat ex habitu, etiamſi plurica fuerit correctus. Tertius eſt illius, qui frequenter ex habitu blaſphemat ita, ut ſola conſuetudo blaſphemandi inducat vehementem hæreſis ſuſpicionem. Ita colligitur ex Eymerico *p.* 2. *quaſt.* 41. ibique Pegna *com.* 66. Locato *v. blaſphemia num* 5. Carena *p.* 2. *tit.* 7. *num.* 19. Sed ſi blaſphemia habet certam ſignificationem ac determinationem hæreticam eſt etiam ſuſpectus de vehementi, qui ſemel ſeriò, non autem ex metu, vel perturbatione animi blaſphemat, niſi illum ignorantia excuſet, quia de iſto nequit præſumi, quod ex alia cauſa blaſphemet, niſi quia ſentiret id, quod loquitus.

Suſpectus verò de levi eſt, qui ratò, & ſolum vel in ludo, vel in ira, vel in aliqua animi perturbatione blaſphemat. Et quamvis ira, amor, aut animi perturbatio poſſit minuere ſuſpicionem falſæ credulitatis, illamque reddere levem, ſi deſit frequentia blaſphemandi, non tollit tameo culpam, niſi tollat uſum rationis. Nec valet hæc excuſatio ad fugiendum omnino præſumptionem, vel ſuſpicionem hæreſis, ut ſuſe probat Eymericus *d. q.* 41.

Ad hoc autem, ut quis dicatur blaſphemus conſuetudinarius, Souſa *lib.* 1. *aph cap* 19. ex Albertino *de agn ſc. aſſert. q.* 6. *num.* 20. requirit plures quàm tres actuum reiterationes. Lazarius *de blaſph. qu.* 8. requirit ſaltem quinque actus interpolaros, Bordonus ſeptem *de S. Trib. cap.* 26. *num.* 14. Zanardus ſaltem decem. At hoc eſſe Judici arbitrarium, cenſeo cum Menochio *de arb. cas.* 375. & Carena *d. tit* 7. *num.* 26. Idque certum, quod non ſufficiunt duo actus, ut per Farinac. *quaſt.* 1. *num* 43. & Sanctarel. *de blaſp. qu.* 6. *num.* 5. Certumque etiam eſt, quod actus iſti debent eſſe interpolati. Ita qui uno impetu plures blaſphemias profert, in ordine ad forum judiciale ſemel blaſphemare dicitur, Farinac. *d. num.* 43. Lazar. *loc. cit.* 23. Ob multitudinem tamen blaſphemiarum gravius punitur blaſphemus, Carena *d. tit.* 7. *num.* 28. Hæc verò conſuetudo non probatur ſufficienter per teſtes ſingulares, ut tradunt Decian. *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 8. *& cap.* 5. *num.* 5. Maſcard. *de prob. concl.* 194 *num.* 2. *lib.* 1 Farin. *de teſtib. qu.* 65. *num.* 289. & Carena *d. tit.* 7. *n.* 27.

Atque ex his habetur qualiter blaſphemi torqueri debeant. Non ſolum enim ſi negant ſe blaſphemaſſe, debent, præcedentibus ſufficientibus indiciis torqueri ſuper veritate, ſed etiam ſuper intentione, ſi negant intentionem malam, de qua ſunt vehementer ſuſpecti. Quamvis enim pro veritate habenda torqueri poſſit reus, etiam leviter ſuſpectus, ſi hæc ſuſpicio eſt levis ſolum comparative, ac contra ipſum ſunt indicia ſufficientia ad torturam, unde in Hiſpania confeſſarius ſollicitans in confeſſione, & polygami cenſentur ſuſpecti leviter de fide, ac torquentur pro veritate habenda, quia de delicto, ſeu facto non ſunt leviter ſuſpecti, ſed graviter; nihilominus leviter ſuſpecti de fide regulariter non torquentur ſuper intentione, quia hanc ſuſpicionem ſufficienter pugnat abjuratio, ſi tamen ſuſpicio intra genus levis non habeat infimum gradum, poſſe reum torqueri leviter ſuper intentione, ac ulterius cogi ad abjurandum, vult Carena *d. tit.* 7. *num.* 66. Et propterea Genuenſis *in pr. cap.* 84. *in antiq. num.* 8. ait, quod non univerſaliter, ſed quod regulariter ſuſpectis de levi non datur tortura.

Blaſphemus verò in ſuis defenſionibus poteſt excipere contra teſtes, ac eos repellere, & quamvis oppoſitum ſentiant Galiard. *de blaſp. num.* 125. & Viſcont. *v. blaſphemia*, verior tamen eſt opinio Clari §. *blaſphemia*, Boër. *dec.* 302. *nu.* 12. Ludov: Gilbauſen *cap.* 2. *tit. de blaſph. num.* 17. Boiel. *in ſum. dec. tom.* 2. *tit.* 15. *num.* 79. & Carena *p.* 2. *d. tit.* 7. *nu.* 65. Idque præcipue in S. Tribunali S. Officii, in quo nomina teſtium ſupprimuntur, ſicque ſi in uno reſtringuntur defenſiones reorum, in alio ſunt ampliandæ. At hoc eſt efficax motivum, quia hæc eſt una ex illis opinionibus, quæ non indigent probatione, ſed ſufficit, ſi non probetur contraria. Jus enim defenſionis non debet reſtringi à Doctoribus, niſi reſtringatur à lege, neque in his valet argumentum à ſimili.

Si verò blaſphemi ſunt de fide vehementer ſuſpecti, abjurant de vehementi, & hæc abjuratio publice fieri ſolet, vel in Eccleſia, vel in S. Officio coram Congregatione arbitrio Inquiſitorum. Suſpecti verò de levi abjurant de levi. Si quis autem ſemel tantum blaſphemavit in ira, non ſolet abjurare, ſed dimittetur cum pœnitentiis ſalutaribus, vel ſi ſit vilis, aliquando jubetur ſtare præ foribus Eccleſiæ. Qui verò pluries blaſphemavit, etiam in ira, abjurare debet de jure, ut per Eymer. *d. p.* 2. *ca. q.* 41. nihilominus Zanard. *in ſum. p.* 1. *cap.* 11. ait, quod blaſphemi in ira, ſemel, iterum ac tertio non ſolent abjurare. Quare in his conſuetudo Tribunalium ſervanda eſt. Idemque Zanardus *loc. cit. p.* 2. *cap.* 64. ab omni abjuratione excuſat blaſphemantes ex magna ebrietate, atque ex ira juſtiſſima, magnaque, ſi illico ac noverint ſe deliquiſſe coram præſentibus pectus obtunderint, vel alta voce dixerint; peccavi, Domine miſerere. Jure divino ſpiritus blaſphemiæ, & cùm quis ex malitia potiſſimum, & conſuetudine, vel corruptela blaſphema effutit, vix veniam vel in alio ſeculo obtinet Matth. *cap.* 12. niſi ſcilicet recte pœnituerit blaſphemus *can. certum d.* 10. *cap.* 1. §. *penul. de ſum. Trinit.* Et in Levitico *cap.* 24. Lex, ut qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum multitudo populi &c. Dixit Heli filiis ſuis: *ſi peccaverit quis in virum, placari illi poteſt Dominus. Si autem in Dominum, quis orabit pro eo?* 1. *Reg cap.* 2. Lingua Nicanoris, eo mortuo, miſere exſciſſa, qua templum Dei maledixerat, & templo affixa, manuſque quâ minatus templo blaſphematus, & qua in Judæos pugnaverat, amputata, Machab 2. *cap.* 15. *&* 1. *cap* 7. Et vir Dei dixit ad Regem Achab Iſraelis 3. Reg. 20. *Quia dixerunt Syri Deus montium ipſe eſt dominus eorum, & non eſt Deus vallium, dabo hanc multitudinem grandem in manu tua.* Diſplicuerunt Deo blaſphemiæ, quas dixerunt ſervi Sennacherib regis Aſſyriorum. Quamobrem & percuſſit ex eis Angelus Domini centum octuaginta quinque millia tempore Ezechiæ 4. Reg. 19. Non audebant etiam blaſphemi.

Jure civili ad blaſphemiam pertinet jurare per capillos, per caput Dei, & iis ſimilia. Deus enim Spiritus & ei membra tribuere, habet ſummam blaſphemiam, quam Juſtinianus ultimo ſupplicio vindicari jubet § *præterea, ut non luxur. contra natur. in auth. co.* 6 Judicibuſque etiam caſtigandi ſevere demandat propria Novella, & alia de ludo publicata ſanctione *l. fin.* §. *fin. C. d. relig. & ſump. fun.* Sed hanc pœnam abiiſſe in deſuetudinem, tradunt

dunt Lucas de Pegna *in l. omnes Judices C. de delat.* Menoch. *de arb. cap. 375. num.* 26. Sayr. *in clau. reg. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 12. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *quæſt.* 28. Carena *d. tit.* 7. *num.* 91. at Delbene *dub.* 218. *Sect.* 22. *num.* 5. & in hoc diverſorum Tribunalium diverſæ ſunt conſuetudines. In atrociſſimis verò aliquando puniuntur pœna triremium ad quinquennium, vel triennium, ut per Clar. *d. §. blaſphemia.*

Jure autem canonico Pius Summus Pontifex *in can. ſiquis per capillos* 22. *quæſt.* 1. Huic alia conjuncta, ut laici ſeptem diebus dominicis præ foribus Eccleſiæ in conſpectu populi recumbentes, ultimo illorum dierum dominico ſine pallio, & calceamentis, laqueo, ſeu loro collo involuto ac pendente, ſedentes non antea Eccleſiam ingredi paterentur, quam ſex feriis in pane & aqua jejunaſſent, & pauperes ſimul ſingulis diebus aliquos refeciſſent, ut antea jurantem per capillum, vel caput Dei dejerantem, vel alio modo blaſphemantem, Clericum deponi vult, laicum anathematizari. At per alias creaturas jurantem, digna caſtigatione affici. *in c. ſtatuimus* 2. *de maled.* Lex tamen iſta in laicos lata fuit, ut per Panorm. *ibid. nu.* 8. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 8. *num.* 12. Quod intelligitur de blaſphemis conſuetudinariis, & incorrigibilibus, Sayr. *d. cap.* 13. *num.* 14. Azor. *eod. cap.* 28. *quæſt.* 6. & tamen hæc pœna abiit quoque in deſuetudinem, Luc. de Pegña *in d. l. omnes judices.* Menoch. *d. cas.* 175. *n.* 16. Azor. *d. quæſt.* 6. Delben. *d. ſect.* 22. *num.* 10. In Concilio autem Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 19. ſive in Conſtitutione ejuſdem Pontificis §. *ad abolendam* clerici pro prima vice privantur omnium beneficiorum fructibus unius anni, ſecunda vice privantur beneficiis, & redduntur ad illa inhabiles. Id, quod non intelligitur pro prima vice blaſphemiæ, ſed pro prima vice punitionis, Lopez *ad Diaz c.* 3. Graff. *lib.* 1. *de caſ. reſer. num.* 21. & 55. & in ſimili Panorm. *in cap. cum non ab homine num.* 29. *de judic.* ac Delben. *d. ſect.* 22. *num.* 15. Laici verò puniuntur pœna triremium, vel carceris, ac pœna pecuniaria. Et graviter puniuntur Judices, qui non puniunt blaſphemos. In Conſtitutione verò Julii III. quæ incipit *in multis*, blaſphemus habetur tanquam infamis, & inhabilis ad quæcunque beneficia, honores, ac dignitates, & quod non poſſit eſſe teſtis. Quod ſanè intelligitur ſi blaſphemus ſemel fuerit in judicio condemnatus, Azor. *loc. cit. quæſt.* 19. Delben. *ibid. num.* 20. In conſtitutione tandem B. Pii V. *Cum primum Apoſtolatus* non modo confirmantur decreta Concilii Lateranenſis ſub Leone X. ſed etiam præcipitur, quod blaſphemi punientur pœnis graviſſimis. Sed quod hæc jura canonica non ſint hodie uſu recepta, tradunt Sayr. *ubi ſupra nu.* 10. Azor. *d. quæſt.* 6. Hinc eſt, quod pœnæ hujuſmodi ſunt arbitrariæ, Menoch. *d. cap.* 375. *num.* 39. ac Follet. *in pr. cr. in fragm. num.* 11.

Diſtinguendum igitur eſt inter blaſphemos conſuetudinarios, & de fide vehementer ſuſpectos. Iſti enim damnantur vel ad triremes per triennium, vel ſi ſunt honeſtæ conditionis gravi pœna pecuniaria; ſi viles, ad verbera; ſi nobiles, ad carceres. Videantur hac de re Zanard. *d. p.* 1. *ſum. cap.* 11. Salzed. *ad Diaz cap.* 113. Greg. Lopez *lib.* 2. *tit.* 28. *p.* 3. *gloſ.* 5. Royas *de hæret. p.* 2. *num.* 176. & Caren. *d. p.* 2. *tit.* 7. *num.* 72. ubi rectè notat, quod in hoc crimine nobilitas auget delictum, ac pœnam. At ſi blaſphemi ſunt tantum de levi ſuſpecti, puniuntur levi pœna pecuniaria & dimittuntur cum pœnitentiis ſalutaribus, quæ regulariter omnibus blaſphemis imponuntur, Lazar. *de blaſph. quæſt.* 6. *num.* 22. & Carena *d. tit.* 7. *nu.* 72.

Et quanquam nobiles gravius mereantur puniri, eis tamen condonantur pœnæ, quæ illis irrogant infamiam, & illarum loco aliis pœnis plectuntur. Unde pœna, ut die dominico maneant præ foribus Eccleſiæ, genibus flexis, & cum candela accenſa, quæ eſt conformis illi quæ imponitur *in d. cap.* 2. *de maled.* non imponitur nobilibus, neque Clericis, de quibus ibi non eſt ſermo, quoniam id eſſet in dedecus ordinis clericalis, ac in malum exemplum laicorum.

Minor autem ætas non excuſat ab abjuratione, ſi minor ſit pubes, & doli capax. Quod verò ad alias pœnas mitius punitur, Farinac. *de hæres. qu.* 194. *num.* 12. Sous. *lib.* 3. *aph. cap.* 32. *num.* 18. & Carena *d. tit.* 7. *num.* 84. Non ſic tamen excuſat conſuetudo vel blaſphemantis, vel loci in quo degit, qui blaſphemat. In iis enim, quæ ex ſua natura ſunt mala, & contra legem divinam, aut naturalem, conſuetudo quo eſt major, ac diuturnior, eo magis gravat, ac pejor eſt. Unde ad eam extirpandam potius pœnæ augeri debent, Clar. *in d. §. blaſphemia*, Menoch. *d. caſ.* 375. *numer.* 34. Albertin. *de agnoſc. aſſert. quæſt.* 6. *num* 26. & alii, quos ſequitur Farinac. *in pr. quæſt.* 20. *num.* 44. Sanctarel. *de hæres. lib.* 3. *cap.* 6. *dub.* 5. Lazar. *loc. cit. quæſt.* 3. *num.* 21. Carena *d. tit.* 7. *num.* 56. ac Delben. *d. ſect.* 22 *num.* 23.

Ira vero pœnam minuit, ſed non eodem modo ſi ſit ex injuſta cauſa, qualis regulariter eſt, quæ oritur ex ludo illicito. Qua in re conſiderari etiam debet, an ira ſit talis, quæ tollat omnino uſum rationis in primo impetu, anve illum minuat, ſicque valde minuat rationem voluntarii. Ubi verò adeſt conſuetudo blaſphemandi, & blaſphemus occaſionem negligit relinquere, conſuetudo illa malitiam auget, & blaſphemantem venia reddit indignum.

Sic quoque ebrietas penitus non excuſat. Si enim ebrietas tollat prorſus uſum rationis, excuſat omnino. Sed conſuetudinarius, vel qui ſcit, ſe in ebrietate blaſphemare, & nihilominus non vult abſtinere ab ebrietate, neque in foro interno excuſatur à culpa, neque in externo à pœna, maxime ſi correctus non emendatur. Et iſtis qui vel in ludo ex ira, vel in ebrietate blaſphemant, prohibendus eſt ludus, ac ebrietas ſub gravi pœna. Quoniam verò non eſt facile cognoſcere, an ebrietas abſtulerit revera uſum rationis, ideo tutiſſima ſententia eſt, ut ſemper imponatur blaſphemanti aliqua pœna, ſi blaſphemaverit per ebrietatem, per inſaniam, calorem iracundiæ, furorem, etiam dormiendo *arg. can. excommunicatorum* 23. *quæſt.* 5. Quod ſane verum eſt in dubio, ac ubi non conſtat de facto, quod facile conſtare poteſt in fatuo, & in dormiente. Cæterum hujuſmodi blaſphemi ex regula mitius ſunt puniendi, etiamſi non fuerint penitus privati uſu rationis cùm blaſphemaverint, ſemper tamen habita conſideratione conſuetudinis, ac poteſtatis vitandi ludos, ebrietatem, ac mentis alienationem. Nam aliàs non teneretur quis non dormire, cùm ſomnus ſit neceſſarius ad vitam conſervandam.

Qui vero ex lubrico linguæ, vel ex joco blaſphemant ſunt puniendi. Quia in his non minuitur voluntarium; immo in eo, qui ex joco blaſphemat, augetur, eſtque inferre Deo contumeliam

ex

ex joco, ac velle ludere in Dei dedecus, Pegna *p. 3. com. 17. lit. B.* Lazar. *dict. quaſt. 6. numero* 11. Salzed. *ad Diaz cap.* 113. Farin. *quaſt.* 179. *numer.* 45. Sanctarel. *de hareſ. lib. 3. cap. 8. num.* 3. Simanch. *de cath. inſtitut. titul.* 17. *num.* 23. Repert. Inquiſ. *v. hereticus*, Locatus *v. dolus num. 6. & v. fautores nu.* 8. *ac punitio n. item* 8. Carena *dict. tit. 7. numer.* 33. ac Delbene *dub.* 218. *ſect.* 15. *in corol. num.* 6. Hos tamen non eſſe puniendos, ut hæreticos, ſed levius, quia non concurrunt neceſſaria ad hæreſim, ſcilicet error in intellectu, ac pertinacia in voluntate, rectè annotavit Pegna *loc. cit.* ubi quod iſti puniuntur pœna pecuniaria, vel aliqua ſalutari, & quod pœna augenda eſt juxta qualitatem perſonæ jocantis, perſonarum aſtantium, & offenſionis datæ. Et quod modus dicendi hujuſmodi jocos, dicteria ſales, dicacitates, argutias, & qualitas perſonæ, multum valent ad minuendam pœnam, ut ſi repertè ac ſubitò, celeriter, inconſideratè, ac ſine deliberatione verba blaſphema prolata ſint; ſi quis natura ſua, & facie magis, quàm facetiis ridiculus ſit. Non tamen idcircò ſunt hæc impunita relinquenda, maximè in Theologis, doctis, ac religioſis viris. Debet quoque diligenter adverti genus facetiarum, quia gravius puniendus eſt, qui facetias hæreticales profert, quàm qui ſcandaloſas, vel erroneas.

Facilius etiam qui profert ex joco blaſphemias excuſari poteſt ab abjuratione, vel ab ejus qualitate, cùm iſti, ut diximus cum Pegna, non ſint puniendi, ut hæretici, quia deeſt error in intellectu & pertinacia in voluntate. Pertinet tamen ad ſic ſe excuſantem probare quod ex lubrico linguæ, vel joco blaſphemiam protulerit. Quare poſſunt Judices contra tales procedere. Quod in blaſphemiis hæreticalibus ſpectat ad Quæſitores fidei, ut per Pegnam *d. com. 17. num.* 35. Farinac. *quaſt. 179. num.* 48. Sanctarel. *dict. cap. 8. dub.* 2. Carena *dict. titul. 7. n.* 34. ac Delbene *dict. ſect. 15. in corol. num.* 8. ac nos *alibi*. Quicquid in contrarium ſine ſundamento dixerint Gundiſal. *quaſtione prima, numero octavo.* ac Decian. *libro quinto, capite trigeſimo ſeptimo.* Et probato adhuc joco, non ſunt exempti à pœna, ſed puniri debent arbitrio Inquiſitorum, Pegna *loc. cit.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. quaſtione trigeſima ſexta, numero undecimo.* Roias *de hæret. p. prima, numero quadrageſimo quinto, & ſexageſimo ſexto.* ac Delbene *ubi ſupra.* ſi tamen illico ſe correxerint, minori pœna ſunt puniendi, vel cum gravi reprehenſione dimittendi, Pegna *eo loco*, Farinac. *ibidem num.* 46. & Simanch. *d. tit. 17. n.* 19.

Blaſphemi autem hæreticales non gaudent immunitate Eccleſiæ, quia ſunt ſuſpecti de fide. Unde à miniſtris S. Officii extrahi poſſunt ab Eccleſia, & carceribus mancipari, ut per Catenam *d. tit. 7. n.* 56. ac Peregrin. *de immun. cap.* 12. & nos *alibi* quoque. Nec modò Chriſtiani, ſed Judæi etiam, & Saraceni, ſi blaſphemias, aut vocem impiam, ac nefariam in Deum, Superoſve miſerint, vel jactarent puniendi ſunt etiam à Judice Eccleſiaſtico & ab Inquiſitore, ſi blaſphemiæ ſint hæreticales, vel in contemptum fidei chriſtianæ prolatæ, ut alibi probavimus.

Porrò blaſphemia maledictio eſt, & execratio, atque ſacrilega detractio ac probroſa & calumnioſa quæ diverſa eſt, ac diverſam pœnam habet pro modo ejus, cui infertur. Ut erga Deum major in eo conſiſtens, cùm probroſe Deo tribuitur, quod non convenit, vel detrahitur, quod ei convenit. Sic in Sanctorum, & Religionis cauſa quoque perpendendum. Sicut enim in Principem quam in ejus Magiſtratum majus crimen majeſtatis, ſic in Deum ipſum major blaſphemia quàm in Sanctos. Tanta autem hujus criminis exiſtimatur atrocitas, ut Juſtinianus dixerit *in §. preterea*, ut non luxurientur contra naturam *in auth. coll.* 6. inultum Deum hoc non relinquere, & per hoc peſtem, famem, & terræ motus, aliaſque plagas à Deo hominibus immitti. Et commentator pragmaticæ ſanctionis gloſ. *in §. quibus, v. excoluerunt in proœm.* refert Robertum Regem Galliarum, filium Capeti, orantem pro pace Regni, reſponſum à crucifixi imagine accepiſſe, non futuram eam, donec notoriè crimina, & blaſphemias extirpaſſet. Sic qui errant, & in errorem mittunt, diſcunt blaſphemare *can. apoſtolica 24. quaſtione tertia, can. qui peccat. 23. quaſtione quarta.* Decem ſpecies blaſphemiæ collegit Lucas de Penna *in leg. omnes Judices C. de delat.* quas tamen ad tres contraxit Angelus Clavaſius *in ſum. 2. blaſphemia numero 3:* ex D. Ambroſio, & ex D. Thoma, nempe tribuere Deo, quod ei non convenit, detrahere, quæ ejus ſunt, tribuere creaturæ, quæ conveniunt Creatori.

Hinc ne audebant quidem blaſphemiam nominare antiqui, ſed per ironiam benedictionem dicebant, ut in calumnia Naboth legimus: *Benedixit Naboth Deum, & regem: educite eum, & lapidate ſicque moriatur* 3. Reg. *cap.* 21. Judæi, qui Deum verum colebant, valde hoc crimen execrabantur, ut dum blaſphemias intelligerent, obturarent aures, & ſcinderent veſtimenta ſua, ut ex lectione ſacræ Scripturæ paſſim obſervatum eſt, Matth. 26. veluti ob res luctuoſas, & maximè diſplicentes ſoliti erant facere *Num.* 14. *Joſue* 7. *Judic.* 11. 4. *Reg.* 2. *&* 5. *&* 29. *Heſter.* 4. Minatur Deus ob blaſphemias Moabitis filiorum Amon interitum, qualem Gomorræ, & Sodomæ, *Sophon. cap.* 4. Legem tulit Nabuchodonoſor, ut qui Deum Sidraci, Abdenagi, Azariæ, & Mizaelis blaſphemaſſent, occiderentur, & domus eorum deſtruerentur *Daniel.* 3. *can. non invenitur* 23. *q.* 4.

Nec mirum videri debet, ſi ſevera animadverſio indicta ſit blaſphemis. Nam ſi fures, & latrones, reliquique id genus morte puniuntur, aut plagis, quanto magis impii, qui Deum membratim diſcerpunt, & blaſphemant, Judæis deteriores, Oſtienſ. *in ſum. tit. de exceſſ. Pralat. §. Clericus*, qui non comminuerunt Domini, ne minimum quidem os? Iſti autem conſultò per membra, & fruſta verbo, quia re non poſſunt, diſcerpere annituntur. Atque ſi convitia in homines mortales dicta puniuntur, nonne æquum eſt, impune non abire, qui divinam offendunt tam ſceleſtè Majeſtatem *auth. Gazaros C. de hæret.* Atque hinc ſumpſit occaſionem necis Naboth Jeſabel. Nam calumniam confinxit, eum blaſphemaſſe Deum, & Regem 3. *Reg.* 21.

Exemplum ultionis blaſphemiæ refert Nicephorus *lib. 18. hiſt. Eccleſ. cap.* 33. quod contingit tempore Marci Cæſaris. Cùm enim quidam Græci, & Gentiles convivantes, poſt prandium blaſphemias plures in Virginem, Dei genitricem jactaſſent, cùm impietas illa innotuit, illi quidem debitas pœnas dedere. Ædium autem, in quibus blaſphemiæ dictæ fuerunt, Dominus à ſacris noſtris non alienus, tum quidem, quia caſus ita tulerit, periculum effugit. Non multum verò poſt ei dormienti in ſomniis Dei genitrix adſtitit, cui diligentius ecquid quænam eſſet percunctanti poſtquam ipſe ſe eam noſſe profeſſus eſt, illa ei indignitatem contumeliarum in mentem revocavit. Tum ille miſer, ſupplex illi eſſe, veniamque delicti petere cœpit. Illa daturam ſe hoc ei, neque in præſentia ipſum ita morte pœnas luiturum promittere. Vimine autem, quod manu geſtare videbatur, genua ipſius circumcirca veluti exarans circumſcribere.

Id ubi factum, poſtea avolans, non apparuit. At ille ſomno diſcuſſo membra illa, quæ vimine notata fuerant, ſtatim à reliquo corpore dirupta invenit, recenti ſanguine profluente, & in publicum productus, juſtum omnibus judicium promulgavit. Aliud exemplum pueri ob blaſphemias à dæmonibus rapti, narrat D. Gregorius *libro quarto, Dialog.* Vide & alia apud Vincentium *in ſpeculo hiſtoriali.*

Divus autem Chryſoſtomus *tom. 5. oper. hom. 1. ad popul. Antioch.* non modo publicæ poteſtati, ſed cuivis privato punitionem ejus aliquam committit. Cum enim præmiſiſſet ſicut divinæ laudationi, & glorificationi nullum eſt par bonum, ita blaſphemia nihil eſſe pejus, contraponitur enim laudationi & glorificationi blaſphemia, ſicut honoris delationi contumelia, & convicium, quid faciendum ſit de iſtis blaſphemis, ſic expreſſit. *Quia de blaſphemia dictum eſt, unam vos omnes petere volo retributionem pro concione hac, atque ſermone: ut in civitate blaſphemantes mihi caſtigetis, & ſi quenquam in bivio, vel foro Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa, & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes, ipſius faciem alapa percutere, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi illi accuſaverint, & in carcerem duxerint, ſequere & ſi pœnas Index pro tribunali repoſcerit, dic cum libertate, quod regem Angelorum blaſphemavit. Si enim regem terræ blaſphemantem puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen eſt publica injuria, cuique licet accuſare volenti.*

Nemo hæc à Chryſoſtomo in blaſphemiam ſtatui mirabitur, qui audiverit Philonem *lib. 3. de vita Moſis*, longè ſeverius ſtatuentem. *Siquis*, inquit, *non dico blaſphemaverit hominum, Deorumque Dominum ſed auſus fuerit vel nomen ejus intempeſtivè promere, noxam luat capite. Quandoquidem ne mortalium quidam parentum nomina proferunt, ii quibus cordi eſt pietas, ſed omiſſis propriis, honoris gratia utuntur naturalibus, patrem appellantes, matremque atque ita profitentur accepta immenſa beneficia, ſimulque ſuam gratitudinem. Quomodo igitur merentur veniam, qui temere abutuntur ſanctiſſimo Dei nomine, tantum ad explendum ſermonem, non aliter quàm profanis vocibus?* Armat etiam omnes Theodoretus in blaſphemos *orat. 1. de provid. ipſo initio*, ubi poſt illuſtrationem divinæ erga nos beneficentiæ, ac eminentiſſimæ dignitatis Deum exornantis, infert quàm deteſtanda cuivis ſit blaſphemia. Et ut argumentatur Auguſtinus *lib. 2. civit. cap. 9. in fine*: *Cum probrum jacitur in Principem patriæ bonum, atque utilem, nonne tantò eſt indignius, quanto à veritate remotius, & à vita illius alienius. Quæ igitur ſupplicia ſufficiunt, cùm Deo ſit iſta tam nefaria, tam inſignis injuria?*

Carolus V. & Maximilianus in Conſtitutione politica, edita in Comitiis Vindeliciorum anno 1548. *titulo primo, capite primo, ſecundo, tertio, & quarto*, acriter blaſphemos puniri jubent, & audientes, nec accuſantes, & Judices vindictam conniventes.

Philippus ſecundus Rex Galliarum apud Guagnin. *in ejus vita*, ſtatuit, ut ſi quis impietatis blaſphemiæ reus eſſet, in fluvium, vel paludem citra mortem demergeretur, excepto reo uſque ad ſubuculam nudato cavea cancellata magna ferrea, trina merſione ita illum caſtigantes.

Philippus Sextus Valeſius blaſphemos in Deum, Virginem Mariam, & Divos conſtitutione ſua primùm ad torquem, ſeu numellas verſatiles publicè adjudicari voluit à prima hora uſque ad nonam per menſem. Quod ſi iterato in crimen incidiſſet, ad eaſdem numellas verſatiles retracto ſtatuit die nundinarum coram frequenti populo ſuprema labra findi ferro candente, ut dentes appareant. Tertia vice labium inferius. Quarta abſcindi utrumque labium. Quinta linguam, ut per eam, per quam peccavit, torqueatur.

Idem ſtatuit, paucis immutatis, Carolus VII. & Franciſcus I. & Henricus II. aliique Reges, ut ex eorum conſtitutionibus de blaſphemias apparet, quas collegit Nicolaus Boerius *deciſione ducenteſima prima, numero decimo quinto, & ſequent.*

Divus Ludovicus, Rex Galliarum etiam, ſiquis numinis, divorumque nomen nefariè, aut jurejurando, aut execrando uſurpabant, eorum fronti candenti lamina notam inuri voluit, ut refert Paulus Æmilius *libro ſeptimo, hiſt. Franc. in ejus vita.* Fuerunt aliæ conſtitutiones regiæ, quæ antequam ad pœnam corporalem perveniant, prius per mulctas non valdè execrabiles beſtemmias tentant emendare. Graves tamen, quæ hæreſim continent, mortis pœnam expertæ ſunt ſæpè in ipſa Gallia, quandiu valuit in ea jus, ut placita ſupremorum Ordinum, ac Senatuum ea de re habita docent apud Papon. *libro primo, rapſod. Areſt. tit. 2. art. 1.*

Supereſt, ut iterum moneam in hoc crimine conſiderandum eſſe, num perjuriis iſtis, & execrationibus quis aſſiduus fuerit, ut ſeverius veluti pertinax, corrigatur. Item num iracundia nimia, quæ ad dementiam accedit, an dementia blaſphemias pronunciaverit, ut tunc levius puniatur, *arg. can. ſiquis iratus 2. queſtione tertia l. ſi non convitii C. de injur.* caſtigetur tamen. Quia quod iracundia pronunciatur in execrationibus, in ira ſolet originem habere. Dementiam autem excuſare rectè quidam putant *l. infans ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* cum ſimilibus, non iram, Oſtienſ. *in ſum. tit. de maled. verſ. hoc autem*, Luc de Penna *in dict. leg. omnes Iudices C. de delat.* Videndi Diaz. *in prim. crimin. can. capite centeſimo tercio.* Jodoc. Damhund. *in pr. & enchir.* Nicol. Jacob. *de Monte* Alban. *conſ.* 48. & Butrigar. *in capite ſecundo, de maledic.* Sicut nec ebrietatem, Luc. de Pen. *loc. cit.* Nam etſi mitior pœna interdum delicto commiſſo per ebrietatem imponatur *l. omne delict. in §. per vinum ff. de re milit. can. ſanè, & can. inebriaverunt 22. quæſtione quarta*, in aliis tamen excuſatio ebrietatis culpam non minuit, ſed auget: Vitium ebrietas eſt, & vix permittit Eccleſia orare pro iis, qui in ebrietate moriuntur *capite primo, de reliq. & vener. ſanct.* ut nec pro iis, qui ſe ipſos occidunt *can. placuit, & can. ſi non licet 23. quæſtione prima.*

In ſumma ſi probe de hoc crimine, ut de aliis velis judicare, conſidera res ipſas, videlicet Blaſphemias ipſas, num atroces levioresve ſint. Subinde perſonas, quæ ſint, num errones, perditi homines, integræ vitæ, hæretici &c. Poſtremò negotium, qua mente dictæ, prolatæve ſint, in qua cauſa, in ludo, in contentione, in ira, in furore, conſultò, per jocum &c. Dejeratio verò ad blaſphemiam leviorem pertinet, quæ eſt conſuetudo peſſima pro leviſſimis, aut nihili rebus invocandi in teſtimonium Deum, aut Divos, aut jurare per cœlum, per terram, & alia, quæ Deus prohibet, in ſpecie D. Math. *cap. 5.* D. Jacob. *cap. item 5.* & nè nomen Dei in vanum ſumatur, Exod. *cap 20.*

Quod ſi virus blaſphemiæ execratione cumuletur, nihil deerit ad atrocitatis cumulum, meritoque Philo *lib.* 3 *de vita Moſis*, qui eò uſque pertingit, nihil ſibi reliquum ad malignitatis conſummationem facere ait: Et expendens ſceleris illius malitiam, ac virus miratur, quomodo ad tam nefariam vocem aliquando prolatam, lingua loquentis non ſit tacta paralyſi, & aures audituri non ſint obſtructæ. Meritiſſimò igitur hæc & omnis alia blaſphemia jure humano exquiſite punitur, ut videre eſt apud Covar. *in cap. quamvis pactum p.* 2. *§.* 7. *à nu.* 10. Torel. *lib.* 3. *de magiſtrat. cap.* 2. & Simanch. *in cath. inſtit. tit.* 10. De hac revide *Conſult.* 143. *tom.* 8. ubi etiam effara.

Atque has tantùm pœnas contra impios delibavi. Verùm reorum alii ſunt tam ſanabiles, ut facilè virgis gratiæ emendari queant, alii verò tàm inſanabiles, ut nonniſi ſecuribus iræ decollari debeant. Quid? quod increſcentibus delictis, exaſperantur ſupplicia. Utinam autem omnia cujuſvis Chriſtianæ Reipublicæ membra eſſent tàm pia & honeſta, ut multis carceribus, lictoribus, carnificibus, compedibus equuleis, pegmatibus, culeis, faſcibus, enſibus, trochleis, patibulis, funibus, rotis, ignibus, cauteriis, forcipibus opus non eſſet; Vah immane Chriſtiani populi dedecus!

At effutiet nonnemo. Quorſum iſta? Ad quid tot pœnarum genera. Experientia enim ſatis edocti ſumus, ferrum, flammas, exilia, proſcriptiones irritaſſe potius, quàm ſanaſſe morbum menti inhærentem, ad quem proinde curandum, non iis, quæ in corpus tantùm penetrant, ſed doctrina & ſedula inſtitutione, quæ in animum leniter inſtillata deſcendit, opus eſſe. Alia quippe omnia pro arbitrio civilis Magiſtratus, atque adeo Principis ſanciuntur, ſola religio non imperatur, ſed ex percepta veritatis opinione accedente divini Numinis gratia, bene præparatis mentibus infunditur. Ad eam cruciatus nihil valent, quin ob firmant potius animos, quàm frangunt, aut perſuadent. Nam ubi quis religione ducitur, in eo nullum habent momentum vexatio, & dolor & quicquid aliud incommodi eſt, virtute, quæ ab illa percepta opinione ingeneratur, obruitur. Nihil illi eorum, quæ ferenda ſunt, diſplicet. Quicquid cadere in hominem poteſt, in ſe cecidiſſe non queritur. Vires ſuas novit, dumque ſe Dei gratia fretum putat, oneri ferendo ſe quoque parem futurum confidit. Stet illic, licet carnifex, licet tortor ferrum & flammam admoveat, perſeverabit; nec quid paſſurus, ſed quid facturus ſit cogitabit. Felicitas illi quippe domeſtica eſt, & ſi quid extrinſecus intervenit, leve eſt, & ſummam tantum autem ſtringit.

Nec putamus minores animo fuiſſe, qui centum & quinquaginta ab hinc annis ob religionis cauſam diverſis ſuppliciis perierunt, aut porrò futuros, ſi in iis perſeveretur. Audire eſt operæ pretium quid unus ex iis dixerit, fecceritque, cùm igni cremandus ad palum alligaretur. ibi genibus flexis canere cæpit hymnum, quem fumus, &c. ignis vix interrupit. Et cùm carnifex ignem poſt tergum, ne conſpiceretur, immittere vellet: Huc, inquit, accede, & ante oculos accende ignem. Si enim illum timuiſſem, nunquam ad hunc locum, quem fugere licuit, acceſſiſſem.

Itaque non cruciatibus repreſſus ardor res novas in religionis cauſa molientium, ſed potius obdurati animi ad majora patienda, ſive audenda. Nam ubi ex cineribus aliorum alii enati ſunt, & numerus crevit, patientia in furorem evaſit, nec jam ſimplices, antea, ſed importuni expoſtulatores, & flagitatores eſſe cœperunt, & qui ſupplicia prius fugiebant, ultrò etiam arma intulerunt. Id jam quadraginta totos annos in Gallia paulo minus in Belgio viſum eſt, reſque eo tandem devenit, ut non unius, aut alterius pœna, quod fortaſſe ab initio licuit, malum, ne latius ſerperet, reſecari potuit, ſed cùm totos populos, totas nationes atque adeò maximam Europæ partem pervaſerit, non jam Magiſtratus ferro, ſed gladio Dominico opus eſt. Nam doceri, & moderata ratione ad colloquia, & amicas collationes invitari debent, qui cogi non poſſunt.

Fecit hoc B. Auguſtinus ad Proculianum, partis Donatianæ ſectarium: ſcribens, qui etiam pro iis rogabat Donatum africæ procos, ne occiderentur. Decere quippe veræ religionis cultores, ut à perpetuo propoſito non recedant vincendi in bono malum, & quod alibi ad Cœcilianum præſidem ſcribit, ut tumor ſacrilegæ vanitatis terrendo potius ſanetur, quàm ulciſcendo reſecetur. Itaque in luculenta illa ad Bonifacium epiſtola idem ſubdit, in hujuſmodi cauſis, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus, aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, & majoribus malis ſanandis charitate ſubveniendum Quod adeò in Eccleſia obtinuit, ut ea ſententia ſemel atque iterum in Gratiani decretum tranſcripta ſit. Quippe ita cenſebat vir pio, ac miti ingenio; ea mala non aſperè, duriter, aut imperioſe tollenda eſſe magiſque docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando profici. Sicque cum multitudine peccantium agendum. Severitatem autem exercendam eſſe in peccata paucorum, ac ſi quando minæ ab iis, qui præſunt, adhibeantur, id cum dolore fieri oportere, ultioniſque metum ex Scripturis intentari debere, ne ipſi in ſua poteſtate, Sed Deus in eorum ſermone timeatur, ſicuti *in epiſtola ad Aurelium Epiſcopum* ait.

Et certè, ſi verum amamus in ſacræ antiquitatis vetuſtis omnibus monumentis nullum ſupplicii de ſectariis ſumpti, ac probati exemplum extare fateamur, neceſſe eſt, Eccleſiamque priſcam à cruore fundendo ſemper abhorruiſſe. Quod ſi quando accidit, id pii verè Epiſcopi deteſtati ſunt, ut in Priſcilliano patuit, qui exitiabilis doctrinæ autor, cùm per Galliæ Eccleſias, ac præcipuè in Aquitania, perfidiæ ſuæ ſemina ſparſiſſet, à Maximo, qui occiſo Lugduni Gratiano, imperium uſurpaverat, alioqui bono Principe, Auguſtæ Trevirorum cum ſectatoribus ſuis capitali ſupplicio affectus eſt circa annum Chriſti 383. Licet B. Martinus ab Imperatore ſponſionem elicuiſſet, nihil cruentum contra reos conſtitutum iri, & Itacium Epiſcopum, alioſque inſtigatores ſedulo monuiſſet, ut ab accuſatione deſiſterent. Nam & id cœteri Epiſcopi tanquam inique factum improbaverunt. Et quanquam Itacius (callido jam ſcelere perfecto invidiam veritus) fruſtra ſe ſubtraxiſſet, tamen poſtea à Theogniſto damnatus eſt, vixque B. Martinus, ac niſi extrema neceſſitate cogente cum illa Itacianæ partis communione miſceri voluit. Ipſe B. Ambroſius à Valentiniano Imperatore puero Gratiani interfecti fratre ad Maximum ſub id miſſus, in relatione ſua teſtatur, cùm Treviris eſſet, abſtinuiſſe ſe ab iis Epiſcopis, qui Itacio communicabant, & à fide devios ad necem petebant. Cùm verò ex furialium illorum

Epiſcoporum ſententia Maximus poſtea decreviſſet Tribunos ſumma poteſtate armaros ad Hiſpanias mittere, qui hærerieos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent, idem B. Martinus apud eum tenuit, ut decretum revocaretur. Erat quippe viro pio ſollicitudo, ut non ſolum Chriſtianos, qui ſub illa erant occaſione vexandi, ſed etiam ipſos hæreticos liberaret, & animo prævidebat tempeſtatem illam, niſi averteretur, maximam Sanctorum turbam depopulaturam eſſe, parvo tunc inter hominum genera diſcrimine, cùm quiſque ſolis oculis dijudicaretur, & pallore potius aut veſte, quam fide hæreticus æſtimaretur.

Priſcilliano autem occiſo, non ſolùm non coercita eſt hæreſis, quæ illo autore, proruperat, ſed confirmata, ac latius propagara eſt, & Sectatores ejus, qui illum, ut Sanctum prius honoraverant, poſtea, ut Martyrem colere cœperunt, corporibus peremptorum in Hiſpaniam relatis, & magnis exeqoiis celebrato eorum funere. Quin & eò provecta eſt adſectantium ſuperſtitio, ut per Priſcillianum jurare ſumma religio haberetur, ex eoque inter Gallicanæ Eccleſiæ Epiſcopos perpetuum diſcordiarum bellum exatſerit, quod totos quindecim annos agitatum vix dum ſopiri diu poſt potuir, plebe Dei interim, & optimis quibuſque ad probrum, & ludibrium expoſitis. Quæ verba apud Sulpitium Severum, qui res illius ævi pari elegantia ac fide ſcripſit leguntur. A B. Martini temporibus deinceps mitius cum deviis à fide in Eccleſia actum eſt, tantúmque aut loco pulſi, aut pecunia multati ſunt, ſanguini ſemper parcitum fuit, cumque anno ſalutis 1060. quidam ex Berengarii Archidiaconi ſectatoribus illius doctrinam in Eburonibus, Atuaticis, & aliis Belgii, populis diſſeminarent, Bruno Trevirorum Archiepiſcopus eos diœceſi ſua expellere ſatis habuit, cœterum cruore abſtinuit, nec ſeverius ii deinceps ab Eccleſia habiti, donec ad Vualdenſium tempora ventum eſt, contra quos cum exquiſita ſupplicia parum proficerent, & remedio, quod intempeſtivè adhibitum fuerat, malum exacerbaretur, numeruſque eorum in dies creſceret, juſti tandem exercitus conſcripti ſunt, nec minoris molis bellum, quàm quod antea noſtri adverſus Saracenos geſſerant, contra eoſdem decretum eſt, cujus is exitus fuit, ut potius cæſi, ſugati bonis, ac dignitatibus ubique ſpoliati, atque huc illuc diſſipati ſint, quàm erroris convicti reſipuerint, Itaque qui armis victi in Provinciam apud Gallos, & Gallicæ ditionis Alpes vicinas confugerunt, latebraſque vitæ, ac doctrinæ ſuæ iis in locis repererunt; pars in Calabriam conceſſit, in eaque diu, atque adeò uſque ad Pii IV. Pontificatum ſe continuit; pars in Germaniam tranſiit, atque apud Boemos, in Polonia, & Livonia larem fixit. Alii ad occidentem verſi in Britannia perfugiom habuerunt. Nam ab eorum reliquiis ortus Joannnes Vuiclevus putàtur, qui diu Oxoniæ docuit, & anre ter centeſimos annos poſt varias de Religione concertationes morte ſatali deceſſit. In mortuum enim tantum à Magiſtratu animadverſum fuit, oſſibus ejus diu, poſtquam obiit, publicè crematis.

Hinc alii, atque alii, ſecuti ſunt uſque ad noſtram ætatem, qua poſt infeliciter tentatam ſuppliciorum ſeveritatem, res à diſputationibus ad aperta bella, & totas populorum defectiones in Germania, Anglia, & Gallia devenir, incertum, majore publicæ tranquillitatis, an religionis ipſius detrimento, ſciſſura inde facta, ac confirmata, & ab iis, qui poterant, & debebant diu neglecta

Quæ non tam dicuntur ad retractandam toties de ſectariis ſupplicio afficiendis vexatam quæſtionem. Neque enim id tempori convenir, quàm ut oſtendatur prudentiſſimè, & ex inſtituto veteris Eccleſiæ Principes eos feciſſe, qui bella ob religionem exorta potius vel cum iniquiſſimis conditionibus amicè componi, quàm armorum vi confici debere cenſuerunt.

Id vidit Ferdinandus ſapientiſſimus Princeps, qui bellis longè maximis ac periculoſiſſimis ſub Carolo V. fratre in Germania exercitatus, cùm experientia didiciſſet, cœpta armis adverſus Proteſtantes hactenus male ceſſiſſe, poſtquam felicibus auſpiciis imperium inivit, religionis pacem ſolemni decreto ſanxit, quam repetitis vicibus ſemper poſtca confirmavit. Et cum videret melius per amica colloquia religionis negotium procedere, ejuſque rei aliquoties ſub fratre indictis Ratisponæ, & Vormatiæ olim conventibus, periculum feciſſet, paulo ante mortem poſt peractum Tridenti Concilium Proteſtantibus, qui ad illud non venerunt, ſatisfacere cupiens, novum rurſus cum iis colloquium ex Maximiliani filii prudentiſſimi Principis conſilio inſtituere voluit, ad idque Georgium Caſſandrum virum doctum, & moderatum delegit, qui cum adverſæ partis Paſtoribus controverſa Auguſtanæ confeſſionis capita amicè retractaret, ſed adverſa viri optimi valetudo, & utriuſque accelerata mors fructum ex eo ſperatum Germaniæ invidit Idem Germanorum exemplo poſtea, Poloni optimates in ſua Republica ſtatuerunt.

Emanuel autem Philibertos, Sabaudiæ Dux, poſtquam pacis cum Gallis factæ beneficio in antiquam ditionis amiſſæ, profeſſionem reſtitutus eſt, cum ſive ad excitandam ſui in Italia famam, ſivè ut aliis, vel cum periculo ſuo, gratificaretur, damnoſo ſe adverſus convallenſes bello temerè implicuiſſet, matura pœnitentia errorem emendavit, permiſſa innocentibus alioquin populis religionis libertate, pacemque cum iis factam deinceps religioſè ſervavit.

Quid de Gallia? Quid de Belgio? Proteſtantes quippè qui per pacem numero & autoritate in dies minuebantur, inter arma, ac diſſenſiones ſemper creviſſe, & ſivè præpoſtero religionis ardore, ſive ambitione, ac rerum novandarum ſtudio, longè perniciosiſſimo errore peccatum eſſe qui bellum internecinum contra Proteſtantes ſæpius ſuſceptum, ac compoſitum toties infauſtis auſpiciis magno religionis ipſius periculo renovarunt. Quid verbis opus? Res clamat ipſa. Quod nè accideret veritus multo ante Franciſcus Balduinus Atrebas clari nominis Juriſconſultus conſilium dederat Belgii Proceribus, ut libello ſupplici porrecto libertatem Proteſtantibus, qui tunc ubique exagitabantur, Philippo impetrarent, ſuppliciorum, & in ſuſpectos inquirendi intermiſſa ſeveritate, eaque de re librum gallicè conſcripſerat, quo demonſtrabat, colloquiis,

& æquabili

& æquabili jute inter diſſentientes conſtituto, religionis per controverſias jactatæ negotium melius, quam vi, & armorum via confici poſſe, in qua ſi pergeretur, fore prævidebat, ut proteſtantium vires, tunc exiguæ, & húc illúc ſparſæ per factiones jungerentur, & à concertationibus verborum ad arma, & defenſiones olim deveniretur. Quod factum. Nam eorum furore urbes direptæ, templa, quibus primorum motuum rabies pepercerat, à fundamentis everſa, deſolatæ provinciæ, & renovata odia, quæ pace ſopita fuerant, ſuſpiciones auctæ, & arma poſita, ut acrius reaſſumerentur.

Sed quid de modo judicandi; Ad id optimè facit quod inquit Lactantius *lib. 5. divin. Inſtit. à principio. Timebant enim Chriſtiani, de quorum ſceleribus, tam alte Opinio Gentilium animis infixa fuit, ut ſi excuſantes ſe, aut rationem fidei reddentes, audirent, inexpiabili ſcelere contaminari, atque adſtringi ſe ſe putarent, ſolumque nomen Chriſtiani ad probandas criminationes illis impictas, ſatis eſſe crederent. Timebant enim,* (ait eloquentiſſimus Pater, *ne a nobis revicti, manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur. Obſtrepunt igitur, & intercedunt ne audiant, & oculos ſuos opprimunt, ne lumen videant, quod offerimus. Quo plane ipſi diffidentiam ſuæ perdita rationis oſtendunt, cum neque cognoſcere, neque congredi audent, quia ſciunt ſe facile ſuperari. Et idcircò diſceptatione ſublata, pellitur è medio ſapientia, vi geritur res, ut ait Ennius. Et quia ſtudent damnare, tanquam nocentes quos utique ſciunt innocentes, conſtare de ipſa innocentia nolunt. Quaſi verò major iniquitas ſit, probatam innocentiam damnaſſe, quàm inauditam, ſed, ut dixi, verentur, ne ſi audierint damnare non poſſint. Et ideò cultores Dei Summi, hoc eſt juſtos homines torquent, interficiunt exterminant, nec cauſas odiorum reddere ipſi poſſunt, qui tam vehementer oderunt, quia ipſi errant, iraſcuntur iis, qui veram viam ſequuntur, & cum corrigere ſe poſſint, errores ſuos inſuper crudelibus factis coacervant, innocentium cruore maculantur, & dicatas, Deo mentes eviſceratis corporibus extorquent.* Hæc Lactantius. Atqui, privatis etiam, ac profanis in rebus dari tempus, edi crimina, quamvis inviſos ac nocentes more tamen audiendos cenſent æqui rerum Iudices, ait Tacitus 2. *hiſt.* id multò magis in Religionis negotio faciendum fuerit, omninoque intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmogere lectionem, non eſt Religionem defendere, ſed veritatis teſtificationem timere, inquit Arnobius *adverſus gentes libro tertio*, Et revera quidem, ut ſub malis olim Principibus, majeſtatis crimen, ita hæc Inquiſitio vinculum eſt, ac neceſſitas ſilendi, Tacit. 3. *annal.* bonorum Catholicorum judicio in id potiſſimum inventa, ut everſis iſta ratione omnium fortunis, liberis capitibus periculum creetur, Thuanus *hiſtor. libro ſecundo*, apud quem Neapolitani tumultus eam ob cauſam.

Legiſti, mi Lector, non rationes, non Theologiam Chriſtianam, ſed impia quadam audacia offucias, & ſapientiam ſtoicam. Epicurus enim ipſe ab aliis Philoſophis tanquam impurior notatus de ſuo ſapiente ait, eum ſi in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum, dulce eſt, & ad me nihil pertinet. Tota igitur hæc ratio eſt inventa fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad errorem, fraudeque ac mendaciis tota conſtat. Nos Machinas, & præſtigias ſuperiùs ex ſacra Scriptura, ex Conciliis, ex Principum Conſtitutionibus, ex uſu Eccleſiæ & rationibus exploſimus, approbante ipſo Auguſtino, qui ſuam in hoc ſententiam, experientiæ ductus, motavit; adeò ut nihil opus nunc eſt addere ad earum confutationem. Quod verò ad modum procedendi legeris Conſultationem de reorum defenſione, & aliis &c & fateberis, quam permaximè, ac immanè abhorreat S. Officium ab hiſce calumniis.

CONSULTATIO CXC.

De Impedientibus Sanctam Inquiſitionis Officium. Quibus modis impediatur. An & quatenus ſint hæreticorum fautores? Pœnæ in eos ſtatutæ. Quæ actiones prohibeantur, quæve incurrantur pœnæ? Ubi diſtincte, explicatè, & abundanter diſceptatur de omnibus pene dixerim caſibus, qui hac de re contingere poſſint, etiam remiſſivè, adducuntur paſſimque aliquot de Bullis Pontificiis & clauſulis quibuſdam ad S. Officium pertinentibus, de Cruce ſignatis rebuſque aliis.

IN *cap. ut Inquiſitionis de heret. in 6.* Primò præcipitur Poteſtatibus ſecularibus, ac Dominis temporalibus, ut Epiſcopis diœceſanis, & Inquiſitoribus contra hæreticam pravitatem à Sede Apoſtolica deputatis præ defenſione fidei pareant, & intendant in inveſtigandis, capiendis ac diligenter cuſtodiendis, vel ad carceres S. Officii deducendis per ſuum territorium ſine mora, & in poteſtatem S. Officii tradendis hæreticis, eorumque fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus, quando ab Epiſcopis, & Inquiſitoribus prædictis fuerint requiſiti.

Secundo præcipitur eiſdem, ut ab Epiſcopo, vel Inquiſitore de hæreſi comdemnatos, & ſibi tanquam Curiæ ſeculari puniendos relictos, ſtatim recipiant, indilatè ſupplicio debito puniendos, non obſtante appellatione quacunque.

Tertio, ne cognoſcant, vel indicent quoquo modo de crimine hæreſis, cùm ſit crimen Eccleſiaſticum, neque carceratos pro eodem crimine, ſive captos liberent ſine licentia, ſine mandato Epiſcopi, vel Inquiſitoris.

Quartò, ne aliàs Diœceſanorum, vel Inquiſitorum Iudicum ſententiam, ſive proceſſum directè, vel indirectè impedire præſumant, vel ſe eis opponere. Quod ſi contra prædicta fecerint, ipſi & ii, qui ſcienter in tali contraventione dederint auxilium, conſilium, vel favorem, excommunicationis noverint ſe mucrone percuſſos, quæ eſt latæ ſententiæ, ut notant Tiraquel. *in l. ſi unquam num. 72 v. revertatur, C. de revoc. donat.* & ſi per annum eam excommunicationem animo ſuſtinuerint indurato, ex tunc velut hæretici condemnentur.

Similia habentur in Conſtitut. Innocentii IV. Tunc potiſſimè, & in alia, & commiſſis, & Urbani IV. Licet ex omnibus, & Alexandri IV. Deus ad ſtudium, & Martini V Inter cunctas in Bullario Pegnæ poſt Directorium, & *in capit. ad abolendam, & capit. excommunicamus 1. paragrapho, moveantur.* Et advertunt Gloſſa *in dict. cap. ut Inquiſitionis in figurat. caſus,* Gemin. *numero ſecundo*, Franch. *numer.* 4. Sylveſt. *in ſum. v. hæreticus 2. nu.* 8. Eymer. *p. 2. qu.* 53 ibique Pegna *com.* 78.

lit. D. Locat. *v. Iudex numer.* 57. Repert. Inquiſ. *verſ. brachium ſeculare*, Simanch. *de cath. inſtitut. titulo vigeſimo tertio, numero nono, & in enchir. viol. relig. titulo ſexageſimo ſexto, numero ſecundo*, Zanchin. *de haret. capito octavo, numero ſecundo*, Decian. *d. lib. 5. capito vigeſimo quinto, numero primo*, Carena *p. ſecunda, titulo quarto, numero quinto*, Carrer. *de haret. numero* 56. Azeved. *lib.* 15. *numero* 7. *titulo* 2. *lib.* 4. *nova recopil.* Farinac. *quaſt.* 186. *numer.* 160. ac Delbene *dub.* 196. *num.* 14. & 15.

De hac re vide Carrer. *in prax. titul. de haret. §. circa ſecundum num.* 56. Simanch. *de cath. inſtit. titul.* 23. *numero* 9. Sayrum *lib.* 3. *capit.* 34. *num.* 29. Filiuc. *tract.* 14. *numer.* 159. & Barboſam *in dict. capit. ut Inquiſitionis numer.* 7. ubi ampliat, ut neque incidenter poſſint Judices ſeculares de hæreſi cognoſcere propter illam particulam *quoquomodo*.

Ampliatur etiam, quod non excuſatur Judex, volens cognoſcere de cauſa hæreſis, vel differens animadvertere in reum ſibi traditum à S. Officio, per proteſtationem, quam facit Inquiſitor, dicens: *Ut Judex laicus miſericorditer ſe cum eo gerat.* Quia Eccleſia proteſtationem facit ſui affectus, id eſt, ſi fieri poſſit, & niſi aliter conveniret, Lorca *in* 2. 2. *qu.* 11. *art.* 4. *diſp.* 49. *num.* 9.

Limitatur verò, quod hæc cenſura non eſt reſervata quatenus ex vi hujus Conſtitutionis.

Ex decreto autem B. Pii V. quod incipit: Sanctiſſimus Dominus apud Cherubinum *Conſtit.* 1. ejuſdem Pontificis, fertur excommunicatio contra omnes Magiſtratus, & Officiales Bariſellos, & alios miniſtros fori ſecularis ubique locorum chriſtianæ Reipublicæ, ſi non obediunt Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus in his, quæ pertinent ad S. Officium.

Limitatur, quod non procedit excommunicatio iſta contra Dominos temporales locorum v. gr. Principes, vel Barones, quia eos ibi ad parendum rogat, non autem præcepto illo pœnali adſtringit, ut notat Bocitia *de cenſur. in part. diſp.* 2. *q.* 10. *pun.* 9. *in fin.*

Limitatur etiam, quod hæc cenſura non eſt Papæ reſervata, quatenus manat ex hoc decreto. An autem aliunde ſit reſervata, infra patebit.

Iudices laici cognoſcentes de crimine hæreſis, incurrunt in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ *can.* 14. ubi excommunicantur Iudices laici ſe interponentes in cauſarum ſpiritualium, aut illis annexarum cognitione. Judices verò laici impedientes executionem decretorum Inquiſitoris, & partes ad hunc effectum recurrentes ad eoſdem Iudices laicos, incurrunt excommunicationem reſervatam *in d. Bulla Cœna can.* 13.

Ex *dicto cap. ut Inquiſitionis* pleraque alia eruuntur. Primum, leges quædam Friderici Secundi Imperatoris, quas tunc edidit, cùm perſiſtebat in devotione S. Romanæ Eccleſiæ, quatenus Dei & Eccleſiæ ſuæ honorem promovent, & hæreticorum exterminium proſequuntur, ſtatutiſque canonicis non obſiſtunt, tanquam approbatæ à Sede Apoſtolica obſervandæ ſunt.

Quoniam verò ex una parte Conſtitutiones Imperiales in materia fidei, ac hæreſis non habent vim obligandi, ut notat *in d. cap. ut Inquiſitionis* Gemin. *num.* 2. & advertunt Gloſſa & Doctores *in capit. quæ in Eccleſiarum de Conſtit.* Decian. *lib.* 5. *cap.* 26. *nu.* 4. ac Delbene *dub.* 196. *numer.* 9. Et ex alia parte Conſtitutiones contra hæreticos, quas promulgavit dictus Fridericus plura continent, quæ honorem fidei promovent, & exterminium hæreticorum proſequuntur, pluraque habent, quæ concernunt ea, quæ *in d. cap. ut Inquiſitionis* decernuntur, ideò Bonifacius VIII. hujuſmodi leges Friderici prius approbat, & poſtea ſic approbatas obſervari jubet. Quod etiam antea fecerant Innocentius IV. in Conſtit. Cum adverſus, Urbanus IV. in Conſtit. Licet ex omnibus, & Alexander IV. in Conſtit. Cum adverſus, quæ habentur apud Pegnam *poſt. Directorium.*

Quænam autem ſint hujuſmodi leges non exprimit *d. cap. ut Inquiſitionis.* Suſpicatur Gloſſa, quod Bonifacius VIII. intellexerit de quibuſdam authenticis ejuſdem Friderici II. nimirum *de auth. ſtatuimus C. de Epiſc. aud. & Codic. de haret. & Manich. l. Iubemus auth. credentes, auth. ſi verò Dominus*, & *auth. Gazaros.* Sed in memoratis Conſtitutionibus Innocentii IV. & Alexandri IV. habentur incertæ leges Friderici, quas approbant, & præcipiunt obſervari, quæ datæ fuerunt Patavii 22. Februarii Indictione 13. Prima incipit, *Commiſſi nobis cælitus.* Secunda *Inconſutilem.* Tertia, *Paterenorum.* Quarta, *Catharos.* Et ex mandato ſacræ, & Univerſalis Inquiſitionis fuerunt impreſſæ à Pegna poſt Directorium Inquiſitorum.

Hujuſmodi autem leges ſervari debent, & Magiſtratus ſeculares per Inquiſitores cogi poſſunt ad hoc, ut jurent ſervare, nedum illas, ſed & omnia alia ſtatuta, tam Eccleſiaſtica, quam ſecularia, quæ ad favorem fidei emanarunt, ut habetur ex Conſtitutione Innocentii IV. incip. Orthodoxæ fidei. Hujus juramenti formam ponit Eymer. *p.* 3. *num.* 3. & explicat Pegna *com.* 3.

Et quamvis, ut advertit Franchus *in dict. cap. ut Inquiſitionis num.* 5. ex Bartolo *in l. Aurelius § Idem ff. de lib.* ex Baldo *in l.* 1. *C. ne qua deſunt*, & ex Doctoribus *in cap. olim, de cenſib.* Legislator degradetur, quemadmodum degradatus fuit hic Fridericus III. Imperator, leges tamen ejus per eum conditæ, validæ permanent. Sicut etiam ex quo Pontifex approbat leges Friderici, quatenus favent fidei, & non aliter, quicquid ſit, an in alia materia poſſit quis acceptare id, quod facit pro ſe, & reſpuere quod contra, in materia tamen legum, & maximè in materia fidei ſuperior poteſt inferioris leges approbare ſolum quatenus ſunt rectæ rationi conſentaneæ, ut per Franchum *loc. cit.*

Seeundum eſt. Licet *in d. cap. ut Inquiſitionis* expreſſè ſit ſermo de inveſtigatione, & captura hæreticorum, fautorum &c. Attamen verum eſt, quod univerſaliter Magiſtratus ſeculares tenentur requiſiti auxilium ferre Epiſcopis, & Inquiſitoribus in iis, quæ opus ſunt ad negotium fidei proſequendum & perficiendum, hæreſes extirpandas, & hæreticos puniendos, *d. cap. excommunicamus d. §. Moneantur, d. l. Catharos.* Conſtitutio Martitni V. cum aliis ſupracitatis, traduntque *in d. cap. excommunicamus d. §. Moneantur Innocentius numero* 1. Jo. Andr. *num.* 8. & Mar. Socin. *num.* 29. Jo. de Anan. *in §. credentes num.* 14. Oſtienſ. *num.* 6. Sylveſter *d. v. hæreticus* 1. *n.* 15. Roſel. *eod. v. n.* 11. Angel. *eod. pariter v. n.* 24. Locat. *v. Domini temporales n.* 1. & 2. Repert. *v. Dominus feudi*, Simanch. *tit.* 23. *n.* 1. Eymer. *p.* 2. *q.* 182. *num.* 5. alios referens, Suarez *de fide diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 6. Sanctarel. *cap.* 11. *n.* 6. *de hæret.* & Carena *loco citato, numero* 6. Hos autem non obedientes, & negligentes hæc facere, & auxilium impertiri in prædictis, eſſe fautores hæreticorum, ac de hæreſi ſuſpectos, alibi diximus. Quomodo autem debeant Carceratos tradere Judicibus fidei, ſi circa fidem delinquerint; quomodo item carcerati ſint cuſtodiendi, & an S. Officium habeat proprios carceres alibi etiam diximus.

Tertium eſt. Præfati Poteſtates, & Domini temporales, ſive Doctores, vel eorum Officiales, ſive Nuncii damnatos de hæreſi à diœceſano Epiſ-

copo

copo ſibi relictos ſtatim recipiant, & indilatè animadverſione debita puniant, non obſtantibus appellationibus, ſive proclamationibus eorundem damnatorum, cum tam de jure Pontificio quàm de jure Imperiali beneficium appellationis, ſive proclamationis hæreticis, eorum credentibus, fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus ſit interdictum. Glo. *in d. cap. ut Inquiſ. in fig. caſ. & in §. utque de hæreſi, & in v. mallate*, Ibique Jo. Andr. *num. 1.* Archid. *n. 13. & ſeqq.* Franch. *numer. 3.* & Farinac. *quæſtione 97, numero 103. & quæſtione 186. num. 161.*

Quare Judex laicus in cauſa hæreſis eſt merus executor nec poteſt judicialiter cognoſcere, an ſententia lata à Judicibus fidei ſit juſta, an injuſta, valida, an invalida, nec de proceſſu, neque de delicto, etiamſi damnatu imponenda ſit pœna mortis, ſed id totum juſtitiæ ac providentiæ Judicium fidei eſt remiſſum, nec datur reviſioni aliquis locus, ut per Panorm. & Anchar. *in cap. at ſi Clerici de Judic.* imol. *in cap. 1. de offic. Ordin.* Caſſan. *in conſuet. Duc. Burg. rubr. dos Judicos §. 8. num. 14.* Albertin. *de agnoſc. aſſert. quæſtione 25. numero 43.* Diaz. *in pr. capit. 141.* Simanch. *de cath. inſtit. titul. 16. numero 5.* Clarus *in pr. quæſtione nonageſima ſexta*, Pegna poſt alios *in p. 3. com. 85 verſic. ſed Canoniſta.* Farinac. *dict. quæſt. 186. n. 161. & quæſt. 97. num. 103.* Sanctarell. *de hæreſ. cap. 40. dub. 4. num. 24* Cantera *quæſt. crim. capit. 1. num. 56.* Caſtropal. *tract. 4. diſp. 8. pun. 14. num. 6.* Carena *d. p. 2. tit. 2. numer. 44. & p. 3. titul. 13. num. 11.* ac Delbene *dub. 169. num. 11.* aliique plures, quos refert Barboſa *in d. cap. ut Inquiſitionis n. 4.*

Ideoque Inquiſitor Judici laico proceſſum à ſe factum oſtendere non debet, ſed Judex ſecularis indilatè, ac ſine mora ſententiam Judicis Eccleſiaſtici debet executioni mandare, & ſi ſine cauſa differat, poteſt ad id ab Inquiſitore compelli per cenſuras Eccleſiaſticas. Neque tamen Inquiſitor hoc faciendo exprimere debet pœnam mortis, jubendo expreſsè Judici laico, ut condemnatum comburat, vel morte afficiat, ſed jubendo, ut ſententiam à ſe latam exequatur. Hic enim modus loquendi habetur in Conſtitutione, Ad audientiam Alexandri IV. *& in Conſtit. Honeſta petentium* Leonis X. Vel jubendo Judici ſeculari, ut ſervet leges, & conſtitutiones editas contra hæreticos. Quo loquendi modo utitur Innocentius IV. in conſtit. *ad extirpanda §. damnatos.* Per cenſuram verò excommunicationis, & alias cenſuras hujuſmodi Magiſtratus, ſi reſiſtant, compellendi ſunt. Et ſi adhuc noluerint obedire per alia juris remedia. Quod tamen, ut maturius fiat, erit ſignificandum Supremo S. Inquiſitionis Tribunali, ut etiam advertit Pegna *com. 85.*

Id verò fieri cenſebitur, ſine mora, & indilatè, ſi fiat intra quinque, vel ſex dies, ut habetur ex Conſtitut. *ad extirpanda §. damnatos* Innocentii IV. & ex Conſtit. *Dilectus filius* Innocentii VIII. apud Pegnam *dict. com. 85.* ubi etiam monet, ſervandam in hoc eſſe conſuetudinem Provinciarum. Quod approbant Farinac. *d. quæſt. 186. numero 162.* Diaz *in pr. capit. 144. numer. 2.* ac Delbene *d. dub. 196. num. 13.*

Si verò Magiſtratus ſecularis ſciat ſententiam contra hæreticum latam, eſſe injuſtam, quia ex falſis teſtimoniis hæreſis fuit probata, vel nullam, quia neceſſarius juris ordo non fuit ſervatus, non ideò poteſt ipſe proceſſum cognoſcere, & de injuſtitia, vel nullitate ſententiæ judicialiter judicare. An autem tunc poſſit ſaltem ſuperſedere ab executione ſententiæ, ne morti tradat innocentem, affirmat Delbene *dub. 197. numero primo, & ſeqq.* Negat Carena *p. 3. titulo decimo quarto, n. 9.* Etiamſi reus dicat, ſe habere ſecretum communicandum Principi, quod concernit ejus ſalutem, Ego tamen puto ſervandum, quod ſtatutum eſt *in cap. paſtoralis*, & in *cap.* quia verò *de offic. & poteſt. Judic. deleg.*

Exequi verò debent Judices laici ſententiam latam à Judicibus fidei contra hæreticos, eorumque fautores, nulla obſtante apellatione. Nam à ſententia definitiva contra iſtos lata non admittitur appellatio, *dict. cap. ut Inquiſitionis, & d. l. Commiſſi, v. omnes* Friderici. Quare ſententia in cauſa hæreſis mandatur executioni intra decem dies datos pro termino ad apellandum. Ab interlocutoria tamen ſententia, & decreto torturæ datur appellatio. Sicut autem à definitiva non appellat reus in Sacro Tribunali, ita nec illius hæres. Et non modo appellatio, ſed etiam proclamatio eſt interdicta. Vide Archid. *in dict. cap. ut Inquiſitionis n. 8. & ſeqq.* ibique Jo. Andr. *verſic. proclamationibus*, Gemin. *num. 8.* Franch. *num. 4.* & docent Eymer. *p. 3. num. 121. & ſeqq.* ibique Pegna *com. 21. & qu. 117.* ubi etiam Pegna. *com. 166.* Sylveſt. *d. v. hæreticus numero quarto*, Locat. *v. appellare numero 1. & v. hæreticus, & v. pœna, & v. ſententia*, Campeg. *ad Zanchin capite octavo, litt. A.* Decian. *dict. lib. 5. capite vigeſimo, numero vigeſimo ſexto, & quinquageſimo octavo.* Param. *lib. 3. cap. 34* Farinac. *quæſt. 185. num. 227. & ſeqq.* ubi alii Simancha *de cath. inſtit. titul. 6. numero 2.* Souſa *in aph. lib. 2. cap. 35.* Carena *p. 3. titulo 14. numero 129.* Qualis verò debeat eſſe appellatio ab interlocutoria, & quomodo & quando Judex admittere debeat, apellationem, & quid agere oporteat, quando appellatur, late explicant, Doctores *in tit. de appellat.* & nos aliqua *ſuo loco*, dum de ſententia egimus.

Advertendum tamen eſt, quod clauſula, *appellatione remota*, non tollit, quin poſſit dici de nullitate ſententiæ. Sicut nec interdicta eſt ſupplicatio Ideò quod non ſit interdictus recurſus per viam querelæ in cauſa hæreſis, voluit Caſtropal. *d. tract 4. diſp. 8. pun. 7. numero tertio*, quamvis neget Diana *p. 4. tract. 8. reſol. 32.* At Carena *loco citato, numero ſeptimo*, ait, quod ſi eſſet Inquiſitor, ſuperſederet, habita ſcientia, quod hæreticus recurſum habuerit ad S Congregationem. Sed etiam quando injuſtitia ſententiæ eſt notoria, non tolli appellationem ex Lancelloto, & aliis advertit Paſſavinus *in tract. de elect. capito trigeſimo quarto, numero ſexageſimo.* Immo quod etiam, non obſtante interdicto appellationis poſſit apellari, à definitiva ex juſta cauſa expreſſa in appellatione, tradunt nonnulli *in cap. Romana §. ſi autem de appel.* Verùm hæc doctrina in cauſa fidei ſumma cum cautione eſt admittenda.

In caſu autem in quo ſit licita appellatio in cauſa hæreſis, proculdubio à ſententia Judicum fidei ad Summum Judicem, ſcilicet ad Sedem Apoſtolicam, eſt appellandum. Quod verum eſt etiam ubi Epiſcopus in cauſa hæreſis ſententiam protulit contra ſubditum. Tunc enim non ad Metropolicanum, ſed ad Summum Pontificem appellari debet, cùm cauſa hæreſis ſit graviſſima, & Summi Pontificis propria ad quem pertinet de fide reſpondere, & cauſas fidei decernere, ejus acceſſoria judicare. Oſtienſ. *in cap. excommunicamus 1. §. catholici*, ibique Jo. Andr. *§. volumus, & capit. ad abolendam prope finem de hæret. in 6.* Pegna *in 3. p. com. 31. verſ. hæc poſtrema*, Farinac *quæſtione centeſima octuageſima quinta, numero ducenteſimo quadrageſimo*, Caſtropal. *dict. tract. 4. diſp. 8. pun 7. numero ſexto*,

& Carena *dict. p. 3. titulo decimo quarto, numero tertio.* In Hiſpania verò ab Inquiſitoribus appellatut ad generalem illorum Regnorum Inquiſitorem, ut notat Pegna *loc. cit.* Sed etiam ab hoc ad Papam in caſibus licitis appellari poteſt.

Poſſe enam Inquiſitores, ſive Epiſcopos in cauſa hæreſis recuſari, tanquam ſuſpectos, non ex quacunque cauſa, ſed ſolum ex gravi inimicitia, aut conſpiratione in reos, aut alia ſimili, ut ex gravi æmulatione, inquit Pegna *d. p. 3. com. 30.* Ex quo conciliari poſſunt ſententiæ contrariæ, ut ſententia, quæ negat, Inquiſirorem poſſe recuſari, quam temuerant Archid. *in cap. quia plerique de offic. ordin. in 6.* Menoch. *de arb. lib. 1. quæſtione 37. numer. 40.* Royas *ſing. 100.* Lucerna Inquiſ. *v. recuſatio num. 1.* Scacc. *de judic. capite 67. numero 7.* intelligatur, ſi recuſatio fiat ex cauſis levibus, licet aliàs ſufficientibus ad recuſandum Iudicem in alia cauſa. Sententia verò, quæ aſſerit, Inquiſitores poſſe recuſari, quam tenent Eymer. *dict. p. 3. numer. 120.* Tabiena *v. Inquiſitis §. 4. num. 5.* Simanch. *titul. 17. numer. 16.* Locar. *v. Inquiſitus numero 2.* intelligatur de recuſatione facta ex cauſa gravi, & allegata in recuſatione, & ita intellexerunt Pegna *loc. cit.* Simanch. *ibidem num. 5.* Jacob. Laur. *tract. de judic. ſuſp. capit. 2. nu. 9.* Paramus *lib. 3. quæſt. 4. numero 56.* & Farinac. *d. quæſt. 185. num. 138.*

In caſu autem recuſationis non eſſe eligendos arbitros ſed judicium remittendum eſſe ad ſupremum Tribunal ex inſtructione Madriliana ſub anno 1561. *cap. 52.* annotavit Pegna *d. com. 30.* & Farinac. *dict. quæſt. 185. numero 239.* Quod & decentius, ac tutius, cum in hac cauſa ne quidem admittatur appellatio, niſi ad ſupremum Tribunal. Sed quod etiam electio arbitrorum receſſerit ab aula in Urbe, ac in ditione Eccleſiaſtica, tradunt recentiores *in cap. ſi contra unum de offic. Judic. deleg. in 6.*

Quartum eſt. Magiſtratus laici, ſive Domini, aut Judices laici non poſſunt cognoſcere de crimine hæreſis, etiam contra laicos: quia illud eſt merè Eccleſiaſticum, ſive in ſolo foro Eccleſiaſtico punitur, Gloſ. *in ſig. caſ. & not. 2.* & *v. ut Inquiſitionis* Monach. & Archid. *in v. prohibemus*, Jo. Andr. *numero primo* Gemin. *numer. 3.* Franch. *numer. 1.* Salicet. *in l. manichæos Codic. de hæret.* Panorm. *in dict. c. ad abolendam numero 7. & 12.* Socin. *numer. 9.* Anan. *numero 8.* Jo. Andr. *in cap. excommunicamus 2. numero 1.* ibique Butr. *num. 5.* Panorm. *numer. 1.* Socin *numer. 1.* Anan. *numer. 1.* Sylveſt. *verſ. hæreticus 2. numer. 8.* Peregr. *de jur. fiſc. lib. 4. titul. 5. numer. 29.* Simanch. *titul. 36. num. 1. & in enchir. tit. 6. numero 1. & titul. 66. numero 1.* Alph. de Caſtr. *lib. 1. de juſt. hær. pun. capit. 23.* Albertin. *de agnoſc. propoſ. quæſtione vigeſima quinta, numero quadrageſimo tertio*, Zanchin. *de hæret. cap. 8. numero primo. & ſequent.* ibique Campeg. *lit. A.* Carrer. *de hæret. num. 61. & 64.* Clar. *in pr. §. hæreſis num. 4.* Decian. *lib. 5. capit. 25. numero 1. & 2.* Scacc. *de judic. capite decimo quinto, numero ſecundo*, Paramus *libro tertio, quæſtione ſeptima, numero trigeſimo*, Farinac. *quæſt. 186. num. 152.* Seſſe *de inhib. capit. 30. numero ſecundo*, Imol. *in empor. jur. tom. 1. titul. 1. numer. 136.* Caſtropal. *dict. tract. 4. diſp. 8. pun. 14.* & Carena *p. 2. tit. 3. numer. 13.* aliique pene innumeri, extat Conſtitutio Julii III. quæ incipit, *Licet à diverſis* apud Pegnam *poſt Direct.*

Hoc autem ita intelligitur, ut Judex laicus, non principaliter neque incidenter poſſit de hoc crimine hæreſis cognoſcere, & judicare. Hoc enim, ut dixi, excluditur per illud verbum *d. cap. ut Inquiſitionis*, quoquomodo, ac ibi advertunt Gloſſa Jo. Andr. Geminus, & tradunt Simanch. *titul. 36. num. 1.* Pariſ. *conſ. 2 numer. 107. lib. 4.* Farinac. *quæſtio. 186. numer. 154* Delbene *dub. 196. num. 6.* ac Fermoſin. *in cap. vergentis de hæret. allig. 46. num. 8.* Dum itaque Iudex laicus format proceſſum contra aliquem de delicto ſpectante ad ſuum forum, ſi incidenter ad ejus notitiam perveniat aliquem eſſe hæreticum, vel de hæreſi ſuſpectum, non poteſt contra illum procedere. An autem Judex laicus, ſi contra aliquem excipiatur, quod ſit hæreticus, poſſit inquirere, & cognoſcere, an hoc ſit verum, ad effectum videndi, an exceptionem admittere debeat; Reſpondet Carena *p. 2. tit. 3. num. 15.* quod Iudex laicus in quæſtione facti non poteſt inquirere, an aliquis ſit hæreticus principaliter ad effectum illum puniendi, ſed neque per modum exceptionis, ſi inquiri debeat an aliquis ſit, an ne hæreticus, ſive an aliqua propoſitio ſit, an ne hæretica. Nam hujuſmodi quæſtiones non poſſunt eſſe meri facti, ſed ſunt ſimul quæſtiones juris. Si verò quæſtio facti non ſit de eo, an aliquis ſit, an ne hæreticus, ſive an ut hæreticus ſit declaratus ad Eccleſia, vel condemnatus, poteſt Iudex laicus hoc inquirere, ac de hoc judicare. Quia hæc quæſtio eſt nudi facti ſejuncti ab omni juris controverſia, & eſt quæſtio merè incidens ordinata non ad puniendum hæreticum principaliter, ſed ſolum ad effectum non admittendi eum in judicio vel ejus filios ad aliquos honores, aut dignitates. Sic etiam licet excommunicatio pertineat ad forum Eccleſiaſticum, ſi tamen contra aliquem excipiatur, quod ſit excommunicatus, etſi non poſſit Iudex laicus cognoſcere de jure excommunicationis, poteſt tamen cognoſcere de nudo facto, an ſcilicet verum ſit, quod ille ab Eccleſia fuerit excommunicatus, vel ut talis denunciatus, ut per Franch. *in cap. 1. §. ſiquis, de except. in 6. verſ.* an Iudex ſecularis, & per Ricciul. *de jure perſon. lib. 4. capit. 31. numero 15. & 16.* At verò, quia res hæc eſt periculoſa, ſe remittit ad judicium S. Congregationis S. Officio.

Quod etiam Princeps laicus nihil poſſit ſtatuere in concernentibus crimen hæreſis, tam quoad proceſſum, quam quoad punitionem, probat Farinac. *q. 186. num. 155.* At Pegna *p 3. com. 135. verſ. de Principibus* diſtinguit inter ſtatuta, quæ adverſantur juriſdictioni Iudicum fidei, & hæc fieri non poſſunt, ut habetur *ex cap. ſtatutum*, & *cap. accuſatus §. Sacerdotes de hæret. in 6.* Et ſtatuta favorabilia Eccleſiæ, ac ejus juriſdictioni, & in augumentum fidei, & hujumodi ſtatuta à Principibus ſecularibus fieri poſſunt. Quia per ea juriſdictio Epiſcoporum, & Inquiſitorum ampliatur, & promovetur. Quod facere debent ſeculares Principes, ut probat Conradus Brun. *lib. 3. de hæret. cap. 9. & 10.* Et quia Romani Pontifices Principum ſecularium leges adverſus hæreticos, ac ſuſpectos de hæreſi latas, non ſolum non reprobarunt, ſed confirmarunt, ut patet *ex d. cap. ut Inquiſitionis*, & ex quampluribus Conſtitutionibus Pontificiis, quæ habentur apud Pegnam *poſt Directorium.* Et hoc idem facturi eſſent, ſi aliqua inſignis Reſpublica, vel Civitas, vel minores Principes in ſuis ditionibus conderent novas leges, quibus novæ hæreſes, aut oriri impedirentur, ant ortæ, facilius extirparentur. Ideo Principes ſeculares poſſe novas pœnas imponere contra hæreticos, præter pœnas impoſitas à jure Canonico, dummodo iſtis illæ non advertentur, vel poſſe facere, ut in ſuis ditionibus antiquæ pœnæ obſerventur cum eodem Pegna tradunt Carrer. *n. 64.* Farin. *q. 186. n. 157.* Decian. *lib. 5. cap. 25. n. 2.* ubi, quod ſi Iudex Eccleſiaſticus omiſiſſet in ſententia ponere confiſcationem bonorum, poſſet illam addere Iudex laicus. Pariter idem Pegna vult *loc. cit.* vult, quod Principes ſeculares poſſunt ſtatuere, quod Iudæi, vel alii infideles in ſuis

ditionibus

ditionibus commorantes teneantur hæreticos denunciare, & alia hujuſmodi plura.

Quare ſeculares Magiſtratus poſſunt hæreticos capere, & carceribus mancipare ad effectum eos tradendi Iudici Eccleſiaſtico, ut per Clar. *in pr. §. hæreſis n. 4.* Afflict. *in Conſtit. Regni tit. de hæreticis n. 33.* & Farinac. *d. q. 186. n. 158.*

Valent etiam ſtatuta ſecularium Principum ſuper confiſcatione bonorum pro illa parte, quæ illis applicatur de jure Canonico, vel ex conſuetudine à Sede Apoſtolica approbata, ut per Farinac. *d. q. 186. num. 156.* ex Pariſio *conſ. 1. num. 114. lib. 4.* & Deciano *lib. 5. cap. 25. num. 17.* Cenſuitque Pegna *in 3. p. com. 158.* recipi poſſe Principum ſtatuta, quibus conſtituerent, ut vel omnia bona confiſcata tribuerentur Officio Inquiſitionis, vel aliter, ſervatis Conſtitutionibus Pontificio diſtribuantur.

Quintum eſt. Præcipitur Magiſtratibus ſecularibus *in dict. cap. ut Inquiſitionis*, ne aliquem nomine S. Officii carceratum liberent à carceribus ſine mandato Epiſcopi, vel Inquiſitoris, aut alterius ex ipſis, & ne executionem pro hujuſmodi crimine hæreſis ab eiſdem injunctam promptè adimplere detractent, & ne Epiſcoporum, aut Inquiſitorum judicium, ſententiam, ſive proceſſum directè, vel indirectè impedire præſumant. De hac etiam re ſunt Conſtitutiones Innocentii IV. Malitia hujus temporis, Urbani IV. Licet ex omnibus Caliſti III. Injunctum nobis, Iulii III. licet à diverſis, B. Pii V. Si de protegendis.

Impeditur autem S. Officium omittendo, & committendo. Omittendo, quando Magiſtratus, & alii, ſive ſeculares, ſive Clerici, requiſiti ab Inquiſitoribus non præſtant eis auxilium, ut in cauſis fidei procedere poſſint hæreticos capere, contra illos proceſſum formare, illoſque punire.

Committendo verò impeditur S. Officium factis vel verbis, & utroque modo directè vel indirectè. Directè quis dicitur agere, ac impedire, quando non per circuitum, vel per aliud medium, ſed immediatè ac principaliter impeditur ne fiat. Indirectè verò impedit, qui inſinuatione utitur, aut alio medio nititur id facere, unde in conſequentibus oritur impedimentum Eymer. *p. 2. q. 54.* ibique Pegna *com. 79.* Gloſſa & Doctores *in d. cap. de ſtatutum de hæret. in 6.*

Factis igitur, ac directè impediunt S. Officium, qui impediunt, ne Inquiſitores inquirant contra hæreticos, vel ſuſpectos de hæreſi, ne eos capiant, aut carceri tradant, qui vinctum extrahunt, ſive emittunt, vel captum eripiunt, recipiunt, occultant, vel facultatem fugiendi dant, aut id fieri jubent, ſive hæc cum armis, ſive ſine armis præſtent, qui impediunt, ne aliquis eos denunciet Iudicibus fidei, aut ne in cauſa fidei teſtes ſint, vel ne ſententiæ, aut mandata Inquiſitorum executioni demandentur, vel ne quodcumque aliud ſimile fiat, quod ad cauſam fidei promovendam pertineat, ut per Eymericum & Pegnam *loc. cit.* Farinac. *q. 182. num. 75. & 79.* & latius *n. 95. ac ſeq.* Anan. *in cap. ad abolendam num. 12.* & *in cap. excommunicamus §. credentes num. 3. de hæret. in 6.* ubi etiam Archid. *n. 3. & 4.* Io. Andr. *num. 9.* Calder. *in rub. de hæret. num. 17.* & tradunt Sylveſt. *v. hæreticus 1. num. 10.* Angelus *eod. v. n. 24.* Locat. *v. faventes num. 3. & v. occultans numer. 1. & v. receptatio num. 4.* Simanch. *in enchir. tit. 6. num. 1.* Zanchin. *de hæret. cap. 4. num. 1. & 5.* Decian. *d. lib. 5. cap. 51. num. 10. & ſeq.* Azor. *p. 1. lib. 8. cap. 15. q. 2.* Carena *p. 2. titul. 4. numer. 22. & 25.* Souſa *libro primo, aphor. capite vigeſimo octavo, numer. 1.* & Salelles *lib. 1. cap. 20. num. 50. & ſeq.*

Verbis autem ac directè S. Officium impedire dicuntur Magiſtratus ſeculares, vel alii, qui condunt ſtatuta, ut nemo de crimine hæreſis cognoſcere poſſit, niſi ipſi, vel de crimine hæreſis accuſari, niſi coram ipſis, ut per Doctores in *dict. cap. ſtatutum de hæret. in 6.* Item qui precibus impediunt ne contra hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos inquiratur, vel qui conſulunt reos, eoſque docent quomodo capti veritatem negent, vel ut fugiant *dict. cap. accuſatus §. ſacerdotes* ibique Monach. *numer. 12. & ſeq.* Gemin *in ſum.* Franch. *in §. eo verò.* Calder. *in rubr. de pœn. hæret. numer. 5.* Sylveſter *d. v. hæreticus 2. num. 16.* Locat. *v. Clericus num 9 & v. fautores num. 7.* Eymer. *p. 2. quæſtione 55. num. 3.* ibique Pegna *com. 81.* Decian. *d. lib. 5. cap. 51. numer. 56.* & alii quos ſequitur Farinac *quæſt. 182. num. 8.* & Carena *d. tit. 4. n. 28.*

Factis verò indirectè impediunt S. Officium, qui Inquiſitores Advocatos, Procuratores, Notarios, alioſque S. Officii miniſtros, teſtes, accuſatores, denunciatores occidunt, verberant, dejiciunt, ſive perterrefaciunt. Qui eorum Eccleſias, ædes, aliaſve res, ſive publicas, ſive privatas, expugnant, invadunt, incendunt, expilant. Qui libros, literas, autoritates, regeſta, protocolla, exemplaria, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive documenta ſive publica, ſive privata comburunt, diripiunt, ſive intervertunt. Qui prohibent, ne perſonæ præfatæ, ſive res ſerventur, vel defendantur, B. Pius V. *in d. conſtit. ſi de protegendis*, Simanch. *de cath. inſtit. tit. 34. num 38.* Zanchin *cap. 35. num. 1. & ſeq.* ibique Campeg. Farinac. *qu. 182. num. 79.* Sanctarel *de hæreſ. cap. 11. num. 14.* Scortia *theor. 278.* Carena *d. p. 2. tit. 4. num. 22.* Salell. *lib. 1. cap. 20. num. 50.*

Qua in re advertendum eſt, quod iſti duplici ex capite ab Inquiſitoribus puniri debent. Primo quatenus impediunt S. Officium. Secundo, quia etiam dato, quod non impedirent, offendunt tamen Majeſtatem Sacri Tribunalis, illique injuriam inferunt Clem. *2. § fin de hæret.* ubi Vitalin. Zabarella Imola & alii, Farinac. *dict. quæſtione centeſima octuageſima ſecunda, num. 89* Carena *eo tit. 4. num. 24.* & Salelles *dict. lib. 1. cap. 20. num. 20.*

Poſſunt autem Inquiſitores habere familiam armatam per textum *in Clem nolentes §. porrò de hæret.* & per Conſtitutionem Joannis XXII. quæ incipit *Exigit Ordinis veſtri*, Eymer. *p. 3. queſtion. 56.* ibique Pegna *com. 105.* ubi hoc extendit ad ſcribentes contra hæreſes, ut & illis Inquiſitores uſum armorum concedere poſint; ſi alias ſint catholici, & non ſceleſti homines, Gundiſal. Repert. Inquiſ. aliique relati à Farinacio *loc. cit. num. 89. & ſeqq.* Licet enim uſus armorum ſit prohibitus de jure civili, hoc tamen jure non obſtante, ac non obſtantibus ſtatutis quibuslibet municipalibus, Inquiſitores uſum armorum concedere poſſunt nedum Cruce ſignatis ſive familiaribus, ſed miniſtris omnibus neceſſariis, ut Advocatis, Notariis, Conſultoribus carcerum Cuſtodibus, & aliis, Simanch. *de cath. inſtitut. tit. 34. num. 23. & 41.* Campeg. ad Zanchin. *cap. 6. lit. A.* Royas *ſing. 21. nu. 8.* quæ competere etiam Epiſcopis probat Pegna *d. com. 105.*

Quod verò inquit Souſa *lib. 1. aphor. cap. 28. n. 6.* Si nimirum Inquiſitores abutantur licentia concedendi uſum amorum, vel miniſtris non neceſſariis, vel non inſervientibus S. Officio, vel ſi miniſtri abutantur armis, tunc Domini temporales puniendi non ſunt, ſi uſum armorum impediant, nullatenus admitti debet. Quamvis enim puniendi ſint tales Inquiſitores, aut Miniſtri hac facultate abutentes, ut advertit Carena *dict. numero vigeſimo quarto*, non tamen eſt juriſdictionis laicalis cognoſcere de hoc abuſu, cùm contineat delictum ad cauſas fidei pertinens. Et ideo ſi miniſtri abutantur armis, puniri debent ab Inquiſitoribus, & ſi delinquant Inquiſitores puniuntur à Pontifice, vel à ſuprema

Inquiſitione,

Inquiſitione. Imò Carena ex Bobadilla *dict. titul.* 4. *num.* 26. extendit hanc facultatem etiam ad prohibitionem armorum, ut ſcilicet Inquiſitores poſſint prohibere, ne hæretici, vel de hæreſi ſuſpecti arma deferant. Quænam autem armorum genera deferre poſſint, & alia pleraque in hanc rem, vide in noſtris tomis, ubi fuſius.

Verbis autem indirectè impediunt S. Officium, qui ſtatua edunt prohibentes Miniſtris S. Officii uſum armorum, vel quodcunque aliud, ex quo oriatur aliquod impedimentum, vel afficientes injuria Inquiſitores, vel S. Officii Miniſtros, Farinac. *qu.* 182. *num.* 79. Carena *d. tit.* 4. *num.* 22. Salelles *d. cap.* 20. *n.* 50. Item qui ſe fingit, & aſſerit eſſe hæreticum, quem Curia quærit, & ſic verum hæreticum liberat, ut ex Conſtitutione Innocentii IV. & Clementis IV. *ad extinguenda*, Pegna *p.* 2. *com.* 7. Farinac. *d. qu.* 182. *nu* 98. Souſa *d. cap.* 24. *num.* 15. Qui ſecretum S. Officii revelat illi qui poteſt S. Officium impedire, Pegna *p.* 3. *com.* 129. Salelles *dict. cap.* 20. *num.* 52. Souſa *dict. cap.* 28. *num.* 52. Qui minis perterrefacit Inquiſitores vel S. Officii Miniſtros, Eymer. *p.* 2. *quæſt.* 54. ac ibi Pegna *com.* 7. Farinac. *dict. quæſt.* 18. *num.* 84 Salell. *loc. cit. num.* 52 Carena *dict. titul.* 4. *num.* 23. ac Souſa *d. cap.* 8. *n.* 2

Denique impediunt S. Officium, qui illud impedientibus præbent auxilium, conſilium, vel favorem, Camgeg. ad Zanchin. *cap.* 20. *lit* *A. v. ſuſpecti*, Eymer. *p.* 2. *q.* 54. ubi & Pegna *com.* 79. Farinac. *d. q.* 182. *nu.* 83. & Souſa *ibidem n.* 10.

Iſti igitur omnes, quoquo modo impedientes S. Officium, ut hæreticorum fautores, ac de hæreſi ſuſpecti habendi ſunt, ut tradunt Doctores, quos referunt, ac ſequuntur Farinac. *d. qu.* 182. *num.* 69. & 70. Carena *d. tit.* 4. *num.* 31. Salelles *d. cap.* 20. *nu.* 57. Souſa *d. cap.* 28. *num.* 13. Sunt autem habendi, ut ſuſpecti vel de vehementi, vel de levi, attenta qualitate perſonarum, aut impediendi modo, vel cauſa ob quam impediverunt, Pegna *d. com.* 79. *lit. B.* Et icirco interrogandi ſunt de hac cauſa, etiamſi opus ſit per torturam, Pegna *ibidem*, Farinac. *dict. quæſt.* 182. *nu.* 70. & 85. Carena *dict. tit.* 4. *num.* 35. Salelles *lib.* 1. *dict. cap.* 20. *num.* 58. & Souſa *dict. capit.* 28. *num.* 18. Sicque juxta qualitatem ſuſpicionis abjurare debent. In quo ex Pegna *dict. com.* 79. advertendum eſt, quod ſi, attenta fautoria hujuſmodi, ac circunſtantiis, impediens S. Officium eſt ſuſpectus de aliqua hæreſi determinata, ſcilicet de illa, vel illis, quas habet hæreticus, cui præſtitum fuit auxilium, illam, vel illas in ſpecie abjurare debet; ſed ſi non habetur, niſi ſuſpicio hæreſis in genere, ſufficit ſi hæreſes in communi abjuret.

Sextum eſt. Pœnæ latæ contra inobedientes. Si quis igitur ex præfatis poteſtatibus, Dominis temporalibus, Rectoribus, vel eorum Officialibus, ſive Balivis contra ſtatuta *in d. cap. ut Inquiſitionis* fecerit, & in negotio fidei Ordinariis, vel Inquiſitoribus ſe opponere præſumpſerit, vel aliquatenus impedire, vel in prædictis dederit auxilium, conſilium, aut favorem ſit excommunicatus. Quod ſi per annum in excommunicatione iſta inſorduerit, ex tunc velut hæreticus condemnetur. Verùm quia contra offendentes, vel impedientes S. Officium per Summos Pontifices Innocentium IV. Urbanum IV. Calixtum III. Leonem X. Paulum III. Julium III. & B. Pium V. aliæ quoque pœnæ latæ ſunt, ideo de illis omnibus hic ſermo haberi debet. Conſtitutiones autem iſtæ leguntur apud Pegnam poſt Directorium.

Differunt tamen hæ Conſtitutiones in pluribus. Et primo quoad actiones prohibitas: Nam *in d. cap. ut Inquiſitionis* prohibetur, ac punitur inobedientia in non præbendo auxilium Inquiſitoribus in captura & cuſtodia reorum, & in non exequendo ſententias ab eis latas contra hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos, & in cognoſcendo de cauſis fidei, ac univerſim in obſtando, vel impediendo eoſdem Inquiſitores in ejuſdem fidei negotio. In Conſtitutione verò Innocentii IV. quæ incipit, *Malitia hujus temporis* & Urbani IV. *Licet ex omnibus*, & Calixti III. *Injunctum nobis* puniuntur non præſtantes auxilium Inquiſitoribus, & eorum officium impedientes, ſed non imponitur pœna particularis, ſed in genere, puniuntur pœnis fautorum hæreticorum: Conſtitutio verò Leonis X. Intelleximus edita fuit contra inducentes teſtes ad falſum deponendum, ac verum tacendum, & contra occidentes, aut membro mutilantes aut bonis omnibus, vel majori parte ſpoliantes, vel ſpoliari facientes, ſive atrociſſima injuria afficientes, teſtes ob perhibitum veritatis teſtimonium, aut propter falſum atteſtatum. Julius autem III. in Conſtit. Licet à diverſis, pœna excommunicationis punit impedientes S. Officium, vel qui cauſas ad illud ſpectantes cognoſcunt, & qui in his præbent auxilium, imò & Epiſcopos, ac Inquiſitores, ſi permiſerint, quod laici ſecum de crimine hæreſis cognoſcant. Paulus III. in Conſtit. *in Apoſtolici culminis* punit impedientes Inquiſitores, & prædicantes propoſitiones hæreticas, ſuſpectas, ſcandaloſas, errorem continentes, ac hæreſim ſapientes, ſive per ſe, ſive per alium ſive directè, ſive indirectè impedimentum præſtiterint. At B Pius V. in Conſtit. *Si de protegendis* punit offendentes S. Officium vel in perſona Judicum fidei, vel miniſtrorum, vel accuſatorum, denunciatorum, & teſtium, vel in expugnatione, invaſione, incendio, & expilatione Eccleſiarum, ac rerum tam publicarum, quam privatarum, vel in combuſtione, diruptione, ſive conflagratione, aut exportatione ſcripturarum, vel in eo, quod horum cauſa fuerit, vel eas ſervari, aut defendere prohibuerit, vel in effractione carcerum, & vinctorum extractione, vel carceratorum ereptione, receptione, aut occultatione, vel in concedendo facultatem, vel jubendo, ut hæc fiant, vel in faciendo cœtum, vel concurſum, vel ad hæc facienda homines accommodando, ſive aliàs auxilium, conſilium, aut favorem præſtando publicè, vel occultè in quolibet prædictorum, licet nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus fuerit, nihil oppugnatum, nihil effractum, ſuccenſum, diruptum, nullumque damnum reipſa ſit ſecutum.

Eſt etiam diſcrimen in pœnis. Nam excommunicatio lata *in dict. capit. ut Inquiſitionis*, licet ſit latæ ſententiæ, ut ibi notant Gloſſa & Doctores, non eſt tamen reſervata Summo Pontifici, nec ulla alia pœna in eo imponitur. In Conſtitutionibus verò Innocentii IV. Urbani IV. & Calixti III. imponuntur in genere pœnæ debitæ fautoribus hæreticorum. Leo X. offendentibus teſtes impoſuit pœnam arbitrariam, etiam relaxationis brachio ſeculari, ſi opus fuerit. Paulus III. impedientibus S. Officium in caſu ibi expreſſo protulit in Ordinarios pœnam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, privationis regiminis, & adminiſtrationis ſuarum Eccleſiarum, Civitatum autem Dominis, Gubernatoribus, Rectoribus, & aliis quibuſcumque pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, ac privationis bonorum. Et quamvis excommunicatio non ſit reſervata, imponuntur tamen in genere pœnæ debitæ fautoribus hæreticorum. In Conſtitutione verò B. Pii. V. imponuntur pœnæ debitæ lædentibus Majeſtatem in primo capite, ſcilicet pœnæ mortis, & quod laicos privationis feudorum, bonorum, dominii, dignitatum, & cujuſcunque beneficii temporalis, confiſcationis bonorum, & reſpectu filiorum

infamiæ

infamiæ patria, privatione cujuſcunque hæreditatis, & donationis, & inhabilitate ad quaſcumque dignitates. Quod verò ad Clericos ſive regulares, privatione beneficiorum, & officiorum, degradatione, traditione brachio ſeculari, & pœnis præfatis more laicorum puniuntur.

Statuit igitur B. Pius V. ut ſupradicti incurrant eo ipſo, primò excommunicationem per illa verba: Sit anathemate præſentis Canonia autoritate ligatus. Quæ ſignificant excommunicationem majorem, ut *cap. cum Eccleſia*, ubi Gloſſa, *v. anathematis de immun. Eccleſ.* Sayr. *de cenſur. lib. 1. cap. 2. num. 5. &* 6. Suarez *eod. tit. diſp.* 8. *ſect.* 2. *nu.* 4. *&* 5. Et eſt latæ ſententiæ per particulam illam: *Sit ligatus* ut per Tiraquel. *in l. ſi unquam v. revertatur num.* 134. & in hac ſpecie Sayrus *lib.* 3. *cap.* 31. *num.* 7. Secundo reatum læſæ Majeſtatis, & privationem omnis dominii, feudi, dignitatis & omnium bonorum, nec non omnium officiorum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum & infamiam juris incurrunt. Tertio filii illorum paternæ infamiæ ſint ſubjecti, & privati, omni ſucceſſione, donatione, legato, ſivu propinquorum, ſive extraneorum, ejuſque portæ nunquam pateant dignitatum. Quartò ut nullas dictorum reorum, qui prædicta in contemptum, & odium S. Officii commiſerint admitti poſſit ad excipiendum, vel ſe purgandum, ſive defendendum, niſi per claras tantum probationes. Quinto, ut qui pro talibus reis veniam petere, aut aliàs intercedere tentaverint, incurrant in pœnas, in quas incidunt fautores hæreticorum. Sexto, ut abſolutio, diſpenſatio & rehabilitatio in prædictis caſibus ſint Papæ reſervata; imò, ut etiam à Papa conceſſa intelligatur nulla, & invalida, niſi fuerit conceſſa ſemeſtri poſt aſſumptiooem ad Pontificatum, precibus verificatis, apud ſupremum Romanæ Inquiſitionis Officium ex certa Papæ ſcientia, & propriæ ipſius manua ſignatura. Et notandum, quod abſolutio ab excommunicatione d. Bullæ ſi de protegendis non eſt reſervata Summo Pontifici. Pœnas verò in illa contentas non poteſt Inquiſitor remittere.

Differentia item eſt quoad perſonas. Nam textus *in d. cap. ut Inquiſitionis* non ſe extendit ad perſonas privatas, ſed ſolum ad Magiſtratua, Dominos temporales, Judices, & eorum miniſtros, ſive balivos; at Julii III. Conſtitutio etiam ad perſonas privatas, ſeculares tamen, extenditur, Conſtitutio verò, Innocentii IV. Urbani IV. Calixti III. Leonia X. & Pauli III. generatim comprehendunt omnes perſonas ſine aliqua limitatione. Quod clarius exprimitur in Conſtitutione B. Pii V. quæ ſe extendit ad omnes tam publicas, quàm privatas perſonas, Civitates, ac populos, ſive Dominos Comites, Marchiones, ſive potiori titulo illuſtres Magiſtratus, Judices, ſive Eccleſiaſticos, ſive ſecularea, ſive Regulares, etiam ad Epiſcopos, & majori dignitate præditos, & quocunque privilegio ſuffultos. Et quanquam Imperatores, ac Reges in ea non ſint expreſſi, illos tamen comprehendi, quia dictio univerſalis in cauſa fidei comprehendit etiam Imperatores, ac Reges, ait Carena *q.* 2. *tit.* 9. *num.* 26. & *tit.* 13. *num.* 84. Ac ita Conſtitutio B. Pii V. univerſaliter comprehendit omnes tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, ut per Scortiam *in ſelect. Conſtit. theor.* 278. Bonac. *de cenſur. in part. diſp.* 2. *q.* 2. *pun.* 13. *num.* 5.

Itaqoe quicunque committendo, vel omittendo S. Officium impediverit, vel in hoc exilium, conſilium, aut favorem præſtiterit, excommunicatus, Gloſſa *in d. cap. ut Inquiſitionis*, Gemin, & Franchus *in v. prohibemus*, *& v. Siquis*, Jo. Andr. *num.* 1. Sylveſt. *d. v. hæreticus* 2. *numero* 8. Eymer. *p.* 2. *q.* 54. ibique Pegna Farinac. *d. q.* 182. *numero* 71. Quæ excommunicatio extenditur ad dantes auxilium, conſilium, & favorem; Calderin. *in rubr. de his, quæ pertinent ad execut. officii. num.* 5. Campeg. ad Zanchin. *cap.* 10. *lit. A. v. ſuſpecti*, Eymer *p.* 2. *quæſt.* 47. *num.* 2. *& quæſt.* 54. *num.* 1. Farinac. *dict. quæſt.* 182. *num.* 83. Et qui perſtiterint per annum in hac excommunicatione, tanquam hæretici ſunt puniendi, Gloſ. *ibid. in fig. caſ.* Gemin. & Franch. *ibi*, Locat. *in v. fautores, & in v. ſuſpecti*, Repert. *v. impediens*, Calder. *num.* 5. Eymer. *p.* 2. *q.* 47. *nu.* 2. *& q.* 54. *nu.* 2. *&* 3. *p.* 3. *q.* 123. ubi Pegna. *com.* 172.

Sed an hæc cenſura ſe extendat ad omnem caſum impedimenti? Videtur, quod præfatæ Conſtitutiones vel non ſe extendant ad omnes perſonas, vel non ad omnem caſum, ſed dumtaxat ad caſus in illis expreſſos. Erunt igitur conſiderandi caſus in particulari, ac in inſpiciendum, an in aliqua Conſtitutione imponente excommunicationem ſint comprehenſi.

Quod autem ad alias perſonas advertendum eſt, quod impedite Inquiſitores in ſuo officio, abſolutè ſumptum eſt quid communius, quàm ſunt caſus expreſſi in Conſtitutionibus relatis, ideoque omnes illos comprehendit, & alioa. Certum namque eſt, quod eſt quidam favor hæreſis, ac hæreticorum. Unde impedientes S. Officium puniendi ſunt, tanquam fautores hæreticorum, ac de hæreſi ſuſpecti, Vitalin. *in Clem.* 1. *de hæret. num.* 160. Calder. *tit. de pœn. hæret. num.* 6. Locat. *v. fautores numero* 2. Repert. *v. impediens*. Eymer. *p.* 2. *q.* 54. *num.* 5. ibique Pegna *com.* 79. Farinac. *q.* 182. *num.* 69. Souſa *lib.* 1. *aphor. cap.* 28. *num.* 19. Et ideo abſolutè ac generatim loquendo, pœnæ imponendæ pro hujuſmodi delicto ſunt arbitrariæ Pegna *dict. com.* 79. Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 15. *nu.* 10. Zanchin. *d. cap.* 31. *num.* 7. Farinac. p. 182. *num* 73. Souſa *cap.* 28. *num.* 20. In caſibus verò expreſſis in adductis Conſtitutionibus puniendi ſunt pœnis in illis ſtatutia.

Quæritur primo, quæ qualeſve actiones ſint comprehenſæ ac prohibitæ in Conſtitutione, ſi de protegendis B. Pii V. Multæ. Prima eſt, aliquem ex Inquiſitoribus Advocatis, Procuratoribus, Notariis, aliiſque miniſtris S. Officii, ſive aliquem ex Epiſcopis ad munua obeuntibua in ſua diœceſi aliquem ex accuſatoribus, denunciatoribus, aut teſtibus, occidere. In hac igitur Conſtitutione puniuntur, qui præfatas perſonas occidunt, quocunque modo id fiat, ferro, laqueo, veneno dummodo fiat voluntariè & culpabiliter. Non autem occidit qui vulnerat, niſi ex vulnere ſequatur mors, neque eſt neceſſe, quod mors ſequatur ſtatim, ſed ſufficit, quod ſequatur etiam poſt longum tempus dummodo tamen ſequatur ex vi vulneris, vel percuſſionis & non ex alia cauſa poſitiva culpabili, aut caſuali. Sufficeret tamen ad homicidium ſi mors ſequatur ex volnere, adjuncta cauſa privativa, ut quia non potuit reperiri chirurgus, aut medicamentum, aut quia volneratua erat ſeoex, viribus deſtitutus, vel debilis, ſive male affectua. Non eſt tamen homicida ex eo quod quis vulneraverit animo, occidendi, ſi vulneratus non eſt mortuus ex vulnere. Erit vero homicida ſi vulneratua ex vulnere obiit, licet vulnerans non habuerit intentionem occidendi. At de his lege Doctores *ad can.* 9. *Bullæ Cœnæ*, & Clarum *in pr. §. homicidium*, & Farinac. *q.* 119. *& ſeqq.*

Obſervandum tamen eſt, non eſſe in hoc caſu admittendā extenſionem de perſona ad perſonam. Quare non comprehenduntur in hac Conſtitutione, niſi perſonæ in illa expreſſæ. Non enim admittitur in pœnalibus extenſio de perſona ad perſonam, *leg. ſiquis ita §. penult. ff de teſtament. tutel.* Farinac *in fragm. crim. verſ. extenſio numero ducenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo*, Carena *p.* 2. *tit.* 13. *num.* 5. præcipuè quando lex

lex auget pœnam juris communis ſicut auget hæc Conſtitutio, Tuſcus *lit. B. concl.* 2. *numer.* 8. Farinac. *in fragm. v. Bannimenta num.* 8. Ricc. *dec.* 74. *p.* 1. ubi ait, in Curia Neapolitana fuiſſe deciſum, hanc Conſtitutionem non comprehendere mulierem, quæ percuſſerat Clericum, qui judicaverat Curſori S. Officii ubinam eſſet ejus mater, aliàs de hæreticalibus ſuperſtitionibus inquiſitu ex eo, quod Clericus ille nec erat accuſator, neque denunciator, neque teſtis.

Secunda actio eſt verberatio alicujus ex nominatis perſonis. Verberatio autem aliquando deſumitur à verbo neque verberare dicitur, qui verbis injurioſis. Nam, ut teſtatur Nonius, non ſolum *verberare* à *verberibus* dictum, ſed à *verbis.* Placetus *in Aulul. Nam cur me miſeram verberas?* Et in Trucul. *Me illis hac verberat verbis.* Cicero *epiſt.* 166. *Verberavi te cogitationis tacito convicio,* Sed hæc eſt impropria ſignificatio. Propriè autem verberare fit à verbere quomodo à fuſti fuſtigo, ut idem ſit verberare ac verbere cædere, percutere. *Verber* autem ex Valla eſt inſtrumentum longum, & exile, qualis eſt virga, baculus, fuſtis, lora, flagellum, ferula, arundo, & ſi quid eſt ſimile. Ac ita verberare eſt percutere aliquem aliquo ex præfatis inſtrumentis. Italicè eſt, *battere, baſtonare, dar delle botte, dar delle mazzate, delle fruſtate.*

An autem verberare comprehendatur percutere ferro, ſclopo, vel alio inſtrumento, dubium eſt. Pro negativa eſt quod verberare propriè ſignificat percutere baculo, flagello, vel alio ſimili inſtrumento longo & exili. Tale autem inſtrumentum non eſt enſis, vel pugio, aut ferrum, aut ſclopus, quod non nocet, niſi pungendo, & penetrando corpus ictu penetrante. Pro affirmativa verò facit, quod inveriſſimilè eſt, Summum Pontificem ſub cenſuris & pœnis hujus Conſtitutionis incluſiſſe percuſſionem baculi, arundinis, aut flagelli, incluſiſſe dejectionem, quæ multo minor eſt, & non prohibuiſſe percuſſionem ferri, aut ſclopi, cùm hæc percuſſio ſit longè gravior, plerunque mortalis.

Tertia actio eſt dejicere, quæ importat ex alto emittere, vel in terram proſternere. Et hæc quoque reſpicit prænominatas perſonas.

Quarta, eſt aliquam ex præfatis perſonis perterrefacere. Eſt autem ſermo de perterrefactione incutiente timorem gravem & cadentem in conſtantem virum, Zanard. *in ſum. tom.* 1. *cap.* 5. Carena *p.* 2. *tit.* 13. *num.* 63. Nam in jure ſolus metus, cadens in conſtantem virum abſolutè, ac ſimpliciter cenſetur metus, cujuſmodi non eſt terror incutiens levem metum *leg. nec timorem ff. de eo, quod metus cauſ.* Vitalin. *in Clem.* 1. *numero tertio, de for. comp.* Sic etiam *in capit. un. de iis, qua vi in* 6. Excommunicatio dicitur exorta per metum, ſi ſit incurſus metus cadens in conſtantem virum.

Diſtinguunt aliqui inter perterrefacere, comminari & incutere; nam lege tanquam diſtincta ponuntur *in can.* 13. *Bulla Cœna,* ut perterrefacere ſit factis timorem incutere argum. *leg. ut impuberi, ff. ad S. C. Syllan.* Comminari ſit incutere timorem verbis argument. *leg. nequicquam §. planè ff. de Offic. Proconſ.* Concuſſio verò ſit metus incuſſus ad extorquendam pecuniam, *l.* 1. *&* 2. *ff. de concuſſ.* ex hac diſtinctione inquiunt, in hac Conſtitutione comprehendi ſolam incuſſionem timoris, quæ fit factis, ut per Alter. *de cenſur. tom.* 1. *lib.* 5. *diſp.* 14. *cap.* 3. Carena. *dict. tit.* 13. *num.* 65. Nam hæc Conſtitutio eſt correctoria juris communis, & ab eo multum exorbitans, & quando Pontifex voluit comprehendere incuſſionem timoris, factam verbis, id expreſſit, ut *in d. can.* 13. *Bulla Cœna,* Neque obſtat, quod in hac Conſtitutione Pontifex prius recenſeat facta, & poſtea ſubdat perterrefactionem. Nam id facit media dictione *ſeu*, quæ eſt declarativa juxta Gloſ. *in capit. bona de poſtulat. Prel.* Tuſc. *lit. D. concl.* 372. *num.* 4. Natura autem dictionis declarativæ eſt non inducere novam diſpoſitionem, *l. hæredes palam §. ſiquid poſt factum ff. de teſtam.* Tuſch. *d. lit. D. concluſ.* 86. Et quamvis dictio *ſeu* aliquando ſumatur augmentativè, id tamen non ſibi vendicat locum in lege pœnali, & exorbitante, ut per Rom. & Alex. quos refert idem Carena *loc. cit.* ac per Tuſchum *d. concl.* 372. *numero duodecimo.*

Verùm licet dictio *ſeu* ſit declarativa quando ſtat inter dictiones idem ſignificantes; quia tunc exponit præcedentia, ne inducatur ſuperfluitas; vel quando ponitur inter genus, & ſpeciem, ut cùm ſtatutum decernit, quod fiat compromiſſum inter conjunctos, qui ſunt de eadem parentela, ubi tamen ponitur inter diverſa ſtat augmentative, ut per Doctores quos refert Barboſa *dict.* 369. *num.* 6. In quo caſu quod disjungat, & ampliet, docent ii, quos citat *ibidem* Barboſa *num.* 5. Longè autem diverſa ſunt occidere, verberare, dejicere, ac perterrefacere. Quod vero in hac Conſtitutione dictio *ſeu* debeat ſumi, ut ampliet, & augmentet, ex eo colligitur, quod cùm Pontifex ſolum tria facta præpoſuerit, nempè occidere, verberare, ac dejicere, ſi dictio *ſeu* ſumeretur ſolum declarativè, ſequeretur nec comprehendi in Conſtitutione, niſi ſolam perterrefactionem, quæ per tria illa facta fieret, atque adeo non comprehenderetur, ſiquis per alia facta, ut ſi per ſpoliationem bonorum perterrefaceret. Et ideo, quod etiam comprehendar incuſſionem timoris per minas, & verba ex hoc probatur, quod hæc comminatio eſt propriè perterrefactio. Vix enim eſt diſcrimen inter iſta, ut advertit Pueron. *ad d. can.* 13. *Bulla Cœna num.* 102. Perterrefactio autem propriè eſt timoris incuſſio, & diſcrimen inter perterrefactionem, & comminationem eſt potius verbale, nec habetur in jure.

Neque niſi per errorem citatur *leg. ut impuberi* Nullibi enim extat hæc lex, ſed *l. cum alter* 1. *§. impuberi*, in qua ita legitur: *Et alias ſolet hoc in uſu obſervari, ut impuberes non torqueantur, terreri tantum ſolent, & habena, vel ferula cadi.* Quibus in verbis terreri ponitur, ut quid diſtinctum ab eo, quod eſt cædi habena vel ferula, & potius ſignificat incutere timorem verbis per comminationem torturæ, non vero timorem incutere per ipſam torturam, vel per aliquod factum pœnale; nam id eſſet torquete, non autem terrere, ſive ſolum timorem incutere. Citatur etiam *leg. nec quicquam paragrapho de plano de offic. Proconſul.* ubi dicitur, quod Proconſul comminari, ac terrere filios diſcolos poteſt, ſibi à parentibus oblatos. Ubi comminari, ac terrere vel idem ſignificant, vel ad ſummum terrere importat proximam comminationem pœnæ, ut ſi Proconſul juberet filium cædi flagello, vel fuſte. Nam aliàs facto filios torquere ita exprimitur *in §. ſeq. Poterit de plano ſimiliter & libertum non obſequentem emendare, aut verbis, aut fuſtium caſtigatione.* Ubi amplius annotatur, quod cum emendare per verba, & per facta diſtinguatur, ideo Juriſconſultus disjunctivè loquens, unum vel alterum poſſe fieri dixit. At quoniam comminari, ac terrere idem ſunt, non uſus eſt disjunctiva, *vel*, dicens Proconſulem poſſe libertis comminari, vel illos terrere, ſed uſus eſt copulativa, *Et*, ſolumque ad majorem expreſſionem utrumque ſimul poſuit.

Et

Et quidem ratio dictet, ut detur verbum, quod ſignificet timorem incutere abſolute, quoquo modo id fiat. Hoc autem eſt verbum terrere. Magis enim timorem incutiunt Principis alicujus minæ verbales, quàm factum alicujus inferioris. Quare tutum non eſt excludere ab hac Conſtitutione, atque adeo ab ejus pœnis eximere, incutientem verbis timorem gravem, & cadentem in conſtantem virum.

Id autem certum eſt, in hac Conſtitutione non puniri attentantem incuſſionem timoris, atque adeo perterrefacientem teſtem, vel aliam ex præfatis perſonis, non ſequuto effectu, non incurrere illius pœnas, ut etiam annotat Carena *d.tit.13. nu.66.* Quia dictio *per* denotat conſummationem, ac perfectionem actus, cui adjicitur, *l. Urbana familia §. pernoctare ff. de verb. ſignif.* ac Doctores apud Barboſam *dict.201. n. 3.* Et quia ubi Pontifex in hac Conſtitutione voluit punire attentatum, ſive conatum, id expreſſit illis verbis: *Liceat nemo accuſus &c.* Perterrefaciens verò, licet non ſequuto effectu, punitur aliis pœnis, quemadmodum pluries obſervatum fuiſſe, teſtatur Carena loco citato.

Oportet etiam animadvertere, quod dari poteſt perterrefactio palliata, & fraudulenta, ut in caſu, quem refert Carena *ibidem n.100.* de eo, qui omnes teſtes contra ſe examinatos, objectis illis variis delictis, & damnis ab eis, ac illorum animalibus ſuis prædiis illatis, conjicere fecerat in carceres per Judicem ſecularem. Si enim iſte calumnioſe ac falsò illos teſtes accuſavit, perterrefeciſſe cenſetur. Licet enim metus accuſationis incuſſus non ſit formalis perterrefactio *l. accuſationes, C. de his, qua vi,* hoc tamen verum eſt, ſi accuſatio non ſit calumnioſa, falſa, & injuſta. Ideoque non modò puniendus eſt, ut accuſator, & ut ſumptibus ſuis liberet carceratos, ſed ut perterrefactor.

Ex eo igitur quod punitur perterrefaciens non ſolum verbis, ſed factis, ſequitur, quod ſub hac actione comprehendatur quælibet corporalis Offenſio, & ita comprehenditur etiam vulneratio, aliæque ſimiles actiones, timorem incutientes. Sed quia timorem incutere reſpicit malum futurum, ac imminens, quia timor non eſt præſentis mali, ſed illius dolor, aut triſtitia, ideo dubitetur, an ſub hac conſtitutione comprehendatur vulnerans, vel aliter offendens aliquam ex præfatis perſonis non ad affectum incutiendi timorem, & ut ex timore, vel non accuſent, aut non denuncient, aut in cauſa fidei non procedant, vel ut ab aliquo actu futuro, pertinente ad cauſam fidei abſtineant, ſed potius in vindictam præteriti actus, ut quia aliquis accuſavit, denunciavit, teſtimonium tulit, aut proceſſit in cauſa, vel aliquem conjici in carcerem fecit, vel alium ſimilem actum. Iſti enim non agunt ad incutiendum timorem mali futuri, ſed malum de præſenti inferunt in vindictam præteriti actus.

At dicendum eſt, omnes hujuſmodi actiones comprehendi ſub perterrefactione, quia ex natura illarum inducunt timorem de futuro malo, & habent vim impediendi alios conſimiles futuros actus, &, ut timore novæ ac forſan majoris offenſionis abſtineat deinceps à ſimilibus actibus, ad cauſam fidei ſpectantibus. Jam diximus, non eſſe neceſſariam in his actionibus formalem intentionem agentis, ſed ſufficere intentionem operis intrinſecam operi, quando opus ex natura ſua inducit effectum aliquem, à lege prohibitum. Vulneratio autem, vel alia offenſio illata Miniſtro S. Officii ex eo, quod aliquid fecit ſpectans ad ſuum Miniſterium, ex natura ſua incutit illi timorem futuri, ac etiam majoris nocumenti, ſi contra intentionem offendentis ad ulteriores actus procedere velit.

Ex hac tamen cauſa, ut dictum eſt, non habet locum pœna ordinaria, ſi timor non fuerit incuſſus, & ex timore non fuerit ſequutus effectus, ſi v. gr. teſtis, non obſtante perterrefactione, teſtimonium perhibuerit, denunciator denunciaverit, Miniſter S. Officii ad ulteriora proceſſerit. Quamvis etiam in hoc caſu perterrefaciens aliis puniendus ſit pœnis. Ad incurrendum itaque pœnam ordinariam non ſufficit, quod reipſe incuſſus fuerit timor, ſed requiritur, quod offenſus ex incuſſo timore ceſſet ab actu ad ſe pertinente, ut quod teſtis non teſtetur, denunciator non denunciet. Hoc enim neceſſarium eſt, ut perterrefactio ſit completa.

Quinta, ſexta, ſeptima, & octava actio reſpiciunt Eccleſias, ædes, aliaſque res, ſive publicas, ſive privatas. Eſt autem ſermo de rebus ad S. Officium ſpectantibus, & iſtæ ſunt res publicæ, cùm pertineant ad publicum S. Officium, ac Tribunal S. Inquiſitionis. Sed quia comprehenduntur etiam res privatæ, hæ dicendæ ſunt illæ, quæ pertinent ad dominium privatum Inquiſitorum, aliarumque perſonarum, quæ in §. 2. Conſtitutionis exprimuntur. Quinta igitur actio eſt hujuſmodi res expugnare. Sexta eſt eas invadere. Septima illas incendere. Octava illas expilare. Invadere importat aliquid aggredi cùm impetu. Expilare eſt furto auferre, ac etiam diripere, ſeu vi eripere.

Aliæ actiones reſpiciunt libros, literas, autoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliave inſtrumenta, ſive publica, ſive privata, ubicunque poſita. Nomine verò inſtrumentorum videtur accipiendas eſſe ſcripturas, quæ inſtrumenta dicuntur, quia in hac parte Conſtitutio de ſcripturis loquitur. Inſtrumenta verò ad agendum, ut ſunt arma, aliaque ſimilia fuerunt comprehenſa ſub nomine rerum in præcedenti particula. Comprehenduntur autem hujuſmodi inſtrumenta, ſive publica, ſive privata ſint. Quod intelligi debet etiam de libris, vel ſcripturis. Omnia enim hæc ad ea ſingula, quæ enumerata ſunt, extendi debent. Nona igitur actio eſt, præfatas res comburere. Decima eas diripere, ſive intervertere, hoc eſt callide ſubripere, & cum aſtutia auferre, & ita comprehenditur etiam rem commodatam, aut creditam ſibi vindicare, & dolo, aut aſtu ne reſtituatur efficere.

Undecima reſpicit tam res, quàm libros, & eſt, præfatas res ex incendio, aut direptione, aut alio quocunque modo exportare.

Actio Duodecima reſpicit quoque tam Eccleſias, ædes, ac res alias, quàm libros, ſcripturas, &c. Conſiſtitque in eo, quod quis, etiam inermis in conflagratione, expugnatione, aut direptione fuerit cauſa illas capiendi, ſive ſupprimendi, hoc eſt, abſcondendi. Unde in ea comprehenduntur præfatæ actiones, ſcilicet incendare, expugnare, diripere ita, ut pœnæ Conſtitutionis ſubjiceat, qui in illis actionibus cauſa fuerit capiendi, comburendi, vel ſupprimendi. Quare non videtur comprehendi qui in ſimplici invaſione fuerit cauſa, quod aliquid fuerit captum, combuſtum, vel ſuppreſſum. Neque accipitur direptio ſolum, ut ſignificat tollere per vim, ſed quocunque modo res præfatas tollere, invito domino, etiam per furtum occultum. Nam ſupprimere eſt occulte agere, atque abſcondere, & punitur, qui etiam fuit cauſa ſupprimendi.

Tertiadecima actio reſpicit, non modo res, ſed etiam perſonas prænominatas in §. 2. Eſtque prohibere, ne præfatæ res, aut perſonæ defendantur.

Carceres verò, ac reos reſpiciunt actiones decimaquarta, quæ eſt carceres, vel aliam cuſtodiam publicam, ſive privatam effringere, ſeu frangere. Decimaquinta, vinctum trahere, ſive emittere. Decima ſexta, capiendum prohibere. Decima ſeptima, captum eripere. Decima octava, captum recipere. Decima nona captum occultare. Vigeſima dare capto facultatem effugiendi. Vigeſima prima jubere, ut detur facultas capto effugiendi.

Vigeſima ſecunda, & vigeſima tertia reſpiciunt omnes actiones ſupra prohibitas; nempe ne ad aliquod prædictorum fiat cœtus, vel concurſus, aut homines accommodentur.

Vigeſima quarta continet actiones acceſſorias, nimirum auxilium, conſilium, & favorem præbere.

Quæritur ſecundo, an, ut locum habeat pœna ordinaria, lata in dicta Conſtitutione, Si de protegendis, vel in aliis, ſit neceſſe, quod actio in illis prohibita, ſit facta in contemptum, & odium S.Officii. Ratio dubitandi ſumitur ex illis verbis dictæ Conſtitutionis, ſi de protegendis: *Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam ullam proponere, vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum, & odium hujus Officii admiſerit, niſi contrarium per certas probationes docuerit ſe feciſſe.* Ex his enim verbis, eum, qui non in odium S.Officii, ſed ex cauſa, & inimicitia privata offendit aliquem Miniſtrum S.Officii, non incurrere pœnam ordinariam dictæ Conſtitutionis, ſi de protegendis, cenſent Farinac. *d. q.*182. *nu.*80 Carena *p.*3. *tit.*13. *n.*23. Nam, etſi offendentes Officialem Principis committant crimen læſæ Majeſtatis; id tamen intelligitur, ſi id fiat contemplatione Officii, ſecus ex odio privato. At Scortia *in ſelect. theor.* 178. exiſtimat, hanc ſententiam non colligi ex relatis verbis dictæ Conſtitutionis, quæ intendit, neminem excuſandum, niſi probata contraria actione, non autem probata ſolum contraria intentione.

Id tamen hac in re certum videtur, quod ad excuſandum à pœna ordinaria tranſgreſſorem citatæ Conſtitutionis, ſive offendentes miniſtros S. Officii, aut committentes aliud pertinens ad S.Officium, non ſufficit defectus intentionis formalis, quæ ſcilicet non ex odio formali, & formali intentione offendendi ſi Officiarium occidit, mutilat, &c. Nam in his finis operis, ac ipſa operis intentio, & conditio attendi debet. Quia opus ſimpliciter eſt in contemptum, & odium S. Officii, ſi per ſe infert illi injuriam, & damnum. Per ſe enim contemnit, ac odio habet, qui voluntariè injuria quempiam afficit, illique damnum infert, quicquid ſit, an id faciat ex formali odio, ac intentione nocendi.

Cùm verò in hoc caſu actio poſſit eſſe in contemptum S. Officii, vel ex parte perſonæ duntaxat, ut cum quis ex cauſa, non pertinente ad S. Officium, offendit Miniſtrum S.Officii, vel teſtem, vel denunciatorem. Vel tam ex parte perſonæ, quàm ex parte cauſæ, cùm ſcilicet aliquis offendit perſonam S Officii ex eo, quod illa aliquid fecit, pertinens ad S. Officium, ut quia denunciavit aliquem in S.Officio, vel contra illum teſtimonium dixit, vel ne illa perſona aliquid faciat ad ſuum Officium pertinens, vel concernens negotium fidei. Certum autem eſt, ſubjici pœnæ ordinariæ Conſtitutionis B. Pii V. qui agit in contemptum S.Officii, tam ex parte perſonæ offenſæ, quam ex parte cauſæ offenſionis. At ſi delictum offenſionis ſit in contemptum S. Officii ſolum ex parte perſonæ aut rei offenſæ, non verò ex parte cauſæ, quia ſiquidem qui offendit motus fuit ex cauſa non pertinente ad S.Officium, ſed quia v.gr. perſona illa ad S. Officium pertinens, occidit, vel vulneravit patrem, vel fratrem offendentis, adhuc certum eſt, puniri debere in S. Officio, ut conſtat ex jam dictis, & ex traditis à Simancha *de cath. inſtit. tit.*41. *nu. item* 41. ubi ait, vulnerantes, ſive occidentes Officialem S. Officii, puniri debere per S.Officium, etiam pœna relaxationis brachio ſeculari, ſi crimen fuerit dignum morte, idque ex Conſtitutione Leonis X. Hoc ipſum tradit Farinac. *d. q.*182. *n.*80. Non indicat tamen Simancha, quænam ſit hæc Leonis Conſtitutio.

At verò, quia hic contemptus non eſt contemptus S. Officii directe, ſed per conſequentiam, & in ratione contemptus S. Officii eſt ſane quid imperfectum, quia offenſio non eſt ex cauſa pertinente ad S. Officium, illiuſque intuitu; ideo benignior eſt communis ſententia, quæ docet, talem puniendum eſſe mitius pœna extraordinaria, non autem ordinaria. Quod quidem ex contextu dictæ Conſtitutionis colligitur. Nam vult, quod reus non excuſetur, niſi per probationes certas docuerit ſe ex alia cauſa offendiſſe. Ubi enim agitur de ſubſtantia delicti ad excuſandum reum in omni jure ſufficit, quod contra illum non probetur delictum, quia Fiſco, vel actore illud non probante, reus abſolvitur. Ubi ergo lex requirit, quod reus probet, non loquitur de ſubſtantia delicti, ſed de qualitate. In hoc autem caſu qualitas perſonæ offenſæ eſt manifeſta, quia ſcilicet eſt miniſter S. Officii, vel res pertinens ad S. Officium. Imo quatenus id eſſet dubium, ſpectaret ad Fiſcum, qui in hoc fundat ſuam intentionem, probare, quod perſona offenſa, vel res pertineret ad S. Officium; & ſic quæſtio de qualitate offenſæ, nempe de cauſa, qua quis motus eſt ad offendendum. Quod ſi reus ſe excuſat, & allegat ſe offendiſſe ex alia cauſa, ad eum pertinet id probare, qui in hoc intentionem ſuam fundat. Unde merito hæc Conſtitutio id expreſſit, & voluit, quod excuſatio rei non admittatur, niſi per certas probationes probet, ſe offendiſſe perſonam, aut rem ad S. Officium pertinentem ex alia cauſa, quàm ex cauſa pertinente ad S.Officium.

Atque ex his ſolvitur dubium propoſitum à Carena *d. tit.*13. *n.*22. An ſcilicet in dubio præſumendum ſit offenſam factam perſonæ, vel rei ad S. Officium pertinentis fuiſſe factam in odium S. Officii, an potius ex cauſa privata? Ille ita diſtinguit. Vel offendens aliàs in S.Officio eſt inditiatus, aut denunciatus, vel punitus in ſe, vel aliquo conſanguineo, ſive affine. Et in hoc caſu præſumitur offenſam fuiſſe factam in odium S.Officii, & offendentis eſt probare, quod ex alia cauſa offenderit. Idipſum dicendum putat, ſi offendens alius ſit, vel eſſe probetur vehementer de hæreſi ſuſpectus, aut violenter, aut hæreticus. Nam cum nemo præſumatur agere ac delinquere ſine cauſa, & ex una parte adſit qualitas malæ vitæ in offendente, ex alia Miniſtri S. Officii ſoleant ab improbis hominibus odio haberi probabiliſſime judicatur, quod offenſa ſit facta in odium S. Officii. Et ita locum habet hæc Conſtitutio.

Vel offendens eſt bonæ vitæ ac famæ in materia fidei, & aliàs nec in ſe, neque in ſuis ſit inditiatus, nec denunciatus, neque unquam punitus, ſi iſte talis aliquem denunciantem in S Officio, vel aliquem inferiorem Miniſtrum offendat, exſtimat, ceſſare debere præſumptionem Conſtitutionis. Et quod in hoc caſu, ſi inquiſitor prætendet, talem offenſorem punire, ac eſſe de foro ſuo, ad ipſum pertinet probare offenſam factam fuiſſe in contemptum S. Officii juxta vulgarem Doctorum traditionem, non qualitas tribuens juriſdictionem probanda eſt ſaltem ſummariè, ut per Panorm. Butr. ac Felin. *in cap. ſi clerici in de for. comp.* quo in caſu ſufficeret hanc qualitatem probare per conjecturas, Farinac. *de crim. Læſæ Majeſt. q.*112. *nu.*154.

Verum hanc Carenæ diſtinctionem qualiſcumque illa ſit, omnino rejicimus. Etenim ex eo, quod juriſdictio

Judicis

Judicis fundatur in qualitate, atque adeo prius, ſaltem ſummarie probanda ſit qualitas, nil aliud ſequitur, niſi quod ubi juriſdictio Inquiſitoris fundaretur in ſola qualitate offenſæ, ut irrogetæ in contemptum S. Officii, illam probare, ſaltem ſummarie ac per conjecturas pertineret ad Fiſcum S. Officii. At cur ſola qualitas perſonæ offenſæ non fundet in Inquiſitore hanc juriſdictionem? Certum plane eſt, quod ſit injuria S. Tribunali, & ex hoc offenſio illata ejus miniſtro, redondat ad ejus contemptum, ac per ſe infertur more impedimentum negotio S. Officii incutitur timor ejus miniſtro demnumque aliquod ſequitur. Neque in hac re ſunt diſtinguendi ſuperiores Miniſtri ab inferioribus. Nam in omnibus ſuis Miniſtris Majeſtas Tribunalis fidei ſumme veneratione honorari debet.

Licet igitur qualitas offenſionis, an ſit facta in contemptum S. Officii debeat conſiderari, ut cognoſcatur, qua pœna reus ſit puniendus, & præſertim an punienda ſit pœna ordinaria Conſtitutionis B. Pii V. ſuper illa tamen ſola non fundatur juriſdictio Inquiſitoris; nam ad id ſufficit qualitas perſonæ offenſæ, quæ pertinet ad S. Officium, alioquin ſequeretur, quod Inquiſitores non poſſent procedere contra offendentes perſonas S. Officii, niſi per accidens, ſi nimirum offendens alia de cauſa eſſet de fide ſaltem ſuſpectus, vel niſi Inquiſitor prius probaret offenſionem factam fuiſſe non ex cauſa privata, ſed in contemptum S. Officii. Quod eſt contra praxim, & communem ſenſum Doctorum. Nam S. Officium nedum procedit contra offendentes Inquiſitores, et ſuos Miniſtros, ſed etiam contra offendentes ſuos familiares. Quare abſolute dicendum eſt, quod, etiamſi offendens alias ſit bonæ vitæ, ac famæ in rebus fidei, talis tamen non eſt, neque præſumi debet ex quo injuſte occidit, aut vulneravit, aut affecit injuria Inquiſitorem, vel miniſtros S. Officii, & quod ad ipſum pertinet probare, id feciſſe ex cauſa privata, non autem in contemptum S. Officii.

Tertiò quæritur, an jura, quæ puniunt eos, qui offendunt Inquiſitores, & alios Miniſtros S. Officii, præcipue Conſtitutio B. Pii V. comprehendat etiam illos, qui jam non ſunt Inquiſitores, aut Miniſtri S. Officii, ſed fuerunt? Id certum eſt, quod, ſi offenſio facta fuerit Inquiſitori, vel Miniſtro ex cauſa, pertinente ad S. Officium, & in vindictam, & odium muneris Inquiſitoris, ejus cognitio pertinat ad Tribunal S. Officii, & comprehenditur in Conſtitutione B. Pii. Colligitur ex ejus verbis. Nam denuncians, poſtquam S. Officio manifeſtavit hæreſim Titii, jam functus eſt munere ſuo quemadmodum & teſtis, qui contra illum depoſuit, & tamen offendens denunciatorem, aut teſtem comprehenditur expreſſe in dicta Conſtitutione. Porrò ſea enim præcipua reſpexit libertatem, ac ſecuritatem Tribunalis, caveteque voluit, ne illius cauſa Miniſtri, ac denunciantes, teſtes, & advocati, aliique ad ipſum pertinentes, detrimentum acciperent, ideoque voluit, quod hujuſmodi perſonæ perpetuò manerent ſecuræ, ac immunes à violentiis in ſua Conſtitutione expreſſis. Ex vi igitur dictæ Conſtitutionis Inquiſitores, aliique Miniſtri, tametſi functi fuerint ſuis muneribus, ſecuri tamen permanent in tuto ſunt, ac periculo vacui & in Sanctæ ſedis Apoſtolicæ tutela, ne ob eorum munia quæ obiverunt tanquam Officiales S. Officii impunè occidi, aut vulnerari poſſint. Nullaque hic ſit extenſio caſus ad caſum.

Non obſtat, quod tempore accepta offenſionis non erat amplius S. Officii Miniſter, aut Inquiſitor. Nam regula illa, quod nomina addicta verbo intelligi debeant ſecundum tempus verbi, *l. quod conſtitutam ff. de milit. teſtam*, ex qua videtur deduci, quod prohibens ſub pœna, ne quis occidat Inquiſitorem, intelligi debeat de illo, qui eſt Inquiſitor tempore occiſionis. Regula inquam illa non eſt univerſim vera, ſed nomina juxta exigentiam materiæ, ac mentem legiſlatoris accipi debent. In præſenti autem ſub eadem ſtructura verborum imponitur pœna occidenti Inquiſitorem, ac occidenti denuncientem, ac teſtem. Sicut ergo nomen denunciantis in hac Conſtitutione non accipitur, ut importat ſolum denunciantem in actu, ſed ut ſignificet denunciantem abſolute, ſive tunc denunciet, ſive antea denunciaverit, ita nomen Inquiſitor ſignificat Inquiſitorem abſolute, ſive tunc Inquiſitor ſit, cum occidatur, ſive antea fuerit. Et ita etiam tradunt Carena *d. tr.* 13. & Salelles *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 160.

Neque ex hoc ſequitur, quod in Conſtitutione Pii comprehendantur etiam caſus, in quibus quis ex cauſa privata, & non ex cauſa pertinente ad S. Officium, occideret illum, qui jam fuit Inquiſitor, aut Miniſter S. Officii, ſi verbum Inquiſitor, vel Miniſter intelligi debeat abſolute de eo, qui eſt, vel fuit. Hoc autem eſt contra Romanum *in l. ſiquis ff. ad S. C. Sylanianum*, & contra alios, quos in hac ſpecie ſequuntur Carena & Salelles *loc. cit.*

Nam reſpondetur, quod perpetuitas ſecuritatis, quam intendit hæc Conſtitutio ad favorem Miniſtrorum, reſpicit offenſiones, quæ ſunt contra S. Officium, ejuſque perſonas, etiam ex parte cauſæ, ne ſcilicet ratione functi muneris in S. Officio, ejus perſonæ damnum capiant. Eſtque ideo diſcrimen inter actualem Inquiſitorem, aut Miniſtrum, & illum, qui fuit. Ille ex duplici cauſa reverentiam meretur. Ex majeſtate Tribunalis, & ex delegatione, qua ſedem Apoſtolicam repræſentat. Quæ ratio non habet locum, niſi in actuali Inquiſitore, aut Miniſtro. Iſte ex libertate, ſanctitate, ac ſecuritate Tribunalis, ut negotium fidei ſancte, libere, ac tute poſſit tractari. Et hæc cauſa perpetuitatem ſecuritatis involvit, ac poſtulat, ut nunquam in perpetuum Miniſtri ſacri Tribunalis, ratione geſtorum in illo, jacturam faciant. Quod perdurat etiam in iis, qui fuerunt Miniſtri S. Officii, licet amplius non ſint.

Offenſio igitur facta Inquiſitori, aut Miniſtro actuali, etiam ex cauſa privata, pertinet ad S. Officium ratione perſonæ offenſæ, et injuriæ factæ ſummo Pontifici, cujus vices Inquiſitor gerit, & id non obtinet, niſi in actuali Inquiſitore. At ubi offenſio eſt contra ſacrum Tribunal ratione cauſæ, quæ perpetuitatem involvat, offenſio iſta eſt contra S. Officium quocunque tempore fiat. Et ita etiam in hoc caſu eſt diſtinctio inter Inquiſitores, aut Miniſtros S. Officii, & accuſatores ac teſtes. Nam horum offenſio pertinet ad S. Officium non ex parte perſonæ, ſed ex parte cauſæ. Ideo non eſt cauſa pertinens ad S. Officium, ſiquis illos offendat ex cauſa privata, & non pertinente ad S. Officium. Quod ex ipſa Conſtitutione B. Pii liquet; verbis illis: *Aut teſtem in cauſa fidei quomodocunque productum, vel evocatum.* Ex quibus ſignificatur, puniendum eſſe in S. Officio offendentem teſtem, ſi offendatur, quòd teſtimonium dixerit in S. Officio in cauſa fidei. Id ipſum habetur ex Conſtitutione Leonis X. Superius relata.

Quintò quæritur, an ſub hujuſmodi Conſtitutionibus, præcipue ſub illa B. Pii V. comprehendantur Miniſtri electi, puta Inquiſitor per literas ſummi Pontificis, aut S. Congregationis inſtitutus, qui nondum præſentavit literas illas Regi, vel Principi loci; Capitulo majoris Eccleſiæ, vel Magiſtratui civitatis, ſicut tenentur præſentare, ut docent Simancha *de cath. inſtit. tit.* 44. *n.* 1. *ac Pegna in p.* 5. *com.* 1?

Reſpondet Carena *d. p.* 2. *tit.* 13. *numero* 12. quem ſequitur Salelles *lib.* 6. *cap.* 8. *numero* 152. non comprehendi. Quia ex Baldo privilegium conceſſum ratione Officii, requirit Officium in actu, & non ſufficit, quod habeatur in habitu. Tales autem Miniſtri, ſolum in habitu, ſunt mi-

niſtri; & tum quia ante præſentationem literarum non cognoſcitur, quod electus ſit Inquiſitor, & ſic non poteſt dici offenſus Inquiſitor. Et tum quia in ſimili hoc fuit deciſum in Regio Conſilio Neapolitano juxta doctrinam Franc. Caſtall. & Maſtrilli.

At in hac re ita primò dicendum eſt. Poteſt contingere, quod Inquiſitor electus occidatur cauſa Officii, ne ſcilicet ſit Inquiſitor; vel quia Dominus loci nolit illum habere, vel quia non nemo timeat ejus integritatem, ac Zelum. In hoc autem caſu certum eſt, quod offenditur Inquiſitor ratione Officii, & conſequenter offendens comprehenditur in Conſtitutione B. Pii. Deinde quia, ut advertit Salelles, non eſt generatim verum, quod Inquiſitor electus ante præſentationem literarum ſit ſolum Inquiſitor in habitu. Illa enim literarum præſentatio non eſt ubique in uſu, & ubi eſt in uſu non eſt neceſſaria ad valorem juriſdictionis Inquiſitoris. Solum autem eſt neceſſaria, ut agnoſcatur, Inquiſitorem datum eſſe in Judicem fidei, ut advertit Pegna *loc. cit.* ne ſcilicet prætexto ignorantiæ populi illi nolint obedire, non autem quod ille nequeat ſtatuere, & mandare, ſicque doctrina Baldi huic caſui non applicatur. Et poſtremo quia aliud eſt, quod in offendente electum Inquiſitorem poſſit, ac debeat præſumi ignorantia, & ex hac ille poſſit excuſari à pœnis; aliud, quod actus ipſe atque offenſio non ſit offenſio S. Tribunalis, & quod in ſciente, offenſum eſſe Inquiſitorem electum, talis offenſio non debeat puniri pœnis offendentium Inquiſitores. Id enim ſecundum non probatur. Quia in electo jam lucet Majeſtas Sedis Apoſtolicæ ac Tribunalis fidei, cui fit injuria in perſona electi, & quam ſcienter offendit, qui ſcienter Inquiſitorem occidit. Eſtque manifeſtum, quod offendens Officialem regium ratione Officii, offendit regiam Majeſtatem. Sicut enim, an qui illum occiderit, id fecerit ex ignorantia, anve ex cauſa privata, pertinet cognoſcere ad illud Tribunal, cujus eſt Majeſtatem Principis in ſuis Officialibus tueri, ita quoque, an qui occidit Inquiſitorem electum, id fecerit ex ignorantia, an ex cauſa privata, anve ratione muneris Inquiſitoris pertinet ad S. Tribunal S. Officii, in quo juxta qualitatem delicti puniri debet.

Quæritur quinto, an omittens occurrere actionibus à Conſtitutione B. Pii V. prohibitis, incurrat pœnas illius? Reſpondetur hujuſmodi omittentem ſolum includi, ſi non merè negative ſe habeat, ſed poſitive, aut phyſice, aut moraliter ad illas concurrat. Si enim poſitive concurrit, jam comprehenditur in illis verbis *ſive aliàs auxilium, aut favorem, publice, vel occulte in quolibet prædictorum ſcienter præſtiterit*. Auxilium enim & favorem præſtat, qui poſitive ad illas actiones concurrit. Ideo, ſiquis ex Officio, vel juſtitia tenetur aliquem ex præfatis impedire, & id præſtare non eſt legitime impeditus, ſi omittat, ſubditur pœnis dictæ Conſtitutionis. Nam qui poteſt, & tenetur impedire, ſi non impedit actionem illam, cenſetur eſſe illius cauſa moralis. Idque etiam tradit Carena *d. tit. 13. n. 39. & 44.* Salelles *lib. 6. cap. 8.* Quod autem ſufficiat cauſalitas moralis, colligitur ex Conſtitutione, quæ prohibet dare in quavis actione ab illa prohibita, auxilium, conſilium, aut favorem. Conſilium enim cauſalitatem moralem importat, & videtur colligi ex illis verbis ejuſdem Conſtitutionis: *Etiam inermis, ſive capiendi, ſive comburendi, ſive ſupprimendi cauſa fuerit*. Per verbum enim illud *inermis* videtur innui, non eſſe neceſſarium influxum poſitivum phyſicum, ſed ſufficere moralem. Animadvertitur idem quod qui poteſt, ac tenetur impedire, ne quiſquam aliquid faciat, ſi non impediat, illi favet, atque ita inter fautores ad illud agendum annumeratur. At qui merè ſe habet negative & impedire, non tenetur, impropriè favere dicitur, nec agit quod eſt prohibitum, neque agenti favet, ideoque pœnas, in dicta Conſtitutione decretas non incurrit, ut per Caren. *loc. cit. n. 36. & 45.* & Salell. *d. cap. 8.*

Sexto quæritur. Quid dicendum ſit de mandante, conſulente, aut de ratum habante? De mandante non fit in Conſtitutione B. Pii expreſſa mentio. Fit ſolum *in* §. 3. expreſſa mentio de illo, *qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, ſive capiendi, ſive comburendi, ſive ſupprimendi cauſa fuerit*. Cum enim ſit cauſa actionis mandatæ, ſub hac clauſula continetur etiam mandans. At *in illo* §. 3. eſt ſermo duntaxat de damno illato rebus, aut ſcripturis, non autem perſonis. Unde generaliter ex vi dictæ clauſulæ non comprehenditur mandans. Verum *in* §. 4. comprehenditur etiam, *qui juſſerit fieri*. Sed ibi non eſt ſermo, niſi de carcerum effractione, carceratorum emiſſione, aut ereptione, ſive liberatione, capiendi prohibitione, &c. Unde neque vigore dictæ clauſulæ comprehenditur univerſim mandans. Sic quoque *in* §. 2. ubi ſermo eſt de occiſione, verberatione, dejectione ſive perterrefactione, nulla fit mentio mandantis. Dicitur tamen, in hac Conſtitutione comprehendi mandantem ex eo, quod in jure actio tribuitur mandanti, cujus nomine mandatarius agit. Et quia mandans comprehenditur ſub dante auxilium, vel favorem ad quamlibet ex actionibus in Conſtitutione prohibitis. Quod expreſſim *in* §. 4. eſt prohibitum.

Ex eo igitur, quod in Conſtitutione B. Pii V. comprehendantur etiam mandantes fieri aliquam ex actionibus in illa prohibitis, dubitatur primo, an mandans, auxilium, & favorem præbens ſubjiciantur excommunicationi ac pœnis dictæ Conſtitutionis, etiam effectu non ſecuto? Et ſane videtur affirmative reſpondendum. Quia expreſſe in illa dicitur: *Licet nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus, nihil extractum ſucceſſum, direptum, nullumque damnum reipſa ſit ſequutum*. Quibus ex verbis colligi videtur, quod in Conſtitutione non tantum acceſſorie, ſed æque principaliter comprehendantur, & puniuntur, auxilium, conſilium, & favorem dantes, ac occidentes, verberantes, incendentes, captum eripientes, res incendentes &c. ut in ſimili tradunt Doctores *in cap.* pro humanis de homic. Unde mens Pontificis eſt, punire non modò effectum, ſed affectum, conatumque ad illum obtinendum. Quod etiam fit in aliis atrociſſimis delictis, ut videre eſt apud Farinac. *quæſt. 116. num.* 147.

At nihilominus, quod hic ſolus, ac purus interior affectus non puniatur ſine aliqua externa actione, certè apertum, & manifeſtum eſt. Nam Eccleſia de occultis non judicat & ita, ut ne quidem hæreticus mere mentalis ſit excommunicatus. Unde aſſerunt nonnulli, neceſſarium eſſe aliquem actum exteriorem, ut affectus, ſive conatus ſubjiciatur pœnis Conſtitutionis B. Pii V. Cumque ſimus in diſpoſitione odioſa, & pœnali, actus ipſe debet eſſe proximus delicto. Quare in hoc caſu non ſufficit, quod mandans dederit mandatum, vel conſilium, niſi devenerit ad aliquem actum exteriorem, delicto mandato proximum; nec pœna ordinaria, ſed extra ordinem puniendus eſt mandans ex ſolo dato mandato, ſicut de aliis delictis atrociſſimis tradunt communiter Doctores, quos abunde refert Farinac. *quæſt.* 129. *à numero* 90. & in hac ſpecie firmat Carena *d. p. 2. tract. 13. nu. 52. & 59.* & Salelles *lib. 6. cap. 8. n. 164.*

Obſervandum autem eſt, quod alius eſt conatus ad delictum in genere ſumptus, alius per actionem expreſſe, ac æque principaliter à lege prohibitam. In genere in delictis atrociſſimis, ut in crimine læſæ majeſtatis,

conatus

conatos punitur, ſed pœne extraordinarie, niſi pervenerit ad actum proximum delicto, ut per *l. quiſquis, C. ad l. Jul. Majeſt.* & *l. ſiquis. C. ad leg. Corn. cap. quiſquis de pœn. d.* 1. ac per Doctores, quos coagerit Menoch. *de arb. caſ.* 160. *n.* 24. Farinac. *q.* 113. *n.* 152. & 154. Unde quotieſcunque lex mentionem facit de conatu, ac de attentato in genere intelligitur de conato & attentato proximo ad actum, niſi expreſſe prohibeatur etiam conatus remotus, ut explicat idem Menoch. *loc. cit. num.* 147. & *ſeqq.*

At ubi conatus fit per actionem ſpecificam æquè principaliter prohibitam, ſicut in Conſtitutione B. Pii V. prohibetur præbere auxilium, conſilium, & favorem, & quidem verbis negativis expreſſe, quod hujuſmodi præbene auxilium, conſilium, ſeu favorem, punitur, etiam ſi nemo ſit occiſus, ſufficit, quod actio ſpecifica æque principaliter prohibite, & ratione ſui ſit in ſua ſpecie exterius completa. Sicque in hac re ſufficit, quod aliquis ad actiones in dicta Conſtitutione prohibitas, auxilium, conſilium, aut favorem præſtiterit, ut per Menoch. *d. caſ.* 160. *n.* 115 ubi ait, regulam datam, quod ſcilicet non punitur conatus pœna ordinaria, niſi devenerit ad actum delicto proximum, non procedere, quando in ſtatuto exprimitur conatus, ut ſi in ſtatuto expreſſe prohibitus ſit conatus de aliquo delicto patrando. & *n.* 117. id ipſum aſſerit dicendum, ſi in ſtatuto exprimitur quod puniatur v. gr. qui mulierem in terram projecerit, licet hic actus reſpectu fornicationis ſit remotus. Cùm igitur in Conſtitutione B. Pii prohibeatur præbere auxilium, conſilium, & favorem, etiam non ſequuto effectu, dicendum videtur, quod ad incurrendam pœnam dictæ Conſtitutionis, ſufficiat datum auxilium, aut conſilium, aut favor, etiamſi non deveniatur ad aliquem actum proximum delicto.

Sed quoniam pœna ſæpius citatæ Conſtitutionis eſt graviſſima, cùm ſit pœna excommunicationis, infamiæ, confiſcationis, ultimi ſupplicii, efficiens etiam in patre filios, mitior. Sententia tanquam conformior æquitati, ac pietati S. Tribunalis tenenda eſt. Ideoque dicendum, quod dantes auxilium, conſilium, aut favorem, ex hoc motivo non ſunt puniendi pœna ordinaria. Quod profectò fundatur in eadem Conſtitutione. Nam in illa quoad aliquos actus expreſſos ſic punitur conatus, ut tamen non excludatur, niſi delicta præcipue prohibita, & conſummata, nempe, etiam ſi nemo occiſus, &c. Si ergo voluiſſet, quod pœnæ ordinariæ ſubjiceretur ſolus conatus, ſive auxilium, conſilium, & favor, etiamſi non devenerit ad aliquem alium actum, delicto proximum, id quoque expreſſiſſet. Neque admittendum eſt, quod hæc ſint prohibita æque principaliter. Quoniam non ſunt prohibita, niſi ut talia, qualia ſunt, & tanquam acceſſoria, ſive ut media, ordinata ad delicta, præſertim prohibita.

In verbis tamen Conſtitutionis, *ſive aliàs auxilium*, advertenda ſunt hæc verba: *In quolibet prædictorum*. Ex his enim habetur hæc prohiberi in ordine ad certos actus, nimirum ad actus in dicta Conſtitutione maxime prohibitos, nempe ad occidendum, verberandum &c. atque adeo puniri auxilium, conſilium, favorem ad delinquendum, ſive in commiſſione, & executione ipſius delicti, non vero ad alios actus, vel poſt commiſſum delictum, ut per Farinac. *q.* 132. *n.* 41. & *ſeq.* Caren. *loc. cit. n.* 49. Advertenda item dictio *ſcienter*, unde ignorantia excuſat, etiam ſi ſit craſſa, & conſequens, non tamen doloſa.

An autem ad evitandum pœnas Conſtitutionis, ſufficiat revocare mandatum, conſilium, auxilium, & favorem. Reſpondeo, ſufficere ad evitandam pœnam ordinariam, ſi re integra fuerint revocata, & revocatio nota facta fuerit mandatario. Et quoad mandatum ſufficit etiam revocatio tacita, & implicita, ut ſi mandans, occidi Pomponium, in gratiam cum eo redierit, vel illi tradiderit ſuam filiam in uxorem, Menoch. *loc. cit. caſ.* 252. *n.* 7. Farinac. *q.* 135. *n.* 174. & *ſeq.* Gomez *var. reſol. cap. de homic. num.* 40. Carena *eo tit.* 13. *num.* 54. & 55. Suarez *de cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 3. paſſimque alii.

Quid autem, ſi, revocato mandato, aut conſilio, nihilominus ille, cui datum fuit mandatum, aut conſilium, non vult deſiſtere à delicto? Reſpondeo. Sufficit mandanti, ſi revocaverit mandatum; non verò ſufficit conſulenti, ſi revocaverit conſilium, ſed hic tenetur monere illum, in cujus necem conſilium fuit præſtitum, ut poſſit mortem evitare. Ita Gomez *loc. cit. n.* 44. & Farinac. *q.* 129. *n.* 92. Quia mandatum vim habet ex voluntate mandantis, qua ceſſante, ceſſat omnino virtus mandati; ſed conſilium dat accipientis gratia, qui ſi ſemel in animo concipit committere delictum, difficillime deſiſtit, quinimo per revocationem conſilii non revocetur a ſuaus conſilii, qui in ipſe re cognita, conſulto, manifeſta, & approbata conſiſtit, etſi Navarrus *in man. cap.* 27. *n.* 235. quod probabile putat Pueron. *ad Bull. Cœn. cap.* 11. *n.* 54. non adhibet aliam differentiam inter mandantem & conſulentem, niſi quod non ſufficit conſulenti revocare conſilium datum, niſi etiam conetur perſuadere contrarium, non verò aſſerit, eſſe neceſſarium, quod conſulens moneat eum, contra quem fuit datum conſilium; dixitque Innoc. *in cap. ad audientiam de homic.* conſulentem homicidium ſemper debere hortari contrarium, & plus etiam facere, ſi hoc dictat conſcientia, ex ore tamen. Advertendum etenim eſt quampurès Doctores loqui in materia irregularitatis, quæ ex homicidio incurritur, etiam ſine culpa. Unde non valet argumentum ab irregularitate ad excommunicationem, & alias pœnas, præcipue ad pœnam ultimi ſupplicii, & publicationem bonorum.

Eſt item advertendum, quod conſilium ad malum non eſt, niſi de vero malo, per ſpeciem boni, quod vim non habet ad excitandam voluntatem ejus, cui datur, niſi quatenus ſit conforme illius voluntati, illi qui proponat aliquod bonum utile ac delectabile, ſicque conſtantia voluntatis in executione conſilii non eſt ex vi dantis conſilium, ſed ex vi objecti propoſiti, & pravæ voluntatis illius, cui datum eſt Conſilium.

Quare in hac re advertendum etiam eſt, an conſulens manifeſtaverit aliquid, quod aliàs non fuiſſet conſideratum, vel cognitum ab eo, cui datum fuit conſilium, an ſolum propoſuit, quod illi erat jam notum, vel fuiſſet facile ab eo ex ſeipſo conſideratum. Hinc valde durum eſt aſſerere, quod ad vitandam pœnam ordinariam non ſufficiat, revocare conſilium, & perſuadere contrarium. Nam tunc perſeverantia in mala voluntate non eſt ex conſulente, ſed ex commodu, & malitia illius qui à conſilio iniquo non vult recedere, & bonum accipere. Et quatenus etiam opus ſit monere eum, contra quem datum fuit conſilium, advertendum eſt ex Sylveſtro *v. homicidium q.* 8. *n.* 6. quod arbitrio boni viri relinquitur, inſpicere, an ſufficiat monere illum in genere, an in ſpecie de malo, quod illi imminet.

Sed nunquid neceſſarium ſit, quod mandans revocet mandatum, ſi mandatarius illud non acceperit? Affirmat Suarez *de cenſur. diſp.* 44. *ſect.* 3. *n.* 9. ubi cenſet, irregularem eſſe mandantem, ſi mandatarius primo non acceptavit mandatum, & poſtea mutata voluntate juxta mandatum occidit mandantis inimicum, eo inſcio, imo fortaſſe contra ejus voluntatem. Mandatum enim hoc ex non acceptatione non fuit extinctum. Quia non eſt hic ſermo de mandato, ut

inducenta obligationem juſtitiæ, quæ in hoc caſu cadere non poteit, ſed eſt ſermo de mandato, ut importat petitionem ent ſignificationem voluntatis, quæ alium ad agendum inducat. Hæc autem ſemper manet ex vi prioris mandati non revocati. Quia licet aliter non acceptaverit, ſemper tamen retinet hanc æſtimationem, quod qui mandavit, ab ipſo id vult, ac deſiderat; & ſic mandatum ita remanet vivum, ut ex eo mandatarius moveatur ad agendum.

At verò tenendum eſt, quod hoc mandatum non manet, niſi in præſumptione, et æſtimatione perſeverantiæ mandantis, quæ falſae eſt. Et ideo tenendum eſt in hoc caſu, quemadmodum in eo, qui ſine mandato occidit inimicum Pauli ee illius præſompta voluntate, & obſeqnio. Quare, quicquid ſit de incurſu in irregularitatem, id non ſufficit ad incurſum excommunicationis. aut alterius pœnæ latæ contra mandantem, neque eſt neceſſe, qood mandans revocet mandatum. Quoniam ee abſoluta recuſatione illius, mandens meritò habet illud pro extincto, nam habet illud pro non ſuſcepto.

Quid verò dicendum, ſi mandans, vel conſolens non poſſit revocare mandatum, & conſilium, aut monere illum, cui ee mandato vel conſilio imminet malum, extraque omnem culpam, & cauſam hæc facere omittat? Aliqui aſſerunt, quod etiamſi mandans revocaverit manderum, ſi revocationem notam non fecerit mandatario, ſit excommunicatus, ſi mandatarius clericum occidat. Quod clarius exprimit Bonacina de *cenſur. diſp. 7. q. 4. pun 8. n. 15.* ubi tradit mandantem eſſe irregolarem, etiamſi mandans omnia tentaverit, ut revocatio ueptaſſa, vel tacita ad mandatarium perveniſet. Imò id comprobatur, etiamſi mandans pœnituerit mandati, illudque confeſſus fuerit, ſi poſt pœnitentiam occiſio ſequuta fuerit. Quia hujuſmodi effectus eſt mandanti voluntarius in ſua cauſa, ideoque ad culpam imputatur. Citat ſed falſo, pro hac ſententia Suarez *de cenſur. dicta diſp. 44. ſect. 3. n. 5. qui tantum n. 8.* docet, quod, ſi poſt revocationem mandati, notam factam mandatario, conſtet mandanti, quod adhuc mandatarii voluntas perſiſtat in exequendo mandatum, teneatur mandans nedum ee charitate, ſed etiam ex juſtitie monere illom, contra quem eſt mandatum vel in genere, vel in particulati, ut impedtatur mandati effectus; quia mandans tenetur ex juſtitia impedire damna, quæ ae mandato, tanquam ex priori injuria, & injuſtitia ſequi poſſunt, & quæ mandans ſufficienter non impedivit ee ſola revocatione mandati.

Contra verò Catena ae ſt mat quod ſufficiat, mandantem revocaſſe mandatum ad hoc, ut non incurrat excommunicationem dictæ Conſtitutionis B. Pii V. etiamſi ex negligentia notam non fecerit mandatario mandati revocationem. Quia ad contrahendam excommunicationem requiritur dolus, qui ceſſat ex revocationa mandati. Adducit ad id F rioic. *q. 135 n. 181.* Duardum, Altarium, ac Innoc. *in cap. mulieres de ſent. excom.* At Innocentius ibi loquitur in caſu, in quo mandans ſero pœnituit, & non potuit revocationem notam facere mandatario. Cæterum vult, mandantem incurrere cenſuram, ſi potuit prohibere eff ctum, & non prohiboit.

In hoc certum eſt, eſſe neceſſarium, quod mandans notam faciat mandatario revocationem mandati, ſi fieri poteſt; ſed excuſatur à cenſura, & conſequenter à pœna ordinaria ſi fecit, quod potuit; nam ad impoſſibile nemo tenetur. Ita Innoc. *in d. cap. mulieres prope finem*, Gloſ. *in cap. cum quis v. mandato de ſent. excom. in 6.* perperam citate ab Ugolino, Alterio, & Duardo pro contraria ſententia, traduntque Avila *de cenſur. p. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 7.* & Pueron. *d. cap. 11. n. 80.* ubi recte diſtinguit inter mandatum ad lites, & negotia extra delictum, & mandatum de re turpi, ac delicto, quod mandatarius non ſuſcipere, nec exequi poteſt, ideoque non eſt neceſſe ſubiicere mandantem cenſuræ ob utila mandatarii. Et, quicquid ſit, an in hoc caſu mandans incurrat irregularitatem, id mihi ſatis eſt, non valere argumentum ab irregularitate ad excommunicationem, quæ non incurritur à non contumaci. Non eſt autem contumax mandans, qui revocavit mandatum, & non fuit ex culpa negligens in faciendo notam revocationem mandati mandatario. Unde excuſatur à cenſura mandans, qui revocavit mandatum, etiamſi notam non fecerit revocationem, vel quia ſine culpa non adverterit, vel oblitus fuerit, aut judicaverit moraliter impoſſibile, quod poſſet certiorem facere mandatarium. Quia nulla intercedit contumacia, nullaque culpa.

Idemque dicendum, ſi mandans ſerò pœnituerit, & mandatum revocaverit, ſed non habuerit tempus notam faciendi revocationem, ſive pœnitentiam mandatario, qui in hoc caſu, licet ſit in culpa, & puniri poſſit, non tamen incurrit cenſuram, quia deficit dolus contumac, ut ait Innocentius *in d. cap mulieres*, ſed date revocatione, eſto quod intercedat aliqua negligentia non doloſa in notam faciendo revocationem, etſi mandans non excuſetur à cenſura, quia vera intercedit negligentie culpabilis, excuſari tamen poterit à rigore aliarum pœnarum, nempe ultimi ſupplicii, & publicationis bonorum. Et in hoc poterit locum habere ſententia Catenæ. Quia hæc negligentia in faciendo notam revocationem non eſt tanta culpa, ut cum rigore omnium pœnarum punienda ſit. Eſtque diſſimilis ratio excommunicationis, quia eſt pœna medicinalis, quæ etiam in foro interiori incurritur ob culpam; at pœna ultimi ſupplicii, & publicationis bonorum privant hominem vita, & bonis quæ extenditur etiam ad filios, & ideo diminuta culpa, diminuendæ ſunt pœnæ. Eſt quidem manifeſtum minui delictum ex revocatione mandati.

Si verò mandans ante executionem mandati moriatur, ejus mandatum morte expirat per textum *in l. inter cauſas, l. ſiquis alium ff. mandati, l. mandatum C. eod. cap. relatum, & cap licet de Offic. deleg.* ubi Gloſ. *v. re integra.* & Canoniſtæ. Quare mandatarius, cognita morte mandantis, debet judicare extinctum eſſe mandatum, & ſi illud exequitur, ipſi imputandum eſt delictum. Si verò mandatum fuit impletum poſt mortem mandantis, ſed ante notitiam mortis, mandantem non eſſe excommunicatum, ſed ſubjici pluribus excommunicationis effectibus, tenent nonnulli, qui hoc temperant, ut non procedat, ſi mandans revocaverit mandatum, vel pœnituerit, & in Sacramento pœnitentiæ fuerit abſolutus. Sed abſolute tenendum eſt non eſſe excommunicatum, neque alicui effectui excommunicationis ſubjectum, prout docent Gloſſa *in d. cap. mulieres v. mandato*, ibique Innoc. ac ſequuntur Sayr. *de cenſur. lib. 1. cap. 8. nu. 12.* Scortia *theor. 420.* Quia morte mandantis expiravit mandatum, & poſt mortem mandans non eſt capax excommunicationis. Tunc autem aliqui effectus excommunicationis afficiunt mortuum, quando ille fuit excommunicatus vivens, &, non reconciliatus Eccleſiæ, deceſſit. Unde judicandum eſt de tali mandante, ſicut de aliis peccatoribus, qui ſine ſignis pœnitentiæ moriuntur, ſi talia ſigna non exhibuit. In caſu autem dictæ Conſtitutionis B. Pii V. ſi mandans ex ſolo mandato eſſet excommunicatus, ut talis habendus eſſet, ſi non pœnituiſſet ratione mandati, traditi in vita, non autem ratione executionis mandati, factæ poſt ejus mortem, quia ejus morte mandatum expiravit. Et quidem juxta benigniorem ſententiam, quæ vult, quod ſolus conatus, aut mandatum non puniatur in dicta Conſtitutione, niſi proceſſerit ad aliquem actum, delicto proximum,

ſi hoc

ſi hoc non fuerit factum in vita mandantis, ille non ſubjicitur excommunicationi, aliiſque pœnis dictæ Conſtitutionis.

Quando autem mandans revocavit mandatum, & ſufficienter notam fecit revocationem mandatario, ſi ille pertinaciter perſtiterit in voluntate exequendi mandatum non teneri mandantem ex juſtitia monere illum, contra quem commiſſum eſt mandatum, teneat communiter Doctores, idque ad differentiam conſulentis. Neque urget contraria ratio Suarez ſuperius adducta, Quia mandans omnino abſtulit quoad ſe injuriam, quam intulit dando mandatum. Quod ſi mandatarius exequatur mandatum, id non proveniet ex voluntate profecta ex mandato, & à mandante, ſed ex perſeverantia dictæ voluntatis, cujus nulla cauſa eſt mandans; imo dicenda potius eſt nova voluntas, quæ non movetur ex voluntate mandantis, ſi tamen mandans ſine dolo, & fraude, ſincere, ac plene revocaverit mandatum ita, ut mandatarii voluntas non moveatur à mandante in exequendo mandatum ex eo, quia id foret ei gratum.

Quin etiam advertendum eſt, quod hæc monitio facienda illi, contra quem fuit datum mandatum, aut conſilium, eſt valde anceps, præcipue ſi admonitus poſſit ſuſpicari perſonas mandantis, aut conſulentis, & mandatarii, aut ejus cui datum fuit conſilium. Nam timendum eſt, ne ex hoc in eo excitetur odium, ac ultionis deſiderium, neve ſcandala eveniant. Ideo etiam in mandante, qui non potuit notam facere mandanti revocationem mandatario, de quo Doctores ajunt, eum teneri monere illum, contra quem eſt datum mandatum, ut ſibi caveat, exiſtimo cum Puteono *d. cap.11. nu.85.* mandantem non teneri id facere, ſi timeat quod monitus contra ſe, vel contra mandatarium aliquid mali ſuſpicetur. Quia non eſt neceſſe, ut ſe manifeſtet, vel præbeat occaſionem manifeſtationis cum tanto præjudicio, ac periculo, quod probabiliter ex hoc poteſt imminere.

Hæc eadem cum proportione dicenda ſunt de conſulente in caſibus, in quibus tenetur monere illum, contra quem datum fuit conſilium ut ſibi caveat. Eadem pariter dicenda ſunt de auxiliante, aut favente qui tenentur removere auxilium datum, & favorem ut ſiquis dederit arma, tenetur, ſi poteſt, illa repetere. Et quatenus non poſſit, tenetur monere modo jam dicto eum, contra quem datum fuit auxilium, ut ſibi caveat. In his enim intercedit ſaltem obligatio charitatis, qua proximus malum imminens proximo tenetur, quoad fieri poteſt impedire.

Si verò mandatarius executus eſt mandatum per alium, ſi mandans id non prohibuerit, ſed abſolute mandaverit, nec mandatarius cenſetur exceſſiſſe fines mandati, mandans à delicto, & à pœna delicti non excuſatur. At ſi expreſſe mandaverit, ut mandatarius per ſeipſum, & non per alium exequeretur, exiſtimat Ugolinus *p.2. cap.11 §.2. n.5.* mandatarium exceſſiſſe fines mandati, & mandantem non teneri. Id tamen limitat Puteon. *d. cap.11. nu.85.* & vult, quod ſi mandans prohibuerit, ne mandatarius per alium exequeretur, ſolum ex aliquo timore, ut quoniam alium non credebat idoneum, aut timebat mandatum evulgari, eùm tamen aliàs executionem prorſus quovis modo intenderet, quod ex comprobatione cognoſci poteſt, tunc mandatarius non exceſſit fines mandati, niſi quoad circumſtantiam accidentalem, non autem circa actionem, atque adeo incidit in excommunicationem.

Quod ſi mandatarius ex ignorantia, vel errore offendat alium ab illo, quem voluit mandans, ut ſi offendet Cajum miniſtrum S. Officii, eum tamen mandans juſſiſſet offendi Lælium, mandatarius pœnas incurrit, non autem mandans, Quia licet Cajus offenſus ſit occaſione mandati, talis tamen offenſio non eſt ex mandato, ſed ex errore mandatarii, Socin. *in cap. pervenit n.44. de ſent. excom.* Azor. *p. 3 lib.2 cap.8:* Altet. *in can.11. Bull. Cœn. cap.6.* ibique Dua d. *q.14. ac 22. nu.77.* In ea tamen ſententia, quod in hac Conſtitutione B. Pii V. præcipue prohibitum ſit mandatum adeo, ut ſolum mandatum ſubjicietur pœnis Conſtitutionis, jam mandans ratione mandati eſſet excommunicatus, aliiſque pœnis ſubjectus, quicquid ſit, an per mandatarium, an per alium executio mandati effecta fuerit.

Eſt denique advertendum, quod nomine mandati non ſolum venit contractus initus inter mandantem, & mandatarium, ſed etiam juſſio Superioris præcipientis, imo & precatio poſtulantis aliquid fieri. In his enim voluntas committentis, jubentis, ac poſtulantis eſt cauſa propriæ actionis, & mandatarius, ut voluntati mandantis obſequatur, agit. Ideo, ſi voluntas iſta fuerit revocata, & revocatio innotuerit mandatario, ceſſat delictum mandantis, ſufficitque, ut quovis modo hujus voluntatis revocatio innoteſcat mandatario, etiamſi mandans id per ſeipſum non manifeſtaverit. Sufficit etiam, quod innoteſcat revocatio implicita, ut quod mandans pacem fecerit cum illo, quem offendi mandaverat. Quod ſi mandatarius aliquem offendat, non ut executor mandati, ſed alia de cauſa, tunc mandans non ſubjicitur pœnæ, niſi ſimul ex multiplici cauſa, etiam, ut mandati executor, alium offenderit.

Id ipſum dicendum eſt de auxilium dante, et de favente. Conſilium autem conſiſtit in doctrina, & inſtructione ſuadente, nec movet ratione voluntatis conſulentis, ſed ratione argumentorum, quæ conſulens docuit. Et ita, qui agit ex conſilio, non eſt miniſter alterius, ſed eſt cauſa, & agens præcipuus. Interdum verò ſimul jungi poſſunt conſilium, & mandatum, ut ſi mandans poſtulet offenſionem alicujus, nedum in ſui gratiam, ſed quia intereſſit mandatarii, atque id ſuadeat. Quod ſi in mandatario mandatum, vel Conſilium mere concomitanter ſe habeat, quia mandatarius nihilominus offendiſſet ſine mandato, ac ſine conſilio, tunc mandatum, aut conſilium non eſt cauſa efficax offenſionis, niſi offendat ex utraque cauſa. Sed tunc mandatum non ſe habet concomitanter, ſed antecedenter.

Loquendo autem de ratum habente offenſionem factam miniſtro S. Officii, advertendum eſt, quod hæc ratihabitio non prohibetur expreſſe in Conſtitutione B. Pii V. Ubi autem in lege fertur pœna contra mandantem, & non exprimitur, quod locum habeat in ratum habente, non afficit illum, ut ex congeſtis Doctoribus probat Farinac. *q.115.n.71.* Neque admittimus id, quod ſentit Delbene *dub.208. corol 2. nu.4.* nimirum dictam Conſtitutionem B. Pii, tanquam favorabilem, latam interpretationem accipere. Omnis quippe lex, ſi ſolus ejus finis præcipuus attendatur, eſt favorabilis: Id enim eſt de ratione legis, ut feratur favore boni cõmunis; ſed an lex ſit cenſenda favorabilis, an ne, an ve ſtrictam accipere debeat interpretationem, id colligi debet ex materia ſtatuta. Ideoque lex pœnalis non cenſetur favorabilis, præſertim ſi auget pœnas juris communis, quemadmodum facit hæc Conſtitutio B. Pii V. Unde, quod ejus verba ſint proprie intelligenda, & quod in ea non comprehendatur ratum habens, tradunt Carena *d. p. 2. tit. 13. nu.42.* Farinac. *d. q.136. nu.128.* & Salelles *d. lib.6.cap.8.* Et generatim, quod rati habitio delicti non puniatur unà cum delicto, niſi in caſibus à jure expreſſis, probat Suarez *de cenſur. diſp. 4. ſect.3. nu 24.* poſt Gloſ. *in can. ſiquis viduam d.5. &* *in can. ſiquis vivente 31. q.1.* Covar. *in Clem. ſi fur oſus p.2. §.1. nu 4.* Tebter. *v. irregularitas 2. n.7.* Armilla *eod.v. n.21.* Archid. *in can. omnes d.17. q 4* Nec ratihabitio æquiparetur mandato in pœnis fori exterioris.

niſi ſit virtuale mandatum, quale eſt, ſi ante offenſionem, aut patratum delictum aliquis declaret ſibi gratum eſſe, ſi talis, vel talis offendatur.

Cæterum qui poſt patratum delictum ratum habet, patratum etiam nomine ſuo, cùm hæc ratihabitio ſit poſt commiſſum delictum, nullo modo eſt illius cauſa, ideoque non debet attribui ratum habenti, nec ille ſubjici debet pœnis latis contra delictum, niſi lex ipſa ex eo, quod judicet ratihabitionem eſſe puniendam, & mandato æquiparandam, expreſſe ratum habentem includat, ut factum eſt *in cap. cum quis de ſent. excom. in 6.* Et ita, quod excommunicatio lata *in can. 9.* Bullæ Cœnæ contra occidentem per ſe, vel per alium venientes ad ſedem Apoſtolicam non habeat locum in ratum habentibus, trad. Duard. *in d. Bull. can. 16. q. 7.* & Pueron. *cap 9. num. 19*

Dubium autem eſt, quomodo hujuſmodi delinquentes vigore hujus Conſtitutionis ſint puniendi? Pœnæ in ea ſtatutæ ſunt, excommunicatio latæ ſententiæ, & pœnæ debitæ reo læſæ Majeſtatis, &c. Hac in re id eſt obſervandum, hujuſmodi cauſas non eſſe definiendas ab inquiſitoribus, inconſulto ſupremo Tribunali, nullumque arbitrium iis competere in illis moderandis, ut per Caren. *d. tit. 13. num. 95. &* 100. Salell. *lib 6. cap. 8. num. 171.* ac Delben. *dub. 108. corol. 3. num. 6.* Pertinet igitur ad ſummum Pontificem, & ad Congregationem S. Officii cognoſcere, an quiſpiam in caſu aliquem hujus Conſtitutionis inciderit, ac decernere qua pœna puniri debeat. Eadem autem S. Congregatio in his ſæpe æquitatem potius, quàm juris rigorem amplectitur.

Itaque ſi vulnus non eſt lethale, reum damnari ad triremes, vel perpetuo, vel ad decennium, advertit Carena eo *nu. 100.* ubi refert, id ſervatum Cremonæ in verberante baculo teſtem. Perterrefaciente verò aliquem teſtem, non ſequuto effectu, nonnunquam fuiſſe dimiſſum cum objurgatione, et intimatione Conſtitutionis ex Monaldo, refert idem Carena *ibidem.*

Excuſari autem poſſunt hujuſmodi offendentes perſonas, & res S. Officii, tum ex minori ætate. Minores enim, etiam in atrociſſimis, mitius puniri ſolent, Menoch. *de arbitr. caſ. 356. nu. 43.* Farinac. *q. 60. nu. 108.* Carena *d. tit. 13. nu. 86.* Salell. *d. lib. cap. 8. nu. 168.* Sic enim, etiam in crimine hæreſis, minores abjurata hæreſi, non puniuntur pœna ordinaria, Simanch. *de cath. instit. tit. 19. num. 56.* & Pegna *p. 1. in direct. com. 13.*

Excuſat etiam ignorantia, ſive illa ſit facti, ut ſi offendens ignorabat, perſonam offenſam eſſe miniſtrum S. Officii. Hæc enim ignorantia facilius præſumi poteſt, maxime ſpectatis qualitatibus perſonarum & locorum. Sive ſit juris probabilis. Hæc tamen arbitrio S. Congregationis excuſare poteſt, ut pœna minuatur, Carena *loc. cit. nu. 93.* & Salell. *ibid. nu. 171.* In S. Officio ad excludendam hanc ignorantiam in expeditione reorum ſolet intimari hæc B. Pii V. Conſtitutio, & quando opus eſt, rogantur rei ad dandam fidejuſſionem de non offendendo accuſatorem, denunciatorem, teſtes.

Excuſat etiam cauſa offenſionis, ſi offendens ex cauſa privata, & ex privato odio, etiam non plene probato, vel ex cauſa amoris alicujus mulieris, ex quo ſolere minui pœnas, probat Farin. *q 98. n. 77. 81. &* 83. Carena *ubi ſupra nu. 86. & ſeq.* Exque aliis cauſis de quibus Farinac. *q. 98.* & Zanard. *tom. 2. in fine.* Pœna quoque ordinaria, imo nec pœna admodum gravi, eſſe puniendum filium, qui patrem eripuit à manibus ſatellitum S. Officii, eſſerit idem Carena *eo loco nu 38.* Offendens eum, à quo temere ſuſpicatur, ſe delatum eſſe ad S. Officium, non comprehenditur in Conſtitutione, ſi de protegendis, ideoque reus puniendus eſt pœna extraordinaria, videlicet tribus ictibus funis publicè cum inſcriptione, & cum exilio à loco delicti, habita pace ab offenſo, ac refectis eis damnis, & intimata dicta Conſtitutione.

Quod verò ad torturam ſuper intentione, & quoad abjurationem, dicendum eſt, utramque poſſe habere locum, ubi offendentes S. Officium per actiones prohibitas in dicta Conſtitutione ſunt ſuſpecti de hæreſi. Sed quoniam plerumq; res in illa prohibitæ non committuntur in contemptum Sacri Tribunalis, ac fidei, neque ex intentione favendi hæreſi, ſed ex amore, aut odio privato, idcirco hujuſmodi rei regulariter non abjurant juxta doctrinam Ugolini *in Clem. 1. nu. 160. de hæret.* ibique Zabarel. *§. Verum 1. nu. 7.* & Farinac. *q. 182. nu. 81.*

De hac Conſtitutione, *ſi de protegendis* B. Pii V. lege, quæ in aliis tomis ſparſim ſcripſimus in quibus omnes ferè caſus ad eam ſpectantes, diſcutiuntur. Cæterum Bullas concernentes S. Officium, niſi data ſit certa forma, poteſt publicare Ordinarius, vel Inquiſitor.

Bulla Pauli quæ incipit, *Romanus Pontifex*, prohibens Superioribus Regularium procedere contra ſuos ſubditos in cauſis S. Officii, non impedit, quin Prælati regulares juriſdictionem, quaſi Epiſcopalem habentes, poſſint contra ſuos ſubditos, tam ſæculares, quàm regulares procedere. Quod intelligendum eſt de illis Prælatis, qui habent territorium ſeparatum, & exemptum à juriſdictione Epiſcoporum. Eadem extenduntur ad partes ultra montes.

Bulla Cruciatæ, cujus vigore duellantes prætendunt abſolvi poſſe in foro conſcientiæ, ipſis non ſuffragatur in foro exteriori, quin propter hujuſmodi delictum puniri poſſint. Et hæc Bulla in Ditione Mediolanenſi non eſt in uſu.

Bullæ editæ ſuper articulo fidei, reddunt contravenientes ſuſpectos de fide.

Committens homicidium in perſonam teſtis examinati in S. Officio contra ſeipſum, vel ſuos, tradendus Curiæ ſeculari.

Temere ſuſpicans, ſe delatum fuiſſe ad S. Officium, ut propterea delatorem ſuſpectum offenderit, vel offendi mandaverit, non comprehenditur in Bulla, ſi de protegendis; puniendus tamen pœna extraordinaria, ſcilicet tribus ictibus funis publice cum inſcriptione, & exilio à loco delicti, habita pace cum offenſo, refectiſque ei damnis, & intimata Bulla.

Propinans venenum complici in cauſa fidei, ne deveniat in poteſtatem S. Officii, ſi in loco delicti fuerit publicata dicta Bulla, ſi de protegendis, incidit in ejus pœnas.

Bullæ, literæ Apoſtolicæ, decreta, & expeditiones quæcunque pro S. Officio expediuntur gratis.

Clauſula *extra pœnam relapſæ* in ſententiis minorum 20. annis extra Urbem non debet apponi ab inquiſitoribus, niſi conſulta S. Congregatione.

Clauſula, quæ ponitur in facultatibus, ut videlicet utantur in partibus, in quibus nullus eſt Epiſcopus, reſpicit tantum facultates, quæ præjudicant juriſdictioni Ordinariorum, ſcilicet deputandi concionatores, & diſpenſandi in gradibus prohibitis.

Clauſula *ad effectum hæreſes redarguendi*, apponi ſolita in literis patentibus licentiarum legendi libros prohibitos, non obligat ad actualem confutationem hæreſium.

Clauſula, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, &c. abſolventes, in Brevibus apponi ſolita, non importat abſolutionem ab hæreſi.

Clauſula ſolita in facultatibus abſolvendi ab hæreſi, videlicet, *non tamen Itales vel Hiſpanos, aut alios apud quos viget S. Inquiſitionis Officium*, debet intelligi de hæreticis fugitivis à ſua patria, non autem de apoſtatis à fide, licet hi largo modo ſint hæretici.

Ideo

Ideo poſſunt Nuncii Apoſtolici recipere omnes Apoſtatas fugientes à Turcis, qui apud illos actus apoſtaticos fecerunt, & eos juxta qualitatem eorum confeſſionis expedire. Quod etiam facere poteſt Ordinarius in foro exteriori, non autem in foro conſcientiæ vigore Bullæ in Cœna Domini.

Quòd autem ad Cruceſignatos, hi præſtant juramentum juxta formam tranſmiſſam ad Inquiſitores Ditionis Mediolanenſis, & Eccleſiaſticæ. Et quoad geſtandam Crucem rubeam ſervent ſolitum.

Poſſunt ex privilegio ſemel abſolvi à caſibus reſervatis, non obſtante decreto S.Congregationis ſuper Epiſcopis & Regularibus.

Cruceſignatorum Oratoria viſitant Ordinarii, illiſque unà cum Inquiſitoribus confratres reddunt rationem adminiſtrationis.

Consultatio CXCI.

An Libri hæretici, athei, magici, ſortilegi, ſuperſtitioſi, aſtrologici fatariorum, ſive mathematici, genethliaci, Onirocritici, chiromantici, & quomodolibet divinatorii, Thalmudici, Kabaliſtici, Rabbinici, & hujuſmodi alii, juſtè ab Eccleſia damnentur?

ET quidem juſtè ab Eccleſia prohibentur, ac etiam comburuntur libri ab hæreticis editi. Eſt certiſſimum ac pertinens ad fidem. Hujuſce pœnæ exemplum habetur *Act. cap.* 19. ubi dicitur *Multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Quod poſtea ſecuta Synodus Nicena prima ſtatuit, ut libri Arianorum comburerentur, teſte Nicephoro *lib* 8. *cap.*18. Tum Synodus Epheſina, quæ Neſtorii libros curavit ubique flammis addici per Theodoſium Imperatorem, datis ad eum Synodicis litteris, quæ tom.1. Concilii Epheſini *cap.*88. & apud S.Cyrillum leguntur. Idem actum in Concilio Calcedonenſi ubi in quinta Synodo generali Conſtantinopolitana ſecunda immediatè ante *can.* 1. ita ſancitur adverſus hæreticorum libros. *In memoria tenentes promiſſiones de Sancta Eccleſia factas, & qui dixit, quod portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, id eſt hæreticorum mortifera lingua, recordantes autem, & quæ per Oſeam de ea prophetata ſunt, in quibus dicit, & ſponſabo te mihi in fide, & cognoſces dominum, hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiiſſima conſcripta; & eoſdem ipſos hæreticos, qui uſque ad mortem in ſua impietate permanſerunt, patri mendacii Diabolo connumerantes illis dicemus: Ecce vos omnes ignem accendiſtis, & convaleſcere faciſtis flammam ignis, ambulabitis in lumine ignis veſtri, & per flammam, quam accendiſtis.* Septima Synodus generalis Nicena 2. *can* 9. jubet deponi Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui libros adverſùs Sacras Imagines editos legunt, vel apud ſe reſervant, cæteros autem excommunicari. In Concilio Conſtantienſi *ſeſſ* 8. Libri Joannis Vuiclef, & Joannis Hus ſeveriſſimè prohibiti ſunt, nec non omnium hæreticorum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ac demùm in Concilio Tridentino, cujus etiam juſſu Index librorum ad calcem ipſius eſt editus, ut omnes ſcirent, qui libri cavendi ſint ignique tradendi. Undè & de hac re D. Clemens *lib.*1. *Conſtit. cap.*7. refert Apoſtolorum Sanctiones. In Bulla verò Cœnæ ſoli Hæreticorum libri nunc exprimuntur, non eorum, qui de hæreſi ſuſpecti ſunt, cum in Conſtitutione B.Pii V. etiam libri magicæ artis comprehenderentur, quia ſimul cum hæreticis etiam in magos excommunicatio ferebatur, tanquàm ſuſpectos de hæreſi juxta Navar. *in man. cap.*27. Vivald. *ſ.*2. C *andelabr. in explic. Bul. Cœnæ caſ.* 1. *num.*13. Alter. *tom.* 1. *de cen. &c. lib.* 5. *diſp.*2. *cap.*6. *in fin.* Suar *in ſelect. Bul. Cœn. diſp.*13. *num.* 5.

Ex ſummis Pontificibus S. Leo primus Manichæorum Codices omnes incendit, ut refert S.Proſper *in Chron. ad an.*446. Præterea que *ep.*93. *cap.*15. & 16. vetat pleroſque libros ab Hæreticis conſcriptos, atque Epiſcopos, qui eos ſinunt in domibus fidelium, nec procurant ab iis auferri, habendos eſſe pro hæreticis. Gelaſium Papam ſummo ſtudio conatum fuiſſe, ut libris hæreticorum Eccleſiam purgaret, non ſolum prodit decretum ejus in Concilio Romano, relatum à Gratiano *in Can. Sancta Romana*, verùm etiam, quod cremati ab eo fuerint ante S. Mariæ ædem libri Manichæorum, teſte Anaſtaſio Bibliothecario. Id quod æque à Symmacho Papa ad Conſtantinianæ Baſilicæ valvas præſtitum, tradit liber *de Romanis Pontificibus*; Et cum denuò Stirps infauſta ſub Hormiſda Papa pullularet, ſucciſam ab eo fuiſſe apoſtolica animadverſione, crematis, præter cæteros, codicibus, ſcribit idem Anaſtaſius. Nec non etiam *in Adriano ſecundo, & præfat. ad Octavam Synodum*; librum ſcriptum Photii adverſùs Nicolaum Papam, ipſiuſmet Photii fœtum, prius per legatos S.Ignatii Patriarchæ, & Baſilii Macedonis pedibus conculcatum, gladioque perfoſſum, ab Adriano in Synodo Romana apud S Petrum, repetito in Photium autorem anathemate fuiſſe combuſtum, cœlo ipſo ſuffragante. Nam ſuperveniente ſubito pluviæ alluvione, non modo ignis non reſtinctus fuit, verùm etiam incenſus vehementius, picco fucare ea incendio fœtentiſſimi voluminis uberrimè inhalato. Juſſu quoque ejuſdem Pontificis cautum eſſe, ut eodem modo, quo Romæ impia Photii ſcripta Conſtantinopoli flammis injicerentur, ibidem narratur, & ita factum eſſe patet ex octava Synodo *act.* 8. ubi in Epiſtola ad Baſilium Auguſtum, Adrianus ita vult: *Omnia exemplaria cremari igne, contemplantibus cunctis, ut ne unus quidem apex, aut iota indè ſuperſit.*

Nicolaus Papa ſecundus in Concilio Romano coram 113. Epiſcopis juſſit ipſummet Berengarium ignem ſuccendere, & in eum conjicere librum hæreticum, ut ſcribit Lanfrancus initio confutationis Berengarii. Liber autem ille hæreticus, quem Berengarius ſuæ hæreſeos fontem habuerat, & quem propterea adactus eſt ipſemet in ignem projicere, erat liber cujuſdam Joannis Scoti, ut habetur in fragmento hiſtoriæ Aquitaniæ.

Similiter Innocentius Secundus *ep.*16. *apud Abelardum*, poſtulatis Concilii Remenſis annuens, libros errorum Petri Abelardi, & Arnaldi de Brixia incendio damnavit, idque de Abelardo Gaufridus Claravallenſis *lib.*1. eorum quos de S.Bernardi vita ſcripſit *cap* 5. expreſſe edicit, & jam ante factum Sueſſione à Legato Romanæ Eccleſiæ teſtatur S.Bernardus *epiſt* 193. *ad Ivonem Cardinalem, &* 191. *ad Innocentium ſecundum* nomine Concilii Remenſis, ubi liber Abelardi de Trinitate, igne examinatus dicitur, quia inventa eſt in eo iniquitas.

Hanc ipſam librorum hæreticorum prohibitionem, & exuſtionem, quidquid in contrarium dicant hæretici, ac præſertim Oecolampadius, tanquam juſtiſſimam, & approbarunt, & docuerunt, ac ſervarunt Sancti ac veteres Patres, qui ſi allocutiones hæreticorum ſeverè damnarunt, ut Cyprianus *ep.*40. & 55. Leo *ſerm.*18. *de paſſione*, & alii, multò magis & ſcriptionem, ut ponderabitur infra in rationibus. Clemens Alexandrinus *lib.*5. *ſtromatum* id inſigni ſchemate expreſſit. *Sed nec omnibus*, inquit, *qui impudenter, ac temere dicunt, & ſcribunt, oportet aures præbere; nam culices quoque, qui à multis ſumuntur per aures, hoc eſt uniſes, aures quidam amittunt, præterea autem etiam ipſi excidentes confringuntur. Eodem modo ii quoque, qui multis augis fidei caſtam inceſtarunt auditionem, ad*

veritatem

Digitized by Google

veritatem jam tandem obſurdeſcentes & inutiles fiunt, & in terram decidunt. Non ergo temere pueris præcipimus auribus eos apprehendentes, ut oſculantur eos, qui ad ipſos attinent. Hoc utique tacitè ſignificantes, ingenerari per auditum ſanſum delectantis. De hoc autem oſculandi more, cujus meminit Clemens, late agit Lilius Gyraldus *dialog.*8. oſculum ſic infixum vocans Florentinum, nec non Gulielmus Canterus *lib. nvvar. Lect. cap.*25.

S. Alexander, Epiſcopus Alexandrinus ſub finem illius inſignis Epiſtolæ adverſus Arium, quam refert Theodoretus *lib.*1. *hiſt. cap.*4. omnia Arii, & Achillæ, ac complicum ſcripta proſcribi vult, eo quod veritatem loqui nolint. Eodemque ſeculo S. Pachomius ex ſenin tunc orthodoxorum Patrum, ac totius Eccleſiæ quanto odio averſaretur libros hæreticorum, oſtendit, qui, ut legitur *in ejus vita cap.* 7. ſpeciatim Origenis, quem hæreticum habebat, execratus eſt volumina, & univerſos fratres ſollicitius admonuit, ut non ſolum ipſi Origenis libros refugerent, ſed nec legentibus quidem aures præberent; cumque aliquando volumen ejus repeiiſſet, aquis illud confeſtim merſit, & aliis monachis, ut idem præſtarent, autor fuit, ut *ibidem cap.*45. proditur, additurque *cap.*53. morientem quoque id injunxiſſe. Ac ut autor eſt Gregorius Nazianzenus, *orat.*19. S. Cyprianus libros magicos palam exuſſit, & teſte Athanaſio *lib. 6. de incarn. Verbi.* ad Chriſtianam religionem converſi impiæ vanitatis libros incendiis tradebant.

Divus Joannes Chryſoſtomus, qui ſequenti vixit ſeculo, omnem diligentiam adhibuit, & ſuffragante Theodoſio imperatore perfecit, ut pulſis ex urbibus Montaniſtis, & Eunomianis eorum codices comburerentur, eique debetur Lex Theodoſii adverſus hæreticos illos, & eorum ſcripta. Joannes Moſchus, alias Eviratus, Prati ſpiritualis ad Sanctum Sophronium Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcripti *cap.* 46. refert quendam Abbatem Cyriacum à Beatiſſima Virgine fuiſſe increpitum, quod libros Neſtorii aliquandiu apud ſe, etiam rei neſcius, depoſitos habuiſſet. Et Socrates *lib.* 1. *cap.*14. ſcribit Marcellum Ancyranum fuiſſe damnatum, quod libros ſuos erroribus refertos, flammis tradere recuſaſſet.

Sacræ autoritati accedit ſæcularis Principum, ac Imperatorum Chriſtianorum, qui ſecu è interdixerunt librorum hæreticorum lectionem, eoſque etiam comburi juſſerunt. Primumque Euſebius *lib.* 3. *de vita Conſtantini cap.*64. refert in hanc rem legem ipſius adverſus veteres hæreticos, & eorum libros. Extat & alia ejuſdem apud Socratem *lib.*1. *cap.* 6. de comburendis Arianorum libris. In ea Imperator, gregis noſtri, ait Theodoretus, Zorubabel, eandem Ario quam Porphyrio, ignominiæ notam inuſtam vult, ut quemadmodum capitalis illi chriſtianæ Religionis hoſtis conſcriptos in eam ſuos nefarios libros igni adjudicatos viderat, ſic Arii libri impietate nihilo minores, eadem ſorte eſſent, & nullum ejuſdem monimentum relinqueretur ad poſteritatem. Quod ſiquis librum ab Ario compoſitum occultaſſe deprehenſus eſſet, nec illum ſtatim in medium productum injeciſſet in flammas, eum mox, ut eſſet comprehenſus, capite mulctandum edixit Imperator piiſſimus. Capitale enim eſſe voluit Sotadeas Cinædias & impietates hoc eſt Thaliam, quam Arius impuriſſimus hæreſiarcha ad ſimilitudinem Sotadæ Ægyptii in lucem ediderat, aliaſque ejus impietates publicare. Quod utinam omnem ſuam vim noſtra hac ætate obtineret.

Memorant legem illam, & ad Neſtorii, ac Neſtorianorum libros extendunt Theodoſius, & Valentinianus Auguſti *in l. damnato C. de hæretic.* Unde laudantur à Pelagio Papa in *Epiſt. ad Epiſcopos Iſtriæ.* Valentinianus quoque & Marcianus *in l. quicunque C. ead. & in l. quoniam C. de Epiſcop. & Cler.* non minori zelo adverſus Eutychianorum, & Apollinariſtarum libros, & ſacrilega, ut vocant, ſcriptorum monumenta armati, ea quiſquis haberet, aut ſervaret perpetua deportatione damnarunt, ipſos vero libros ignibus tradi, & flammis obliterari perverſitatem, ſanxerunt. Cujus etiam edicti meminit Juſtinianus ea lege, qua Anthimi hæretici in quinta Synodo *act.*1. *damnati*, & Severi ſecundum nomen ſuum Acephali, impios libros ignibus addicit, pœna truncationis manuum, immo & capitis ex Nicephoro *lib* 17. *cap.*9. iis intentata, qui tale quicquam ſcripſiſſent, exſcripſiſſentque.

Extat Novella 42. de vetitis Manichæorum, & Montaniſtarum libris ſub pœna capitis, cujus meminit Petrus Siculus in hiſtoria de Manichæis, laudans eam ob cauſam Catholicos Imperatores. Aymonius verò *lib.*3 *de reb.* Franc. *cap.*77. & autor appendicis ad hiſtoriam Francorum Gregorii Turonenſis *nu.*8. referunt edicto Recaredi Regis ex Ariano Catholici, libris omnibus hæreticorum ſubjectum fuiſſe ignem. Mandato Tiberii Imperatoris librum Eutychii Conſtantinopolitani hæretici eos meteriella convicti, crematum eſſe, ſcribit S. Gregorius Papa *lib.*14 moral. *cap.* 32. Habetur etiam edictum Caroli Magni adverſus libros hæreticos *lib.* 1. *capitul. cap.* 28. nec non apud Cochlæum *lib. de actis Lutheri anno* 1540. illud Caroli V. Imperatoris de libris hæreticorum igne cremandis.

Nec ſolum catholici, & Chriſtiani, ſed etiam Ethnici libros noxios, & contra receptam religionem editos, damnare conſueverunt. Plato enim poëtarum libros, qui de Diis ſuis parum modeſtè, ac religioſe loqui videbantur, repudiandos, exterminandos, & explodendos cenſuit *lib.* 7. *de legib.* Athenienſes Protagoræ libros; in quibus de Diis male ſentiebat, eo quod dubitaverit, utrum Dii eſſent, in foro combuſſerunt, & præconis voce è ſingulis, qui illos haberent, ſibi exhiberi mandarunt. teſte Tullio *lib.*1. *de natur. Deor.* Romæ cautio Ædilium erat provide, ne quid in vulgus ederetur turpe, vel impium quod religioni officeret. Id ex Tacito annal. *lib.* 4. perſpicuum eſt in damnatione Cremutii Cordi, viri ſapientis, & docti, quem Tyberius Cæſar ad mortem compulit, & ejus libros incendi juſſit. Egreſſus dein Senatu, inquit, vitam abſtinentia finivit, libros per Ædiles cremandos cenſuere Patres, ſed manſerunt occulti, & editi. Auguſtus Cæſar ſupra duo millia fatidicorum librorum græcè, & latine conſcripta, concremavit, & Livius lib.39. *quoties*, inquit, *hoc patrum, avorumque ætate negotium eſt Magiſtratibus datum, ut vaticinos libros conquirerent, atque comburerent?* Idem *lib.*25. tradit, edixiſſe Senatum, ut quicunque libros vaticinos, precationeſve, aut artem novo, & externo ritu ſacrificandi conſcriptam, haberet, eos libros omnes, litteraſque ad ſe referret, ſcribitque Valerius Maximus *lib.*1. *cap.*1. quòd cùm Romæ reperti fuiſſent libri quidam, qui non nihil videbantur ſolvere religionem, Prætor Urbanus ex autoritate Senatus in conſpectu populi eos cremavit. Unde ſæpenumero miratus ſum Senecam *lib.*10. *contrav.* ſcripſiſſe excogitatam fuiſſe novam & inuſitatam pœnam adverſus Labienum, ſupplicia de ſtudiis ſumendi, nimirum ut ejus libri incenderentur. *Hanc hercle publica*, inquit, *iſta in pœnas ingenioſa crudelitas poſt Ciceronem inventa eſt. Quid enim futurum fuiſſet, ſi ingenium Ciceronis Triumviris libuiſſet proſcribere?* Et cum vehementius, & iracundius invectus eſſet in iſtum morem, & ejus autores, qui ingenium, quod natura maxime ſubduxit à parentis, perduxerunt ad corporia mala, hæc addit, quæ viſum eſt hic inferere, quia

ſunt

ſunt elegantia, ſcitu digna, & ad rem noſtram: *Facem ſtudiis ſubdere, & in monumenta diſciplinarum animadvertere, quanta, & quam non contenta certa materia ſævitia eſt; Dii melius, quod eo ſeculo illa ingeniorum ſupplicia cœperunt, quo & ingenia deſierunt. Ejus, qui hanc in ſcripta Labieni ſententiam dixerat, poſtea viventis adhuc ſcripta combuſta ſunt, jam non malo exemplo, quia ſuo. Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec ſuperſtes eſſe ingenio ſuo voluit, ſed in monumenta ſe majorum ſuorum ferri juſſit, atque ita includi, veritus ſcilicet, ne ignis, qui nomini ſuo ſubjectus erat, corpori negaretur. Non finivit tantum ſe ipſe, ſed etiam ſepelivit. Illo tempore, quo libri Labieni & S. C. urebantur, Caſſii Severi hominis Labieno junctiſſimi, bello dicti res ferebatur: Nunc me vivum uri oportet* inquit, *qui illum edidici*. Succenſet ſine cauſa Stoicus. Quæcunque enim calumnioſe, ac impie, & pernicioſe ſcripta ſunt, haud merentur aliam lucem, quàm flammarum ultricium. Rex quoque Antiochus Epiphanes ratus veteris Teſtamenti libros eſſe noxios ſuæ ſuperſtitioni, ac impietati, edicto omnes ab eorum lectione prohibuit, ejuſque milites inventos libros igni combuſſerunt, *Machab. lib. 1. cap. 1.* Pari impietate, ac errore mentis Diocletianus imbutus, nefariis edictis imperavit ut ſacra omnia volumina igni mandarentur, Euſeb. *lib.* 8. *cap.* 2. ac Nicephor. *lib. 7. hiſt. cap.* 3. Et Ulpianus *in l.* 4. §. *tantundem ff. famil. erciſc.* apertiſſimis verbis aſſerit libros improbatæ lectionis protinus eſſe corrumpendos. Eos etiam aſſimilat malis medicamentis, pro quibus Judex Officium ſuum interponere non debet. Paulus etiam Juriſconſultus *lib.* 5 *recept. ſent. tit. ad leg. Cornel. de ſicar.* libros, inquit magicæ artis apud ſe nemini habere licet, ac penes quocunque reperti ſint, bonis ademptis, ambuſtiſque eis publicé, in inſulam deportentur.

Demum id probatur ex ſtudio, quo ſemper niſi ſunt hæretici tum antiqui, tum recentiores, quos in hac re, licet ſint noſtri inimici, tanquam Judices adduco, libri Catholicorum, qui ipſis habentur hæretici, exterminentur. Qua in re licet graviter peccarint, judicium tamen eorum, quo hæreticos libros comburendos eſſe judicarunt, malum, & à ratione alienum non fuit.

Rationes multæ ſunt, hæ autem præcipuæ. Primum, quia periculum hæreſis amant, qui hæreticorum errores diſperſim in eorum libris latos, curioſa indagatione ſcrutantur.

Deinde quia ſi jure, ac merito hæretici, eorumque colloquia & ſermones, tanquam peſtilentes vitantur, ex D. Paulo *ad Tit.* 3. certe conſequitur etiam rectiſſime vitari, prohiberi, atque comburi ipſorum libros. Plus namque libri mali, quàm mali ſermones nocent. Nam diuturniores ſunt, & ad plura loca adque plurium manus perveniunt, & magis quæ leguntur, quàm quæ audiuntur in animo hærent, ac facilius etiam perſuadent, cùm ſint meditate & accuratius compoſita. Idque confirmat experientia. Joannes enim Vuiclefus viva voce pauciſſimos pervertit. Docuit namque ſolum in Anglia, ibique fere nullos reliquit ſui erroris hæredes. At per libros totam Bohemiam pervertit, ut videre eſt apud Cochlæum *in hiſt. Huſſitarum.* Unde non reperitur prodigium magis monſtroſum, quam liber hæreticus, qui nulli parcit ætati, nulli hominum generi. Eodem tempore plures provincias corrumpit, & inſidiis appetit etiam nondum natos. Et ſi enim viva vox pro inſtanti ipſius diſputationis & colloquii, interdum magis afficiat, &c. ut ait Hieronymus, *de præceptoris ore in auditoris animum vox transfuſa fortius ſonet*, poſtea tamen citò ex memoria excidit ubi libri, quibus ſiſtitur anima ipſa & malignitas hæreticorum, pulchrè ſane dicente Themiſtio orat. 13. *Animam ego ſapientis hominis, illius ſapientiam eſſe arbitror ac mentem atque ſermonem, ſepulchra verò ejuſmodi animarum libros ac ſcripta, in quibus tanquam in monumentis recondita earum reliquiæ ſervantur*, quique ſemper ad manus habentur, ſemper etiam ſe menti ac memoriæ ingerunt, eoque periculoſius, quod pigmentis, ſeu floſculis artis rethoricæ errores ſuos deſcribunt, falſiſque vera, & malis bona tanto artificio aſſuunt, ut omnia vera bona incauti, ac imperiti facile ſibi perſuadeant, immo & docti viri inde multoties decipiuntur, cujus varia non deſunt exempla. Olim enim Ruffinus, Amonius, Palladius & alii ex lectione librorum Origenis, hoc autem ævo Claudius Spencæus, aliàs inſignis Doctor Pariſienſis, lectione tamen librorum prohibitorum, ut ſe à Cardinali Peveo accepiſſe teſtatur Andreas Duvallius *tract. de fid. q. 7. art.* 5. in nonnullos errores lapſus eſt, ſicut & Albertus Pighius ex lectione librorum Calvini apud Ruardum Taperum *art.* 8. Ferdinandus Velloſillus *in advertentiis ad 9. tom. D. Hieronymi quæſ.* 9. refert rationem hujus præcepti Sanctiſſimi, nec non etiam revocandi omnea licentias antea conceſſas legendi libros hæreticorum, quod in Concilio Tridentino, cui ipſe præſens erat, quidam Doctor, cùm diſputatio verſaretur circa verum ſacrificium & propitiatorium, quod in Miſſa offertur, adeo fuit adductus in ſententiam hæreticorum, quorum ſcripta legerat, ut à maxima Patrum parte publicè acclamatum fuerit, hic Lutheranismum ſapit. Ergo, ſubdit, expertus ſum Doctorem Ægidium, & magiſtrum Conſtantinum, ambos Canonicos Magiſtrales Eccleſiæ Hiſpalenſis, ab Inquiſitoribus ut hæreticos merito damnatos, quorum cauſa perditionis fuit lectio librorum hæreticorum.

Ad hæc, ſi expedit Rempublicam malis hominibus expurgari, ut illa pace ac tranquillitate fruatur *l. congruit ff. de Offic. Præſid.* eo magis expedit expurgari improbis libris, qui ſunt magis apti ad diſſenſiones, ac tumultus excitandum.

Præterea libri hæreticorum comburuntur non ſolum propter falſam doctrinam, quæ in eis continetur, ſed etiam ne remaneant facinoroſæ perverſitatis veſtigia *d. l. damnato §. nec vero C. de hæret. & d. l. quicumque §. omnes vero C. eod.* Hinc nomina, atque inſignia hæreticorum in lapidibus, vel alibi ſculpta abraduntur & abolentur, Albertin. *de hæret. q.* 11. Pegna *in directr. p.* 2. *com* 4. Memoria autem ex libris conſervatur. Idque confirmant tradita per Bartol. *per textum in l. cum ſiant §. repetundorum ff. de leg.* 2. ubi damnata memoria defuncti, teſtamentum ejus declaratur irritum.

Inſuper, quia præfatæ leges maxime conducunt ad hæreticorum famam penitus delendam. Quippe cum nihil aliud, quàm vanam hominum gloriam captare, ac ſui nominis memoriam ad poſteros tranſmittere ſtudeant, id meliùs impediri non poteſt, quàm eorum libros, non ſolum interdicendo, verùm etiam comburendo; Quod cum ab Eccleſia olim præſtitum fuerit, cauſa eſt, cur nulli ampliùs ferè extent veterum hæreſiarcharum libri.

Poſtremo libelli in injuriam privati hominis conſcripti, & eorum Authores capitali pœna coercentur *l. un. C. de famoſ. libel. l. lex. Cornelia § ſi quis librum ff. de injur. l. ob carmen ff. de teſtib. l. eum legos § is cui; & l. fin. ff de teſtam.* traditque Clar. *in §. fin. verſ. libell famoſi.* Ergo multo magis ſupprimi, & comburi debent libri conſcripti in contumeliam Chriſti ac ejus Eccleſiæ.

Non obſtat quod libri hæreticorum continent multa vera & utilia, ideoque non debent prohiberi, ſtultum enim eſt propter aliqua falſa & inutilia, privare ſe etiam veris, & utilibus. Hinc Apoſtolus 1. *Theſſ.* 5. *numero* 2. ait: Omnia probate. Quod

bonum

bonum eſt tenere. Alioquin multorum Patrum ſcripta eſſent prohibenda. Exẽplum extat *in cap. 2. de ſum. Trin. & fid.* ubi quamvis fuerit damnatus tractatus, quem Abbas Joachim edidit contra Petrum Lombardum de unitate ſeu eſſentia Trinitatis; tamen non fuerunt damnata Inſtituta Florenſis Monaſterii, quia continebant ſalutarẽ in Inſtitutionem & conſervationẽ regularem.

Nam reſpondetur hinc potiùs ſequi non debere legi hæreticorum libros, eo quod vera falſis, & bona malis permiſceant. Sic enim decipiunt lectorem. Nam ſi ſola falſa & mala dicerent, ſtatim ab omnibus rejicerentur. Si ſola vera & bona hæretici non eſſent. Itaque de induſtria omnia miſcent, ut ea malis bona inficiant, & per bona, mala ſua abſcondant. Unde Hieronymus *ep. 7. ad Latam. Venena*, inquit, *non dantur, niſi melle circumlita.* Deinde ſi bona & vera volumus cognoſcere, facilius & ſecurius ex catholicorum, quàm hæreticorum libris cognoſcemus, juxta illud ejuſdem Hieronymi *ep. 80. ad Furium:* Eorum dumtaxat tractatus lege, quorum fides nota eſt. Non neceſſe habes aurum in luto quærere.

Cum autem finis, propter quem Hæretici aliquid boni, aut veri in ſuis libris permiſcent, nihil aliud eſt niſi ut facilius valeant legentibus falſa propinari, Beda *apud Marc. cap. 1. & in act. Apoſt. cap. 16.* Chryſoſt. *in Matth. homil.* 47. Turrecrem. *in Can. Sanctu Romana d.* 15. *Catur. in Specul. haret. conſid.* 10. ac Brunus *de haret. lib. 6.* ideo nullatenus poteſt dici bonum, vel verum, quod eſt ordinatum ad ſuadendum malum, & falſum, quia finis eſt ille, qui in rebus attenditur *l. receptum ff. commun. l. cum furioſus ff. de judic. l. non intelligitur §. quando autem ff. de jur. fiſc. §. ſufficit inſtit. de ingen.* Et hæc eſt ratio ob quam viri ſancti exiſtimant, Chriſtum prohibuiſſe Diabolo, ne fateretur veritatem Luc. *cap.* 24. Sic teſtis in parte falſus rejicitur in omnibus, nec fidem meretur quoad vera, Bald. *in l. fin. nu.* 18. *Cod. de edict.* D. *Adrian.* Innocen. *in cap. fraternitatis num.* 1. ibique Oſtien. *num.* 6. Anan. *num.* 4. Felin. *num.* 28. *de haret.* Alex. *conſ.* 27. *num.* 3. *lib.* 2. ubi de communi Pariſ. *conſ.* 74. *num.* 21. *lib.* 1. & fusè Farinac. *de Teſtib. q.* 67. *num.* 211. Nec ratio, propter quam Hæreticorum libri damnantur, eſt tantùm falſitas doctrinæ, ſed etiam ut ipſorum memoria pereat. Ideoque etiamſi in veris ceſſaret ratio falſæ doctrinæ, prout non ceſſare oſtendimus, non ceſſarent utique aliæ rationes, quæ ſufficiunt, ut remanere debeat eadem diſpoſitio *l. liberorum §. primo ff. de his, qui not. infam. l. ſi vero lex ff. de hared.* Cum ſimilibus, & docent Baſsolus & Albericus *in l. ſiquis ad exhibendum ff. de except. rei jud. §. in bonis*, Sylvan. *conſ.* 25. *num.* 29. *lib.* 1. Cæphal. *conſ.* 151. *numero* 27. *lib.* 2. & Sarnen. *in reg. de infirm. quaſtione* 21.

Illud autem Apoſtoli ſignificat, omnia, quæ dubia & incerta ſunt, debere examinari non ab omnibus & ſingulis, ſed ab iis qui poſſunt & quibus ex officio incumbit: ſicut enim non eſt omnium, ſed medicorum explorare, qui morbi ſint contagioſi, & qui non ſint, ita non eſt omnium, ſed paucorum examinare quid ſit hæreticum, & quid non ſit. Unde Hieronymus d. *ep.* 7. *ad Latam* rectè ait, *grandis eſt prudentia aurum in luto quærere.* Quando autem facto examine quædam approbata, & quædam rejecta ſunt, tunc non opus eſt iterum examinare, ſed ſtandum eſt examini, ac ſententiæ ſemel factæ. Eodem modo quando libri hæreticorũ ſemel ab Eccleſia examinati, & damnati ſunt, tunc non debet quilibet eos iterum examinare, niſi fortè ad refellendum, ſi hoc alicui ſpeciatim imponeretur à Prælatis Eccleſiæ.

Quinimmò Apoſtolus ibi non agit de lectione librorum hæreticorum, ſed de multis revelationibus, quibus in primitiva Eccleſia plerique donabantur, inter quas cùm aliquæ à dæmone, transfigurante ſe in Angelum Lucis immitterentur, propterea dixit, *omnia probate. Quod bonum eſt tenete.* Non vult tamen probationem harum revelationum ſeu ſpirituum, eſſe immediate cujuslibet fidelis, ſed Prælatorum Eccleſiæ à quibus populus probationem, & judicium debet expectare. Ex quo ſi ad lectionem librorum hæreticorum hoc teſtimonium traducatur, non debebit unuſquiſque de populo eos per ſe legere, & examinare, ſed potius per ſuos Prælatos, illos refutantes.

Quod verò ad Abbatem Joachimum ille non fuit damnatus. Nam, ut dicitur *in §. d. cap. 2. de ſum. Trinit. & fid. cath.* ille ſemper eam fidem tenere profeſſus eſt, quam profitetur S. Romana Eccleſia, à qua paratum ſe exhibuit corrigi, & ideo non potuit tanquam hæreticus reprobari, quamvis erraverit in fide, *can. apertè* 24. *quaſtione* 1. *can. hac eſt* 1. *quaſtione* 3. Imol. *in rubr. de ſum. Trin. numero* 11. *quaſtione* 10. ſed fuit tantum damnatus libellus, ſeu tractatus. Et ideo cùm auctoris perſona non fuerit in fide ſuſpecta, meritò ab uno tractatu damnato non infertur ad alium, ex vulgati *l. Papinianus ff. de minor.* Unde ad rem non facit exemplum aliorum Patrum, qui in ſuis libris in aliquo errarunt. Licet enim illa ſint errata, non tamen ſunt apta ad nocendum, quia non habent pertinaciam, ſed animi promptitudinem ad ſe corrigendum quoties aliter fuerit ab Eccleſia definitum. Secus eſt in hæreticis qui habent mentem Chriſtianæ veritati repugnantem, nec corrigi ſunt parati. In illis Eccleſia conſuevit quidem corrigere libros, ſed perſonas illæſas conſervare. In iſtis errores ſimul cum perſonis damnare. Unde *in d. cap. 2. ſub initio, & §. fin.* error Abbatis Joachimi corrigitur, Almarici vero errores propter ejus pertinaciam ſimul cum perſona damnati ſunt.

Quare ſi ſermo ſit de libris quorundam nonniſi materialiter hæreticorum, hoc eſt, quorundam Patrum, quos ante definitam ab Eccleſia veritatem aliquam, contigit aliqua veritati Catholicæ contraria docere, quales fuere Irenæus, qui materialiter impegit in Millenariorum aſſertionem, Cyprianus, qui hæreticorum anabaptiſmum defendit, Caſſianus, & Fauſtus Rhegienſis, aliique plures, certum eſt in illis multa eſſe bona, & utilia fructuoſeque poſſe legi, quamvis cautio, ne quis impingat, adhibita jam olim ſit à Gelaſio Papa *in can. Sancta Romana d.* 15. Immo idem dicendum eſt de aliis libris ac auctoribus non materialiter tantum, ſed etiam formaliter hæreticis conſcriptis, quales ſunt libri priſcorum hæreticorum, quorum hæreſes cùm prorſus exoleverint, non videt impendere ab illis periculum ullum, ſed potius fructus ſperari poteſt non tenuis, quatenus inter docendũ quæ Eccleſiæ ſcitis non conſentiunt, alia plura tradunt, quibus veritates Catholicæ ex priſco Eccleſiæ uſu firmari, ac ſtabiliri poſſunt. Hujuſmodi ſunt, ut alia omittam libri Origenis, Euſebii, Pelagii, & Tertulliani libri de pudicitia, de jejunio, de fuga in perſecutione, de monogamia, & exhortatione caſtitatis, quos adverſus Eccleſiam ſcripſit, & in quibus tamen quammulta ad Chriſtianos uſus, & dogmata contra ſectarios peropportuna ſuppeditant. Unde non immerito ab Eccleſia tolerantur præſertim Tertulliani. Nam ipſe docuit cum Montano, illicitum eſſe ſecundum matrimonium, & duas, aut tres quadrageſimas eſſe obſervandas. At noſtri temporis Novatores ne unam quidem ſervant quadrageſimam, & non ſolum ad ſecundas, ſed etiam ad tertias, & quartas nuptias procedunt, & proh ſcelus! etiam vivente prima, & ſecunda uxore, ut metuendum non ſit, ne iterum excitẽtur errores Tertulliani. Secus autem libri modernorum hæreticorum, ex quibus talis utilitas haberi non poteſt, ſed multa potius mala, ſi legantur, oriri. Sique aliqua continent bona, non ſunt talia, quæ ſive loquentiam potius, quàm eloquẽtiam ſive materiam conſideres, non habeantur melius in Catholicorum

licorum libris, ut late oſtendit Caſtrius *lib. 1. de juſt. hæret. punit. cap. 16.* & ut aliquid ignorandum eſſet abſque hujuſmodi libris, præſtaret illud ignorare, quod ſit iſta ignorantia tutior. Quod D. Auguſtinus *ſer. 31. de verb. Apoſt.* dixit de hæreſibus.

Si verò ſermo ſit de libris hæreticorum, in quibus non materiæ fidei, ſed aliæ indifferentes tractantur, nonnulla quidem eſſe in illis bona, ideoque ab Eccleſia tolerantur. Verum, cùm adhuc non ſint talia, quin pro majori parte meliora, & melius à Catholicis ſcribuntur, ut ſatis patet ex evidictate, qua hæretici eorum libros typis mandant; quæ intus & apud nos habemus, foris non ſunt exquirenda.

Nec obſtant nonnulla Sanctorum exempla, Dionyſii nempe Epiſcopi Alexandrini, & Martyris divinitus admoniti, ut hæreticorum libros redarguendi cauſa legeret, quantumvis ſibi videretur ad notam polluì, cujus verba hæc ſunt in epiſtola ad Philemonem Romanum presbyterum apud Euſebium *lib. 7. cap. 6. Ego verò etiam hæreticorum commentarios, & traditiones legis parumper quidem animum meum impuriſſimis illorum cogitationibus commaculare, verum id utilitatis inde capiens, ut eas apud meipſum redarguam, & multo amplius abominer. Et cùm à fratre quodam presbytero prohiberer, qui verebatur, ne malitia illorum ſcriptorum cœno involverer, unde anima mea perderetur, qui, ut ſenſi, verum dicebat, viſio quadam divinitus oblata eſt, qua me confortaret, & ſermo ad me factus perſpicuè præcepit dicens, lege omnia, qua in manus tuas venient, valebis omnia expendere, & probare, & hinc data eſt tibi initio fidei occaſio. Acceptavi viſionem hanc tanquam Apoſtolica voci conformem ad potentiores dicenti, ſitis probati diſpenſatores* 1. Petri 1.

Theophili item ejuſdem Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopi, cùm in Synodo Ebdomiana unà cum cæteris Epiſcopis, qui aderant, univerſa Origenis volumina damnaſſet, ac editis etiam ſcriptis publicè confutaſſet, nunquam tamen lectionem ipſorum intermiſit, cumque ab amicis interrogaretur, cur libros illos iterum complecteretur, quos ante rejeciſſet, Socrates *lib. hiſt. Eccleſ. cap. 17.* refert, eum hunc in modum reſpondiſſe: *Origenis libri ſimiles ſunt prata omnis generis floribus ornata. Itaque ſiquid boni in illis reperio, illud excerpo, ſi verò ſpinoſum quid viſum fuerit, hoc tanquam aculeatum prætereo.* Id ipſum legitur de D. Hieronymo, qui in epiſt. ad Minerium, & Alexandrum fatetur ſe legiſſe libros hæreticorum, ut bona inde excerpat, etiamſi ſciat aliquos propterea de ſe murmurare.

Minus obſtat, quod Zacharias Papa decreto ſuo vetuerit, quod Synodus Romana juſſerat, cremari libros Adalberti inſani hæretici. Nam hæc objectio non eſt idonea. Zacharias enim *in ea epiſtola, qua habetur 138. inter epiſtolas S. Bonifacii*, tali prohibitione nequaquam conſuluit incolumitati librorum hæreticorum, quaſi juſte non poſſint prohiberi, & cremari, ſed tantum voluit unum præfati Adalberti, & ejus ſectatorum, librorum exemplar ſervari in ſcriniis Romanæ Eccleſiæ. Cùm enim is à pleriſque haberetur, ut Sanctus, intererat Eccleſiæ ejus libros impietatibus craſſiſſimis, & apertiſſimis refertos non protſus perdi, ut ſi quando res ferret, ex operibus probaretur iniquitas autoris.

Denique non obſtat, quod Eccleſia toleret libros Gentilium, Judæorum, Turcarum, & quorumdam etiam veterum hæreticorum, ut Origenis, Tertulliani, Euſebii, & Pelagii. Ergo eadem ratione poteſt tolerare libros aliorum hæreticorum.

Reſpondetur primo. Libri Gentilium ideo tolerantur, quia non nocent. Nam errores, qui in illis continentur, jam mortui, & extincti ſunt, nec habent ullos amplius propugnatores. Quod ſi inter chriſtianos aliqui eſſent, qui Gentilium dogmata propugnarent, tunc meritò prohiberentur ipſorum libri, ut factum eſt tempore Apoſtolorum ex Clemente *lib. 1. Conſtit. Apoſtolic. cap. 6.*

Reſpondetur ſecundo. Libri Turcarum, & Judæorum ſunt melioris conditionis, quàm hæreticorum. Quia illi ſunt aperti hoſtes chriſtianorum, nec fallunt ſub nomine chriſtiano, ut faciunt hæretici. Loquimur autem de libris Turcarum, & Judæorum, qui non continent blaſphemias in Chriſtum, & qui judicantur non eſſe perniciosi chriſtianis, alioqui etiam prohibentur in Indice à Clemente octavo edito, & nominatim Talmud Judæorum, de quo *infra*, & de libris Rabinorum Porr. Imola *cenſ. 4.*

Idque extenditur, ut procedat, ſive libri contineant falſam doctrinam contra Religionem, ſive contra bonos mores. Nam & iſtos etiam à Republice eſſe eliminandos, docet Ariſtoteles 7. *politic. cap. ult.* Unde idem in poët. *cap. 1.* recte reprehendit Hermogenem, & Nicochairem, quod hominum corruptos mores carmine expreſſiſſent. Et Scaliger *lib. 3. poët. cap. 126.* quæ vel umbram, inquit, præ ſe ferunt obſcœnitatis abs te ſcribi, neque ab aliis ſcripta legi jubeo. Quid enim ſis aliud, quàm is, cujus lectione delectaris. Et in appendice: genus, ait, epigrammatis, in quo fœditas ineſt, hoc non ſolum à Republica Platonis, ſed toto orbe terrarum, & ipſum, & ejus autores exulare jubeo.

Atque ex his vana convincitur prima cauſa ſuſpicionis falſitatis adverſus Romanam Eccleſiam, quam angi aſſerebat Marcus Antonius de Dominis in præfatione ſui libri, cui titulus de Republica Eccleſiaſtica, illam his verbis explicans. *Quam mihi ſuſpicionem augebat tam exacta, tamque rigoroſa, & domeſtica, & Romana diligentia, qua caveri accuratiſſimè perſpiciebam, ne libri Romana doctrina contrarii, à quoquam noſtrum teneantur, vel perlegantur.* Quis enim tam præclari quæſtoris ingenium non ſtupeat? Hæreticorum libri exacta, rigoroſaque Romanæ religionis diligentia ab Orbe catholico expelluntur. Ergo adverſus Romanam religionem falſitatis ſuſpicio augenda eſt. Si ita arguere liceat, id quoque ipſi concludendum erit, primævam Eccleſiam tempore Apoſtolorum apud eum juſta ſuſpicione non carere, qui magorum, ac hæreticorum libros publico igne comburi juſſerant, ut legitur Act. 19. & ſub eadem ſuſpicionis nota comprehenderentur Synodus Nicena prima, & ſecunda *can. 9.* et Imperialia edicta Conſtantini magni, Juſtiniani Novella *conſtit. 42.* qui de Severi hæretici libris ita imperat: *Ne maneant Severi ſcripta penes aliquem chriſtianum, ſed ſint profana, & aliena ab Eccleſia catholica, igne comburantur à poſſidentibus*, Theodoſii, ac Juſtiniani, quæ habentur *in 5. Synodo generali collat. 5.* ubi de hæreticorum libris id ſtatuitur: *Nemo eos codices audeat legere, poſſidere, aut ſcribere, quos oportet omni cum diligentia inquiri, & ubicunque inventos publice coram omnibus comburi.* Alterius quoque Theodoſii qui de Neſtorii libris præſcribit *epiſt. ad Iſid. Præf. Prat. Decernimus præterea, ut quis impios nefarii, ſacrilegoque Neſtoris libros in poſterum teneat, aut legat, aut tranſcribat, quos etiam omni ſtudio, ac diligentia undecunque conquiſitos publice incendi volumus.* Idem quoque decretum in Synodo Chalcedonenſi *act. 3. & in l. quicunque C. de hæret.* ac alibi ſupra.

Additque poſtremam ſuæ ſuſpicionis cauſam, quam eam eſſe affirmat, quod Romana Eccleſia in ſupprimendis hæreticorum libris ita laboret, ut de ejus doctrinæ ſufficientia, ac veritate jure, meritoque dubitetur. *In quibus*, ait, *abſcondendis, ſupprimendis, perdendis*

dendis adeo laboratur, ut hoc ipſo latere aliquid mali liceat ſuſpicari, aut convellendæ doctrinæ noſtræ non ſufficiat. Si à pharmacopolis perquiratur, cur ex Magiſtratus edicto venena publice non vendantur, mox ab iis ea cauſa reddetur, quod ea tantum publice exponi debent, quæ ad hominum utilitatem, non perniciem vergunt. Et hæc quidem juſta cauſa eſt. At ſi id à Marco Antonio de Dominis quæratur, quid reſponſurum putares? Non aliud ſanè, quàm quod venena idcirco à Magiſtratu publice exponi prohibentur, quod aliquid in venenis lateat, quod Magiſtratus impotentiam, aut legitimam poteſtatem accuſet. Quid hæreticorum libri, niſi venena ſunt, teſte Nazianzeno *orat.* 1. *de fide*? Cur autem venenata hæreticorum ſcripta ex Eccleſiæ lege publice legenda non exponantur, ſi orthodoxos Eccleſiæ Doctores, ſi Concilia, ſi antiquas Eccleſiæ conſuetudines, quæ nuper attulimus repellit, reſpondeant vel ipſi pharmacopolæ, eam juſtam cauſam eſſe, quod ii tantum libri publice in Eccleſia permitti debeant, qui ad publicam Eccleſiæ utilitatem conferant. Quare potius non ſuſpicandum, ſed certò aſſerendum eſt in hæreticorum libris non vim aliquam, aut invictum doctrinæ robur, ſed venenum latere, quod Romana Eccleſia pia diligentia, ac materna cura à filiis arcere ſtudet.

Inquirendum autem eſt, quo jure prohibita ſit Lectio librorum hæreticorum. Et quidem certum eſt jure naturali ac divino in uno caſu prohibitam eſſe, nempe quando eſſet periculum defectionis à fide.

Jure autem humano lectio librorum hæreticorum prohibita eſt diverſis locis, ac temporibus, & hæc prohibitio duplex eſt. Una ſpecialis, qua certi tantum libri, altera generalis, qua omnes prohibentur. Generalem prohibitionem puto cœpiſſe ſub Julio Tertio Summo Pontifice. Nam ſi ſpectemus leges civiles, quæ antea latæ ſunt, in illis certorum tantum hæreticorum libri prohibentur, ut Arii, aut Eunomii, aut Porphyrii, aut Eutychianiſtarum, & Apollinariſtarum, aut Neſtorii, aut Severi, Manichæorum, Origenis, ac ſimilium. Similiter ſi ſpectemus decreta Eccleſiaſtica, ea vel profecta ſunt à Conciliis provincialibus, vel à generalibus, vel à Summis Pontificibus. Decreta primi generis non obligant omnes chriſtianos. Reliqua non prohibent omnes libros hæreticos, ſed tantum certos, verbi gratia Synodus ſeptima prohibet tantum libros Iconoclaſtarum, Concilium Conſtantienſe libros Vuiclefi, Gelaſius Pontifex eos tantum, quos in ſuo decreto nominat. Leo decimus, & Paulus tertius libros tantum Lutheranos. Primus ergo fuit Julius tertius, qui tulit generalem legem, qua ſine ullo diſcrimine omnibus prohibetur lectio quorumcunque librorum hæreticorum, idque ſub pœna temporali & ſpirituali, quæ in hæreticos conſtituta eſt. Poſt Julium idem fecerunt Paulus quartus, Pius quartus, ac cæteri ſubſequentes Pontifices in Bulla Cœnæ Domini.

Generalis verò prohibitio librorum hæreticorum hoc tempore duplex eſt. Una continetur in Bulla Cœnæ cum adjuncta excommunicatione, reſervata Pontifici. Hinc ſequitur, poſſe aliquem incidere in excommunicationem Judicis ita, ut non incidat in excommunicationem Bullæ, ſi nimirum legat libros, qui prohibiti ſunt in Indice, non tamen prohibiti ſunt in Bulla, cujuſmodi ſunt illi, qui continent aliquos errores, tametſi non hæreticos, aut errorum ſuſpicionem, ut notat Toletus in explicatione Bullæ.

CONSULTATIO CXCII.

De Libris atheis, & magicis.

Libris hæreticis adjungo atheos: nam ſedimentum hæreſeos eſt atheiſmus, ut dixit Clemens Alexandrinus. Loquor enim de iis atheorum libris, quibus ex ſtentis Numinis expreſſe ac directe impetitur. Quin potius, ut Theodoretus *init. ſerm. de provid.* egregie diſputat, par eſſet, omnes plane mortales, immo & omnes res creatas armari in ultionem tantæ atrocitatis, & Deo pro innumeris nominibus, quibus illi omnes obſtringuntur, ſtipendiarium hoc obſequium pendere. S. Gregorius Thaumaturgus *in Origenis laudatione*, omnium ab eo, præterquam hujuſmodi librorum lectionem probatam, ait verbis illis: *Philoſophari nos itaque jubebat, ut omnia quotquot extant, veterum tum philoſophorum, tum poëtarum ſcripta colligentes, nihil omnino rejiceremus, nihilque repudiaremus, necdum vim habere judicandi poteramus, præter ea, quæ atheorum eſſent, qui à communi hominum ſenſu diſcedentes, Deum, aut providentiam eſſe negant. Hæc enim ne digna quidem eſſe, quæ legantur, ne qua forte re inquinaretur nobis animus, qui cum pietatem colere debeat, ſermones audiat divino cultui repugnantes. Neque enim ii, qui templa adeunt, religioſum putant quidquam omnino profanum contrectare. Horum itaque libros iis, qui pietatem profitentur, nullo in numero eſſe debere.*

Convenit aptè his libris, quod ſpeciatim de libris Theodori Mopſueſteni blaſphemiarum, & atheiſmorum plenis, dixit quinta Synodus *collat.* 8. *Cùm in medium prolata ſunt blaſphemia codicibus inſerta, mirati ſumus Dei in his patientiam, quod non divino igne ſtatim incenſa eſt lingua, & mens, quæ hæc eructavit, & nunquam conceſſiſſemus procedere lecterem prædictarum blaſphemiarum præ ſola memoria illarum, indignationem Dei timentes, ut pote una quæque blaſphemia magnitudine impietatis antecedentem ſuperante, & mentem auditoris funditus permovante, niſi eos, qui talibus blaſphemiis glorsantur, videremus indigere confuſione per manifeſtationem earum eis inferenda, ut nos omnes zelo blaſphemiarum contra eum expoſitarum incenſi, & in medio lectione, & poſt ipſam, exclamationes, & anathematiſmos contra Theodorum, ut viventem, & præſentem faceremus. Propitius ſis Domine, neque enim vel dæmones auſi ſunt talia contra te loqui. O intolerabilem linguam illam? O pravitatem? O altam illam manum, quam oſtendit contra Creatorem ſuum. Scripturas ſcire miſer ille pollicitus, non meminit Oſee prophetæ dicentis. Væ illis, quoniam exilierunt à me, fumoſi facti ſunt, quia impii fuerunt in me, iniqua locuti ſunt adverſum me, & adverſum me excogitantes, loquuti ſunt peſſima. Ideo cadent in frumen, propter improbitatem linguæ ſuæ. Hic contemptus eorum in ſinu eorum, quia tranſierunt teſtamentum meum, & adverſus legem meam impie egerunt.*

Qua in re prævierant Chriſtianis Ethnici. Prothagoram namque Abderitem, quod in dubium revocaſſet, eſſetne aliqua divinitas, ſeque profeſſus eſſet dubium ea in re, Athenienſes è ſuis finibus expulerunt, & libros ejus, quibus hæc continebantur, in concione exuſſerunt, ut autor eſt Lactantius *lib. de ira Dei cap.* 9. Libros Tullii de natura Deorum, quod multitudine Numinum abroganda, atheiſmum inducere cenſerentur à nonnullis quidem ob verborum lucuientiam retentos, à pleriſque tamen prorſus repudiatos, & dignos viſos, qui publico edicto abolerentur, teſtatur Arnobius *l.* 3. *n.*5. Hi, ut ſubdit Arnobius, tametſi errore ducti, tamen intercipere ſcripta, & publicatam ſubmergere lectionem, rebantur juſtiſſimum, quippe pertinens ad defenſionem divinitatis. Senatuſconſultum adverſus libros atheos, & improbatæ religionis recitat Livius *dec.* 3. *lib.* 5. quo eadem ex cauſa Senatus cremandos edixit libros quoſdam à trajiciente aratrum ad Numæ ſepulchrum

reper-

repertos, qui ſi vulgati fuiſſent, receptam religionem, et cultum Numinum violaturi viſi ſunt. Rem ex Varrone refert Lactantius *lib. 1. inſtit. cap. 22.* & S. Auguſtinus 7. *Civit. cap. 34.* & 35. Teſtatur item Juſtinus *in apol. ad Antoninum*, decretam apud Ethnicos fuiſſe mortem contra eos, qui Hyſtaſpis, & Sybillæ, & Prophetarum libros legerent, quod inde everti ritus patrios & induci atheiſmum criminarentur. Alexander Vates *apud Lucianum in Pſeudomante* librum Epicuri, tanquam atheiſmi fermentum, medio in foro combuſſit lignis ficulneis, & cineres abjecit in mare. Edicto publico antiquos eam ob cauſam libros Epicuri addixiſſe flammis, teſtatur Cleomedes *lib. 2. Cyclicorum theorematum*. Exterminari libros poëtarum de Deo indigne ſcribentium, mandat Plato *lib. 2. de republ.* quod ſcilicet hæc ſit ad atheiſmum lata, & expeditiſſima via.

Ac leges ferè quaſcumque ethnicorum Principum, quibus Chriſtianorum libris perditio ſæpe eſt indicta, ſpectaſſe ad hanc librorum atheorum prohibitionem, ob inducendi per eos atheiſmi metum, certum eſt. Nihil enim apud priſcos fidei chriſtianæ propugnatores, Juſtinum, Athenagoram, Arnobium, Lactantium, aliosque frequentius, quàm Chriſtianos atheos, chriſtianam religionem atheiſmum audire. Ac proinde libri chriſtianorum in quos plurime ſunt lata Ethnicorum Principum edicta, nominatim verò Diocletiani, ut auctor eſt Euſebius *lib. 8. hiſt. cap. 3.* eo nomine ad incendium tanto ardore inveſtigabantur ab Ethnicis, quod atheiſmum tradere inſimulabantur. In quam rem multa tradit Balduinus *ad lib. 1. Optati.* Verius ea criminatio Manichæos appetiiſſe, quorum item libris Diocletianus ignem ſubjici mandavit, dato ea de re ad Julianum Africæ Proconſulem reſcripto, quod extat in collatione Moſaicarum, & Romanarum legum antiqui ſcriptoris à Pithæo in lucem redditi *tit. 15.*

Graſſatum tamen æque eſſe idcirco incendium Diocletiani juſſu in libros chriſtianos, atque Catholicos, tanquam atheiſmo refertos, & qui chriſtiani ſacros libros ad incendium tradiderunt, dictos traditores, magnoque illa infamia flagraſſe, quæ Cæciliano falsò impacta, ſchiſmatis Donatiſtarum fecit initium, fuſe referunt Optatus, & D. Auguſtinus, agentes contra Donatiſtas. Et de hoc per Diocletianum excitato librorum ſacrorum incendio, egit Arnobius, cùm ait *ad calcem 4. lib.* queſtus de ethnicis atheiſmum in libris chriſtianis perverſe damnantibus, quo ſcatebant univerſi Ethnicorum libri, ipſi privati Ethnici quanto ardore corriperentur ad ſtragem librorum, quibus Chriſtianiſmus propugnaretur, vel polytheiſmus impugnaretur, quippe quos atheiſmi patrocinium continere interpretabantur, intelligitur ex Lactantio *in ipſo initio lib. 5. inſtit.*

Sunt tamen alii quidem athei non plane formales, de quorum libris non una eſt omnibus ſententia, pauci enim ſunt, qui ita ſint effrontes, ut Deum aperte diffiteantur. Immo ii ipſi, qui nullum eſſe Numen impia apud ſemetipſos mentis agitatione perſuaſi ſunt, omni ope annituntur, ut infamem hanc ſenſum occultent, ſive malignitate nefarii dogmatis latebras amante, ſive formidine pœnarum, aut ſubiti impetus multitudinis, quæ tantæ blaſphemiæ atrocitati, non expectata legum ſeveritate, lapidationem, aut lacerationem rependeret. Qui autem clam profiteantur atheiſmum, reperiuntur non rari. Pomponium Lætum, Domitium Calderinum, Angelum Politianum eam viziſſe vitam, quæ homines mente plane corruptos ſaperet, & atheiſmi ſuſpicionem non levem infigeret, ſunt qui ajunt. Ita enim legere eſt apud Vivem *lib. 2. de verit. fidei cap. 7.* & apud Puterbæum *lib. 1. de tollend. mal. libr.* quammultos hujuſmodi clancularios atheos recentes hæretici intulerint orbi, legitur apud Lindanum in Dubitantio *dial. 2. cap. 9.* & ita diſerte teſtantur, ut Hedio *epiſt. ad Melanchtonem*, & Viretus *lib. 2. de miniſt. verb.*

In hoc hominum ordine ii primo ſunt cenſendi, quibus Religio ludus eſt, & ſine rubore, ac ſine ſcrupulo conſcientiæ facetos agunt, vel potius ſcurras in rebus quoque ſanctiſſimis, ita, ut quamvis aperte Religionem, aut cultum Numinis non proſcindant, tamen ſcommatibus, ac jocis ita deprimant, ut nullo apud ſe loco eſſe, ſat a prodant.

Secundo in eundem ordinem referendi ſunt, qui tametſi de Deo ſileant, quædam tamen dogmata convellunt, ſine quibus conſiſtere non poteſt dignitas, & majeſtas Numinis, ut providentiæ divinæ, judicii extremi, immortalitatis animarum, æternæ vitæ, vel mortis aſſertio. Qui enim Deum improvidum ſtatuit, Deum negat, quia vel amore operum ſuorum, vel poteſtate illis propiciandi, vel cognitione indigentiæ eorum, privare Deum cenſendus eſt, ei curam adimens rerum, quas condidiſſe fatetur. Aut eas certe non ab illo, ſed ab alio quopiam editas, vel ex ſeipſis ſine cauſæ ullius beneficio ortas, arbitretur neceſſe eſt, quorum unumquodque compendiaria eſt ad atheiſmum via. Qui autem judicium extremum, vel animarum immortalitatem, vel vitæ alterius ſtatum non agnoſcit, ea providentiam aperta evertit. Nam cùm in hac vita boni ſere luctantur cum incommodis, ſi alius nullus ſupereſt ſtatus, in quo ad veritatem expandantur uniuſcujuſque merita, & tribuitur cuilibet, quod juſtum eſt, Deum improvidum agnoſcere, atque adeo revolvi in atheiſmum, neceſſe erit.

Tertio aggregandi eidem ordini ſunt, qui animarum immortalitatem ac religionem cultus divini eatenus probandos, ac retinendos cenſent, quatenus ad continendos populos in civili diſciplina, & obedientia politica poſſunt conducere, cæteroqui eas neque curantes, neque probantes. Unde prout firmandi, vel amplificandi principatus opportunitas tulerit, retineri, vel abjici Religionem edocent, utentes ea tanquam perſona ſuper ſcenam. Et ejuſmodi eſſe qui Politici vocantur, notat Veſquez *1. p. diſp. 20.* ex Lindano, & aliis. Suis eos coloribus expreſſit Lenſæus ad finem operis de chriſtiana libertate. Peripateticos in hanc hominum colluviem conjicit Origines *lib 7. contra Celſum*, ejus illos ad oculum, & gratiam hominum Religionis externam formam probaſſe. Inter quos non poſtremum locum obtinet Pomponatius in *libris de immortalitate anima.*

In his libri quoque eorum continentur, qui impiè faceti ſunt. Platonis libri, quibus Socrates Numinum irriſor plerumque inducitur, notati olim ſunt. Eodemque nomine Socratem Atticum ſcurram vocat Minutius *numero* 72. in Gallia peſſime apud omnes bonos ſemper audivit Franciſcus Rabelaius, vere Rabula, & ſcriptor vel Calvini judicio, ut eſt apud Fabricium *in apolog. contra Bezam* plane atheus, cui myſteria quæque auguſtiſſima jocorum argumentum fuere, ut etiam mox animam efflaturus de Sacramento Unctionis extremæ, quod, ut conſuetudini ſerviret exceperat, ac jocans, & cachinnans effutiverit, quæ abſque lacrymis referre, pollutio fuerit. Vixerat aliquando inter Fratres Minores, ſed ad primum buccinæ Lutheranæ clangorem, apoſtatavit, verus Lucianus. Redolent autores genium, facete atheum, ſcripta ejus omnia, quibus plerique dum jocos captant, & remittere ingenium quærunt, atheiſmi virus ſenſim combibunt, & res ſacras nauci habere, ac ſacra quæque jocos ducere, commonentur.

Nicolaus Macchiavellus pater moriturus & ipſe admonitus ſuſcipere ſacram illam extremam unctionem, respondit: *Oscas ime ungendas iter facturo*, Alber. Gentil. *de actorib. fabul. cap.*22. An Lucianus in religionem ſuam jocari potuiſſet acerbius? An irriſiſſet petulantius? Id ipſum dixiſſe fertur Aretinus, ut proinde Scaliger *poetices lib.* 3. *cap.*16. appellet Italos Dei contemptores.

Locum ſibi ſuum in hac claſſe ſcurrarum vendicat Deſiderius Eraſmus, qui de rebus ſanctiſſimis tam jocularia, & ridicula chartis commiſit, ut alter Lucianus audiret homo ad conciraudum riſum factus. Quare graviſſime ac merito quoad Eraſmum de hoc expoſtulavit Albertus Pius & *in Antapologia pro Pio* Geneſius Sepulvede, recundens diligenter, quæ Eraſmus in Moria, itemque in libris colloquiorum impiiſſimis locis ſcetentium, ad ſuam quamcunque purgationem protulerat.

Invebitur quoque Petrus Caniſius *lib.*5. *de Deipara cap.*10. in Eraſmum, dum in rebus ſacris Momum agit, magnam ſimul feneſtram Luthero & aliis erroribus aperuiſſe ad religionem univerſam innovandam, eoſque tumultus conciendos, quibus Chriſtiana Religio miſere concuſſa eſt. Non enim aliud ferè Lutherus habuit, cujus exemplo ad audendum moveretur, quàm Eraſmi licentiam jocularem, niſi quod Eraſmus callidè duntaxat, non aperte, & ita, ut jocos potius captare videretur, rem chriſtianam appetivit, Lutherus, ut erat projectiſſimæ audaciæ, objecta perſona, qua Eraſmus nequitiam regebat, manifeſte, ac palam graſſatus eſt. Itaque quod Kiliſnum Leib, Priorem Rubdorfenſem dicere ſolere ſolitum, ſcribit Conradus Brunna *lib.*1. *de haret. c.*10. *Ubi Eraſmus innuit, Lutherus irruit.* Alii, *Eraſmum dubitare, Lutherum affirmare.* Nonnulli, *foviſſe Eraſmum ova, Lutherum excluſiſſe*, dixerunt.

Quæ ad immanes hujuſce moris errorſiones, & fidei & Sanctorum Patrum ſpectant, legitur Alanus Copus *dial.* 3. *cap.*17. Cromerus *lib.* 3. *colloq. de Relig.* Bellarminus *in præfat. ad libr. de Chriſto.* Poſſevinus *lib. de atheiſm. haret. ac lib. de prævor. novor. Arsanor. ad Eraſmum, & in apparatu ſacro, v. Deſiderius Eraſmus*, Valentia *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 9. *& cap.* 24. Caniſius *lib.* 3. Marialia *cap. ult.* Catharinus *in cap.* 3. *Genes. & lib.* 2. *de certa Sanct. glor. §. de adoratione Imag.* Ferreolus Locrius *lib.* 1. *Maria Auguſt. cap.*4 Henricus Vicus *in opera de commun. Sanctor.* Molan. *lib.* 2. *de Imag. cap.*54. *& ſeq.* Albertus Pighius *lib.*2 *hierarch. Eccleſ. cap.*8. Michael Medina *lib.* 6. *paran. paſſim & lib.* 4. *de ſacror. hom. contin. centr* 1. *capit.* 2. Hieronymus à Rua *quaſt.*4. *poſitiva*, Caſtro *verb. cibus*, *& lib.* 2. *de juſt. haret. punit. cap.*8. Natalis Beda, & Richardus Cenomanus *juſtis in Eraſmum opuſculis*, Marianus Victorius *in ſchol. ad Hieronymum*, Torrentis *in prælud. ad cenſes. Auguſtan.* Jacobus Billius *lib.* 1. *obſervat. Sacrar. cap.* 9. & alii, quos in Eraſmum inſurrexiſſe, notat Franciſcus Floridus Sabinus *lib.* 3. *l. ſubſ. cap.*4.

Ad claſſem ſecundam atheorum clancularioruim ſpectant libri Pomponatii, Cardani, & hujuſmodi alii, quibus animæ immortalitatem ſuſtulerunt. Quanquam prior non abſolutè, ac ſimpliciter mortalem animam cenſuiſſe videatur, ſed duntaxat ſi ratio nuda conſideretur, ut liquet ex opere Contareni Cardinalis de immortalitate, conſcripto adverſus Pomponatium, ipſius quondam Contareni in philoſophicis magiſtrum. Nec aliud cenſendum eſt voluiſſe illos ejuſdem ævi philoſophaſtros, damnatos à Lateranenſi Concilio ſub Leone X. & alios longe ante à Stephano Pariſienſi Epiſcopo anno 1277. vel potius 1287. in reſcripto, quod extat *tom.* 5. *Bibl. Margarini pag.*1319. æque damnatos, quod aſſererent, animam rationalem, ſecundum fidem eſſe immortalem, at ſecundum philoſophiam eſſe mortalem. Certe hi non philoſophi, ſed, ut alia occaſione dixit Valdenſis fileophili habendi fuiſſent, ſi animam ſimul mortalem ex philoſophia, & immortalem ex fide pronunciaſſent. Quomodo enim eſſe, & non eſſe de eodem ſubjecto affirmari poſſit, abſolute & ſimpliciter, etiamſi penes diverſa capita? Animam ergo abſolute videntur agnoviſſe immortalem, quod ita aperte ferant fidei ſcita, quamvis niſi de animæ rationalis immortalitate fide doceremur, ſolaque naturali ratione conſulta, negaturi fuiſſent immortalitatem. De quo vide conſultationem noſtram 152. *tom.* 8. in qua quæritur qua pœna puniendus chriſtianus negans animæ immortalitatem.

Quod tamen ingeniis effrænibus ea negatio animæ, ſpectatis naturalibus principiis, aditus eſſe videatur ad negandam funditus immortalitatem jure libri eo doctrinæ reprobæ fermento vitiati, damnati ſunt, ipſeque Pomponatius, mutata mente, opus ſuum de eo argumento improbaſſe dicitur, variantibus ſententiis, an ad amicorum precibus dederit, an famæ ſuæ, ac nomini caverit, an ea animo audierit Eccleſiam, & palinodiam cecinerit, ut conſcientiæ ſuæ ſatisfaceret. Veneros illud opus addixiſſe ignibus, nec de immortalitate, ſed de mortalitate animæ fuiſſe inſcribendum, tradit Sylveſter *lib.* 5. *de ſtrigimag. cap.* 5. expoſtulans, quod à ſe approbatum eum librum dixiſſet Pomponatius, quod negat ſe unquam cogitaſſe, ſcripſit contra Pomponatium Auguſtinus Niphus & Javelius & nuper Sirmondus. Idem Pomponatius, judice Mirandolano *lib.* 6. *everſ. ſingul.* certum in opere de incantationibus nec philoſophum ſe bonum, nec bonum chriſtianum exhibuit, cum affectus omnes mirificos cœlorum influxibus adſcribat adeo, ut velit & religiones, & leges, earumque latores ab iis dependere. Quare opus illud in Tridentino Indice proſcriptum eſt, & dilatam tandiu fuiſſe proſcriptionem, miratur Delrius *lib.* 1. *magic. cap.* 3. In opere de fato idem Pomponatius multus eſt in evertenda cooperatione Dei nobiſcum qui exploratus error. Quæ omnia ſuſpicionem aliam aliquorum de Pomponatii occulto atheiſmo utcunque confirmant.

De Cardano alia eſt ratio, ſi verum eſt, quod nonnulli referunt, inter quos Delrius *lib.* 2. *magic. quæſt.* 26. nempe aperte eum mortalitatem animæ ſcripto ea de re libro aſtruxiſſe, nec ſe unquam retractaſſe, tametſi de premendo illo opere metu infamiæ, vel etiam ſuppliciorum ſollicitus fuerit.

In reliquis verò ejuſdem Cardani libris fere omnibus magna omnino apparet doctrinæ corruptio perſpectis identidem qua atheiſmis, qua exploratis hæreſibus, qua magicæ impietatis propudiis. Nam *lib. de ſupplem. Almanach. capit.* 22. ſtatuit legem Judaicam à Saturno eſſe, Chriſtianam à Jove & Mercurio, Mahumetanam à Sole & Marte ex æquo dominantibus, quorum alter juſtitiam, alter ſævitiam infundit, Idololatriam à Luna, & Marte. Idem in opere de genituris in octava ait chriſtianam legem foveri ab igneo trigono, Mahumetanam ab aqueo. Et genitura undecima Lutheri ſectam invaluiſſe propter ſpicam Virginis, quam quia Martem admixtum habet, & caudam, infinita capita reddere aſſerit. Vim ſupernaturalem, ſive gratiam gratis datam Galliæ Regibus ad curandum ſtrumarum morbum Cardanus *lib. contradictionum medicar.* ad uſum longum aromatum retulit, ridendus potius, an deflendus, ambigit Brodæus *l.* 8. *miſcel-*

miſcellan. cap. 10. Eſſe enim citra omne dubium gratiam gratis datam, *opertiſſime* evincit Laurent. *l.* 1. *de ſtrum.* Sed deteriora ſunt, quæ de Chriſto ipſo vomuit Cardanus. Chriſtum enim ipſum fato ſubjecit, & quod tali aſtrorum poſitura editus eſſet, oportuiſſe eum in cruce mori, non erubuit ſcribere, verecundante, ut pium eſt arbitrari, charta, & ipſo attramento, ut de Juliano S. Auguſtinus quæſivit, in minium verſo, ad tantam impietatis atrocitatem à S. Auguſtino tanto ante confoſſam *tract.* 104. *in Joan.* ad illud, *Pater, venit hora.* Mundum æternum eſſe, impie affirmavit, ex matis falſo ſuppoſita æternitate, argumentatur. Hominem primo è putri genitum, ſicut mures, aut ranas, effutivit. Energumenos ab atra bile cieri, non ab habitante in eis ſpiritu agitari, commentus eſt. In opere *de ſubtilit. lib. de dæmonib.* ea de domeſtica magia, & patris ſui parcdro, ſcriptis prodidit, quæ ſuſpicionem de ejus furva magia valde luſigunt. In ſumma tam multis, tam tetris, horrendiſque propoſitionibus omnes fere libros ſuos inceſtavit Cardanus, ut damnari meritiſſimo debeat, tanquam homo nullius religionis, ac fidei, & inter occultos atheos ſecundi ordinis, ævo ſuo facile princeps.

Tertiæ claſſis inter clanculatios atheos ductor eſt Macchiavellus Libris Diſcurſuum, ac de Principe uſque eo tetris, ac projectæ in religionem, & ſancta omnia audaciæ, ut ipſi quoque ſectarii in eum calamos ſtrinxerint, & omni ſtudio libros ejus exterminandos eſſe, ſint profeſſi. Hoc item alii & fortiſſime ac diligentiſſime monſtrarunt, ac præter cæteros Thomas Boſius variis in Macchiavellum lucubrationibus, de vera fortitudine, de Imperiorum dependentia à veris virtutibus & aliis nonnullis. Item Molanus *lib.* 1. *de fide heret. ſervand. c.* 3. Catharinus *opuſc. de olim. libr. nox.* Petrus Ribadeneira *in oper. de Princip.* Thomas Fitzhebertus *lib. de infelicit. Princip. Macchiavellian.* Hieronymus Oſorius *in Regis inſt. & de Chriſtian. nobilit. l.* 3. Poſſevin. *lib.* 16 *biblioth. cap* 5. Mesoch. *in Hierep.* Sepulveda *in oper. de milit. diſcipl.* Adam Gontzen *in polit. paſſim* Petr. Gregor. *lib.* 13. *de republ. cap.* 12. *à numero* 21. Henricus Vvangneresh *lib.*2. *&* 2. *vindic. polit. contra Scioppium*, Albergatus *in opere peculiari.*

Docet Macchiavellus illis libris, *ſatis eſſe pietatem, religionem, humilitatem ſimulatione præferre. Quò flaverint venti, eo obvertendam eſſe navem. Cùm neceſſitas tulerit, intrepide peccandum eſſe. Principes probare debere falſa miracula in populo ad populum quò res feret excitandum, & in eundem finem revelationes falſas, tanquam à Deo derivatas, confingendas eſſe, & ſpargendas in vulgus. Fato agi, & regi omnia. Belli juſtitiam in ea, quam ſibi quiſque ſtatuit neceſſitate, conſiſtere. Principi ut omnem ſpem pacis præcidat, violandos eſſe inſignibus injuriis adverſarios. Speciosum prætextum iis, quos Princeps punire velit, eſſe obtendendum. Factiones eſſe alendas inter ſubditos. Pravis moribus implendam eſſe civitatem, aut provinciam, quam ſine bello ulciſci velit. Datæ fides habendam eſſe rationem quandiu commodum eſt. Humanam animam eadem cum anima bruti mortalitate cadere, & perire cenſebat*, idque non occulte muſſabat, ſed ſpargebat in vulgus, ut Catharinus ſupra notat, recte addens, has eſſe diaboli fiſtulas, per quas loquitur, & improvidos pleroſque dementat. At exitus impiiſſimi nebulonis metuendus eſt ejus æmulatoribus. Nam blaſphemans evomuit reprobum ſpiritum.

Sunt ejuſdem genii quotquot omnes religionem habent veluti indifferentem, nec ipſi tantum juſtum Dei judicium ſint experti, ſed eadem ſorte li … eorum libri, hoc eſt pereant ipſi quoque ita, ut nihil tam exitialis, tam deteſtandæ doctrinæ uſpiam ſit reliquum.

Sunt nihilominus quædam apud certos autores tam impie ſcripta, ut expiatorio ferro, & igne, ſi viverent, illis opus foret. Malum eſt illud Plinii l. 2. *cap.* 7. *Quiſquis eſt Deus, ſi modò eſt alius*, vel ut alii legunt, *ſi mundo eſt alius &c.* Tum paulò poſt: *Irridendum verò agere curam rerum humanarum iſtud quidquid eſt ſummum. Anne tam triſti, & multiplici miniſterio non pollui credamus, dubitemuſque?* Cornelius Tacitus *lib* 6. *annal.* quando hiſtoriæ ſerie interrupta, & pro more ſtatuens de ſingulis velut arbiter, poſt ſuas in utramque partem diſceptationes, quærit, dubitatque *fatone res mortalium, & neceſſitate immutabili, an forte volvantur.* Idem alio loco diſſerens de cladibus, quibus afflicta eſt Italia ſub exceſſum Neronis, Deos crudelitatis, & invidiæ in hominum genus politicus teterrimus accuſat. *Nanquam atrocioribus*, ait *lib.* 1. *hiſt. populi Romani cladibus magiſve juſtis indiciis approbatum eſt, non eſſe curæ Diis ſecuritatem noſtram, eſſe ultionem.* Impium eſt hoc etiam.

Marmoreo Licinus tumulo jacet, at Cato parvo,
Pompejus nullo. Credimus eſſe Deos?

Affinis eſt iſtud Claudiani *lib.* 1. *in Ruff.* ſi voluntaria fuit ejus dubitatio, quod facile cenſuerim. Fuit enim, teſte Auguſtino *lib.* 5. *de civit. cap.* 26. paganus & quidem, referente Oroſio *lib.* 7. *hiſt. cap.* 35. pervicaciſſimus.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent Superi terras, &c.

Talis eſt Lucretii de Deo querimonia

fulmina mittat, & ædes
Ipſe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens
Sæviat, exercens telum quod ſæpe nocentes
Præterit, exanimatque indignos, inque merentes.

Ejuſdem epicurei porci grunnitus expreſſus eſt *lib.* 5. contra Dei providentiam, & divinam mentem in hujus orbis molitione. Tales ſunt denique quotquot negant juſtitiam Dei cohærere cum ipſius providentia, & quicunque eximunt res creatas providentiæ divinæ quotquot aliquid ſeu vitii, ſeu indignitatis Deo affingunt, aut volentes de his rebus & divinis perfectionibus ambigunt. Quotquot, inquam, de Deo male ſentiunt impii ſunt, & athei.

Quare de iſtorum hominum libris ſic pauci ſit deciſio. Si ex inſtituto id pugnant, ut extinguant lumen divini vultus, quod ſignatum eſt ſuper nos, proſcribantur longiſſime à Republica chriſtiana præſertim ſi horum deteſtabilium operum artifices inter chriſtianos degant. Bellum enim, quod cum Deo gerunt, tanto exitiabilius eſt humano generi, quo propiores ſunt, & aërem illum, quem hauſimus tetro, & peſtilenti ſuo ſpiritu recentius corrupterunt.

De antiquis autoribus mitius ſtatuo, quia minus eſt ab iis periculi, utpote multorum jam ſeculorum judicio damnatis, atque tam fœde irretitis multis aliis erroribus, ut eorum dicta fidei ſint quamminimæ. Cautio tamen erit locis, quos exempli cauſa indicavimus, aliiſque qui legenti occurrent, apponere ad marginem quædam velut ſtigmata, ex quibus lector intelligat vel prætereundum locum infamem, vel cautè, & animo chriſtiano percurrendum. Sic geminum illum locum Taciti quem retulimus, Juſtus Lipſius compunxit nota pluſquam Thracica. Alterum quidem appoſita hac voce *Epi-curizat*

curizat. Alterum *impia ſententia* & Jacobus Daleſcampius *in cap. 7. lib. 2.* in poſteriore Plinii atheiſmo retractans dictum illud Plinii impium de providentia, hoc appinxit, *hic ſibi caveant veri, ac pii chriſtiani.*

Quod verò ad libros de magia, diſtinguendum eſt. Aliqui enim ſpectant ad Magiam naturalem, alii qui ad panurgicam, quæ eſt diſtinctio Magiæ in qua apeſienda fuſius eſt Calaſiris *lib. 6. hiſt. Æthiop. Heliodori*, & Joannes Picus *inst. apolog.*

Priores, ſi non prætergrediantur fines ſuos, poſſunt permitti. Sunt enim rerum naturalium vires multæ, vulgo abditæ, quas viri, iſtiuſmodi rerum ſtudioſi, longa cura ſcrutati, utive edocti chartis committunt citra periculum ullum, immo cum fructu non medico, & cum laude. Et ita rectè ſtatuit Victorie *relect. de magia numero 7. & 8.* Medina *paran. 2. cap. 7.* Peter. *lib. de magia cap. 3.* Franciscus Picus *lib. 7. de prænot. cap. 7.* Sixtus Senenſis *lib. 2. biblioth. v. curioſarum artium libri*, Pineda *lib. 3. de Salomone cap. 123.* multoſque alios quos adducit Langius *lib. 1. epiſt. medic. in 72. & lib. 2. epiſt. 46. Veram quidem illam magiam*, inquit Philo *lib. de ſpecial. leg. hoc eſt perſpicuam ſcientiam, per quam naturæ opera cernuntur clarius, ut honeſtam, expetendamque non plebes ſolum ſectantur, ſed etiam Reges Regum maximi præſertim Perſici, tam curioſi harum artium, ut regnare non liceat, niſi cum Magis verſato familiariter.* De hac magia naturali agunt Proclus *lib. de ſacrif. & magia*, D. Auguſtinus *lib. 21. civit. cap. 4. & 5.* Albertus *lib. 2. mineral. tract. 3. cap. 1.* Nihil tamen proclivius, quàm ut ementito naturalis Magiæ nomine obtegantur quæ ſpectant ad panurgicam, quo nomine Joannis Baptiſtæ à Porte Magiam ob abditum pleriſque locis fermentum non bonum cavendam eſſe, obſervat Delrius *lib. 1. magic. capit. 3.* de aliis pleriſque ejuſdem argumenti operibus pronuncians; Idemque facit Franciscus Picus *loc. cit. cap. 2.* Unde etſi magiæ naturalis inſcriptionem præferant, non ſine maxima cautione admittendi ſunt, quia non rarò certiſſime venena ſpecioſo titulo contegunt.

Magici verò libri panurgici, qui ſcilicet doctrinam continent patrandi miracula, & inſolito interventu pacti taciti, vel expliciti cum dæmone initi, comburi debent, ſive ad Theurgiam, ſive ad Goetiam pertineant, juxta diviſionem à D. Auguſtino traditam *lib. 10. Civit. cap. 9.* & denique ex quocunque genere ſint doctrinarum illarum, quæ pertinent *ad conſultationes, & pacta quædam ſignificationum cum dæmonibus placita, atque fœderata*, verba ſunt ejuſdem Auguſtini *lib. 2. de doctr. chriſtian. cap. 20. & cap. 23.*

Idque cautum eſt jure perantiquo. Nam inter ipſos Ethnicos cautum fuit, ne libri iſtius furfuris ad hæredes tranſmitterentur, vel retinerentur, ſed ignibus traderentur *l. cætera ff. familiæ erciſcundæ.* Et ſanctiſſime ab Eccleſia catholica in mores receptum, nequis magus in eam cooptetur, niſi ſuos de magia libros prius cremaverit. Quod de Cypriano teſtatur Athanaſius *de incarnat. Verbi*, Auguſtinus *in pſal. 61.* & Nazianzenus *orat. in Cyprian.* & de Theuda Damaſcenus *in hiſt. Bart. & Joſaf. capit. 32.* Datum ſæpe Magiſtratibus negotium apud Romanos, ut hujuſmodi libros conquirerent, eoſque cremarent, qui autem illos apud ſe haberent, plecterentur iam diximus ſupra cum Livio, ut videas, rectè dixiſſe D. Auguſtinum *lib. 1. de conſens. Evang. cap. 9.* ſcripta magica, *non ſolum diſciplinam chriſtianam, ſed ipſam terrenæ Reipublicæ adminiſtrationem jure condemnare.* Eodem modo contra magicam doctrinam ab Origene, cujus verba refert, approbatam, inſurgit ea legalibus ſeculi decretis Theophil. Alexand. *lib. 2. Paſch.* Nimirum, tametſi penes Chriſtianos duntaxat liquido perſpecta eſt magiæ virulentia, atque malignitas, ideoque diſciplina Chriſtiana eam ſeveriſſime proſcripſerit, tamen filii quoque hujus ſeculi, quorum non prorſus obturatus eſt oculus, ab ea abhorruerunt. Judicium eſt Tertulliani *lib. de anima cap. 57.* his verbis expreſſum. *Quid ergo dicemus magiam, quam omnes pene fallaciam? ſed ratio fallaciæ ſolos non fugit Chriſtianos, qui ſpiritalia nequitia non quidem ſocia conſcientia, ſed inimica ſcientia novimus, nec invitativa operatione, ſed expugnatoria dominatione tractamus, multiformem hanc luem mentis humanæ, totius erroris artificem, ſalutis pariter animæque vaſtatricem.* Verbum ab Ethnicis quoque comprobatum de his libris magicis poëtæ Phocylidis eſt: *Abſtine à magicis libris.* Quare longe conſultius foret Epheſinorum exemplo tales libros flammis tradere. Fuerant Epheſini magicis artibus adeo fames Apollonio Thianæo eas ibi profitente tanto plauſu, ut non ſolum ſtatua donatus ſit, verum etiam cultu religionis. Philoſtrat. *lib. 4.* Suidas *in lexic.* Plutarch. in Sympos. *lib. 7. cap. 4. & 5.* Hinc Epheſinæ voces *& notula*, quas quidam adhibebant in medio conflictu armorum manebant illæſi. Hinc nata parœmia *littera Epheſina.* Tamen incitati divinitus Epheſini, & Apoſtoli Pauli præcepto animati, ac generoſa animi inductione collatam in publicum horum librorum multitudinem, quæ quinquaginta millibus denariorum æſtimari poterat, hoc eſt, ut interpretatur Budæus, novem millibus librarum monetæ Franciæ, flammis combuſſerunt.

Inter Chriſtianos ab initio naſcentis Eccleſiæ ſervatum ſcimus, ut libri magici ignibus adjudicarentur. Huc enim ſpectat quod habet S. Lucas *Act. 19.* ſuperius relatum poſt narratam plurimorum converſionem ad prædicationem S. Pauli, ubi tanquam perſpicuum veræ converſionis ſignum refertur, quod libros curioſarum artium incendiſſent, qui illis fuerant addicti. *Curioſas* porro *artes* non alias ibi accipiunt D. Chryſoſtomus ac Beda, paſſimque alii, quam Magias panurgicas. Vocem græcam, quam Lucas adhibuit ſonare curioſitatem in magica ſtudia impenſam, Henricus Stephanus *lib. 2. ſchediaſm. cap. 28.* demonſtrat ex Herodiano & Platone, & eodem modo Latinam *curioſi* vocem uſurpaſſe Flaccum oſtendit. Itaque haud dubie libri curioſi, de quibus Lucas agebat, magici præſertim erant. Hermogenem magum juſſum eſſe à S. Jacobo libros magicos in mare abjicere, ſcribit Abdias in Jacobo. De S. Cypriano antea mago, poſtea verò deprehenſis irritis magicis præſtigiis in S. Juſtinam chriſtianam, & ipſo chriſtiano, ac dæmonum & ſuperſtitionis Ethnicæ ejuratore, ita ſcribit Nazianzenus orat. 18. *Mutationis perſpicuum argumentum dedit; magicos enim libros publice proponit, deque pravi theſauri imbecillitate triumphum agit, amentiam prædicat, ingentem ex illis flammam excitat, & diuturnam impoſturam, quæ ne unâ quidem caratis flamma opem afferre potuerat, igne abſumit.* Eadem *ex Eudocia Regina opere metrico de laudibus S. Cypriani* exhibet Photius *cod. 184.* Pariſiis ſuo tempore librum magicum ignibus datum publice fuiſſe, ſcribit Gerſo *lib. de laud. ſcriptor. conſid. 10.* Similiter ignibus tradidit magicum librum S. Antoninus, Florentinorum Archiepiſcopus, ut *in ejus vita* prodidit Vincentius Mainardus narrans quo incommodo filii cujuſdam Petri tonſoris exagitarentur, quandiu improvidus pater librum illum apud ſe habuit, ac lectitavit.

Non defuere ſcriptores jam ab antiquis temporibus, qui protulerint in lucem rem dignam perpetuis tartari tenebris, & quod longe teterrimum eſt, quoſdam ſanctiſſimus viros Ademum, Enochum, Abra-

Digitized by Google

Abrahamum, Paulum, Albertum magnum mendaciter & impie autores faciunt, horumque omnium primarium doctorem Razielem Angelum, Adami præſidem. Salomoni quoque neſcio quam clavicolam, & annulum affingunt, & alterum ingens volumen in ſeptem partes diſtinctum, quod, ut autor eſt Delrius, Judæi & Arabes in Hiſpania ſuis poſteris relinquebant jure hæreditario, cujus ope res inſolitas, & prodigioſas edebant. Ei abutendo ſedulam operam Inquiſitores cavarunt. De Salomone vide Pinedam *de reb. Salomon.* Contra hanc claviculam docte ac pie Baptiſta Segnius *lib. de vero ſtudio chriſtiano cap.* 7. Cornelii Agrippæ, magi ſuperiori ſeculo notiſſimi quatuor libros, ac attributam Trithemio Steganographiam periculi, ac ſuperſtitionis pleniſſimam, aliosque ejus diſciplinæ codices quam longiſſime arcendos ab Eccleſia chriſtiana edicit.

Nec eſt, quod quiſquam ſuæ curioſitati, vel impietati ſcutum prætexens, contendat, magiæ, etiam tetræ libros nequaquam ejiciendos eſſe, quandoquidem ejus cognitio haud abſolute mala eſt, & ejus ſtudium non ſolum tolerabile videri poteſt, verum etiam laudabile, altoqui nec dæmonis præſtigias detegere, nec impias ſuperſtitiones confutare, nec à nefando ejus uſu homines deterrere queas, niſi perfecte & explorata tibi ſit magorum diſciplina, ac niſi eorum libros teras. Quod ne quis temere dictum putet, audiri poteſt Tertullianus de hoc ipſo ſtudio verba ſuperius relata *cap.* 27. de anima, & Joannes Picus Mirandulanus, *Quo quis eſt magis peritior*, inquit, *eo clarius cernit quantum inter magorum, & Chriſti, atque Sanctorum miracula interſit.* Ex quibus hoc recte inferunt, nec ejus artis libros proſcribendos eſſe, cujus cognitio, & ſtudium laudabile eſt, immo & neceſſarium.

Ad id evertendum juvat egregiam Magiæ impugnationem à Theophilo adhibitam de libris ejus doctrinam continentibus meritò perdendis, adducere. Sic igitur habet: *Confundatur Origenes inter cætera flagitiorum genera, quæ confingit, magicis quoque artibus patrocinium tribuens, qui in tractatibus ſuis his loquutus eſt verbis. Ars magica non mihi videtur alicujus rei ſubſiſtentis vocabulum; ſed etſi ſit, non eſt operis mali, nec quod haberi poſſit contemptui. Hæc dicens, auctorem ſe eſſe demonſtrat Elimæ magi, qui Apoſtolis repugnavit, & Jannæ, atque Mambræ, qui Moyſi magicis artibus reſtiterunt. Sed nullas Origenes patrocinium habebit vires, quia Chriſtus magorum preſtigias ſuo delevit adventu. Reſpondeat novæ impietatis aſſertor, immo aperte audiat, ſi non eſt malum ars magica, non erit malum & idololatria, quæ artis magicæ viribus utitur. Quod ſi malum eſt idololatria, malum erit & ars magica, ex qua ſubſiſtit idololatria. Cum autem idololatria Chriſti majeſtate deleta ſit, indicat & parentem ſuam artem magicam ſecum pariter diſſolutam, Propheta ſuper hoc liquidò proclamante: Sta nunc incantationibus tuis, & multis veneficiis tuis, quæ didiciſti ab adoleſcentia tua, ſi potuerint prodeſſe tibi. Cum igitur hæc Prophetarum ſcripta teſtentur, & nullus unquam auſus ſit memoriæ prodere, magorum artes inter optima quæque numerandas; Leges quoque publicæ magos & maleficos puniant, ſcire non poſſum, qua ratione impulſus Origenes, qui Chriſtianum ſe jactat, Sedechiæ pſeudopropheta æmulator exſtitit, cornua ſibi ferrea fecerit, quibus contra dogmata veritatis armatus incedat, nec ſapiat quicquam de cœleſti Hieruſalem, neque imitetur Moyſem & Danielem, Petrumque, & alios Sanctos, qui contra magos, & incantatores, quaſi in acie ſtantes, indefeſſo dimicarunt.* Sic ille adverſus Origenem, tanquam magorum patronum, cujus tamen luculenta adverſus magos, & acceptam ab eis notitiam legi apud eum poteſt *homil. 16. in Numer.*

Et nihilominus non negaverim expedire interdum Reipublicæ chriſtianæ certis hominibus cognitas eſſe infandas illas artes ea mente & conſilio, quo dixit Tertullianus, nimirum ut ejus inanitatem prodant, & impium uſum aboleant, at neque habere debent ejuſmodi codices, niſi prius facta poteſtate ab eo, penes quem dandæ jus eſt, neque unquam in publicis locis exponendi ſunt, unde quivis legere eos poſſit, ſolo ut plurimum deſiderio explendæ inanis cupiditatis ſciendi, atque haud levi periculo humanæ imbecillitatis ſuapte jam ſponte fraudibus ſatis obnoxiæ. Porrò ut nihil eſt exitialius ejuſmodi librorum magicorum lectione, ita nihil eſſe ad lege. dum illecebroſius, ipſæ voces *Curioſitas*, aut *curioſæ artes*, quibus magia appellatur, ſatis innuunt. Videndum ſuper hac re eruditum *cap.* 36. Lanteotii Ramires de Prado *in pentecontarcho*.

Et ſanè ſi in chriſtianos falsò magiæ accuſatos, ab ipſiſmet Ethnicis igne ſævitum eſt quid facere Chriſtianos par eſt libris illis, qui ab ipſis hominibus vano Numinum cultu imbutis ſunt damnati? Sunt enim fontes omnia maleficii, immo etiam & impiæ ſuperſtitionis. Nam vix quemquam reperias magicis artibus irretitum, quin ſe quoque addicat impio, & ſacrilego cultui, etiamſi fuerit Salomone ſapientior, de quo ſic Georgius Venetus problem. 136 *Ideo ſe ſubjecit ad poteſtates illis idolis ſervientes, illum inebriatum deſiderio ſapientiæ humanæ coluiſſe idola.* Idemque alio loco probl. 78. explicatius ait, illum *inebriatum deſiderio ſapientiæ humanæ coluiſſe idola.* Conſentanee Apoſtolus Gal. 5. *v.* 20. idolorum ſervitutem cum veneficiis conjungit. Itaque ſi illud ſtudium appellatur à Plinio, homine Ethnico *lib. de anim. cap. ult. vanitates magicæ, & fraudulentiſſima artium, ars inteſtabilis, irrita, inanis*, à Tertulliano *onerus, & otioſa curioſitas*, in jure *ars damnabilis*, à Q. Curtio, & omni ſapientium cœtu, *vaniſſimi cujuſque ludibrium*, omnino longiſſime relegandi ſunt, immo penitus abolendi ejus facultatis libri, eoque id præſtandum diligentius, quo plus in ea periculi eſt, utque, ut loquitur Plinius, *artium omnium imperioſiſſima.* Ad hunc locum pertinet quod Delrius refert *lib* 2. *magic. quaeſt.* 29. unde alieno periculo quivis diſcat quàm funeſta, & feralis ſit librorum magicorum lectio, etiam illi, qui eos animi gratia duntaxat evolviſſet, non autem exercendæ tetræ illius artis ſtudio, ſic habet: Cornelius Agrippa aliquò profecturus, uxori claves ſui Muſæi tradidit, addita prohibitione, ne quem ingredi ſineret. Inconſultus quidam adoleſcens, quem magus habebat convictorem, importunis precibus impetravit à muliercula, ut ſe ingredi ſineret. Ingreſſus incidit in librum conjurationum. Legit, en illi pulſatio ad januam, turbatus, ſed pergit legere; pulſat iterum neſcio quis, & nihil reſpondente rudi harum rerum juvene, dæmon ingreditur; quærit cur vocatus? quid fieri jubeat? Iſti metus vocem intercludit, fauces dæmon; ſic miſer luit pœnam nefariæ curioſitatis. Redit interea domum Archimagus, videt exultantes ſuper eam dæmones, utitur ſolitis artibus, adſunt vocati, narrant rem, ut geſta eſt. Ille homicidam jubet cadaver ingredi, & per forum Lovanienſe, ubi cæteri ſtudioſi ſolebant frequentius convenire, aliquoties obambulare, tandemque corpus deſerere. Ambulavit ille ter, quaterve, tum corpus concidit, diffugiente eo, qui regebat. Creditum diu hunc ſubita correptum morte expiraſſe, ſed indicia initio rem ſuſpectam fecere, poſtea tempus omnia aperuit.

I nunc & talia volumina in Muſæo tuo habe, ſi

habere deſideras laqueos, quibus incauti à malo dæmone ſtrangulantur. Verum quid ex ea lectione emolumenti? Divitias ſibi comparant? Nihil enim vero minus. Idque ſatis teſtatur inopia & ſordes mancipiorum dæmonis; Grilland. *tr. de ſortil. cap.3. numer.* 9. & Delrius *lib.* 2. *magic. quaſt.* 12. Rerum admirabilium ſcientiam inde hauriunt, ac velut aquilæ noctuas viſu, ſic iſti intelligentia ſapientibus hominibus antecellunt? Quam vereor, ut qui hac infandæ curioſitatis lectione ſperant ſe conſecuturos ſublimem aliquam ſcientiam, atque aquilarum perſpicacitatem duplo obtuſiores fiant, quàm eſſent antea. Vis hujus rei exemplum? Lucius Apuleius Patrenſis, ſophiſta ſatis notus ſcripſit, ſe magiæ flagrantem ſtudio, Theſſaliam petiiſſe ibique dum ſe in avem verti cuperet, in aſinum à Palæſtra ancilla, virtute unguenti, neſcio cujus transformatum, atque ita in aſinina illa effigie, humano tamen ſenſu & mente retenta, multa, eaque graviſſima ſe perpeſſum, donec guſtatis roſis in priſtinum Lucium reformaretur. Hic ſuſus ejuſdem, & Apulei de aſino aureo. Baroald. *in Apul.* Si opes, & potentiam? Perditi imperii, vitæ, & animæ Juliano cauſa fuit magia, cujus fuerat ſtudioſiſſimus. Valeriano item fraudi fuit. Nam captus à Sapore, Perſarum Rege, & cavea ferrea incluſus, orbis ludibrio patuit.

Conſtat igitur, impiam hanc peritiam per ſe ſordere, ejuſque proinde libros flammis ſubjectis merito exterminari, ut taceam ex alio quoque capite jure cremandos eſſe, nempe quod magicis hiſce libris hæreſes ferè contineantur. Nihil enim familiarius eſt mago, & hæretico, ut probat Stapletonius *orat.* 1. *academ.* Alphonſus de Caſtro *lib.* 1. *de juſt. hæret. punit. cap.*14. Idem dixerat jam olim Tertullianus *lib. de praſcript. capit.* 43. verbis illis: *notata ſunt commercia hæreticorum cum magis compluribus.* Pulcherrime idem tradidit Theophil. Alexand. *lib.*2. *Paſch.* hinc præter cœtera magiæ probra demonſtrans.

Quò ego me loco nequeo continere, quin deteſter impie eorum ingenia, qui hiſce quoque temporibus ita duro ſunt ore, ac mente perverſa, talia ut audeant ſcribere, & chriſtianorum nomine cenſeri velint. Quanto iſtius hoſce Veneris, Cupidiniſque cultores appellem, quam ipſos ſimulacrorum idolorumque coltores? Perſimilis enim horum, & quadam ex parte pejor eſt cauſa, quàm ſtatuarii Idola pingentis, & tamen de ejuſmodi opifice clamat graviſſime Tertullianus: *Colis non ſpiritu viliſſimi nidoris, ſed tuo proprio; nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua. Illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam accendis.* O ſtuporem, o nequitiam, ò imprudantiam incredibilem? Chriſtianum te profiteris, id eſt diſcipulum pietatis, & magiſter es impietatis? Tu generis humani Salvatorem veneraris, qui eos is perditum, quorum ille ſalutem ſua habuit vita potiorem? Quod ſi tantus amor exitii eſt, ſolus perito. Quid alios trahis? Si juvat perire cum multis, an non ſatis eſt viciuos perdere? Vel ſi tanta immanitate es, ut nullas urbes, nullas nationes, nullum genus hominum à tua peſte immune velis eſſe, ut orbem terræ omnem funditus everſum velis, nonne ſatis eſt eos, qui jam in hanc lucem venere homines appetere! Qui etiam paras venena non natis?

Animadvertite per Deum, lectores, num tale unquam prodigium uſpiam extiterit, quod nulli hominum generi parceret, quod unum eodem tempore varias provincias devaſtaret, quod calamitatem iis quoque, qui necdum nati eſſent, afferret, præter librorum autores peſtiferorum, monſtrum ejuſmodi nullum reperietis.

Multa vel in hiſtoriis, vel in fabulis humano generi infeſtiſſima olim fuiſſe prodigia memorantur. Venefici, ac malefici teterrimi, latrones importuniſſimi, Tyranni efferatiſſimi, belluæ portentiſſimæ. Sed nullæ unquam diræ adeo Circes, aut Medeæ, nulli Mezentii, Procuſtæ, Cyclopes, nullæ Sphinges, hydræ, Harpyæ fuerunt, quarum ſeu vera, ſeu ficta mala cum veris iſtorum flagitiis conferri queant. Nam aliqua tandem regione contentus, aliquo circumſcriptus tempore fuit illorum furor; nec niſi præſentibus, nec niſi nocuere corporibus, cùm iſti & animos miſerrime divexent, & abſentes corripiant, & nondum genitos, quaſi in inſidiis, operiantur, denique nullis terminis nec locorum, nec temporum claudantur. Dicam amplius, nulla ex tartari furiis tam funeſta, & exitialis eſt, quàm unus libellus. Nam nec illæ tam multos ſimul mortales, nec multis in locis eodem oppugnant tempore. At hic ita ſerpit, ita multiplicatur, & ſpargitur, ut eodem momento, longiſſimo inter ſe ſe diſſitas intervallo regiones ac gentes pervagetur, ac perdat. O monſtrum portentumque inauditum!

Et hujuſmodi monſtra eorum, qui chriſtiani cenſeri volunt, ingenia pariunt, multis laboribus, diuturnoque ſtudio, ac multo ſudore educunt, armant, efferunt. Durus ille fuit, qui ſeviſſe draconis dentes fingitur. Nam quæ expectari meſſis ex ſemente poterat? Sed iſti multo immaniores qui dedita opera hydres ſeminant prope immortales, quæ norunt non contra ſe ad mutuam cladem, ſed ad animarum perniciem rabiem, ac venena verſuras: illud enimverò certum, fixumque eſt, niſi ſeriò reſipiſcant, niſi, quæ moliti ſunt, deſtruant, laceréntque & obruant peſtiferos partus, & omni ope, quos texuere laqueos amoliantur, quod ardui, immenſique negotii eſt, certum, inquam, atque exploratum eſt, actum de ipſis in ſempiternum eſſe.

Consultatio CXLIII.

De Libris Thalmudicis, Kabaliſticis, Rabinicis.

De Thalmude aliqua diximus alibi. Præter enim ſacra Hæbræorum volumina, extant eorum commentaria, & explicationes in eadem linguæ exeuſa per magiſtros, ſeu Rabbinos Hebræorum, antiquos, & neothericos, quorum inſigniora ſunt *Vaikra rabba, Bereſcit rabba, Bereſcit Katova*, explicatio major, & minor Geneſeos, *Midras thelim*, expoſitio Pſalmorum, *Midras cohelet*, expoſitio Eccleſiaſtis, *Tanhuma*, ubi magna ex parte eſt Numerorum expoſitio, *Hilcot. menachim*, ſententiæ Regum, *Sepher Kibutzim*, collectio ſententiarum ſapientum, *Igeret haſo doth*, epiſtola ſecretorum, compoſita à Rabbino Nehumas Hacanæ filio, *Gale razeia*, revelatio ſecretorum, Rabbini Hakados, Liber *more.*

Suntque alii libri, quibus Hebræi explicationes ſua lingua, ſeu commentaria, & paraphraſes adiderunt, vel omnia Thalmudica, vel Kabaliſtica. Inter Thalmudicos, & Kabaliſticos interpretes ea vel eſt notata differentia, quod Thalmodiſtæ circa interpretationem legis verſantur, dicti interpretatores, ſeu Interpretes, quaſi in vita activa degentes. Sic & Thalmud, ut ait Paulus Iſraëlita *in proœm. præcept. Judaor.* dicitur diſciplinatio, quæ legis intellectum plane allegoricum, aut multiplici varietate circum rectum explicat. Kabaliſtæ autem in contemplativa quaſi vita, & futurorum, & quæ Dei ſunt, verſantur, dicti ideo viri ſpeculationis ea magiſtris legis, ut ait Revalinus *lib.* 1. *de arte Kabaliſt.* Thalmud & Thal-

Thalmudiſtæ veniunt à radice *Lamad* diſcere, ut Kabala & Kabaliſtæ à *Kabal*, accipere, unde Kabala traditio, de que poſtea, utrique legi divinæ antiquæ, ut illis videtur, inhærent. Illi mentem ex littera. Iſti ex traditionibus majorum, ut dicunt, & ut verum dicam, utrique, ut plerumque ex ſomniis propriis, & inanibus ſupputationibus divinant vel confingunt legis divinæ explicationes. Sufficiet autem nobis indicaſſe aliquos ex libris utriuſque ſectæ.

Et de Thalmudicis in primis ex Galatino *lib.1. adverſus Judæos cap.* 5. Is enim accuratè colligit ex Rabbinorum voluminibus Thalmudicorum originem, & ſectionem, ac nomine librorum. Addemus & aliorum teſtimonia. Anno ergo 120. ab incendio ſecundi Templi Rabbi Jehuda Simonis filius, dictus Sanctus ob doctrinam, omnia ſcripta tam doctorum, quàm interpretationes Judæorum ante & poſt Chriſtum in unum opus collegit, quod nuncupavit *Miſnah*, id eſt iteratam Legem, vel prælectionem repetitam. Anno autem ab ejuſdem Templi vaſtatione circiter 200. Rabbinus Jochanam, aſſumptis ſecum Rab, & Samuele collegis, Miſnà, & alia ſcripta in unum colligens, confecit Thalmud Hieroſolymitanum. Appellatur autem Thalmud Hieroſolymitanus, quia in ruinis Urbis Hieroſolymitanæ ſcriptus eſt, inquit Senenſis *lib.2. bibl.* Quod arguit Serarius falſitatis *lib.* 1. *Rabbin. cap.*14. & nominis rationem ipſe dat, partim quod in Academia, non Babylonica, ſed Iſraelitica, cui Rabbinus ille Jochanam totos præfuit annos 80. conflatus ſit; partim quod lingua exaratur Hieroſolymitana, quæ illis temporibus erat inquinatiſſima, utpote quæ, ut ait Elias, è variarum gentium, quæ Judæos hactenus domuiſſent & attriviſſent, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum confuſis, permiſtiſque idiomatibus conſtaret. Anno autem 426. ab eadem deſtructione Rab Aſſe & Rabbi Hammai habitantes in Babylone Ægypti, quæ nunc Cayrum dicitur, omnes Superiorum ſcripturas in unum redigentes, conſtruxerunt novum corpus multorum voluminum, quod nuncupatur Thalmud Babylonicum. Atque hunc Babylonicum fere ſolum norunt, teruntque Judæi, & Hieroſolymitano non paulò eſt minor; tamen Aſſe morte prævento, perfecit hoc opus filius ejus Mor unà cum Meremar. Ferunt enim Ezram ab exilio reverſum, academiam Hieroſolymis inſtituiſſe omni genere diſciplinarum refertam, ex qua prodierunt inſignes viri ſeorſum ſcribæ, & phariſæi, & legis periti, qui multa ediderunt ſuis temporibus in legem volumina, ex quibus conflatum eſt utrumque Thalmud Babylonicum, & Hieroſolymitanum, de quibus Rabbi Moſe in præfationibus Majemonim ſcripſit tandem in Hiſpania ſub mundi anno 4860. Chriſti 1100. Rab. Iſaac, filius Jacob filii Alpheſi parvum quaſi Thalmudem, ita ut tres Thalmudes diſtinguere liceat.

Breviter Lælius Biſciola *horar.ſubſec. tom.*1. *lib.*17. *cap.*1. Thalmud cœptus eſt condi anno à Domino Jeſu 100. & ad umbilicum perductus anno ejuſdem 400. Sed ben Majemon in compendium redegit Thalmud, & ſcripſit anno 1150. & habetur ſecundo loco poſt Biblia, & tantæ eſt autoritatis ac Thalmud.

Alii, ut Genebrardus *lib.* 3. *chronographia* refert ex chronico Hebræorum, ajunt, Thalmud Hieroſolymitanum abſolutum à Judæis anno Domini 469. & quod Rabbinus Johanam operi præfuit, qui illam doctrinam totidem fere librorum inſcriptionibus, quot Babylonice continetur, libris tamen multo contractioribus, conſtruxit. Et quod anno Domini 505. Thalmud Babylonicum abſolutum eſt à Mar filio, & diſcipulus Rab Aſſe, nempè ea pars, quam appellant *Ghemara*, centum circiter annis poſt Thalmud Hieroſolymitanum. Ex quibus conſtat non uno tempore, ſed diverſis abſolutum, & cœptum opus Thalmud, & per partes ſuas perfectum, ut & ait Rabbi Eliae in Tisbi anno Chriſti 188. abſoluta fuit tantum illa pars, quæ in Thalmud inſcribitur *Miſnà*. Miſnæ autem Sapientum primus fuit Simeon Juſtus, qui Chriſtum excepit ulnis, poſtremus Rabbinus hakkados, Antonino Cæſari charus. Nomine autem Thalmud, Sixtus Senenſis *l.2. bibl. ſac.* ait, ſignificari ingens, ac vaſtum opus Judaicarum traditionum, in quo collecta ſunt decreta omnia Rabbinorum, Sammai, Hillel, Akibà, Joſeph, & filiorum Aſamonæi, unà cum aliis innumeris aliorum Magiſtrorum ſtatutis, ſententiis, & tam divinarum, quàm humanarum legum expoſitionibus, quibus nunc tota Judæorum natio regitur.

Diſtinctius. Thalmud ſi generatim accipiatur, doctrinam ſignificat, univerſe ſumptam. Si ſpeciatim, certum aliquod doctrinæ genus voluminibus quibuſdam comprehenſum, quæ idcirco idem nomen habent. Sunt autem plurima & vaſtiſſima; & quia omnia ferè Judæorum inſtituta, ritus, ac leges continent, ab aliis vocantur Jus Judaicum, tam civile, quàm Canonicum, doctrinale etiam ac Pandectæ, & digeſta. Obſervat autem Nicolaus Serarius *libello priore de Rabbinis cap.* 14. quod eſt de Thalmudicis, eadem Thalmudis voce aliquando unam tantum librorum partem, aliquando totum ipſum opus deſignari.

In his igitur libris Thalmudicis continetur totum jus pontificium Judæorum ſcriptum, ut in Kabaliſtis non ſcriptum. Feruntur & ab Ezra inſtituti ſcribæ, ut ſuo exemplo legem ad litteram explicarent, & legis difficultates, libroſque ejus intactos conſervarent, ne denuo corrumperentur, ut antea quam à Synodo collecta emandata eſſent. Vocantur iſti in Evangelio Legiſperiti & Scribæ.

Dividunt autem Judæi ſuum Thalmud in ſex partes, quas vocant *Sedarim*, id eſt ordines, ſeu directiones, & rurſum ſingulas partes in libros & libros in capita. Vocant libros *Maſciot* id eſt tractatus, capita vero *perekim* vocant, id eſt ſectiones.

Prima igitur pars dicta eſt *ſeder zeragnim*, id eſt ordo ſeminum. Habet undecim *maſcoth*, ſeu undecim tractatus, vel libros.

Primus *beracot*, ſeu benedictionum, novem habens *perachaim*, ſeu capita, vel ſectiones, ibi agitur de benedictionibus, de divinis laudibus, & orationibus.

Secundus *peath*, id eſt tractatus anguli, habens decem capita, & ibi agitur de parte angulari ſegetum relinquenda pauperibus.

Tertius *demai*, id eſt tractatus dubitationis, de quibus ſint ſolvendæ decimæ & habet decem capita.

Quartus *therumoth*, id eſt tractatus duorum & centum, habens undecim capita, ubi agitur de duorum ſeparatione ex unoquoque centenario ad dandum Sacerdoti.

Quintus *ſchevigith*, id eſt tractatus ſeptimi, habens decem capita, ubi agitur de non ſeminando terram ſeptimo anno.

Sextus *chelaim*, id eſt commixtionum, habens novem capita, ubi tractatur de rebus, quæ commiſceri prohibentur.

Septimus *riſchon*, id eſt decimationis, ubi agitur de primis decimis, quas Levitæ impartiebantur ſacerdotibus, & habet capita novem.

Octavus

Octavus *magnaſcer ſceni* decimationis ſecundæ, quæ poſt decimas Levitis exhibendas extrahi debebant, & in Hieruſalem comedi, & conſumi, & habet quinque capita.

Nonus *halla*. placenta, quæ ex maſſa paſtæ ſemper deſumpta debebat dari Sacerdotibus, habens quatuor capita.

Decimus *gnorla*, clauſura, ubi de clauſura arborum plantatarum, in ſignum ne intra triennium ex fructibus earum comederetur, habens tria capita.

Undecimus *biccurim*, primitiarum, ubi egitur de primitiis in Templo offerendis, quæ erant tantum ex ſeptem rebus, nempe de frumento, hordeo, uvis, ficis, malis punicis, olivis, dactylis, habens quatuor capita.

Secunda pars Thalmud dicitur *ſeder mognet*, id eſt ordo feſtorum, & habet maſcetoth, ſeu tractatus vel libros duodecim.

Primus *ſcabat*, de prohibitis, & permiſſis Sabbatho, habens viginti capita.

Secundus *generunim*, id eſt converſationum, quæ licita erant Judæis in Sabbatho, habens capita decem.

Tertius *peſſachim*, qui duas habet partes; una de his, quæ præparanda erant pro ſolennitate paſchæ; ſecunda de agno paſchali, habentes decem capita.

Quartus *Seckalim*, id eſt ſiclorum, ubi egitur de ſiclorum monete viginti oboiorum, & de exactione ad comparandos duos agnos, qui quotidie in ſacrificio offerebantur, unus mane, alius veſperi in redemptionem animarum, habens octo capita.

Quintus *jomà*, dierum, ubi agitur de die propitiationum, & quid in eo agendum, habens octo capita.

Sextus *Saca*, id eſt caſulæ, vel tabernaculi tractatus, ubi egitur de feſto tabernaculorum, habens quinque capita.

Septimus *jom tol*, id eſt diei boni tractatus, ubi agitur de iis, quæ prohibita ſunt quolibet die feſto, præterquam in Sabbatho, & die propitiationis, habens quinque capita.

Octavus *roſch haſcanah* de capite anni, ubi agitur de omnibus ſolennitatibus Calendarii illorum, habens capita quinque.

Nonus *tagnanith*, id eſt jejunii tractatus, ubi egitur de jejunio quaterno in anno, & aliis jejuniis, habens quatuor capita.

Decimus *megilà* id eſt hiſtoriæ tractatus, ubi agitur de hiſtoria Eſther, & de ad eam ſolennitatem pertinentibus, habens quatuor capita.

Undecimus *mognod Katon*, id eſt, feſti parvi tractatus, ubi agitur de minoribus feſtis inter primum & ultimum diem paſchæ, & tabernaculorum minus ſolenni primo & ultimo habens tria capita.

Duodecimus *hagigà*, id eſt ſolennitatis tractatus, ubi agitur de præcepto, quo ter in anno in Hieruſalem ire tenebantur maſculi, nempe in feſtis paſchæ, pentecoſtes, & tabernaculorum, habens tria capita.

Tertia pars Thalmud dicta *Seder naſcim*, ordo mulierum, & habet ſeptem tractatus.

Primus *jebamot*, id eſt fratriarum, ubi agitur de accipienda uxore fratris defuncti ſine liberis, ad ſuſcitandam prolem, habens ſexdecim capita.

Secundus *cetuboth*, id eſt contractuum, ubi agitur de contractibus, ſeu ſcripturis, & obligationibus viri, & uxoris pro dote, habens tredecim capita.

Tertius *nedarim*, id eſt votorum mulierum, habens undecim capita.

Quartus *nazir*, id eſt Nazaræi tractatus ubi agitur de voto Nazaræorum, à mundo ſeparatorum, quibus durante voto non licebat vinum bibere, nec ex vite productum guſtare, non capillum tondere, non mortuum tangere, habens novem capita.

Quintus eſt divortii tractatus, ubi de divortio mariti, & uxoris, habens capita novem.

Sextus *gutin*, id eſt libellorum repudii, ac divortii, habere capita novem.

Septimus *Kiduſcin*, id eſt ſponſalitiorum, ubi de his, quæ ad ſponſalia pertinent, habens quatuor capita.

Quarta pars Thalmud *Seder nezikin*, id eſt ordo damnatorum, ſeu nocumentorum, & habet etiam ſeptem maſcetoth, ſeu tractatus.

Primus *bannà camà*, id eſt poſitio prima, ubi agitur de omnibus damnis, & nocumentis tam hominum, quàm brutorum, habens decem capita.

Secundus *bannà matzigeà*, id eſt poſitio media, ubi agitur de litibus, uſuris, juribus, locationibus, continens decem capita.

Tertius *bannà bathrà*, id eſt poſitio poſtrema, ubi agitur de venditionibus, emptionibus, ſocietatibus, & hæredibus inſtituendis, habens decem capita.

Secundus tractatus quartæ partis Thalmud dicitur *Sanedrin*, judicium ordinarium, & agit de his, quæ pertinent ad judicia, & de his, quæ partem in ſeculo futuro habent, & de *Meſiak* potiſſimum in *perek helek* in cap. quod incipit *helek*, id eſt pars, habens quatuordecim capita.

Tertius *ſcebugnoth*, id eſt juramentorum tractatus, ubi de juramentis, & rerum cuſtodibus, habens octo capita.

Quartus *guednioth*, id eſt teſtificationum, ubi de determinationibus, & majorum ſcriptis continens quatuor capita.

Quintus *geabodà zarà*, id eſt, ſervitutis alienæ, ubi agitur de idololatria, & in quibus non debeant Judæi convenire cum gentibus, habens quinque capita.

Sextus *abot*, id eſt patrum tractatus, ubi agitur de patribus, qui à Moſe uſque ad Simeonem juſtum floruerunt, & habet 54. capita.

Septimus *beraioth*, id eſt ſententiarum ſcilicet tractatus, ubi agitur de pœnis, & ſententiis Judicum Sanedriorum ordinariorum habens tria capita.

Octavus *maccot*, id eſt percuſſionum, ubi agitur de percuſſionibus, quibus in reos animadvertendum erat.

Quinta pars Thalmud dicitur *hedaſcin*, id eſt ſanctificationum, & habet undecim *maſcoth*, ſeu tractatus.

Primus *Zenachim*, id eſt de immolationibus ſacrificiorum, de modo ac loco ſacrificandi, habens quatuordecim capita.

Secundus *ibidem* occiſionum, ubi de occidendis animalibus mundis ad communem uſum, non ad immolandum, habens duodecim capita.

Tertius *menachot*, ubi de farinis frumenti in Templum Sacerdotibus offerendis, habens tredecim capita.

Quartus *beccoroth*, id eſt primogenitorum tractatus, ubi agitur de animalibus primogenitis offerendis, ac redimendis, habens novem capita,

Quintus

Quintus *gueracbin*, pretiorum tractatus, ubi de pretiis rerum, quas quis Deo pollicetur, habens novem capita.

Sextus *bemurà*, id eſt permutationis tractatus, ubi agitur de non facienda permutatione in ſacrificiis, continens ſeptem capita.

Septimus *megnilab*, transgreſſionis tractatus, ubi agitur de tranſgreſſione illorum, qui rei non licitæ Sacrificio uſi fuerint, habens ſex capita.

Octavus *charethot*, id eſt perditionum, ubi de animarum perditione, & propter quæ peccata damnentur, habens ſex capita.

Nonus *thamid*, id eſt continui ſcilicet Sacrificii tractatus, ubi de continuo ſacrificio duorum agnorum, quod quotidie fiebat, habens ſex capita.

Decimus *middot*, id eſt dimenſionum, ubi de manſionis Templi, habens quinque capita.

Undecimus *Kinnim*, id eſt nidorum tractatus, ubi de oblationibus pullorum, columbarum, & turturum pauperum, habens quinque capita.

Sexta pars dicitur *ſeder thaaroth*, id eſt ordo purificationum, & habet *maſcotot*, ſeu tractatus duodecim.

Primus *chelim*, id eſt vaſorum, de purificatione eorum, & veſtimentorum, habet capita triginta.

Secundus *abaloth*, id eſt habitationum, ubi agitur de domorum, & aliarum rerum mundiria, pollutarum à cadavere mortui, habens viginti duo capita.

Tertius *negagnim*, id eſt plagarum, ſeu percuſſionum tractatus, ubi agitur de purificatione lepræ, & aliarum rerum ex percuſſione, habens quatuordecim capita.

Quartus *parah*, id eſt vitulæ, ubi de cineribus vaccæ rubræ, & de ejus aſperſione ad purificationem inquinationis, habens duodecim capita.

Quintus *thearoth*, id eſt purificationum, ubi de purificatione inquinationis aliunde, quàm à cadavere contingentis, & habet decem capita.

Sextus *mikvaoth*, id eſt congregationum aquarum, quo loci agunt de fonte, ubi baptizabantur homines utriuſque ſexus, ut ab immundiciis ſpiritualibus purificarentur, habens decem capita.

Septimus *niddah*, id eſt menſtruatæ tractatus, ubi de mulierum purificatione ab immundiciis partus, & menſtruorum, habens decem capita.

Octavus *zabin*, id eſt ſpermatum, ubi de purificatione hominum ex fœtore ſpermatis, habens decem capita.

Nonus *maskin*, id eſt irrigationum, ubi agitur de irrigatorum purificatione ab immunditia per contaminationem facta, habens ſex capita.

Decimus *tebul jom*, id eſt baptizati diei tractatus, ubi de munere afferendo à baptizato ſequenti die, ut perfecte purificaretur, & habet quatuor capita.

Undecimus *jadaim*, id eſt manuum tractatus, ubi de lavandis manibus ſacre contingentibus, & de vaſe, & aquis, quibus id fieber habens capita quatuor.

Duodecimus *gnokazin*, tractatus pedunculorum fructuum, quando fructus ex pedunculis contaminari dicebantur.

In toto Thalmud ita ſunt in ſumma ſex partes, libri, ſive tractatus ſexaginta, capita 53e. in quibus etiam plures ſunt *gamaroth*, id eſt traditiones conclusæ, & multa traduntur de Meſſiah, & alia bona quædam, quæ recipiuntur, non quia thalmudica, ſed quia per ſe admittenda ſunt, maxime quæ contra ipſorum Judæorum obſtinationem faciunt, de quibus & dici poteſt, quod traditur apud illos in tractatu, vel libro *hagigah*, *poſt multa comede dactylos, & projice duritiem eorum foras.*

Extra thalmudicos tractatus præcedentes ſunt alii libri apud Judæos circa legis divinæ explicationem abſtruſiorem, quam non ſcriptam, & non vulgarem, & cabaliſticam dicunt, quorum aliquos, qui in manus venerunt, referam, & quæ in primis fuerunt ſeptuaginta volumina Ezræ, quæ juſſit aliquando exſcribi Picus Mirandulanus.

Eſt & liber de creatione, quem aliqui tribuunt Abrahamo magno, alii magiſtro Akibà, habens commentaria.

Liber de ſplendore, qui eſt Simeonis filii Johai, quem librum latuiſſe in ſpecu tradunt viginti quatuor annis.

Liber de candore, aliquibus dictus Lucidarius.

Sunt alii Libri de Kabala Abrahami Alaphie, & inſignes commentarii Rambani. Extat Maschen Recenà ſuper ſecreta Rambeni.

Liber portæ juſtitiæ Rabbini Joſephi Caſtilienſis Hiſpani.

Liber de crudelitatibus Rabbini Saediæ Aſid.

Liber de myſterio, ſeu ſecreto legis Rabbini Abrahæ aben Ezrà, liber Rabbini Hamai Haninà, dictus eloquentiſſimorum caput in cabala, & ejuſdem liber ſpeculationum.

Liber commentariorum ſanctitatis Rabbini Azarielis.

Liber de nominibus.

Liber explanationum alphabeti Rabbini Hakibà.

Liber de reconditis pſalmi decimi noni Rabbini Amà.

Liber ſingularis de unione, & collectione

Liber myſteriorum.

Liber quæſtionum abſtruſarum.

Libellus Kabelæ Azarielis, vel Ozielis Genuenſis.

Liber de fide & explanatione.

Liber radicum Rabbini Davidis Joſephi Albò, cui & titulus Kabale. Alius elegantiſſimus Alkazel morta arabico Rabbino Juda Levi autore.

Liber magiſtri Jacobi Cochen, & in eundem compoſitio Rabbini Iſac inſcripta, explanatio nominis ſancti.

Alius de decem numerationibus Rabbini Thedacileni.

Liber Salomonis ſub nomine Razielis inſcriptus, ubi fictio magna.

Liber ortus noris Rabbini Joſeph, bar Abraham Caſtilienſis.

Fuerunt à neotericis Judæis & alii libri editi, quorum tamen magna pars obduratorum invidia in Chriſtianos in ſua obſtinatione, nihil, aut parum ſanæ doctrinæ ſacræ, ejuſque puritatis continent, & proinde ab Eccleſia catholica cum ſuis thalmudicis compoſitionibus rejiciuntur propter blaſphemias, quas inculcarunt ſuis ſcriptis in Chriſtum, & Virginem Deiparam. Horumque impietatibus acceſſit, quod ſacra volumina hebræa non tantum ſuis tenebroſis, & malitioſis emendationibus in quibus ſuæ obſtinationi repugnant, & in aliis corrumpere niſi ſunt, verum & ultra grammaticalibus ſuis inventis punctis, & aliis futilibus obſervationibus totam ſacram linguam conſpurcarunt, ad litteram, ut ſtolide mente ſunt, & litteralem explanationem transferentes.

Conve-

Convenetunt quippe maſſoretæ, ſeu grammatici Hebræorum ad Tyberiadem Paleſtinæ, ut narrat Elias Thesbites, ut ee uno legis *paſutz* multos verſus conficerent, accentibus partim diſtinguentibus, partim continuantibus univerſem Scripturem, quo tempore veterem extinxerunt grammaticam, vocales, pronunciationem, judicium, diligentiam, atque ſtudium, quod convincit Genebrardus *in præfat. in pſalm.* Nam, inquit, exempli cauſa, antiqui neſcierunt Hebræi *p.* dutum, ut ait Hieronymus in Danielem *cap.* 11. Item tres tentum conſtituerunt vocales quas vocant *ſepher jetzirah*, prolationis matres.

Contemnendæ illorum maſoretarum punctuationes, quibus Sacra Biblia ad ſuam pertinaciam contorquent, & mens potius, quàm puncta illorum fictitia ſequenda. Aliud enim eſt grammatice legem explicare, aliud vim ejus interpretari. Quemadmodum & apud Judæos ipſos Rabbi Kimki negligitur, & tantum habetur pro *medador*, id eſt grammatico. Punctorum inventiones, ac diſtinctiones, Judæorum maſoretarum ſunt inventa ex judicio quodam proprio conficta grammaticulorum, qui nihil non eudent temeritatis ſeu ſuperbiæ. Nam conſtat ex Hebræorum hiſtoria, tempore Hieronymi, Origenis, & ſeptuaginta Interpretum legem Dei ſine punctis fuiſſe datam, quicquid deliret in contrarium Cevallerius, gener cujoſdam Judæi. In cujus etiam teſtimonium quando Iudæi in Synagogis ſolenniter legem oſtentant, eam ſine punctis, ut nihil humani admixtum habeat, è ſuo armario, quod *hecal* vocant, proferunt. Liquet etiam ex eadem hiſtoria Hebræorum, quod anno Templi per Veſpaſianos everſi 436. id eſt Chriſti 476. vel 478. adminiſtrante Zenone Orientis imperium, & ſedem Apoſtolicam Simplicio, puncta invente poſt multa à lege date ſecula. Sed neque etiam tunc illi, qui puncta addiderunt, & diviſeruet legem, non memorarunt cametz, etnpb, hirich, Katon, Kibutb, in quibus hodie explicandis magnam canonum partem conſumunt.

Miſcuerunt, & confuderunt maſoretæ verſus, ut etiam omnis veterum metrica ratio perierit. Et proinde recte ab illis non eſſe veritatem legis mutandam proculdubio patet. Aliud etiam mentem legis ſanctæ, aliud verba ſcrutari. *Littera enim occidit, ſpiritus autem eſt, qui vivificat* 2. ad Corinth. *c.* 3. Neque ipſi etiam maſoretæ inter ſe conveniunt. Quia non theologi, ſed grammatici ſunt. Simili modo & arguuntur illorum tikum ſophil, id eſt correctiones, ſeu aptationes ſcribarum, in quibus ſuppoſititio nomine Ezræ falſificarunt, vel depravarunt Iudæi Sacram Scripturem triplici modo. Vel mutando litteras, vel punctatione diverſa, vel adjiciendo in margine aliud pro alio legendum.

Fuerunt ee ſecte Samaritanorum Anen, & Saul ejus filius Satei, quorum Anan, quia non potuerat conſequi gradus thalmudici doctoratus, id eſt, eſſe Gaoe, docuit multis libris fabulam eſſe quicquid Thalmudici dicerent, multoque fabuloſius doctores ſuas traditiones, & ritus deduxiſſe per ordinem è prophetis, & ſanctis viris, ut ait Rabbi Abraham in Kabale hiſtorica.

Inſtinianus *in novel.* 146. ut liceat Hebræis ſecundum traditam legem ſacras Scripturas latinè, vel græcè, vel alia lingua legere, &c. interdicit omnimodo *in cap.* 1. Hebræis, ſive Iudæis interpretationem legis divinæ, quam ipſi, inquit, dicunt ſecundum legem, illud eſt Miſna, & Thalmud, ut pote ſacris non conjunctam libris, neque traditam de propheris, ſed inventionem virorum ſola loquentium terrena, & divinum habentium nihil.

Autoritas porrò Thalmudis apud Iudæos ſumme eſt. Siquidem ut Sacras litteras, ita & Thalmudem appellant *michthebè bakkodeſch*, id eſt ſcripta ſanctiteris, ſeu ſcripturas ſanctas. *Et illum* inquit Rabad, *ſuper ſe acceperunt, & multorum opera Sapientum docuerunt omnes ex ordine generationes, & conſenſerunt in illum Iſraelitæ omnes, eique quiquam vel addere, vel demere nefas.* In præfatione autem totius Thalmudis ſic ſcribitur: *Siquis negaverit libros thalmudicos, in quibus ſcripta continentur prædicta, ſanctiſſima præcepta, Deum ipſum negat.*

At theologia fabularis, de qua *tom.* 5. quem Thalmud complectitur à chriſtianis tanti ſit quanti par eſt figmenta rabbinica, otioſorum ſomnia, nugæ delirantium.

Et quidem Thalmudes, ſive Hieroſolymitanus, ſive Babylonicus quoad omnia, quæ continet, exiguæ eſſe poteſt apud Chriſtianos autoritatis. Primo quia, demptis etiam ineptiis, figmentis & blaſphemiis, ſcripta ſunt Judæorum pervicacium, odio in Chriſtum, & chriſtianos capitali flagrantium. Secundo. Pleraque in Thalmude ſcripta tacite, & aperte chriſtianæ fidei myſteria obſcurant, vel evertere nituntur, & ad ſuperſtitionem ducere. Tertio Periſſologiis, næniis, & innumerabilibus nugis ſcripta omnia Rabbinica, & in primis Thalmud ſcatet.

Unde Thalmudes uterque ſæpe ab Eccleſia catholica juſſus eſt comburi, idque aliquoties juſtiſſime factum, ut per Anton. Poſſevin. *in appar. ſac.* Cauſam dat Sixtus Senenſis *lib.* 2. *bibliot. ſac.* & ex eo Serarius *lib.* 1. *Rabbin. cap.* 33. quia plurimis, graviſſimiſque contra Chriſtum Dominum, divinamque majeſtatem, & hujus adminiſtros, & amicos, Angelos, & Teſtamenti veteris divos, beatiſſimam Virginem Mariam, chriſtianoſque omnes, immo & contra Moſis legem, jus gentium, atque omnem naturæ legem, & rectam rationem erroribus, mendaciis, contumeliis, ac blaſphemiis abundat, de quibus legendus Hadrianus Finus *contra Judæos l.* 9. *cap.* 5.

Quocirca, ut refert Bernardus Luzemburgius *in catal. hær. lib.* e. Gregorius nonus Pontifex Maximus omnia thalmudica volumina flammis adjudicavit anno 1230. Quod fecit in Galliis S. Ludovicus Rex Francorum anno 1240. & pontificium decretum inſtauravit Innocentius quartus anno 1244. Cum autem eadem volumina à Judæis priſtino nitori reſtituta fuiſſent, & artis typographicæ præſidiis in infinitum prope numerum propagata, Julius Papa tertius novo edicto promulgato inquiri juſſit, & anno 1553. cum feſta tabernaculorum à Judæis Septembri menſe celebrarentur, per omnes Italiæ urbes exuri præcepit, impoſitis pœnis habentibus libros quæ apoſtatantibus à fide imponuntur. Poſtea Paulus Papa quartus unà cum Sacroſanctæ Inquiſitionis Senatu anno 1559. idem fieri imperavit, & thalmudicos libros inter ſcripta ab Eccleſia catholica damnata connumerari voluit, ut ſcribit Senenſis. Extat etiam ee de re B. Pii V. decretum anni 1566. Et tandem Clementis Octavi contra impia ſcripta, ut loquitur Conſtitutio anni 1593. & libros Hebræorum thalmudiſticos, Kabaliſticos alios, opera, tractatus, volumina, & ſcripta quæcunque, tam lingua hebraica, quàm quavis alia lingua conſcripta, aut verſa, edita, impreſſa, ac inpoſterum conſcribenda, aut vertenda, edenda, vel imprimenda, continentia, ſeu continentes tacitè, vel expreſſe hæreſes, vel errores contra ſacras veteris legis ſcripturas, nec non contumelias, impietates, blaſphemias contra Deum, Sanctiſſimam Trinitatem,

Salva-

Salvatorem noſtrum, Beatiſſimam Virginem, beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſque Sanctos Dei, ſacratiſſimam Crucem, ſacramenta novæ legis, ſacras Imagines, ſanctam catholicam Eccleſiam, ſedem Apoſtolicam, ac contra Chriſti fideles, præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas perſonas, atque etiam contra neophytos, & aliàs contra catholicam religionem, vel in quibus impudicæ, & obſcœnæ narrationes habentur, etiam ſub prætextu, quod expurgata fuerint, vel donec expurgentur. Item impii thalmudici, Kabaliſtici, aliique nefarii hebræorum libri omnino damnati, & prohibiti maneant, & cenſeantur.

Ad hæc ſcribit Erneſtus Fernandus Heſſus *lib 1. flagel. Iudaor. fol. 46.* ſe vide forte cum Iudæus adhuc eſſet, Iudæorum libros præter Biblia, Gregorii XIII. juſſu comburi. Refert etiam Sixtus Senenſis ex opulentiſſima Bibliotheca Judæorum Cremonenſium, mandante Inquiſitione Romana, duodecim thalmudicorum Codicum millia exuſta fuiſſe anno 1559.

Memoratu dignum eſt, quod narrat Thomas Cantipratenſis accidiſſe, cùm thalmudicam theologiam S. Ludovicus imperaſſet comburi anno 1239. Erat Archiepiſcopus, qui pecunia à Judæis accepta, obtinuit, ne res executioni mandaretur. *Redditis ergo libris*, verba ſunt hiſtorici, *lib. 1. de apib. capit. 7. Judæi ſolemnem diem agi inſtituunt omni anno, ſed in vanum, aliud Spiritu Dei ordinante. Revoluto enim anno, die certo & ipſo loco, quo libri execrabiles redditi ſunt Judæis, hoc eſt in Vicennis propè Pariſios, dictus Archiepiſcopus in conſultationem Regis veniens, diro viſcerum dolore correptus eſt, & eadem die cum ejulatu maximo vitæ finem accepit. Et quoniam Rex Archiepiſcopi interceſſione rem diſtulerat, fugit de loco cum tota familia, ne cum Archiepiſcopo divinitus feriretur. Atque haud multo poſt, inſtigante, ut prius, fratre Henrico, dicto de Colonia, Iudeorum libri congregati ſunt ſub mortis pœna, & in maxima multitudine combuſti.* Ita Cantipratenſis, qui libros thalmudicos Judæis Orientalibus abominationi fuiſſe prodit uſque adeo, ut hæreticos, & excommunicatos reputarent Iudæos Occidentales, qui contra legem Moſis, ac Propheras, thalmudicos libros recipiunt, & exſcribunt. Renclinum, quod apud Maximilianum Cæſarem egiſſet, ut libri thalmudici ab igne eximerentur, peſſime audiſſe, & ægre nomen indemne ſervaſſe, teſtatur Contadus Brunus *lib. 6. de haret. cap. item 6.*

Et nihilominus in ea multi ſunt opinione, hæreſes, hæreticorumque vaniſſima commenta, non exiguam Dei providentia, omnia ad ſalutem ſuorum deſtinantis adferre utilitatem, in quo genere collocant thalmudicas ſabulas, Kabaliſtarum figmenta, traditionum Judaicarum narrationes, denique Hebræorum ſabularem theologiam omnem, quam fructuoſam ſibi, & Eccleſiæ Dei univerſæ facit Chriſtianus theologus, cui confert ad multos uſus.

Primo ea utitur ad Judæos convincendos. Magnam illi habent de Religione ſua, jam non amplius religione, ſed ſuperſtitione, opinionem. Æſtimant Rabbinorum ſuorum ſcripta, ut oracula, Thalmudem ſuſpiciunt, ut Scripturam divinam. A tanto errore commodius liberari non poſſunt quàm ſi ex iis libris adferantur aniles ſabulæ, quibus pleni ſunt, & contra legem Dei, ac Naturæ errores graviſſimi.

Nec deſunt iſtiuſmodi Iudæorum ad Chriſtum converſiones, quæ documento ſint, non inutiliter fabulas hoc fine conſuli. Unam do, quæ contigit anno Domini 1592. Caliſſæ in Polonia, quam ſic narrat Joannes Franciſcus Carettonius. Princeps quidam, inſignis divitiis atque ſcientia, cùm egregiè calleret hebræa atque apprimè verſatus eſſet in Thalmudis doctrina, & Rabbinorum, Deo tollente velamen, inſpicere cœpit quàm luteis fundamentis hebræa expectatio niteretur, quàm ſolidiora eſſent, quæ de adventu Meſſiæ à Sacerdote Societatis Jeſu proponerentur. Sex totos menſes, quos ad deliberandum ſumpſerat, conſumpſit in attentiſſima meditatione illius veritatis, eam diligentiſſimè ad Hebræorum ſcripta, atque doctrinam examinavit. Ut, neque ab iis, neque à Senioribus, & legis peritis quos ſedulò conſuluit, nihil contra eam adferri vidit, niſi perfidiam, odium, tenebras, quæ gemmulæ ſunt thalmudicorum Codicum, clam uxore hebræa, & ſuis omnibus venit ad Collegium, confeſſus, dare ſe manus veritati, cujus ſplendorem amplius negare non poſſet, imbutus catechiſmo diebus quindecim, ablutus fonte ſacro, magna gratulatione totius civitatis, magno mœrore Iudæorum.

Secundo. Uſus eſt theologiæ Judaicæ fabularis, ut Chriſtianis perſuadeatur, quid de perfidæ illius gentis dogmatibus ſentire debeant, & pateſcat animus nefariorum hominum in religionem ſacroſanctam. Hunc finem producendi nonnulla ex Thalmude habebat Sixtus Senenſis, qui ita mentem ſuam aperit *d. lib. ſecundo Biblioth Decreveram profecto, nullam talium librorum habere mentionem, & omnem doctrinæ hujus memoriam, quantum fieri potuiſſet, ſilentio abolere. Sed quoniam me præteritorum temporum experientia docuit hujuſmodi volumina toties extincta, iterum, inſtar hidræ capita reviviſcere, permittente id Principum chriſtianorum avaritia, qui quovis parvo pretio inducti, facultatem inſtaurandi hos libros Iudæis vendunt, ideo me operæ pretium facturum exiſtimans, ſi turpitudines, impietates, & blaſphemias nonnullas thalmudicis voluminibus comprehenſas aliqua ex parte manifeſtarem, annotatis nominatim libris, ubi hæc habeantur, ut ſi quando hæc nefaria ſcripta, quibus adhuc abundant Aſia, Africa, Græcia, & Germania apud nos revocentur in lucem, habeant pietatis chriſtianæ propugnatores indicem; quo veluti manuducantur ad inveniendos, ac detegendos particulares hujus operis libros, ac locos, in quibus prædicta blaſphemia ſcripta ſunt, & his detectis, Chriſtianos Principes iterum adverſus renaſcentis hydræ colla inflamment.*

Tertiò eliciuntur nonnulla ex theologia ſabulari Iudæorum. Nam non omnia, quæ in ea continentur ſunt meræ fabulæ, quæ ad Chriſtianorum myſteriorum, & ſacrorum rituum confirmationem contra adverſarios faciunt. Quem fructum ex Thalmude, & ſimilibus ſcriptis decerpi poſſe docuit egregiè Petrus Galatinus, è D. Franciſci familia, artium, & theologiæ doctor, hebraicæ linguæ peritus, opere de arcanis catholicæ veritatis adverſus Judæos, in quo tum ex ſacris litteris, tum ex dictis Thalmudis, & Kabaliſtarum monſtratur veritas catholicæ fidei.

Quarto ad Scripturæ divinæ interpretationem, & antiquitatis Judaicæ notitiam, quæ theologo chriſtiano eſt pernéceſſaria, conducit fabularis eadem Hebræorum ſcientia. Continentur enim in ea multa, quæ veteris Syguagogæ ſtatum, politiam, & varias religionis cœremonias ponunt

ob oculos, quæque loquendi modos & receptas in foro, ſacriſque locis formulas declarant. Quòd adprime ad Bibliorum litteralem ſenſum inveſtigandum confert.

Ob quam cauſam antiqui in Eccleſia Doctores verſabant illos Rabbinorum libros, in quibus non veræ ſolum, ſed & fictitiæ, fabuloſæque expoſitiones habebantur. Seligebant autem quod ad rem facere exiſtimabant, & veritatis confirmationem, reliquis figmentis hoſtes ipſos oppugnabant, vel ridendos exponebant.

Audiatur Hieronymus, qui operam dederat Rabbino Barhaniæ, ab eoque arcana theologiæ Judaicæ, ut ea verteret ad fidelium commodum, didicerat: *Teſtis eſt mihi Dominus*, inquit, *me omnia, quæ ſecundum hebraicum diſſero, non de proprio ſenſu loqui, quod arguitur in pſeudoprophetis, ſed Hebræorum ſequi expoſitionem, à quibus non modico tempore eruditus, debeo meis ſimpliciter indicare, quæ didici.* Et *lib.* 1. *contra Ruffinum*: idem eruditiſſimus Doctor, accuſanti, quod viros hebræos, ſuos magiſtros nominaret Hieronymus, ita reſpondet *apolog.* 1. *in Ruffinum*: *Ipſe Origenes, & Clemens, & Euſebius, atque alii complures quando de Scripturis aliqua diſputant, & volunt approbare, quod dicunt, ſic ſolent ſcribere*: Referebat mihi hebræus, & audivi ab hebræo, &, Hebræorum iſta ſententia eſt. *Certè etiam Origenes Patriarcham Huilum, qui temporibus ejus fuit, nominat, & trigeſimum Tomum in Iſaiam, in cujus fine edifferit*: Væ tibi Ariel, quam expugnavit David, *illius expoſitionem concludit, ut cum aliter prius ſenſiſſe ſe dicat, doctum ab illo, id, quod verius eſt, confiteatur. Octogeſimum quoque nonum pſalmum, qui inſcribitur*, Oratio Moÿſi hominis Dei, *& reliquos undecim, qui non habent titulos ſecundum Huili expoſitionem, ejuſdem Moſis putat, nec dedignatur hebræam Scripturam interpretans, per ſingula loca, quid Hebræis videatur, inſerere.*

Veterum veſtigiis inſiſtunt recentiores, & Sacræ Scripturæ Interpretes ac ſcholæ magiſtri. Certè S. Thomas Aquinas, qui fabulis nunquam ſe delectatum ſatis ubique demonſtrat, rigori ſcholaſtico ſemper deditus, fabularem Judæorum theologiam pervolvit non indiligenter, ut ex ejus ſcriptis conſtat, in quibus ex Rabbinis ducuntur nonnunquam ſententiæ, & nominatim citatur Rabbi Moſes Ægyptius, magni nominis inter Judæos auctor. Nicolaus Lyranus, Paulus Burgenſis, Andreas Maſius, Epiſcopus Abulenſis, Hieronymus Oleaſter eruditis ſuis Commentariis in ſacros libros paſſim Rabbinorum dicta proferunt, iiſque utitur non rarò Toſtatus. Fabulas quoque tum hi, tum alii ex iiſdem producunt, ut quantum à ſolidis inanis, vera à falſis differant, oppoſitione contrariorum innoteſcat.

Et quamvis negare videatur Paulus Apoſtolus fas eſſe theologo chriſtiano Judaicæ theologiæ fabulari operam dare, Theologum inſtituens, tribus potiſſimum locis 1. *ad Timoth.* 1. *v.* 4. ubi monet Epiſcopum, ut denunciet fidelibus Doctoribus, ne intendant fabulis, quod de Judæorum fabulis Auguſtinus, aliique explicant. 1. *ad eundem Timoth. quarto verſic. ſeptimo* ubi præceptum continetur Theologis commune: *ineptas, & aniles fabulas devita.* Quod ad Judaica figmenta referri Interpretes opinantur. Ad *Titum* 1. quem cum Cretenſibus dediſſet Epiſcopum, hortatur, ut ſuos increpet dure, ut ſani ſint in fide: *Non intendentes Judaicis fabulis.* Itaque ſunt nonnulli, qui eam partem Theologiæ Judæorum penitus abolendam cenſent, nullique cujus tandem ſit ſortis, & eruditionis permittendam, libros ad unum omnes flammis abſumendos, nec ſine piaculo legi poſſe.

Plerique contaminari ſe, atque ſcelere adſtringi putant, inquit Joannes Mariana in opuſculo *de edit. vulgat. capit. vigeſimo ſeptimo*, *ſi Rabbinorum Commentarios aut legant patienter, aut audiant, religioſi nimium inhærentes perſuaſioni vulgari, hoſtes eſſe nominis Chriſtiani, Lethale venenum in iis libris contineri, utilitatis parum, grave periculum ex ea lectione incautis hominibus imminere, neque minus eſſe fugiendos, quàm hæreticorum libros. Alii, quorum major eruditio eſt, & linguarum cognitio major, hebraicæ, atque græcæ, contra tendunt, negantes eorum librorum lectione arcendos eſſe Theologos, unde magna commoda veniunt, periculi parum, aut nihil.*

Attamen reſpondent, theologiam fabularem, quæ libris thalmudicis, aliiſve ejus generis, continetur, non videri planè proſcribendam ita, ut ejus lectio Theologis non permittatur. Ducuntur primo, quia, ut loquitur D. Auguſtinus *lib. ſecundo de doctr. chriſt. capit. ſecundo. Latinæ linguæ homines duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, hebræa ſcilicet, & græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſiquam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* Cùm itaque concedantur latinitatis ſtudioſis libri ab Ethnicis conſcripti propter ſermonis elegantiam, & proprietatem *reg. ſeptimo* Indic. *lib. prohib.* quamvis convitia in Religionem chriſtianam, calumnias, & mendacia quàmplurima habeant, res etiam obſcœnas tractent, narrent, aut doceant, cur aboleantur omnino ſcripta Rabbinica, licet fabuloſa, cùm ex iis linguæ hebraicæ peritia, Theologo utilis in paucis hauriatur? Quis excutiat è manibus Chriſtianorum Tacitum, qui *lib.* 15. Religionem noſtram *exitialem ſuperſtitionem* vocat, Chriſtianos *per flagitia inviſos?* Fabulas quoque idem de Moſe, Hebræorum duce, comminiſcitur, uti & Juſtinus, qui figmenta anilia de Moſe commemorat. An Suetonius proſcribitur, quia Chriſtianos dicit eſſe genus hominum ſuperſtitionis novæ ac maleficæ *in Neron. capit.* 16.

Huc facit, quod *in Clement. de magiſtr.* ſancitum eſt, ut in omnibus ſcholis publicè profeſſores linguæ Hebrææ, & Chaldaicæ conſtituantur, veſtigali de publico deſignato. Immo additur, ut ex iis linguis transferantur in idioma latinum, *hoc* ait Pontifex Clemens, *ſacro approbante Concilio* Viennenſi, *ſcholas ſubſcriptarum linguarum generibus, ubicunque locorum Romanam Curiam reſidere contigerit, nec non in Pariſienſi, & Oxonienſi, Bononienſi, & Salamantina ſtudiis providimus erigendas, ſtatuentes, ut in qualibet ipſarum teneantur viri catholici, ſufficientem habentes hebraicæ, græcæ, arabicæ, & chaldææ linguarum notitiam, duo videlicet cujuſcunjuſque linguæ periti, qui ſcholas regant inibi, & libros de linguis ipſis in latinum fideliter transferentes, alios ipſas linguas fideliter doceant, earumque peritiam ſtudioſa in illos inſtructione transfundant, ut inſtructi, & edocti ſufficienter in linguis ejuſmodi, fructum ſperatum poſſint, Deo auctore, producere, fidem propugnaturi ſalubriter in ipſos populos infideles.* Ubi illud prudenter obſervat Nicolaus Serarius *lib.* 1. *de*

Rabbin.

Digitized by Google

Rabbin. capit. 35. Pontifici Maximo propoſitum fuiſſe curare, ut viri hiſce linguis inſtructi poſſint cùm infideles alios, tum Hebræos ipſos eorum armis expugnare, Chriſtique Domini obſequio addicere.

Nec obſtat, Pontificium decretum intelligendum ſolum eſſe de grammaticæ rudimentis, dictionariis, & lexicis, nullum autem inde patrocinium adſciſci poſſe pro fabulari theologia Rabbinice in Thelmude præſertim comprehenſa. Ita ſenè Sixtus Senenſis *lib.* 2. *Bibl.* qui incitatior in Galatinum; *non poſſum*, inquit, *non magnopere mirari inane ſtudium Petri Galatini ex Ordine Minorum, qui cùm primo de Arcanis catholicæ veritatis libro, defenſionem thalmudicorum voluminum ſuſcepiſſet, in eam vanitatem devenit, ut non ſolum affirmaverit thalmudica opera in latinum verti oportere, & publice in ſcholis Chriſtianorum explicari, ſed hoc ipſum quoque conatus fuerit adſtruere autoritate Clementis Papa V. qui in Concilio Viennenſi, eadem ſancta Synodo approbante, ſtatuit, ut in ſcholis Chriſtianorum eſſent preceptores hebrea, & chaldaica lingua periti, qui libros Judæorum in latinum transferrent, & ipſorum linguam publice docerent.* Hoc quidem Clementis decretum, inquit Galatinus, cum intelligi nequeat de hebraicis Scripturæ divinæ libris, quia jam toties traducti fuerant, conſentaneum eſt, ipſius verba intelligenda de thalmudicis Judæorum operibus nondum latinè verſis. *Lepidum ſane argumentum*, ſubdit Senenſis, *& defenſore tali dignum, qui non animadverterit, Clementis Canonem loqui de primis rudimentis, & inſtitutionibus linguarum hebraica, & chaldaica, quæ magis petenda ſunt ab iis, qui inter Judæos grammaticas traditiones, & hebraica, atque chaldaica dictionaria conſcripſerunt, quàm ab eis, qui thalmudica ſcripta collegerunt.* Approbat Senenſis cenſuram Antonius Poſſevinus *in apparat. v. Thalmud, & v. Petrus Galatinus*, & ſcribit, Galatinum Clementis V. decretum male intellectum de prælegendis rudimentis hebraicis in ſcholis detorſiſſe ad Thalmud prælegendum, & id merito Senenſem improbaſſe.

Nam reſpondent primo, quod Pontifex non loquitur tantummodo de grammaticalibus initiis, ſed linguarum, dogmatumque illa notitia, quæ ſatis ſit ad convincendum pervicaces, eoſque convertendos. Hæc autem è dictionariis, lexicisque haberi non poteſt. Quocirca dum librorum translationem præſcribit, non potuit deſignare grammaticas ſolum traditiones, & linguarum rudimenta. Fabulas ergo Judaicas intelligit, & Rabbinorum deliramenta, quæ ſcire Theologum expedit, ut refellantur. Sententiæ hujus adſtipulatorem nomino Nicolaum Serarium *in Rubèmo priore capit. trigeſimo tertio* & Joannem Marienom *opuſcul. pro edition. vulgar.* qui hoc adjungit: Ex dictionariis abſolutam alicujus linguæ cognitionem non contingere, niſi aliorum librorum multa, & aſſidue lectio acceſſerit, diligenſque obſervatio.

Item hæc quoque commoda, quæ ex iis libris proveniunt levia profecto non ſunt. Linguæ hebraicæ phraſes, unde niſi ex Rabbinorum libris? Num ex dictionariis? At qui ex dictionario ſapit, parum in linguis omnibus ſapit. Neque omnia poſſunt Lexicis comprehendi, & frequenti potius variorum librorum lectione linguarum peritia comparatur. Vocum hebraicorum reconditas ſignificationes ex Rabbinorum libris eruimus, quæ paſſim huic ſententiæ favent. Ritus Judaicos & mores, quorum magna pars in veteris Teſtamenti libris comprehenditur, unde commodius, quam ex ea gente hauriàs, atque eorum libris? Quemadmodum Græcorum ex græcis autoribus eruimus, Romanorum ex Romanis. Quid de menſuris, & ponderibus, & numiſmatis Hebræorum commemorem, quarum rerum inſcitie paſſim laboramus? Scimus in veteribus Patrum libris id genus quædam tradi, ſed pauca, nempe in confirmanda religione magis, quam id genus rebus explicandis diſtricti erant.

Addunt, Galatinum dictis ſuis cautionem adhibuiſſe, quæ ſinceram viri mentem prodit. Sic enim ſcribit: *Luce meridiana clarius conſtat Thalmud ipſum à Chriſtianis recipiendum eſſe, non tamen in omnibus, niſi in iis tantum, quæ bona ſunt.* Qui ita de fœdiſſimis Ethnicorum libris, eorumque commentariis loqueretur, an reprehendi merito poſſet? Lucianus legitur, Religionis noſtræ ſacra ſubſannans, Zoſimus Chriſtianorum virulentus inſectator, & Conſtantini nominatim, Ammonius gentilitiæ ſuperſtitionis patronus, & eapropter chriſtianitatis ubique hoſtis manifeſtus. Plura autem commoda Theologus ex fabularia Judaicæ perſcrutatione quàm antiquarius recens, ex illorum lectione Gentilium educit.

Deinde utile eſt, ut in Eccleſia ſint viri docti, qui reconditas artes, libroſque perſpectos habeant, tùm ad ferendum de iis in prudentum conſeſſu, & comitiis ſincerum judicium, tùm ad refellendum ea quæ aliena à Religione, ac veritate invecta fuerunt à pernicioſis hominibus, & incautis, curioſiſque inſtillata. Quo ſtudio, vel ipſas magicas artes noſſe velle, ut confutentur, & reprobentur, licitum eſſe docent Theologi, præcipuè S. Thomas *in quæſtionibus quodlibet. quodlib.* 4. *quæſt.* 11. *ar. decima ſexto* quo quærit, utrum homo poſſit ſine peccato appetere ſcire ſcientias magicas? ita docet, *artes magicas, & ſimiles eſſe prohibitas quantum ad ſuum uſum, quod ſi etiam prohiberetur alicui earum ſtudium ob periculum utendi, tunc fore ſtudium quoque malum, quia prohibitum.*

Legeſis in ultima editione Diſquiſitionum magicarum ab Horatio Cardonio concinnata, ultimiſ autem curis ab Autore recognitarum, auctarum, & caſtigatarum, Delrii diſputationem, ſeu epiſtolam apologeticam contra cujuſdam ſuggeſtionem ad Congregationem inquiſitionis generalis ſacræ fidei Romanæ. Scripſerat Thomas Malvenda in operis de Antichriſto auctario *pagina quarta addit. ad paginæ trecenteſima decima nona colona ſecunda. Martinus Delrio tribus integris tomis magicarum Diſquiſitionum curioſiſſime, ac uberrime de tota in univerſum magia, ejuſque generibus diſſeruit. In quibus etſi multa inſint ſcitu cùm digna, tum utilia, at vellemus expendi, num tutius Religionis chriſtianæ eſſet, ne ejuſmodi commentaria paſſim, & promiſcuè manus omnium vulgo ſubirent, ne in multis parum piis hominibus illex eſſe poſſint, novas, & reprobatas curioſitates perſcrutandi, ac experiundi, ne dum noxia vitare docentur, venenum potius, quam antidotum bibant.* His latus ſuum peti, inquit Delrius, non enſe ſtricto, ſed doloſe clanculum, eodemque colore omnem vim exeruiſſe quoſdam, ut Romæ, ac Pinciæ opus tanto applauſu à Catholicis, etiam fidei Quæſitoribus receptum, prohiberetur. Quæ autem eruditiſſimus ille vir ad ſui defenſionem effert, ad hoc firmandum reſponſum conducunt.

Robur hæc accipiunt ex ſententia Hieronymi, quam profert ſcribens *in capit. 1. Danielis*, & habetur *diſt. 37. can. qui ſi de menſa*, quamvis mutatis quibuſdam. Sic autem inquit ipſe. Si Daniel & tres ejus ſocii, qui cibis regiis, ne polluerentur, veſci noluerunt, in vitio eſſe, & contra religionem, noſſe doctrinam Chaldæorum, & libros eorum legere exiſtimaſſent, nunquam id facere ſuſtinuiſſent. Ea igitur didicerunt illi, non ut ſequerentur, ſed ut ea vanitatis, & falſitatis, atque impietatis convincerent, & damnarent. Nam ſiquis adverſus mathematicorum, quos genethliacos vocant, dogmata diſputaret, matheſeos eorum ignarus, riſui omnium pateret.

Itaque tres illi pueri Sapientiam Chaldæorum ea mente didicerunt, qua Moſes doctrinas Ægyptiorum didicerat. Et alioqui quomodo ejus exemplo Theologi Ægyptios ſpoliabunt auro, argento, veſte pretioſe, niſi eorum theſauris contrectatis? Conſonant his Oecumenius *act. 7.* ubi in laude Moſis ponitur, quod profanis diſciplinis eruditus fuerit, & Caſſiodorus *in expoſit. pſalt.* nec diſſidet Ambroſius *in capit. ſecundo epiſt. ad Coloſ.* quamvis dubitantis adverbio prudenter utatur. *Neque*, inquit, *Moſes, neque Ananias, aut Daniel peregrinam didicerunt eruditionem, niſi neceſſitate, atque coactione dominorum. In nulla etenim ea uſi ſunt, niſi forte quis dicat, quod bonum ſit eas diſcere, ad evertendas illorum fraudes.* Juſtinus quoque *quaſt. vigeſimâ quintâ ad Orthodoxos* ait, laudari Moſem, non propter uſum ſapientiæ fabularis Ægyptiorum, ſed propter ſcientiam. Quam ſententiam etiam habet Bede *lib. ſecundo Reg. capit.* 9. citatur in decreto *diſt.* 37.

Poſtremo ita rem plene conficit Concilium Tridentinum, ſive Pontificia conceſſio, quæ ſic habet: *Thalmud Hebræorum, ejuſque Gloſſa, annotationes, interpretationes, & expoſitiones omnes, ſi tamen prodierint ſine nomine Thalmud, & ſine injuriis, & calumniis in Religionem chriſtianam, tolerabuntur.* Verba ſunt Indicis Romani librorum prohibitorum autoritate, & conſtitutione Clementis VIII. editi anno 1595. Non enim putavit Concilium omnino Thalmudica abolenda, cùm multa in iis ſint, ex quibus & fides noſtra, & religio juvari poſſit, & multa, quæ adverſus Judaicam obdurationem prodeſſe chriſtianis poſſunt, ut liquet ex his, quæ dicta ſunt.

Ego autem ita judico. Noxia eſt aliquibus notitia omnis theologiæ fabularis Judaicæ, & omnibus aliqua. Unde ſit prima aſſertio. Quamvis Theologi promiſcue, & linguæ hebraicæ profeſſores, aliique viri docti à theologia fabulari Judæorum arceri non debeant, meritò tamen cavetur, ne in ſcholis eadem prælegatur, aut vulgo exponatur. Nam nulla inde ſperari poteſt utilitas, periculum crearetur curioſis, nec ſatis in fide, & religione firmatis ingeniis. Majus certe malum, quàm bonum ex promiſcua lectione fabuloſorum commentorum exiſteret. Itaque providi eſt Magiſtratus Eccleſiaſtici, cùm id expedire judicaverit, Librorum iſtiuſmodi uſum quibuſdam interdicere, ipſamque illam theologiam certis è locis proſcribere.

Secunda aſſertio. Nulli fas eſt intendere theologiæ fabulari Judæorum. Hoc D. Pauli enunciatum eſt & ſenſum habet: Non licere animum adjicere, non credere, ut res veras, non magni facere, fabulis intendere, ſive attendere, dicuntur ii, inquit recte Gulielmus Eſtius *in epiſt. ad Timoth. cap.* 1. qui eas ſtudioſe, & ſeriò vel narrant, vel audiunt, velut rem alicujus momenti, & quæ ad pietatem faciat.

Aſſertio tertia. Dedecoroſum fore, ac minimè ferendum in theologo chriſtiano, ſi ita deditus eſſet theologiæ fabulari Hebræorum, ut idcirco minus æſtimaret veram, divinamque theologiam Apoſtolorum, & Patrum; ſi ex cœnoſis illius lacunis hauriret putidas ſacræ Scripturæ interpretationes, iiſque, ut peſtilentibus undis florentem Eccleſiæ hortum inficeret; ſi fabulatoris Rabbini nomen autoritatemque pluris quàm Concilii ſacroſancti, aut ſcholaſtici doctoris faceret; ſi lethale ſuperſtitionum venenum inde hauriret, & incautis auditoribus, lectoribuſque propinaret; ſi perverſas de religione opiniones ex eiſdem fabulis induceret, firmaret; ſi Judaicis rebus, & placitis idcirco plus æquo faveret, veterum Eccleſiæ Doctorum ſententiam contemneret, majorum dicta convelleret, rùm litteræ Codicis ſacri inhærendum eſſet, ad allegoricos explicatus ex Rabbinorum præſcripto confugeret; qui perniciem, arrogantiam, pervicaciamque ſibi ex theologia illa compararet. Denique qui immoderate fabulis Judaicis, Kabaliſticis argutiis, commentis Rabbinicis uteretur. Quòd in quibuſdam non tam theologis ſcholaſticis quàm vulgaribus concionatoribus, & Sacræ Scripturæ minus ſolidis interpretibus reprehenditur, qui ea propter hebraizantes appellari ſolent, & plus quàm oporteret fabulari theologiæ Judæorum tribuunt. Quo vitio maxime laborant inter Sectatores Scioli Novatores, qui à ſuis etiam doceri poſſent, quantum deferre debeant fabulis Judaicis, & quàm ſobrie illis uti.

Certè Joſephus Scaliger *Elench. pag.* 40. ut hominem nullius inter eruditos notæ exprimat: *Judaum*, inquit, *agnoſcas, ſive impudentiam, ſive inſcitiam ſpectes.* Alibi *lib. 3. Iſag. pag. 117. & 216.* vocat *Thalmudiſtas fabulatores, Aſinitates ſycophantarum Thalmudicarum.* Fatetur Lutherus *præf. in Bibl.* & ſe & Santem Pagninum, & Munſterum crebrò in ſua ex hebræa translatione erraſſe, cujus rei cauſam dat, quod Rabbinorum gloſſis nimium crediderit. Junius, & Tremellius, Novatores ambo, *Rabbinos audaces fabularum auctores vocant.*

Luber audire Joannem Forſterum, quem Beza hebraicæ linguæ profeſſorem longe doctiſſimum vocat *in Joan. capit. tertio.* Is ita dictionario ſuo præludit: *Vidi multis jam annis poſt inſtauratam Evangelii doctrinam, non minus regnare in ſcholis Chriſtianorum commenta Rabbinorum, cùm in verſione, tum etiam enarratione Scriptura ſacra, quàm in ipſis Judæorum Synagogis, atque ipſorum Peruſchim, quaſi ſacroſancta myſteria Dei, ab omnibus ſumma reverentia; ac religione coli, & adorari. Hinc factum eſt, ut certum ſenſum nequaquam aſſequi poteris.* Et mox, quæ frequenter occinenda eſſent Novatoribus: *Sepe vehementer admiratus ſum Noſtratium,* Lutheranorum, & Calviniſtarum, *ut pace ipſorum dicam, ſocordiam, qui abſque ullo judicio commentaria Judæorum, in quibus nulla lux, nulla notitia Dei, nullus ſpiritus, nulla ullius diſciplina ſeu artis vera, ac ſolida ſcientia, nulla linguarum, ac ne quidem hebraa lingua eſt cognitio, amplecti maluerunt, quam ut ipſi conſiderarent voces, ac earum ſignificationes. Quid, obſecro, Judæi intelligerent, quorum cordibus, ut Paulus Apoſtolus noſter teſtatur, velamen Moſi in lectione*

lectione veteris Teſtamenti uſque ad diem hodiernam impoſitum manet, ſenſuſque eorum obcæcati ſunt, ut in finem legis intendere non poſſint? Qui verò finem legis, Filium Dei, natum ſecundum carnem ex Virgine, verum Meſſiam, Mediatorem, Victimam, & Liberatorem humani generis non cernunt, neque agnoſcunt, eumque ſubjectum, & ſcopum univerſæ Scripturæ eſſe ignorant. Inſuper regnum ipſius tantum externum, corporale, & temporaneum ſomniant, non ſpirituale, nec æternum eſſe credunt, neque inter promiſſiones legis, & Evangelii de gratuita remiſſione peccatorum, propter Mediatorem Chriſtum diſcernunt, quid, & quomodo docerent alios Moſen, & Prophetas?

Ac ſubdit: *Quare rectè Chriſtus vocavit cæcos, & duces cæcorum, ut interim taceam virulentiam ipſorum, & odium, quo flagrant in Chriſtum, ut pauca invenias de Chriſto vaticinia, quorum vel verba aliqua, vel integram ſententiam non ſceleratiſſime depravarint. Nihil igitur profecerunt, niſi quod velut Bibliothecarii libros tantum ſacros, quos Biblia vocamus, ac aliquot grammaticos nobis chriſtianis ſuppeditarunt. At, quod ad Sacræ Scripturæ intelligentiam, ut jam dixi, atque etiam hebrææ linguæ cognitionem attinet, præſtiterunt, quod laudem mereatur, omnino nihil. Nam dictionaria, & Commentaria ipſorum plus obſcuritatis, & erroris in Eccleſiam Chriſti invexerunt, quàm lucis, & veritatis.*

Sicque proſequitur: *Id, quod in noſtratium*, Lutheranorum, & Calviniſtarum, *commentariis videre licet, cùm, ut ipſis videtur, vox aliqua ambigua, aut obſcurior ſententia occurrit, allegant aliquot Rabbinos, & ut ipſi variè expoſuerunt, rarò enim, aut nunquam inter ipſos convenit, ita referunt, poſtea lectorem dubium relinquunt. Quis verò ipſorum rectè ſenſerit, & quem ſequi oporteat, minimè indicant, aut, ſi indicant, quia vim vocabulorum ignorant, facilè falſum pro vero amplectuntur, ut non ipſi tantum errent, & fallantur, verum etiam lectorem fallant, & ita Chriſti dictum accidat:* Cæcus ſi cæco dux fuerit, ambo in foveam cadunt. *Commemorarem plus mille themata, quorum ſignificationem veram, ac genuinam nec dictionaria, nec commentaria ipſorum oſtendunt, quin potius ſtudioſum ejus linguæ miſerè à veritate abducunt.* Hæc Lutheranus ſuæ ſectæ magis, quàm orthodoxos Theologos perſtringens.

Eo tamen nomine male à quibuſdam audit Andreas Maſius, quem acriter reprehendit Leo Caſtrius *lib. quarto Apologetici*, illudque in primis carpit, quod ſepoſitis Sanctis Patribus, quos nunquam ferè citare putatur, niſi cùm eos eſt vituperaturus, nominet Rabbinos, nec nominet tantum, ſed citandis iis ſe jactet, atque operum ſuorum marginibus adſcribat eorum nomina, quibus in locis Patrum, qui citabantur nomina ſolebant adſcribi. Quocirca Inquiſitionis in Hiſpania Theologi è Maſii commentariis eradi nonnulla juſſerunt, quæ, ut loquitur Poſſevinus *lib. ſecundo bibl. capit. octavo* non tam Rabbiniſmum, quàm hæreſes ſapiunt. Sed idoneum, propitiumque nominis ſui patronum nactus eſt Maſius Nicolaum Serarium, qui non ſemel eum ab hæreſis ſuſpicione eximit *in Joſue tom. 1. & tom. 2. capit.* 20. Monet autem prudenter Poſſevinus hac in re ſobrios eſſe oportere, qui ſeſe lectioni Rabbinorum addicunt, quibus id præcipuè cordi fuit, loquit, ut à fide in Chriſtum, atque ab ejus adventu ac redemptione generis humani homines averterent.

Itaque viro ſapienti non diſplicebit, quòd hiſce ſubjectis legibus, ubi de ſacrarum litterarum Interprete præſcribunt, ſancitur: *Siquid ſit in Hebræorum Rabbinis, quod vel pro latina editione vulgata, vel pro catholicis dogmatibus utiliter poſſit adferri, id ita adferas, ut iis propterea non concilies autoritatem, ne ad eos aliqui afficiantur, præſertim, ſi fuerint ex iis, qui poſt Chriſti Domini tempora ſcripſerunt.*

In cæteris Rabbinorum rebus conquirendis, aut etiam erroribus exagitandis, niſi valde celebres ſint, non labores. Idemque ſervet in legendis quibuſdam Chriſtianis interpretibus, qui plus nimio Rabbinos ſecuti ſunt.

Sed, ut extremum habeat aliquid hæc noſtra Conſultatio, concludam, ſervanda eſſe ſacra Summorum Pontificum de Thalmodicis ſcriptis judicia, quibus hæc Italicè ſubjicio, pro inſtructione tum Inquiſitorum, tum Principum.

La licenza e la libertà, che in alcuni luoghi della Criſtianità hanno i Giudei intorno a' loro empi libri, particolarmente del Talmud, che ivi publicamente ſi legge nelle loro ſinagoghe, e in eſſo ſi dottorano i loro Rabini, ſì come è coſa graviſſima per lo manifeſto pericolo d' infettione, nella quale incorre la purità della Religione criſtiana, così è neceſſario per ovviare a tanto male di perſuaderne il rimedio a chi forſe non conoſcendo, o non credendo il danno, che di ciò può ſeguirne, importunato da eſſi Ebrei, gli voleſſe difendere, e non già per iſcaldar punto gli animi de' Principi, i quali non ricevono, ſe non da li ſpiriti della propria pietà gli ſtimoli di tener purgati loro Stati e dominii da sì peſtifera contagione.

Doveranno adunque i Principi dare eſecuzione alla Bolla di Clemente Ottavo ſopra detti libri già publicata. Onde ſarà neceſſario di attender prima con tutto ſtudio alla ſuppreſſione del Talmud, i volumi del quale ſono molti, sì come anche furono molti i Rabini, che in diverſi tempi lo compoſero. E quantunque ſecondo l'opinione d' alcuni, vi foſſe fra i primi Autori chi ſcriveſſe dottrina buona, e conſentanea a' miſteri della noſtra criſtiana Religione, nondimeno coloro, che poi ſcriſſero, la corruppero, e continuando altri a ſcrivere; hanno in maniera depravata e guaſta ogni coſa, che in ciaſcheduno di eſſi volumi ſi contengono non ſolo ingiurie, e beſtemmie eſecrabili contro a Criſto, Salvator noſtro, favole, e menzogne in depravatione del vero ſenſo della ſagra Scrittura, ma ancora precetti, e ordini contro alla legge ſteſſa di Moſe, contro ad ogni ragione delle genti, e contro ad ogni legge di Natura, la quale eſſi ancora, come huomini, ſono tenuti ad oſſervare.

Quindi molti Sommi Pontefici hanno interdetto l'uſo e la lettione di così pernicioſa dottrina a tutti gli Ebrei, sì come han fatto ancora molti Principi chriſtiani ne' loro Dominii, e hanno ordinato, che tutti i libri Talmudici ſi raccoglieſſero da ogni parte della chriſtianità, e ſi deſſero al fuoco. Così han fatto Gregorio nono nell' anno 1230. Innocentio quarto nell' anno 1244. Clemente quarto, Onorio quarto, e Giovanni vigeſimo ſecondo. Ma di poi eſſendo di nuovo ravvivata queſta deteſtabile opera col beneficio delle ſtampe ſparſa per tutto il mondo in numero quaſi infinito, piacque a Giulio terzo con nuovo editto ordinare, che ſi doveſſe inquirere contro a chi gli teneſſe, e leggeſſe, e commandò nell' anno 1553. che ne' giorni, ne' quali eſſi Ebrei celebravano la feſta de' Tabernacoli, ſi bruciaſſero per tutte le città d'Italia, sì come fu eſeguito.

Paolo quarto col parere del ſupremo Tribunale della ſanta Inquiſitione fe l'iſteſſo, e dichiarò, che tali volumi s'intendeſſero ſenz' altro compreſi fra i dannati dalla Chieſa Cattolica. E perche udiſſi, che in Cremona havevano gli Ebrei una gran libraria, e in eſſa molti volumi Talmudici, fu di ordine del Santo Tribunale ſudetto viſitata, & eſſi volumi buciati nel numero di dodici mila, e altri diece mila in Recanati con mille Commentarii d'un Manabel nel Pentatonto, pieni d'empietà Talmudiche.

Gregorio decimo terzo parimente ordinò, che dagl Inquiſitori ſi procedeſſe contro a gli Ebrei, che tenevano detti volumi. Ma rinaſcendo tutta via i capi di queſta Idra, Clemente Ottavo con la ſeverità ben neceſſaria della ſua Coſtitutione provide con molto frutto a tanto diſordine, interdicendo la lettione, e retentione di eſſi volumi, non ammettendogli nè anche ſotto preteſto, che ſiano purgati, ma dannandogli aſſolutamente alle fiamme, qual Coſtitutione sì come nell' Italia è in oſſervanza così ſe foſſe fuori ancora per tutti luoghi, non haverebbono queſti perfidi machinar tanto in pregiudicio della Religione criſtiana e de' buoni coſtumi.

De' Principi criſtiani poi ſi fu il pio rigore di Ferdinando e d'Iſabella contro alle perſone, e a' libri Talmudici degli Ebrei, e molto avante quel, che ne ordinò Linigio anche Re della Spagna, e ciò che fè Carlo quinto ancor giovane, rifiutando con generoſa pietà quella gran ſomma d'oro, che gli offerſero gli Ebrei.

Nell' anno 1553. nel dominio Venetiano per ordine di Benedetto Valerio, di Marco Centano, e di Franceſco Longo Senatori e Giudici contro a' beſtemmiatori ne furono dati al fuoco innumerabili volumi.

Nel 1230. il Cancelliere di Parigi, e i Dottori in Theologia per ordine di Gregorio nono, favorendo, e ajutando l'eſecutione il Re, ne furono nella publica piazza bruciati quanti con eſquiſita diligenza ne furono ritrovati.

Nel 1239. San Ludovico Re di Francia ne fe d'infiniti altri un publico incendio. Anzi la novella Coſtitutione di Giuſtiniano Imperatore contro a' Giudei, e loro ſcritti, è inteſa dal Baronio, e da tutti, non d'altri libri, che de' Talmudici.

Nell' anno 1628. havendo Monſignor Nunzio Apoſtolico appreſſo il Re di Polonia havuto notitia, che gli Ebrei havevano in Lullino ſtampati molti libri Talmudici, ne fe riſentimento con ſua Maeſtà e con altri Ufficiali del Regno, accioche non ſolo foſſero proibite dette ſtampe, e libri, ma gaſtigarſi ancora gli ſteſſi Ebrei, ci come fu eſeguito per la buona diſpoſitione, e intentione, che trovò il Nunzio nel Re, e nè di lui Ufficiali.

Ora che regnano Principi di ſingolar pietà e zelo, ſi dee ſperare, che debban fare non ſolamente il medeſimo, imitando l'eſempio di tanti Principi, e forſe loro maggiori ſteſſi, ma di vantaggio a beneficio della Criſtianità, & eſtirpare in modo le radici, che ne' loro ſtati non poſſano più a riprodurre così venenati germogli.

E ſe taluno con l'eſpoſitione di Pietro Galatino voleſſe affermare di eſſere utile il Talmud, e di eſſer convenevole, che ſi ponga in lingua latina, e leggerlo nelle ſcuole de' Chriſtiani, adducendo egli l'autorità di Clemente quinto, che nel Concilio Vienneſe ordinò, che in dette ſcuole vi foſſero maeſtri della lingua Ebrea e Caldea, i quali trasferiſſero in latino i libri degli Ebrei, e inſegnaſſero la loro lingua, donde, dice il Galatino, ſi deduce, che non potendoſi intender tal' ordine di libri Ebrei della divina ſcrittura, eſſendo ſtati queſti tanto volte in latino tradotti, ſi ha neceſſariamente da intendere de' volumi Talmudici non ancora in latino tradotti. Si dovrà riſpondere, che la Coſtitutione di Clemente parla ſolamente de' primi rudimenti, e della inſtitutione della lingua Ebrea e Caldea, la quale ſi dee apprendere più toſto da quei, che fra gli Ebrei hanno ſcritto; documenti grammaticali, e ditionarii ebraici, e Caldei, che da quei, che hanno raccolto i libri Thalmudici, ove non ſono tante empietà, e biſtemmie. Nè dee ſi preſtare orecchio a chi proponeſſe di eſpurgarli; imperoche ſono tutti artificii di Ebrei, ben conoſciuti da Clemente Ottavo, il quale perciò vi aggiunſe la clauſola, che non ſi poteſſero leggere, ò tenere, etiandio ſub prætextu, quod expurgati fuerint, vel donec expurgentur, e con le pruove, che in altri tempi ſene ſono fatte a queſto fine, ſono ſtati ſempre giudicati tali volumi ineſpurgabili, tanto ſono in ogni parte pieni d'errori, e menzogne perniciofiſſime, e così anche fu riſpoſto d'ordine di Urbano Ottavo al Veſcovo di Cracovia intorno al Thalmud ſtampato dagli Ebrei di quella Città, il quale ne ricercava la permiſſione con preſupporre, che foſſe eſpurgato, e con addurre l'autorità del Galatino.

E per certo la ſperienza ha inſegnato, che queſti volumi tante volte dannati, e quaſi eſtinti, ſogliono riſorgere per l'avaritia de' miniſtri de' Principi, i quali vendono la licenza e la facoltà di poterli ſtampare, non guardando gli Ebrei in ciò a ſpeſa veruna, per lo che ne abbonda grandemente l'Aſia, e l'Africa, ove ſono di grandiſſimo impedimento alla converſione de' popoli, come anche nella Grecia, e in molti luoghi della Germania, fomentando in quella lo ſciſma, e in queſta aprendo la ſtrada ad un moſtruoſo compoſto di ereſie nuove, e antiche, sì come han fatto nella Tranſilvania con tanto ſeguito, e i Sabbatari, e gli Ebioniti; e in Lituania i Saducei.

Ma certamente ſe tali miniſtri miraſſero più alla conſervatione della Religione Chriſtiana, che al mantenimento temporale, e politico delle perſone, e degli Stati de' loro Principi, e all' intereſſe proprio, non ſarebbono ſenza dubio sì favorevoli a queſta perfida natione, maſſimamente nella materia de' libri Talmudici. Imperoche fra l'altre innumerabili eſecrationi, e imprecationi, che in eſſi ſono, vi ſi commanda, che ogni Ebreo tre volte il giorno beſtemmi la legge Criſtiana, e prieghi Dio, che la confonda, & eſtermini con i Re, e co' Principi ſuoi, e che faccino queſto principalmente i loro ſacerdoti nelle Sinagoghe in odio di Gesù Nazareno. E benche queſti loro prieghi, come fatti da chi non ha la vera fede, non ſiano eſaudibili, ſono però manifeſto inditio della malignità del loro animo, andanto all' eſterminio de' Principi chriſtiani, l'imperio de' quali ſecondo le leggi del Talmud, hanno per più eſecrabile, e ſtimano peccato molto più leggiere il ſervire ad un Principe gentile, che ad un chriſtiano, quantunque aſſolutamente ſecondo la medeſima dottrina Thalmudica hanno per maſſima, che non ſi debba ubidire ad alcun Principe mortale, ma fare ogni sforzo per iſcuoterſi dal collo il giogo dell' imperio d'ogni Re e d'ogni Principe, come anche d'uſare ogni induſtria, e tentare ogni via per toglier la roba e la vita a' Criſtiani, che ſecondo il precetto Talmudico ſono obligati di tenere per animali bruti, e trattargli come tali, e tanto non fanno, quanto non ponno.

Dalla qualità adunque di queſti Libri, e da quello che hanno decretato i Summi Pontifici, & eſeguito i Principi Chriſtiani, ſi vede chiaramente che non ſi debbono amettere in modo alcuno le inſtanze, e le importunità degli Ebrei per le ſtampe di eſſi, nè permettere che ſi tengano, nè leggano in publico, nè in privato; ma con ſomma diligenza cercargli, e dar loro quella pena di fuoco, che eſſi libri commandano che ſi dii a' Sacroſanti noſtri Vangeli, da eſſi chiamati Iniquità rivelata e peccato manifeſto, qual pena vogliono, che ſi eſeguiſca

eſeguiſca, ancor che ne' Vangeli ſi conteneſſe il gran nome di Dio, tenuto da eſſi in ſumma veneratione, eſſendo molto maggiore l'odio, che eſſi portano à' Vangeli, che la riverenza, che profeſſano a sì gran nome.

In quanto poi agli altri libri de' Rabini altre volte ancora ſi è riſposto, che dalla lettione de' medemi libri ſi ha da giudicare, ſe ſono de' compreſi nella proibitione di Clemente Ottavo, ſenza eſſerſi voluto mandar catalogo de' permeſſi, o de' proibiti, non potendoſi aſſicurare, nè anche de' loro libri, che contengono il Teſtamento vecchio, nè di quei, che contengono le loro orationi, potendovi eſſer molte coſe mali. Gli altri libri poi de' Rabini, benche pare, che habbiano qualche derivatione dal Talmud, contenendo eſſi qualche coſa degna di correttione, ſi uſa nondimeno indulgenza, che ſi eſpurghino, e correggano, e così eſpurgati, e corretti gli ritengano ſecondo un Breve fatto da eſſo Clemente Ottavo a loro favore doppo la publicatione di detta ſua Coſtitutione. E ancorche nell' Indice de' libri proibiti nella ſeconda claſſe ſi proibiſcano i Commentarii de' loro Rabini, vi e' però un decreto della S. Congregatione del S. Officio nell' anno 1596. nel quale ſi dichiara, che s'intendono proibiti ſolamente quelli che ſono ſtati depravati dagli Eretici, e particolarmente da Corrado, e Paolo Faggio, purche nel reſto ſiano eſpurgati, e corretti ſecondo il tenore di detta Coſtitutione, nella quale è neceſſario d'inſiſter ſempre, e ſervirſene di regola certa.

Intorno poi alla correttione ſi dee auvertire, che sì come l'empietà, e le beſtemmie ſono in modo naſcoſe ne' detti libri, che difficilmente ſi ponno ſurgere da chi non è più che verſato nella lingua Ebrea, e non ha più che mediocre cognitione della loro ſottiliſſima malitia, così non ha voluto mai il S. Officio deputar loro Correttore alcuno, ancorche ne habbiano fatto ſpeſſe volte iſtanza, ma vuole, che eſſi ſteſſi gli emendino, e cancelline in modoche non ſi poſſano leggere, ne penetrare. E quando si ha inditio della loro inobedienza, ſuole il S. Officio far perquirere diligentemente nelle caſe loro, e nelle loro Sinagoghe, e parendo per relatione de' periti, che i libri in eſſe ritrovati ſiano corretti, & eſpurgati ſecondo la Conſtitutione di Clemente, gli ſi fanno loro reſtituire con ritenerne nota, e con dichiaratione eſpreſſa che non s'intendano per tal reſtitutione approvati, potendoſi per la gran malvagità loro dubitare, che non ſiano corretti a baſtanza, il che poi ſcoprendoſi, non gioverebbe loro detta reſtitutione, ma ſi procederebbe contro di eſſi, come è di ragione quando contravengono alla detta Conſtitutione.

Nec librorum quidem Judæorum expurgationem Sanctum Inquiſitionis Officium voluit unquam amplecti, nec aliquem deputare ad illos expurgendum, ſed quod ipſi Hebræi illos expurgent, & corrigant, aliàs graviter puniendi. Quinimmo ſemper Inquiſitoribus fuit prohibitum accipere hujuſmodi onus corrigendi, & ſi aliquando acceperint, fuerunt reprehenſi. Tales enim libri ſunt omnino prohibiti, nec eorum correctio per Conſtitutionem Clementis VIII. contra libros Hebræorum editam, admittitur, licet per regulam 4. Indicis hoc videatur conceſſum. Idemque dicitur de libris Macchiavelli, ac de Republica Bodini, de quibus ſuo loco. Unde ſcriptum Epiſcopo Cracovienſi 13. Septembris 1630. quod libri Thalmudici ſunt omnino prohibendi, etiamſi allegetur, quod ſunt expurgati juxta Conſtitutionem Clementis VIII.

Ex quibus evincitur falſa quorundam ſententia, nominatim Turrieni *lib. de ſola leg. lect. Iud. permiſ.* qui libros Thalmudicos quoad Chriſtianos negat hoc tempore videri configendos, & Pontifices, qui hos libros ignibus addixerunt Judæos ipſos ſpectaſſe, quorum erat tunc temporis numeroſior cœtus, & non pauci chriſtianiſmum facilius cogitaſſent, niſi ea lectione obfirmati fuiſſent in errore; Sed cum Sixto Senenſi tenendum ſtirpitus illos eſſe eradicandos, tam quoad Hebræos, quàm quoad Chriſtianos.

Conſulendi qui contra Judæos, & Mahumetanos ſcripſerunt. Contra illos Sancti Patres Chryſoſtomus, Cyprianus, Tertullianus, Julianus Pomerius, Rabbi Samuel, qui duo habentur *tom. 4. Biblioth. Patrum*, Gregentius, Hieronymus à S. Fide, Paulus Burgenſis, Hadrianus Finus, Porchetus, Petrus Galatinus. Contra Mahumetanos Dionyſius Carthuſianus, Joannes de Turrecremeta, Balthasar Chavaſius *in notis*, Novatores aliqui, qui temeritatem ſuorum caſtigant, & alii.

Quod verò ad Kabalam. Eſt Judæorum communis opinio, duplicem à Deo Moſi legem eſſe traditam, & è Moſi Joſue, ab hoc aliis poſterioribus, ut agnoſcunt Origenes *hom. 5. in Num. ad illud Rom. 3. credita ſunt illis eloquia Dei*, ubi eloquia tecerniit à Scripturis. Itemque Anatolius chriſtianus doctor apud Euſebium *lib. 7. hiſt. capit. 28* & S. Hilarius *in pſal.* 2. Unam, quæ ſcripta eſt, & à quibuſdam dicitur *Thora Bichtab.* Alteram, quæ abſque ſcriptura ore tradita ſit. Hæc è nonnullis vocatur *Thorà Schebalpè*. Quo ferè modo Juſtinianus Imperator *tit. 1. Inſtitutionum*, legum partitionem inſtituens, inquit: *Legum aliæ ſunt ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ.* Porrò priorem Legem Rabbini aiunt eſſe ſimplicem, ac literalem, eam quæ appellant *peſchat*, ut explicat in Thisbi Elias. Poſteriorem, myſticam, & ſpiritualem. Ex hoc autem Legum diſcrimine exortæ ſunt *Maſoreth*, & *Kabala*.

Dilucide Picus Mirandula in Apologiæ ſuæ *quaſt.* 5. ex ſententia Rabbi Moſis Ægyptii, *Cùm*, inquit, *Moſes montem Sina conſcendiſſet*, duplicem à Deo legem accepit. Unam litteralem, quam ipſe litteris exaratam ex præcepto Dei omnibus Judæis evulgavit. Alteram ſpiritualem, quam, ita jubente Deo, non ſcripſit, ſed ſolis ſeptuaginta Sapientibus, quos ipſe ſibi ad cuſtodiam legis delegerat, occulte communicavit, eiſque itidem præcepit, ne eam ſcripto proderent, ſed ſucceſſoribus ſuis viva voce revelarent, tum & illi poſteris ſuis, eodem in perpetuum ſervato ordine, aperirent.

Pluribus hæc ex Rabbinorum libris deducit Nicolaus Serarius *tom. 1. in Joſue cap. 10. quaſt.* 2. in quo docet ex Judæorum ſenſu, Kabalam à Moſe ad Joſuè fuiſſe translatam, ab hoc ad ſeptuaginta Seniores perveniſſe. Cæterum ſi nomen ſpectet *Kabala* idem eſt, quod *Acceptio. Maſorach* verò, quod illi reſpondet velet *Datio*, ſive *Traditio*. Et, ut Simon Judæus exponit apud Revellnum *lib. 1. de arte Kabaliſtica* Kabala hebraicè dicitur *receptio*, & ſubdit: Eſt enim Kabala divinæ revelationis ad ſalutiferam Dei, & formarum ſeparatarum contemplationem traditæ ſymbolica receptio, quam qui cœleſti fortiuntur afflatu, recto nomine Kabalici dicuntur, e tum verò diſcipulos cognomento Kabalæos appellabimus, & qui alioquin eos imitari conantur Kabaliſtæ nominandi ſunt, perinde atque circa editos illorum ſermones quotidiano labore deſudantes.

Kabala autem duplex eſt. Altera proba, veram vocat Sixtus Senenſis *lib. 2. Bibl.* Alteram improbam, falſam appellet ille. Proba, piaque eſt, quæ arcana ſacræ legis myſteria juxta Anagogen elucidat, quam neceſſariam eſſe ad Scripturæ Sacræ interpretationem docet Senenſis *lib. 3. Bibl.* Et eſt admodum probabile, ſi non omnino certum, præter illa, quæ in Pentateucho ſunt ſcripta, multa alia cognoviſſe Moſen, cùm familiariter cum Deo ageret, quæ libris tam exiguis ſatis explicare non potuit. Nec dubium

eſt, latere in iis, quæ ſcripta conſignavit, eximis quædam myſteriis, quorum notitiam proxime Joſue, ut miniſtro fideli, ac diſcipulo inſtillavit, à Joſue accepiſſe eadem populi magiſtros. Hæc autem tam *Kabala*, quàm *Maſorà*, quum Deum, ut ſapientiæ datorem reſpiciant, improbari nequit. Quare non eſt æſtimandum, hanc ab Eccleſia fuiſſe damnatam. Legendus Philo Hebræus in *Allegoric.* Gregorius Nazianzenus *lib. de ſtat. Epiſcop. & lib.* 1. *theolog.* Picus Mirand. *in Apolog. princip. &* 9. 5.

Improba, falſa, ac impia Kabala eſt ementitum quoddam, ac ſuperſtitioſum Judaicæ traditionis genus, quod nefarii aliquot Rabbini à Moſe, & Patribus uſque ad ipſos emanaſſe fingunt, innumeris figmentis, fabulis, vanitate, ac falſitate multiplici refertum, nihil, aut parum à *Necromantia* diſtans, quæ eſt cenſura Senenſis, qui cauſam addit. Nam explicat ſacreta quædam Dei nomina, ipſorumque virtutes occultas, quibus ad ligandos dæmones, & ad præſtigias faciendas Necromantici nonnulli apud Iudæos utuntur, aſſerentes Chriſtum Dominum hujus artis ope omnia ſua miracula edidiſſe.

Ob hanc fabuloſam diſciplinam male audit abſque diſcrimine bonæ, malæve Kabalæ, & Kabaliſtæ. Graviter & ſeverè illam inſectatur Genebrardus *lib.* 2. *chronol.* his verbis: Rabbi Simeon Ben Iohai, autor libri Zoar, quo poſuit fundamenta ſtultæ & vanæ artis illius Kabaliſticæ, quæ languet circa litterarum apices, numeros, tranſpoſitiones, anagrammatiſmos, vocum inverſiones, alluſiones, amphibologias, homonymias. Nam ejus vanitatis myſteria tribus præcipuè conſtant, nempe *Geometria*, ſic imperitè confundunt Geometriam cum *Arithmetica*, quando litteræ expenditur numerus. *Notariacon*, quando littera ponitur pro integra dictione. Sic autem barbare dicitur à Notariorum apicibus. Inventas à Tullio hujuſmodi notas, ſunt, qui ajunt, eoque nomine liber de notis Ciceronis, perperam S. Cypriano adſcriptus, habetur. Seneca *ep.* 90. hæc *ſigna verborum*, ut vocat Symmachus *lib.* 3. *ep.* 17. & S. Hieronymus *ep. de ſuſpecto concub. qua ep.* 44. *ad Principiam*, *ſignorum compendia* vocat, viliſſimis mancipiis inventoribus attribuit. Tyronem verò Tullii libertum notas excogitaſſe, quibus non jam unum verbum, ſed integræ ſententiæ exhiberentur, ſcribit Euſebius in *chron.* De variis circa has notas antiquis artificiis, deque multiplici alia ſignificatione Notoriæ videndi qui ad id plurima congerunt, Lælius Biſciola *tom.* 2. *ſubſec. lib.* 2. *capit.* 12. ac Iuretus *ad lib.* 10. Symmach. *ep.* 58. nec non Lipſius *cent.* 1. *ad Belgas ep.* 27. & ſupra omnes Blaſius Vigenere *de notis.* *Temura*, quaſi permutatio elementorum, cum una littera pro altera ſubſtituitur. E duobus primis vocabulis, quorum unum eſt græcum, alterum ſemilatinum, intelligis, quo tempore tam inepta ars excogitata fuerit, nihilque minus eſſe, quàm Kabalam, id eſt ſcientiam, quæ à majoribus per manum recepta ſit.

Præter iſtiuſmodi ineptias, continet multa impia, & ex omnium hæreſum furfure conflata. Conſtituit decem *Sephiroth*, ſive numerationes pro ſuo fundamento, quas ſive ſtatuant eſſe eſſentiam Dei, ſive aliquid aliud extra Dei eſſentiam, impiè introductas, ex eo apparet, quod in Deo numerum, & multitudinem realem ponat. Tale erat negocium, vel potius ocium Marini, & Colorbaſii diſcipulorum Valentini, qui cuncta ſuæ Religionis myſteria è litteris alphabeti græci probare conati ſunt, de quo Irenæus *lib.* 1. *capit.* 9. & 10.

Reuclinum Capnionem tribus libris harum nugarum guſtum mundo præbuiſſe ſine refutatione, Paulumque Ricium, & Picum Mirandulanum ſe earum patronum conſtituiſſe equidem miror. Neque enim eſt Kabala ab eruditis Patribus laudata, quæ partim hiſtorica eſt, partim nominatur *Lex ore percepta.* Hæc enim legis ſcriptæ pura eſt interpres, & ſimplices Synagogæ traditiones, conſuetudines, ritus, majorum explanationes continet. Hæc Genebrardus.

Plura de eadem habet Cornelius Agrippa *libro de vanit. ſcient. capit.* 47. in quo, poſtquam recentium Kabaliſtarum figmenta recenſuit, ſubjungit: Ego Deum Moſi, cœteriſque Prophetis multa, quæ continentur ſub cortice verborum legis, profano vulgo non communicanda myſteria tetexuiſſe, ut non dubito, ſic hanc, quam jactant Hebræi Kabalæ artem, quam ego multo labore aliquando ſcrutatus ſum, non niſi meram ſuperſtitionis rapſodiam, aut Theurgicam quandam magiam agnoſco. Et poſt nonnulla.

Eſt itaque nihil aliud hæc Iudæorum Kabala, quàm perniciosiſſima quædam ſuperſtitio eorum, qui verba & nomina, & litteras ipſarum in Scriptura poſitas pro arbitrio ſuo colligunt, dividunt, transferunt, & alterum ex altero facientes, ſolvunt membra veritatis, ſermones, inductiones, & parabolas hinc inde ex propriis fictionibus conſtituentes, aptare illis volunt eloquia Dei, infamantes Scripturas, & dicentes ſua figmenta ex illis conſtare, calumniantur legem Dei per impudenter extortas ſupputationes dictionum, ſyllabarum, litterarum, numerorum, tentat violentas, & blaſphemas perfidiæ ſuæ inſerere probationes.

Præterea his nugis inflati ineffabilia Dei myſteria, & quæ ſunt ſupra Scripturam, arcana ſeſe invenire, & ſcire jactant, per quæ etiam prophetare, & virtutes ac miracula ſeſe perficere ſine labore, magnaque audacia mentiri non erubeſcunt. Sed accidit illis quod cani Æſopico, qui pane relicto, & in umbram ejus inhians, perdidit eſcam. Sic perfidum hoc, & duræ cervicis hominum genus ſemper umbris Scripturæ occupatum, & circa illas vanitates ſua artificioſa, ſed ſuperſtitioſa Kabala impetum faciens, amittit panem vitæ æternæ, & inanibus nominibus depaſtum, perdit verbum veritatis.

Ex hoc autem Kabaliſticæ ſuperſtitionis Iudaico fermento orta eſt *Alphabetaria*, & *Arithmantica Theologia* Orphicarum, Gnoſticorum, & Valentinianorum, qui ipſi quoque cum diſcipulis ſuis græcam quandam Kabalam commenti ſunt, omnis chriſtianæ fidei myſteria pervertentes, & hæretica pravitate ad græcas litteras, & numeros protrahentes, ex illis conſtruentes corpus, quod vocant Veritatis, docentes abſque illis litterarum, & numerorum myſteriis, non poſſe in Evangelicis litteris inveniri veritatem.

Martinus Delrius *lib.* 4. *magic. capit.* 2. *quaſt.* 7. *ſect.* 3. enumerans ſortium ſuperſtitioſarum genera: Decimum, inquit, dicebatur Arithmantia, quæ fuit duplex. Una Græcorum, valorem litterarum conſiderantium, & futurum victorem augurantium, cujus nomen majorem numeros contineret. Ideoque Hectorem ab Achille ſuperatum, ut habet Terentianus Maurus *opuſc. in Acuit Aſtianacton.* Altera fuit Chaldæorum, qui alphabetum diſtribuunt in tres decades; quibuſdam litteris repetitis, & nomina petentium reſoluta, commutant in numeros, & ſingulos numeros ſuis planetis attribuunt. Huc referenda recentium Judæorum Kabala.

Julius Scaliger *exercitatione* 351. *in Cardanum*, Mauritaniæ Tingitanæ, ait, Magi, ea videntur uti ſcientia, quæ à Judæis Kabala nuncupatur, ab ipſis *Zairagia*, cujus præſcriptionibus veriſſima reſpondendo, ſummam Prophetarum opinionem, etiam

apud

apud Sapientes conſequuntur. Cœterum haud ex divinis nominibus, ſed ex quadam, quæ litterarum complexu conflatur, coordinatione, quaſi miſcella Planetarum, Lunæ manſionum, Signorum ſitum, motus, conventus, ſolitudines, diſceſſus, diſſidia, & conſerſiones notant, & tum alia, tum anni univerſi commoda, atque incommoda denunciaat ex tempeſtatibus.

Partes autem artificioſæ Kabalæ tres communiter numerantur, ſed in plures fieri poteſt partitio. Prima docet ex littera integram dictionem colligere, vel litteram pro dictione ponere. Exemplum eſt in S. Hieronymo *in lib. 3. Reg.* Examinans verba Davidis morientis ad Salomonem, quæ recitantur *cap. 2. v. 8. Habes quoque apud te Semei, filium Gera, filium Jemini de Raburim, qui maledixit mihi maledictione peſſima.* Exponit vim execrandæ illius maledictionis, demonſtrans convicia, quæ maledicus Semel congeſſit in Davidem ex litteris, quæ ſunt in dictione *Peſſima*, quæ Hebraicè ſcribitur *nimrezeth*, & hia quinque litteris conſtar *Nun*, *Mem*, *Reſe*, *Tſadè*, *Thau*. *In Nun* ſignificabatur Noeph, id eſt *adulter*, & alterius uxoris raptor, quo exprobrabat, quod ſe adulterio Uriæ uxoris fœdaſſet.

In *Mem* latebat nomen Moabitæ, qua voce conviciator objiciebat ſtirpis ignobilitatem, nempe ex infideli Moabitarum ſemine propagatus.

In *Reſe* denotabatur *Rezebà*, id eſt, *homicida*, nimirum qui Uriam dolo malo interficiendum curarat, amici, famulique fidelis potius interfector, quàm hoſtis ipſe.

In *Tſadè* occultabatur *Zaruah*, leproſus, quia ab omnibus hominibus è Regno ejiciebatur, ad ſimilitudinem hominis leproſi, quem lex jubebat ex urbibus, & hominum conſortio pelli.

In *Thau* inſinuabatur *Thebevach*. *Abominatus*, non ſolum ab hominibus, ſed etiam à Deo, qui illum, tanquam virum impium prorſus abjeciſſet.

Aliud exemplum deſumitur *ex pſalmo* 3. ubi pro eo, quod nos habemus verſu 2. *Multi inſurgunt adverſus me*, in hebræo eſt *Rabbim*, quæ vox ſignificat *Multi*, & ſcribitur quatuor litteris *Reſe*, *Beth*, *Jod*, *Mem*. Itaque Kabaliſtæ, ut declarent qui ſint hi *Rabbim*, reſolvunt litteras in dictiones ita, ut per *Reſe* ſignificentur *Romani*, per *Beth*, *Babylonii*, per *Iod*, *Iones*, ſeu *Græci*, per *Mem*, *Medi*.

Tertium exemplum ſuggerit locus Exodi 17. ubi in Epinicio carmine filiorum Iſrael legitur: *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* Quod in hebræo eſt quatuor dictionibus iſtis, à quarum initialibus litteris Judas Machabeus ſigna ſua militaria inſcripſiſſe dicitur, nempe *Mem*, *Caph*, *Beth*, *Iod*. quæ cum ibi in unam vocem conflarent, legerunt Machabaï, indeque ortum Machabeorum nomen, ut ſcribit Rabbi Iſaac Ben-idà. Quomodo ex initialibus elementis in carmine acroſticho Sybillæ Erythreæ formares ΙΧΘΥΣ, quo nomine Mundi Salvatorem ſignificares. Nam ſi ex iis dictiones fiant, conſurget hæc verborum complexio Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ.

Quartum exemplum dabit nomen ADAM, cujus etymon dum examinat Augustinus *tract. 9. ſuper Joan.* & ante illum Cyprianus *comment. de Sion & Sina*, ac poſt utrumque Beda *in comment. ſuper Joan.* arbitrantur primum hominem ſic appellatum, quia terra illa, ex qua fictus eſt, à Deo ſumpta eſſet ex quatuor mundi cardinibus, qui quatuor litteris ejuſdem nominis comprehenduntur. Nam A, Ἀνατολὴν, id eſt Orientem. D. Δύσιν, Occaſum. Aliud A. Ἄρκτον, Septentrionem. M. Μεσημβρίαν, Meridiem ſignificat. Quam litterarum reſolutionem indicavit Sibylla *in 2. Oracu er. lib.*

Secunda pars Kabaliſticæ tradit, quomodo littera ponatur pro littera, ac una alteri ſubſtituatur per alphabeticam quandam reſolutionem; quæ dici ſolet *Athbaſch*. Exemplum hujus partis conſtituunt Kabaliſtæ *ex capit. 25. Jeremiæ*, in quo habetur vaticinium adverſus Regem Babylonis. Quo loco Propheta, ut Judæorum plerique commentantur, ne contra ſe Regem concitaret, nomen *Babel* commutatis elementis artificioſe transformavit in *Seſach*. Sic enim loquitur: *Et Rex Seſach bibet poſt eos*, nempe calicem iræ Dei. Quaſi vocabulo *Seſach* ſecundum hanc regulam intelligi debeat *Babel*.

Tertia pars oſtendit dictionem pro dictione ponere per litterarum metatheſim, ſive litterarum artificioſam commutationem. Exemplum dat Joannes Picus Mirandulanus in Heptaplo, exponens illam primam Geneſis ſacræ dictionem: *In principio*, hebraicè *Bereſcith*. Ipſum adeat quiſque curioſus.

Quarta pars elicit dictionem ex dictione per æqualem numerum. Æqualitas numerorum ſpectatur in illo Apocalypſis 10. et. 18. *Qui habet intellectum, computet numerum Beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Sed omnium hactenus ingenia in nomine illo eruendo fruſtra fortaſſe deſudarunt, inquit Delrius. Illud omnium inſinuatur, nomen, quo ſe Antichriſtus appellabit, componi ex litteris numeralibus, continentibus numerum *666*. Hinc ingeniorum luſus.

Secundum Irenæum, & Hyppolitum nomen tale eſt *Teitan*, id eſt Gigas. Notæ numerales iſtæ.

T	300
E	5
I	10
T	300
A	1
N	50
Summa	*666*

Secundum Ticonium nomen eſt ΑΑΜΠΕΤΙΣ

Α	30
Α	1
Μ	40
Π	80
Ε	5
Τ	300
Ι	10
Σ	200
Summa	666

Secundum Aretham nomen concipitur ΛΑΤΕΙΝΟΣ, Latinus. Numerus ita colligitur.

Α	30
Α	1
Τ	300
Ε	5
Ι	10
Ν	50
Ο	70
Σ	200
Summa	*666*

Secun-

Secundum Primaſium eſt ANTEMOΣ Contrarius. Elementa numerorum iſta.

A	1
N	50
T	300
E	5
M	40
O	70
Σ	200
Summa	*666*

Plurima alia hujus generis nomina excogitata ſunt, quæ eundem reddunt numerum. Hyppolitus Martyr *orat. de conſummat. mundi* ponit ἀρνοῦμαι, id eſt *Nego.* Multa ſunt apud Arethum. Haymo, & Rupertus proferunt Genſericus, quod eſt nomen Gothicum, & Dic-Lux, quod facit numerum *666.* ſi Latino uſu accipiatur D pro quingentis, I pro uno, C pro centum, L pro quinquaginta, V pro quinque, X pro decem.

Gulielmus Lindanus *lib. 3. Dubitantis* obſervat *Martin Lauter* reddere numerum *666.* ſi litteræ latinæ accipiantur pro numeris more græcarum, & hebraicarum hunc in modum. A 1. B 2. C 3. D 4. E 5. F 6. G 7. H 8. I 9. K 10. *L.* 20. M 30. N 40. O 50. P 60. Q 70. R 80. S 90. T 100. V 200. X 300. Y 400. Z 500.

Gilbertus Genebrardus *lib. ult. chronolog.* notat nomen *Lutheri*, hebraicè numerum illum efficere.

Robertus Bellarminus *lib. 3. de Pontifice Romano capit. decim.* quia David Chytræus ſcripſerat imperitè nomen Antichriſti eſſe hebraicè *Romanus*, in gratiam tum novi Calculatoris, tum Lutheri adjungit hæc nomina *David Chythrans*, & σαξόνιος, eundem numerum exprimere.

Conſule Interpretes Apocalypſis Franciſcum Riberam, Blaſium Vregas, Ludovicum Alcaſarium, Nicolaum Sanderum *de Antichriſto*, Franciſcum Fevardentium *in Irenæum lib. quinta* Franciſcum Suarez *lib. quinta contra errores Anglicanos*, Leonardum Leſſium *diſp. de Antichriſto demonſtrat. undecima* & fuſiſſime de hac re agentem Floremundum Remundum *de Antichriſto à cap. vigeſima ad* 25. qui tamen Arithmantiæ nonnihil amplius, quàm par erat, detuliſſe putatur ex Platonicorum commentis.

Ad hanc Kabalæ partem ſpectat, quod eſt *in lib. 1. carmin. Sybillinor.* numerum nominis Chriſti venturi fore 888. Huc quoque pertinet, quod D. Auguſtinus *tract. in Joan. decimo* exponens illud ex Evangelio Joannis, *quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum hoc*, ſcribit, numerum 46. annorum ædificationis Templi ſignificare ædificationem templi corporei, quod ſibi Chriſtus ædificavit ex carne *Adam*, cujus nomen AΔAM apud Græcos componitur ex litteris numerum 461. complectentibus. Siquidem A ſignificat unum, Δ quatuor, A unum, M quadraginta. Qui numeri juncti conficiunt 46. tot enim diebus Chriſti corpus in utero Mariæ abſolutum eſt.

Quinta pars educit è dictionibus ſingulis orationes integras. Exemplum habemus Danielis 5. in dictionibus tribus, quas prodigioſa illa manus ſcripſit in pariete *Mane*, *Thecel*, *Phares*, id eſt, *Numeratum*, *Ponderatum*, *Diviſum*. Quæ Daniel per tres integras orationes exponens, ſic interpretatus eſt: *Mane; Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Thecel; Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens. Phares, Diviſum eſt regnum tuum, & datum Medis, & Perſis.* De quo præter Interpretes Danielis Pererium, & Cornelium, lege Gulielmum Alabaſtrum, *Apparatum revelat. Jeſu Chriſti capit. decimo* ubi plane Kabaliſticè Scripturæ illius ſenſus, & abdita myſteria evolvere conatur.

Sexta pars Kabalæ præcipit, ut circa litterarum figuras apices, ac puncta diligens fiat perſcrutatio. Exemplum producit Petrus Brutus Epiſcopus Catarenſis *in ſuo adverſus Judæos volumine*, *in cujus capit. quarto* ediſſerens vaticinium illud Iſaiæ de Meſſia, *Multiplicabitur ejus imperium*, quærit, cur littera *Mem*, poſita in media dictione *Lemarbè*, id eſt *multiplicabitur*, ſit clauſa præter naturam ſuam. Nam nunquam in tota Scriptura divina in media dictione reperitur clauſula, ſed ſemper aperta.

Reſpondet autem ipſe ex ſententia Rabbi Hammay *in libro Sanedrin*, quod Iſaias voluerit per hanc litteram *Mem* clauſam ſignificare occulto quodam calculationis artificio numerum annorum à tempore ſuo uſque ad tempus Meſſiæ. Quam quidem calculationem idem Rabbi Hammay ita inſtituebat. Si quis tempus Meſſiæ ſcire voluerit, accipiet numerum litteræ *Than*, qui eſt 400. deinde ſumat numeros ſingulos ſingularum litterarum ab *Aleph* uſque ad *Mem* clauſam, quarum ſumma eſt 185. & conjungat eam cum numero 400. habebit annos 585. qui ſecundum ſupputationem Hebræorum complent ſpatium totius temporis à diebus Iſaiæ uſque ad adventum Meſſiæ Salvatoris noſtri.

Quæ calculatio innoteſcet magis, ſi animadvertatur litterarum hebraicarum numerales ſignificationes, quæ ſunt iſtæ. *Aleph* 1. *Beth* 2. *Ghimel* 3. *Daleth* 4. *He* 5. *Van* 6. *Zain* 7. *Cheth* 8. *Teth* 9. *Jod* 10. *Caph* 20. *Lamed* 30. *Mem clauſum* 40. & ſic ordine multiplicando. Tandem *Than* 400.

Hac eadem notatiuncula litteræ *Mem* Zacharias Boverius *in demonſtrationibus Symbolorum vera & falſa religionis demonſtrat. 1. general. art. 7.* adverſus Hebræos comprobat *Æternitatem* Imperii Meſſiæ, de quo etiam agit Hadrianus Finus ſimili probationis genere *lib. ſecundo flagelli contra Judæos capit. ſeptima* & Galatinus *lib. ſeptima arcaner. cap. decima tertia* ex ſententia Rab. Haccados, ſummæ apud Hebræos autoritatis. Idem Boverius *art. decima* Virginitatem Deiparæ, ut Meſſiæ Matris eodem exemplo confirmari docet ex Haccados ſenſu in libro *Galo Razeja*, id eſt *Revelator Secretorum.*

Superſtitioſam recentium Kabalam dividunt in Theomantean, quæ blaſphemiis ſcatet, & Arithmantean, quæ vaniſſima eſt, à qua non abit longe Platonis arithmeticum vaticinium *lib. 8. de republ.* reprehenſum ab Ariſtotele *lib. 5. Politic.*

Ex his igitur Kabalis illa ſolum legibus Eccleſiaſticis vetita eſt, quæ eſt falſa, improba, ac ſuperſtitionibus referta. Et quoniam talis ferè eſt omnis, quæ voluminibus Rabbinorum continetur, Romanæ Inquiſitionis decreto libri ad Kabalam pertinentes damnati ſunt. Certè Kabala etiam illa olim purior, ac ſincerior per poſteriores Rabbinos non ſolum vanè aucta fuit, verùm etiam nugis, fabulamentis, ac erroribus depravata, ut probat Serarius *in capit. decimo Joſue* Primo ex iis, quæ de miraculis per certos characteres, & voces,

et

ac litteras faciendis docent Kabaliſtæ apud Capnionem *libro tertio Kabalæ.* Secundo ex ſeptuaginta duobus Angelis ab ipſis ideo effictis, quia quinquaginta ſunt portæ ſapientiæ, ut ajunt, & viginti duo hebraici Alphabeti elementa, è quorum conjunctione naſcuntur ſeptuaginta duo. Tertio ex aliis item Angelis, qui Adami & aliorum præceptores fuerant. Quarto ex lege in globo igneo ſcripta, ejuſque litteris variè poſtea confuſis, & permutatis. quædam præterea occulta Dei nomina apud ſe extare mentiuntur, quorum ad præſtigias, & ad ligandos dæmones, aliaque, de quibus Delrius *libr. primo magic. capit. quarto quæſt. tertia* uſum aiſa illuſtrem, celebrant. Et de hac accipiendum eſt illud Apoſtoli: *Ineptas & aniles fabulas devita* 1. ad Timoth. 4. v. 7. Ex quo conficit Benedictus Juſtinianus: Non ſunt igitur Thalmudicæ fabulæ ullo modo probandæ, aut Kabaliſtarum ſomnia, aut denique Poëtarum ludibria, vel hæreticorum commenta, quæ nihil valent ad mores componendos & pietati ac religioni repugnant. Carpit ibidem Serarius Calviniſmi Pleſſæi novitatem, ſcribentis *lib. de verit. relig.* c. 16. Magiam apud Plinium *lib. trigeſimo capit. primo* à Moſe ortam dici, & Kabalam.

Quare, demptis ex Kabala Rabbinorum hodierna erroribus, ac fabulis, quæ cum Dei verbo, Eccleſiaſticis Canonibus, & chriſtianis dogmatibus pugnant, reliqua uſum habere poſſunt, nec repudianda videntur. Sunt enim vera, vel veroſimilia, certè à veritate non aliena. Nonnulla quoque antiqua, jucunda, ingenioſa. Pro antiquitate adducitur illud *lib. quarto Eſdræ capit. decimo quarto v. quadrageſimo ſexto Altiſſimus ait: Priora, quæ ſcripſiſti in palam pone, & legant digni, & indigni: noviſſimos autem ſeptuaginta conſervabis, ut tradas eos Sapientibus de populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & Sapientia fons, & ſcientia lumen.*

CONSULTATIO CXCIV.

De Libris Aſtrologicis, genethliacis, onirocriticis, chiromanticis, & quoquo modo divinatoriis.

COmes Magiæ eſt Aſtrologia, ut Nazianzenus affirmat *orat. tertiâ.* Immo per Aſtrologiam facile devenitur ad Athaiſmum, legitur apud Franciſcum Picum *libro tertio de prænot. capit. ſeptimo.* Itaque cùm de libris magicis ſit dictum, dicendum nunc eſt de Aſtrologicis, qui ex eo numero ſunt, quorum doctrina libertatem humanam aſtrorum, aut fati in aſtris expreſſi efficacia devincit, ac ſpoliat indifferentia, vel certè ex eorum ſunt numero, à quibus prædictiones per aſtra deſcribuntur, utrique damnati.

Nam qui à cœleſti fato libertatem tollunt, vel impediunt, hæreſi ſordent, & fœda confuſione, quantum in illis eſt, univerſum genus humanum paſſundant. Quinimmo ſi Iſidoro Peluſiotæ *libro tertio epiſt. centeſimâ nonageſimâ primâ* credimus, atheiſmum apertè inducunt. Sic enim de iis ſcribit: *Si Deus eſt, fatum non eſt. Si autem fatum, non Deum, cum eo pugnat, vertatur enim in eorum capita, qui, ut hoc dicatur, procurant, hæc blaſphemia.*

Autores horum librorum à Valentiniano Auguſto *append. octavo ad Cod. Theod.* dicuntur *in aſtra peccantes*, quos negat debere abſolvi in Paſchate, quamvis demptis perpaucis aliis crimnoſiſſimis, cæteros *in ea communi omnium celebritate*, ſic enim Paſchæ vocat, velit abſolvi. Plurima in hujuſmodi ſcriptores ac libros, juſtiſſimamque damnationem exhibet Euſebius *libro ſexto de præpar. Evang.* quo Ethnicos quoque adverſus hujuſmodi Scriptorum genus, ſedulo anniſos, ait, quantoque ſtudio in libros divinatorios exterminandos incubuerit Valens, docet Ammianus *lib. vigeſimo octavo.* indeque multis philoſophis, & nominatim Maximo illatam necem, teſtatur. Inter Chriſtianos idem ab omni ævo ſervatum eſt. Multò enim ſeveriſſimè de Mathematicis adiactunt Imperatores Conſtantius, & Honorius, ille capitis pœnam in eos conſtituit *l. 5. C. de malef.* Iſte eos è civitatibus pelli juſſit, *l. 6. C. de pagan. l. 12. C. de malef.* Quorum Imperatorum edicta præcelletat jam olim atrox, ut loquitur Tacitus *annal. l. 12.* Senatus conſultum, imperante Claudio de Mathematicis Italia pellendis. His amplius quiddam ſtatutum ſanxerunt Honorius, & Theodoſius *l. mathematicos C. de Epiſcop. aud.* ut libri Mathematicorum in oculis Epiſcoporum flammis traderentur, cui legi D. Auguſtinus reipſa aliquando *bonum factum* adſcripſit. Nam traductum ad Chriſti diſciplinam quendam Mathematicum, qui ſuis illis artibus corraſerat à Chriſtianis multas pecunias, produxit in medium concionem, ut quotquot fuerant reſtes nequitiæ iſtius hominis, forent & pœnitentiæ, tum hæc addidit, lib. 2. de doct. Chriſt. cap. 24. *portat ſecum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut ipſis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.* Idem S. Doctor Genethliacorum, & Mathematicorum artes *nugatorias* appellat, *noxia, & peſtifera curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis, & mortifera ſervitutis.* De illis, licet haud ita ſeverè S. Ambroſius pronuntiet *lib. 2. de Abrah. capit. undecimo* tamen eas inanium diſciplinarum, & contemnendarum vanitatum loco habet: *Nec cubos geometricæ,* inquit, *nec tetragonum numerum Philoſophiæ, quaternionem, ut ajunt, Pythagoricum, nec ſemper virgines, ut appellant, hebdomadis numeros, cura diſcutimus inani, nec ſolem radio formamus, nec cœlum in pulvere ſcribimus, nec intra anguſtos abaci orbem concludimus, ſed vera aperimus myſteria.*

Mathematicum ea hoc ordine deſcribit his verbis D. Auguſtinus in fine pſalmi 61. *Seductus ab inimico, cùm eſſet fidelis, diù mathematicus fuit, ſeductus ſeducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi quod bonum eſt, & non faciendi, quod malum. Iſte dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus, & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars, & juſtum non faciebat Deus, ſed Jupiter, & alia multa ſacrilega non parva.*

Ex quibus, multiſque aliis, quæ contra mathematicos dici poſſunt, quiſpiam conficiet, arcendos eſſe longè à Chriſtianorum Republica eos libros, qui ab imperatoribus damnari ſunt flammis addicti, & quorum autores proſcripti, atque ultimo ſupplicio affecti.

Ii verò libri aſtrologici, qui, illæſa libertate, prænunciationes aliquas futurarum rerum deſcribunt circa rem ruſticam, vel nauticam, vel medicam, permitti poſſunt. Quoad has namque materias locus eſt non quidem ſcientiæ certæ, ſed aliquali conjecturæ, ob imperfectam vim cœleſtis influxus qui multipliciter impediri poteſt, tametſi nullo modo ad rem medicam conducere poſſe aſtro-

aſtrologicas prænotiones latiſſimè diſputet Thomas Eraſtus *toto lib. primo & ſecundo epiſtolar.* De aliis materiis quippiam prænuntiare ex aſtris velle, fatuum eſt, nec uno peccato ſordet, ut latè proſequitur Picus integro *lib. quinto de prænot.* poſt patruum ſuum *lib. duodecimo in aſtrolog.* & Delrius *lib. quarto magic. capit. tertio quæſtion. primâ.* Ac proindè libri de eo argumento ignibus ſunt tradendi, tam qui nativitates, ut vocant, quàm qui alias quaſvis judiciariæ hujus Aſtrologiæ propagines complectuntur, ut egregiè proſequitur Origenes *ſub finem homil. tertia in Ieremiam.* Nimirum quia hæc eſt idololatriæ portio, ut habet etiam Heſychius *lib. quinto in Levit. pagina trecenteſima quinquageſima.*

Apud aliquos tamen Ethnicorum uſus erat librorum, in quibus etiam minuta negotia notabantur ita, ut nihil propè arggredi auderent quin prius conſuluiſſent hujuſmodi codices circa eventum rei ſuſceptæ. Quò reſpexit Ammianus dicto *lib. vigeſimo octavo.* cum Romanorum corruptiſſimos mores deſcribens, ait præter cœtera: *Nec in publico prodeunt, nec prandent, nec lavari arbitrantur ſe cautius poſſe, antequam Ephemeride ſcrupoloſe ſciſcitata didicerint, ubi ſit verbi gratia ſignum Mercurii, vel quotam Cancri ſyderis partem polum diſcurrens obtineat Luna*, ex regulis nempè aſtrologicis quid tali ſyderum poſitu ſuſcipiendum, dimittendumve eſſet, ſtatuendum putabant, cujus fatuitatis meminit Auguſtinus *in capit. quarto ad Galat.* in illud: *Dies obſervatis, & menſes, & annos, & tempora.* Hos dies Ægyptiacos vocant, quos nonniſi duos fuiſſe quolibet menſe, ſcribit Lilius Giraldus *lib.* de annis, menſibus, atque diebus.

Quæ autem ſpectant ad vanitatem Genethliacorum diligenter proſequitur autor Commentarii adſcripti Origeni in Jobum *ad cap. trigeſimum octavum* & S. Ambroſius *lib. quarto hexam. capit. item quarto.* Ex recentioribus Caſtro *lib. primo de vatic. cap. decimo.* Joannes Picus *contra Aſtrolog.* Franſciſcus ejus nepos *de prænot.* & Alexander de Angelis agens contra Aſtrologos. Paſſimque Mathematicos à Juriſconſultis in tituli rubrica *C. de Manich. & malefic.* ab Ulpiano *l. tertio ff. de offic. Proconſ.* ponuntur in jore pro ſolis Genethliacis, quam vocem eòdem ſenſu uſurpatam docent Suetonius, Tacitus, & Ammianus, ac plerique alii. Quæ ars, ſi tament ars eſt, meritò proſcribitur, cùm ſit plena futilitatis, & levitatis, atque inane mortalium ludibrium, quod à prudentibus ſemper accuſabitur, & ſemper tamen patronos habebit, quemadmodum dixit poſt Tacitum Marina, agens de Alphonſo.

Pulſum ſecundo ex Eccleſia Aquilam hac de cauſa, ſcribit S. Epiphanius *lib. de ponder. & menſur.* Et ad hanc genethliacam vanitatem pertinuiſſe *Catacrianos* illos libros, qoos ab Adriano conſcriptos autor eſt Spartianus, ſunt qui aſſerant. De qua voce Lilius Giraldus *dial. tertio hiſt. poët.* & apud eum Hermolaus Barbarus, & Alciatus, Scaliger ex Cauſabono, Janus Parruſius, qui omnes ariolantur. Veriſimilius Roſuveidus *tabul. ſeptimâ* pro Baronio, quod qui ſub Ariete naſcuntur, ab Aſtrologis dicuntur *criani, catacrianos* exiſtimat dictos libros, qui de genituris natorum ſub Ariete diſſererent, cujuſmodi fuit Antinous, Adriani deliciæ, ut ex nummo Antinoi geneſim exhibente, proditum eſt. Origenis *homil. duodecima in Num.* hunc præter cœteros ait, eſſe agrum, & vineam Seon Regis iniquorum, id eſt Satanæ, quem fideles non ſubeunt, & S. Athanaſius *lib. primo in hexam. ſub initio*, mathematicam vocat conjecturalem, ac vanam, Bernardus alogorum ſtultilogiam, Tertullianus falſa hæc, & ut Sydonius inquit *lib. ſeptimo epiſt. undecima* ideoque fallentia, profeſſos, atque adeo etiam libros de hujuſmodi rebus conſcriptos eliminat prorſus è chriſtiana Eccleſia, ſic ſcribens *lib.* de idololatria *capit. nono. Cùm magia punitur, cujus eſt ſpecies Aſtrologia, utique & ſpecies in genere damnatur. Poſt Evangelium nuſquam invenies aut Sophiſtas, aut Chaldeos, aut incantatores, aut conjectores, aut magos, niſi planè punitos. Ubi literator, ubi conquiſitor hujus ævi? Nonne infatuavit Deus ſapientiam hujus ſeculi? Nihil ſcis mathematicè, ſi neſciebas, te futurum chriſtianum. Si ſciebas, hoc quoque ſcire debueras, nihil tibi futurum cum iſta profeſſione. Ipſa te de periculo ſuo inſtrueret, quæ aliorum climacterica prædicavit. Non eſt tibi pars neque ſors in iſta ratione. Non poteſt regna Cœlorum ſperare, cujus digitus, aut radius abutitur Cœlo.*

Ipſi qooque Gentiles libros hujuſmodi cenſuerunt abolendos. Nam hi ſunt ex parte libri illi improbatæ lectionis, quos Ulpianus *l. ad Labeonem ff. de injur.* commemorat, quoſque Livius de Bachanalibus loquens, narrat ex Senatuſconſulto conquiſitos, ut ignibus traderentur. Sed & Auguſtum ſupra duo millia librorum fatidicorum, ex hoc genere maximè, græcè & latinè conſeripta, ignibus commiſiſſe, ſcribit Suetonius *cap.* 31. & Dio Caſſius *lib.* 54.

Et quidem hìc ego tacere non poſſum, hoc genus hominum, qui intemperantiam ſciendi ſuam adverſus bonorum obtrectationes, aſtris tanquam clypeis tuentur, ac tegunt. Invaſit planè ſeculum, tenetque mordicus, ut cum maximè, curioſitas omnium idagatrix. Cœlum ipſum, & capita ſyderum infamavimus, præpoſtere ſpeculando, eorum tædio, quæ ante pedes jacent, remotiſſima fatigamus, odioque præſentium, venari etiam futura qualibet via uſque adeo non pudet, ut non modò in hæc infima dominantes cœli faces, quod ferri poſſet, ſed etiam, quod ſanctiſſimis legibus vetitum eſt, humanæ libertatis arbitras, moderatriceſque faciamus. Velis, nolis certa mathematicis geneſis tua, quibus arcanos temporis angulos ſuperſtitioſe rimantibus, neceſſe habes ante notus eſſe, quàm natus.

Itane verò piget homines humanitatis ſuæ, ut divini, quoniam eſſe non poſſunt, certè, quod proximum eſt videri velint? Certè non deſunt apud nos, qui hominum ingenia, fortunam, omnia, quæ ſunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur ab exploratricibus cœli facibus in aurem ſibi tacitè inſuſurrari velint, ſeque tanquam ritu Deorum non niſi cœleſti lingua res infimas edoceri. Uno ſiquidem aſpectu, & quaſi nutu, renutuque ſiderum admoniti, quæ longè ſunt futura pronuntiant, ac repræſentant certius, quàm ungues digitoſque ſuos. Quin etiam intra manum, quaſi genios familiares, aſtra deſcribunt, paratumque ducunt ſemper in oculis habere cœlum, etiam dextera gerere, pugnoque uno concludere ſuperbe juxta, ac vane gloriantur. Perindè quaſi humana, liberaque negotia, de cœlo velut habena quadam vincta temperentur, nec niſi ducentibus, & augurantibus ſtellis, vitæ ſpatia homines decurrant. Nimirum hinc exitus maximarum rerum definire, converſiones regnorum adornare, fortunæ legem dicere, alios attollere, deprimere alios, & quod ultimum eſt ſcientiæ, potentiæque, in neces quoque Principum argutari, ſummis, infimis imperia partiti, ratio virorum falſane dicam, an fallax? Certè ſplendidè mendax, quandoquidem innocente ſiderum

luce

luce ad tenebras animis inducendis abutitur. Atqui mors, & vita in manu Dei, & furtum divinitatis eſt, accita malis artibus divinatio. Procul à regno ſapientiæ genus hominum, qui autes verbis divitaut alienas, ſuas ut auro locupletent domos Abeant nocturni ventilatores aſtrorum, à quibus diu, multumque per aërem jactis nihil, niſi puras nugarum paleas denique ſubducunt.

Quanquam quid ego nugas appello? Non exigua cenſeri debent in rebus maximis qualiacunque deliria, & maculæ ſolis, etiamſi minimæ videantur, ampliſſimæ ſunt, atque ubi non coërcetur animus improvide vagus, ruina reſpondet audaciæ, omnia pertentanti, atque exitus invenienri longe alios, quàm principia pollicentur. Ut enim qui ſupervacaneo præparandi per artem auri, conficiendique ſtudio conficiuntur ipſi prius, quàm aliquid efficiant, planeque ad ignem decoquunt, cùm ſuſceperint ac depoſuerint irrito conatu, pleraque unà cum oleo, pleraque perdiderint, eo denique laboris evadunt, uti pecunias adulterentur, ac pro veris legitimiſque factas, fictaſque ſubjiciant, ad extremum falſi nomine, veriſſimo laqueo pendeant, veluti votum deæ Monetæ triumviri monetales. Ita qui neſcio quam ſiderum velut alchimiam exercent, nimiaque ſe macerant cura, ſuſpectuque cœleſtium ſignorum, à quibus etiam multo plus repetunt, quàm aut eorum natura præſtare poſſit, aut humanæ libertatis imperium patiatur, enimverò in ea ſæpe rerum deliramenta ſenſim deſinunt, ut ſanctiſſimæ Fidei veritatem, & tanquam aurum optimum egregiè mentiantur, ac pro religione mendacia venditent, digna ſupplicio.

Quid enim? An non reperti aliquando ſunt homines, cœteroqui non male litterati, qui ignorantiam imperitorum vanitate vicerunt? Uſque adeo devoti ſideribus, juratique, ut iis non modo ſumma Regum capita, ne dicam infima, ſupponi vellent, ſed regem Regum ac ſiderum, cujus umbra ſol eſt, cùm magis lucet, ac ſplendet, ipſum inquam terrarum, cœlique moderatorem, ac vindicem, atque hominum reparatorem, cœlo atque operi manuum ſuarum temere ſubjecerunt. Dei inter mortales genituram, naturæ conſtitutionem, vitam, necem, mutis, & haud dubie deteſtaturis, ſi ſenſum haberent, cœli facibus, non impiè minùs, quàm confidenter, adſcriberent, perinde quaſi ſalutem humano generi non importaſſet Deus, niſi ſideribus placuiſſet. O voces alia dignas flamma, quàm ſiderum! Templum illud non manu factum, illam corporis temperiem humana majorem, indolem animi ac majeſtatem, faciem, inquam, illam, ſpitaculum vitæ, ac digito Dei vultum expreſſum, dicam amplius arcana divinitatis conſilia, non ſtellæ modo reſcierint, exploraverint, intellexerint, ſed etiam adornarint, juſſerint procurarint; Quod ſi opus humanæ ſalutis abſconditum intra mentis adita ſempiternæ, ſi divinæ benevolentiæ theſauros, ſi Dei potentiam ultimam, Jovi nimirum, atque Mercurio, Venerique confidenter acceptam referunt vaniſſimi ſiderum myſtagogi, quid verò nobiſcum agent homuncionibus? Quàm temere nos cœli mancipia ubique prædicent? Quàm miſere noſtros plane animos, naturam, libertatem, omnis, renuentibos & tam execrandum imperium abrogantibus aſtrorum radiis, quaſi ſpiraculis lancinabunt?

Faceſſat ars, mentita Philoſophiam, verè nullius diſciplinæ concepta fundo, nullius emiſſa, ſed fuſa ſ[illegible] plane juris, ſi quod tamen jus habet, certè cum ſapientia, ac bonis artibus, ſæpe etiam cum religione, ullum habet. Pellebatur illa quondam ex urbibus infami Deorum cultu contaminatis, & tanquam perniciofa civium perditorum bono, vel ab improbis ſæpe Principibus explodebatur, nos in hac luce ſacrorum, in hoc diſciplinæ candore, in oculis innocentiæ, in triumpho pietatis retinebimus Philoſophiæ turpiſſimum obortivum, ſuperſtitionum omnium fontem, ut Varro, doctiſſimus Romanorum appellat, ut Lactantius, Tartarei prædonis inventum, quo ſeſe in hominum facile ſocietatem inſinuet?

Et verò quoties hoc uno artificio, quod ſine lacrymis dici nequit, quoties inquam, ille cio futuri præſentem ſeſe fatetur palam præſtigiator infernus, hominique ſe devovet, alligatque qui ferre non potuit Deum, Quæ primis ille exordionibus promovet pollicitationum lenocinia? Quæ irritamenta ſcientiæ? Quæ cognitionis lumina? Quas futurorum evocationes? Quæ miracula prædictionum, Quæ deinde morum dedecora? Quas clades animorum? Quæ bella pudicitiæ? Quæ divinæ imaginis, ac formæ ludibria? Quàm dura, quàm fœda palam imperia jam tortor ſalutis, jam carnifex integritatis, jam fidei proditor, ac tyrannus exercet? O noſtram non ferendam, id ſi ferimus, patientiam! Naſcente, ut aiunt, Chriſto Domino, Deorum oracula ſiluere, nos in regno Sanctimoniæ adulto jam, perfectoque in hominibus Chriſto, utinam in aliquibus non ſeneſcente, turpiſſimum dæmonom vulgus in noſtram ipſi perniciem evocabimus, ac neſcio quæ nobis oracula faciemus? nempe, ut ille quondam cœli deſertor, & transfuga ſplendoris regnum invadat, quod aliquando non potuit, juvantibuſque, & quaſi ſuccollantibus nobis fraterculis gigantum in Dei aſtra conſcendat, ibi ſe transfiguret, ſi unquam verius, in angelum lucis princeps tenebrarum, è ſolio ſiderum jura hominibus dicit, prædicatque, ac divinatione ſaltem, ſin minus divinitate, ſimilis videatur A tiſſimo?

Alii divinatorii libri ſunt Onirocritici, & chiromantici. Onirocritici ex antiquis extant Artemidorus, Achmetes, Aſtrampſychus, Syneſius, in quem hac de cauſa multis agit Picus *lib. 6. prænot. cap* 8. & Nicephorus Syneſii interpres. Alios addocit Tertullianus *lib. de anim. cap.* 46. De his autem ſtatuendum eſt cum Serario *ad cap.* 11. *Eſther. quæſt.* 5. & cum Sanchez, qui alios adducit *lib.* 2. *in decal. cap.* 38. *numero* 4. ſi ſupra meram conjectationem eorum, quæ ad temperiem pertinent, porrigantur vanos & abolendos eſſe. Nam ex ſomniis aliquam conjecturam duci poſſe de humore prædominante, ratum eſt apud Phyſicos & Medicos, beneque à Pineda exponitur *lib.* 3. *de Salom. cap.* 18. *num.* 4.

Atqui ex ſomniis naturalibus futura contingentia prædicere audent, vel occulta rimari, plane delirant, nec abſque Dei offenſa. Sunt quidem ſomnia nonnulla divina, quorum non eſt vana fides, de quibus nos alibi. Quò pertinent quæ diffuſe, & accurate ſunt ſcripta à Pererio *lib.* 1. *in Daniel. &* *lib.* 2. *de* Magia *cap.* 3. *q.* 6. & à Fernandio *prælud.* 7. *ad viſiones* Caſtro *variis locis operis de vatic.* & à Loyerio *lib.* 4. *de ſpectris cap.* 22. *&* 26. Alia verò ſomnia quæ naturalia ſunt, nihil poſſunt portendere. Audiendum itaque eſt divinum Oraculum per Siracidem *cap.* 34. *Niſi ab Altiſſimo fueris miſſa viſitatio, non des in ſomnus cor tuum.* Ac proinde etiam libros de ſomniis relinquendi ſomniatoribus, de quorum nugis multa Bulengerus *toto lib.* 5. *de divinat.* Aliquorum tamen uſum horum librorum

aperit Pineda *lib. 3. de Salom. cap. 18. nu. 4. & 5.* De ſomniorum ſuperſtitione nos ſuo loco.

Nec diſſimile judicium ferendum eſt de libris chiromanticis, ut proſequitur Franciſcus Picus *lib. 6. de prænot. cap. 1.* Nam Divinatio, quam tradunt, præterquam ad aliquam temperamenti, & illud conſequentium notitiam, eſt omnino vana, & damnata. Itaque tametſi hoc genus conjectationis cùm Pythagoras in probandis diſcipulorum ingeniis adhibuit, teſte Jamblico *in ejus vita cap. 17.* tam Indi ſapientes in uxoribus ducendis ex Nicoſtrato aud Stobæum *ſerm. 189.* Tamen fere inane eſt, libri quoque in quibus ea menſura tranſcenditur, damnantur. Veteres libros per corporum ſigna, pandentes interna, vocat Ammianus *lib. 15.* Zopyri, Loxi, Palæmonis de hujuſmodi nugis ſcriptiones memorat. Origenes *lib. 6.* contra Celſum, quarum aliquæ etiamnum extant. Non eſt porro verum vanitatem illam vaniſſimam, qua coluvies hominum latè deſcripta, & exagitata à Creſputto *lib. de odio Satanæ diſcurſ 12.* & à Delrio *lib. 4. magic. cap. 3. q. 5.* nec non à Tarquinio Gallucio *ad lib. 1. eth. Ariſt. cap. 1. q. 7.* de qua nos etiam alibi, Italis Ægyptios, ſive Zingaros, ſe mentiuntur, ex vola manus & ejus lineis præmunciat actus liberos eventuros, approbari à Jobo verbis illis *cap. 37. qui in manu omnium ſignat, ut norint omnes opera ſua.* Non enim id ad lineas manuum pertinet, ſed ad notitiam imbecillitatis noſtræ, quàm inde capimus, quod toties à Deo vetemur agere per aëris viciſſitudines, quod alioqui operentur manus noſtræ.

Et quanquam ſint innumeræ aliæ divinationum ſpecies, de quibus ſigillatim ſuo loco, quas etiam fuſiſſime recenſent Picus in opere de prænot. Bulengerus de divinat. & Petrus Aneoranus in tract. ejuſdem tituli, ac proinde de illis quoque poſſunt conſcribi libri improbatæ lectionis, tamen infrequentius occurrant libri de illis aliis divinationibus conſcripti, ideoque univerſè pronunciandum eſt, ſi præter propoſitos, aliqui præterea ſint alii divinatorii libri, ex quacunque dæmoniaca doctrina omnes abolendos eſſe juxta dictum ab Origine homil. 16. in Num. *Hæc omnia, id eſt ſive auguratio, ſive extiſpicium, ſive qualibet immolatio, ſive etiam ſortitio, aut quicunque motus avium, vel pecudum, & inſpectio quacunque fibrarum, ut aliquid de futuris videantur oſtendere, in operatione dæmonum fieri non dubito, dirigentium vel avium, vel pecudum, vel fibrarum motus, aut ſortium ſecundum ea ſigna, quæ docuerunt iidem dæmones obſervari ab iis, quibus artis hujus ſcientiam tradiderunt, à quibus omnibus, is, qui homo Dei eſt, & in portione Dei numeratur, penitus eſſe debet alienus, nec in iis aliquid habere commune, quæ occulsè machinis dæmones operantur, ne forte rurſus per hæc dæmonibus ſocietur, atque eorum ſpiritu & virtute repleatur, & ad idolorum cultum denuo reparetur. Hæc enim omnia religio noſtra divina, & cæleſtis abjurat.*

Et inferius adducta ventriloquæ de Paulo teſtificatione Act. 16. ſic ait: *Si Paulus teſtimonium ſibi enim dare non patitur, ſed dolet ſuper hoc, quanto magis dolere debemus, ſi quando decipi videmus animas ab iis, qui velut divino alicui ſpiritus pythonis, aut ventriloquo aut divino, aut auguri, vel aliis quibuslibet hujuſmodi dæmonibus credunt? Propter hoc ergo, non erit, inquit, auguratio in Jacob neque divinatio in Iſrael. Sed quid iis additur? In tempore, inquit, dicetur Jacob & Iſraeli, quod perficiet Deus. Quid eſt in tempore dicetur? Cùm oportet, & cum expedit, hoc eſt in tempore. Si ergo expedit, prænoſcere nec futura, dicentur à Deo per Prophetam Dei, per Spiritum Sanctum. Si verò non dicuntur, neque denunciantur, ſcito, quia non nobis expedit ventura prænoſcere. Quod ſi idcirco non dicuntur nobis, quia nobis ea ſcire non expedit, qui diverſis artibus & dæmonum invocationibus geſtiunt futura prænoſcere, nihil aliud faciunt, niſi quod cupiunt ea diſcere, quæ ſibi ſcire non expedit.*

Tandem hom. 5. in Juſue ad finem: *Eſt & illud opprobrium Ægypti, quod ſi neglexeris, etiam poſt Jordanis tranſitum, & poſt baptiſmi ſecundam circumciſionem vetuſta conſuetudinis inuſtione ſuggeritur, obſervare auguria, requirere ſtellarum curſus, & eventus ex iis futurorum rimari, ſervare ſomnia, cæteriſque hujuſmodi ſuperſtitionibus implicari, Idololatriæ namque mater eſt Ægyptus, ex qua certum hujuſmodi opprobria pullulare, quæ ſi tranſito jam Jordane ſuſceperis, & iis te rurſus laqueis illigaveris, certum ſine dubio opprobria Ægypti trahis. Sed ſi quando te talis curioſitas interpellat, & de corde tuo hujuſmodi hoſtis erumpit, dic ei, quia Jeſum ducem ſequor in cujus poteſtate ſunt, quæ futura ſunt. Quid mihi ſcire, quæ futura ſunt? Quæcunque ille vult, hæc futura ſunt. Ideo ergo, ut in nobis vere ſecunda circumciſio compleatur, per quam vetera Ægypti opprobria deponamus, ab his omnibus ſegregati prorſus eſſe debemus.*

CONSULTATIO CXCV.

De pœnis contra legentes, retinentes, imprimentes, tranſcribentes, vel aſportantes aliunde libros hæreticos, magicos ſuperſtitioſos, & hujuſmodi alios.

JAm probavimus ſupra, non rationibus duntaxat fortiſſimis, ſed etiam praxi perpetua Chriſtianitatis, utroque brachio & Eccleſiaſtico, & laico armatæ in libros hæreticorum, perſpicuum eſſe, eam peſtem eſſe quamdiligentiſſime averſandam, meritoque libros hujuſmodi ab iis, quorum intereſt, proſcribi, ac Principum etiam legibus hæc nequitiæ inſtrumenta ignibus eſſe addicta. *Sancimus*, inquit Imperator *in l. 3. §. ſancimus 1. C. de ſum. Trinit. & fid. Cath. ut omnia, quæ Porphyrius ſua pulſus inſania, contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inventa ſunt, igni mancipentur. Omnia enim Deum ad iracundiam provocantia ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum pervenire volumus.* Iſtud autem jus præcipiendi præcipuum eſt ſummi Pontificis, ejuſque Sedis Apoſtolicæ, competit etiam Imperatoriæ Majeſtati, ac omni Legiſlatori ex eo, quod cuſtos eſt utriuſque Tabulæ Decalogi. Itaque operam dare debet, ut quæcunque pugnant contra primam Tabulam Decalogi, avertat, quoad fieri poteſt, exemplo ſacrarum litterarum *Act. 19. v. 19.*

Qua in re ita diſtinguendum eſt. Si hæreſis eſt jam detecta, & damnata, ut ſunt hæreſes Arii, Neſtorii, Calvini, Lutheri, & aliorum, & tunc librorum damnatio, & abolitio fieri poteſt, & laudabiliter fit, non ſolum ab Eccleſia, ſed etiam à Principibus laicis per textum *in l. damnato §. nec verò C. de hæret.* ubi Theodoſius, & Valentinianus Imperatores libros Neſtorii, conquiri, & comburi juſſerunt. Idipſum ſanxerunt & Valentinianus, & Marcianus Cæſares de Eutychetis, & Appollinaris *libris in l. quicunque § nulli. C. eod.* quarum legum meminerunt Evagrius *hiſt. lib. 1. cap. 2.* & Socrates *lib. 1. cap. 6.*

cap. 6. Si verò hæreſis non eſt adhuc detecta & damnata ab Eccleſia, & tunc aut Princeps ſecularis vult damnare libros, tanquam continentes doctrinam contra publicum Reipublicæ bonum, veluti quia ſecreta ſtatus ſive imperii produnt, vel ſeditionis præcepta continent, poterit Princeps in hoc etiam caſu tales codices a ſua Republica abigere, non ſecus ac impiobos, & ſeditioſos homines, *l. congruit ff. de offic. Præſid.* Quod à laicis Principibus ſæpe factum eſt. Aut illos vult damnare, tanquam continentes hæreſes, ab Eccleſia adhuc non damnatas, & hoc facere nullatenus poteſt. Nam præferret judicium de hæreſi, quod eſt mere Eccleſiaſticum, *cap. ut Inquiſitionis*, *§. prohibentes de hæret. in* 6. Convenit etiam eadem prohibitio rectæ rationi in hominibus ab Eccleſia Chriſtiana alienis. Nam & libros improbatæ lectionis, magicos forte, vel his ſimiles, corrumpendos eſſe, ne Ulpianus quidem, licet ethnicus, & Chriſtianis infenſus, ignoravit *l.* 4. *§. mala ff. famil. erciſc.* Paul *lib.* 5. *ſent. recept. tit.* 21. *v.* 4. *non tantum divinatione quis, ſed & ipſa ſcientia, ejuſque libris melius fuerit abſtinere, & tit.* 23. *v.* 12. *Libros magicæ artis apud ſe neminem habere licet, & ſi penes quoſcunque reperti ſint, bonis ademptis, ambuſtiſque publice in inſulam deportantur, humiliores capite puniuntur.* Et in collat. legum Moſaic. & Roman. *tit.* 15. Eſt Conſtitutio Diocletiani, & Maximiniani ex Cod. Gregor. *lib.* 7. *de malef. & manich.* ubi inter alia: *Jubemus namque autores quidem ac principes Manichæorum, una cum abominandis Scripturis eorum ſeveriori pœna ſubjici, ita, ut flammeis ignibus exurantur.* Et *l. mathematicos* 10. *C. de Epiſc. aud.* Codices errorum mathematicorum, ſive genethliacorum, & aruſpicum vult ſub oculis Epiſcoporum incendio concremari. Omnes enim malum averſamur, & quantum in nobis eſt fugimus. Ideoque hæc librorum hæreticorum abolitio non modo *in d. §. ſancimus* proponitur, verum etiam reperitur inferius *eadem l.* 3. *§.* 3. *& in l. damnato* 6. *§. nec verò* 1. *& l. quicunque* 8. *§. nulli inſuper* 5. *l. ex Manichæo* 16. *§. ult. C. de hæret. & Manich.* & Samarit. Novel. 42. *c.* 1. *§. fit itaque* 2.

Latius ac ſeverius id habetur *in d. §.* 3. *d. l.* 3. *his* verbis: *Quoniam verò pervenit ad pias noſtras aures, quod quidam doctrinas quaſdam conſcripſerunt, & ediderunt ambiguas, ac non per omnia, ac præſſe congruentes expoſitæ orthodoxæ fidei &c. jubemus facta hujuſmodi ſcripta &c. comburi, & perfectiſſime interitui mancipari ita, ut in nullius cognitionem venire poſſint, his, qui talia ſcripta habere, aut legere ſuſtinuerint, ultimum ſupplicium experturis*

Sequitur *d. l. quicunque* 8. *C. de hæret. & Manich. & Samar.* in qua ita decernitur: *Omnes vero hujuſmodi chartæ, ac libri, qui funeſtum Eutychetis ſcilicet, & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur, ut facinoroſæ perverſitatis veſtigia flammis combuſta depereant. Æquum namque eſt, ut immaniſſima ſacrilegia par pœnæ magnitudo percellat.* Hic de ipſis Eutychianorum, ſeu Apollinarianorum libris comburendis cavetur, ut de libris Neſtorianis *in d. l. damnato* 6. *§.* 1. *C. de hæret. & Manich. & Samar. & l. ult. Cod. Theod. de hæret.* his verbis: *Ne verò impios libros nefandi & ſacrilegi Neſtorii adverſus venerabilem orthodoxam ſectam, decretaque ſanctiſſimi cœtus Antiſtitum Epheſi habiti, ſcriptos, habere, aut legere, aut deſcribere quiſquam audeat, quos diligenti ſtudio requiri, ac publice comburi decernimus.* Ubi deinde additur, violatorem iſtius legis bonorum publicatione eſſe coërcendum. Quæ pœna minor eſt quàm ſit ea, quam definit hæc lex quicunque *§.* ult. ubi deportatio irrogatur. Eſt autem bonorum publicatione longe gravior deportatio cum hæc præter exilium, etiam bonorum confiſcationem, ſeu publicationem comprehendat. Sic *in l. ex Manichæo* 16. *§. ult. C. de hæret. & Manich. & Samar.* Qui habet libros Manichaicos, & non manifeſtat eos, ut comburantur, punitur. Idem de ſcriptis Porphyrianis conſtitutum *in d. l.* 3. *§.* 1. *C. de ſum. Trin. & fid. Cath.* ubi & ratio illa univerſalis eſt: Omnia provocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias aures offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus. Sic de Eunomianis, & Montaniſticis libris ſancitum fuit *in l.* Eunomianæ C. Theod. de hæret. *Codices, ſcelerum omnium doctrinam, ac materiam continentes, ſumma ſagacitate mox quæri, ac prodi, exerta autoritate mandamus ſub adſpectantibus judicantum incendio mox cremandos. Ex quibus ſi qui forte aliquid qualibet occaſione, vel fraude occultaſſe, nec prodidiſſe convincitur, ſciat ſe velut noxiorum codicum & maleficii crimine conſcriptorum retentorum capite eſſe plectendum.*

Cùm igitur in libris hæreticis ſit virus hæreticum iidem tanquam malefici libri ſunt comburendi, de quibus *in l.* 14. *C. de Epiſc. aud. & l. ult. C. de malef. & math. Mathematicos, niſi parati ſint, Codicibus erroris proprii ſub oculis Epiſcoporum incendio concrematis, catholicæ Religionis cultui fidem tradere nunquam ad errorem priſtinum redituri, non ſolum in Urbe Roma, ſed etiam omnibus civitatibus depelli decernimus. Quod ſi hoc non fecerint, & contra clementiæ noſtræ ſalubre conſtitutum in civitatibus fuerint comprehenſi, vel ſecreta erroris ſui, & profeſſionis inſinuaverint, deportationis pœnam excipiant.*

Ratio autem generalis cur hæreticorum libri ſint comburendi, hæc redditur: Æquum namque eſt, ut immaniſſima ſacrilegia par pœnæ magnitudo percellat. Concluſio ſic videtur procedere. Immaniſſimum ſacrilegium perſequatur graviſſima pœna. At verò libri hæreticorum immaniſſima ſunt ſacrilegia. Ergo libros illos graviſſima pœna perſequatur. Major propoſitio talis eſt, ut legiſlatori ſufficiat, tanquam probabilis ratio ad certam pœnam definiendam. Neceſſaria tamen non eſt. Et propterea ubi legiſlator illam pœnam non conſtituit, ibi vi ſolius iſtius rationis illa obtinere non meretur. Ac proinde à libris ad homines non eſt producenda ejus ratio. Quia librorum hæreticorum tanta ratio non eſt habenda, neque merentur illi emendationem, ſed perfectum interitum. Nam ſi boni quid in illis, id rectius ex ſacris ipſis litteris, & orthodoxorum libris divinæ ſcripturæ conſentaneis, peti poteſt. Plerumque etiam ita res comparata eſt, ut è libris hæreticis aboleri ſacrilegium non poſſit, niſi ipſi libri hæretici aboleantur. Qua ratione immaniſſimum ſacrilegium hoc etiam loco videri poteſt, quod auferri ſine ſubjecti interitu non poteſt. Et iccirco immaniſſima etiam ſacrilegia iſta flammis vindicibus percellantur; at hominum animis eximi poſſunt peſtiferæ opiniones monſtroſarum hæreſum, ſi rectius informantur, & docendi adhibeatur diligentia. Quod ſi obtinuerimus, jam magna commoda, & gaudia Eccleſiæ catholicæ procurantur.

At proſequamur pœnas Canonicas in libros hæreticos. Sic enim decernitur in Conſtitutione Joannis XXII. contra Magos, magicaſque ſuperſtitiones, quæ refertur ab Eymerico *p.* 2. *direct. quæſt.* 45. his verbis: *Præcipimus, & mandamus, quod nullus eorum libellos, ſcripturas quaſcunque de præfatis damnatis erroribus*, id eſt magicis ſuperſtitionibus, *quidquam continentes, habere, aut tenere, vel in ipſis ſtudere præſumat; quin potius volumus, & in virtute ſanctæ obedientiæ cunctis præcipimus, quod*

quicunque de ſcripturis præfatis, vel libellis quidquam habueris, intra octo dierum ſpatium, ab hujuſmodi edicti noſtri notitia computandum, totum, & in toto, & in qualibet ſui parte abolere, & comburere teneatur. Alioquin volumus, quod incurrat ſententiam excommunicationis ipſo facto, proceſſum contra contemptores hujuſmodi, cum conſtiterit, *ad pœnas graviores*

7 In Indice etiam librorum prohibitorum habetur: Libri omnes; & ſcripta Geomantiæ, Hidromantiæ, Acromantiæ, Pyromantiæ, Oomantiæ, Chiromantiæ, Ocromantiæ, ſive in quibus continentur ſortilegia, veneficia, augutia, auſpicia, incantationes, artes magicæ prorſus rejiciantur. Et Pius IV. in Conſtitutione approbationis dicti Judicis edita 24. Martii 1564. quæ incipit *Dominici gregis*, ſtatuit quod libros hæreticorum, vel cujuſvis autoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata. atque prohibita legerit habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, ſic etiam *in can.* 1. *Bullæ Cœnæ* diſponitur: *Ac eorundem libros, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine autoritate noſtra & ſedis Apoſtolicæ, ſcienter legentes.* Unde ex quatuor ſimul junctis integratur quod ad incurrendam ipſo facto cenſuram dicti Can. eſt neceſſarium ſcientia, Autore, materia libri, & defectu pontificiæ facultatis ad illos legendum. Et ſcientia quidem in particula *ſcienter* in d. *can.* appoſita, exprimitur ita, ut ignorans non innodetur ſive alteruttum horum ignoret, quod ſcilicet liber ſit autoris hæretici, aut quod hæreſim contineat, ſeu de Religione tractet, ſive utrumque, ut per Ugolin. *de cenſur. Pontifex. reſer. p.* 2. *cap.* 12. *§.* 1. Souſ. *in relect. Ball. Cæn. diſp* 13. *nu.* 8. Sanch. *in præcept. decal. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 39. & Bonac. *tom.* 3 *disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *nu* 8. Quamobrem non incurrit, qui legit, ut cognoſcat, an liber hæreſim contineat, niſi tamen forte ſit quaſi certus moraliter quod contineat.

Ea enim dicitur ingens temeritas, quæ validiſſimam ſuſpicionem habet adjunctam, & non e cuſat. Sanch. *loc. cit. n.* 38. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 36. *num.* 18. & Bonac. *ibid. num.* 9.

Hæc autem ignorantia excuſat, etiamſi ſit craſſa, & culpabilis, ut late Duard. *d. q.* 36. *v. n.* 3. hoc eſt excuſat ab hac excommunicatione, non ſolum ignorantia invincibilis, & probabilis ſed etiam vincibilis, craſſa, & ſupina, & ex lata culpa, niſi adeo craſſa ſit, ut ſit ingens temeritas. Idque probatur tum *ex l. igitur ff. de liberal. cauſ. & l. ſiquis ff. de juriſd. omn. Jud.* ac ex Gloſ. *in l. actionibus de in lit. jur. v. non etiam.* Tum quia Bulla Cœnæ petit *ſcienter hac. fieri.* Quando autem ſcientia petitur, quævis ignorantia excuſat, niſi, ut diximus, ingens ſit temeritas. Nam ubi intervenit ignorantia, deficit voluntas delinquendi. Et tum quia quando lex poſtulat ſcienter aliquid fieri, petit manifeſte dolum. Ignorantia autem, etiam craſſa, & ſupina, ſed non temeraria, excludit dolum. Atque adeo qui non ſcientes, ſed cum hac ignorantia Codicem damnatum legit, vel retinet, excommunicationem non incurrit. Et ita etiam docent Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *nu.* 38. Duard. *in Bul. Cœn. lib.* 2. *q.* 36. *n.* 3. Bonac. *tom.* 1. *de excom. diſp.* 2. *q.* 5. *pun.* 4 *n.* 8. & 9. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *n* 3. Peſant *in* 2. 2. *q.* 11. *ar* 1. *diſp.* 1. *concl.* 1 Becanus *tom.* 3. *in* 2 2. *cap.* 14. *q.* 1 *n.* 16. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 23. Vaſquez *in* 2. 2. *diſp.* 126. *cap.* 2. & Diana. *p.* 4. *tr.* 7. *reſol.* 36. *n.* 9. Vel etiamſi ſit concomitans, qualis eſt in eo qui ignorans librum eſſe hæreticum, eo tamen animo legit, ut adhuc velit legere, ſi hæreticus eſſet, Duard. *q.* 38. *n.* 6. Quandoquidem ſi liber non reperiatur hæreticus cum non fuerit lectio hæretica, non poteſt inde excommunicatio induci. Si verò dum legitur, reperiatur hæreſim continere, aut de Religione tractare, cognito, quod autor ſit hæreticus, ſtatim deſiſtendum, ſecus cenſura contrahitur. Quia tunc deſinit eſſe ignorantia, quæ excuſabat.

An autem excuſet ignorantia affectata, negat Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 11. *pun.* 1. *diffic.* 4. *ad* 1. & *Zamel.* in 2. 2. *q.* 76. *ar* 4. *diſp.* 1 Quia ignorantia affectata ſicut non excuſat à mortali, ita neque ab excommunicatione At oppoſitum docent citati Doctores, dummodo tamen non ſit conjuncta cum ingenti temeritate. Quod accidit, quando habetur magna ſuſpicio pravitatis libri. Tunc enim cenſetur adeſſe ſcientia. Quandoquidem diſpar eſt ratio de hæreſi, & aliis peccatis. Nam de ratione hæreſis eſt pertinacia, quæ non eſt de ratione alterius peccati. Et ideo ignorantia, quæ non excuſat à cæteris peccatis, excuſat à peccato hæreſis, & ab illius excommunicatione. Nemo enim contra res fidei dicitur pertinax, niſi ſciat, & advertat, ſe ſentire contra fidem. Addit Sanchez *ſupra*, & ſequitur Duard. *q.* 27. ac Bonac. *nu.* 9. excuſare ignorantiam affectatam, etiam eam, quæ ad finem liberius errandi eſt volita. Quod licet de ea affectatione, quæ ex deſidia, aut negligentia provenit, admittendum ſit, non videtur tamen de ea, quæ ad finem errandi. Hæc enim crimen potius aggravat, quàm excuſat, ut eſt communis doctrina Gloſ. *in clem. un. v. ſcienter de conſangu. & affin.* Suarez *de cenſur. diſp.* 4. *ſect.* 10. *nu.* 3. ipſius Sanchez *de matrim. lib.* 9. *diſp.* 32. *nu.* 4. & in fraudem poſſet quiſque velle ignorare, ut impune legeret. Quod eſt abſurdum.

Hæc autem omnia intelligenda ſunt quoad forum interiorem: Nam in foro exteriori ſic errans legendo, vel retinendo libros hæreſim continentes, & allegans ignorantiam ei non creditur, quia tenebatur ſcire quæ paſſim & communiter ſuæ qualitatis perſonæ ſciunt. Unde præſumitur erraſſe non ex ignorantia, ſed ex malitia, ut aiunt Souſa *in aphor. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 14. Caſtropal. *loc. cit. num.* 5. & apud ipſum Menochius, Farinacius, & Decianus.

Autor verò libri debet eſſe propriè hæreticus juxta ſenſum à nobis ſuo loco explicatum. Ex particula enim *eorandem d. can.* 1. Damnantur authores, qui in ſuperioribus anathemate fuerant percuſſi. Relativa enim eſt antecedentium. Quare codices Infidelium ac eorum, qui adhuc Lavacro baptiſmatis abluti non fuere, non comprehenduntur, Ugolin. *loc. allegat.* Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 10. *numero* 22. Duard. *quæſt.* 35. *concluſ.* 12. Souſ. *numero* 8. Suar. *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 2. *numero* 11. Farinac. *quæſt.* 180. *num.* 10. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 10. *§.* 1. *numero* 1. & Carena *p.* 2. *tit.* 10. *§.* 1. *numero* 1. Quia Bulla loquitur de libris Hæreticorum. Infideles autem non ſunt hæretici, Eccleſiæ ſubjecti, in quorum deteſtationem, ac punitionem hæc prohibitio habetur: Quod verum eſt, etiamſi fuerint Cathecumeni & à fide receſſerint, contra eos, qui arbitrantes Cathecumenum eſſe verum hæreticum, aſſerunt in præſenti libros etiam eorum interdici.

Sive autem hæreticus ſit notorius, & denunciatus, vel damnatus, ſive non, parum refert quidquid contra cenſeat Graff. *lib.* 4. *deciſ. in explicat. Bullæ Cœnæ num.* 4. & 43. aſſerens, debere eſſe damnatum. Nam abſolutè dicitur, *libros hæreticorum.* Unde advertens in legendo hæreſim, ignorato authore, videtur teneri deſiſtere. Nam licet ignorantia excuſet, tunc tamen non eſt ignorantia authoris, ſed authoris certi, ac damnati niſi forte probabile ſit authorem. aliàs Catholicum, ex ignorantia, vel inadvertentia appoſuiſſe hæreſim. Tunc ſi quidem non contrahitur, Ugolin. *§.* 1. *n.* 2. Sanch. *n.* 24. Filiuc. *tom.* 1. *tr.* 6. *de cenſur. cap.* 2. *nu.* 41. & Scartia *in Bullas ſelect. theor.* 410.

Porrò, damnato libro, tanquam hæretico non intelligitur authorem etiam eſſe hæreticum

ut

ut recte Duard. *dicta quæſtione* 35. *concl.* 3. Quare ex lectione ejus libri hæc excommunicatio non contrahitur. Idemque eſt, ſi damnetur author, tanquam ſuſpectus de hæreſi, quemadmodum Magi, & Necromantiæ operam dantes condemneri ſolent. Quia ſi revera author libri hæreticus non ſit, legentes in hoc Canone non comprehenduntur, contre Duard. *numero* 16. aſſetentem libros Necromentum, qui tenquam hæretici fuere damnati, eſſe in eo comprehenſos, & legi non poſſe, niſi aliundè compertum ſit, eos non habuiſſe in intellectu ertorem. Si enim libri contineant hæreſim, & ob eam authores etiem fuerint damneri, veri hæretici habendi ſunt; ac proindè vera eſt in hac parte ſententie Duardi. Quia non eſt neceſſe, quod conſtet illum in intellectu habuiſſe errorem, cum conſtare non poſſit quod eſt internum. Quod ſi conſtaret alicui in particulari, hæreſim non eſſe conſcriptam ex interno errore, ſed vel ex ignoranrie, vel alià de cauſa, poſſet hic legere, etiamſi ob eam author damnatus, ut hæreticus fuiſſet Quia non eſt hæreticus, qui internum etorem non habet. Quod eutem multi ab Eccleſie demnentur, ut ſuſpecti de hæreſi, ſeu etiem ut vere hæretici, non tamen undè ſiunt tales, ut elibi adnotavimus. Sunt tamen qui aſſerunt, quod, ſi autor libri, hæreſim continentis non ſit damnetus, illum legens. vel retinens incurrit excommunicationem. Quie in Bulla non ſolum ſit mentio de libris Hæreticorum, qui damneti ſunt tanquam hæretici, ſed de aliis quibuſcumque hæreſim continentibus, vel de religione trectantibus. Nec condemnatio conſtituit hominem hæreticum, ſed talem illum declaret ejus doctrinâ, & ideo ante condemnationem erat verè hæreticus. Ut igitur in excommunicationes legens vel retinens incidat, ſufficit, ut liber hæreſim contineat, etiamſi author, ut hæreticus non ſit damnatue, ut per Sanch, *lib.* 2. *decal cap.* 10. *nn.* 24. Carenem *p.* 2. *tit.* 10. *numero* 4. & Bornom. *tom.* 1. *c.* 14. *numero* 56.

Damneto autem libri authore, tenquam hæretico, cenſetur damnetus ejus liber, ite ut in excommunicationem incidat illum legens, vel retinens. Quie plus nocent libri hæreticorum, quam authores ipſi, ut ſupta probavimus. Quod ſervandum eſt, etiemſi in hæretici damnarione, nihil de ejus libtis nominatim caveatur, & multa utilia contineant; Quie periculum eſt non leve, ne inter utilia hæreſes latitent, ut annotat D. Gregor. *lib.* 5. *moral. cap.* 10. Et ideo indiſtinctè hæreticorum libri ſunt damnati, ac prohibiti ſub excommunicetionis pœne in Conſtit. Julii III. incip. *Cum meditatio Cordis.* & Pii IV. cujus initium *Dominici gregis*, ac in Bulla Cœnæ, & notant etiam Doctores *in cap. damnamus, de ſum. Trinit.* & *in cap. fraternitatis de hæret.* ac Pegna *cum aliis p.* 2. *direct. com.* 3.

Quinimmo Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 23. *num.* 4. id ampliet, ſive libri ſiot boni, ſive mali, quia authore damnato, ſemper libri intelliguntur damnati, niſi ſint expreſſè epprobati, ut per Oſt. *in cap. damnato, num.* 14. *de ſumm. trinit.* Butr. *in cap. fraternitatis ſub num.* 3. *de hæret.* Licet enim, inquit, io tali caſu non militet ratio falſæ doctrinæ, tamen militant eliæ retiones eb eo deductæ. Oppoſitum cenſeo cum Cardinali *in cap. damnamus ſub num.* 6. Imol. *num.* 12. *de ſum. Trinit.* & cum dicta Bulla Cœnæ, in qua ſolum damnantur libri hæreticorum, hæreſim continentes, vel de religione tractantes.

Damnatn autem authore, cenſentur damnati libri, quod ad hoc, ut ſcilicet non valeant allegari, tanquam euthoritetivi, nempe ut eorum teſtimonium nullam judiciis habeat authoritetem, ſed poſſint recipi uti rationabiles, & ſi quando boni ſint, poſſint allegari tanquam rationes, ut per Oſt. *in d. cap. damnato num.* 20. Jo. Andr. *num.* 44 *in fin.* Card. *ſub num.* 5. *aot.* 30. Imol. *num.* 12. Butr. *num.* 31. Abb. *num.* 5. Albertin. *de hæret. q.* 12. *num.* 13. Alph. de Caſtr. *lib.* 2. *de juſt. hæret. punit. cap.* 17. contretium tamen cenſet Pegne *in direct. p.* 2. *comm.* 3.

Hec in re ita diſtinguendum puto, ſi egetur de convincendo errores hæreticorum, ſive Gentilium, vel aliorum, in hoc caſu authoritas hæreticorum aliquid valet. Id deſumitur *ex can. ſi quid veri d.* 37. qui eſt D. Auguſtini, & ex *can. legimus ead. d.* ubi Gloſſa, & tradit Oſt. *in cap. damnamus, num.* 21. *de ſum. Trinit.* allegans Innocentium *in cap. inter de purg.*

Si verò agatur de convincendo ebuſu Catholicorum, vel de fidei veritate elucidanda, in hoc etiam caſu licet hæreticorum, & Gentilium exemplis uti, quemadmodum utitur ſummus Pontifex *in can. ſubmittitur, §. quod non ſolum diſt.* 21. *& in can. Sacerdotibus* 13. *q.* 2. ubi D. Gregorius ed convincendum abuſum Catholicorum Principum, qui Sacerdotes non honorent, inquit. *Ante eum quippe Pagani in republica Principes fuerunt, & verum Deum neſcientes, Deos ligneos, & lapideos colebant, & tamen eorum Sacerdotibus honorem maximum tribuebant.* Simile habetur *in can. Quæſta & can. non æſtimamus* 13. *q.* 2. Idque fulcitur authoritate D. Pauli, quem ſuis Epiſtolis aliquos verſus Poëtarum inſeruiſſe, conſtat *ex can. turbat in fin. d.* 37. ubi Gloſſa locos deſignat, & hoc etiam vult Oſt. *in d. cap. damnato num.* 21. *de ſum. Trinit.*

Si verò agatur de indifferenri probanda, quæ convinci poteſt ex ratione, in libris hæreticorum adducta; qui eſt verè caſus, de quo loquuntur Doctores *in d. cap.* damnamus, nempè quod liceat allegare dictum, uti rationabile, non autem uti autoritativum, nempe allegare rationem, ut illa in ſua rationabilitate conſiſtit, non autem ut recipit robur ab Autore. Nem veritas ſemper eſt eadem, nec immutatur ex eo, quod eam quandoque hæreticus fateatur.

Quod ita temperandum eſt, ut quoties dictum hæretici noo allegetur ad hæreticorum perfidiam, vel Catholicorum ebuſum convincendum, ſed allegatur tantùm in terminis, de quibus egitur, videlicet in re indifferenti, ut dictum rationabile, tunc ſemper reticeatur nomen Authoris, ut probat textus *in d. can. turbat d.* 37. *& in l. damnato C. de hæret.* ibi — *ita ut nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicti nominis faciat mentionem*, eſt *in cap. Epiſcopus eod. tit.*

Unde laudandus eſt mos, ut ſi quando libri damnari Authoris videantur utiles Reipublicæ, typis mandentur ſub nomine alterius probati Authoris, ut bonum remaneat, tanquam è manibus injuſti poſſeſſoris recuperatum. In quam rem maximè fecit exemplun apud Gell. *lib.* 18. *cap.* 3. & Plutarch. *in apophr. ac de civil. inſtit.* cujus meminere Simanch. *de Cathol. inſtit. tit.* 38. *num.* 22. Brunus *de hæret. lib.* 6. *cap.* 6 ac Tiraquel. *de legib. connub. lib.* 11. *cap.* 6.

Si verò libri de Religione tractent, videndum eſt en Authores, ut verè hæretici, ſeu potius inſtar hæreticorum, ſive ut ſuſpecti de hæreſi condemnati fuerint. In his eoim eſt diſcrimen & priorum Codices in hoc Canooe inhibentur,

ut alia cognitione non habita innocentiæ illorum, eos legens ſit excommunicatus, non vero poſteriorum. Immo ſi quis, ut verus hæreticus, condemnatus fuerit, & pro tali ab omnibus habitus ſit, legens in hac exiſtimatione libros, non eſt reputandus excommunicatus, ſi deinde Authoris innocentia innoteſcat. Quia liber revera non erat hæretici, at ex ſolo animo excommunicatio non contrahitur, ut eſt communis doctrina.

Nec multum refert, ſi Author ſit expreſſus in codice, vel potius incertus, aut ſuppreſſo nomine, vel ficto, Ugolin. *verb. eorumdem numero* 1. Sanchez *numero* 39. Duard. *d. quæſt.* 35. *numero* 27. Dummodo enim non ignoretur, librum eſſe hæretici, adeſt malitia, contra quem Canon procedit. Facit ad id *can.* 1. *d.* 26. ubi regulæ ab hæreticis ſub ficto Apoſtolorum nomine conſcriptæ, damnantur, etiamſi aliqua utilia contineant. Quandoquidem ſubdole hæretici vera falſis, ac bona malis permiſcent, ut venena non dentur, niſi melle circumlinita, ait Hieronymus *ep. 7. ad Lætam.* In quo tamen advertendum, aliquos eſſe hæreticorum libros de religione tractantes, qui ſub alieno nomine ab Eccleſia permittuntur, ut ex *can. ſancta d.* 15. & Duard. *quæſtione* 40. *numero.* 5.

Is autem, cujus eſſe dicitur liber, debet eſſe hæreticus. aliàs enim non contrahitur pœna, ut ſi errores hæreticorum cuncti ad verbum in Catholicorum libris referantur. Licet enim ſint hæreticorum errores, tamen liber non eſt hæretici, Suarez *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 1. *numero* 10. Souſ. *numero* 7. Scort. *cit. theor.* 410. Et quamvis, ut refellantur, ſint relati, tamen tutò legit, qui ex ſola etiam curioſitate legit, Ugolin. *d. numero* 1. Navar. *cap.* 27. *numero* 56. Sayr. *lib.* 3. *theſaur. cap.* 5. *numero* 13. Azor. *inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 8 *cap.* 16. *quæſt.* 2. Rodriq. *in Bull. cruc.* §. 9. *num.* 78. Sanch. *numero* 23. Alter. *in Bull. Cœn. col.* 5. Duard. *quæſt.* 43. *numero* 5. & Bonac. *numero* 21. qui ſubdit, hoc verum eſſe, etiamſi legat animo imbibendi errores. Hoc tamen caſu poterit innodari tanquam credens. Similiter ſi ſcholia, & adnotationes ſint hæretici, Adhuc enim liber eſt à Canone, Vivald. *in d. Bull. Cœn. numero* 12. Graff. *numero* 42. Navarrus, Souſa, Suarez, Scortia, Rodriquez, & Sanchez locis citatis. Qua in re jure excipiunt Alterius, & Suarez *numero* 11. niſi forte hæc adeo creſcant, ut volumen ex ipſis potius conſtet, quam ex doctrina Catholica. Nam licet ex communi uſu liber retineat nomen Catholici, eique adſcribatur, revera tamen magis ex majori parte ſumenda eſſet denominatio. Nec ſtandum eſt rigori verborum, ubi viget legis intentio, eò præſertim, quod hæretici in fraudem commentaria in catholicos Authores conſcribere poſſent, ut legerentur. Unde non erat, cur Sanchez, Souſa, Bonacina, & Duardus hanc exceptionem rejicerent. Idemque dicendum eſt de libris, in quibus authores nihil ferè de proprio apponunt, ut ſunt Polyantheæ, Florilegia, & cætera hujuſmodi emendata. Legi enim poſſunt, cum non ſit hæreticorum talis doctrina, Duardus, & Souſa *numero* 10. Secus vero ſi ex Authoribus hæreticis fieret compilatio, Duard. *quæſtione* 45.

An autem libri hæreſim continentes, ante baptiſmum editi, ſi poſt Baptiſmum Author labatur in hæreſim cenſendi ſint libri hæreticorum in hoc Canone prohibiri; dubitari poteſt, ſicut etiam de libris de religione tractantibus ante batiſmum, vel etiam poſt, ante lapſum in hæreſim conſcriptis. Butrius in *cap. damnamus de ſum. Trinit.* Pegna in *direct. p.* 2. *com.* 3. & Ricciul. *de jur. perſon. lib.* 5. *cap.* 23. *num.* 8. aſſerunt damnato autore hæretico, cenſeri damnatos etiam libros, ante damnationem editos, aut conſcriptos arg. *l. cum filius* §. *repetendorum ff. de legat.* 2. ubi damnato autore, damnatur etiam teſtamentum antea factum. Id tamen procedit, quantum ad excommunicationes Judicis, quæ expreſſe de hoc ſtatuunt, & quoad alios effectus ex autoritate librorum pendentes, de quibus ibi Ricciullus. Attamen probabile eſt, eos etiam in Bulla Cœnæ damnari, Quia ſunt libri ejus, qui tunc erat hæreticus. Quod ſatis eſt, ut verba Bullæ eos comprehendant. Et quamvis tunc, cùm hæreticus fuit autor libri, non eſſet talis, ex quo tamen factus eſt hæreticus, militat idem periculum, & odium, ac ſi poſt lapſum conſcripſiſſet, ac proinde etiam viget intentio Bullæ contra Souſam *num.* 11 & Bonacinam *num.* 21. qui ſoli ex commentatoribus Bullæ Cœnæ de hoc dubio verbum faciunt.

Materia verò libri debet eſſe disjonctiva, vel hæreſis, vel religio. Id enim indicat particula *Vel*, quæ eſt alternativa. Tractantes autem de ſola religione damnantur, licet errorem non contineant; quia materia religionis ab hæretico eſt lubrica. Et quia licet periculum non adſit hæreſis offendendæ, periculum tamen eſt, ut ſurrepat animis erga hæreticum affectus, & fides ut etiam in erroribus facile ſit, ei aſſenſum præſtari.

Diſcrimen autem inter materiam hæreſis, & religionis eſt attendendum. Nam quantum ad hæreſim, quia dicitur *hæreſim continentes*, licet intentio autoris non ſit hæreſim tractare, damnantur, etiamſi aliquas, aut etiam unicam habeant interpoſitam, Suar. *ibid. numero* 10. Scort. d. *theor.* 410. *arg. l. fideicommiſſa*, §. *ſiquis ff. de jurejur.*

Quantum verò ad religionem, quia dicitur *de religione tractantes*, oportet, ut in libris ex profeſſo & intentione propoſita de religione ſit ſermo. Unde non ſatis eſt, ſi quædam obiter de religione commiſceantur. Neque ex altera parte neceſſarium eſt, argumentum libri eſſe religionem. Sufficit enim, ſi ex profeſſo de religione tractetur. Dum enim propoſitos argumenti limites tranſiliens autor, de religione amplius, quàm par ſit, aut argumentum requirat, ediſſerit. præſumitur ſubdole aliud argumentum aſſumpſiſſe. Et hoc diſcrimen adnotarunt Sanchez *loc. cit. num.* 34. Azor. *ibid. q.* 5. Duard. *q.* 39. *num.* 2. Bonac. *num.* 22. Gambarupt. *in Bull Cœn. num.* 31. Filiuc. *ibid. num.* 45. Rodriq. *ubi ſupra*, Alter. *col.* 2. *contra Sayrum num* 12. *Souſam diſp.* 13. *concl.* 2. *& Graffium num.* 40. *&* 42. aſſerentes, non comprehendi librum tractantem alia cum admixtione hæreſis. Et quidem ſi aliquæ tantum hæreſes admixtæ ſint, & etiam ſi una, ut diximus, ſemper adeſt periculum ad eas offendendi, & interim lectione ita afficitur animus, ut hæreſis facile inſinuetur, tanquam probabilis.

Fundamentum autem Souſæ illud eſt, quod hæreticorum libri, hæreſim continentes, omnino damnantur in ſecunda Indicis regula. At in octava eorundem libri, erroribus expurgari, permittuntur. Igitur qui unam, aut alteram hæreſim continent, ſunt expurgabiles, ac proinde non omnino damnari. Damnati ergo prorſus cenſendi illi tantum, qui ex profeſſo hæreticam doctrinam tradunt.

At hoc argumentum multa falſa involvit. Illud autem ad rem præſentem, quod in ſecunda Regula expreſſe agatur tantum de libris tractantibus ex profeſſo de religione, & ii ſunt, qui damnantur, at non in ſpecie de hæreſim continentibus. Nec in octava

agitur

agitur de libris hæreticorum, ſed de reliquis cæterorum, quorum principale argumentum bonum eſt, in quibus tamen aliquâ ſunt, quæ licet non aperte hæretica, ad hæreſim tamen, ſive impietatem, divinationem ac ſuperſtitionem ſpectant.

Religionis verò materia, de quâ libri tractantes condemnantur, ſufficienter comprehendit ea, quæ in theologia expoſitiva, ſcholiaſtica, & morali non tantum quoad conſcientiæ caſus, ſed etiam quoad ritus, & Chriſtianam politiam continentur, ut per Ugolin. *v. Vel de religione ſub initio* Suar. *num.* 10. Sanch. *num.* 21. Duard. *q.* 42. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 14. *dub. un num.* 10. Ac dicuntur omnes illi, qui ad fidei expoſitionem pertinent, qui divinam Scripturam, vel aliquam ejus partem exponunt & qui tractant vel de lege Canonica, vel de ſtatu Eccleſiæ, vel de vitis Sanctorum, ac de his ſimilibus, etiamſi hæreſim non contineant. Quia tractant de religione, & Bulla alternative excommunicat legentes libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de religione tractantes

Quapropter ſi materia attendatur, damnantur etiam libri continentes ritus Armenorum, & Græcorum, quia de religione ſunt, quamvis hujuſmodi ritus ab Eccleſia Romana tolerentur. An verò abſolutè in dicto Canone ſint incluſi, pendet ab eo, an Armeni, & Græci in ſchiſmate ab Eccleſia Latina, ſint verè hæretici nec ne. Et quidem affirmant Suarez *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 10. & Sanctarel. *loc. cit. num.* 17. Tum quia plures habent errores de Trinitate, de purgatorio, de viſione beata, de primatu ſummi Pontificis. Tum quia ita ſuis ritibus adhærent, ut eos, quibus Romana Eccleſia utitur, omnino improbent. Quod eſt hæreticum. Eos tamen excuſant probabilius Azor. *d. cap.* 16. *quæſt.* 8. Sanchez. *num.* 27. & Duard. *q.* 50. Et ſane quo modo propoſitiones, quæ nobis videntur hæreticæ, explicent, oſtendit fuſe Duardus; licet verò in aliquibus errarent, aut nimium propriis ritibus adhærerent, fortè accidit ſine pertinacia, quia exiſtimant ita eos eſſe legitimos; ut non cognoſcant ſe contra Eccleſiam errare, licet contrarium doceant Souſa *lib.* 1. *aphor. cap.* 21. *num.* 20. & Carena *d. lib.* 2. *tit* 10. *num.* 51 quia, inquiunt, hodie Græci & Armeni, ut plurimum, ſunt hæretici.

Si autem hæreſis una, vel altera, quæ continebatur in libro, penitus inveniatur abraſa, aut ea folia detracta, dicendum eſt, ex ejus lectione non contrahi excommunicationem. Quia tunc liber revera non continet hæreſim, neque adeſt reperiendi periculum, quidquid contra ſentiant Suarez & Alterius. *loc cit.* Bonac. *num.* 22. & Duard. *q.* 39. *num.* 9. Unde non conſequenter videntur loquuti qui ex pluribus ejuſdem operis voluminibus, alterum, in quo hæreſis non reperitur, legi poſſe concedunt cum communi ex Ugolino, Sanchez, Bonacina, & Duardo *loc. alleg.* Nec tamen ſi liber unius voluminis in duo redigatur, Alterum illorum, in quo non ſit hæreſis, legi poſſe. Nam aut attenditur periculum hæreſis, & æque bene effugitur io utroque caſu, aut odium hæreticorum, eorumque doctrinæ, & in neutro declinatur.

Subdit Sanchez, ſi volumen in plures libros, aut tractatus ſit diſſectum, non poſſe legi alterum tractatum, in quo non eſt hæreſis. Quia volumen verè continet hæreſim. At ſi duo tomi, natura diſcreti, per accidens in unum volumen conglutinentur, legi poſſe illum; qui diſcretus non continebat hæreſim, ac proinde non erat damnatus. A quo tamen in hoc ultimo diſſentio. Quia codex hujuſmodi eſt liber hæretici continens hæreſim. Quod juxta Bullæ verba ſat eſt ad cenſuram incurrendam. Nec minus urget periculum ad hæreſim offendendi, ſi duo ſint tomi in eodem codice, aut duo tantum libri, ſeu tractatus, præſertim cùm diviſio in tomos vel tractatus ſit ad libitum, & in diſcrimine valde accidentalis.

Quod ſi liber hæreſim contineat, & ſimul ex profeſſo agat de religione, & neutrum lateat, dicendum eſt, duplicem contrahi excommunicationem, licet non id adnotarint Doctores. Nam alterutrum per ſe ad excommunicationem ſufficit. Ergo utrumque ad duas, cùm non ſit æque puniendus, qui duplicatam habet in tranſgreſſione malitiam, & qui ſimplicem, *arg. l. nunquam plura ff. de privat. de lict.*

An autem & quæ parvitas materiæ excuſet legentes hujuſmodi libros, non una eſt opinio. Negant ſiquidem Toletus *lib.* 1. *inſtruct. cap.* 20. *num.* 16. & Ugolinus, addens, incipientem legere, & pœnitentem non effugere excommunicationem.

Affirmant communiter alii, Graffius *in d. Bull. Cœn. num.* 45. *& lib.* 4. *dec.* 18. Sayrus *n.* 14. Suarez *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 12. Azor. *loc. cit. quæſt.* 3. Vivald. *num.* 11. Rodriq *in addit. ad Bul. Cœn. §.* 6. *num.* 68. Sa. *in ſum. v. excommunicatio in Bul. Cœn. num.* 2. Sanch. *ibid. num* 31. Reginald. *in prax. pœnit. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 14 *ſect.* 3. *num.* 254. Filiuc. *un.* 45. Souſa *diſp.* 13. *concl.* 4. Becan. *de fide cap.* 15. *quæſt.* 8. Duard. *quæſt.* 46. Gambarupt. *num.* 31. Alter. *col.* 7. Bonac. *pun.* 4. *num.* 4. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 11. *numero* 1. Carena *p.* 2. *tit.* 10. *num.* 10. Diana *p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 43. Fagundez *lib.* 1. *in decal. cap.* 14. *numer.* 33. Bordonus *tom.* 1. *cap.* 14. *num.* 71. Quorum communis eſt ratio. Quod ſicut parvitas materiæ in furto, aliiſque rebus excuſat à mortali, non eſt, cur in hac quoque non excuſet, & conſequenter excuſat etiam ab excommunicatione.

Verum, quia nonnulli parvitatem materiæ nimis extendunt; Nam Reginaldus & Graffius, relati à Bonacina *loc. cit. nu.* 13. aiunt legentem tres, vel quatuor lineas excuſari à dicta pœna, Sayrus *lib.* 3. *de excom. cap.* 1. *num.* 13. legentem decem lineas, Sanchez *d. cap.* 10. *nu.* 31. Duardus *d. quæſtione.* 46. *nu.* 4. Portellus *v. libri num.* 7. & Bordonus *eo num.* 71. legentem unam paginam, etiam majoris voluminis; quia ob tam modicam lectionem non eſt inferenda tam gravis culpa, nec tam gravis pœna.

Ideo dicendum eſt, non excuſare, niſi ſit notabiliter minima. Tum quia & in parva poteſt eſſe periculum, & viget ratio odii, quod intendit Bulla. Eo præſertim, quod etiam retinere inhibitum eſt, & alià s facile per plures vices integrum volumen legi poſſet. Quamvis enim vulgatum ſit, parva non curari, in rebus tamen, in quibus urget periculum etiam minima attenduntur arg. *l.* 1. *ubi* Baldus, & alii, *C qua ret export. non deb.* Inhibetur ſiquidem ibi vinum ad barbaros, etiam guſtus gratia, deferri, ne ejus illecti dulcedine Romanum aggrediantur Imperium. Nobiſcum ſentire videntur Azorius, qui parvitatem materiæ ait eſſe pauca verba, quæ adhuc dijudicanda eſſe intelligo à notabili periculo, cui ſe legens exponit. Immo Duardus, licet materiam parvam nimis extendat, ait tamen non excuſari eum, qui in minima ſciret reperiri hæreſim. Quia facit apertè contra finem legis, legitque eam partem, propter quam prohibetur liber. Unde non ſubſcribimus Sayro, qui hoc extendit ad decem lineas, Vivaldo, qui ad pagellam & cæteri communiter ad paginam, multoque minus opinioni Sanchez, qui paginam in majori volumine non eſſe ſufficientem ad excommunicationem inducendam, aſſerit. Quia in pagina nimis periculum viget. Quod vero liber ſit parvi, aut magni voluminis, nihil refert quod ad periculum. Nam ſi

volumen attendatur, parvitas materiæ non eſt deſumenda ſecundum ſe, ſed in ordine ad aliud, quod eſt inconveniens. Quia in parvis voluminibus pagina erit nimia, in maximis autem plura folia non ſufficient.

Et quidem quis ſanæ mentis vellet venenum deguſtare? Quis ſecurus dormiat, ſi ſe ſciat habere viperam in cubiculo, nedum in ſinu? At Tertullianus *lib. de baptiſm. cap.* 1. libros hæreticorum viperam venenatiſſimam appellat. Quis libenter inſpiciet baſiliſcum, qui, ut ait Matthiol. *in Diſcordium lib.* 6. *cap.* 55. tantæ perniciei animal eſt, ut ſolo oculorum intuitu, alii ſibilo tantum, alii halitu, homines ſtatim interimat? Tales ſunt hæreticorum libri. Unde & idem Tertullianus *in Scorpion. cap.* 27. ait *horreo plane ſpurcum blaſphemia ad ſlatum de hæretico libro futentem.* Et baſiliſci appellantur à S. Ignatio *Epiſt. ad Antiochen.* Aſpides ab Epiphanio *hæreſ.* 30. & ſcorpiones ab eodem Tertulliano *d. cap.* 27. ab Epiphanio *hær.* 31. *&* 58. ab Anſelmo *in cap.* 9. *Apocal.* ac viperæ ab Epiphanio *hær.* 28. à Chryſoſtomo *hom.* 45. *in Matth.* à Hieronymo *in Paula laudib.* & à Fulgentio *lib.* 1. *de remiſ. peccat. cap.* 16.

Itaque ratione periculi, immo & odii, quod adverſus hæreticos hac inhibitione intenditur, convenit inter omnes nec in ea parte, ubi ſcitur hæreſim non eſſe, neque de religione tractari, poſſe legi. Idem Sanchez *num.* 35 Suar. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 10. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 180. *§.* 1. *nu.* 26. Ugolin. *loc. cit.* Duard. *quæſt.* 39. *num.* 5. Bonac. *num.* 22. Nald. *in ſum. v. Bulla Cœn. num.* 7. Sanctarel. *ibid. num.* 12. Quia qui librum prohibet, ſingulas etiam partes prohibere cenſetur, arg. *cap. in toto de reg. jur. in* 6. *& l. Julianus ff. de leg.* 3. Potiori jure nec fas erit, legere Indicem, præludia, operis intentionem, Epiſtolam ad Lectores, & his ſimilia. Quia in his ſummatim Autores ea, de quibus fuſius agunt, proponunt, ac inſinuant. Quibus addo & titulum. Quia in eo formam totius operis inſpicitur. Et qua inibi ſolet opus celebrari, & periculum eſt curioſitatis concipiendæ.

Quapropter non erat, cur Sanchez excluderet libellos, tractatus non integros, ac librorum folia, & fragmenta, ut *num.* 29. excludit ex eo, quod hæc, & alia hujuſmodi non ſunt libri. Nam intentio Bullæ benè viget, & fragmenta, & folia ſunt partes libri. Unde ſicuti in libro legi nequeunt, ita nec extra. Eo præſertim, quod in fragmento reperiri poteſt illa ſola hæreſis, ob quam liber erat damnatus. Nec rigori verborum ſtandum eſt, quoties viget intentio legis. Solos quippe libros exprimit Bulla, quia eorum frequenquentior eſt uſus. At nominatis iis, quorum frequentior uſus, cenſentur expreſſa alia, quæ ad hæc reducuntur, argum. *l.* 1. *C. de rapt. virgin.*

Folia ſimiliter adhuc in librum non congeſta inhibentur. Quia etiam non adhuc conglutinata, uſitato more loquendi ab appellatione librorum non excluduntur per textum *in l. librorum ff. de leg.* 3. Souſ. *diſp.* 13. *num.* 5. Ugolin. Naldus, & Filiucius *loc. cit.* Valde enim accidentarium eſt, quod doctrina illa ſit collecta in unum, aut ſoluta, dum æque viget periculum, & aliàs in fraudem per folia in volumen non redacta tutò legi poſſent hæreſes, ac per conſequens diſſeminari.

Nec libri intelliguntur ſoli impreſſi, verum & manuſcripti, quia ſunt verè libri, adeſtque eadem ratio periculi, nequis hæreſis labe inficiatur, Ugolin. *eo numer.* 1. Naldus *num.* 7. Sanchez *numer.* 28. Farinac. *d. quæſtio* 180. *nu.* 30. Suarez *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 2. *nu.* 10. Souſa *loc. cit.* Bonac. *d. pun.* 4. *num.* 2. Ricciul. *ibid. cap.* 23. *num.* 6. Duard. *q.* 45. *num.* 32. Et in Bulla Pii IV. incip. *Dominici gregis*, edita 24. Maij 1564. contra legentes ac retinentes libros ob hæreſim, vel ob hæreſis ſuſpicionem prohibitos, habetur: *Siquis autem adverſus eas regulas, prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros vel cujuſvis autoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas ſuper hoc ab Apoſtolica ſede, ſacriſque Canonibus conſtitutas.* Et Sixtus V. in Conſtitutione incipiente, *Cœli, & terræ Creator*, emanata anno 1585. decrevit, *prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera & tractatus hujuſmodi judiciariæ Aſtrologiæ, & Geomantiæ, &c. aut in quibus ſortilegia, veneficia, &c. Et nihilominus eadem autoritate ſtatuimus, & mandamus, ut contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta hujuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, &c.* Ex quibus patet etiam ſcripta, quæ hæreſim, vel ſortilegia continent eſſe ſub dictis cenſuris & pœnis prohibita. Et conſequenter comprehendimus etiam pauca folia, & Epiſtolas manuſcriptas, Apologias, & id genus alia. Quod immerito reſpuunt Sanchez *num.* 29. Souſa *loc. alleg.* & Duard. *quæſt.* 44. dicentes, non comprehendi chartas in voluminis, aut tractatus formam non redactas. Quia ſecundum communem loquendi modum non ſunt libri. At noſtram ſententiam ſequuti ſunt Ugolinus *ibid. num.* 2. Suar. *d. num.* 10. & Sanctarel. *nu.* 13. Quia vigente fine legis, robur habet & diſpoſitio, arg. *l. illorum ff. ad leg. Aquil.* Alias difficile erit aſſignare, quænam foliorum quantitas librum conſtituat, præcipue cùm aliquando Epiſtolæ adeo creſcant, ut volumen poſſint efficere.

Nulla verò excuſat in legendo quantumvis bona intentio, ut deteſtandi, aut refellendi, etiam in locis, ubi refellere eſt neceſſe, ac catholici cum hæreticis promiſcue degunt. Quia cùm refellere non ſit omnium facultas præcipitur expetenda, Becan. *lib.* 5. *controv. cap.* 12. Tolet. *nu.* 16. Gambarupt. *num.* 33. Alter. *col.* 6. Qui enim dicunt, licere lectionem ad refellendum, non ſunt intelligendi, quod cuilibet ſine licentia, ſed quod licitum eſt id permittere, immo & neceſſarium aliquando. Unde quamvis aliqui opinati ſint, legentem hos libros abſque periculo perverſionis, & ad eos confutandum, non incidere in excommunicationem. Tum quia iſte non eſt ſuſpectus de hæreſi. Non enim illam faciet, ſed potius deſtruit, dum eam confutat. Tum etiam quia ceſſante legis fine in aliquo particulari, ceſſat in illo particulari, legis obligatio. At finis legis prohibentis lectionem, ac retentionem librorum prohibitorum eſt, ut caveatur periculum perverſionis. Ita tenent Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 35. *nu.* 21. *& cap.* 46. *num.* 26. *&* 27. Maſcard. *de prob. lib.* 2. *concl.* 862. *num.* 14. Caramuel. *in theol. fundam. fundam.* 17. *q.* 2. *num.* 434.

Hanc tamen ſententiam rejicimus, aſſerimuſque legentem, vel retinentem abſque licentia libros vetitos ſub pœna excommunicationis in ipſam excommunicationem incidere, quocunque fine illos legat, vel retineat, etiam ut illorum errores confutet, & non adſit perverſionis periculum. Ac ita etiam docent Pegna *p.* 1. *com.* 3. Ugolin. *de cenſur. in Gloſ. aut pertinentes*, Toletus *lib.* 1. *ſum. cap.* 16. *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 53. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 180. *num.* 39. *&* 42. Suar. *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 21. Duard. *in d. can.* 1. Bul. Cœn *quæſt.* 33. *num.* 28. Ricciul. *de jur. perſon. d. lib.* 4. *cap.* 25. *nu.* 5. Diana *p.* 11. *tr.* 1. *miſcel.* 1.

reſol. 1.

reſol. 1. Oviedus *de fid. contr.* 12. *pun.* 3. *num.* 42. Caſtropal. *p.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 10. *§.* 2. *nu.* 9. Carena *p.* 2. *tit.* 10. *§.* 5. *n.* 30. Quia l x prohibet lectionem, ac retentionem horum librorum abſolutè, nec curat, qua intentione fiat, ſed ſub excommunicationis pœna præcipit omnibus, ne ſine ſpeciali Papæ facultate hujuſmodi libri retineantur, nec legantur. Et ſuperbum, ac temerarium eſt, quempiam ſuo judicio in hac re fidere, ac præſumere ab omni periculo ſe eſſe alienum in materia ex ſe graviſſima multumque lubrica, ingentique periculo expoſita. Quod fugere Eccleſia hac prohibitione intendit, & ideo præcipit, aliquem non poſſe ſub quovis prætextu dictos libros legere, vel retinere,

Ac ita, ut ne quidem excuſetur ille idem, qui librum compoſuit, etiamſi ad deteſtandum, & retractandum errores legat, aut ſi ſtatim poſt ipſam ſcriptionem percurrat. Tunc enim & ut hæreticus & ut lector hæretici duplici anathemate perſtringitur, Graff. *num.* 36. Ugolin. *loc. cit.* Duard. *q.* 35. *num.* 28. Bonac. *num.* 22. Sanch *num.* 37. Suar. *d. diſp.* 20. *ſect.* 2. *numer.* 26. Sanctarel. *n.* 13. Scort. *d. theor.* 410. *col.* 9. Et multo minus excuſat curioſitas, ut præter citatos Azor. *quæſt.* 6. Bonac. *d. pun* 4. *num.* 7. Et univerſim nullus omnino finis, Suar. *ibid. num.* 21. Ricciul. *cap.* 25. *num.* 5. Decian. *in tr. cr. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 3. & Sanctarel. *num.* 7. Quia Bulla Cœnæ in deteſtationem horum librorum intendit penitus prohibere eorum lectionem.

Contingit aliquando ſenſum libri à legente non percipi, quo caſu dubitatur, an ea ſit vera lectio, & quæ excommunicationem inducat. Nos ita diſtinguimus. Vel enim ex difficultate materiæ id provenit aut ex modica animi applicatione, & contrahitur cenſura. Quia dummodo aliqualiter libri ſenſus percipi poſſit, per accidens eſt, quod ea vice non percipiatur, & ſi provenit ex incapacitate, poſſunt per alium intermedium difficultates enodari. Vel percipere penitus ſit impoſſibile, ut quia cognitis characteribus, omnino tamen ignoretur idioma illius libri, quanquam non improbabile ſit cum Naldo *num.* 10. Gambarupta *num.* 32. citante Ancharanum *in cap. appellatio de appel. in* 6. & Bonac. *num.* 13. aſſerere, tunc etiam contrahi. Quia juxta rigorem verborum iſte legit, & quia Bulla non videtur curare de perceptione ſenſus, cujus ſignum eſt, quod etiam ſolum retinentes innodantur, probabilius tamen cenſeo oppoſitum cum Suarez *loc. cit. num.* 18. Sanch. *num.* 51. Sanctarello *num.* 2. Duardo *num.* 47. Ratio deſumitur ex eo, quod lectio illa eſt lectio duntaxat materialis, nullam ei, qui legit, ſignificationem detegens. Quamobrem dicitur ea proferre, ut pſittacus. Tum quia ceſſat primaria intentio Bullæ, cùm nullum adſit periculum hæreſis inveniendæ. Et licet ſit actus humanus deliberatus, habeatque malitiam inobedientiæ, non tamen habet malitiam, contra quam primariò procedit Bulla, conſiſtens in periculo hæreſis, aut concipiendi erga hæreticos affectum. Quamvis ergo iſte in rigore legat, tamen à verbis recedendum eſt, quando de mente legis conſtat, *l. non aliter ff. de leg.* 3. & late Bald. *in l. ſcire debes ff. de legib.* Quod autem etiam retentio ſit inhibita, non arguit lectionem materialem tantum excommunicatione poniri, ſed quod iſte effugiens tanquam lector, incidat tanquam retinens. Quod non inficior.

Dicitur etiam lectio, quæ inſpectione tantum, ac percurrendo mente ſine verborum prolatione fit. Nam vere non ſolum legere dicitur, qui lingua exprimit ea, quæ legit, ſed etiam qui oculis tantum percurrit, nihil exprimendo. Quamvis enim aliqui velint in rigore hanc non eſſe lectionem, æquivalet ei tamen, quia legere eſt colligere verba, quod iſte mente tantum, legens verò per prolationem verborum mente & voce afficit, arg. *l.* 2. *§. inſpectio ff. quemadmodum teſtam. & l ff. de iis, quæ in teſtam. delend.* ubi Gloſſa, Angelus, & Baldus, & ſubſcribunt Ugolin. *loc. cit. numero* 2. Graff. *numero* 45. Alterius *col.* 5. *in fine*, Sanchez *numero* 41. Naldus *numero* 13. Suarez *numero* 18. Duardus *d. quæſt.* 25. *numero* 31. Scortia. *col.* 9. Sanctarel. *numero* 6. Souſa *diſp.* 13. *numero* 5. Bonacina *numero* 12. & Gambarupta *numero* 32. Eſtque tam letale venenum hæreſis, ut etiam oculis hauſtum, enecet.

Gravior eſt difficultas, an excommunicentur audientes legentem. Negant plerique, etiamſi cauſa ſit, ut alius ſibi audienti legat. Quia Bulla loquitur de legente, non de audiente, qui non dicitur proprie legere, ſicut legere non dicitur qui memoriter recitat. Ille verò, qui juſſu, vel ſuaſione alterius legit, utique excomunicationem incurrit. Quia licet ex mandato alterius legat, revera tamen ſcienter librum ſub pœna excommunicationis vetitum, legit. Excuſaretur autem, ſi ex gravi metu illum legeret, & metus non eſſet ei incuſſus in contemptum fidei, vel Eccleſiæ. Atque ita docent Ugolin. *de cenſur. Papæ reſer. p.* 2. *cap.* 1. *§.* 1. *numero* 4. Duard. *in d. Bul. Cœn. lib.* 2. *quæſt.* 48. Filiuc. *tr.* 22. *cap.* 7. *numero* 207. Bonac. *tom.* 1. *de excom. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *numero* 11. Sanch. *lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *numero* 50. Reginald. *lib.* 9. *numero* 251. Fagund. *in decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14. *numero* 27. & Diana *p.* 12. *tr.* 2. *reſol.* 14. *numero* 3. Vivald. *in Bul. Cœn. numero* 12. & ut probabilius ſequitur Souſa *in d. Bul diſp.* 14. *concl.* 2.

Et quamvis Azorius *d. p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 4. Saytus *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *numero* 14. Graffius *p.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. *numero* 45. opinentur dictam doctrinam eſſe veram, quando audiens non eſt cauſa illius lectionis. Qui enim nec legi curavit, nec conſuluit, neque ex ſua auditione alter ad legendum inducitur, excommunicationem non incurrit. Quia nullatenus legere dicitur. Secus verò ille audiens, qui eſt legendi cauſa. Iſte enim in excommunicationem incidit. Quia dum talem lectionem præcipit, vel conſulit, vel ſuadet, moraliter legere dicitur. Nam quamvis per ſe, ipſum non legat, legit tamen per famulum, vel alium, cujus miniſterio in ipſa lectione utitur.

Nihilominus, hoc non obſtante, Ugolinus *loc. cit.* Sanchez *ibid. numero* 48. Portellus *v. libri numero* 11. Bordon. *tom.* 1. *cap.* 14. *numero* 74. aliique ex citatis actoribus tradunt, ne hujuſmodi quidem audientem, qui legendi dictum librum eſt cauſa, excommunicationem contrahit. Quia excommunicatio, cùm ſit pœna, non debet extendi de caſu, ad caſum, & de legente ad audientem, cùm iſte tantum improprie, ac metaphorice dicatur legere. Et ſicut cenſura lata contra aliquid facientem, non comprehendit mandantes & conſulentes, niſi ſpeciatim exprimantur, quamvis hi improprie, ac per alium dicantur facere, ut tradunt Caiet. *in ſum. v. Excommunicatio*, Armil. *eod. v. num.* 2. Tabien. *eodem pariter verbo* 5. *cap.* 49. *numero ult.* Navar. *cap.* 27. *numero* 51. Suarez *de cenſur. diſp.* 25. *ſect.* 2. *numero* 14. Medina *lib.* 1. *ſum. cap.* 11. *§.* 2. ac Ledeſima *p.* 2. *q.* 26. *numero* 2. ita excommunicatio lata contra legentes non comprehendit audientes, qui mandant, vel ſuadent, ac conſulunt, ut alter prohibitos libros legat, ut ipſi audiant, quamvis improprie per alium legere dicantur.

At ego affirmo, Quia ſunt magni nominis Doctores,

qui

qui aſſerunt, etiam legem pœnalem extendendam eſſe ad alium caſum, quando militat eadem ratio per textum *in l. 2. §. ſi curatores ff. ad Tertul. & in cap. ſi poſtquam cum Gloſ. de elect. in 6.* doceique Modit. *in §. lex eſt, inſtit. de jur. gent. dub. 54. num.* 1. Ubi enim eſt eadem ratio, & omnimoda ſimilitudo, debet eſſe eadem juris diſpoſitio, etiam in pœnalibus. Quia tunc non dicitur fieri extenſio, ſed quædam declaratio, ut notat Gloſ. *in cap. 1. v. Italia de temp. ordin. in 6.* quam pro ſingulari commendat Panormit. *in cap. nihil. col. antep. de elect. & in cap. fin. col. 2. de reſcript.* ac firmat Guttier. *pract. quaſt. lib. 3. q. 17. nu.* 83. probans, quod in quacunque materia verſemur, ubi habet locum ratio legis, ibi quoque locum habere debet ipſa lex per textum *in l. illud ff. ad leg. Aquil. l. à Titio cum ſimilibus ff. de verb. oblig.* Mantic. *de conject. ult. vol. lib. 2. cap. 11. numero* 20. Tiraquel. *de cauſ. ceſſant. p. 1. numero* 151. Becc. *conſ.* 89. *numero* 10. Decian. *conſ.* 76. *numero* 10. *lib.* 2. Maſcard. *de probat. concl.* 1162. *numero* 4. *& concl.* 312. *num.* 9. & Barbat. *conſ.* 10. *num.* 11. 12. *ac* 19. *lib.* 2.

Hinc eſt, quod in iis, quæ per rationem legis comprehenduntur, non dicitur fieri interpretatio extenſiva, ſed comprehenſiva, ut per Roland. à Val. *conſ.* 27. *numero* 6. *& ſeqq. lib.* 1. Molin. *lib. 1. de primoque cap.* 5. *numero* 12. Unde in hoc caſu non dicitur lex extendi, ſed includi ille caſus ſub ejuſdem legis diſpoſitione, ut late Cravet *de antiq. temp. p. 4. principal. ſub initio num.* 91. *cum ſeqq.* & Pariſ. *conſ.* 32. *num.* 20. *lib.* 2. Anton Francus *in paſtor. Regul. p. 2. q. 10. num.* 52.

Quare cum his pateat, ex identitate rationis legem pœnalem eſſe extendendam, dicendum eſt, dictum canonem primum Bullæ Cœnæ contra legentes libros hæreticorum extendendum eſſe ad audientes legere. Quia in hoc caſu militat eadem ratio finalis. Quando enim lex habet rationem generalem, licet ſit ſpecialis, efficitur generalis *l. regula §. ſiquis ff. de jur. & fact. ignor.* ibique Bartol. aliique. Quia cum ratio ſit anima legis, eam extendit *l. ſi poſtulaverit §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult.* & S. Paulinus *Ep.* 38. inter alios notat Surd *de alim. tit. 1. quaſt.* 44. *numero* 15. *& dec.* 226. *numero*. 8. Nec dicta Bulla eſt odioſa, ſed favorabilis, quia primario reſpicit favorem fidei, cùm proſpiciat ejus indemnitati, ac animarum ſaluti, ne à labe hæreſum inficiantur. Quo caſu, etiamſi contineat odium alterius, lex eſt favorabilis, ut docent Gloſ. *in cap. ſi propter v. primi anni de reſcript. in 6.* Jo. Andr. Gemin. *in cap. ſciant cuncti de elect. in 6. Bartol. in l. qui exceptionem numero 2. ff. de condit. indeb.* Covar. *lib. 1. var. cap. 11. numero* 5. alios citans, & Pariſ. *de reſign. lib. 12. quaſt. 2. num.* 23.

Quare de B. Pachomio hæc ad rem hanc Dionyſius Exiguus *p. 1. vit. SS. Patr. & Metaphr.* in *Pachom. vit. cap. 27. Univerſos fratres ſolicitus admonebat, ut non ſolum ipſius Origenis monumenta non legerent, ſed ne legentibus quidem aurem penitus admoverent.* Et Imperatoria ſanctio *in l. 3. §. ſancimus 1. C. de ſum. Trin. & fid. cath.* ita jubet: *Omnia enim Deum ad iracundiam provocantia ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum pervenire volumus. & §. 3. d. l.* 3. ita. *Jubemus ſalta hujuſmodi ſcripta &c. comburi, &c. ita ut in nullius cognitionem venire poſſint.* Cognitio autem per auditum. Unde ſicut fides ex auditu, ut ait Apoſtolus, ita & infidelitas. Hos itaque libros, ait ultra Ulyſſis aſtutiam cauti, non auribus tantum, ſed & oculis obſeratis, & animo quaſi navigio prætervolante fugiamus, ne ſolliciti delectatione lectionis in communium ſaxa rapiamur, & ſcopulo mortis, affixi, naufragium ſalutis obeamus. Horum autem auditio quam fœda ſit habetur apud D. Chryſoſtomum hom. 38. in Math. S. item Aſterius de œconomo iniquitatis, ſingulorum ſenſuum uſibus cautiones ſuas præfigens, cùm ſtatuiſſet, præſtare oculos abjicere, quàm iis in animæ conſpurcationem abuti, ſubdit de auribus: *Sed & auribus ſua leges, ſua cautiones. Ad ſanos enim, ſanctoſque ſermones inclinare, & patefacere eas oporret, ac per ipſas quaſi tubos ad animum bona dicta tranſmittere. At ſiquis vitiorum aſſecla, peſtilenſque & pernicioſus homo proprius accedit, ut peccati cœnum per aures infundat, vitandus ille, & fugiendus non aliter, quam genus illud ferarum, quæ toxicum ejaculantur.*

Et quidem auditionis quædam veluti ſpecies eſt lectio. Audit enim libri autorem qui legit, ut de divinis libris dixerat S. Chryſoſtomus *hom.* 8. *in 2. ad Theſſal. & hom.* 30. *ad Rom.* S. Hieronymus *Ep.* 41. *&* S. Ambroſ. 1. *Offic. cap.* 20.

Verùm quia in materia cenſurarum rejici videtur communiter à Doctoribus argumentum à ſimili, ut notat Amicus *in curſ. theol. tom. 7. diſp. 31. ſect. 3. numero* 58. immo & à fortiori, unde verba intelligenda ſunt, ut jacent, ac ſonant. Quia pœnæ non ſunt extendendæ ad alios caſus, ſed reſtringendæ, *l. factum cuique §. in pœnalibus ff. de regul jur. cap. in pœnis eod. tit. in 6* & docent Surd. *de alim. tit. 1. q. 51. numero* 12. ac Burgos de Paz *conſ.* 8. *numero* 2. etiamſi extenſio efficeretur ex ſimilitudine rationis, ut docet Gironda *de privil. explicat. numero* 540. Diego. *reg.* 281. cum aliis communiter. Ideo tutius eſt in hac quæſtione ita diſtinguere.

Vel enim audiens eſt cauſa lectionis, ut quia præceperit, aut quia conſuluerit, ſuaſerit ad hunc effectum librum dederit, aut attentione ſua ad legendum induxerit, & tum incurrit. Quia moraliter cenſetur per ſeipſum legere, arg. *cap. qui per alium de reg. jur. in 6. & l. hoc jure ff. eod.* Quapropter licet pœnæ ſint reſtringendæ, & excommunicatio lata in perpetrantes, regulariter non comprehendat mandantes, tamen id probat, non comprehendi abſolute mandantem lectionem, quod nos non negamus. At qui mandat lectionem haberi ſibi, perinde eſt, ac ſi ipſe legeret quantum ad effectum. Alias enim facile eluderetur canon, ſi impunè lectio ſuppleretur per alium, cùm etiam ſine incidentia legentis, ſi nimirum puer arripiatur, poſſit id præſtari. Vel audiens ſimpliciter, ut auditor ſe habet, & tunc non incurrit. Quia nullo modo legit. Nec talis auſcultatio ſubdole fit in fraudem legis. Atque ita etiam diſtinguunt Graſſ. *d. numero* 45. Azor. *cit. cap. 16. quaſt.* 4. Sayr. *ſupra numero* 14. Alter. *col.* 5. Reginald. *num.* 251. *&* Nald. *num.* 14.

Legens verò juſſu alterius non excuſatur, niſi ex vi, vel metu valido incuſſo, ut in ſimilibus ſæpe diximus, & tradunt Azor, Sanchez, Alterius, Bonac *loc. cit.* ac Duard. *num.* 11. *&* Sanctarel. *num.* 9.

Quod ſi legens ad nutum alterius, facultatem legendi habeat, impellens eſt excuſandus, ſi Souſæ ibidem aſſentiamur. Quia non eſt cauſa lectionis illicitæ. Valde tamen probabile videtur etiam oppoſitum. Quia etſi lectio de ſe non ſit illicita, ex circumſtantiis tamen fit talis, quatenus dicitur tunc legere idem ipſe, qui audit, licet per alium.

Secus

Secus hoc pacto contra intentionem Canonis, omnes ad doctrinas impias audiendas poterunt ad facultatem habentes recurrere. Dum verò ipſe impellens facultatem habet, non incurrit, non quidem ut legens. Quia legere poteſt, nec ut mandans lectionem ei, cui eſt inhibita; quia mandantes non exprimuntur. Is verò, qui legit, innodatur; quia facultas imperantis non eſt cum venia impertiendi eam alteri.

Recitans autem ex memoria, quæ de libris hæreticorum deprompſit, non innodatur. Quia facile recitatio hæc evenire poteſt in familiari locutione, dum quis refert aliàs per lecta. Et quia revera hic nullo modo legit, ut per Ugolin. §. 1. *numero* 4. Souſ. *d. numero* 20. Sayr. *numero* 13. Sanch. *numero* 47. Reginald. *numero* 252. Duard. *q.* 49. Sanctarel. *num.* 8. Suar. *de fid. d. diſp.* 20. *ſect.* 2. *numero* 12. contra Graffium *numero* 45. Neque admitto limitationem Sayri, dummodo ſcilicet, non contineantur in recitatis blaſphemiæ, & malo aliquo fine recitentur. Nam nullatenus recitare eſt legere. Malus autem finis aliunde poteſt excommunicationem inducere, puta ſi inde præſtetur hæreſi favor, non autem ex parte lectionis.

Is autem, qui excommunicatione Bullæ Cœnæ non adhæreretur, poteſt adhuc excommunicationi Indicis librorum prohibitorum, commiſſione S. Concilii Tridentini editi, & à Pio IV. Conſtitutione *Dominici gregis* approbati, fieri obnoxius. In eo enim juxta *ver. ad extremum.* excommunicatione impetuntur, non tamen reſervata, in primis legentes, aut habentes, omnes hæreſiarcharum libros, quamvis hæreſim non contineant, nec de religione tractent, ut in reg. 2. Sunt autem hæreſiarchæ, qui hæreſim incurrerunt, ſuſcitarunt, vel ſe hæreticis capita, ac duces exhibuere, ut ibidem dicitur.

Deinde legentes, aut habentes aliorum hæreticorum libros, de religione non tractantes, niſi per catholicos Theologos, juſſu Epiſcoporum, aut Inquiſitorum examinati, correcti, aut probati, fuerint permiſſi, *ead. reg.* 2.

Idem eſt de eo, qui ante lapſum ſcripſiſſet aut in lapſu, cùm tamen ad gremium Eccleſiæ redierit. Quia liber non deſinit eſſe hæretici, *Filiuc. num.* 43. & communiter alii. Licet Ugolinos *v. eorundem* §. 1. *d. Bulla* hos ſolum mortalis peccati, & arbitrariæ Epiſcoporum, aut Inquiſitorum pœnæ reos faciat juxta *reg.* 2.

Demum ii, qui cujuſvis autoris, etiam Catholici, libros, aut ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, legerint, vel habuerint.

Porrò quia verſiones ſacrorum Bibliorum, & annotationes ad ea, itemque lexica, apophtegmata, & his ſimiles libri, opera hæreticorum editi, ac conſcripti, non appellantur in rigore libri autorum hæreticorum, ideo qui tales libros, emendatione expurgàndos, non adhuc ab Inquiſitoribus, vel Epiſcopis permiſſos, legunt, aut retinent, non excommunicantur, ſed mortifere peccant, & arbitrio Epiſcopi relinquontur puniendi, ut *in cit. ver. ad extremum* juxta *reg.* 3. *&* 5. Quod ſi hujuſmodi verſiones, & annotationes ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnatæ fuerint, probabile eſt ex earum lectione, aut retentione excommunicationem induci. Nam, licet opus, & liber non dicatur eſſe illius, qui verſionem, aut annotationes fecit, dicitur tamen in Indice *libros & ſcripta ob hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata*. Id, quod verſionibus, & annotationibus accomodatur. Quæ licet non faciant librum eſſe interpretis, aut annotatoris, ſunt tamen ſcripta illius, ut per Ugolin. *loc. cit.* Reginald. *num.* 155. & Bonac. *pun.* 4. *num.* 6.

Legens tandem, ac retinens libros, alio nomine interdictos, præter mortalis peccati reatum, quo afficitur, ſeveræ Epiſcoporum animadverſioni ſubditur, ut in fine Indicis habetur. Unde immeritò Duard. *q.* 35. *num.* 14. Bonac. *loc. cit. numero* 4. excommunicationi ſubjiciunt legentes libros Necromantiæ, pyromantiæ &c. aut alios aſtrologiæ judiciariæ *in reg.* 9. interditos. Si enim non accedat, quod fuerint interdicti ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, non poteſt ex Indice conjici ſub excommunicatione vetari.

Hic rejicienda eſt ſingularis Becani ſententia *in tr. de fid. cap.* 15. *quæſt.* 8. *numero* 4. qui cum *in reg.* 2. Indicis excommunicentur legentes libros omnes hæreſiarcharum, & libros hæreticorum ex profeſſo de religione tractantes, opinatur offendentes in Bullam Cœnæ ex lectione interdicta, in illa duplici innodari vinculo, ex Bulla ſcilicet, & ex Indice. Siquidem crimen eſt unicum, nec ex aliquo conjicitur Pontifices ex Bulla, & Indice diverſas in idem voluiſſe ferre ſententias. Non enim multiplicatur cenſura in idem crimen ob juris, & Bullæ latam ſententiam ex Navar. *in cap. ita quorundam notab.* 11. *num.* 26. *de Judæis*, Sylveſt. *v. excommunicatio* 7. *caſ.* 2. *notab.* 4 Palud. *in* 4. *d.* 18. *quæſt.* 2. *ar.* 4. Sayro *lib.* 1. *theſ. cap.* 10. *num.* 11. Ugol. *ad d. Bul. pœn. p.* 1. *q.* 7. Graffio *loc. cit. num.* 5. Reginaldo *ubi ſupra*, Alterio *cap.* 4. *col. fin.* Filiucio *num.* 13. Souſa *diſp.* 2. Suar. *diſp.* 11. *ſect.* 1. *numero* 3. Scortia *in Bul. ſelect. theor.* 409. Nam, ut denuo in idem feratur cenſura, requiritur aut nova contumacia ex parte delinquentis *arg. cap.* cum non ab homine de judic. aut novus excommunicator (lex ſit, ſive homo) ſive aliquis nova poteſtate pollens, qui ſententiam, tanquam ſuam, ac diſtinctam proferat, ac talem proferre, indicat ita, ut non ſit nova ejuſdem evulgatio, ſive alia loco ejuſdem editio. Secus enim, non intercedente multiplici malitia, non condecet vincula multiplicare, ac proinde nec tale cenſetur intentum Eccleſiæ. Excommunicator autem iterans, ſi diverſa polleat autoritate, cùm æque ac primus, ferre valide poſſit ſententias, non eſt, cur ſuæ etiam non obſtringatur, ſi velit. Unde ait Navarrus, Epiſcopum ferentem excommunicationem in deferentes arma infidelibus, non obſtante cenſura Bullæ Cœnæ nova innodare, ac diſtincta, ſi tamen tanquam ſuam proferat. Quia non apparet Bullæ mentem eſſe, alicujus poteſtati derogare, & Epiſcopus non inſtat ſententia, tanquam ea, quæ ſit lata à Bulla. Tunc enim novam non induceret, ſed tanquam ſua de novo à ſemet conſtituta per poteſtatem, quam habet ab autore Bullæ diſtinctam. At juris & Bullæ utraque ſententia non punit contumaciam, ſed crimen in eodem ſtatu. Nec eſt unde colligatur, mentem eſſe Pontificum novas ferre excommunicationes à jure diverſas, ut velint non ſufficere, ſi una excommunicatione offendens, ad Bullam, innodetur. Siquidem reſervatio, quam abſolutio adjunxerunt, ad id non eſt ſatis Quia ſpeciem, & ſubſtantiam excommunicationis non mutat, ſed eſt quid tantum pertinens ad negotium abſolutionis. Nec poteſtas cenſetur diverſa. Quia licet autor juris & Bullæ ſit in perſona diſcretus, non eſt tamen in poteſtate. Igitur cum aliud non expreſſerint Pontifices, tacite cenſetur, unam & eandem excommunicationem non diverſam inducere.

Cùmque

Cùmque alii libri damnandi eſſent, præter contentos in Bulla, generalis edita eſt lex, ne deteriores viderentur imdemnati, & ut firmum eſſet aliquod ſtatutum, ſi contingeret per aliquem Pontificem lectores à Bulla ſubſtolli. Ad hæc, ut ſede vacante aliqua vigeret cenſura, cùm tempore Pii IV. qui Judicem ædidit, Bulla Cœnæ expiraret morte Pontificis.

Adjunxit prædicto judici Clemens VIII. Conſtit. *cum Hæreticorum* anno 1593. ſub excommunicatione ſimiliter non reſervata, legentes, aut retinentes libros Thalmud, Magazor, & alios varios, & nefarios Kabaliſticos Autores prohibitos, & quæcumque opera, & ſcripta. tam lingua hebræa, quàm alia quacunque, tacite, vel expreſſe hæreſes, vel errores contra ſacras Scripturas continentes, aut contumelias, & impietates in Deum Sanctiſſimam Trinitatem, Chriſtum, B. Virginem, Angelos, Patriarchas, Prophetas & alios Sanctos, Sacramenta, Crucem, Imagines, Eccleſiam, Sedem Apoſtolicam, Chriſti fideles, præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alios Eccleſiaſticos, atque neophytos, nuper ad fidem converſos, vel in quibus ſunt obſcœnæ narrationes, & ſub eadem cenſura vetuit, hos libros edi, emi, vendi, donari, commutari, aut quoquomodo diſtrahi. Quinimmo ſubjicit omnibus pœnis in fautores Apoſtatarum à fide, & hæreticorum latis, eos, qui opem, auxilium, conſilium, aut favorem præſtant Hebræis, pro habendis, Scribendis, afferendis, aut pro eorundem legendorum impetranda licentia. Tales enim libri cùm ſint infidelium, non verò hæreticorum, in Bulla Cœnæ, aut in Indice non continebantur, unde ſpeciali prohibitione indiguerant. Quinam vero Talmudi, & quæ Kabala inhibentur præter à nobis ſuperius dicta, vide apud Scortiam *theor.* 394. Babylonicus nempe & Hieroſolymitanus. Kabala verò ea, quæ vana, conficta, vel ſuperſtitioſa eſt, de qua Delrius *lib.* 1. *magic. cap.* 4. *quæſt.* 3. & nos etiam *ſupra.*

Catholici autem, qui in Anglia, Germania, Polonia, Gallia, legunt, vel retinent libros hæreſim, vel hæreticalia ſortilegia continentes, aut de religione tractantes non incidunt in hanc excommunicationem, ſi in illis Provinciis, ac Regnis Bulla Cœnæ non ſit promulgata, neque uſu recepta. Quia lex non obligat, niſi promulgetur, ac uſu recipiatur, ut docent Becanus *p.* 2. *ſum. cap.* 25 *num.* 6 Fagund. *lib.* 1. *in decal. cap.* 14. *num.* 24. Carena *p.* 2. *d. tit.* 10. *§.* 5. *num.* 3. ſecus verò in illis locis, in quibus Bulla Cœnæ eſt uſu recepta. Ibi enim legentes, vel retinentes libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes, incidunt in excommunicationem, etiam ſi legerint ad confutandos eorum errores. Quia hoc non excuſat ſine Romani Pontificis licentia, cui Bulla id reſervat, ut per Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *num.* 42. Azor. *p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 6. Fagund. & Caren. *loc. alleg.*

Unde hæc duplex regula in hac re ſervanda eſt. Una ubicunque Bulla, & Index obligant, ibi Catholici incurrunt excommunicationem, ſi legant libros ſine ſpeciali facultate. Altera ubicunque lex, vel conſtitutio Pontificis uſu recepta eſt, ibi obligat, ubi recepta non eſt, non obligant, tametſi pecent mortaliter, ſi eos legant cum periculo erroris, aut deceptionis. Quin ex decreto S. Congregationis S. Officii ſub prima Aprilis 1598. Legens libros prohibitos in partibus ultramontanis incurrit in cenſuras Indicis librorum prohibitorum. Dicitur autem uſu recepta, quando à majori parte communitatis recipitur, & obſervatur.

Legens, vel retinens hujuſmodi libros eſt hæreſi ſuſpectus, ut patet ex Conſtit. Pii IV. in hæc verba: *Legerit, habueritve, ipſo jure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob cauſam in eum, tanquam de hæreſi ſuſpectum inquiri, ac procedi liceat.* An verò hæc ſuſpicio ſit levis, an vehemens conſiderari oportet qualitas perſonæ, ac librorum. Nam fieri poteſt, ut abſque ulla hæreſis ſuſpicione libri damnati apud aliquem reperiantur. Si enim illos retinens ſit penitus imperitus, qui eos nec intelligat, nec legere ſciat, vel ſit vir probatiſſimus, à quo procul omnis malitia abeſſe putaretur, & ignoranter illos retinuiſſet, vel libri prohibiri nihil contra fidem continerent, tunc vel cenſendus non eſſet de hæreſi ſuſpectus, vel ſaltem de levi, ut docet Pegna *p.* 2. *com* 3. ſecus vero ſi ſcienter legerit, ac retineret, vel ſi omnes libros prohibitos paſſim legeret, vel reprehenſus nec facile, nec ſtatim ac fuit admonitus, obedierit, neque illos Epiſcopo, vel Inquiſitori deferre voluerit, vel ſi inquirat, unde illos habere poſſit, aut curet ſibi aſportari, vel ſi non eſſe præſentandos, aut comburendos contendat, vel ſi ab illis abſolutionem deſpiciat, vel ſimilia contumacia ſui animi ſigna dederit, tunc magnam, ac vehementem hæreſis ſuſpicionem contrahit, ut docent Pegna *ibid.* & Simanch. *de cath. inſtit. tit.* 38. *num.* 21. Zanchin. *de hæret. cap.* 7. *num.* 7. Albertin. *de agnoſc. aſſert. quæſt.* 28. *num.* 1. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 180. *num.* 33. Carena *p.* 2. *tit.* 10. *num.* 33. Bordon. *tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 48. & nos alibi.

Ad incurrendam autem hanc excommunicationem ſufficit lectio, vel retentio, vel aſportatio unius tantum libri vel ejus partis, nec aliter, quam ſi plures hos libros legiſſet, vel retinuiſſet, vel aſportaſſet, & tam ſi liber ſit magnus, quàm ſi parvus. Quia non differunt ſpecie, Et quamvis Bulla cœnæ plurali numero utatur, id tamen facit, habito reſpectu ad plures legentes, vel retinentes, quos neceſſe eſt plures legiſſe, vel retinuiſſe libros, non autem quoad librorum numerum, ut notant etiam Ugolin. *de cenſ. lib.* 2. *in gloſ. eorundem num.* 1. & Farinac. *d. quæſt.* 180. *num.* 29. Nec ab excommunicatione excuſatur retinens partem hujus libri. Quia iſte dicitur etiam retinere librum prohibitum, quomodo dicitur legere librum, qui partem illius legit, ut per Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *nu.* 54. Ugolin. *eod. v. num.* 3. Pellia. *tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 5. *num.* 14. Qui *n.* 19. etiam affirmat, legentem præfationem, Epiſtolam ad lectorem, indicem libri prohibiti non effugere excommunicationem. Quia verè ſunt partes libri, & conſequenter, prohibito libro ipſæ quoque partes ſont prohibitæ, idque ſive illæ ſint ſimul injunctæ, ſive ſejunctæ. Unde retinentes litteras, ſive Epiſtolas, aut alias chartulas, hæreticalia ſortilegia continentes, eadem excommunicatione afficiuntur, ut notant etiam Farinac. *num.* 31. *&* Bordon. *num.* 61. *& ſeq.*

Legens verò vel retinens librum catholici, in quo ſint ad verbum inſerti errores alicujus hæretici, non afficitur excommunicatione, ſi illum legat ad agnoſcendum illos errores. Quia hic liber non eſt hæretici, ſed catholici. Et quamvis aliquis illum legat eo tantum animo, ut ſciat hæreticorum falſa dogmata, & argumenta non contrahit tamen excommunicationem. Quia hæc pœna non propter ſolum affectum & ſtudium illa ſciendi, contrahitur, ſed ob factum legendi, vel retinendi libros hæreticorum. Hujuſmodi autem liber talis non cenſetur. Et ita docent Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 2. Navar. *cap.* 27. *numero* 56. Suar. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num.* 10.

num. 10. Ugolin. *loc. cit. eod. v. ac eorundem §.* 1. *nu.* 1. Sayr etiam *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 13. Idemque dicendum ſi in libro autoris catholici ſint aliquæ hæreſes, quas ipſe ob ignorantiam ſcripſit. Adhuc enim non eſt liber hæretici, ut per Ugolin. *loc. cit.* Graff. *p.* 1. *dec. lib.* 4. *cap.* 18. *numer.* 40. & 43. Sanchez ubi *ſupra num.* 24. Et ſimiliter neque incurrit excommunicationem tenens, vel imprimens libros catholici, in quibus ſunt annotationes, & ſcholia hæreticorum, etiamſi illa legat. Quia hic liber verè non eſt hæretici, ſed catholici, ut ajunt Navarrus, Graffius, Suarez & Sanchez locis allegatis.

Neque legens, vel retinens, aut imprimens, ac etiam defendens librum hæretici, hæreſim non continentem, neque de religione tractantem incurrit excommunicationem. Quoniam una ex conditionibus requiſitis ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ eſt, ut liber vel hæreſim contineat, vel de religione tractet. Dum igitur liber neutrum continet, illum legens, retinens, imprimens, ac defendens excommunicationem non contrahit. Ita Ugolin. *loc. cit.* Sanchez *ibid. numer.* 53. Farinac. *d. qu.* 180. *num.* 22. Filiuc. *tom.* 2. *tr.* 22. *cap.* 7. *num.* 204. Sous. *in expoſ. Bul. Cœn. diſp.* 3. *capit.* 2. *concl.* 2. Carena *d. tit.* 10. §. 1. *num.* 7. Duard. *in can.* 1. *d. Bul. quæſtion.* 39. & 40. & Suar. *cit. diſp.* 21. *ſect.* 2. *num* 10.

Si verò unam tantum hæreſim liber contineat, totus eſt prohibitus, nec, illo etiam deleto errore, licebit librum legere, vel retinere, quia abſolutè prohibitus eſt. Bulla enim dicit: *libros hæreſim continentes.* Quod planè comprobatur, ſi unam duntaxat hæreſim contineat. Nam ſicut qui in uno deliquit, factus eſt omnium reus, ita liber ob unam hæreſim factus eſt totus prohibitus. Ideo ſiquis legat illius partem non continentem hæreſim, excommunicationem incurrit. Quia legit librum hæretici, hæreſim continentem. Quod ſolum Bulla requirit.

Libri autem de humanis litteris, de philoſophia de medicina, de lege civili, de profanis hiſtoriis, & hujuſmodi alii, niſi in illis aliqua hæreſis inſeratur, non ſunt prohibiti, licet eorum autores ſint hæretici. Quia dum hæreſim non continent, neque de religione tractant, non comprehenduntur in prohibitione Bullæ.

Libri verò, qui non ſunt prohibiti ob hæreſim, aut ob religionis tractatum, ſed ob aliam cauſam, quia exempli gratia continent turpia, ſuntque contra bonos mores, prohibentur ſub pœna peccati mortalis, & aliis pœnis arbitrio Epiſcoporum, non autem ſub pœna dictæ excommunicationis. Atque ita colligitur ex Indice librorum prohibitorum, & ex citata Conſtitutione Pii IV. *Dominici gregis*, ubi habetur: *Qui hæreticorum libros legerit, &c. Qui autem libros alia de cauſa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Epiſcoporum arbitrio ſevere ſe noverit puniendum.*

Quid etiam legens, vel retinens libros propter obſcœnitates prohibitos, poteſt ab Inquiſitoribus puniri. Nam licet in dicta Conſtitutione Pii IV. dicatur Epiſcoporum arbitrio ſevere ſe noverit puniendum, Suprema tamen S. Inquiſitionis Congregatio ſub die 6. Februarii 1627. teſte Carena *d. tit.* 10. §. 2. *num.* 19. decrevit, Inquiſitores eſſe Judices, etiam contra retinentes libros prohibitos ob res laſcivas, & contra bonos mores. Quod etiam tradunt Souſa *d. capit.* 21. *num.* 36. & 45. ac Turrian. *in ſelect. diſp.* 1. *in cenſur. propoſ. cent.* 4. *dub.* 17. Hinc licentia legendi, ac retinendi, etiam ad effectum corrigendi Adonem Joannis Baptiſtæ Marini, à S. Officio denegatur. Conceditur tamen, ſed raro, pro una vice tantum perpenſa prius perſonarum qualitate. Nec licentia legendi libros prohibitos contra bonos mores conceditur. Hi enim omnino configendi & exterminandi ſunt. Hoc ipſi Gentiles, hoc Chriſtiani jam olim edixerunt. De iis expoſtulat Colvenerius *ad lib.* 2. Cantipratani *cap.* 49. conteſtans non minus ab his libris, quàm ab hæreticis imminere damnum. Cardanus *lib.* 4. *de ſapientia* hos libros addicit flammis, & Georgius Fabricius, tametſi Lutheranus, graviter diſſerit de illis exterminandis in præfat. ad ſuam poëtarum chriſtianorum collectionem, Plato *lib.* 10. *de republ.* Nam liber obſcænas eas cogitationes legentis animo infigit, quæ turpium motuum ſint ſeminarium. Ariſtoteles in hos libros concitatur 7. *polit. cap. ult. & in poët. cap.* 1. Valer. *lib.* 6. *capit.* 3. Diodor. *lib.* 12. Herod. *lib.* 1. apud quos interdicta ac leges contra hujuſmodi libros.

Hoc idem in hos ſpurcos, animorum peſtem, libros perpetuò egerunt Sancti Patres. S. Athanaſius exprobrans impuriſſimi Arii Thaliam. S. Baſilius *orat. de Libris Gentilium*, S. Hieronymus *ep.* 14. has eſſe inquiens ſiliquas porcorum, S. Auguſtinus *lib.* 1. *confeſ. cap.* 16. hos eſſe ait flumen tartareum, S. Paulinus *ep.* 38. pernicioſam inquit iſtam inanium dulcedinem litterarum, illecebras cupiditatum, blandimenta vitiorum in ſpecie lenocinium, in guſtu venenum. Iſidorus Peluſiota ep. ad Thalelæum monachum, S. Cyrillus *lib.* 3. *de adorat. in fin.* hos ſtatuit eſſe pennas upupæ, luto ſemper, ac ſordibus paſtæ, Rupertus, carmina obſcæna poëtarum ait, eſſe ranas Ægyptias. Eſpencæus longa ad Heroidas ſacras præfatione hoc argumentum verſans, multa in eandem ſententiam ex Patribus, & Conciliis profert, & ex opuſculo, quod Tripartitum inſcribitur, eſtque priſcis Conciliorum tomis inſertum.

Qui autem, antequam liber prohibeatur, illum in compendium redegit, non poteſt, poſt ejus prohibitionem, compendium illud manuſcriptum legere, vel retinere abſque excommunicatione. Nam periculum infectionis, ob quod liber prohibitus eſt, locum habet tam in lectione libri, quàm in illius compendio, eandem doctrinam continente. Neque excuſat, compendium eſſe manuſcriptum. Quia liber manuſcriptus verè liber eſt, idem periculum infectionis continens.

Quod verò ad retinentes hæreticorum libros, ea, quæ de lectione in ſuperioribus diximus in rem præſentem accommodanda ſunt, cùm is, qui legere nequit, nec retinere valeat libros hujuſmodi, & regulariter excommunicatio lata in legentes etiam retinentes invadat. Quam verò juſte in odium hæreticorum, & impiarum doctrinarum exterminium, etiam retinentes hos libros anathemati ſubjiciantur, ac hæretici ſint reputandi, alibi docuimus.

Retentio autem, cùm Bulla nihil diſtinguat, excommunicationem inducit, quocunque modo fiat, ſive proprio, ſive alieno nomine, ſive in loco ſuo, ſive in alieno, ut per Ugolin. *de cenſur. Sum. Pontif. reſer. p.* 2. *capit.* 1. *v. retinentes nu.* 3. Sayr. *de cenſur. lib.* 3. *capit.* 5. *numer.* 16. Graff. *lib.* 4. *dec. capit.* 18. *num.* 48. Suar. *de fide diſp.* 20. *ſect.* 2. *num.* 21. Sanch. *in decal. lib.* 2. *capit.* 10. *numer.* 52. Sanctarel. *de hæreſ. cap.* 13. *dub. un. num.* 16. Item ſi ſub nomine cuſtodiæ, aut depoſiti *arg. l. officium ff. de reiver.* Duard. *lib.* 2. *in Bul. Cœn. cap.* 1. *qu.* 51. *numer.* 8. Alter. *to.* 1. *de cenſur. lib.* 5. *diſp.* 2. *cap.* 7. *col.* 2. & Souſa *in releɛt. Bul. Cœn. diſp.* 16. *numer. tertio* Et in depoſito tam deponens, quàm depoſitarius incurrit. Quod immerito negatur à Duardo *loc. cit. numer.* 26. dicente, eum, cujus nomine liber ab alio poſſidetur, eſſe immunem, quia non tenet, cùm tenere dicatur factum, non ſolum jus. At ſatis eſt juxta communem exiſtimationem homi-

num, eum dici tenere, qui rem in ſuo habet arbitrio, licet apud ſe non habeat, ſed apud alium, ipſo domino ita conſentiente, ut latè Doctores, & fatetur ipſemet Duardus *num.* 28. dum parvitatem temporis, quo liber retinetur ſupponens excuſare, ut eſt concedendum, ait tamen non excuſate, ſi ille, qui parvo tempote retinuit, alteri tradidit ſuo nomine cuſtodiendum. Quare animadvertendum, an ipſo domino ſciente & conſentiente liber apud alterum ſervetur.

Sub nomine autem cuſtodiæ rectè condemnat idem Duard. *num.* 11. nautas, cauponas, & ſtabulanos hoſpitum, & peregrinantium libros ſcienter recipientes. Eo enim ipſo quod recipiunt, eorum cuſtodes ſeſe conſtituiſſe cenſentur, atque *l. fin. ff. de naut. caup. & ſtab.*

Pariter innodatur qui titulo commodati, conductionis, aut pignoris retinent. Hi ſiquidem verè retinere dicuntur, *l. officium ff. de rei vendic.* Duard. *numer.* 12. Scortia *ad Bul. ſelect. theor.* 410. *col.* 12.

Similiter qui ad conglutinandum ſuſciperent, Ugol. *loc. cit.* & Sanch. *num.* 35.

Pari modo excommunicationem incurrunt retinentes libros, aut ſcripturas ſortilegia hæreticalia continentes ex Conſtitutione Joannis XXII relata in Direct. Inquiſ. *p.* 2. *qu.* 43. *num.* 9. ac etiam retinentes libros aſtrologiæ judiciariæ, chiromantiæ, necromantiæ, & ſimilium magicæ artis ex Conſtit. Pii IV. Clementis VIII. & Sixti V. ut notant Farinac. *de hæreſ. d. qu.* 180. *num.* 28. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 17. Azor. *p.* 1. *lib.* 9. *cap.* 26. *qu.* 5.

Deferentes item hos libros ex Germania, vel Gallia, vel ex aliis hæreticorum provinciis in terras fidelium, præter excommunicationem, bonorum etiam confiſcatione puniuntur, & aliis pœnis Inquiſitorum arbitrio. Quia fautores hæreticorum proculdubio cenſeri debent, ut docent Pegna *p.* 2. *com.* 17. Farinac. *d. qu.* 180. *num.* 15. Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 17. *qu. ult.* Si autem catholicus, exiſtens in terris hæreticorum, emat aliquem ex his libris prohibitis, ot illum tranſmittat ad eum, qui licentiam habet legendi, non incurrit excommunicationem, nec peccatum. Quia cui conceditur licentia legendi, ac retinendi illum, conceditur etiam medium neceſſarium ad illum obtinendum, arg. *l.* 1. *p. fin. ff. de eo, cui mand. eſt juriſd. l. ar ibus ff. de leg.* 3. *l.* 2. *ff. de juriſd. omn. Iud. & cap. præterea de offic. deleg.*

Sic quoque excuſatur à dicta excommunicatione, ſervus, qui retinet librum vetitum juſſu Domini, habentis licentiam illum legendi, ut firmant Doctores, quos ſequitur Oviedus 2. 2. *contr.* 12. *nu.* 22. Idemque dicendum eſt de conſutore, ſive conglutinatore librorum, qui retinet librum, ut illum compingat domino habenti licentiam legendi. Quia talis retentio conſideratur in ordine ad illum, cojus eſt liber, & cui conceditur hæc licentia legendi, ac retinendi librum, conceduntur etiam media neceſſaria ad illum legendum ex textibus allegatis.

Tandem qui ſine animo legendi vel ex curioſitate, vel ad ornatum Bibliothecæ, Sanch. *ibidem*, aut etiam ad vile aliquod officium, ut lanii, & aromatarii ad res venales involvendas, ut poſt Sanchez & Ugolinum Filiucius *to.* 1. *tr.* 16. *capit.* 3. *numer.* 45. Duardus. *num.* 7. Nald. *in ſum. v. Bulla Cœna num.* 15. & Scortia *loc. alleg.* perperam contradicente Delbene *to.* 1. *de offic. S. Inquiſ. dub.* 40. *pet.* 6. Neque adverſatur Gambarupta *de caſib. reſer. ad capit.* 1. *Bul. Cœn. num.* 36. qui excuſat idiotam, ac imperitum. Id enim intelligi debet de eo, qoi ex imperitia neſcit cognoſcere, librum eſſe damnatum, non de eo, qui cognoſcens, imperitus eſt ad eum percipiendum. Tum quia Bulla abſolutè damnat retinentes nec diſtinguit qua mente retineantur. Tum quia in odium ac exterminium prohibet. Tum tandem quia periculum eſt, ne in aliorum manus deveniant. Incurrunt igitur, dummodo ſcientes libros eſſe probibitos ſub excommunicationis pœna, illos retineant, etiamſi nunquam illos legant. Quia hi omnes verè retinentes ſunt, & retentio hæc non exigit libri intelligentiam, eo, quod Pontificum, & canonum prohibitio ordinatur ad eos libros penitus exterminandum. Unde licet ſupra excuſaverimus eos, qui ignoti idiomatis libros legerent, non tamen hic qui retinerent, excuſandi ſunt.

Ipſe quoque qoi compoſuit, innodatur, ſi aliquo notabili tempore à compoſitione retinear. Et quidem dupliciter, ut hæreticus, & ut retinens librum ſuimet hæretici, Duard. *ubi ſupra num.* 4. Immo tripliciter ſi etiam legat.

Licet autem permutatione, aut venditione quis librum à ſe ejiciens, nomen retinentis effugiat, non tamen intentio permutandi, vel vendendi excuſat. Quapropter retinens notabili aliquo tempore, ut hanc occaſionem expectet, non effugit excommunicationem, Ugolin. *d. v. retinentes numer.* 2. Sanch. *nu.* 53. & Duard. *nu.* 14.

Excuſantur verò ratione parvitatis materiæ retinentes dictos libros ad breve tempus. Quia ſicut in aliis rebus prohibitis retinere excuſat parva temporis mora, ita etiam in retinentibus dictis libris. Unde Sanchez *loc. cit. num.* 55. exiſtimat, quod excuſatur ab excommunicatione retinens librum prohibitum per unam, vel alteram diem, etiamſi habeat commodam occaſionem illum præſentandi Inquiſitoribus. Quia una, vel altera dies eſt modica dilatio, & ideo non cenſetur ſufficiens ad contrahendum tam gravem pœnam, ſicuti accidet in reſtitutione rei alienæ, quæ jure naturali obligat. Quod etiam docent Duard. *in Bul. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *quæſt.* 52. Reginald. *in prax. tom.* 1. *lib.* 9. *capit.* 14. *numer.* 256. Caſtropal. *p.* 2. *tr.* 4. *diſp.* 2. *pun.* 10. *§.* 2 *num.* 11. Gordon. *in ſum. to.* 2. *lib.* 2. *qu.* 13. *cap.* 8. *§.* 3. *num.* 81. ac Diana *p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 43.

Si verò aliquis habeat intentionem tradendi Inquiſitori librum, ſed non habeat commoditatem præſentaneam, non incurrit dictam cenſuram. Quia non dicitur verè retinere contra Eccleſiæ prohibitionem, qui opportunum tradendi tempus expectat. Sicut nec dicitur rem alienam, invito domino retinere, expectans reſtituendi commode occaſionem. Quo in caſu mora, etiam notabilis, non inducit cenſuram, ut rect- Sanchez *nu.* 35. & Duard. *numer.* 32. Nam obligatio deferendi non cenſetur ad ſtatim cum incommodo deferendum, *arg. l. qui ſolvendo ff. de ſolut.* Nacta igitur occaſione, vel quando ſemper adeſt, à ſe librum auferendi, notabilis cunctatio non excuſat, licet parva excuſet ex communi doctrina de parvitate temporis, aut materiæ.

Ex priſco autem, ac piiſſimo uſu, ut libri hujuſmodi penitus aboleantur, comburendi ſunt. Quod & præcipiunt Pontificum, ac Imperatorum Conſtitutiones. An autem excuſetur ab excommunicatione qui cum primum agnoſcit, librum eſſe prohibitum, illum non tradit Ordinario, nec Inquiſitori, ſed comburit? Et quidem excuſatur ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, quia in illa non præcipitur, ut liber deferatur ad Ordinarium, vel ad loci Inquiſitorem, & ne comburatur, ſed ne legatur, neque retineatur, ut notant Suar. *de fid. diſp.* 20. *ſect. ſecundo numer.* 23. Sanchez *lib.* 2. *in decal. capit.* 10. *numer.* 56. Portel. *v. libri numer.* 13. Farinac. *de hæreſ. d. qu.* 180. *num.* 41. ac Delbene *to.* 1. *de offic. S. Inq. dub.* 40. *pet.* 3.

At

At non excuſarut ab excommunicatione lata in d. Conſtit Julii III. *Cum meditatio* edita anno 1550. quam refert Pegna, ubi habetur: *Omnes, & ſingulos libros, &c. à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos penes ſe eos ex quavis cauſa etiam mercaturæ, &c. exiſtentes, Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis in civitatibus, in quibus libri hujuſmodi exiſtunt, conſignare debeant realiter, & cum effectu.* Et contra inobedientes imponit pœnam excommunicationis, & alias adverſus hæreticos latas. Quod tradunt Doctores modò citati, ac Pegna *p. 2. com.* 3. Azor. *d. lib.* 8. *capit.* 16. *quæſt.* 11. Ugolin. *in prim. clauſul. Bul. cæn. d. u. retinentes numer.* 4. Delrius *d. lib. 5. magic. ſect.* 17 & Duard. *d. lib. 2. can.* 1. *quæſt.* 51. & confirmavit Pius IV. in Conſtit. edita anno 1564. incip. *Locum pro munere* & prohibetur in reg. Indicis libr. prohib. Finis autem hujus mandati eſt, ut autor libri agnoſcatur & errores, qui in eo ſunt melius emendentur, ac Inquiſitores, cùm ad eos liber deferatur, interrogare poſſint deſerentem unde habuerit, à quo acceperit, & hujuſmodi alia. Notant etiam dicti Doctores, hanc excommunicationem non eſſe reſervatam.

Sed his non obſtantibus, Sanchez *d. capit.* 10. *numer.* 56. exiſtimat, comburentem propria autoritate non incurrere hanc cenſoram. Quia verè librum non retinet. Et Filiucius *to. 2. tr. 22. capit. primo numer.* 208. ſimiliter ait, ad Inquiſitores eſſe quidem deferendos ex Bulla Julii III. quamvis ſiquis propria autoritate combureret, vel donaret habenti facultatem eos retinendi, non incurreret Excommunicationem. Fagundez quoque in decal. *lib.* 1. *capit.* 14. *numer. tertio* inquit: Video tamen multos Doctores dicentes abſolute, libros vel Inquiſitoribus, vel igni tradendos, ut habet Repertorium Inquiſ. *v. libri* Idem tradit Zanchin *de hæret. capit. ſeptimo* Campeg. *in ſchol. Repertor. loc. cit.* Jo. Andr. *in capit. ſecundo de hæret.* ibique Gemin. Albertin. *de agnoſc. aſſert. qu.* 28. *numer.* 14. Decian. *tr. cr. lib. quinto capit. decimo octavo numer. vigeſimo quinto & capit. trigeſimo quinto numer. vigeſimo primo & capit. quinquageſimo quarto numer. vigeſimo octavo* aliique, quos ipſe Fagundez adducit, cenſentque ſatis probabile Diana *p. prima tr. reſol.* 39. ac Delbene *d. dub. quarta petit. nonâ numer. quinto* Quia cenſuræ propoſitæ in Conſtitutione Julii III. ſunt contra habentem hujuſmodi libros, niſi intra ſexaginta dies Inquiſitoribus eos conſignando, dimittat. Unde cenſuræ non afficiunt actionem comburendi, ſed librorum retentionem. Ideo ſi comburantur, cenſuræ non habent locum. Unde eum dictis Doctoribus dicendum videtur, tutius eſſe, libros de hæreſi ſuſpectos, deferendos eſſe Inquiſitoribus, ſed qui eos combureret, non incurrere pœnam excommunicationis.

Verum hanc ſententiam alibi exploſimos: Nam adverſatur Conſtitutionibus Julii III. Pauli IV. Pii IV. Gregorii XV. *Apoſtolatus officium*, & Urbani VIII. ejuſdem initii. In Conſtitutione enim Iulii *Cum meditatio* libri dicuntur Inquiſitoribus deferendi, & contrafacientes pœnis ac cenſuris contra hæreticos latis ſubduntur, & publicari queunt tanquam hæretici, ad læſæ majeſtaris rei juxta Conſtitutiones 35. & 37. Leonis X. in legentes ſcripta Lutheri, & aliorum hæreticorum. Et Conſtitutione Pauli IV *Cum in futurorum*, excommunicatione Pontifici reſervata, vel Inquiſitori generali, excommunicantur abſolventes eos, qui libros prohibitos habent, niſi prius cùm effectu Inquiſitoribus tradiderint, atque in noviſſima Urbani VIII. Conſtitut. *Apoſtolatus officium* habetur, *ii, qui libros hujuſmodi habuerint, eos ad Epiſcopum, ſeu Inquiſitorem, qui illos quantocius comburere debent, deferre teneantur.* Ideo à ſeipſo comburere nullo modo eſſe licitum aſſero cum ſupracitatis, & Graffio *numer. quadrageſimo octavo* Campegio *ad Zanch. capit. ſeptimo* Ricciullo *de jur. perſon. lib. quinto cap.* 24. *numer.* 3. Scortia *theor* 196. & Souſa *diſp.* 15. *concl.* 3. Hæc repetita juvant.

Qua in re in primis dicendum exiſtimo, excuſari eum, non ſolum qui bona fide à ſeipſo combureret, quam in utroque foro excuſat Ricciullus *loc. cit.* & de quo vix dubium eſſe poteſt, eùm peccatum ſine voluntate non contrahatur, *can.* 1. 20. *quæſt.* 5. & *can. ſicut eum.* 32. *quæſt. quinta*, Sed et am qui metu pœnæ, aſt quia ipſe librum compoſuerit, aut quia ſine facultate legerit, vel retinuerit, à ſe ipſo combureret. Nam alias & finis legis habetur, quod ſcilicet liber ſupprimitur, & ad ſimplicem actum obedientiæ non videtur cum tanto ſuo diſcrimine iſte obligandus. Neque hæ Conſtitutiones Pontificum obſunt, cum loquantur de illis, qui ex licentiis, quas revocant, libros habebant, aut legebant, ut eſt animadvertere.

Exinde aſſerendum, nullam cenſuram reverà contrahi ex eo, quamvis quacunque de cauſa à ſeipſo incendat. Et quidem quoad cenſuram Bullæ Cœnæ expreſſe tenent Suarez & alii ſuperius adducti, eo, quia cùm ſatis ſit juxta tenorem illius non retinere, nec aliud requiratur, abjiciens à ſe combuſtione, non retinet. Sed nec obſtant Julii, aut Pauli Conſtitutiones. Nam pœnæ in contrafacientes in Conſtitutione Julii non ſunt referendæ, niſi ad illos, qui, poſt revocationem licentiæ, retinuerint, ſeu in eos, qui recuſant deferre Inquiſitoribus ita tamen ut ſibi retineant. Hi enim cenſentur contravenire intentioni legis, quæ eſt, ne prætextu licentiarum libri legantur, & eorum exterminationi obvietur. Quod verò ad Conſtitutionem Pauli IV. abſolutio vetatur impendi ei, qui habens librum ad Inquiſirores non defert. Porrò ſi non habeat quacunque ex cauſa, non poteſt deferri, & per conſequens diſpoſitio Conſtitutionis tunc locum non haber. Quomodo autem hic ſit ſuſpectus de hæreſi, alibi diximus.

Non autem effugit excommunicationem habens libros prohibitos, ſi illos tradar alicui, facultatem habenti eos retinendi, donec licentiam legendi obtineat. Nam, ſicut ſupra dictum eſt, retinens, ſive retineat apud ſe, ſive apud alios libros vetitos, ſemper eſt illorum librorum verus retentor. Quod communiter tradunt Doctores nominatim Ugolin. *d. v. retinentes numer. tertio* Duard. *d. can.* 1. *quæſt.* 51. *numer. octavo & ſeq.* Graff. *p.* 1. *dec. lib. quarto cap.* 18. *numer.* 48. Sayr. *d. lib. tertio cap.* 5. *numer.* 16. Fagund. *in* 1. *præc. decal. lib. primo capit.* 14. *numer.* 31. Sanch. *d. lib. ſecundo in decal. capit. decimo numer. quinquageſimo ſecundo* Souſ. *in Bul. Cœn. diſp. decimo quarto numer. ſecundo* Bonac. *diſp.* 1. *de cenſur. in partic. qu.* 2. *pun.* 4. *num.* 15.

Ex quibus, ut ex ſuperius dictis non cenſeo probabile, quod nonnulli probabile putant, retinentem apud alios hujuſmodi libros non incurrere excommunicationem. Nam aliud, inquiunt, eſt, retinere realiter, & aliud civiliter poſſidere. Retinere enim importat factum; poſſidere civiliter refertur ad jus, non ad factum, *l. poſſeſſio paragrapho primo ff. de acq. poſſeſ. & l. ſtipulatio paragrapho hac. quoque ff. de verb. oblig.* Bulla autem cùm loquatur de retinentibus, videtur loqui de retinentibus corporaliter, & de facto. Ita Naldus *in ſum. v. liber. numer. quinto* ac Delbene. *d. dub. quadrageſima petit. quinta numer. ſexto* Etenim præter dicta, Bulla loquitur genera-

generarim, atque adeo comprehendi retentionem, & poſſeſſionem. Et ſæpe retinere accipitur pro poſſidere, ut *in l. juſto paragraph. ult. ff. de uſur. & uſuc.* & poſſidere pro detinere *l. 2. paragrapho primo. ff. pro harede.*

Habens autem librum prohibitum, non poteſt tuta conſcientia aliquas paginas ab eo auferre, antequam ad Inquiſitorem illum deferat, ne ipſe liber ille uſui eſſe poſſit. Quia finis, ob quem præcipitur talis librorum delatio eſt, ut Inquiſitor examinet quæcunque in eis ſcripta reperiuntur contra fidem, & bonos mores. Hoc autem fieri non poſſet, ſi aliquæ paginæ ab eis auferantur. Et quia quod eſt diſpoſitum de toto, diſpoſitum cenſetur de partibus, atque adeo, dum totus liber eſt Inquiſitori deferendus, nulla ejus pars auferri poteſt.

Excommunicantur ulterius dicto *cap. 1. Bulla Cœnæ* impreſſores. Horum enim ope impia hæreticorum dogmata diſſeminantur, aut certe vivunt. Quapropter in hos, tanquam in fautores, procedi poſſe, ac pœna Judicis arbitraria mulctari, docent Pegna *in direct. ad cap. noverit de ſent. excom.* & Menoch. *de arb. lib. 2. cent. 6. cas.* 549. *ſub initio.* Caveturque de his in Concilio Lateranenſi *ſeſ.* 10. *ſub*. Leone X. in edicto S. Congregationis S. Officii anno 1543. in reſcripto Pii IV. *Cum pro munere* de quibus idem Pegna *in fine direct.* & in S. Concilio Trid. *ſeſſ. 4. decr. de edit. & uſu libr.* ubi excommunicationi ſubduntur, qui libros de rebus ſacris ſine nomine autoris imprimunt, per Epiſcopum, aut Inquiſitorem non examinatos, Azor. *inſtit. moral. d. lib.* 8. *cap.* 17. *qu.* 1. qui plura ad rem præſentem, & Alter. *tom. 1. de cens. lib. 5. diſp. 2. cap. 8. in principio*, qui ampliat, licet Concilium de ſolis libris, ſacra tractantibus loquatur, ad cœteros etiam, *qui ſacra non tractant*, extendendum eſſe. Egiſſe verò de illis nominatim, quoniam majus erat ibi periculum. Quoniam autem in aliis idem incommodum inveniri poteſt, propterea idem ſtatuendum, arg. *l. illud ff. ad leg. Aquil.* Quæ tamen ſententia ab aliis fortè non recipietur, cùm leges pœnales ultra verborum rigorem rarò ſoleant protendi.

Recolenda autem ſunt, quæ de lectione diximus. Quæ enim de autore, ſcientia, forma libri, ac ejus partibus ibidem ſtatuimus, hic accomodanda ſunt. Eadem enim eſt diſpoſitio, ideoque pauca ſubjungimus.

Imprimentes dicuntur omnes ii, qui proxime ad effectum impreſſionis concurrunt, Graſſ. *lib. 4. dec. in explic. Bul. Cœn. nu.* 50. Ugolin. *de cens. Pontif. reſe. par. 2. capit. 1. verſ. Imprimentes numero* 1. & 2. Sayr. *lib. 3. de cenſ. cap. 5. numer.* 17. Suar. *de fid. diſp.* 20. *ſect. 2. num.* 24. Gambarupt. *de caſ. reſer. ad cap. 1. Bul. Cœn. numer.* 38. Alter. *d. diſp. 2. cap.* 28. *col.* 3. Souſa *in relect. Bul. Cœn. diſp.* 17. Sanch. *d. lib. 2. in decal. cap.* 10. *num.* 57. & Sanctarel. *de haret. cap. 13. dub. un. n.* 18.

Ac in primis qui phyſice imprimunt, ut ii, qui litteras ſimul, componunt, tingunt, ſubjiciunt prælo, præmunt, typos ordinant ac ſimiles, de quibus prædicti autores, inter quos Sayrus, Sanchez, Souſa, & Bonacina *tom. 3. diſp. 1. quæſt. 2. pun. 4. numer.* 19. addunt eos, qui chartam madefaciunt, aut madefactam ſubjiciunt prælo. Nam hi omnes ad impreſſionem concurrunt, & vere dicuntur imprimentes.

Deinde iis, qui moraliter imprimere, ſeu impreſſioni cooperari dicuntur, ut ſunt domini Officinæ, curantes impreſſionem, tradentes libros, ut imprimantur, dictantes in compoſitione, typorum, conducentes famulos, & operas ad imprimendum neceſſarias, ut per Ugolinum, Graſſium, Suarez, Gambaruptam, Alterium, & Sanchez *loc. cit.* Filiuc. *tom. 1. tr. 16. capit. 2. numero* 46. & aperte colligitur ex Concilio Tridentino ſupra citato, ubi ſub impreſſorum nomine comprehenduntur tam ii, qui per ſe, quam qui per alios excudunt. Suadetque ratio, petita tum ex intentione Bullæ Cœnæ, tum ex eo quod ſi miniſtri impreſſionis inſtrumentaliter veluti e ſe habentes, innodantur, quanto magis ii, quibus tanquam cauſæ principaliori, adſcribitur impreſſio, quique negotium impreſſionis aſſumunt, & expediunt?

Quamobrem non erat cur Ugolinus de autoribus librorum remaneret anceps, Quandoquidem ſi ipſi curent, & inſiſtant impreſſioni, abſolute comprehendi, dicendum eſt. Si verò non curent, nec mandent impreſſionem, ſunt excuſandi, etiamſi alius nomine illorum, ſeu putans eis obſequium exhibere, imprimendos curaret. Quia tunc nullo modo, aut nonniſi impropriiſſime, cauſa impreſſionis dicuntur.

Dubitatur vero de illo, qui impreſſionis expenſas facit. Et à cenſura eum eximunt Suarez, Sanctarellus, Sanchez, & Alterius ſuis locis, licet hic non loquatur proprie de faciente expenſas, ſed tantum de eo, qui mutuat pecunias ad hunc effectum. Quia hic nullo modo videtur poſſe impreſſor nuncupari. Probant, quia hic non dicitur imprimere. Bulla autem ſolum loquitur de imprimentibus, non de cooperantibus ad imprimendum, & pœnæ ſunt intra vocabuli ſignificationem continendæ. Aptius tamen condemnatur ab aliis, Graſſio ſcilicet, Ugolino, Sayro, Filiucio, Gambarupta, & Souſa. Quia non minus impreſſioni cooperatur ac quilibet ex enumeratis, eædemque rationes locum habent. Et licet uſitato loquendi more hic non appelletur impreſſor, ſatis eſt tamen ſi proxime effectus impreſſionis eis adſcribatur, ut ſub verbis Bullæ dicatur contineri.

Correctores etiam librorum incurrunt hanc excommunicationem, non quia corrigunt; nam ut tales non ſunt impreſſores, ſed ejus rei, quæ jam impreſſa eſt inſpectores; ſed quia, dum corrigunt, notabilem libri partem legunt, & toties excommunicationem incurrunt, quoties partem dicti libri legunt.

Subjungit verò Ugolinus *numer.* 3. invenientem corrigendo hæreſim, & tacentem, correctionemque proſequentem, incidere tanquam fautorem. Quod abſolute acceptum nonnemo inficiatur. Nam quoad accuſationem ex omiſſione illius, privata perſona non contrahit. Quare ſi corrector ex Officio, aut juramento non ad hoc adſtringitur, tacendo non favet. Proſequendo autem correctionem incurrit, ſi in gratiam hæreſis, ut typis mandetur, ac diſſeminetur, id faciat. Quanquam non cenſeam aliqualiter improbabile in hoc caſu eodem modo eſſe philoſophandum, ac in cauſa hæreſis ita, ut ſicut incurrit, qui præſtat favorem in cauſa hæreſis, etiamſi non reduplicatione ob hæreſim, ita etiam hic, qui directe ad impreſſionem corrigit, incidat, etiamſi hæreſim non amet. Quia, qui ita corrigit, vult, ut liber hæreſeos imprimatur. Impreſſio autem eſt maximus ipſius hæreſis favor, licet non perſonæ hæreticæ materialiter ſumptæ. Unde iſte favet hæreſi directe. Ex altera parte cooperatur rei illicitæ, nimirum impreſſioni, quæ eſt impreſſe vetita. In quo diſcriminatur favor extra cauſam hæreſis, qui directe non eſt prohibitus. Hi tandem proſequendo, tanquam legentes, ſine dubio incidunt.

Diximus proxime cooperantes impreſſioni excommunicari, quia remote tantum concurrentes non

poſſunt

poſſunt imprimentes appellari, ac proinde nec contrahunt cenſuram. Hujuſmodi ſunt qui vendunt impreſſoribus.

Ejuſdem generis communiter cenſentur, qui notulas illas plumbeas, ſive characteres effingunt, quos eximit à cenſura Alterius. Sed de his potius diſtinguendum videtur inter eos, qui alias faciunt, & vendunt, & qui tunc ad impreſſionem libri in Bulla prohibiti, exciderent. Hi enim phyſice, & quidem cæteris principalius, impreſſionis ſunt cauſa, cum in characteribus impreſſionis ars, & ſumma ex plurimo conſiſtat.

Qua in re, ut in ſimilibus, neceſſaria eſt, ac ſufficit ſcientia, quod ſcilicet non lateat ad illum effectum litteras efformari; neque neceſſe eſt, quod reduplicative fiant, ut liber prodeat, & diſſeminetur, & multo minus ob amorem hæreſis. Quia id eſſet innodari ex favore, non autem ex impreſſione, quæ tamen diſtincte punitur. Unde, ut quis, qui tanquam ſolus imprimens innodetur, ſufficit, ſi ſciens cooperetur impreſſioni, ſecus enim alterutrum ignorarum; vel quod liber ſit hæretici, vel quod hæreſim contineat, aut de religione tractet, excuſat. Siquidem particula *ſcienter* in *d. can.* 1. *Bulla Cœna* ante verbum *legentes* appoſita, ad omnes ſubſequentes extenditur.

Quæ tamen ignorantia diverſimode præſumitur in bibliopola, ac in miniſtris. In illum enim vix cadere poteſt, cum ex defectu ſubſcriptionum Epiſcopi, ut Inquiſitoria, cum ex autore, aliiſque circumſtantiis, facile poſſit de qualitatibus libri, ut tenetur, cognoſcere. Miniſtri autem, ut plurimum, ignoranter ac bona fide imprimunt. Si tamen etiam in bibliopola adſit, utcunque ignorantia, etiam craſſa, excuſandus eſt juxta ſuperius notata, contra Alterium *col. ſecund.* qui etiam videtur decipi, dum ait, quod ſi impreſſor abſque Ordinarii, & Inquiſitoris licentia librum hæreticum imprimat, quem tamen ignoret eſſe talem ſi ſciat licentiam prædictam exigi, in excommunicationem incidere, utpote craſſa, & culpabili laborantem ignorantia. Videtur, inquam deceptus; quia, dummodo non ſit affectata ad finem liberius errandi omnis alia excuſat in iis, in quibus lex requirit ſcientiam impreſſoribus papyrum, atramentum, & reliqua inſtrumenta ad impreſſionem neceſſaria. Hi enim hac excommunicatione non innodantur. Quia nec imprimere dicuntur, neque ad impreſſionem libri, tanquam ſocii, proxime concurrunt. Ait tamen Duardus *numer. nono* quod ſi tales ſcirent ad hunc effectum iſta emi, peccarent mortaliter. Poſſunt tamen illa innodari, ſi miniſteria illa exhibeant, ut hæreſi faveant. Tunc enim in illam incidunt, non tanquam impreſſores, ſed tanquam hæreſum fautores. Quod attendendum eſt ex animo favendi.

Unicè in hac re opinatus eſt Duardus *com. in Bul. Cœn. d. lib. ſecundo capit. primo quæſt. quinquageſimâ quartâ* qui nullum ex his, qui moraliter impreſſioni cooperantur, innodat, & ex phyſice agentibus eos tantum, qui litteras ſimul componunt, ac prælo committunt. Id pluribus proſequitur, quorum ſumma hæc eſt, quod hi in rigore duntaxat imprimentes ſunt, non cæteri. Siquidem curantes, aut mandantes impreſſionem, mandantes ſunt, qui in pœnalibus non ſunt includendi, cùm non ſint expreſſi, ut eſt fere communis doctrina.

At, ſi imprimentes ita expreſsè accipiantur, plures erunt excuſandi, qui uſitato modo loquendi, in interpretatione legum maxime attendendo, impreſſores dicuntur, non ſolum ex iis, qui moraliter, ſed etiam ex iis, qui phyſice concurrunt. Communi enim uſu nullus magis dicitur impreſſor, quam bibliopola, & dominus officinæ typographicæ, & in numero imprimentium nos etiam eos, qui litteras tingunt, intelligimus, ſicuti & reliquos operarios in impreſſione laborantes. Quod ſi rigoroſe accipit Duardus hoc nomen, cùm imprimere ſit à premere, eos tantum, qui torculare vertunt, innodatos cenſere debebat, non autem compoſitores characterum, quia nihil premunt. Unde Pontificum Conſtitutiones in impreſſores latas, non eſt dubium, comprehendere dominos typographiæ, cùm ab iis maxime ſit in hoc negocio cavendum, qui impreſſionis ſunt cauſa. Alias eæ, ſicuti & Bulla non comprehendendo curantes, & mandantes, paterent fraudibus, & nihil proſpicerent. Si enim juxta Bullam, nec curantes impreſſionem, nec domini Officinæ, eam mandantes, punirentur, cùm ex altera parte mercenarios plerunque excuſet ignorantia, & bona fides; immo & metu incuſſo, aut vi cogi poſſint ad impreſſionem ſine cenſura, manifeſtè conſtat, excommunicationem Bullæ Cœnæ ad exterminium hæreſis quoad hanc rem parum conferre. Quarè imprimentes non in nudo rigore accipiendi ſunt; ſed ut comprehendant etiam eos, quibus moraliter impreſſio adſcribitur, quique licet ſint in rigore mandantes, ex intentione tamen legis poſſunt conjici comprehenſi, etiamſi ſub nomina mandantium non expreſſi.

Cum eodem tamen Duardo *numer. vigeſimo* ac Bonacina *numer. decimo nono* excuſo eos, qui tranſcribunt melioribus characteribus ad effectum imprimendi. Eſt contra Filiucium *numer. quadrageſimo ſexto* & Souſam *loc. cit. concl. ſecunda* Quia vel non eis convenit imprimentium nota, vel nimis improprie, ac remote. Unde id arbitror verum, etiamſi intentione, ut poſſit impreſſio ſequi, fiat tranſcriptio. Probabile tamen eſt, excommunicationem contrahi, tanquam à fautore. Hac in re itaque animadvertendum, plures, qui tanquam impreſſores non comprehenduntur, contingere poſſe incidere, tanquam fautores.

Tranſcribentes verò generaliter hujuſmodi libros, ex quorum tranſcriptione ſequatur librorum propagatio, ac diſſeminatio, ab aliquibus ſubijciuntur huic cenſuræ, ut ab Alterio *capit. octavo col. prima* & Scortia *col. decimâ tertiâ* tanquam imprimentes. Quia tranſcriptio impreſſioni æquivalet, loco cujus ſuffecta eſt. Ob id enim olim à Juſtiniano damnati ſcriptores hujuſmodi Novel. *quadrageſimo ſecundo* de depoſitione Anthimi, & *ex capit. noverit. de ſent. excom.* ubi Scriptores ſtatutorum Eccleſiaſticæ libertati adverſantium excommunicantur. Innodantur nunc ex omnium ſententia impreſſores. A Souſa verò tanquam fautores condemnantur.

Ego tamen nego, tanquam impreſſores comprehendi. Quia lex hæc eſt pœnalis, è rigore verborum non abducenda. Et quamvis idem ſit tranſcriptionis effectus, nunc tamen ordinarie, ſcriptione omiſſa, impreſſione propagantur libri. Sufficit autem, ſi lex puniat ea, quæ ordinariè fiunt, arg. *l. nam ad ea, ff. de legib.* Neque Alterio ſuffragatur *capit. noverit.* Tum quia Scriptoris nomen etiam impreſſori convenit. Hic ſiquidem typis ſcribi, non è converſo, qui ſcribit, dici poteſt imprimere, ut etiam notavit Souſa *numer. tertio.* Tum quia dictat ratio, attendendam eſſe diſpoſitionem

d. capit. ad impreſſionem. Siquidem impreſſio uſitatior, ac facilior ſcriptione facta eſt; at non è contra legem impreſſionis ad ſcriptionem dictat eſſe extendendam. Quia ſcriptio jam parum aſt in uſu, *eod. arg. l. aam ad ea, ff. de legib.*

Tanquam fautores verò probabiliter innodari cenſeo, etiamſi non ſcribant reduplicatione quo diffundatur hæreſis. Tunc enim nullum eſt dubium. Quia favor aſt in negotio hæreſis, aquivalens ei, qui eſt in cauſa, directeque ex ſcriptura ſequitur, quod obvietur hæreſum exterminationi.

Illud eſt ſine controverſia, omnes quomodocunque ſcriptores huic ſubdi excommunicationi ratione retentionis, ac lectionis. Et in foro externo ſaltem tanquam fautores præſumptos, ac de hæreſi ſuſpectos, cenſeri excommunicatos, & puniri ad arbitrium Judicis, ut per Menoch. *d. caſ.* 549. Azot. *d. capit. decimo ſeptimo quaſt. quinta* Pegnam *ad d. capit. noverit. de ſent. excom.* & Farinac *de hareſ. d. quaſt. centeſima octogeſima paragrapho primo num. decimo octavo.*

Eademque eſt ratio de aſportantibus libros hujuſmodi, in quos etiam eſt ſpecialis lata excommunicatio da qua Pegna, Farinacius, & Azot. *loc. cit.*

His addo hæc effata. Librorum impreſſorum, ac imprimendorum autographa debent remanere apud Inquiſitores juxta regulas Iudicis, & non apud Epiſcopum, eaque tuto in Archivo cuſtodire curent.

Librorum recognitio non pertinet ad Dominos temporales. Quare poſſunt ii ſub cenſuris eccleſiaſticis inhiberi, ne audeant ſe ingerere in rebus ſpectantibus ad S. Officium.

Librorum & aliarum ſcripturarum imprimendarum licentia in Urbe primo ſubſcribuntur à Vicegerente Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, deinde à magiſtro S. Palatii Apoſtolici.

Epiſcopus poteſt impreſſoribus præcipere, ne aliquid imprimant nave manuſcripta divulgent abſque ſua licentia.

Libri imprimendi ſemper recognoſci debent, niſi fuerint notiſſimi. Et circa eorum licentias & approbationes Inquiſitores tenentur obſervare regulas Indicis, videlicet, ut apponatur tenor approbationis, nomen atqua cognomen illius, qui librum racognovit & aprobavit, ac ejus, qui licentiam imprimandi concedit. Nec ſufficiunt verba conſueta, nempe, de licentia Superiorum. Quæ licentia debet in libris imprimendis apponi.

Librorum imprimendorum licentias primùm ſubſcribit Epiſcopus, deinde Inquiſitor. Deficiente verò Epiſcopo, Inquiſitor primùm, deinde Vicarius Epiſcopi.

Prohibitum eſt de hominibus mortuis cum fama Sanctitatis libros imprimi, continentes geſta, miracula, vel revelationes ſine recognitione, atque approbationa Ordinarii ſuper iis recognoſcendis ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit Sanctiſſimus ſub die 13. Martii 1625.

Libri non debent importari, ac exportari abſque licentia Inquiſitoris, quam in rem Ordinarii non debent ſe ingerere. Vel ſaltem Epiſcopus, & Inquiſitor in ſuis edictis apponere debent clauſulam alternativam, ſcilicet de licentia Epiſcopi, & Inquiſitoris, vel contra.

Bibliothecæ viſitentur ab Epiſcopis, libri tamen prohibiti, in eis reperti, aſſerventur apud Inquiſitores.

Inquiſitor poteſt bibliopolis præcipere, ut ſibi tradant indicem librorum venalium, ut eum ſubſcribat, utqua in ejus manibus juramento promittant fideliter ſuum munus exercere.

Libri prohibiti abſolutè, non autem ſuſpenſi, donec corrigantur, debent ad S. Officium deferri. Et prohibiti, qui ſecundum regulas Indicis corrigi non poſſunt, publicè debent comburi, ut eorum domini, qui illos tradiderunt, id ſciant.

Libri ſuſpenſis donec corrigantur, poſſunt per Inquiſitores cum ſolitis clauſulis permitti. Sicut etiam permitti poſſunt libri humanitatia, in quibus ſunt apoſtillæ hæreticorum, deletis tamen eorum nominibus.

Libri non poſſunt inferri in civitatem cum ſola licentia Ordinarii, ſed requiritur etiam licentia Inquiſitoris.

Libros prohibitos colligunt Epiſcopi, & eorum Vicarii, ſed collectos, & colligendos tenentur tradere Inquiſitoribus, ut illos corrigi, vel comburi faciant.

Libros prohibitos Vicario Epiſcopi tradens, ſatisfacit edicto S. Officii de dictis libris tradendis. Non tamen poteſt Epiſcopus, vel ejus Vicarius illos habere, vel legere.

Librorom prohibitiones notæ fieri debent omnibus Inquiſitoribus, ut exequutiones ſint conſentaneæ.

Ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. decreto 3. ejuſdem Pontificia, quod habetur etiam in Bullario Cherubini Conſtit. 12. Leonis X. quæ incipit, *Inter ſollicitudines*, tantum eſt, nequis præſumat librum, aut ſcripturam quamcunque imprimera, aut imprimi facere, niſi in Urbe Roma cum approbatione Vicarii Urbis, & Magiſtri S. Palatii. In aliis autem diæceſibus cum approbatione Epiſcopi, & Inquiſitoris loci, ubi fit impreſſio, examine aorundem, ant alterius ab ipſis deputati præcedente. Quæ approbatio præſtanda in ſcriptis propriæ manus ſubſcriptione gratis, ac ſina dilatione. Siquis autem ſine tali approbatione libros imprimere, aut imprimi facere præſumpſerit, incurrit ipſo facto pœnam excommunicationis, & amiſſionis librorum, qui etiam publice comburendi ſunt, & pœnam centum ducatorum fabricæ S. Petri applicandam, & ſuſpenſionem annalem ab axercitio typographi.

Qua in ta notandum eſt, quod hæc conſtitutio Leonis cum ſuis pœnis non fuit à principio uſu recepta, ut ait Suarez *de cenſur. diſp. vigeſima tertia ſect. ſeptima* cùm Caietano *in ſum. verſ. Excommunicatio in fine*, Navarro *capit. vigeſimo ſeptimo numer. centeſimo undecimo & centeſimo quadrageſimo octavo* ac Toleto *lib. primo capit. quadrageſimo in fine* fuit tamen ex parte innovata à S. Concilio tridentino Seſſ. 4. decreto de editione librorum, & in totum innovata quoad prædicta in regula Indicis 10. ſub Clemente VIII.

Notandum item, quod hæc excommunicatio non eſt reſervata, Suar. *ibid.* Tolet. *ſupra capit. quadrageſimo primo paragrapho primo.* Aliæ pœnæ non obligant, ante declaratoriam ſententiam. De hac etiam Conſtitutiona ac pœnis tractat Azot. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quaſt.* 2.

Urbanus verò VIII. in Conſtit 50. ſive decreto incip. *Sanctiſſimus* edito 18. Septembris 1625. decrevit, na quis degens in ſtatu Sedi Apoſtolicæ mediate, vel immediate ſubjecto, libros de quavis materia tractantes, & ubicunque à ſe compoſitos, audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, niſi cum expreſſa in ſcriptis approbatione Eminentiſſimi Cardinalis Vicarii, & Magiſtri S. Palatii, ſi in Urbe Roma. Si verò extra Urbem exiſtat, cum Ordinarii, & Inquiſitoris loci illius, ſive ab iis deputatorum facul-

facultate, ac licentia operi præfigenda, & libros, quos aliter imprimi contigerit, ipſo facto abſque alia declaratione prohibitos eſſe decrevit, non obſtantibus, &c.

In quo eſt etiam notandum, quod Pontifex loquitur de degentibus in ditione Eccleſiæ Romanæ, non autem obiter, ſeu per tranſitum, ſeu ad breve tempus ibi exiſtentibus. Quia degere ſignificat habitare, *ut paragrapho pen. inſtit. de uſ. & habit.* ibique Doctores communiter. Unde ſi ibi ſit animo permanendi ad aliquod tempus notabile, ut ſaltem ad majorem partem anni, dicitur degere *ibidem, l. milites decimo quinto C. de teſtam. milit.* & dicitur habitare, ut late Sanchez *de matrim. lib.* 3. *diſp.* 23. *num.* 12.

In dicta regula 10. Indicis qui libros manuſcriptos evulgant, niſi antea examinati, probarique fuerint, iiſdem pœnis ſubjiciuntur, quibus ſubjiciuntur imprimentes, de quibus modò dictum eſt. Undè excommunicationem incurrunt prædictum ipſo facto ex Concilio Lateranenſi, ut per Suar. *de cenſur. d. ſect. ſeptima numer. tertio* Filiuc. *tr. decimo ſexto num.* 83.

Quod intelligendum eſt de divulgatione, ſive communicatione publica, ſive editione, quæ æquivaleat impreſſioni, non autem de communicatione privata, ſeu ad privatum uſum per manus, quomodo communicantur paſſim lectiones theologiæ, aut conciones. Quia diverſa diligentia adhibenda in editione publica, atque in communicatione privata. Ita Suarez *d. numer.* 3. Filiuc. *numer.* 83. Azor. *d. capit.* 17. *quæſt.* 4. Sorbus *de privil. Mendic. verſ. imprimere*, & Roderic. *quæſt. regal.* 104. *ar.* 1. *tom.* 2. Neque hæc excommunicatio eſt reſervata, ut patet ex textu.

Libros de rebus ſacris ſine nomine autoris, aut ſine examine, & approbatione imprimentes, retinentes, ſcripto communicantes, aut divulgantes incurrunt in excommunicationem, ac pœnam pecuniariam latæ ſententiæ noviſſimo decreto S. Concilii Tridentini *loc. cit.* ubi additur, ut Regularium libri, ultra examen, & approbationem Ordinarii, habere debeant licentiam, & recognitionem eorundem Regularium ſuperiorum. Hæc tamen excommunicatio non eſt reſervata, ut per Tolet. *lib. primo capit. quadrageſimo primo* Suar. *d. ſect. ſeptima numer. primo.* Nec dicitur liber ſine nomine autoris, ſi edatur ſub nomine Univerſitatis, aut Collegii, Conimbricenſis, vel ſub nomine Præfecti, ſeu Rectoris talis Academiæ, Azor. *tom. d. cap.* 17. *quæſtion. tertia.*

Libri prohibiti non poſſunt legi ſine incurſu cenſurarum. Quare ſcribendum Nunciis Apoſtolicis, atque Epiſcopis, ut etiam per Confeſſarios. & Concionatores curent populos id docere.

Inquiſitores naves accedentes ad portus viſitare debent, ut videant, an importent libros prohibitos, & hæreticorum, invocato etiam brachio ſeculari. Veneti tamen deputant ipſimet perſonam ſecularem, ut dictas naves viſitet.

Librorum prohibitorum Index publicari poteſt, tam ab Inquiſitore, quàm ab Ordinario. Uterque enim poteſt illos recipere, & recognoſci facere, ſi corrigi poſſint, ac illos ſic correctos permittere. Alios verò hæreticorum, & qui omnino expurgari non poſſunt, uterque etiam poteſt recipere, ſed Epiſcopus, ejuſque officiales debent illos Inquiſitori tradere, ut cum eorum ſcientia ab Inquiſitoribus combutantur.

Libri controverſiarum inter hæreticos, & catholicos ſunt ſecundum Indicem prohibiti, nec poſſunt imprimi. In Germania tamen toleratur eorum impreſſio, ac venditio, fuitque in ea publicatus Index librorum prohibitorum.

Contra importantes libros hæreticos in Italiam, illoſque diſſeminantes edenda Conſtitutio cum pœnis carceris, triremium, ac etiam traditionis Curiæ ſeculari, arbitrio Eminentiſſimi Senatus S. Tribunalis.

Magiſter S. Palatii debet libros prohibitos, qui ad ſuas manus occaſione perquiſitionis perveniunt, tradere S. Officio, ut publice comburantur.

Recognitio librorum profanorum pertinet ad Ordinarium.

Inquiſitores omnes ſingulari vigilantia ac diligentia dent operam, ne libri prohibiti in ſuas diœceſes advehantur, iiſque repertis, unum illorum exemplar ad S. Congregationem S. Officii mittant.

Ubi conſtat de conſuetudine non imprimendi Scripturas ſine Inquiſitoris ſubſcriptione, Epiſcopus debet illam obſervare.

Jeſuitæ poſſunt in Hiſpania, & Luſitania imprimere libros abſque eo, quod mittantur recognoſcendi ad Urbem, dummodo non ſint ſuper materia efficaciæ gratiæ, & aliis materiis controverſis de juriſdictione eccleſiaſtica, & dummodo non adverſentur doctrinæ D. Thomæ, vel etiam ſit dubium, an ſint ſecundum doctrinam D. Thomæ ex decreto S. Officii 29. Aprilis 1604.

In Indice librorum prohibitorum, & expurgatorum jam pridem ab Hiſpanis edito, nonnulla conſideratione digna eſſe viſum eſt.

Primò, quod Romanum Indicem minime ſint amplexi, prout factum eſt tunc à Lovanienſibus, tum à Luſitanis, adjecta ipſi Indici appendice, in quam autores retulerunt in Indice Romano minime contentos.

Secundo, quod in lucem prodierit, antequam à Summo Pontifice viſus, aut approbatus fuerit Quod in re tam gravi omnino decens eſſe videbatur. Maxime cùm prædictus Index non ab una tantum Provincia, ſed à multis Regnis ſit recipiendus.

Tertio contra ſecundam regulam Romani Indicis videtur permitti Bezæ opuſculum, qui ab ipſis inter novos Hæreſiarchas fuit connumeratus, quorum cujuſcunque facultatis opera omnino prohibentur, ut in dicta regula.

Quartò, licet per Breve Pauli V. detur facultas Generali Inquiſitori Hiſpaniarum damnandi quoſcunque libros hæreticorum, ad nullum tamen, niſi ad Romanum Pontificem ſpectare poſſe videtur declaratio, quis ſit Hæreſiarcha. Ut enim ſiquis ſemel ex ſcriptis, vel factis hæreticus declaratus fuerit, ſemper & ubique, & apud omnes hæreticus cenſendus eſt, ſic etiam ſemel declaratus Hæreſiarcha, ne ſchiſma inter fideles, oriatur, ubique ſemper & apud omnes uti talis habendus eſt. Quod aſſequi, niſi Summi Pontificis autoritate fiat, difficile erit. Hinc fortaſſe factum eſt, quod cum in Hiſpania olim Cardinalis Quiroga ſeptuaginta ſeptem Hæreſiarchas enumeraverit in Indice tunc temporis edito, nunc decem & octo tantummodo in novo excipiantur. Aliud quoque incommodum hinc accidit, ut idem modò Hæreſiarcha videatur, modo non, & ejuſdem opera quandoque permittantur, quandoque permitti nequeant apud eoſdem Hiſpanos. Præterquamquod aliæ nationes Romanum Indicem ſectantes pro hæreticis, & non pro Hæreſiarchis nunc habent quamplures autores ex deſcriptis in Indice in Hiſpania edito.

Negari tamen non poteſt, quin in prædicto Indice conficiendo multa ſit diligentia, multuſque labor adhibitus, maxime in expurgatione librorum.

Regulæ ſecundæ Romani Indicis de Hæteſiarchia addit Hiſpanus, non prohiberi ob id libtos Catholicorum, quibus inſeruntur tractatus Hæreſiarcharum, contra quos ſcribunt, ut Joannis Roffenſis &c.

Huic regulæ ſecundæ inſerit prohibitionem Thalmud, nulla facta mentione Conſtitutionis Clementis VIII. pridie Kal. Martii 1592.

Cum in regula tertia Indicis Romani permittantur Iſidori Clari Biblia, dummodo prologus, & prolegomena præcidantur. Hiſpanus Index præter hæc duo, expungi debere ait & alia, quæ ſunt viginti quinque loci.

In regula quarta Romani Indicis prohibitio, quæ tantum Bibliorum vulgaris idiomatis, ab Hiſpano extenditur ad ſummaria, & compendia etiam hiſtorialia Sacræ Scripturæ ejuſdem idiomatis.

Octavæ regulæ additur ab Hiſpano, quod prohibentur libri orationum continentium ſummaria, rubricas ſuperſtitioſas, ac promiſſiones vanas.

In nona regula, quæ eſt contra Aſtrologos, additur ab Hiſpano, etiamſi affirment hæc eerto non eventura. Et ſubditur, indicia nativitatum permitti, quæ ſine affirmatione conjecturis inveſtigare docent inclinationes, & qualitates corporales uniuſcujuſque, dummodo non deſcendant ad futuros eventus, à libero arbitrio dependentes.

Index Hiſpanus non ponit noſtram regulam decimá, quamvis alias recenſet. Nam cùm noſter Index decem regulis ſit contentus, Hiſpanus tredecim adhibet.

Hæc de Indice Hiſpano curſim.

Biblia omnia vulgari idiomate, ſive Germanico, ſive Gallico, Hiſpanico, Italico, Belgico, &c. conſcripta, nullatenus imprimi, legi, aut teneri poſſunt abſque licentia S. Officii Romanæ Inquiſitionis. Nec poſſunt Epiſcopi, & Inquiſitores concedere, niſi Epiſtolas, & Evangelia vulgaria ſine ullo errore conſcripta, & cum ſcholiis alicujus docti, & catholici viri iis, quos putaverint ex eorum lectione in pietate proficere poſſe, non verò ullas alias Sacræ Scripturæ partes in vulgarem linguam traductas, ut decretum 5. Septembris 1571. & 7. Auguſti 1606.

Permittitur in Dalmatia Biblia Illyrica, quæ hactenus fuie in uſu, & fertur eſſe D. Hieronymi, non tamen alia nova translatio admittenda, ut 19. Julii 1597. Permittitur, cùm ſit antiquiſſima, & apud Dalmatas ſemper fuerit in uſu, ac poſt S. Concilium Tridentinum per B. Pium V. & ejus ſucceſſores tolerata. Non tamen eſt aliquo modo adulteranda, vel nova alia translatio introducenda.

In regionibus, in quibus impune hæretici verſantur cum catholicis permittenda S. Biblia in eorum vulgari lingua, procurando, quod fidelem, & catholicam habeat verſionem. Quod jam apud Belgas per Lovanienſes factum fuit, & pro Anglis Cardinalis Alanus præſtitit, & Polonis à Gregorio XIII. conceſſum fuit, ejuſque exemplar ad Vaticanam Bibliothecam unà cum ſcholiis neceſſariis transmittendum, ut ex approbatione, & juſſu Sanctiſſimi ad Univerſitates, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios pro hujuſmodi exequutione ſcribi poſſit, & prodire queat juxta regulam quartam Indicis, à Catholicis legenda.

A tempore, quo primum prodiit Index librorum probibitorum, deſiderata eſt correctio librorum, qui non ſunt prohibiti abſolutè, ſed donec corrigantur. Pauci enim ſunt, qui aliquos ejuſmodi libtos non habeant, & proinde qui in excommunicationem non incidant, aut ſaltem in peccatum mortale juxta Conſtitutionem Pii IV. neque ab excommunicatione, aut peccato liberari poſſint, niſi libros expurgandos tradant S. Officio, aut Magiſtro S. Palatii. Id autem facere detrectant, quia longa experientia didicerunt, libros ſic traditos, aut non expurgari, aut non reſtitui.

Ad hoc magnum & univerſale periculum animarum tollendum non ſufficiunt regolæ Indicis Pii IV. Quia ſolum docent, libros expurgatos ab aliqua Univerſitate, vel ab univerſali Inquiſitione poſſe teneri, & aliquos etiam poſſe legi, ſi nihil erroris contineant.

Tempore Gregorii XIII. ac Sixti V. duo remedia excogitata fuerunt. Unum, ut diſtribuerentur libri expurgandi Univerſitatibus publicis, ac Ordinibus Regularium, qui habent Theologos & philoſophos; & Caſiſtas multos. Alterum, ut Romæ inſtituerentur multæ claſſes hominum doctorum, & uni darentur expurgandi libti theologici, alteri libri legales, alteri libri medici, &c. Sed hæc remedia vix inchoata dimiſſa ſunt.

Tempore Clementis VIII. alia fuit propoſita ratio, ut ſcilicet daretur poteſtas omnibus Epiſcopis, & Inquiſitoribus, ut per tres viros doctos corrigerent libros ſuæ diæceſeos, & ſic correctos permitterent ſuis ſubditis, ut patet ex regulis Indicis Clementis VIII, ſed neque hoc remedium profuit, ut notum eſt. Seriò igitur cogitandum eſt de remedio, quod Superiorum ſapientiſſimo judicio relinquo.

Tandem adducam declarationes Regularum Indicis librorum prohibitorum publicati juſſu Clementis VIII. quæ obſervari debent in ditione Seren. Reipublicæ Venetæ, editæ à Cardinali Priulo, Patriarcha Veneto, & ab Epiſcopo Amerino, Nuntio Apoſtolico ex mandato ipſius Clementis VIII. ut conſtat ex litteris Cardinalis S. Georgii ſub die 24. Auguſti 1596.

I libri ſoſpeſi dal nuovo Indice, e che ſi debbono correggere, ſi potranno vendere ancora prima dell' emendatione a coloro, che haveranno licenza dall' ordinario, overo dall' Inquiſitore di poterli tenere.

Se gli ſtampatori vorranno riſtampare i ſudetti libri ſoſpeſi, e faranno inſtanza per la correttione, ſi correggeranno ſpeditamente in Venetia, e nell' altre Città dello Stato ſenza mandarli a Roma, havendo ſufficiente facolta per lo nuovo Indice i Veſcovi inſieme con gl' Inquiſitori, e riſtampandoſi corretti, ſi venderanno liberamente a tutti.

Vſeranno diligenza gli Stampatori per conſervare nel miglior modo, che potranno l'originale manoſcritto de' libri, che nuovamente anderanno alle ſtampe, e poi lo doveranno conſignare al Segretario de' Clariſſimi Signori Riformatori dello Studio, accioche ſia ripoſto in una Caſſa ſicura nella Cancellaria Ducale, per ſervirſene quando ſarà biſogno, nella qual Caſſa ſi tenga un' inventario di libri, che vi ſi riporranno, e ciò s'intenda ſolamente de' libri nuovi, e ancora de' libri ſoſpeſi, che ſi correggeranno, e riſtamperanno. Nelle Città poi dello Stato gli originali predetti ſi conſegneranno al Cancelliero del Clariſſimo Capitano, accioche gli tenga nel modo ſudetto, e ſi conſegnino ſucceſſivamente con l'inventario da Cancelliero a Cancelliero.

Nello ſtampar de' libri s'imprimi a tergo del primo foglio la licenza ſolita del Magiſtrato, nella quale ſiano eſpreſſi i nomi di coloro, che haveranno reviſto, e approvato detti libri, sì come è diſpoſto per le leggi.

Avertiranno gli Stampatori, che ne' libri nuovi, che ſtamperanno, o ne' vecchi, che riſtampaſſero, non vi uſino figure, che rappreſentino atti diſoneſti, non è onde però proibite le figure profane, che non conteneſſero diſoneſta.

I librari doveranno far l' inventario di tutti libri, che ſi ritrovano per purgare in queſto principio le librarie da' libri eſpreſſamente proibiti nel nuovo Indice, e preſentarlo al P. Inquiſitore, e queſto s'intenda per una volta ſolamente.

Intorno alla libertà, che vien conceſſa à Veſcovi, e agl' Inquiſitori di poter proibire altri libri non eſpreſſi nell' Indice, ſi dichiara, che s'intenda de' libri

contra-

contrarii alla Religione foraſtieri, o con falſe, o finte licenze ſtampati, e rariſſime volte ſi darà il caſo, nè ſi farà ſenza giuſtiſſima cauſa, o con participatione del S. Officio, e con intervento de Clariſſimi Signori Aſſiſtenti tanto in Vinetia, come nello Stato.

La regola del giuramento da darſi à librari, e agli Stampatori non ſi eſeguiſca in queſto S.reniſſimo Dominio.

Tutti gli eredi doveranno dar nota al P. Inquiſitore de' libri prohibiti, o ſoſpeſi, che ritrovaſſero nell' eredità, e quegli eredi, che non foſſero habili a diſcernerli, doveranno eſſi, o i loro Curatori chiamar perſone intelligenti, che viſitino tutta la libraria per cavarne nota de proibiti, e ſoſpeſi, e preſentarla come di ſopra, nel termine di tre meſi, doppo che gli haveranno havuti in lor potere, e fra tanto non poſſano uſare, nè in qualunque modo alienare i libri proibiti, o ſoſpeſi, e ciò ſotto le pene, e cenſure ſtatuite

Per fede, e corroboratione di tutto ciò. ; ſudetti Illuſtriſſimi Signori Cardinal Patriarca, e Nuntio, inſieme col. R. P. Inquiſitore di Vinetia ſottoſcriveranno le preſenti, o le fermeranno co' loro proprii ſigilli, commettendo per l'autorità data loro da ſua Beatitudine, che inviolabilmente ſi d bbano oſſervare le predette dichiarationi tanto in Vinetia, quanto in tutte l'altre Città, e luoghi ſoggetti al detto Sereniſſimo Dominio. In quorum fidem, datum ex Palatio Patriarchali Venetiarum die 14. Septembris 1596.

Lorenzo Cardinal Priuli Patriarca di man propria.
Ant. Mur. Veſcovo d' Amelia Nuntio.
Fr. Vincentius Brixienſis Inquiſi or Venetus.

Quod demum ad defendentes aliqua diximus alibi de defendentibus doctrinam hæreticotum, hoc tamen loco eſt quid ſpeciale de defendentibus libros, id eſt doctrinam, ptout exarata ſcriptis, aut typis, ſeu prout eſt libro, qui hæreticum habet autorem. Cum autem defendere, ſit viribus, potentia, arte, ac ingenio propugnare, ideo innodatur in dicto can. 1. Bullæ Cœnæ qui libros ad exrerminum expetitos, talibus modis tuetur, ab oppoſitis vindicat, aur quod non facile exterminari, aut opprimi poſſint.

Qua in re advertendum, quod cùm diſtinctè librorum defenſores à defenſoribus hæreticorum excommunicentur, poteſt quis ex hac parte cenſuram incurrere, etiamſi hæreſi ipſi, aut hæretico favorem exhibere, non ſit mens, ſed tantum incolumitati librotum hæreticorum intendere, ut ſic. Quod etiam innuit particula, *ex quacunque cauſa*, in dicto Canone appoſita.

Defendit igitur hæreticorum libros, qui eos hæreſim continentes, vel de Religione tractantes quomodolibet tutatur, ac curat, ne ad manus Inquiſitorum deveniant, vel comburantur. Idemque eſt judicium de iis, qui affirmarent tantum, eos non debere comburi, aut exterminari, quique conſulerent, aut inducerent ad non deferendos Inquiſitoribus, aut de Combuſtione quererentur.

Alio inſuper pacto defenſio fit, nimirum diſputatione, ſcriptis, apologiis, vindiciis, immo ſola laudatione, quæ, pro te in ſe deteſtanda, in defenſionem cedit, & multo magis armis, ut per Duard. *d. com. in Bul. Cœna lib. ſecundo capit. primo quaſt. quinquageſima quinta nnmer. quarto* qui tamen *numer. quinto* non recte includit eum, qui alterum ad legendum inducit. In hoc ſiquidem nulla defenſionis ratio reperitur, niſi forte ad id ſuaderetur lectione, ad Inquiſitorem liber deferretur? Tunc enim liber, ne opprimatur, defenditur. Quod verò aliqui dicunt, excuſari videlicet eum, qui non adhuc defenderet, diceret tamen, ſe velle defendere, accipiendum eſt, quatenus iſte adhuc libri defenſor, non eſt, licet Souſa ex particula *quomodolibet* vereatur aſſentiri. Qnod tamen tuto permitti poteſt. Quia nullo modo exhibetur libri defenſio. Poteſt tamen hic, quatenus fautor hæreſis innodari.

Non tamen volunt excuſari eum, qui armis, aut argumentis accinctus, deſcenderet propugnaturus, alioſque provocans. Quia quantum eſt de ſe, hic eo actu librum tutatus eſt, & ſola hæc oſtentatio edit in libri ſalutem, licet per accidens defectu adver arii, ad pugnam non deveniatur. Quod veriſſimum eſt, etſi mihi non probetur Ugolini ſententia quod laudans apud ſe, ullo audiente, non contrahat. Nam, licet hæc occulta laudatio non conſtituat eam defenſionem, ex qua poteſt oriri, quod liber non deferatur, aut non comburatur, conſtituit tamen eam, qua liber ſecundum ſe protegitur, cujuſmodi eſt ea defenſio, quæ fit diſputatione, aur ſcriptis, quæ facit incurrere, etiamſi liber non exquiratur ad exterminationem. Unde ſicuti inter omnes convenit, ſcribentem in favorem hæreſis incurrere, etiamſi non promulgentur ſcripta, ut expreſſe aſſerunt Sanch. *in decal. d. lib. ſecundo capit. decimo nnmer. quinquageſimo octavo* & Duard. *unmer. tertio*, ita idem de laudante eſt affirmandum. Quod etiam manifeſtum videtur ex illa clauſula *publicè, vel occulte in d. can.* 1. expreſſa.

Hanc tamen defenſionem intellige ſemper ratione hæreſis. Nam aliàs autoris ingenium, labor ſtylus, ac alia ſana doctrina laudari, ac propignari poteſt. Ubi differentia annotanda inter librum habentem doctrinam hæreticam & tractantem de religione, quod poſterior ratione doctrinæ defendi poteſt, ut ex ejus defenſione non inducatur cenſura, niſi fiat quatenus liber eſt bæretici. Ex defenſione verò poſterioris contrahi poteſt, etiam ex defenſione libri, quatenus hæreſim continet. Quod conſideravit etiam Ugolinus *in d. can. primo Bulla v. aut de religione tractantes numer. tertio.* Quare non erat cur ipſe *cit. verſic* & cum eo Alterius *de cenſur. tom. primo lib. quinta diſp. ſecunda capit. octavo col. fin.* Sayrus *eod. tit. lib. tertio capit. quinto numer. decimo octavo* & Souſa *in relect. d. Bul. diſp. decimo ſeptimo numer. quarto* innodare eum, qui diceret, permittendum eſſe librum ob ſtylum, vel doctrinam aliàs ſanam, & elegantiam. Quia ſenſus talium verborum eſt, librum aliàs potuiſſe tolerari, niſi admixtas haberet hæreſes, aut eſſet hæretici, & ita nobiſcum Sanchez *numer. quinquageſimo octavo* ac Bonacina *tom. tertio diſp. ſecundo quaſt. ſecundo pun. quarto numer. vigeſimo.*

Si tamen prædicti Doctores ita velint intelligi; ut dum liber ad oppreſſionem per Inquiſitores expetitur, ſit ab ea vindicandus per hoc, quod dicatur permittendus ob ſtyli elegantiam, præſtantiamque doctrinæ, non malè ſentiunt. Etenim ſi quis laudatione hac, aut defenſione intenderet impedire damnationem libri, aut conqueri de damnatione jam ſequuta, eſſet defenſor in vero ſenſu. Quandoquidem, ut modo annotavimus, non eſt neceſſe, defenſionem fieri ob hæreſim, vel autorem hæreticum. Aliud tamen eſt celebrare ſtylum, ut ſic, aliud celebratione ſtyli defendere totum librum, ne prohibeatur, aut comburatur. Quia illud nihil habet illiciti. Hoc vero expreſſe vetatur per clauſulam *ex quavis cauſa, vel quovis colore* quæ *in dicto can. primo legitur.*

Ds

De minuta hac exageratione *quomodolibet*, *ex quavis cauſa*, *publicè*, *vel occulte*, *quovis ingenio*, *vel colore*, non una eſt Doctorum interpretatio. Toletus *lib. primo ſum. capit. decimo numero vigeſimo octavo* univerſim ait, has particulas referendas eſſe ad omnes ſuperiores, *legentes* ſcilicet, *imprimentes*, *& retinentes*. Idem ſentire videntur Rebuf. *in pr. benef. in explic. Bul. Cæn. ar.* 1. & Suarez. *de cenſur. diſp.* 21. *ſect.* 2. *numero* 10. Immo extendunt etiam ad omnes in toto canone comprehenſos, cùm dicat Rebuffus per clauſulam *public*, *vel occulte*, comprehendi hæreticos occultos, eorumque occultos receptatores, fautores, &c. Duardus *n.* 2. & Bonacina *d. pun.* 4. *numero* 7. iis videatur ſubſcribere, licet ſolum de extenſione ad legentes, retinentes, & imprimentes, mentionem faciant.

Res quidem eſt parvi momenti, attamen tenore Bullæ, ac proprietate verborum conſiderata, non videtur clauſula ultra defenſores librorum eſſe protendenda. Nam particula *quomodolibet* ad imprimentes non poteſt referri. Quia nonniſi uno modo impreſſio fit. Illud verò *publice*, *vel occulte* non eſt quid conferat ad particulam *legentes*, & longe improbabilius eſt referri *ad hæreticos*, *fautores*, *&c.* ut dicebat Suarez. Quia, cùm talis clauſula ſit inter alias, quæ hujuſmodi perſonis convenire non poſſunt, ſicuti eſt clauſula, *quovis ingenio*, quæ hæreticis non poteſt aptari, ſignum eſt, neque illam ad hæreticos, receptatores, &c. eſſe extendendam. Denique clauſula *quovis ingenio vel colore* ægre ad legentes, retinentes, & imprimentes refertur. Quia in his actionibus non militet ingenium, prout ſignificat particularem induſtriam, & prætextum.

Quapropter magis propriè loquemur, ſi omnes has particulas ad ſolos librorum defenſores referamus. Et ita Sayrus *loc. cit.* Souſa *numero quinto* Alterius *ibidem*, licet etiam extenſionem non improbet. Nam hæc defenſio in gratia librorum quod vivant, nec exterminentur, ſub nullo prætextu licita eſt, ſive gratia exercitationis in diſputando, ſive ad evitandum malum ex exterminio ſequuturum, ſive ut impietas ſuperſit, quò cognoſci, ac refelli poſſit, de quibus Ugolin. *loc. cit. numer. ſecundo* Sanchez *d. numero quinquageſimo octavo* Duard. *num.* 6. & Bonac *n.* 20.

Qui tamen ſcriptis, aut voce, non libros, ut ſic, quin exterminentur, ſed doctrinam hæreticam diſputationibus defenderent, ſi id facerent cauſa exercitii in diſputando, aut ſtudio veritatis detegendæ, aut inquirendi rationes, quibus hæreſis convincatur, aut quò dubitationes ſi quæ ſunt, tollantur, excuſandi ſunt, niſi forte id falsò aſſumant in prætextum, aut colorem, licet id videantur non permittere Ugolinus *numero tertio* & Souſa *numero ſexto* Quia hujuſmodi exercitium de ſe non eſt malum, nec aſſumitur in veram libri, aut doctrinæ defenſionem. Quod ſi doctrina libri, quæ propugnatur, credatur etiam vera ex triplici capite contrahitur excommunicatio, nimirum ex hæreſi, ex favore hæreſis, & ex defenſione libri, in quem quatenus eam doctrinam continet, redundat defenſio.

CONSULTATIO CXCVI.

An, & quibus liceat hæreticorum libros legere ac retinere, & à quibus hæc licentia ſit concedenda? ubi ad rem effata. Et quis abſolvere poſſit legentes, retinentes, imprimentes hujuſmodi libros ab excommunicatione contra eos prolata?

CONſtat, non ſolum licere aliquando legere, ſed etiam eſſe neceſſarium, præſertim quando errores hæreticorum refutandi ſunt, qui aliunde quam ex eorum libris integre ac certò cognoſci non poſſunt. Unde in Concilio Carthaginenſi quarto *capit. decimo ſexto* admonentur Epiſcopi ut pro neceſſitate ac tempore legant hujuſmodi libros. Et Euſebius *lib. ſeptimo hiſt. capit. ſexto* refert. Dionyſium Alexandrinum ad eos legendum divina viſione fuiſſe adductum. Quare utiliſſimum eſt, quod aliquibus doctrina & pietate præſtantibus viris, fiat facultas hujuſmodi libros, ut etiam cenſet Godofr. *in l. damnato C. de hæret.* Simanch. *de cathol. inſtit. tit.* 38. *num.* 20.

Etenim meritò laudamus librorum hæreticorum habendorum, atque legendorum copiam, quoad fieri poteſt, Chriſtianis præcidi, atque impediri. Quod ipſum, quamvis optare omnes ſinceri Chriſtiani debeant, tamen hoc ſeculo obtineri, immo an ſperari poſſit, juſtam habet dubitationem. Tanta enim hæreticorum quoque eſt potentia, & tam late extendunt ditiones ſuas, ita etiam permiſti habitant hinc inde diverſæ religionis populi, ut libros veritati divinæ adverſantes prohibere vere chriſtiani & catholici Principes nequeant eo effectu, ut non importentur, venum exponantur, ac diſtrahantur, & ſi publice id non liceat, clam tamen abſque difficultate perpetretur, vel eo maximè prætextu, quod in nullo adhuc generali Concilio hi, vel illi ſint condemnati. Quæ enim ſit hæreticorum de Concilio Tridentino ſententia, notiſſimum eſt. Quanquam ubi ſunt pii, ac fideles, & induſtrii Eccleſiæ Doctores, qui ſint apti ad docendum *prioris Timoth. quarto verſic. ſecundo & ſecund. ep. ſecund. verſic. vigeſimo quarto* qui poſſint cum manſuetudine erudire eos, obſiſtunt *poſter. Timoth. ſecundo verſic. vigeſimo quinto* contradicentes convincere, *Tit. primo verſic. nono* & os eis obturare *d. capit. primo verſic. undecimo* ibi non ſit valde metuendum à falſariorum & hæreticorum libris. Omnino enim eos tollere vix eſt virium humanarum, cùm & hæreſes eſſe oporteat *prioris Corinth. undecimo verſ. decimo nono* dum in tanta hominum ſecuritate, hominibus dormientibus, inimicus ſeminat zizania, *Matth. decimo tertio verſ vigeſimo quinto, vigeſimo octavo, vigeſimo nono* maxime ſi excubitores illi, quibus docendi provincia commiſſa eſt, altum ſtertant, & ronchos ducant, neque de religionis fundamentis concreditum ſibi populum erudiant ita, ut vel primum aſſultum hoſtium repellere ſciant. Teſtatur etiam experientia, prohibitiones hujuſmodi & variis calumniis anſam præbere, & quia nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata, prohibitio illa ſæpe facit, ut avidius expetantur, & diligentius quærantur. Sæpe etiam facit, ut ſiniſtras opiniones de prohibitis impotens plebecula concipiat, quæ animis deinceps eximantur ægerrime. Si quam tamen hic negligentiæ culpam Eccleſiaſticus & ſecularis magiſtratus ac miniſtri Verbi Dei contrahant, de ea ratione reddituri ſunt Deo, Ezech. *cap.* 33. *v.* 6. *& ſeqq.*

Cùm igitur vix effici poſſit, ut, quavis diligentia adhibita, aliqui diabolica ſuggeſtione ducti, ſubdole hos libros non detineant, opus ideo eſt viris doctrina, & pietate eximiis, qui improborum hæreticorum fallacias detegant, & nequitiam infringant. Suſceperunt olim hoc munus quamplurimi ſcientia, & ſanctitate præſtantes viri, nominatim Auguſtinus contra Fauſtum, & libros contra Julianum Pelagianū,

&

& contra varios Donatiſtas, Gregoriua Nyſſenua, & Baſilius contra Eunomium, Epiphanius contra hæreſes, Cyrillus contra Julianum Apoſtatam, & alii, quorum etiam meminit Euſebius *loc. citat.* & Nicephotua *libr. ſexto capit. octavo & nono* ac noſtro ſeculo in hoc munere plurimi egregiè inſudarunr, præcipuè Cardinalis Bellarminus, fortiſſimus Caholicorum Athleta, quicquid effutiant blaterones aliqui, eum arguentes ſupinitatis, quod elumbi diſputandi modo utatur, unde Ameſius, Calviniſtatum in Hollandia magiſter, in Bellarminum ſcripſit controverſiarum volumen hoc titulo *Bellarminus enervatus.* Quod cauſam hæreticorum juverit, deque eorum Eccleſiis reformatis optimè meritum, quod illarum theologiam miro ordine digeſſerit, quod fortiora argumenta profetat, quàm extent apud eorum, autorea, quod ab ejus lectione aliquid mali timerent Catholici, quia argumentis validiſſimis debiliores dabat ſolutiones. Et hunc etiam ſoiſſe ſenſum Cardinalis Perronii, refert Cardinalis Bentivolua *libro*, quem inſcripſit *Memoriæ pagina centeſima.* Chamierus, Calviniſtarum mordaciſſimus, & ut dixit Gretſerus, caninæ eloquentiæ ejus aliquot loca notat ex Sanctis Patribus non ſincere citara, idque ex inadvertentia quæ ſine dubio potuit diligentiſſimo, ac veraciſſimo in opere prope infinito obrepere.

Verum, quod ii illi vitio vertunt, ſumme cæteri omnes laudant, nempè ſinceriratem illam & bonam fidem, qua hæreſim impugnat, ut ſi quas habeat vires, non diſſimulet, & hoc ipſum mirantur & ipſi hæretici, ac ejus ſolutiones reddunt illis acceptiorea, quod videant emanare à pectore verè candido, & chriſtiano. Ejus modeſtiam, prudentiam, ac eruditionem, qua non argumenta hæreticorum ſoluta ab ipſo fuerunt, ſed plane contrita. In quo adverto, myſteria fidei hoc habere, quod cùm ſuperent caprum rationis humanæ, faciliora ſunt ſenſui argumenta. quæ impugnant, quàm reſponſa, quæ defendunt. Eaque ſunt in ſcribendo Bellarmini decora, ut vel hoſtibus, quotum malleua dici poteſt, fuerint admirationi. Eruditio, rerum varietas, perſpicuitas, methodua, in hoſte inſequendo conſtantia, ita quidem, ut gloriari poſſit catholica Eccleſia, ſibi defenſorem contigiſſe ſe dignum, id eſt non minus ſtrenuum, quàm ſincerum, non minus veracem quàm doctum. Et quamvis in illum plerique plena manu laudes congerant, plures etiam addi vellem, quia majorem omni laude puto. Sed præ omnibus, doribus, quibus magis eminet, quàm purpura, miror gravitaten, & modeſtiam, qua cauſam fidei defendit. De Cardinalia Perronii ſenſu, reſte Bentivolo, vehementer addubito propter ipſius Bentivoli æmulationem in Famianum Stradam qui de bello Belgico ſcripſit hiſtoriam, qua Bentivoli hiſtoriam ejuſdem argumenti non parum obſcuravit. Cœterum calumnioſum de Bellarmini controverſiis judicium Cardinalis Perronius copioſe ac valide deterſit, ut refertur in ipſius Bellarmini vita *libr. ſecundo capit. ſeptimo.*

Clauſulam illam, ut *de licentia Sedis Apoſtolica*, ſine qua libri ex Bulla Cœnæ prohibiti, legi non poſſunt, primua appoſuit Julius Tertius, cùm antea in Conſtitutione, *Cum meditatio* anno 1550. revocaſſet aliorum licentias, hactenus conceſſas, & facultates çoncedendi. Solus igitur Pontifex, aut alius de mandato, vel privilegio ipſius, adhuc vigente, licentiam poteſt impertiri.

Nullum autem de facto vigere privilegium, quo Epiſcopi poſſint præbere facultatem hujuſmodi libros legendi, eſt apud omnes in confeſſo ex Conſtit. Pii IV. *Cum inter crimina*, & tradunt Pegna *p. ſecunda, direct. cap. quarto com. tertio* Ugolin. *de cenſ.* Pontif. *reſer. numer. primo* Alter. *tom. primo de cenſ. lib. quinto diſp. ſecundâ col. ſextâ* Navar. *libr. primo conſil. tit. de conſtit conſ. primo quæſt.* 36. Graff. *lib. quarto dec. in expl. Bul. Cœn. numer.* 46. Duard. *in d. Bul. quæſt.* 51. Sanch. *in decal. lib. ſecundo capit.* 10. *numer.* 43. Azot *tom. primo lib. octavo capit.* 16. *qu. ſeptimo* Rodriq. *in addit. ad Bul. Cruc. §. quæſt. num.* 68. Delrius *lib.* 5. *magic. ſect.* 17. Binafeldius *in l. culpa C. de maleſ. & mathem.*

Nec ſolum Epiſcopi, ac ſublimioris cujuſcunque digniratis viri facultatem legendi libros ex Bulla Cœnæ prohibitos non elargiri; ſed nec ipſi legere queunt, ut ex citata Conſtit. Julii Tertii, Pauli IV. *Cum in futurorum*, & Pii IV. *Cau. pro munere*, quas refert Pegna *in fine direct.* & cenſent communiter Doctores, Ugolin. *loc. cit.* Suar. *de fid. diſp.* 20. *ſect. ſecundâ, numer. vigeſimo ſexto* Sanch. *numer. quadrageſimo quinto* Souſan. *diſp. decimâ quintâ concl. ſecundâ* Azor *quæſt. decimâ tertiâ* Farinac. *d. qu.* 180. *§.* 1. aliique.

Quinimmo ne ipſi quidem Inquiſitores poſſunt libros damnatos legere, niſi eis ab Apoſtolica ſede, ſive per S. Congregationem S. Officii fiat eis facultas ex dicta Conſtit. Julii Tertii, quæ expreſſe revocat omnes, & quaſcunque facultates legendi libroa damnatos, conceſſas quibuſvis perſonis cujuſcunque ſtatus, ordinis, & conditionis, etiamſi Epiſcopali, vel Archiepiſcopali, vel alia majori dignitate Eccleſiaſtica, vel ſecu ari præeminentia fulgeant, cum qua concordat Paulus IV. d. conſtit, *Quia in futurorum* & Pius IV. Conſtit. IV. *Cum pro munere.*

Ex quibus minus probabilis redditur ſententia Albertini *de hæret. quæſt.* 38. *à numer.* 4. dum pluribus oſtendere nitirur, quod lectio librorum prohibitorum non interdicitur abſolutè, ſed pro temporia neceſſitate Epiſcopis licere libroa hæreticorum legere ad illoa redarguendum. Hoc enim hodie poteſt procedere in libris adhuc non damnatis, ſecus in illis, qui damnationis ſententiam metuere.

Quoniam autem ex tenore dictarum Conſtitutionum habetur, Inquiſitorum, & Commiſſariorum à Sede Apoſtolica ſuper hæretica pravitate deputatorum officio durante, facultatem io hoc non comprehendi, ideo merito his lectionem non adhuc eſſe interdictam, aſſeverant Graff. *ibid. numer.* 45. Pegn. *in direct. ad capit. fraternitatis de hæret.* Souſ. *loc. cit.* Farinac. *d. §. primo numer.* 43. Alter. *capit. ſexto col.* 3.

Negant tamen Sanchez, Ricciullus *de jur. perſ. lib.* 5. *capit.* 25. & Suarez *numer.* 18. quia, inquiunt, in prædictis Conſtitutionibus nihil conceditur, ſed ſupponitur, adeſſe privilegium pro Inquiſitoribus. Quod tamen non adeſt.

At occurritur in primis ex tenore Conſtitutionum apud Azorium *cit. quæſt.* 13. & Scortiam. *theor.* 63. non ſupponi licentiam legendi adeſſe, ſed tantum dici Inquiſitores, & Commiſſarios, ne ſupra excipi à diſpoſitione talis revocationis licentiarum. Unde ſi prius licitè legebant, ut pareſt credere, nihil eis obſunt prædictæ Conſtitutiones. Præterea ſi Pontifex horum facultates reſervat, optimum eſt ſignum, eas adeſſe, cùm non entium non ſit diſpoſitio, nec qualitas. Immo ex tali reſervatione ſufficienter inducerentur, etiamſi non adeſſent. Nam ſi Pontifex vult Commiſſarios à Sede Apoſtolica ſpecialiter in cauſa hæreſis deputandos, frui tali facultate, cumque his

æqui-

æquiparet Inquiſitores ordinarios, manifeſte liquet, velle hos etiam frui. Verba enim enunciativa important aliquando diſpoſitionem, præſertim ſi proferantur ab eo, qui poteſt diſponere, ut exemplum communiter aſſerunt Doctores ſi teſtator dicat, *ſciant hæredes mei, me veſtes libertis meis donaſſe.* Iis enim verbis indubie legatum inducitur.

Adduntque Pegna, Graſſius, & Souſa extendi hanc facultatem etiam ad Commiſſarios, ab ipſis Inquiſitoribus inſtitutos, commiſſione durante, cum ex privilegiis S. Inquiſitionis inſtitutus ab Inquiſitore cenſeatur inſtitutus à Sede Apoſtolica. Quod licet vereatur concedere Bonacina, & tenuet expreſſe Alterius, quia facultas conceditur Inquiſitoribus, & deputatis à Sede Apoſtolica. Inquiſitor autem non eſt Sedes Apoſtolica. Si tamen talia ſunt Officii Inquiſitionis privilegia, aut praxis, ut ab Inquiſitoribus inſtituti ita ſe habeant ac à S. Sede, ſubſcribendum eſt, de quo etiam mox in eſſatis.

Verùm, quicquid hi Autores aſſerant, Gregorius, XV. in ſua Conſtit. edita anno 1623. incip. *Apoſtolatus officium*, & Urbanus VIII. in ſua Conſtit. emanata 2. Aprilis anno 1631. *ejuſdem initii* ſic ſtatuunt: *Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnes & ſingulas licentias legendi, & habendi libros quoſcumque ob hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem, ſeu per Conſtitutiones Apoſtolicas, etiam ratione Aſtrologiæ judiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos quibuſcunque perſonis laicis, & eccleſiaſticis, tam ſecularibus, quàm regularibus cujuſcunque Ordinis, Societatis, & Inſtituti exiſtentibus, ac quacunque dignitate, etiam Eccleſiaſtica fulgentibus cujuſcunque ſtatus, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentia, etiam ſpeciali nota, & mentione dignis, ac per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam & aliter quomodocumque à prædeceſſoribus Romanis Pontificibus, ſeu à quibuſcunque aliis ab ipſo, vel ab eis facultatem, & autoritatem habentibus, non tamen à nobis & ipſis per litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, ſeu chirographum, manu noſtra ſignatum, conceſſas, earum tenores præſentibus pro expreſſis, & inſertis habentes, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro revocatis, caſſis, & annullatis haberi, nullique ſuffragari. Quinimmo libros per licentias hujuſmodi permiſſos legentes, aut habentes pœnas in Sacris Canonibus, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Indice librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus.* Et poſt alia hæc ſubdit: *Neque de cætero ſimiles licentiæ, niſi à Congregatione S. Officii, dum ſingulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione ſpecialiter deputandis concedantur.*

Atque ex his patet eſſe, revocatas omnes licentias legendi libros prohibitos à quibuſcunque & quomodocumque conceſſas, præter licentias ab ipſo Urbano VIII per Breve, vel per chirographum propria manu ſignatum conceſſas. Quia nimis exceſſiva erat dictos libros hæreticorum legendi copia. Quod erat magnum inconveniens & ita intelligenda ſunt, quæ alibi dixi. Id tamen aliqui limitandum eſſe putant in Regnis Hiſpaniarum, ubi ſolum Inquiſitor generalis habet poteſtatem legendi libros hæreticorum, & cui ipſe commiſerit, non alius. Conſtat ex Bulla Pauli V. appoſita in principio Expurgatorii, & cenſent Caſtropal. *tom. quarto diſp. ſecund. pun. decimo paragrapho tertio numero quarto* Diana *p. quarta tr. octavo reſol.* 46. Quod quidem nec affirmo, nec reſello. De Inquiſitoribus vero, eorumque Commiſſariis, mox quoque in eſſatis.

Hinc quamvis olim propter Conſtitutionem Sixti IV. Pii IV. & Gregorii XIII. ut referunt Rodriquez *tom. ſecundo quæſt. reg. 82. ar. tertio* Peregrin. *in comp. privil. tit. libri prohibiti*, compendium privilegiorum Societatis Jeſu *eod. n. §. 1.* in cujus Indulto adeſt clauſula, *non obſtantibus Bullis Cœnæ Domini, quotannis publicari ſolitis* poterant Prælati Regulares ſuis ſubditis licentiam legendi libros prohibitos concedere, nunc tamen minime poſſunt. Quia quoad libros hæreticorum, hæreſim continentes, vel de religione tractantes hujuſmodi facultates, & privilegia revocantur per Bullam Cœnæ Domini. Quod vero ad alios libros prohibitos, videntur revocatæ dictæ facultates ex dictis Conſtitutionibus Gregorii XV. & Urbani VIII. Et docent Lezana *tom. 1. capit. 18. numer. 96. & tom. 2. v. libri num.* 30. Portel. *in dub. reg. v. librorum prohibitio v. & ſeqq.* Diana *p. quinta tr. decimo tertio miſcel. prim. reſol. 49. & p. quarta tr. octavo reſ. nonageſima nona numer. ſecundo* Bordon. *tom. primo capit. decimo quarto numer. trigeſimo quarto* ac Delbene *tom. primo de offic. S. Inquiſ. dub. quadrageſima ſexta petit. vigeſima tertia num.* 15.

Quare fruſtra Peyrinis *tom. 2. in Conſt. 9. Pauli V. numer.* 10. opinatur ex contextu Conſtitutionis Gregorii XV. ſermonem eſſe tantum de licentiis conceſſis particularibus, nullam autem fieri derogationem privilegiorum Ordinibus generaliter conceſſis. Unde cum Urbani VIII. ejuſdem ferè ſit tenoris, & nihil quoad rem præſertim diſcrepet, idem ferendum judicium, niſi aliud in contrarium obſtet. Quam opinationem probabilem ſpeculative exiſtimant Lezana *d. numer.* 96. Pellizzar. *to. 1. tr. 6. c. 5. num.* 37.

Sed illam minus probabilem, minuſque ſecuram eſſe, tenendum eſt, atque aſſerendum in Conſtitutione Urbana non modo licentias, ſed privilegia quoque revocata fuiſſe, & ita in praxi eſſe conſulendum. Quia nomine licentiæ continetur etiam privilegium. Licentia enim nihil aliud eſt, quàm facultas faciendi aliquid, quod prius non licebat. Et ſimiliter privilegium nil aliud eſt, quàm poſſe per ipſum agere, quod antea non erat conceſſum, arg. *capit. in tit de privil.* Et ideo ibi privilegium celebrandi cum altari portatili vocatur licentia.

Et quia in dicta Conſtitutione revocantur privilegia Epiſcopis, & Inquiſitoribus concedendi hujuſmodi licentias. Ergo multo magis omnibus Regularibus. Id enim colligitur ex illis verbis: *Omnes, & ſingulas licentias quibuſcumque perſonis cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtentibus, etiam per litteras Apoſtolicas ad tempus, ſeu ad vitam, & aliter quomodocumque & ex quacumque cauſa &c.* Et perſpicue idem oſtendunt verba illa: *Neque de cætero ſimiles licentia, niſi à Congregatione S. Officii, dum ſingulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos, etiam in eadem Congregatione ſpecialiter deputandis, concedatur.* Cum ergo Summus Pontifex hanc facultatem ſibi & S. Congregationi reſervaverit, & quæ ſpeciatim ipſe ſibi reſervaverit, intelligantur eſſe omnibus denegata juxta doctrinam Gloſſæ communiter receptam *in capit. excommunicamus, v. Apoſtolica, de hæret. in ſexto* rectè ſequitur, ne virtute quidem privilegiorum

poſſe

poſſe Generales Regularium ſuis ſubditis licentiam legendi hujuſmodi libros prohibitos concedere, quia ipſis etiam cenſetur denegata.

Quod verò ad cœteros libros non hæreticos, conceditur in dictis privilegiis, ut in compendio, ſocietatis *loc. 6. §. 2* poſſe Provinciales ſuis ſubditis permittere eos etiam qui habent adnotationes, & ſcholia hæreticorum. Autorum item, qui licet pravi ſint, ad ſtabilienda tamen hæretica dogmata eos non ſcripſere, deleto nomine Autoris, & erroribus, propter quos ſunt probibiti. Item ut iidem ſubditi per ſe ipſos libros ſuſpenſos emendent, & peragant omnia, quæ in decreto S. Romanæ Inquiſitionis præcipiuntur ad effectum, ut tales libri legi, ac retineri poſſint.

Difficultas eſt de Collegio Cardinalium, Sede vacante. Et poſſe eos hanc licentiam concedere, affirmat Ugolinus *cit. §. 2. num. 1.* Quia Capitulum, Sede vacante, juriſdictione utitur Prælati demortui, *cap.* his, quæ, & *cap.* cum olim de major. Et obed. de quo plura Oſtienſis relatus à Gloſſa *in cap. un. de ſchiſm. in 6. v. Sede vacante.* Et favet textus dicti *cap. un.* dum expreſſe quædam inhibentur Cardinalibus, Sede vacante, quaſi aliàs non eſſent inhibita. Cujus tamen doctrinæ immemor Ugolinus *in 3. p. dicta d. Bull. Cœna cap.* 1. negat, poſſe Cardinales, Sede vacante, abſolvere ab ilius cenſuris.

Negant D. Antonin. 3. *p. tit.* 21. *cap.* 2. *§.* 4. *&* 10. Sylveſt. *in ſum. v. electio* 3. *quæſtione* 3. Sanch. *d. lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *numero* 44. *ex cap. ubi* res *de elect. in* 6. Dicitur enim, *Cardinales accelerandæ proviſioni ſic vacent, niſi forſitan neceſſitas adeo urgens concurreret, quod omnibus & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur, illi celeriter occurrendum.* Et Clem. *ne Roman. de elect.* decernitur irritum, vel inane fore quicquid poteſtatis, aut juriſdictionis, prærer quam in caſibus neceſſitatis juxta *d. cap. ubi periculum*, ſibi aſſumpſerint exercendum. Cur autem minora Collegia, Prælato mortuo, juriſdictionem ejus ſubeant, non veto Collegium Cardinalium, Reſpondet Gloſſa *in d. cap. un. de ſchiſm. in 6.* Quia ob accelerandam proviſionem Eccleſiæ, in cujus retardatione imminet gravius periculum, ſpeciale quid ſtatui debuit. Et hac in opinione optime advertit Gloſſa ob verba omnibus, & ſingulis *d. cap. ubi periculum*, quod licet regulariter ea, quæ fiunt à majori parte Capituli, dicantur facta à toto Capitulo *can. Apoſtolica d. 66. cap. cum inter Canonicos de elect.* tamen hic, caſu neceſſitatis accedente, oportet omnes nemine excepto, eſſe concordes.

Hæc poſterior ſententia tutior eſt, & amplectenda, eamque confirmo ex d. Bulla Cœnæ *cit. can.* 1. & d. Conſtitutione Julii III. *Cum meditatio*, ex d. Conſtit. Pii IV. *Cum pro munere*, & ex dictis Conſtitutionibus Gregorii XV. & Urbani VIII. in quibus revocantur omnes facultates Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis, Cardinalibus, & aliis quibuſcunque perſonis conceſſas

Licentia legendi libros Macchiavelli, ac Reipublicæ Boldini admodum raro conceditur, ac niſi viris doctis ac piis ad effectum illos confutandi, & ad ſex menſes, quibus etiam injungitur, ut finito ſemeſtri, mittant, quod ſcripſerint. Ut plurimum tamen fereque ſemper denegatur. Et in licentia legendi hiſtorias Macchiavelli injungitur, ut deleatur diſcurſus de Papa, de religione, ac ſacrificiis antiquis.

Tom. II.

Libri Caroli Molinei ſpeciali decreto cum ſuo autore damnantur.

Licentiæ legendi libros prohibitos non conceduntur in Regnis Hiſpaniarum, & Luſitaniæ. Immo revocantur omnes per Breve, & exequutor Brevis deputatur Inquiſitor major Hiſpaniarum.

Licentiæ imprimendi Indulgentias, vel earum ſummaria, & Brevia Apoſtolica concedunt Ordinarii, non autem Inquiſitores.

Licentiæ legendi libros prohibitos, & facultas illam aliis concedendi, revocantur per Conſtitutionem Gregorii XV. prohibentis hujuſmodi licentias concedi, niſi à S. Congregatione S. Officii. Excipiuntur tamen Cardinales, & Inquiſitores, ac Commiſſarii hæreticæ pravitatis à Sede Apoſtolica deputati, nec non conſultores. S. Officii Urbis. Magiſtro S. Palatii permittitur, ut, dicta Conſtitutione non obſtante, poſſit in Urbe concedere licentiam, dummodo libri non ſint primæ claſſis Indicis librorum prohibitorum & ex profeſſo de religione non tractent.

Conſtitutio Gregoriana innovata fuit ab Urbano VIII. ut ſupra dictum eſt, qui etiam voluit, libros de aſtrologia tractantes nullo modo concedi, ſicuti nec libros Molinei, & Macchiavelli.

In licentiis librorum prohibitorum Urbanus VIII. mandavit, ut apponatur clauſula, quod nota librorum detur Ordinariis, aut Inquiſitoribus & expleto tempore conceſſionis, libris tradantur eorum alteri, prohibuitque dari licentias librorum prohibitorum contra bonos mores die 20. Januarii 1628.

Vicarii Epiſcoporum non poſſunt legere libros prohibitos ſine licentia, ſed tantum illos recipere.

Conſultores S. Officii non habent facultatem legendi libros prohibitos, etiam occaſione proceſſus, qui in dies conſtruuntur contra eos, qui libros hujuſmodi retinent.

Mulieribus conceditur nonnunquam licentia legendi Bibliam vulgarem pro una vice tantum.

Licentia legendi Alcoranum, & alios libros Turcicos non ſæpe conceditur.

Porrò ſi loquamur de ſcienter legentibus, vel habentibus, aut imprimentibus, aut defendentibus libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes, eorum excommunicationis abſolutio eſt ſummo Pontifici reſervata, nec dari poteſt, niſi ab ipſo ſummo Pontifice, hanc facultatem habente. Quia hæc eſt una ex excommunicationibus in Bulla Cœnæ contentis.

Si verò loquamur de ſcienter legentibus, ac retinentibus libros continentes divinationes, ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, magicas incantationes, ac ſimilia, contenta in Indice, ac in Conſtitutione Pii IV. de approbatione Judicis edita anno 1564. quæ incipit, *Dominici gregis*, hi omnes incurrunt quidem excommunicationem ipſo jure, ſed hujus excommunicationis abſolutio non eſt ſummo Pontifici reſervata. Et ita etiam docent Azor. *d. p. lib.* 8. *cap.* 16. *quæſt.* 1. *&* 5. Farinac. *de hæreſ. d. quæſt.* 180. *num.* 6. Filiuc. *to.* 1. *tr.* 16. *cap.* 2. *num.* 42. Bonac. *to.* 1. *de excom. diſp.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 19. Bordon. *to.* 1. *cap.* 14. *numero* 79. Carena *p.* 2. *tit.* 10. *§.* 10. *numero.* 53. Homobon. *in exam. Eccleſ. to.* 1. *tr.* 7. *cap.* 2. 6. *§. his ergo*, Paſqualig. *in obſer. ad Lauretum p.* 1. *numero* 147. aliique. Sed quamvis hæc excommunicatio non ſit ſummo Pontifici reſervata, reſervari tamen illam ſibi ſolent Epiſcopi & Inquiſitores,

Confeſſarius autem abſque ſpeciali facultate abſolvens legentem, vel habentem, vel retinentem libros hæreſim continentes, de religione tractantes, incurrit pœnam excommunicationis, & alias expreſſas in Bulla Cœnæ prope finem per hæc verba: *Illos autem, qui contra tenorem præſentium, talibus, vel eorum alicui, ſeu aliquibus abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, excommunicationis & anathematizationis ſententia innodamus, eiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis ſacramentorum, & audiendi confeſſiones* Officia interdicimus, denunciantes eiſdem, & declarantes aperte, nos gravius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire cognovimus, proceſſuri. Et nihilominus quicquid egerint abſolvendo, vel alias nullius ſit roboris, vel momenti. Ita Doctores omnes, præcipue Pegna *p. 2. direct. com.* 3. Delrius *lib. 5. magic. ſect.* 17. Azor. *d. cap.* 16. *quæſt.* 5. & 5. & Farinac. *d. quæſt.* 180. *num.* 6.

Legentes, vel habentes libros hæreticos, negant poſſe abſolvi in Jubilæo, ſi excipiatur hæreſis Rodriq. *in Bul. Cruc. §. 9. numero 67.* Vega *p. 1. ſum. cap.* 125. *caſ.* 12. Ledeſma *p. 2. ſum. tr. 1. cap. 6. in fin.* & Azor. *d. lib.* 8. *cap.* 19. *quæſt.* 9. Quia hi caſus concernunt hæreſim, ac de illis ſunt ſpecialiter delegati Inquiſitores S. Officii.

At probabilius affirmant Henriq. *lib. 6. ſum. cap.* 16. *num.* 2. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 12. Acoſta *in Bul. Cruc. q.* 63. *concl.* 4. Suar. *de fid. diſp.* 24. *ſect.* 1. *num.* 12. Portel *in dub. reg. v. libri prohibiti in addit. num.* 14. Duard. *lib. 3. in Bul. Cœn. §. 2. quæſt.* 8. *num.* 8. *& q.* 11. *n.* 47. Leon. *p. 2. de jubil. nu.* 44. Trulleuch. *in Bul. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 7.* ac Boſſ. *de jubil. ſect. 1. caſ. 8. num.* 4. aſſerentes, quod conceſſio facultatis abſolvendi tempore Jubilæi à reſervatis in Bulla Cœnæ, etiamſi excipiatur hæreſis, ſe extendit ad omnes caſus, præterquam ad hæreſim formalem ac proinde ad prædictos legentes, vel retinentes, vel imprimentes libros hæreticos dummodo non erraverint in intellectu contra fidem. Quia nomine hæreſis, & hæretici venit tantus error contra fidem in intellectu, & habens talem errorem. Cum igitur exceptio hæreſis reſtringat facultatem abſolvendi, conceſſam in Jubilæo, non debet extendi ultra naturalem ac civilem ſignificationem ipſius hæreſis. Et quamvis eorum crimen concernat aliquo modo hæreſim, cùm tamen ipſi revera hæreſim non commiſerint in foro conſcientiæ, non eſt eis tempore Jubilæi abſolutio deneganda. Vide quæ alibi hac de re diximus.

Regulares verò legentes, vel habentes libros continentes ſortilegia hæreticalia, vel alios prohibitos, ſubjacent non ſolum pœnæ excommunicationis, ſed etiam privationis officiorum, & vocis activæ & paſſivæ. Nam in regula nona Indicis librorum prohibitorum autoritate S. Concilii Tridentini numerantur prohibiti omnes libri, & ſcripta Geomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, ſive alia, in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, & incantationes artis magicæ, & Pii IV. in dicta ſua Conſtitutione *Dominici gregis* decrevit, ut legentes, vel retinentes hujuſmodi libros prohibitos, non ſolum in excommunicationis pœnam incurrant, ſed etiam Epiſcoporum arbitrio puniantur. Nam, etſi legens, vel retinens dictos libros verè coram Deo non ſit hæreticus in foro tamen exteriori hæreticus reputatur. Quia ex hoc oritur contra eum vehemens hæreſis ſuſpicio, ut tradunt Delrius *d. lib. 5. magic. ſect.* 57. Farinac. *d. quæſtione* 180. *num.* 8. Simanchas, Campegius, Zanchinus, Pegna & Navarus, & Azor. ab ipſis relati. Nam hujuſmodi libri præſcribunt cultum dæmoni exhibendum, ac docent alia multa flagitia tanquam media ad obtinendum id, quod deſideratur à dæmone. Immo Carena *p. 2. tit. 10. §. 9. num.* 49. exiſtimat, tales Regulares non ſolum privari poſſe officiis, ac voce activa & paſſiva, ſed etiam ſuſpendi à divinis, & à muneribus legendi, concionandi, &c. Verum Doctores alii ſuſtinent, ipſos eſſe condemnandos, ac puniendos Inquiſitorum arbitrio, qui pro qualitate perſonarum, & circumſtantiarum, aliquando de vehementi, nonnunquam de levi hæreſis ſuſpicione eos condemnabunt, ut per Param. *de orig. 5. Inquiſ. lib.* 31. *quæſt.* 9. *numero* 147. Maſcardum *to.* 2. *concl.* 862. *numero* 7. & Farinac. *loc. cit.*

Extatque decretum, emanatum 19. Septembris 1595. quo fratres Ordinis minorum de obſervantia retinentes ſcripta ſortilegia damnantur ad triremes ad decennium, privantur voce activa, & paſſiva, & abjurant juxta facti qualitatem. Quod decretum ita intelligitur, ut ad talem pœnam incluſive damnari poſſint plus, minuſve juxta delictorum, perſonarum, ac temporum, ſcandalique reſultantis, & aliarum circumſtantiarum qualitatem, dummodo talis pœna non excedatur, ut 25. Maij 1593. Fratres tamen dicti Ordinis Provinciæ Romanæ ex gratia obtinent, ut inter ipſos non legatur dictum decretum, niſi tempore viſitationis, ſemotis novitiis ut 25. Septembris 1597. & 30. Maij 1601 fuit decretum, ut publicaretur in quolibet Conventu ſingulis annis, & 28. Auguſti 1602. fuit extenſum etiam ad Reformatos. Et ſub die 15. Junii 1605. ſcriptum Inquiſitori Januenſi, ut procedat contra Jeſuitam, nolentem conſignate librum prohibitum prætextu, quod haberet facultatem per Breve Pii V. Jeſuitis conceſſum, quod ſibi exhibere faciat.

CONSULTATIO CXCVII.

An, & quæ Ignorantia ſpeciatim excuſet à pœnis, contra hæreticos, ac ſortilegos, aliiſque reos S. Officii decretis? Hoc eſt, an detur aliqua ignorantia, quæ, licet ſit conſequens, ac vincibilis, excuſet ab hæreſi, ac proinde à pœnis contra hæreticos latis? Ubi an errans ex ignorantia, ſi moneatur ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, vel à viris doctis de ſuo errore, teneatur credere? Et an proteſtatio excludat pertinaciam?

Et ſane certum omninò eſt, ignorantiam invincibilem, & antecedentem eorum, quæ ſunt fidei, excuſare à culpa hæreſis, & à pœnis latis contra hæreticos, ut per Sot. in 4. *d.* 22. *quæſt.* 2. *ar.* 2. *poſt* 5. *concl. caſ.* 1. Pegn. *p. 1. direct. quæſt.* 7. Caſtrium *de juſta hæret. pœnit. lib.* 5. *cap.* 9. Ricciul. *de jur. perſon. lib. 5. cap. 7. numero* 6. Sanctarel. *de hæreſ. cap. 1. dub. 5. numero* 20. Farinac. *eod. tit. quæſtione* 179. *numero* 23. 25. *ac ſeq.* Souſ. *lib. 5. aphor. cap.* 12. *numero* 7. & 11. Caren. *p. 2. tit. 1. §. 11. numero* 63. Salell. *to. 3. lib. 5. cap. 3. reg.* 386. *numero* 23. Cardinal. de Lugo *de fid. diſp.* 20. *ſect.* 6. *nu.* 175.

Cenſetur autem eſſe in aliquo ignorantia invincibilis, ſive probabilis non modò ſiquis nihil prorſus audivit de fide, vel quod audivit, fuit inſufficiens motivum ad hoc, ut neceſſitaret illum ad credendum, vel quia non habuit à quo fidem addiſceret,

ſed

ſed etiam ſiquis falsò edoctus fuit ab eo, cui tenebatur credere, ut ignarus à doctore, diſcipulus à magiſtro, filius à patre, parochianus à parocho, vel ab Epiſcopo, ut per Salel *loc. cit.* ubi quod hæc ignorantia excuſat, tam in foro exteriori, quàm in interiori, & non ſolum ab hæreſi, ſed à ſuſpicione hæreſis, & conſequenter ab omni abjuratione.

Quod tamen intelligendum puto, ſiqui docent, nimirum doctor, pater, parochus habentur, ut fideles, & catholci, Romanæ & univerſalis Eccleſiæ communionem habentes. Aliter enim non poſſet in eo, qui docetur, admitti bona fides, & probabilis ſive rationabilis ignorantia, ſi ad eſſet, vel adeſſe deberet probabile dubium de fidelitate docentis. Sed nec ſemper hæc probabilis ignorantia præſumitur in eo, qui errat in fide. De qua ignorantiæ præſumprione inferius erit ſermo.

Nunc verò ſatis eſt, quod ubi ignorantia rerum fidei ſit probabilis, & de illa conſtet in foro exteriori, talis ignorantia excuſat, tam coram Deo, quàm coram hominibus. Id probatur manifeſte ex illo Joan. 15. *Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo* Quod de peccato infidelitatis intelligit D. Auguſtinus *lib. 3. ad Boniſac. cap. 3. & Epiſt.* 50. *in fin. & tract.* 89. *in Joan.* ad quem locum etiam D. Thomas, Caietanus, & alii. Hinc enim, tanquam indubitata veritas colligitur, quod ſi fidem ignorant, quia quæ fidei ſunt, non audierunt, excuſantur à peccato infidelitatis.

De ignorantia vero craſſa pugnant inter ſe ſententiæ. Prima univerſim negat, ignorantiam craſſam, ſeu vincibilem, ac conſequentem excuſare à culpa hæreſis, & ab excommunicatione lata contra hæreticos: Nam ignorantia conſequens, ac voluntaria, ſive craſſa non excuſat à peccato.

Probatur primo, quia aliàs vix dari poſſet peccatum hæreſis. Nam quis ex hæreticis, qui non erret per ignorantiam? Et quis non crederet, ſi ſciret & non ignoraret, Deum eſſe, qui res credendas revelavit, & veram Eccleſiam illas revelaſſe? Hæretici namque hæc ignorant, ac ita hæretici non eſſent, ſi ignorantia craſſa excuſaret ab hæreſi.

Secundo, quia voluntarium indirectum ſufficit ad peccandum contra virtutem. Igitur ſufficit in baptizato ad peccandum peccato hæreſis. Eſt enim evidens, quod peccans ex ignorantia craſſa contra juſtitiam peccat peccato injuſtitiæ. Et ejusdem rationis, ac ſpeciei eſt adulterium ſcienter, vel ex ignorantia craſſa commiſſum. Atque adeo etiam error indirecte voluntarius ex ignorantia, ſi in homine baptizato reperiatur, eſt hæreſis, ſicuti hæreſis eſt error directe voluntarius.

Tertio, quia ut quis peccet peccato infidelitatis paganiſmi, aut judaismi ſufficit, quod quis erret in fide ex ignorantia craſſa, ut eſt per ſe manifeſtum. Igitur hoc idem ſufficiet, ut baptizatus peccet peccato hæreſis.

Quarto, quia in baptizato error circa res fidei indirecte voluntarius verè opponitur fidei, ac illam tollit, ſicut peccatum contra materiam charitatis verè opponitur charitati, illamque tollit. Eſt igitur peccatum infidelitatis, quod in baptizato eſt hæreſis.

Ideo quod ignorantia craſſa, ſive conſequens non excuſet ab hæreſi, aiunt Sot. *loc. cit.* Lopez *p.* 1. *inſtruct. cap.* 20. *tit. de excom. reſer. in Bul. Cœn. can.* 1. Palac. *in* 3. *d.* 15. *diſp.* 7. *concl.* 4. *&* 5. Quod ad ignorantiam nimis craſſam reſtringunt Valentia *to.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 11. *pun.* 4. licet id abſolutè non affirmet, quod poſtea abſolute voluit Sayrus. *de cenſur. lib.* 3. *cap.* 4. *numero* 15. Et hoc magis alii limitant, dicentes ſolam ignorantiam affectatam non excuſare ab hæreſi; ut Canus *lib.* 12. *de loc. cap.* 9. *& ſeq.* Navarra *lib.* 2. *de reſtit. p.* 2. *dub.* 8. *numero* 200. *in prima edit.* in quam partem inclinat Corduba *lib.* 1. *quæſt.* 17. *§.* 17. ac Torrenſis *de Trinit. quæſt.* 32. *ar.* 4. *in* 2. *p. com.* Nam ignorantia affectata voluntarium non minuit, ut habet D. Thomas *p.* 2. *quæſt.* 76. *ar.* 4. & cum eo Theologi communiter. Idque alii magis limitant, ut ſola ignorantia affectata tunc non excuſet, cùm ignorantia affectatur ex falſa opinione contra Eccleſiam, quaſi parvi momenti ſit Eccleſiæ propoſitio, vel ad finem liberius errandi in fine, ut per Sanchez *lib.* 2. *in decal. cap.* 7. *num.* 23. quem alii ſequuntur.

Secunda ſententia eſt, quod, nedum ignorantia craſſa, & affectata excuſet ab hæreſi, ſed quòd ad hæreſim non ſufficiat, etiam ſcienter errare contra fidem, niſi error ſit pertinax, & contumax, &, non obſtante, monitione, durans, ut ſic ad hæreſim ſit neceſſaria incorrigibilitas, & non poſſit peccare quis peccato hæreſis ſtatim, ſed requiratur, quod per aliquod tempus monitus perſeveret contumax in errore. Hæc ſententia ſolet tribui Archidiacono, & Sylveſtro *v. hæreſis* 1. *q.* 2. *numero* 5. Gloſſæ *in Clem. un. de ſum. Trinit. v. pertinaciter*, ac præcipue Alciato *in l.* 2. *C. eod.* At Doctores iſti non loquuntur de hæreſi in foro conſcientiæ, ſed in foro exteriori, ac de hæreſi præſumpta. Videtur verò probari ex illo Pauli ad *Tit.* 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita.*

Tertia ſententia eſt, quod ignorantia craſſa, immo & affectata, excuſat ab hæreſi ita, quod ad hæreſim ſit neceſſaria ſcientia, & voluntarium directum, non tamen ſit neceſſaria obſtinatio, exercita perſeverantia in errore, ſed ſufficiat, quod quis ſcienter erret contra fidem. Ita ſentiunt Caiet. 2. 2. *quæſt.* 11. *ar.* 2. *ad* 3. ibique Bannes, & Aragona, Vaſquez *p.* 2. *quæſt.* 76. *ar.* 3. *diſp* 126. *cap.* 2. Durand. *in* 4. *d.* 13. *quæſt.* 5. *numero* 6. Palud. *ibid. quæſtione* 3. *ar.* 1. *numero.* 4. Suarez *de ſid. diſp.* 19. *ſect.* 3. *numero* 8. Sanchez *in decal. d.* [illegible] 2. *cap.* 7. *numero* 20. Salelles *lib.* 5. *cap.* 3. *reg.* 386. *numero* 25. Sylveſt. *d. v. hæreſis* 1. *ſub. initio*, Armil. *eod. v. numero* 2. Angel. *v. hæreticus in princ.* Navar. *cap.* 11. *numero.* 22. Canoniſtæ *ad ad cap. firmiter de ſum Trin.* Covar. *lib.* 3. *var. cap.* 5. Simanch. *tit.* 31. *numero* 10. *& toto tit.* 38. Pegna *p.* 2. *direct. com.* 1. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 3. *numero* 7. Caſtr. *de juſt. hæret. punit. lib.* 1. *cap.* 9. *& lib.* 2. *cap.* 17. Ricciul & Sanctarel. *apud. Carenam p.* 2. *tit.* 1. *§.* 11. *numero* 66. Caſtropal. *tr.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *numero* 3. Card. de Lugo *de pœnit ſect.* 4. *§.* 6. *ac de ſid. diſp.* 17. *ſect.* 4. *& diſp.* 20. *ſect.* 6. *numero* 174. *ac ſeq.* & apud eum Hurtado, ac Diana *p.* 4. *tr.* 7. *reſol* 36. apudque iſtos quamplures alii.

Quidam tamen diſtinguunt, ac dicunt hoc procedere in foro conſcientiæ. Nam in foro exteriori circa ea, quæ unuſquiſque tenetur credere, vel quæ quis tenetur ſcire ex Officio, vel quæ paſſim, & communiter omnes illius qualitates ſciunt, ignorantia non creditur, neque præſumitur. Ita Menoch. *conſ.* 8. *num.* 275. Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 176. *num.* 27. *&* 28. Simanch. *tit.* 27. *numero* 13. Decian. *in tr. iv. lib.* 5. *cap.* 37. *numero* 15. Pegn. *d. p.* 1. *quæſt.* 7. *com.* 22. *in* 2. *reg.* Caſtropal. *d. pun.* 2. *num.* 5. Diana *d. reſ.* 36. & Caren. *d. tit.* 1. *§.* 11. *num.* 69.

Quod autem ſaltem in foro conſcientiæ ignorantia quælibet excuſet ab hæreſi, probatur primum, quia ubi non eſt ſcientia, ibi non eſt pertinacia. Non enim pertinax dici poteſt, qui ignoranter negat id, quod eſt fidei, paratus ſe emendare. Hæreſis autem eſt error cum pertinacia ex D. Thoma 2. 2. q. 11. *ar. 2. ad 3. D. Auguſtin. Ep.* 102. *can. dixit. Apoſtolus* 24. *q.* 3. *cap. qui in Eccleſiam, cap. damnamus de ſum. Trin. & extravag. vas electionis de hæret.* Atque ita ad *d. cap. damnamus* docent Gloſ. *v. corrigenda*, Abb. *antiq. num.* 3. Oſt. *num.* 18. Jo. Andr. & Bellamer. *in princ.* Panormit. *n.* 5. Fagnanus ac communiter Doctores.

Deinde, quia non eſt formaliter hæreticus, qui non recedit ab objecto formali fidei, quod eſt veritas divina, propoſita per Eccleſiam. Qui autem ex ignorantia errat in fide, paratus credere quandocunque ſibi conſtiterit Eccleſiam id docere, non recedit à formali objecto fidei. Atque adeo non eſt formaliter hæreticus.

Sed diſtinguendum hic eſt inter hæreſim, & hæreticum, ut diſtinxit Caiet. *p.* 1. *q.* 32. *ar.* 4. & inter forum conſcientiæ, at quod ad culpam coram Deo, & forum contentioſum, & quòd ad pœnas, à jure poſitivo ſtatutas, & inter errorem oppoſitum illis, quæ quis explicite ſcire & credere tenetur, & errorem circa ea, quæ ſufficit credere implicite. Nam in foro conſcientiæ & coram Deo ignorantia craſſa non excuſat à peccato hæreſis, ſi quis erret circa ea, quæ expreſſe tenetur credere, quamvis in foro exteriori, & quod ad plures pœnas in hæreticos decretas, ſit neceſſe, quod quis ſit hæreticus ſcienter, ſive etiam reſpective pertinax. Quæ ita explico ac probo.

Certum eſt, dari diſtinctionem veritatum fidei. Nam aliquæ ſunt, quas errans tenetur explicire ſcire, & credere. Aliæ verò ſunt, quas errans non tenetur explicire ſcire & credere, ſed ſufficit, quod explicite credat in fide Eccleſiæ, credendo ſcilicet quicquid credit Eccleſia, vel ſi eas credit Eccleſia. Nam earum veritatum, quas non eſt neceſſe, quod aliquis explicita, ac expreſſe credat, ignorantia, etiam aliquo modo voluntaria, poteſt excuſare ab hæreſi. Quia non eſt contra fidem, neque alia ſpecies infidelitatis, non credere explicite, quod fides non obligat ad explicite credendum, ſed ſolum ad credendum implicite in aliorum fide, ſcilicet in fide Eccleſiæ. Qui autem ex ignorantia voluntaria errat circa aliquam fidei veritatem, quam adhuc non tenetur credere explicite, ac expreſſe & cœteroqui firmiter credit quicquid credit Eccleſia, cujus judicio ſe ſubmittit, non peccat contra fidem. Quia implicite credit, & quidem firmiſſime, illam veritatem, quam ignorans negat explicite; & ad ſatisfaciendum præcepto fidei, quod ad hoc, ſufficit implicita fides, errorque in iſto non eſt ex abſoluta voluntate, ſed ex conditionata, nec error ille eſt impoſſibilis cum fide; quia aſſenſus conditionatus hac conditione, *ſi aliud fides non doceat*, ſolum materialiter, & ſecundum quid opponitur fidei, ſimpliciter verò poteſt eſſe ſimul in eodem ſubjecto cum fide.

Aliam item diſtinctionem oportet attendere. Vel enim veritas, circa quam aliquis errat, ipſi erranti fuit ſufficienter propoſita, ut veritas fidei à Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita, ut credenda, vel ſaltem, ut probabiliter dubitare teneatur, quod ſit veritas fidei vel non eſt ſufficienter propoſita. Si non eſt ſufficienter propoſita, ut nec obliget ad ejus fidem explicitam, nec ingerere poſſit rationabile dubium, quod ſit veritas de fide, errans circa illam, non laborat ignorantia craſſa, vel culpabili, ſed ignorantia invincibili, vel certe probabili. Nam reſpectu veritatum, quas aliquis non tenetur explicire credere, non tenetur eas ſcire explicite, vel adhibere diligentiam, ut illas ſciat. Et ita reſpectu earum, negligentia ſciendi, immo affectatio non ſciendi per ſe non eſt culpabilis contra fidem, cùm ad talem explicitam ſcientiam habendam non teneatur; quamvis hæc negligentia ſciendi aliunde poſſit eſſe culpabilis, tanquam contra propriam charitatem, ex qua proprias perfectiones, maximè intellectuales, tenetur quis ſibi comparare, cùm facilè id poſſit aſſequi; at ex vi præcepti fidei non tenetur homo explicite ſcire, quod non tenetur explicite credere. Ideo negligentia id ſciendi non eſt culpabilis, ſed probabilis; quia eſt ignoraotia illius rei, quam ignorans non tenetur ſcire.

Hinc non eſt ignorantia craſſa, vel affectata in ruſtico, vel muliere, vel mercatore, vel milite, vel hujuſmodi alio, qui non modo negligit, ſed ſcienter non vult directè eſſe Theologus, neque vult ſcire omnes propoſitiones de fide. Quia non tenetur ad hanc explicitam, notitiam. Nec intereſt, quod ſi hoc ignoret, videtur eſſe in periculo errandi in fide. Quia ceſſat omne periculum erroria formaliter, ſi firmiter credit quicquid credit Eccleſia. Error autem materialis non eſt contra fidem, quem etiam poteſt vitare, nihil temere affirmando circa materiam gravem, quæ ad fidem pertinere poſſit, & ut rationabilirer poſſit ſuſpicari aliquid eſſe, vel non eſſe de fide, ſuſpendendo judicium, ac ſe fidei Eccleſiæ remittendo.

At ſi veritas fidei, quæcunque illa ſit ita eſt alicui ſufficienter propoſita, ut prudenter non poſſit homo illi diſſentire, tunc vel non habet locum ignorantia, quia adeſt ſcientia, vel, ſi ignorantia eſt craſſa, vel non probabilis, non excuſat ab hæreſi. Eſt enim animadvertendum, quod hic non agimus de præcepto fidei præciſe, ut eſt affirmativum, & ut obligat ad exercitium credendi, ſed ut eſt etiam negativum, & ut obligat ad non negandam veritatem fidei, vel ad non diſſentiendum ei veritati, quam fides docet. Ac ulterius notandum, quod ad hunc effectum ſufficit, quod veritas fidei ſit ſufficienter propoſita ſaltem, ut obliget ad dubitandum, an veritas ſit, vel ne dé fide. Hæc enim ſcientia, & notitia, licet dubia, ſufficit, ut homo teneatur ſuſpendere judicium, & aſſenſum, ac ut non poſſit abſolute negare, ſeu diſſentire illi veritati, de qua dubitat, an ſit una ex revelatis à Deo, & ex propoſitis ab Eccleſia. In hoc itaque caſu, vel non habet locum ignorantia, vel illa eſt probabilis, vel non excuſat ab hæreſi.

Nec habet locum ignorantia, ſi is, cui fides eſt ſufficienter propoſita, apprehendit, propoſitam veritatem eſſe unam ex illis, quæ credi debent, vel ſaltem de hoc dubitat. Poteſt autem eſſe in hac parte ignorantia actualis, quæ eſt oblivio, vel inconſideratio, quæ ſi ſit naturalis, ſeu probabilis excuſat, quia non eſt voluntatia, nec imputatur ad culpam. Poteſt etiam eſſe ignorantia, ſi is, cui ſufficienter propoſita eſt veritas ſolum, ut poſſit dubitare, interim negligat ſcire determinate veritatem, ac dubium ſuum tollere; ſed reſpectu veritatum, quas non tenetur quis explicite credere, illa ignorantia, & negligentia non erit culpabilis ex vi præcepti fidei, cúm illud non obliget ad illam ſcientiam.

Quandocunque verò, & quotieſcunque quis poteſt, ac tenetur explicite ſcire, vel non diſſentire explicite veritati fidei ex eo, quod ſibi ſit ſufficienter propoſita, ut obliget ad aſſentiendum, vel ſaltem ad non diſſentiendum, ſi quis diſſentiat ex ignorantia, quæ tunc ſit craſſa, vel non probabilis, non excuſat eum ab infidelitate, & ab hæreſi. Atque ita dicitur univerſaliter, quod ignorantia craſſa, vel non probabilis non excuſat errantem contra fidem ab infidelitate, & ab hæreſi, ſi errans, ſit baptizatus. Quia tunc negat veritatem fidei, cum poſſit, ac teneatur non negare.

Probatur autem id primo autoritate D. Thomæ,

hoc

hoc eſt ſummi ſacræ Theologiæ Dictatoris, *p. 1. q. 42. ar. 4.* ibi: *Et circa hæc opinari falſum, hoc ipſo inducit hæreſim, maxime ſi pertinacia adjungitur.* Ubi recte Caietanus ponderat verbum illud *maxime*, ex quo aperte habetur, quod, licet tunc præcipue inducatur hæreſis, cùm error eſt pertinax, ſine tamen hujuſmodi pertinacia, proprie ac rigoroſe ſumpta hæreſi, eſt error voluntarius contra fidem, à qua ſcilicet errans tenetur explicite non diſſentire.

Idemque probatur ex eodem D. Thoma *quod lib. 3. ar. 10.* in hæc verba: *In his verò, quæ pertinent ad fidem*, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur *erroneam opinionem alicujus magiſtri. In talibus enim ignorantia non excuſat; alioquin immunes, à peccato fuiſſent, qui ſequuti ſunt opinionem Arii, Neſtorii, & aliorum hæreſiarcharum, nec poteſt excuſationem habere propter ſimplicitatem auditorum, ſi in talibus erroneam opinionem ſequatur. In rebus enim dubiis non eſt facile præſtandus aſſenſus, quinimo, ut Auguſtinus dicit* in libro 3. de doctr. Chriſt. *conſulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Eccleſiæ autoritate percepit. Qui ergo aſſentit opinioni alicujus magiſtri contra manifeſtum Scripturæ teſtimonium, ſive contra id, quod publice tenetur ſecundum Eccleſiæ autoritatem, non poteſt ab erroris vitio excuſari.* Ex quibus aperte docemur, quod in rebus fidei ignorantia non excuſat, & quod in dubiis non debet quis temere unum, vel alterum oppoſitum aſſerere, ſed inquirere ac conſulere, & interim nihil determinate aſſerere, quod poſſit veritati fidei repugnare.

Idipſum idem D. Thomas docet *q. 8. de malo ar. 1. in 7. arg. & in ad illud reſpons.* Eſt enim hoc ſeptimum argumentum: *Præterea hæreſis eſt quoddam vitium. Sed in eo, qui incurrit hæreſim ex pura ignorantia, non cauſatur hæreſis ex aliquo prædictorum vitiorum. Ergo aliquod vitium eſt, quod non oritur ex præmiſſis, & ſic inſufficienter aſſignantur ſeptem vitia.*

Huic argumento ita reſpondet: *Ad ſeptimum dicendum, quod quatuor videntur ad defectum cognitionis pertinere; ſcilicet neſcientia, ignorantia, error, & hæreſis, inter quæ neſcientia eſt communius, quia importat ſimplicem carentiam ſcientiæ, unde & in Angelis Dionyſius quandam neſcientiam ponit, ut patet in 6. cap. Eccleſ. hierarch. Ignorantia vero eſt quædam neſcientia eorum, ſcilicet quæ homo natus eſt ſcire & debet. Error verò ſupra ignorantiam addit applicationem mentis ad contrarium veritatis. Sed hæreſis ſupra errorem addit aliquid & ex parte materiæ, quia eſt error eorum, quæ ad finem pertinent, & ex parte errantis, quia importat pertinaciam, quæ ſola facit hæreticum, quæ quidem pertinacia ex ſuperbia oritur. Magna enim ſuperbia eſt, ut homo ſenſum ſuum præferat veritati divinitus revelatæ. Hæreſis ergo ex ſimplici ignorantia proveniens, ſi ſit peccatum, ex aliquo prædictorum vitiorum oritur. Imputatur enim homini ad peccatum, ſi non curat addiſcere ea, quæ ſcire tenetur. Videtur autem hoc ex avidia provenire, ad quam pertinet refugere ſpirituale bonum in quantum eſt impeditivum boni temporalis.* Admittit igitur D. Thomas dari hæreſim, quæ ex ſimplici ignorantia proveniat, & quæ ſit peccatum, quia imputatur ad peccatum homini, ſi non curat ſcire, quod ſcire tenetur, & hoc ex avidia provenire videtur.

Hoc idem probant, quæ tradit *in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. ad 6.* his verbis: *Ad ſextam dicendum quod in fide ſunt aliqua, ad quæ explicite cognoſcenda omnis homo tenetur. Unde ſi in his aliquis errat, infidelis reputatur, & hæreticus, ſi pertinaciam adjungat. Si autem ſunt aliqua, ad quæ explicite credenda, homo non tenetur, non efficietur hæreticus in his errans, ut ſi aliquis ſimplex credat Jacob patrem fuiſſe Abrahæ, quod eſt contra veritatem Scripturæ, quam fides profitetur, quouſque hoc ſibi innoteſcat, quod fides Eccleſiæ contrarium habet, quia non diſcedit per ſe loquendo à fide Eccleſiæ, niſi ille, qui ſcit hoc, à quo recedit de fide Eccleſiæ eſſe. Et quia quædam ſunt, quæ in fide Eccleſiæ implicite continentur, ut concluſiones in principiis, ideo in his diverſæ opiniones ſuſtinentur quouſque per Eccleſiam determinetur, quod aliquid eorum contra fidem Eccleſiæ eſt; quia ex eo ſequitur aliquid contrarium fidei directè.* Diſtinguit D. Thomas inter infidelem & hæreticum, & eum, qui errat circa explicite credenda, vocat infidelem, ac etiam hæreticum, ſi adjungatur pertinacia, ſic docens expreſſe, quod talis contra fidem peccat, licet non dicatur hæreticus, niſi pertinaciam habeat.

Secundo probatur rationibus, quas pro ſe adducit prima ſententia. Prima, quia nimirum pauciſſimi eſſent, qui coram Deo eſſent hæretici, ſeu peccarent peccato hæreſis, ſi ab ea ignorantia craſſa excuſat, quia pauciſſimi ſunt, qui ſcienter veritati, à Deo revelatæ, reſiſtant. Nec vim hujus argumenti tollit Cardinalis de Lugo *diſp. 20. de fid ſect. 6. num.* 194 quod plurimi ſunt, qui ab hæreſi non excuſantur, quia illis Eccleſiæ catholicæ autoritas eſt ſufficienter propoſita, ut illam credere teneantur, & qui ab ea ſibi nota recedunt, vel ex carnis illecebris, vel vitæ licentia, vel divitiarum, aut dignitatis mundanæ affectu. Cujus ſignum eſt, quod multi in morte Eccleſiæ fidem recognoſcunt. Verum quis non videat, quod ſi non ſunt cenſendi coram Deo hæretici, niſi qui in morte ab hæreſi recedunt, hi ſunt pauciſſimi? Et tamen aliàs pauciſſimi etiam eſſent, ac fere nulli, qui in morte Eccleſiæ non profiterentur, ſi ſcirent fidem, quam in vita profeſſi ſunt, eſſe falſam.

At reſponſio non diſtinguit inter ſcibile, & ſcire. Ex ſufficienti enim propoſitione rerum fidei ſequitur ſcibilitas. Quia nimirum ab eo, cui fidei veritas eſt ſufficienter propoſita, credibilitas propoſitæ veritatis ſciri poteſt, ac debet. Ex ſufficienti autem hac propoſitione non poteſt deduci actualis ſcientia. Quia poteſt eſſe, & ſæpe contingit in hæreticis quod, vel ex ruditate ingenii, vel ex motivis contrariis, vel etiam ex prava aliqua affectione, mentem excæcante, is, cui proponitur fides, vim propoſitionis veritatis non percipiat, & in propriæ ſectæ credulitate perſiſtat, quia ita perſiſtendum eſſe credat; & ſe in hoc præſtare obſequium Deo exiſtimet, ſicut exiſtimant hæretici, non ex ſcientia, ſed ex craſſa ignorantia ab Eccleſiæ magiſterio recedentes. Nam certum eſt, quod Judæis à Chriſto veritas fidei Chriſti fuit ſufficienter propoſita, & tamen eorum error fuit ex ignorantia craſſa ex D. Petro *Act. cap. 3.*

Magis urget ſecunda ratio. Quia ſcilicet ſpecies peccatorum deſumitur ab objecto. Unde voluntarium indirectum, ac directum non differunt ſpecie. Sic enim ejuſdem ſpeciei eſt homicidium voluntarium, & caſu ignoranter probatum. Id autem quod ait Hurtado, quod peccatum ex ſcientia eſt magis voluntarium, & quod error ex ignorantia habet pro objecto negationem ſtudii ac diligentiæ, error verò ex ſcientia habet pro objecto negationem autoritatis Eccleſiæ, & qui ex ignorantia errat, negat ſolum objectum revelatum, & non vult ſcire propoſitionem Eccleſiæ, hæreticus verò negat objectum revelatum, & Eccleſiæ autoritatem, quam jam cognoſcit ſibi adverſari, & ideo iſti duo errores ſpecie diſtinguuntur, id inquam ſic dictum, valde utile eſt. Primò, quia ex quo peccatum ex ſcientia ſit magis voluntarium, non probat, niſi quod intra eandem ſpeciem ſit intenſius, & gravius, ubi aliàs ex objecto nulla eſt differentia. Deinde falſum eſt, quod qui errat ex ignorantia craſſa, non offendat autoritatem Eccleſiæ, ac eam non neget, ſive ab ea non

diſſentiat, cùm libere non credat, quod Eccleſia credendum proponit ac præcipit, ſtante in hoc diſtinctione, quod in errante ex ignorantia contemptus eſt voluntarius interpretative ac indirectè, in errante verò ſcienter eſt voluntarius directè. Et dato, quod qui errat ex ignorantia craſſa, non neget omnem veritatem, quam negat, qui errat ex ſcientia, id tamen non ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam. Nam ejuſdem ſpeciei eſt hæreſis illius, qui negat totum ſymbolum fidei, ac ejus, qui unum ejus articulum non credit. Quia hæc eſt materialis differentia, & individualis, non ſpecifica, cùm non ſit in ordine ad diverſum objectum formale. Sunt igitur ejuſdem ſpeciei contra fidem error ex craſſa ignorantia, & ex ſcientia.

Id verò quod ait Cardinalis de Lugo *ea diſp.* 20. *num.* 180. *& ſeq.* ut rationem hanc refellat, nempe hos errores ex craſſa ignorantia, & ſcientia eſſe ejuſdem ſpeciei, ſed ſecundum eſſe gravius primo, ac puniri ab Eccleſia, & hunc ſolum venire ſub nomine hæreſis formalis, reducit quæſtionem ad nomen, & ad forum exteriorem; & nihilominus etiam id non eſt ſatis. Quoniam Eccleſia, ubi ſibi conſtet de ignorantia craſſa errantis in fide, punit errantem, licet non illis pœnis; quæ in jure contra ſcienter errantes ſunt decretæ.

Ac idem probat alia ratio ex hoc deſumpta, quod in aliis duabus ſpeciebus infidelitatis, qui errat ex ignorantia craſſa, committit peccatum paganiſmi, vel judaiſmi. Quod ſi dicatur ex Soarez *de fid. diſp.* 19. *ſect.* 3. *nu.* 25. dari poſſe infidelitatem privativam ſine pertinacia, infidelitas tamen poſitiva & contraria, qualis eſt hæreſis, non poteſt eſſe ſine aliqua fidei notitia, ſaltem per ſufficientem propoſitionem; Unde meritò inſtatur, quia & dari poteſt in baptizato omiſſio fidei, & vis rationis allatæ in hoc conſiſtit, quod error pagni, vel Judæi, ſi eſt ex ignorantia, & ſolum indirectè voluntarius, eſt peccatum contra fidem, ac eſt in ſpecie paganiſmi, aut judaiſmi. Atque adeo in baptizato error ex ignorantia craſſa eſt voluntarius indirectè, ac eſt contra fidem, & in ſpecie hæreſis.

Nec ſufficit dicere cum Cardinali de Lugo *numer.* 187. Quod in omnibus illis ſpeciebus infidelitatis eſt eadem ratio, quia nulla ex illis eſt proprie infidelitas cum ſolo peccato ex ignorantia, quia per nullam ex illis expelleretur habitus fidei infuſus, ſi error eſſet ſolum ex ignorantia culpabili, & fides non eſſet ſufficienter propoſita.

Nam ſupponitur falſum. Quia ſupponitur dari ignorantiam culpabilem fidei, ſi fides non ſit ſufficienter propoſita. Quod eſt manifeſte falſum, cùm nemo teneatur, ne leviter quidem credere ſine ſufficiente motivo. Immo credere leviter eſt imprudentia. Unde qui fidem vel ignorat, vel negat, cùm non eſt ſibi ſufficiens propoſita, invincibiliter ignorat, aut errat, & tunc ſolum culpabiliter ignorat, aut errat, ſi fidei ſufficienter propoſitæ myſteria ex ignorantia ignorat, vel negat. Immo, ut antea dicebatur, fidelis reſpectu eorum, quæ non tenetur explicite credere, poteſt abſque eo, quod peccet contra fidem eorum explicitam, velle directè ignorantiam, contentus ſe illa credere implicite in fide Eccleſiæ. Manet igitur inconcuſſa hæc ratio. Et quia ſicut negari non poteſt, quin verè peccet peccato judaiſmi qui ex ignorantia craſſa errat, fidem Judæorum amplectendo, ita negari non poteſt, quin ſit proprie peccatum hæreſis, ſi quis baptizatus ex ignorantia craſſa erret in fide.

Sic etiam maxime urget quarta ratio. Quia videlicet qui errat in fide ex ignorantia craſſa, peccat contra fidem; atque adeo peccat peccato infidelitatis, & non peccato paganiſmi, vel judaiſmi, ac proinde hæreſis. Nec ſatis eſt cum Cardinali de Lugo *n.* 182. negare primum antecedens. Nam & ipſe fatetur, quod hujuſmodi error eſt vera infidelitas, & quidem talis, quæ in genere infidelitatis eſt individuum completum. Quod vero, reducta quæſtione ad quæſtionem de nomine, aſſerat nomine ſpecierum infidelitatis propriè non dici, niſi de errore contra fidem, qui ſit ex ſcientia, id non probatur. Nec valet arguere à nomine concreto hæretici ad nomen abſtractum hæreſis, ut mox dicemus.

Cùm itaque ignorantia craſſa in materia fidei ſupponat talem ſufficientem fidei propoſitionem, ut ſaltem inducat in audiente rationabile dubium veritatis rei propoſitæ, hoc ſemper eſt conſiderandum an fidei veritas ei, qui errat circa fidem, fuerit ſufficienter propoſita.

Poteſt verò in hoc eſſe dubium, an errans ex ignorantia, ſi moneatur ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore, vel ab aliis viris doctis de ſuo errore, teneatur credere, & ſi perſeveret in errore, ſit cenſendus errare voluntarie circa fidem. Negant aliqui: Nam ſola Eccleſia eſt certa regula veritatis. Epiſcopi autem, Inquiſitores, aliique viri docti falli, & fallere poſſunt. Ita Sanch. *in decal. d. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 26. & Sayr. *d. lib.* 3. *de cenſ. cap.* 4. *num.* 7. ubi ait, quod iſte peccat contra fidem obligantem ad mutandam ſententiam, ſed non ſit hæreticus. Qui non eſt verè pertinax. Citat pro ſe Canum *lib.* 12. *de loc. cap.* 9. Valent *tom.* 3. *diſp.* 1. *quæſt.* 11. *pun.* 1. *diffic.* 4. Stantque pro eadem ſententia Torres, Salas, aliique apud Dianam *p.* 4. *tr.* 7. *reſ.* 36. Plures verò diſtinguunt, atque aſſerunt, hunc in ſoro interiori non eſſe hæreticum, eſſe tamen talem in ſoro exteriori. Sic Diana *loc. cit.* adducens Merollam, Vaſquez, Suarez, & Lorcam. At hunc eſſe in utroque ſoro hæreticum vult. Caſtropal. *to.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 3. *pun.* 2. *n.* 6.

Ego verò ita diſtinguo. Aut ſumus in caſu veritatis, nondum definitæ ab Eccleſia, nec expreſſè, nec virtualiter, & per neceſſariam conſequentiam, & in hoc caſu non tenetur quis viris doctis credere, nec Epiſcopo, neque Inquiſitori, Quia veritas non eſt adhuc certa de fide, neque per neceſſariam conſequentiam ex veritate de fide deducitur. Unde veritas nondum eſt propoſita ab Eccleſia, ut tenenda & credenda. Aut ſumus in caſu veritatis jam definitæ ab Eccleſia, & ab ea propoſitæ, ut credenda, & in hoc caſu ita cenſeo cum Suarez *d. diſp.* 19. *ſect.* 3. *nu.* 21. quem Diana minus rectè pro ſe refert. Si modus admonitionis ſit ita ſufficiens, ut faciat evidentiam credibilitatis ſufficientem ad obligandum ignorantem ad hoc, ut judicet, veritatem illam eſſe de illis, quæ ſunt ab Eccleſia propoſitæ, ut credendæ, in hoc caſu ille eſt in utroque foro hæreticus, ſi non credat, & diſſentiat. Alioquin nullus eſſet hæreticus, quia nullus ferè eſt, qui erret in fide, quia credat Deum, aut veram Eccleſiam revelaſſe falſum, ſed quia, cùm veritas ſit ſibi propoſita, ut revelata à Deo, ſive ut ab Eccleſia verè propoſita, ut credenda, hoc ille non vult credere. Ad hæreſim igitur ſufficit, quod quis nolit credere id, quod ſibi, ut revelatum à Deo, & ab Eccleſia eſt propoſitum ita ſufficienter, & ex talibus motivis, ut prudenter non poſſit judicare, niſi quod vere illud ſit credibile.

Atque hoc modo, moraliter loquendo, ſufficienter proponi cenſetur, quod proponitur ab Epiſcopo, vel ab Inquiſitore, qui ſunt Miniſtri fidei ab Eccleſia ad id deputati, ut fidem doceant, & de eorum ore fideles fidem veram percipiant. Ideoque hæreticus in utroque ſoro eſt, qui, non obſtante monitione Epiſcopi, vel Inquiſitoris proponentis veritatem,

tem, ut definitam ab Eccleſia, in ſuo adhuc errore perſiſtit. Nec ratio contrariæ ſententiæ premit. Quia hic non tenetur credere Epiſcopo, vel Inquiſitori, ſed Eccleſiæ per Epiſcopum, & Inquiſitorem docenti. Idque ex eo verius apparet, quod vix poſſibile eſt, quod propoſitio Epiſcopi, aut Inquiſitoris, aut viri docti, ac pii non inducat rationabile dubium de veritatis propoſitione ab Eccleſia, quando iſti veritatem proponunt, ut definitam ab Eccleſia, vel ut conſequentem per neceſſariam conſequentiam ex doctrina Eccleſiæ. Eſto igitur, quod tunc qui errat in fide, poſſit ſuſpendere actum, ſi nolit illis fidei miniſtris credere, quia poſſunt ipſi eum decipere, & ſit detur locus, quod poteſt aliquando dari, non habendi actum fidei pro tunc, præcepto fidei, ut eſt affirmativum, tunc non obligante, tenetur tamen non diſſentire, quia ad id obligat præceptum fidei, ut eſt negativum. Non enim licet in dubio àbſolute negare, quod indicatur poſſe verum eſſe de fide.

Quapropter communis ſententia Juriſperitorum aſſerit, habendum eſſe, ut hæreticum illum, qui per Epiſcopum, aut Inquiſitorem aut doctos viros ab eis miſſos admonitus de ſuo errore contra fidem, in eo perſeverat, ut docent Cardin. *in d. Clem.* 1. *de ſum. Trinit.* Bartol. *in l. tutor §. tutores num.* 1. *ff. de juſſ. tut.* & alii, quos referunt, ac ſequuntur Pegna *d. p.* 1. *com.* 26. *ad quæſt.* 12. Farinac. *de hæreſ. quæſt.* 169. *à num.* 10. *loc.* Ugolinus, ac Rebuffus apud Caſtropal. *loc. cit.* Simanchas & Albertinus apud Dianam *d. reſol.* 36. Quod quia non fundatur in præſumptione, ſed quia verè, qui ignorat fidem, tenetur credere Eccleſiæ miniſtris, fidem docentibus, at ſufficienti motivo demonſtrantibus credibilitatem alicujus veritatis, ideo doctrina illa Juriſperitorum vera eſt in utroque foro.

Si verò admonitio facta à viris doctis, vel fortaſſe in aliquo caſu ab Epiſcopo, vel Inquiſitore ſit inſufficiens, & talis, cui prudenter poteſt reſiſti, in eo caſu non eſſet hæreticus in ullo foro. Quia veritas fidei non eſſet ei ſufficienter propoſita, & ſic adhuc laboraret ignorantia invincibili, vel probabili. Sed rarò contingere poterit, quod in his caſibus admonitio non ſit ſufficiens.

Advertit tamen Caſtropal. & Sanchez *loc. alleg.* & Farinac. *quæſt.* 179. *§.* 2. *num.* 14. facilius judicandum eſſe pertinacem virum doctum, quam hominem ruſticum, qui non eſt adeo capax, ut ſciat regulas fidei, ac motiva credulitatis percipiat. Quare poteſt contingere, quod monitio ſit ſufficiens reſpectu viri docti, & non reſpectu ruſtici. Id nos admittimus, ſed etiam conſiderari debet, quod cum ſimus in caſu veritatis definitæ ab Eccleſia, ſi ignoranti demonſtretur Eccleſiæ definitio, contenta vel in Concilio, vel in aliqua Conſtitutione Apoſtolica, ſufficiet, ut obliget ad credendum, ac ut ignorantia non excuſet.

Atque ex his etiam ſolvi poteſt quæſtio, an proteſtatio pertinaciam excludat? Si namque ſumus in caſu veritatis, nondum definitæ ab Eccleſia, & quæ ex definitis adhoc non deducitur per conſequentiam certam, ſed dubiam, & adhuc, ſalva fide, opinabilem, proteſtatio maxime valet ad liberandum, non modo ab hæreſi, ſed etiam ab omni hæreſis præſumptione, ut habetur *d. can.* dixit Apoſtolus 24. *q.* 3. & in hoc caſu locum habet doctrina Pegnæ *p.* 1. *quæſt.* 22. *com.* 26. & Farinacii *de hæreſ. quæſt.* 178. *num.* 150. & aliorum apud ipſos. At ubi veritas de fide ſit certa, proteſtatio erit contra factum, & inutilis, niſi veritas ſit talis, cujus præſumi non poſſit notitia in proteſtante, ut per Caſtropal. *d. pun.* 2. *num.* 7. Niſi enim probabilis ignorantia in eo præſumi poſſit, proteſtatio non excuſat ab errore, qui de facto eſt vera hæreſis, à qua non excuſat ignorantia, niſi ſit invincibilis, aut probabilis.

Verum, ut prædiximus, diſtingui & hic debet inter hæreſim, & hæreticum, ac ita, ut non omnis errans contra fidem proprie dicatur hæreticus. Diſtingui etiam debet hæreſis theologicè à canonicè ſumpta quod ad pœnas legis poſitivæ, ſive hæreſis imperfecta in genere voluntarii, & perfecta, à qua ſola errans in fide ſimpliciter dicatur hæreticus ex uſu, ac inſtitutione nominis hæretici. Id explicat perſpicue more ſuo D. Thomas *in* 4. *d.* 13. *quæſt.* 2. *ar.* 1. cujus hæc ſunt aurea verba: *Dicendum, quod nomen hæreſis græcum eſt, & electionem importat ſecundum Iſidorum. Unde & hæreticæ diviſiva dicuntur. Et quia in electione fit diviſio unius ab altero, electio pro hæreſi dicitur, ut patet 9. Metaph. Diviſio autem contingit alicui parti per receſſum à toto. Prima autem Congregatio, quæ eſt in hominibus eſt per viam cognitionis, quia ex hac omnes aliæ oriuntur. Unde & hæreſis conſiſtit in ſingulari opinione, præter communem opinionem. Unde & Philoſophi, qui quaſdam poſitiones habebant, præter communem ſententiam aliorum, ſectas vel hæreſes proprias conſtituebant. Sed quia nullus denominatur ab eo, quod ineſt ſibi imperfecte, ſed ſolum quando confirmatur in illo, ſicut non dicitur iracundus, cui ineſt paſſio iræ, ſed qui paſſibilis eſt de facili ab ea, neque qui habet diſpoſitionem dicitur ſanus, ideo neque hæreticus nominatur, niſi qui in ſingulari opinione firmam habet ſtabilitatem, unde etiam competit ei nomen hæreſis ſecundum quod in electionem ſonat, quia quod in electione fit, quaſi ex habitu firmato procedit. Competit etiam & nomen hæreſis ſecundum quod Latinum eſt ab hærendo dictum, quia ſuæ opinioni vehementer inhæret. Et quia congregatio corporis myſtici per unitatem veræ fidei primò conſtituitur, ideo hæreticus ſecundum nos dicitur, qui à communi fide, quæ catholica dicitur, diſcedit, contrariæ opinioni vehementer inhærens per electionem.* Exinde autem eſt, quod hoc nomen hæreticus ex uſu, & communi ſignificatione ſignificat eum, qui ſcienter à communi Chriſti fide recedit, nam qui recedit ignoranter, non recedit, tanquam vehementer inhærens errori ex electione

Neque obſtat, ſi dicatur, quod qui caſu ex ignorantia craſſa interficit hominem, dicitur homicida. Igitur & qui ignoranter errat in fide dicitur hæreticus. Nam primo non eſt eadem ratio. Tum quia homicida ex uſu nominis dicitur, qui injuſte occidit hominem; hæreticus verò dicitur qui pertinaciter errat in fide. Et tum quia ex peccatis alia ſunt, quæ habent extrinſecus effectum irredivivum, qui in priſtinum ſtatum reſtitui non poteſt, ſicut eſt homicidium. Alia verò ſunt, quæ vel nullum effectum extra producunt, ſed in actu immanenti, facilè mutabili conſumantur, vel inducunt effectum, facile variabilem, ac emendabilem, ſicut eſt hæreſis exterior, quæ in verbis conſiſtit, & quæ facile poteſt retractari. In iis autem quæ habent irrevocabilem effectum, quia denominatio pendet maxime ab effectu, peccator facilius denominatur à quocunque actu, etiam per ignorantiam habito. Quia actus ille, etiamſi ex paſſione, aut ignorantia proveniat, firmitatem habet ex effectus immutabilitate, & irreparabili damno, ac ſi ſcienter, & ex malitia habitus fuiſſet, & tale peccatum eſt homicidium. Sed in iis, quorum damnum eſt facile reparabile, ſi aliàs etiam peccandi actus proveniat vel ex paſſione, vel ex ignorantia, facilius uſus induxit, ut à ſimilibus peccatis peccans non denominetur ſimpliciter talis, niſi ſcienter, & ſic firmiter peccet.

Deinde reſpondetur retorquendo objectionem. Quia quod ad complures effectus legis poſitivæ non cenſetur homicida, qui caſualiter, aut ignorantia, etiam craſſa, occidit aliquem, ſed ſimpliciter homicida dicitur, qoando homicidium eſt directè voluntarium, ut eſt illud, quod fit per iuduſtriam. Unde ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. cap. 6.* Epiſcopi diſpenſare non poſſunt in irregularitate ex homicidio volnntario, etiam occulto, contracta. Et in genere homicidii imperfectum eſt homicidium, quod non eſt ſcienter ex induſtria patratum, & hoc quod ad plures legis effectus ac pœnas, non denominat hominem homicidam.

Sed ad rem noſtram diſtingui etiam debet forus interior ab exteriori. Nam in foro interiori coram Deo, & quod ad pœnam æternam, hæreticus eſt qnicunque voluntarie, ſive directe, ſive indirecte errat in fide. At forus exterior, qui interiorem mentis diſpoſitionem non percipit, niſi ex effectibus ſenſibilibus ducatur, ac præſumptionibus inhæreat, aliquando pro hæretico non habet eum qui verè eſt talis; quia extrinſecus talis præſumi non poteſt. Quamobrem in foro exteriori hæc regula præſertim attenditur, ut non admittatur ignorantia excuſans ab errore contra ea, quæ aliquis tenetur explicite credere, qualia ſunt, quæ continetur in Symbolo Apoſtolorum, ſive quæ ab hominibus ſimilis conditionis communiter ſciuntur, ſive quæ ex officio ſciri debent. Quia in his non poteſt præſumi ignorantia, niſi craſſa, vel improbabilis, quæ ab hæreſi non excuſat. Et ideo errans in his habetur pro hæretico, neque excuſatio ignorantiæ admittitur. Quæ tamen admittitur reſpectu eorum, quæ errans non tenebatur explicite credere, ſed ſolum implicite. Nam quod ad hæc facilè poteſt eſſe ignorantia invincibilis vel probabilis, cùm errans non teneatur illa explicite ſcire ac credere, ut ex Pegna *d. p. 1. quaſt. 7. num. 22. & p. 2. ad cap. 1. de haret. com.* 22. Azor. *d. lib.* 8. *cap. 6. quaſt. 7.* Simanch. *tit. 26. num.* 5. Farinac. *d. queſt.* 179. *§. 3. num.* 34. Souſ. *lib. aphor. cap. 12. num. 13. & ſeq.* ac notat Salel. *lib. 5. cap. 3. reg.* 386. *num.* 34. Exquo idem Souſa *num.* 18. Simanch. *num.* 8. Farinac. *n* 36. Salell. *n.* 35. recte deducunt, quod errans in fide per ignorantiam, ſi ipſa non ſit invincibilis, ſeu probabilis, abjurare debet pure ac ſimpliciter abſque conditione pro qualitate culpæ, aut ſuſpicionis de errore formali, majoris, vel minoris, vehementis vel levis arbitrio Inquiſitoris.

Et ad eliciendam præſumptionem qualitatis erroris ejus, qui errat in fide, conſideranda eſt primò qualitas perſonæ, an ſit vir, an mulier, perita morum, an ruſtica, pubes, an impubes, an perſpicax, an notitiam habeat credendorum, & qualem, an orta ex catholicis, an ex hæreticis & in qua civitate, ſuſpecta ne, an fideli, ac inter quos fuerit educata. Deinde expendenda eſt qualitas articuli, circa quem perſona inquiſita errat, an ſit ex articulis, qnos credere tenetur explicite, an ſolum ex illis, quos credere ſufficit implicite, ac ſolis viris doctis ſunt manifeſti. Præterea eſt attendendum, á quibus errans ſeductus fuerit, an à parentibus, an à parochis, an à ſuperioribus, quibus credere tenebatur, an ab aliis, qoibus non eſt obligatio eredendi. Poſtremo animadverti debet, an errans ſtatim ac monitus fuit, reſipuerit. Hæc enim, ac hujuſmodi alia ponderanda eſſe, tradunt etiam Pegna *d. p. 1. direct. com.* 22. *reg. 2. & 4. & p. 3. com.* 40. Farinac. *d. quaſt.* 179. *un.* 33. *ac ſeq.* Carena *p. 3. tit. 12. §. 9.* Souſa *lib. 1. aphor. cap. 12. num.* 14. Salell. *d. reg.* 386. *n. 23. & 24.* Azor. *d. p. 1. lib. 8. cap. 6. q. 6. aliique.*

Nam ex prædictorum conſideratatione Eccleſia poterit colligere, an errans ex ſcientia, an ex ignorantia culpabili, an ex ignorantia probabili erraverit, atque ideo an ſit cenſendus hæreticus, an de hæreſi ſuſpectus, & qualiter, quave pœna ſit puniendus. Quod ſi conſtiterit, errantem erraſſe ex ignorantia voluntaria, quia ignoravit, quod poterat, & debuerat ſcire, licet non ſit habendus, ur hæreticus quod ad illas pœnas, qnæ in jure latæ ſunt contra ſcienter errantes, non erit tamen excuſandus à tota pœna, & præcipue ab abjuratione pro qualitate culpæ, aut ſuſpicionis ut dictum eſt.

E quibus primum argumentum diluitur. Illud enim aliud non probat, niſi quod non cenſetur hæreticus quod ad pœnas omnes juris, niſi qui eſt in errore pertinax. Sed expendendi ſunt diſtincte canones adducti. Nam Auguſtinus *ep.* 162. relaca *in d. can. dixit. Apoſtolus 24. q.* 3. excuſat ab hæreſi eum, qui ſententiam falſam prava animoſitate non defendit, ſi quærit cauta ſolicitudine veritatem. Hic autem non laborat ignorantia craſſa, neque interim abſolute diſſentit iis, quæ ſunt fidei, ſed veritatem quærit. Loquitur igitur Auguſtinus de eo, cui non eſt adhuc propoſita veritas fidei, ut prudenter obligetur ad credendum. Quia iſte ſuperflue ac imprudenti ſolicitudine quæreret veritatem, quam ante oculos haberet, ſed loquitur de eo, cui veritas in ratione credibilis, non eſt ſufficienter manifeſtata, niſi ut de ſuæ ſenrentiæ falſitate dubitet, & ut hunc excludat ab hæreſi, exigit, ut ille ſolicite veritatem quærat, ſuſpendendo interim judicium. Hic verò non laborat ignorantia craſſa, vel non probabili.

Cœterum, ut habetur *ex can. hereſis 26. ead. cauſ. & quaſt.* hæreſim habet quicunque male ſentit de fide. Et Auguſtinus *lib. de util. cred. cap.* 2. ut legitur *in can. hareticum ibid.* probe diſtinguit inter hæreticum & illuſum, ut hæreticus, ſit, ob malum finem falſas opiniones ſcienter gignit, aut ſequitur, illuſus verò, qui ab altero decipitur, & ſic ex ignorantia errat. Et ita praxis obtinuit, ut hæreticus ſimpliciter dicatur qui ſcienter errat in fide, ſicque non excuſetur ab hæreſi, neque ſit imperfecte hæreticus qui ex ignorantia craſſa in fide errat. *Ex illo autem cap. damnamus de ſum. Trin. & cap. 1. eod. tit. in 6. ac Clem. 1. eod. etiam tit. aliiſque Canonibus citatis* ſolum habetur, quod hæreticus dicitur, qui præſumit, ſive pertinaciter adhæret errori. Quod verum eſt ad incurrendum ſacrorum Canonum pœnas: quia in jure Canonico non habetur pro hæretico ſimpliciter, niſi qui ſcienter, ac pertinaciter errat in fide, non autem quod ſiquis non credat quod credere poteſt, ac tenetur, non ſit hæreticus coram Deo, ſive non peccet peccato hæreſis.

Secundum argumentum infirmum eſt. Negatur enim, quod univerſaliter omnis, qui contra fidem errat ex ignorantia, non recedat ab objecto formali fidei. Immo ex hoc retorqoetur argumentum, qood, per ſe loquendo, qui errat contra fidem ſibi ſufficienter propoſitam ex ignorantia voluntaria & culpabili, recedit à fidei objecto formali. Non enim eſt diſcrimen inter errantem ex ſcientia, & ignorantia in hoc, quod eſt voluntarium negare, eſſe verum, quod Eccleſia propoſuit, ut revelatum à Deo, ſed in hoc, quod id in ignorante eſt voluntarium indirecte, in ſciente autem eſt voluntarium directe. Voluntarium autem indirecte, & voluntarium directè non mutant ſpeciem, ut palam eſt.

Tenendum igitur, quod in hac re vel ignorantia erit invincibilis, vel probabilis, & ſic moraliter involuntaria. Vel ſi articulis fidei ignoratus non ſit ſufficienter propoſitus, vel ſit de illis, ad quæ credendum explicite ignorans non teneatur habere ſcientiam expreſſam, illius ignorantia, etiamſi eſſet affectata, non eſt culpabilis per ſe ex eo, quod ſit contra præceptum fidei, ideo eſt probabilis, & cenſetur involuntaria. Non itaque mirum ſi in tali ignorante omiſſio

actus

actua fidei, vel etiam error non ſit contra objectum formale fidei, & ſi ita errans non amittit fidem, cùm talis error non cenſetur voluntarius. Sed ſi ignorantia eſt craſſa, & culpabilis, ſicque voluntaria, voluntas de præſenti, licet indirecta, tollit totam illam virtutem & efficaciam, quam poſſit præbere voluntas illa virtualis, quæ aliàs adeſſet, & cenſeretur adeſſe ex eo, quod ignorans ſi non ignoraret, ſed ſciret, crederet, quod ignoranter negat, & negare non debet, cùm illud ſit ex illis, quæ explicite credere debet, ac ſibi eſt ſufficienter propoſitum, & ſic ille voluntarie non credit. Et ita ſicut homicidium ex ignorantia craſſa commiſſum, licet tantùm indirecte volitum, eſt formaliter contra formale objectum juſtitiæ, & fornicatio ignoranter hoc modo habita, licet indirecte volita, eſt contra objectum formale caſtitatis, non obſtante, quod homicida, vel fornicator non occidiſſet, aut non fuiſſet fornicatus, ita qui ſic ignoranter negat, quod credere debet, voluntarie recedit ab objecto formali fidei, non obſtante, quod crederet, ſi ſciret.

CONSULTATIO CXCVIII.

An & quatenus Hæretici reſipiſcentes ſint ab Eccleſia recipiendi? Et, an quatenusve relapſo per Sedem Apoſtolicam ſit concedenda abſolutio, ac rehabilitatio ad honores, & dignitates?

AD 1. Reſpondeo. Hæretici vel ſunt relapſi in hæreſim, vel non ſunt relapſi. Illi autem dicuntur relapſi in jure Canonico, qui poſtquam hæreſim publice coram Judice abjurarunt, id eſt jurejurando damnarunt, & execrati ſunt, in eam iterum incurrunt. Ita Archidiaconus, Joannes Andreas, Geminianus, & alii *in cap. accuſatus de hæret. in 6.* Unde etiam ſi quis millies in hæreſim, à qua per veram cordis pœnitentiam receſſit, relabatur, non habetur relapſus in jure, niſi hæreſim coram Judice abjuraverit, ut etiam alibi fuſius diximus.

Hi autem hæretici relapſi, tametſi recipiantur ad ſacramenta, non tamen permittuntur vivere, ſed ſine ulla ſpe veniæ ac miſerationis traduntur brachio ſeculari, ut morte puniantur, ut alibi etiam diximus. Quia Eccleſia non poteſt ſperare, ut tales ſint futuri conſtantes in fide, & ideo judicat expedire, ut tollantur è medio, ne aliis noceant.

Non obſtat *l. ultima C. de ſum. Trinit.* ubi in reſiduo Epiſtolæ Joannis Papæ ad Juſtinianum Imperatorem habentur hæc verba: *Sed quia gremium ſuum nunquam redeuntibus claudit Eccleſia*, &c. Nam reſpondet Gloſſa *in cap. ſuper eo de hæret.* Eccleſiam non claudere gremium redeuntibus, quia admittit omnes, qui reſipiſcunt, ad Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, licet non omnibus concedat vitam.

Minus obſtat, quod *ex can. duo 23. q. 4.* videtur etiam vitam omnibus concedere. Ibi enim leguntur hæc verba: *Perſequamur in eis propriam iniquitatem, miſereamur communem naturam.* Quaſi dicat, in hæreticis duo ſpectanda ſunt, nempe peccatum hæreſis, & humana natura. Hæreſim debemus odiſſe ac perſequi, non autem humanam naturam. Unde colligitur, hæreticos, etiamſi rei lapſi ſint, non eſſe interficiendos, modò reſipiſcant.

Reſpondeo. Iſte Canon generatim loquitur de homine peccatore, & inter alia dicit: *Ita nulli homini claudenda eſt miſericordia, ſicut nulli peccatori impunitas relaxanda eſt.* Et poſtea ſubdit: *Non ergo ſuſcipiamus peccatores propter hoc quod ſunt peccatores, ſed tamen eos ipſos, quia & homines ſunt, humana conſideratione tractemus. Perſequamur in eis propriam iniquitatem, miſereamur communem naturam.* Si hoc ad hæreticos accomodemus, erit hic ſenſus: Nulli, quatenus hæreticus eſt, relaxetur impunitas. vel ſic: Perſequamur in hæreticis propriam iniquitatem, infligendo pœnas in jure conſtitutas. Miſereamur communem naturam, recipiendo ad fructum, & participationem ſacramentorum.

Hæretici verò non relapſi modo jamdicto, ſi reſipiſcant, recipiuntur benigne ab Eccleſia. Quia cùm Deus paratus ſit recipere omnes peccatores, pœnitentiam agentes, & velit illos ſalvos fieri, non debet Eccleſia negare illis ea præſidia, quibus ſalvari poſſint, cujuſmodi ſunt Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ, ac vita etiam temporalis cum Canonicis pœnitentiis, ac pœnis etiam Imperialibus.

Non igitur iſti, ſi non ſint relapſi jure Canonicò, ſtatim feralibus flammis abſumendi ſunt, quod ultimum ſuppliciorum videtur penè atrociſſimum; ſed id agendum, ut in viam reducantur, & reſipiſcant. Quod Imperatores etiam pœnarum terroribus quæſiverunt *l. ſiquis Manichæus 7. C. Theod. de hæret. Eos*, ſcilicet Manichæos, *qui etiam poſt legem primitus latam, nequaquam ab illicitis, & profanis coitionibus refrænari divina ſaltem monitione potuerint, tanquam in ipſius depictæ legis injuriam, veluti ſacrilegii reos tenemus, ſeveritatem præſentium ſtatuterum non jam* (ſic videtur legendum pro tam) *ad conſtituenda, ſed ad ulciſcenda legis ſanximus exemplum, ubi prioribus legibus emendationem quæſiverunt, poſterioribus autem priores muniunt, earumque contemptum vindicant.*

Sic in novel. Theod. & Valent. *tit. 3. de Judæis, Samar. hæret. & pagan.* ibi: *quos non promulgatarum legum mille terrores compeſcunt, ut ſi emendari non poſſint, mole ſaltem criminum, & illuvie victimarum diſcerent abſtinere.* Loquuntur autem Imperatores de pœnis paganorum, ſi ſacrificia pagana, ſive ethnica peragant, idque non clam, ſed publicè. Sic enim aiunt: *Hinc proſpicit noſtra clementia paganorum quoque, & gentilis immanitatis vigiliam nos debere fortiri, qui naturali veſania & licentia pertinaci veræ religionis tramite diſſidentes, nefarios ſacrificiorum ritus, & funeſta ſuperſtitionis errores, occultis exercere quodammodo ſolitudinibus dedignantur, niſi ſcelera profeſſionis genere publicentur.* Horum ipſorum emendationem cùm Imperatores quærant, neceſſe eſt eos non interimi, ſervari, ut ſint qui emendari poſſint.

Et propterea non in omnium omnino fortunas, & ſanguinem ira Imperatoria conſurgit, ſed in quoſdam ſcelerum videlicet architectos, in ipſo ſacrificio pagano comprehenſos, ut horum pœna cœteri pagani terreantur, ſitque unius, aut paucorum pœna metus multorum, ut ait *l. 1. C. ad leg. Jul. repet. l. 3. C. Theod. eod.* Id enim facinus eſt ſeveriter expiandum, ut, qui id faciunt, gladio ultore ſternantur *l. 1. C. de pagan. & ſacrif. & templ.* & ultimum ſupplicium ſubeant tum ipſi ſacrificantes, tum miniſtri eorum *l. nemo venerandi 7. C. eod.* Alias eſſe paganum eſt immaniſſimum ſacrilegium, & propterea maxima quoque pœna puniendum. Unde Imperatores ibidem dicunt; quanquam paganorum dementia cunctorum ſuppliciorum acerbitates expoſcat. Verùm hic etiam Imperatores lenitatis ſibi innatæ memores non jubent omnes omnino paganos interfici, ſed contenti ſunt animadvertere in eos, qui in ſacrificio gentili comprehenduntur. Sic in eadem novella, quamvis Judæi ſupernæ Majeſtati, & Romanis legibus inimici ſint; atque ita immaniſſimum committant ſacrilegium, tamen tum demum capite puniuntur, cum vel invitum aliquem, vel ſuaſione plectenda ex cultu Chriſtianæ religionis in nefandam ſectam ſuam, ritumve traduxerint, & perverſa doctrina fidem alterius perverterint *l. ult. C. de Judæis & cœlic.*

Eandem emendationem, qua mens in melius mutetur, exprimunt Imperatores *in l. omnes hæreſes C. Theod. de hæret.* ſacrilegæ ſuperſtitionis auctores, participes, conſocii proſcriptione p eſtendi, ut ab errore perfidiæ, ſi ratione retrahi nequeant, ſaltem terrore revocentur. Et in l. Manichæos, hæreticos, 64. C. Theod. eod. *Omnes perſonas infauſti erroris jubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubveniat* & in l. Manichæos, hæreticos, ſchiſmaticos 62. C. Theod. eod. *circa hos maxime exercenda commonitio* (alias *urgenda commonitio*) *eſt, qui pravis ſuaſionibus a venerabili Papa ſeſe communione ſuſpendunt, quorum ſchiſmate plebs etiam reliqua vitiatur. Hic conventione* (forte condemnatione) *præmiſſa, viginti dierum condonavimus inducias, intra quos, niſi ad communionis redierint unitatem, expulſi uſque ad centeſimum lapidem ſolitudine, quam eligunt, macerentur*, l. caſſatis 52. C. Theod. eod *Eos enim, quos neque illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio ſubſequetur, Servos etiam dominorum admonitio, vel colonos urbinia crebrior ictus, à prava religione revocabit, ni malint ipſi ad prædicta diſpendia, etiamſi ſint Catholici, retineri* L. Donatiſtas C. Theod. eod. *ſi quinquies eundem conſtiterit multatum eſſe*, (hoc *multatum eſſe*, aut ſimile quid ſententia videtur exigere) *nec damnis ab errore revocari, tunc ad noſtram clementiam referatur, ut de ſolida ejus ſubſtantia, ac de ſtatu acerbius judicatur* l. adverſarios C. Theod. ne ſanct. bapt. iter. *niſi pravæ mentis errorem reverendo adverſus fidem* (forte ad veram fidem, *conſilio emendato correxerit*

Hanc emendationis ſpem in pertinaciſſima quoque Judæorum gente non deſperavit Juſtinianus Imperator *in Novel.* 146. *c.* 2 cùm eos, qui propoſitas illic blaſphemias effari auſi fuerint, ultimo ſupplicio ſubdit, ut illorum exemplo emendet Judæorum gentem ab errore ſuperinducto. Et *cap.* 3. ubi eos monet, ne ſolas conſiderent litteras, ſed res ipſas guſtent, & tandem diſcant, quod melius eſt & eſſent aliquando errare, & peccare circa hoc ipſum, quod præcipuum eſt, dicimus autem ſpem in Deum. Et ſtatim ſubdit: *Et propterea omnes eis linguam aperuimus ad ſacrorum librorum lectionem, ut omnes deinceps eorum accipientes notitiam dociliores fiant ad meliora, cùm in rebus confeſſis hoc ſit eum multò eſſe aptiorem ad dijudicandum ſive diſcretionem, & ad melioris electionem, qui ſacris ſit innutritus libris, & cui parum deſit ad emendationem, quàm is, qui eorum nihil ſciat*, &c. Qui verò præter legem, & conceſſionem fecerint, eos primum corporalibus pœnis ſubjici vult, & exulare, ac de bonis auferens, ut non ſimul & contra Deum, & contra imperium inſurgant. Quod ſi in Judæis ſpes eſt emendationis, qui tamen Chriſti nomen abominantur, multò magis erit bene de iis ſperandum, qui Chriſtiani dici volunt, à vero tamen, & perfecto Chriſti cultu aberraverunt, repetendumque hîc illud eſt Sidonii *lib.* 6. *Epiſt.* 11. *Neminem nos decet ex aſſe damnabilem pronunciare, dum vivit, in ſpe enim adhuc abſolutionis eſt, cui ſuppetit poſſe converti.* Maximè cùm tot occurrant loca, quæ hæreticis vitam non auferunt, ut ſunt omnia ea, quibus deportari, in exilium mitti, urbibus expelli, pecunia multari jubentur, cumque alia illis tribuuntur, quæ in mortuos, vel ultimo ſupplicio abſumptos non cadunt, de quibus antea ſuo loco.

Sic Irenæus Tyriorum Epiſcopus, qui & Neſtorianus erat, & malo more ad Epiſcopum irrepſerat, deponitur, & jubetur in patria degere, ac omnino quieſcere, & ſchemate, atque nomine ſacerdotis exutus eſſe *l.* 3 *§. pen. C. de ſum. Trinit. & fid. cath.* Sic l. ſiquis Manichæus 7. *Cod. Theod. de hæret.* ipſis etiam Manichæis, qui omnium ſunt deterrimi, non vivendi ſed Romano jure vivendi facultas eripitur, & *l. quiſquis* 9. *Cod. Theod. eod.* vivat inteſtabilis, vivus impendat. Et l. Eunomiani, Macedoniani 13. *Cod. Theod. eod. in aliis locis vivant*, & l. Eunomiani 23. *Cod. Thod. eod. vivant jure communi.* Cum & pœnæ majoris, ſi temporis diuturnitatem, ac pœnæ durationem, & morſus animi hac in vita ſpecies, videtur, verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis *l.* 3. *C. de apoſtat. l.* 4. *Cod. Theod eod.* in quam ſententiam & Julius Cæſar diſſeruit, cum de puniendis Catilinariæ conjurationis ſociis ageretur apud Saluſtium *de conjur. Catilin.* Quod ipſum pœnæ mitioris genus in Clericos hæreticos uſurpatum eſt ab Imperatore Juſtiniano *Novel.* 42.

Hæreticos igitur per veram pœnitentiam redeuntes benignè excipit ſuo gremio Eccleſia, ſi relapſi non fuerint, & ſalutarem eis pœnitentiam injungit. Pertinacees verò, qui renuunt ad ſaniorem mentem converti, hæreſim exuere ac deponere, primùm monet, ut reſipiſcant, & hæreſim abjurent, deinde lata ſententia, qua declarantur hæretici pertinaces, Judici ſeculari relinquuntur, qui confeſtim eos juſtus, ac debitis pœnis condemnare debet. Relapſis verò, quamvis actâ pœnitentiâ, ſpes omnis veniæ denegatur, ac deinde eos Judici ſeculari tradit Eccleſia, ut in eos ſecundum leges, animadvertat. De quibus etiam ſuo loco dictum à nobis eſt. Longo enim experimento didicit Eccleſia à relapſu jure ſpem omnem veniæ hæreticis præcidi oportere, ne, qui relabuntur in hæreſim, alios inficiant, & corrumpant. Item ne alii facilius in hæreſim jam abjuratam recidant. Prætereà, quia relapſus in hæreſim ex magna in fide, ac Religione inconſtantia, & levitate naſci ac proficiſci ſolet. De modo autẽ, quo recipiantur redeuntes ad fidem hæretici, diximus etiam alibi.

Ad ſecundum. Aſſero primùm, hæreticum, utcumque relapſum, poſſe à ſummo Pontifice, nedum abſolvi, ac unitati Eccleſiæ reſtitui, *cap. ſuper eo de hæret. in* 6. ſed etiam ad honores, ac dignitates rehabilitari. Tum quia multis exemplis id factum eſſe, conſtat. Tum quia conſtitutio, *ad abolendam de hæret.* jubens eos ſine ulla pœnitus audientia ſeculari judicio eſſe relinquendos, eſt juris poſitivi, quippe à Lucio tertio condita fuit. Quod notat Innoc. *in cap. cum ad monaſterium n.* 3. *de ſtat. Monach.* Unde omnis pœna relapſi quoad Papam eſt arbitraria, ut late Arnald. *in cap. quoniam q.* 12. *n.* 9 *de hæret. in* 6.

Secundò aſſero, abſolutionem poſſe concedi pœnitẽti, denegari impœnitenti. Prima pars probatur vulgatis ſacræ ſcripturæ locis. Eccleſia numquam claudit gremium *redeunti*: *Peccator in quacunque hora converſus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius. Cum converſus fueris, & ingemueris, tunc ſalvus eris*, aliiſque ſimilibus, quorum paſſim meminere Sancti Patres nominatim Chryſoſtomus *Ep.* 5. *ad Theodorum lapſum*, ubi tem pluribus illuſtrat exemplis. Idemque habetur diverſis Gratiani locis *can. penderet d.* 50. *can. cognovimus §. Ecce. can.* 15. 26. *q.* 6. *can quis ead. d.* ubi habetur ibi dari miſericordiam, ubi poſt peccatum eſt ſequuta pœnitentia. Nec enim debet deſpici iſti eo, quo fuit, quia jam incipit eſſe, quod non fuit. Quæ habere locum in relapſo, conſtat ex textu *in d. cap. ſuper eo* ubi Archid. Jo. Andr. ac cœteri Doctores, & D. Thomas 2. 2. *q.* 11. *ar.* 4.

Secunda pars probatur ex *can. legatur* 24. *q.* 2. in quo habentur hæc verba Gelaſii Papæ: *Legatur ex quo eſt Religio Chriſtiana, vel certe detur exemplum in Eccleſia Dei à quibuslibet Pontificibus, aut ab ipſis Apoſtolis, aut ab ipſo demum Salvatore veniam, niſi corrigentibus ſe, fuiſſe conceſſam.* Idem habetur *in can. pœnitentes d.* 50. Quod ſi in quolibet peccatore id obſervandum eſt, ut non abſolvatur, niſi pœnituerit, id certe exactius obſervari oportet in relapſo, qui cum redierit ſemel ad hæreſim abjuratam, jam ſe oſtendit in fide Catholica inconſtantem, ut iccirco prudenter Alexander quartus *in d. cap. ſuper eo de hæret. in* 6. expreſſe ſtatuit, ne relapſus ad ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ recipiantur, niſi manifeſta dederit inditia pœnitentiæ,

Atque

Atque, his ita conſtitutis,patet ſolutionem dubitationis circa abſolutionem pendere ex facto, nimirum ex eo,an relapſus dederit manifeſta ſigna pœnitentiæ, necne. Nam ſi dederit, poterit abſolvi, alioquin erit deneganda abſolutio.

Signa verò pœnitentiæ hæc vulgo in viro præſertim Principe, conſiderantur. Primo, quod ſpeciales nuncios ad Sedem Apoſtolicam miſerit, ut abſolutionem obtineret, eiſque repulſis nihil commotus,aut indignatus fuerit,neque ullum paulò aſperius in Sedem Apoſtolicam,aut ſummum Pontificem verbom ex ejus ote exciderit, quin etiam propoſitum petendi abſolutionem poſt repulſam conſtanter retinuerit. Quod iu ipſo videtur non leve pœnitentiam indicium. Ea enim eſt pœnitentium natura, ut niſi honorificentiſſime tractentur, ſe contempros,injuriaque affectos exiſtiment. Si igitur reverſi, re infecta, qui ablegati fuerant, tihilominus ſupræſtiterit in ſedem Apoſtolicam obſequentem, & adhuc firmiter iu ſua converſione permaneat, pergatque humiliter petere abſolutionem, magnam quidem præ ſe fert anteactæ vitæ pœnitentiam.Nam, ut habetur in *can. perſecta de pœnit. d.* 3. perfecta pœnitentia peccatorum omnia libenter perferre.

Secundo, conſideratur, an Eccleſias frequentet, Miſſas devote audiat, peccata confiteatur, Sacramentum Euchariſtiæ ſumat, veteribus delictis illacrymetur, plurimas eleemoſynas erroget.Longe enim minora ſigna pœnitentiæ videntur ſufficere in relapſo ad Eccleſiæ communionem admittendum. Nam Archid. *in d. cap. ſuper eo nu.* 4. pro ſignis numerat petionem abſolutionis, ac pectoris percuſſionem, ibidemque Franchus videtur exigere ea ſigna, quæ traduntur ab Hoſt. *n.* 1. & Jo. Andr. *n.* 2. *in cap. à nobis* 2. *de ſent. excom.* qui non alia ſigna ibi requirunt ad internoſcendum animum excommunicati pœnitentis, quàm elevationem oculotum ad Cœlum, gemitum, ſuſpiria, pectoris,vel oris percuſſionem, petitionem abſolutionis, & tamen *textus d. cap. à nobis* utitur eiſdem verbis in excommunicato, quibus utitur *d. cap. ſuper eo*, videlicet,ſi pœnitentiæ ſigna oſtenderit manifeſta.

Signa verò impœnitentiæ hæc eſſe poſſunt.Si relapſus plures collationes beneficiorum,factas à Sede Apoſtolica, irritas eſſe decreverit.Si concubinam nuptam habeat, cum qua notorie adulteratur.Quod licet non ſit delictum ad hæreſim pertinens, illum tamen conſtat carnis illecebris demerſum, nec quoad alia peccata longe diverſa eſſe vere pœnitentem, *can. fin. de pœnit. d.* 5. ubi Innocentius Secundus admonens fratres ſuos, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi patiantur, declarat, eam falſam eſſe pœnitentiam, cùm ſpretis pluribus, de uno ſolo pœnitentia agitur, aut cum ſic agitur de uno, non diſcedatur ab alio. Et Ambroſius *in can. ſunt plures de pœnit. d.* 3. *ſunt plures*, inquit, *quos pœnitet peccaſſe, ſed non omnino, reſervantes ſibi quadam, in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum ſimul ſurdum & mutum à damonio liberaſſe, per hoc docens, nos nunquam, niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet ex parte peccata reſervari, habenti ſeptem damonia, manente uno, proficere potuerat, ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul ejicienda doceret.* Et infra: *Quomodo ergo qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam?* Et paulo poſt: *Quædam impietatis infidelitatis eſt ab illo, qui juſtus, & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat.* Ad id eſt *textus in cap. majores §. ſed ad hoc de baptiſm.* cum aliis, de quibus ibi per Gloſſam.

Si edictum contra libertatem conſcientiæ promulgaverit. Hoc enim non eſt hominis ad fidem Catholicam redire volentis, neque in re tam gravi, & intrinſece malu excuſari debet, *cap. litteras de reſtit. ſpol. cap. inquiſitioni de ſent. excom.* Nequa defendi poterit relapſus, quod ſummus Pontifex hoc, atque alia ſæpe in Principibus catholicis toleraverit. Nam tolerantia non excuſat à peccato, multaque permittuntur, quæ non ſine peccato, multaque permittuntur, quæ non ſine peccato committuntur *cap. cum jam dudum de preb. cap. ſuper eo de cognat. ſpir. & cap. mulieri de jurejur.*

Si hæretici apud relapſum gratia, & autoritate, honoribus, & dignitatibus honeſtantur. Quo nullum majus videtur eſſe impœnitentiæ ſignum in relapſo ex his, quæ habentur *in cap. accuſatus §. ille quoque de hæret. in 6.*

Si Judex ſecularis in aliquem presbyterum mortis ſententiam tulerit, eo quod dixerit ipſum relapſum omni poteſtate, ac juriſdictione nudatum eſſe, & antequam à Sede Apoſtolica admitteretur, juſſit euodem presbyterum propoſitionem illam, tanquam hæreticam abjurare. Qua in re duo præcipue maxima delicta idem Judex commiſit. Alterum, quod ſe dogmatum fidei Catholicæ Jodicem conſtituit, *cap. ut Inquiſitionis §. prohibemus de hæret. in 6.* Alterum quod catholicam propoſitionem, tanquam hæreticam abjurari mandavit.

Neque dicatur, hoc Judicis eſſe delictum, ideoque non imputando eidem viro Principi relapſo, qui ei cauſam delegavit, *can. ſiquis à Catholica* 23. *q.* 4. *gloſ.* 1. *in cap.* 2. *de conſtit.* Quaſi Judex aliquid in re tam gravi auſus eſſet abſque conſcientia, & voluntate delegantis, aut hæc delicta non ſint ipſi relapſo tribuenda, qui illis poterat obviare,*can qui poteſt* 23.*qu.*3. *can. negligere* 2. *qu.* 7. *can. error d.* 38. Quippe crimen qui poteſt emendat & non corrigit, ipſe committit, *can. facientis d.* 86.

Si relapſus fuerit à ſummo Pontifice declaratus excommunicatus,cùm jam eſſet excommunicatus à jure, *can.* 1. 24. *qu.* 1. *cap. excommunicamus* 1. *de hæret.* & Conſtitutione, quæ in die Cœnæ Domini legi conſuevit. Qui fit, ut valde peccet, ſeque impœnitentem oſtendat, cùm adeat Eccleſiæ, Miſſaſque audiat, ac divinis interſit, nondum à Sede Apoſtolica obtenta abſolutione, *cap. quod in ſe de pœnit. & remiſ.*

Si igitur ex utraque parte conjecturæ concurrant; ſed quæ impœnitentiam oſtendant videantur longe validiores, relapſus non eſt abſolvendus. Nam, ut qui verè pœnitens cenſeatur, non ſufficit docere de bonis operibus, niſi etiam appareat eum abſtinere à malis. Nam, ut ait Auguſtinus relatus in *can. pœnitentia de pœnit. diſt.* 3. *pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangendo iterum non committere.* Ut enim dicitur in *can. pœnitentiam quippe ibid. qui ſic alia deplorat, ut iterum alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut diſſimulat.* Quod etiam habetur *in can. ille, ead. d. & in can. pœnitentes, & can. irriſor ſeqq.* ubi appellatur irriſor, non pœnitens, qui adhuc agens quod pœniter, non videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. Nec ſigna eleemoſynarum,aut lacrymarum proſunt ubi peccata non deſeruntur, *can. qui admiſſa, can qui vult, can. nihil prodeſt ead. d.* 3. Verbo. Non ſufficiunt ad pœnitentiam ſigna bonorum operum, quæ ſint criminibus ac peccatis, præſertim gravibus, involuta.

Verum quatenus etiam relata bonorum operum ſigna eſſe magis attendenda, quam ſigna malorum, negari tamen non poteſt, quin illa longe infirmiora, & obſcuriora reddantur ob ſigna contraria, & ita non ſint evidentia, ſive manifeſta, qualia requiruntur in relapſo ad obtinendam abſolutionem, *d. cap. ſuper eo de hæret. in 6.*

At dicet aliquis, multos eſſe pœnitentiæ, gradus, quemadmodum & peccatorum, ſatiſque eſſe,ut nunc incipiat modice pœnitere eorum, quæ geſſit. *Jam enim ſuturum*, ait Chryſoſtomus Epiſt. 5.ad Theodor. lapſum, *ut uberiores, & ampliores vera pœnitentia*

fructus

fructus ferantur; Deumque brevem illam, & exiguam pœnitentiam non abnuere, ſed magna penſitare mercede, immo vehementer corruptos non impellere magna vi ad virtutem, ſed manſuete, & ſenſim promovere, immo plerunque portare, ne immanior ſciſſura fiat, aut error productior.

Sed reſpondetur, levem quidem pœnitentiam non ſpernendam, ſed eam tamen non ſufficere relapſo ad obtinendam abſolutionem, antequam perfectior fiat, ejuſque habeamus ſigna evidentia & perſpicua juxta textum *in d. cap. ſuper. eo de hæret.*

Nec obſtat, quod ob publicam cauſam, & gravia pericula evitanda ſummus Pontifex debeat juris vincula laxare, ſelapſumque admittere, ut poſt D. Thomam ſentit Auguſtinus Triumphus *de poteſt. Eccleſ. q.*28. Nam abſolutio alicujus periculi vitandi cauſa non eſt concedenda non pœnitenti juxta *d. can. Legatur* 24. *quæſt.* 2. Sed quando verè pœniteret, & ita abſolveretur, tunc ad pericula vitanda jure deberet concedi poſtea rehabilitatio ad honores, & dignitates. Quia in hoc cadit conſideratio periculi vitandi, non autem in abſolutione, quæ nullo modo danda eſt ei, quem non pœnitet.

CONSULTATIO CXCIX.

De Abſolutionibus, ac diſpenſationibus in S. Officio uſitatis, & ſapientiſſimo arbitrio Summi Pontificis concedendis ſummatim ac per effata, ſive Canones, quæ ad formandum judicium de abjurationibus, de rebus, de pœnis, ac cenſuris ad S. Officium ſpectantibus maximoperè conducunt ex variis caſibus, ac ferè omnibus excogitatis, ac probatis authoribus ſummo ſtudio conquiſita; Ubi etiam breviter diſſeritur, in quibus differant, vel conveniant diſpenſatio, & abſolutio à pœnis Eccleſiaſticis latæ ſententiæ.

Filii illius, qui traditus fuit Curiæ ſeculari, petentes reddi habiles, ac reſtitui ad priſtinum ſtatum, tanquam ſi eorum pater non deliquiſſet, nihil ſolent obtinere.

Filii ac nepotes hæretici, traditi Curiæ ſæculari poſſunt reddi aliquando habiles ad gradus Religionis, præterquam ad Generalatum & Officia Viſitatoris, & Definitoris.

Is, cujus paterna ſtatua combuſta fuit ob hæreſim, poterit reddi habilis ſimul cum ſuis filiis, ad aliorum ſucceſſionem, ac teſtamenti factionem.

Cũ Nepotibus hæretici relapſi, & traditi Curiæ ſæculari poterit diſpẽſari ad Ordines, ac beneficia ſimplicia.

Ille, cujus avia, uti judaizans, fuit tradita Curiæ ſeculari poterit reddi habilis ad Ordines tantum, non autem ad beneficia in illis Eccleſiis, in quibus obſtant earum ſtatuta.

Regularis, cujus avus fuit traditus Curiæ ſæculari, poterit reddi habilis ad profeſſionem, ad Officia Religionis, & ad Sacros Ordines.

Filius relapſi, traditi Curiæ ſeculari poterit reddi habilis ad honores, ac dignitates, non tamen Majores, tam in Religione, quàm in Eccleſiis cathedralibus.

Is, cujus avus fuit traditus Curiæ ſeculari poterit reddi habilis ad munia Religionis in provincia, præterquam ad provincialatum.

Diſpenſationes cum Hiſpanis poſſunt remitti arbitrio Inquiſitoris Majoris Hiſpaniarum.

Si presbyter, cujus avus, tanquam impœnitens, fuit traditus Curiæ ſæculari non obtenta prius diſpenſatione ſe ad omnes Ordines promovere fecerit, neſciens ſe inhabilem, poterit cum eo diſpenſari ad executionem Ordinum, & ad beneficia curata tantum.

Cum pœnitentiato in S. Officio Hiſpaniarum, poterit diſpenſari ad audiendas confeſſiones, donec manſerit in Italia.

Filii, qui abjuravit de vehementi in S. Officio poterit concedi Breve habilitationis ad honores, & gradus, & abolitionis cujuscunque maculæ, ex dicta abjuratione provenientis.

Si ille, cujus pater fuit pænitentiatus in S. Officio, & mater, uti impœnitens, fuit tradita Curiæ ſeculari, promoveatur ad ordines, ac provideatur abſque apoſtolica diſpenſatione de beneficio, & penſionibus poterit cum eo diſpenſari ad cautelam, ut obtinere poſſit beneficia & penſiones.

Si Regularis abjuraverit de vehementi, poterit cum eo diſpenſari, ut in habitu presbyteri ſecularis manete poſſit.

Siquis Regularis abjuraverit de vehementi poterit cum eo diſpenſari, ut in habitu Ordinis S. Antonii manere poſſit, ac reddi habilis ad gradus & honores, nec non ad penſiones.

Cum eo, cujus avus paternus fuit, uti hæreticus relapſus combuſtus, poterit diſpenſari ad executionem Ordinum ſine autoritate Apoſtolica ſuſceptorum, & ad beneficium ſimplex, & parochialem obtẽtam retinendũ cum condonatione fructuum ex iis perceptorũ.

Cùm trahente originem ex deſcendentibus à pœnitentiaris in S. Officio Hiſpaniarum ultra quartum gradum, qui ſub mentito nomine habitum regularem ſuſcipit, ac profeſſionem emiſit munuſque Concionatoris, & S. Theologiæ lectoris obivit, ac deinde in foro conſcientiæ à ſummo Pontifice diſpenſatus, Officia & dignitates laudabiliter exercuit, abſoluto prius, poterit diſpenſari ad quæcunque munera, Officia, & dignitates in Religione obtinenda, etiam in utroque foro.

Cum moniali poterit diſpenſari ad omnes gradus, honores, ac dignitates Religionis, non obſtante, quod ejus avus paternus fuerit, uti hæreticus à S. Officio condemnatus.

Cum eo, cujus avus fuit traditus ob hæreſim Curiæ ſeculari, poterit diſpenſari ad obtinendum quæcunque beneficia Eccleſiaſtica, etiam curata.

Cum illo, cujus parentes ob Judaiſmum fuerunt ultimo ſupplicio affecti, poterit diſpenſari ad Ordines etiam ſacros, & ad presbyteratum, & ad beneficia, non tamen curata, neque ad Canonicatus in Cathedralibus, vel dignitates in Collegiatis.

Cum eo, cujus pater, uti Judaizans, fuit combuſtus poſt ſuam profeſſionem in religione, ſi petierit reddi habilis ad gradus, & dignitates ſuæ Religionis, non poterit facile diſpenſari.

Qui, antequam fidem catholicam amplecteretur, pactus fuit dare certam quantitatem pecuniarum cuidam Canonico, ſi ad ſuum favorem Canonicatum reſignaret, ſi petierit abſolvi, ac diſpenſari cum retentione dicti Canonicatus, abſolvi potent, à ſummo Pontifice, prævia judiciali hæreſum abjuratione, ac impoſitis gravibus pœnitentiis ſalutaribus, & cum eo diſpenſari ad retinendum Canonicatum.

Cum nominato ad Epiſcopatum poterit diſpenſari ad illum obtinendum, non obſtante, quod ejus pater fuerit hæreticus.

Cum electo Archiepiſcopo poterit diſpenſari ſuper defectu natalium ex parentibus hæreticis.

Cum nato in hæreſibus, qui in illis uſque ad vigeſimum annum vixit, poterit diſpenſari ad Epiſcopatum obtinendum.

Cum nato ex parentibus hæreticis poterit diſpenſari ad Epiſcopatum.

Cum nato ex parentibus hæreticis poterit diſpenſaſi ad Coadjutoriam Epiſcopalem, ad quam fuit electus.

Cum eo, cujus mater obiit in hæreſi poterit diſpenſati ad Epiſcopatum, & ad retinendum beneficia jam obtenta.

Poterit reddi habilis par Breve Apoſtolicum, ut ad Epiſcopatum promoveri poſſit, qui fuit hæreticus, dummodo hæreſes abjuret, ſaltem in foro conſcientiæ, vel ſit alumnus Collegii Germanici Urbis.

Cùm

Cum nato ex parentibus hæreticis, & habente uxorem, cujus matrimonium ex cauſa impotentiæ fuit diſſolutum poterit diſpenſari ad Epiſcopatum.

Cum nato ex parentibus hæreticis, ac educato in hæreſibus, quas abjuravit, poterit diſpenſari ad quaſcunque Eccleſias Cathedrales, ac Metropolitanas, & Patriarchales, ad quas nominari, vel canonicè eligi contigerit, prædictis non obſtantibus.

Cum nato ex patre hæretico, & ad omnes Ordines etiam ſacros ante ætatem legitimam ſine diſpenſatione promoto, ſi petierit in utroque foro abſolvi, ac diſpenſari, ut in Ordinibus miniſtrare ac beneficia Eccleſiaſtica cujuſvis generis obtinere poſſit, poterit à Summo Pontifice abſolvi, & diſpenſari, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, ac beneficia ſimplicia tantùm obtinere poſſit.

Cum Monachis Anglis poterit diſpenſari ob labem hæreſis, tam ex perſona propria, quàm ſuorum parentum ad omnia beneficia, & dignitates ſuæ Religionis, præterquam ad officium Pręſidentis generalis.

Cum eo, qui ſtuduit in Academia hæretica diſpenſari ad canonicatum obtinendum, non obſtante conſuetudine illius provinciæ, quod nemo poſſit obtinere Canonicatum, niſi ad triennium ſtuduerit in Academia Catholica.

Cum nato ex hæreticis, qui contra Turcas militavit, aliquot eorum occidit, judiciis militaribus, in quibus veniebat imponenda pœna corporis, vel ſanguinis, interfuit, ac ſuffragium dedit poterit diſpenſari ſuper irregularitate, ac etiam, ut poſſit ſine titulo beneficii, aut patrimonii ad ſacros Ordines promoveri ſine litteris dimiſſoriis, aut commendatitiis, & extra tempora.

Cum hæretico nato, ac in hæreſibus educato, qui matrimonium cum vidua contraxit, & poſtea, illa mortua, hæreſes abjuravit, ac ſine diſpenſatione ſe promovere fecit ad omnes Ordines ſi petierit abſolvi, & ad Ordines ac beneficia diſpenſari, poterit abſolvi, ac diſpenſari, præterquam ad dignitates in Cathedralibus, capta prius cognitione perſonæ.

Qui, abjuratis hæreſibus, ſe promovere fecit ad Ordines minores, ac litteris dimiſſoriis omiſſis, petiit ſtari ſuo juramento ſuper ſuſceptione dictorum Ordinum, ſi petierit diſpenſari ad alios Ordines ſuſcipiendos, & ad beneficia, poterit ſtari ejus juramento quoad Ordines ſuſceptos, diſpenſatio verò committenda eſt ejus Epiſcopo.

Cum nato ex parentibus hæreticis, qui nunquam hæreſibus adhæſit, & citra diſpenſationem duo beneficia ſimplicia obtinuit, & ſacrum Subdiaconatus Ordinem ſuſcepit, poterit diſpenſari ad retinendum prædicta beneficia cum condonatione fructuum perceptorum & ad alia beneficia, & dignitates majores obtinendum, necnon ad Ordines etiam ſacros.

Cum Canonico, nato ex parentibus hęreticis, poterit diſpenſari ad retinendum Canonicatum, & ad Ordines atque ad alia beneficia, & dignitates Eccleſiaſticas.

Cum nato in hæreſibus, & ad fidem catholicam converſo, patiente defectum natalium, prævia hæreſium abjuratione poterit diſpenſari ad ſacros Ordines, & ad parochialem ſibi oblatam.

Cum nato ex parentibus hæreticis qui hæreſes poſtea abjuravit, ſi petierit ſecum diſpenſari ad Ordines ſacros ſuſcipiendum, etiam ſine litteris dimiſſoriis ſui Ordinarii & ad beneficia obtinendum, poterit committi ejus Ordinario, in cujus diœceſi moratur, ut prævio examine, & abjuratione, illum abſolvat, & arbitrio ſuo diſpenſet ad Ordines, & beneficia.

Cum nato in hæreſibus, quas abjuraverat, & habilitato ad Ordines, ac beneficia ſimplicia, obtinuit deinde abſq; diſpenſatione Apoſtolica parochialem, quam poſtea reſignavit cum penſione, ſi petierit ſecum diſpenſari ex nunc, prout ex tunc, quando parochialem obtinuit ad effectum validitatis penſionis, poterit annui, ut ſupplicatio ſignetur.

Cum hæretico, nato ex ſoluto, & ſoluta poterit diſpenſari ad Ordines, & beneficia Eccleſiaſtica, etiam curata, & ad dignitates in Collegiatis, non tamen principales, obtinendum.

Cum nato ex parentibus hęreticis, qui, nulla obtenta diſpenſatione, ad Ordines promotus, Canonicatum etiam in Eccleſia Cathedrali obtinuit, ſi petierit ſecum diſpenſari, poterit committi ſuo Ordinario, vel Nuntio Apoſtolico, ut arbitrio ſuo diſpenſet ſuper irregularitate, & ad retinendum Canonicatum ad quinquennium cum condonatione fructuum malè perceptorum.

Cum nato ex parentibus hæreticis, & in hæreſibus educato, quas tam ipſe, quàm ejus parentes abjuraverant, poterit diſpenſari ad Ordines, & beneficia non obſtante etiam, quod eſſet natus ex matrimonio contracto ab ejus patre cum muliere ſibi conjuncta in ſecundo conſanguinitatis gradu, nulla obtenta diſpenſatione.

Cum eo, qui fuit hæreticus, ac miniſter hæreticorum, & mortua prima uxore, ſecundam duxit, ſi petierit ſecum diſpenſari, non eſt diſpenſandum.

Cum nato ex parentibus hęreticis poterit diſpenſari ad Ordines cum clauſula, dummodo non cohabitet cum parentibus.

Cum nato ex parentibus hæreticis, catholicè tamen educato, poterit diſpenſari ad Ordines ſuſcipiendum abſque litteris dimiſſoriis ſui Ordinarii extra tempora, & non ſervatis interſtitiis ad titulum paupertatis, dummodo ſit conſtans in fide catholica, ut poſſit ſacras confeſſiones aulicorum Principis Catholici audire, & concionari in caſtris. Nuntius tamen, & Epiſcopus curent provideri de aliquo beneficio.

Cum nato ex hæretico ſoluto, & catholica ſoluta poterit diſpenſari ad Ordines ſacros ſuſcipiendum, & ad beneficia.

Cum nato in civitate hæretica, & in hæreſibus ac in illis educato, degente in Civitate Catholica poterit diſpenſari ad omnes gradus, munera, honores, ac jura nobilitatis, & ad beneficia ſimplicia.

Cum puero annorum octo, vel circiter filio converſi ad fidem Catholicam poterit diſpenſari à Summo Pontifice, ut, non obſtante defectu ætatis, & quod ejus pater fuerit hæreticus, beneficium ſimplex, ad quod fuit præſentatus obtinere poſſit, & patri condonari fructus male perceptos ex dicto, & alio beneficio, quod habuit, dum erat hæreticus.

Cum miniſtro hæretico, qui uxorem viduam, & hæreticam duxit, ac tam ipſe, quàm ejus uxor Catholici effecti mortua uxore, poterit diſpenſari ad omnes Ordines, etiam ſacros, & ad beneficia ſimplicia tantum non obſtante, quod fuerit hęreticus, & mulierem viduam hæreticam duxerit.

Cum nato ex hęretico conjugato, & ſoluta, & educato in fide Catholica poterit diſpenſari arbitrio Ordinarii ad Ordines & beneficia, non tamen curata, aut Canonicatus in Cathedralibus, vel dignitates in Collegiatis.

Hęretici, & hęreticorum filii, recepti in aliqua Religione Regularium, & ad gradus Religionis promoti poterint abſolvi in utroque foro, tam ipſi, quàm receptores, qui moneri debent, ut in poſterum abſtineant; & cum ipſis hæreticis poterit diſpenſari, ut poſſint Ordines ſuſcipere, & in ſuſceptis miniſtrare.

Cum eo, qui hæreſes abjuravit, poterit diſpenſari ad ingreſſum Religionis, non obſtante decreto ipſius Religionis contrario.

Cum eo, cujus avus fuit hæreticus, ac ingreſſo Religionem Ordines etiam ſacros, & doctoratum ſuſcepit abſq; diſpenſatione, poterit diſpenſari ſuper irregularitate & ad omnes gradus ſuæ Religionis, præterquam ad Generalatum.

Cum eo, cujus pater, & avus fuerunt hæretici, poterit diſpenſari ad ſuſcipiendum habitum Equitum Religionis Hieroſolymitanæ, non tamen ad dignitates dictæ Religionis.

Cum nato ex parentibus hæreticis poterit diſpenſari ad dignitatem Abbatis ſui Monaſterii.

Cum nato ex parentibus hæreticis nobilibus, qui, hæreſi abjurata, profeſſionem in Religione emiſit, nulla obtenta diſpenſatione, munera ſuæ Religionis obtinuit, & exercuit, poterit diſpenſari ad omnes, & quaſcunque dignitates, gradus, & honores, ac munera in dicta Religione obtinendum, & quatenus opus ſit ab omnibus cenſuris, quas forſan incurrit, abſolvi.

Cum presbytero, qui presbyteratum ante ætatem legitimam ſuſcepit, ac Miſſam celebravit, ſemelque hoſtiam non conſecratam cuidam pœnitenti dedit, poterit diſpenſari ad executionem Ordinum, & ad beneficia ſimplicia. Manere tamen ſuſpenſus ad triennium.

Cum presbytero, qui poſt presbyteratum in hæreſim incidit, & poſtea reſipuit, ac abjuravit, repetita abjuratione formali, poterit diſpenſari ad executionem ſuorum Ordinum, dummodo remaneat ſuſpenſus ad tempus arbitrio ſui Ordinarii, qui cum eo poterit diſpeoſare ad beneficia ſimplicia tantum.

Presbyter, qui ab hæreticis coactus uxorem juxta eorum ritum duxit, ac pluribus annis cum ea vixit, eaque mortua, ad ſtatum Sacerdotalem rediit, miſſamque celebravit, ſi petierit abſolvi, ac ſecum diſpenſari, poterit abſolvi, prævia abjuratione, & quoad diſpenſationem executionis ſuorum Ordinum, poterit committi Ordinario, qui arbitrio ſuo diſpenſet.

Presbyter, qui non exiſtens parochus, abſque licentia in matrimonium conjunxit hæreticum cum catholica, qui erant inter ſe quarto conſanguinitatis gradu conjuncti, poterit abſolvi, & cum eo diſpenſari ad altaris miniſterium.

Presbyter, qui uxorem duxit, atque ex ea prolem ſuſcepit, deinde, ea defuncta, ad bellum profectus eſt, neminem tamen occidit, ſi petierit abſolvi, & ſecum diſpenſari ad Ordines, & beneficia, poterit committi Ordinario, ut illum abſolvat, manente ſuſpenſione, prævio examioe, & facta abjuratione, ſaltem de vehementi.

Epiſcopus in regionibus longinquis, ſi petierit abſolvi, quia in unica ordinatione duos ſacros Ordines cuidam ob neceſſitatem contulit, ſique petierit facultatem Ordines ita conferendi, poterit abſolvi, & cum ſic ordinato diſpenſari, & Epiſcopo dari facultatem ordinandi extra tempora, & in tribus diebus feſtis.

Caſus illius, qui ſe fingit ſubdiaconum, ac Miſſis ſolenniter celebratis miniſtrat, ac deinde ab alieno Epiſcopo ſe ad Ordines ſacros promovere fecit, unde à ſuo Ordinario fuit declaratus irregularis, & ab executione ſuorum Ordinum ſuſpenſus, non puto ſpectare ad S. Officium.

Ordinatus ad presbyteratum ante legitimam ætatem, & poſtea in hæreſes lapſus, poterit abſolvi, ac ſecum diſpenſari ad miniſtrandum in Ordinibus ſuſceptis, & ad beneficia.

Cum eo qui abjuravit de formali, & commiſit homicidium in perſonam cujuſdam hæretici, poterit diſpenſari ad Miſſæ celebrationem.

Cum eo, qui, vivente prima uxore, in Monaſterio incluſa in pœnam commiſſi adulterii, ſecundam uxorem duxit, quia falsò audivit, primam eſſe mortuam. Unde coram Ordinario introducta cauſa, fuit declaratum ſecundum matrimonium nullum, ipſeque punitus, ſi petierit ſuper bigamia ſecum diſpenſari, ut ad Ordines promoveri poſſit, cum dicta ejus prima uxor fieri velit Monialis, poterit diſpenſari ad Ordines ſuſcipiendum, emiſſa tamen prius per uxorem profeſſione.

Cum Diacono, qui uxorem duxit, ex qua plures filios ſuſcepit, ſi caſus ſit occultus, poterit diſpenſari, & committi ſuo Ordinario, ut prævia abjuratione, cum illo diſpenſet in foro conſcientiæ, dummodo de novo contrahat.

Cum eo, qui nullius Ordinis initiatus, Miſſam celebravit & poſtea ſe ad Ordines promovere fecit, ſi petierit diſpenſari, & abſolvi, poterit diſpenſari ad executionem Ordinum, ac reddi habilis ad beneficia ſimplicia.

Cum Sacerdote Armeno, qui poſt obitum primæ uxoris, quam virginem duxerat, cum ſecunda matrimonium contraxit, ſi petierit abſolvi, ac ſecum diſpenſari ut Miſſam celebrare poſſit ritu latino, poterit diſpenſari, ut celebrare poſſit ritu Armeno, dummodo prius abjuret de vehementi.

Sacerdos, qui hæreticos abſolvit, nullam habens autoritatem, ignorans eſſe caſum reſervatum, poterit abſolvi, ac ſecum diſpenſari, ut Miſſam celebrare poſſit.

Qui exiſtens tantum Diaconus audivit ſacras confeſſiones, & baptiſmum miniſtravit, ac poſtea ſe ad presbyteratum promovere fecit, ſi petierit abſolvi, ac diſpenſari, poterit committi Ordinario, qui illum, prævia abjuratione abſolvat cum ſuſpenſione executionis Ordinum ad tempus ejus arbitrio.

Ordinatus ad presbyteratum ab Epiſcopo ſchiſmatico ante legitimam ætatem poterit abſolvi, & cum eo diſpenſari ad executionem Ordinum.

Cum Anglo, qui pluribus annis commoratus eſt in Italia, poterit diſpenſari, ut ſine dimiſſoriis ſui Ordinarii ad Ordines promoveri poſſit, examinatis teſtibus circa natalia, vitam, & mores, & non inveniens teſtes, ſufficiat ſuum juramentum, quod ſit ex legitimo matrimonio procreatus.

Epiſcopus conſecratus ab Archiepiſcopo falſo, profeſſione fidei emiſſa, poterit abſolvi, & cum eo diſpenſari ad miniſterium altaris.

Epiſcopus in Anglia lapſus in hæreſes, poterit abſolvi ab aliquo Religioſo in utroque foro, prævia abjuratione, ac promiſſione abſtinendi in poſterum à recognitione Regis Angliæ, & cum eo poterit diſpenſari ad executionem Ordinum, & Pontificalium certis temporibus ei præſcribendis, nec non ſuper fructibus Eccleſiæ malè perceptis.

Presbyter, qui cum muliere deprehenſus, illam metu mortis deſponſavit, quique à parentibus mulieris aſſiduè cuſtoditur, ne aufugiat, ſi petierit ſecum diſpenſari, ut Eccleſiam ingredi, & ſacramenta ſuſcipere poſſit, donec ſibi offeratur commoditas diſcedendi, poterit Eccleſiam ingredi, Sacramentum tamen Confeſſionis obire, & Euchariſtiam ſumere non poterit, donec cum prætenſa uxore habitaverit.

Cum eo, qui abjuravit de vehementi, poterit diſpenſari ad beneficia curata.

Presbyter, qui ad hæreticos tranſivit, & uxorem duxit, prævia abjuratione, poterit abſolvi, non autem ſecum diſpenſari, niſi poſt aliquod tempus.

Siquis Regularis (quod abſit) dimiſſo habitu, ac poſt ſuſceptum Ordinem Diaconatus uxorem duxerit fiatque hæreticus, ſi redierit ad fidem catholicam, poterit diſpenſari ad presbyteratum ſuſcipiendum, & ad beneficia curata.

Diaconus, qui à parocho requiſitus ſacras confeſſiones audivit, & abſolutionem dedit, unde ab Ordinario fuit pœnitentiatus, & ad presbyteratum

ſuſcipiendum

Digitized by Google

ſuſcipiendum declaratus inhabilis, ſi petierit abſolvi in utroque foro, & cum eo diſpenſari, ac committi ejus Ordinario, ut prævio examine ſuper intentione, & abjuratione, ſaltem de vehementi illum abſolvat, & ſuo arbitrio diſpenſet ad presbyteratum ſuſcipiendum.

Subdiaconus, qui in uxorem clandeſtinè duxit mulierem viduam, ſi, ea mortua, petierit abſolvi, & ſecum diſpenſari ad executionem ſuorum Ordinum, & alios ſuſcipiendum, & ſecum diſpenſari ad beneficia, poterit committi Ordinario, ut, prævia judiciali hæreſum abjuratione, illum abſolvat, & cum eo arbitrio ſuo diſpenſet.

Cum eo, qui ante legitimam ætatem promotus fuit ad omnes etiam ſacros Ordines, & ad presbyteratum, poterit diſpenſari in irregularitate, & ad executionem Ordinum, cùm pervenerit ad legitimam ætatem.

Cum presbytero, qui ad hæreticos divertit, & matrimonium cum moniali contraxit, ad eos reverſus, hæreſes abjuravit, ac opes inter hæreticos acquiſitas renunciavit, ſi petierit ſecum diſpenſari, poterit diſpenſari ad executionem Ordinum minorum tantum, & ad beneficia ſimplicia.

Siquis petierit diſpenſari, ut, non obſtante matrimonio ab ipſo contrahendo, poſſit retinere Canonicatum, ne ad manus hæreticorum veniat, & cum conditione diſtribuendi fructus, non debet cum eo diſpenſari.

Catholici, qui obtinuerunt Canonicatus ab hæreticis cum promiſſione vivendi in eorum ſecta, licet nunquam à fide catholica defecerint, ſi petierint ſecum diſpenſari ad retinendum dictos Canonicatus, poterit cum eis diſpenſari ad conferendum præfatos Canonicatus, facta prius ab eis abjuratione de vehementi. Quod, ſi ipſi dixerint non poſſe proviſionem Apoſtolicam acceptare, niſi cum eis conniveatur, poſſe frequentare ad biennium ſcholas hæreticorum, quemadmodum Magiſtratui promiſerunt, non eſt annuendum.

Cum catholico proviſo de Canonicatu ob reſignationem ſibi factam à ſuo fratre & aſſerente, quod niſi reſignatio fiat in manibus Capituli, cujus major pars eſt hæretica, ipſe non poterit adipiſci Canonicatum, ſed à dictis Canonicis hæreticis conferretur alicui eorum ſectæ, poterit diſpenſari, ut dicta reſignatio ad ipſius favorem fiat in manibus dicti Capituli, dummodo poſt adeptam poſſeſſionem petat proviſionem à Sede Apoſtolica, & in expeditione narretur nullitas tituli obtenti à Capitulo ex cauſis, de quibus fiat mentio, & id concedatur pro foro conſcientiæ tantum.

Siquis presbyter, quod Deus avertat, cum moniali matrimonium contraxerit & ea mortua, cum alia muliere, ſi petierit abſolvi, ac ſecum diſpenſari, poterit committi Ordinario, ut arbitrio ſuo cum eo diſpenſet, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare valeat, & beneficia Eccleſiaſtica obtineat, non tamen curata, & canonicatus in Cathedralibus, & dignitas in collegiatis & remaneat ſuſpenſus ab adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ.

Regularis, qui abjuravit de vehementi, non indiget diſpenſatione pro executione ſuorum Ordinum & officiis ſuæ Religionis.

Qui poſt contractum matrimonium per verba de futuro, illudq; conſummatum, juſſu parentes Ordines minores, & Subdiaconatum ſuſcepit, poſtea uxore, & ejus patre inſtigantibus decreto Curiæ ſecularis fuit damnatus ad illam ducendam in uxorem, prout duxit, declarata nulla ſuſceptione Ordinum ab Epiſcopo, deinde, uxore mortua, ad alios Ordines ſe promovere fecit, & Canonicatum obtinuit, ſi petierit ſecum diſpenſari poterit committi Ordinario; ut prævia judiciali abjuratione, ſaltem de vehementi, cum eo diſpenſet reddatque habilem.

Cum nato ex presbytero, & muliere ſoluta poterit diſpenſari, ut ad Ordines, etiam ſacros, & presbyteratum promoveri ac beneficia obtinere poſſit.

Cum eo, qui poſt ſuſceptum Diaconatum in hæreſim lapſus eſt, & poſtea, hæreſi abjurata, ad presbyteratum, nulla diſpenſatione obtenta, ſe promovere fecit, poterit diſpenſari mediante Ordinario, prævia abjuratione judiciali, & abſolutione, ad exemptionem Ordinum, & ad reddendum habilem ad beneficia, non tamen curata, aut dignitates in collegiatis, vel Canonicatus in Cathedralibus, citra habilitationem ad ſacramentum pœnitentiæ.

Presbyter, qui cùm eſſet Subdiaconus, uxorem duxit, & abſolutus in foro conſcientiæ, nulla obtenta diſpenſatione ſuper irregularitate, reliquos Ordines ſuſcepit, & parochialem obtinuit, ſi petierit ſecum diſpenſari, poterit committi Ordinario, qui prævia judiciali abjuratione, eum abſolvat, & arbitrio ſuo cum illo diſpenſet, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare valeat, reddatque habilem ad beneficia obtenta retinendum.

Cum eo, qui in partibus infidelium degit, poterit diſpenſari, ut cum attigerit vigeſimum tertium annum poſſit ad presbyteratum promoveri.

Cum nato ex ſoluto Ordinis Equeſtris, & matre captiva poterit diſpenſari ad quæcumque beneficia obtinendum.

Cum Diacono qui ad hæreticos divertit, miniſterque illorum fuit, rediens ad fidem catholicam poterit diſpenſari ad presbyteratum ſuſcipiendum, ad ingrediendum Religionem, & ad beneficia regularia, ad honores, ac dignitates ejuſdem Religionis, profeſſione emiſſa.

Epiſcopus, qui pro Epiſcopatu pactus eſt ſolvere penſionem hæretico, prout eam ſolvit, & Epiſcopatum pluribus annis retinuit, ſi petierit abſolvi, & in fructibus male perceptis ſecum diſpenſari, & habilis reddi ad quodcumque beneficium, & dignitatem, poterit committi ejus abſolutio Epiſcopo in partibus.

Epiſcopus in hæreſes lapſus, & à Rege hæretico ad Epiſcopatum promotus, poterit abſolvi citra tamen aliquem diſpenſationem, etiam quoad executionem Ordinum.

Qui fuit excommunicatus ab Epiſcopo, quia matrimonio conjunxit hæreticos ſub promiſſione, quod quamprimum hæreſes abjurarent; poterit, prævio examine, abſolvi, & cum eo diſpenſari.

Confeſſarius, qui non monuit mulierem pœnitentem teneri ad denunciandum confeſſarium, à quo fuit ſollicitata, poterit abſolvi ab excommunicatione ad cautelam, dummodo illam moneat.

Qui in minoribus Ordinibus conſtitutus, à ſuo Epiſcopo diverſis vicibus litteras dimiſſorias pro ſuſcipiendis Ordinibus Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus obtinuit, & putans ſe illarum vigore eſſe ordinatum, pluries miſſam celebravit, ſi petierit abſolvi, & ſecum diſpenſari, poterit ſupplicatio ſignari, & jure abſolvi, prævio examine, & abjuratione, & cum perpetua inhabilitate ad dictos Ordines ſuſcipiendum.

Catholicus, qui pluries regionem hæreticam ſe contulit, ubi uxorem duxit, illa mortua, ſi petierit abſolvi, & ſecum diſpenſari, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare & Religionem ingredi valeat, poterit, prævia abjuratione cum eo diſpenſari ad ingreſſum Religionis cum ſuſpenſione ab executione Ordinum.

Bibliopola, qui vendidit, ac imprimi fecit multos libros prohibitos, ſi petierit abſolvi in foro exteriori ſecreto coram Notario, ac teſtibus, & dixerit ſe non poſſe promittere, ne in poſterum vendat, neve imprimat libros prohibitos, non poterit abſolvi, niſi promittat in poſterum abſtinere, & concurrentibus aliis requiſitis.

Qui, dum erat Superior cujuſdam Conventus, multa fecit in præjudicium S. Officii, ſi petierit abſolvi, & ſecum diſpenſari ſuper irregularitate, debet comparere in S. Officio.

Qui coactus à patre, ordinem Subdiaconatus ante legitimam ætatem ſuſcepit, ac deinde uxorem duxit, ex qua plures filios genuit, ſi ſpontè comparuerit, ac petierit abſolvi & ſecum diſpenſari ad executionem Ordinum ſuſceptorum & ad alios ſuſcipiendum poterit abjurare de vehementi, & abſolvi, ac declarari perpetuò ſuſpenſus ab executione Ordinum ſuſceptorum, & inhabilis ad alios ſuſcipiendum.

Qui per vim ac metum patris Subdiaconatum ſuſcepit, timenſque poſſe etiam cogi ad Diaconatum, ac Presbyteratum ſuſcipiendum, aufugit, & uxorem duxit, cum eaque pluribus annis permanſit, ſi ſpontè compareat, & poſtquam abjuravit, petat, poſſe in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, & ad alios ſuſcipiendum habilis reddi, poterit committi Ordinario, qui arbitrio ſuo cum eo diſpenſet, & habilem reddat, dummodo maneat in loco, ubi deliquit.

Subdiaconus, qui matrimonium de facto, & clandeſtinè cum vidua contraxit, & cum ea plurimis menſibus cohabitavit, qua mortua, ſi petat ſecum diſpenſari ad executionem Ordinum ſuſceptorum, & habilis reddi ad beneficia, poterit committi Ordinario, ut prævia abjuratione judiciali, cum eo arbitrio ſuo diſpenſet, & habilem reddat ad beneficia Eccleſiaſtica, non tamen ad Canonicatus, & dignitates in Cathedralibus.

Qui nomine S. Officii citatus ad ferendum teſtimonium in cauſa cujuſdam rei, & recuſans comparere, fuit excommunicatus, ac deinde abſolutus ſub conditione, ut ſatisfaceret S. Officio, quod tamen non fecit, ſi petat iterum abſolvi, ex eo quod veritas aliunde fuit habita, & reus condemnatus, poterit abſolvi in foro conſcientiæ.

Qui metu parentis ad Ordinem Subdiaconatus ante legitimam ætatem ſe promovere fecit ac deinde matrimonium contraxit, credens id ſibi licere, quia nulliter illum ſuſceperat; ſi petierit committi ſuo Epiſcopo, ut eum ſuper præmiſſis audiat, & ſuſceptionem Ordinis nullam declaret, eumque abſolvat, ac prolem legitimam declaret, poterit reſcribi quod adeat ſuum Ordinarium, & utatur juribus ſuis.

Qui ordinatus ad Subdiaconatum in vigeſimo primo anno & ad Diaconatum in vigeſimo ſecundo, quique antequam Subdiaconatum ſuſciperet, illum publicè, ac ſolenniter exercuit, ſi petat abſolvi, ac ſecum diſpenſari ad dictorum Ordinum executionem, ac reddi habilis ad presbyteratum, reſcribendum, id non ſpectare ad S. Officium.

Regularis profeſſus, qui ab Ordinario fuit ſuſpenſus ab executione ſuorum Ordinum, & damnatus ad carcerem per annum, quia hereticum cum muliere catholica matrimonio conjunxit, ſi petat abſolvi, ac ſibi dictas pœnas condonari, poterit committi Ordinario, qui, parito per eum judicato, eum abſolvat.

Qui infantem inadvertenter baptizavit, licet fuerit prius ab obſtetrice baptizatus, ſi petat ſecum diſpenſari ſuper irregularitate, poterit committi Ordinario, ut prævio examine, & quatenus factum ita ſe habeat, eum abſolvat, & cum eo diſpenſet.

Siquis Regularis in S. Officio proceſſatus & fugitivus hæreticos adierit, ſi petierit ſibi commutari pœnas corporales propter ſua crimina ſibi debitas in pœnitentias ſalutares, debet comparere in S. Officio, ſique compareat, ac delicta fateatur, poterit ei aſſignari Conventus loco carceris, privari voce activa & paſſiva, auſcultatione ſacrarum confeſſionum, & executione Ordinum.

Qui matrimonium cujuſdam Subdiaconi celebravit metu conſanguineorum mulieris, unde fuit condemnatus per annum ad carcerem, & ad jejunandum, necnon ſuſpenſus ab executione ſuorum Ordinum, appellavit à ſententia, ſed appellatione non proſequuta, ſe in divinis immiſcuit, ac celebravit, ſi petat ſecum diſpenſari, & habilis reddi, poterit ſupplicatio ſignari cum clauſula: Parito judicato.

Militans in caſtris hæreticorum, ſi petierit ſecum diſpenſari ad ingrediendum Religionem, non obſtante, quod tres habuerit uxores, & ultima ſupervivat, debet obtinere decretum à ſuo Ordinario, quo prius provideatur, ut mulier ingrediatur aliquem locum pium, ubi caſte vivere poſſit, deinde ſtatuetur de diſpenſatione ſuper bigamia.

Qui, non ſuſcepto ſacramento confirmationis, ad omnes, etiam ſacros Ordines fuit promotus, & juſſus quadam vice celebrare, non habens hoſtiam, chartam in formam hoſtię adaptavit, & prolatis ſuper ea verbis conſecrationis, illam ſumpſit, ſi petat abſolvi, ac ſecum diſpenſari ſuper irregularitate, committi poterit Ordinario, ut eum interroget, an crediderit dictam chartam conſecraſſe, & ex ea confeciſſe corpus Chriſti, & mittat ad S. Officium depoſitionem.

Qui non promotus ad presbyteratum, miſſam celebravit, ac deinde, non obtenta abſolutione, ac ſi petat abſolvi, ac ſecum diſpenſari, poterit committi Ordinario, ut prævio examine ſuper credulitate, & intentione, & abjuratione de vehementi, ſi ſe non gravaverit, illum dimittat, pro ſuo arbitrio cum eo diſpenſet, ac reddat habilem ad executionem ſuorum Ordinum.

Qui diu geſtans habitum regularem, nullam profeſſionem ſolennem emiſit, & in dicto habitu ſine licentia Superiorum plurimis annis manſit in partibus hæreticorum, curamque animarum extra clauſtra exercuit, bene ſe gerens pro religione catholica, ſi petat, ſe declarari Religioſum profeſſum, poterit cum eo diſpenſari, ut, factis tribus menſibus Novitiatus, profeſſionem emittere poſſit.

Cum eo, cujus mater fuit Monialis profeſſa, & habitu dimiſſo, fuit & hæretica, & hæretico nupſit, poterit diſpenſari ad Ordines, & beneficium, vel Præpoſituram obtinendum.

Græcus qui non ſuſceptis Ordinibus minoribus, ſe ad Subdiaconatum promovere fecit, ſi petat abſolvi, ac ſecum diſpenſari, ut in Subdiaconatu miniſtrare, & alios Ordines ſuſcipere valeat, poterit remitti Ordinario, ut cum eo diſpenſet, ac interroget dictum Græcum, an in ſchiſma, vel in hæreſim conſenſerit.

Epiſcopus græcus, ſi petat poſſe diſpenſare ſuper matrimoniis contractis inter latinos, & græcos, etiam quando proles remaneret apud parentes qui ſunt ritus græci, poterit concedi, ut diſpenſet cum Catholicis tantum.

Italogræcus, qui Ordines Subdiaconatus, & Diaconatus ſuſcepit ab Epiſcopo ſchiſmatico, ſi petat abſolvi, & habilis reddi ad presbyteratum, poterit examinari in S. Officio.

Sacerdos ritus latini, qui matrimonium cum muliere ritus græci contraxit, præviis examine, abjuratione, & re-

Digitized by Google

& reſumptione habitus clericalis, poterit reconciliari.

Diaconus ritus græci poterit reddi habilis ad ſuſcipiendum presbyteratus Ordinem ritu latino, dummodo amplius non redeat ad ritum græcum.

Siquis petierit, ſecum diſpenſari ad ſervanda jejunia ritus græci, licet ipſe ſit latinus, non eſt audiendus. Non eſt tamen ei prohibitum per Bullam B. Pii V. quin præcipiat Græcis, ut ſervent ſuas ceremonias, & ritus.

Cum alumno Collegii Gręcorum poterit diſpenſari, ut in Ordinibus Subdiaconatus, & Diaconatus miniſtrare poſſit, non obſtante, quod illos ſuſceperit ab Archiepiſcopo ſchiſmatico, & ante legitimam ætatem.

Poterit diſpenſari cum Epiſcopo, qui abjuravit hæreſes, & errores Græcorum, ut in ſuis Ordinibus miniſtrare poſſit, non obſtante, quod fuerit hęreticus ſchiſmaticus, & ab Archiepiſcopo ſchiſmatico ad omnes Ordines promotus.

Poterit diſpenſari cum græco Regulari ab obſervantia jejuniorum, quæ à Græcis obſervantur, donec in Conventibus ſuæ Religionis in Italia exiſtentibus morabitur.

Cum græco, qui prima tonſura, more latino ſuſcepta, uxorem virginem duxit, ſi petat ſecum diſpenſari, ut ad omnes ſacros, & presbyteratus Ordines, ritu græco promoveri poſſit, poterit cum eo diſpenſari, ut non obſtante, quod primam tonſuram more latino ſuſceperit, promoveatur ad omnes Ordines, etiam ſacros, & presbyteratum ritu græco.

Si mulier græca, mortuo ejus viro presbytero, petat ſecum diſpenſari, ut cum alio contrahere poſſit, poterit cum ea diſpenſari, non obſtante conſuetudine, quod relicta presbyteri alteri nubere nõ poſſit.

Cum presbytero græco, qui contraxit matrimonium cum muliere ſibi in quarto conſanguinitatis gradu conjuncta, ignorans impedimentum, poterit diſpenſari, ut in matrimonio prædicto manere poſſit, præmiſſis non obſtantibus.

Vide plurs de Græcis, quæ alibi adduximus.

Cum trahentibus originem ab Hebræis poterit diſpenſari ad Ordines, & beneficia, arbitrio Ordinariorum, quibus id committendum eſt.

Regularis, ex genere Hebræorum natus, ſi petat ſecum diſpenſari ad gradus ſuæ Religionis, poterit committi Generali ejus Ordini, qui arbitrio ſuo cum eo diſpenſet ad munera, & gradus ſuæ Religionis obtinendum, non tamen Generalatum.

Cum trahente originem ab Hebræis, qui abſque diſpenſatione omnes, etiam ſacros & presbyteratus Ordines ſuſcepit, & in illis miniſtravit, poterit diſpenſari ad eorum executionem, & ad beneficia quæcunque, etiam curata, ac dignitates, etiam majores Canonicatus, & præbendas in Cathedralibus, & dignitates in Collegiatis.

Cum puella, originem trahente ab Hebræis, poterit diſpenſari, ut monaſterium aliquod ingredi, ac profeſſionem emittere poſſit, dummodo ibi non extet conſtitutio, vel conſuetudo contraria, & executio committi poterit arbitrio Ordinarii.

Poterit etiam remitti arbitrio Ordinarii, & Superiorum Ordinis, quem natus ex neophyto, olim Judęo ingredi intendit, quod, ſi ipſi videbitur, cum eo diſpenſet, ut ordines, etiam ſacros, & presbyteratum ſuſcipere poſſit, atque habilitet ad munera, & dignitates ejuſdem Religionis, ſi & poſtquam in ea profeſſionem emiſerit.

Siquis Religioſus, quod Deus non ſolum avertat, ſed deteſtetur, apoſtatavit ad Sectam Mahumetanam, & deinde ſponte compareat, poterit expediri cum pœnitentiis ſalutaribus, ac reddi inhabilis ad dignitates in ſua Religione.

Apoſtata à fide, & Religione poterit recipi ad abjurationem, & abſolvi ab excommunicatione, nec non dari ei licentia tranſeundi al aliam Religionem, etiam Monachorum, ſi inveniat benevolos receptores, ac interim manendi in ſeculo in habitu clericali, & ſuſpendatur ab executione ſuorum Ordinum ad ſeptennium ita, ut illos ſine licentia expreſſa exercere non poſſit.

Siquis monialem è monaſterio extraxerit, & ad partes hæreticorum duxerit à quo Deus eripiat, cumque ea matrimonium contraxerit ac hæreticè vixerit, ſi mortua jam moniali, voluerit ad fidem catholicam redire, ac petierit ſalvum conductum, non eſt ei annuendum, ſed poterit certior reddi, quod ſponte compareat in S. Officio in quo benignè hujuſmodi rei expediuntur.

Siquis Jeſuita apoſtataverit à fide, & converſus petierit diſpenſari, poterit cum eo diſpenſari ſuper votis ſimplicibus Societatis, ab ipſo emiſſis.

Cum apoſtatis à fide, & à Religione poterit diſpenſari, ut in habitu presbyteri ſecularis manere poſſint, præſertim quando adſit periculum relapſus.

Siquis ſemel, ac iterum, dimiſſo habitu ad hæreticos confugerit hæreſeſque profeſſus fuerit, poterit obtinere, quod committatur ſuo Generali, ut eum abſolvat in utroque foro, ac cum eo diſpenſet in executione Ordinum.

Siquis Religioſus apoſtataverit à fide ad Turcas, & apud ipſos matrimonium contraxerit, ſi petat licentiam manendi in habitu presbyteri ſecularis propter imminens periculum Turcarum, reſcribi ac ſuaderi poterit reditus, & ut reaſſumat habitum, utque compareat in S. Officio, in quo benignè hi rei tractantur.

Apoſtata à fide, & à Religione, redeunte ad fidem poterit abſolvi, & cum eo diſpenſari, ut poſſit remanere extra clauſtra in habitu regulari ſub obedientia Ordinarii, in cujus diœceſi morabitur, donec à ſuis ſuperioribus ad Religionem revocetur, quæ quidem clauſula potius apponitur ex ſtylo, quàm aliquid operetur. Unde aliquando reſcribitur, cum ejuſmodi reis ſimpliciter, abſq; dicta clauſula diſpenſetur.

Apoſtata à fide, qui ſemel abjuravit de formali, ac iterum relapſus fuit in hæreſes, poterit committi Ordinario, ut eum abſolvat, & non obliget ad pœnam relapſus.

Qui ante finitum annum probationis profeſſionem emiſit in quodam monaſterio, ubi pluribus annis manſit, deinde prætendens profeſſionem eſſe nullam à Monaſterio egreſſus, Miniſter hæreticorum factus, publicè pluribus annis docuit, & uxorem duxit, ſi petat abſolvi, poterit committi illius abſolutio citra diſpenſationem, reaſſumpto prius habitu regulari, & obtenta declaratione nullitatis profeſſionis, & facta abjuratione.

Siquis, relicto habitu regulari, ad hæreticos tranſiverit, ſi redierit ad fidem catholicam, poterit diſpenſari ad executionem Ordinum, & ut remanere poſſit in habitu presbyteri ſecularis ſub obedientia Ordinarii, & beneficia Eccleſiaſtica, etiam curata in ſua diœceſi obtinere.

Si quis Religioſus, habitu dimiſſo, ad hæreticos diverterit, ſectæque ipſorum adhæſerit, & à ſuis fratribus denunciatus, pœnitens commiſſi erroris, poſt paucos dies redierit, ac publicè è ſuggeſtu errorem ſuum agnoverit, poterit ſuaderi, ut accedat, & ſponte compareat in S. Officio, poterit benignè expediri, & concedi licentia tranſeundi ad Religionem laxiorem.

Apoſtatæ à fide ad partes hæreticorum profecti, ſi petant abſolvi in foro fori, & à quibuſvis caſibus à ſuis confeſſariis, liberari à votis Religionis, ac ſubjici Ordinario, ut in habitu presbyteri ſecularis vivere poſſint, non ſunt audiendi, & hujuſmodi

pacta reſicienda ſunt, poterint tamen certiores fieri, ut compareant in S. Officio, in quo benignè recipiuntur, & remittitur aliquando pœna temporalis.

Monachus profeſſus qui habitu dimiſſo, arma ſumpſit, pluribus conflictibus interfuit, nonnullos vulneravit, & forſan etiam occidit, hæreticorum cautiones & contubernia frequentavit, licet eorum hæreſibus non adhæſerit, ſi petat abſolvi, & habilis reddi ad ordines, & beneficia ſuæ Religionis obtinendum, poterit ſupplicatio ſignari cum clauſula, prævijs examine, & abjuratione, quatenus illi locus) ſit, & reaſſumpto habitu Religionis, & quoad abſolutionem tantum.

Regularis laicus profeſſus, qui bis dimiſſus à ſuis ſuperioribus credidit ſe liberum, & propterea uxorem duxit, cum eaque pluribus annis cohabitavit, ſi petat abſolvi in utroque foro, non eſt audiendus, ſed comparere debet in S. Officio.

Apoſtata à fide, & à Religione, qui hereſes ſectatus eſt, & matrimonium contraxit, ſi petat abſolvi, poterit, quatenus non eſſet præventus, ubi ſpontè comparens expediri ac recipi à ſua Religione cum perpetua ſuſpenſione ab executione ſuorum Ordinum.

Apoſtata à Religione, qui ante legitimam ætatem, & cum dimiſſoriis falſis, ſe ad Ordines ſacros promovere fecit, & ad hæreticos ſe contulit, eorum more vivendo, ſi petierit abſolvi, ac ſecum diſpenſari, ut in Ordinibus ſuſceptis miniſtrare, & in habitu presbyteri ſecularis manere poſſit, poterit mandari Nuntio Apoſtolico, vel Ordinario, ut eum abſolvat, prævia judiciali abjuratione, citra aliquam habilitationem, & ipſe redeat ad ſuam Religionem.

Qui ante legitimam ætatem Religionem ingreſſus, profeſſionem in ea nulliter emiſit, & ad Ordines ſacros fuit promotus, deinde ſemel, aciterum in hæreſes relapſus, & in foro conſcientiæ abſolutus, in Ordinibus ſuſceptis miniſtravit, non obtenta diſpenſatione, ac poſtmodum profeſſionem nullam declarari obtinuit, ſi petat abſolvi, ac diſpenſari ad executionem Ordinum, & habilia reddi ad beneficia, poterit committi Ordinario, ut prævio examine, & abjuratione judiciali, illum abſolvat, & conſtito ſibi, quod profeſſio legitimè declarata fuerit nulla cum eo diſpenſet ſuo arbitrio, illumque habilem reddat ad beneficia.

Apoſtata à Religione, ſi petierit ſecum diſpenſari, ut in habitu presbyteri ſecularis manere poſſit, vel ut cauſa nullitatis ſuæ profeſſionis Nuntio committatur, poterit mandari Nuntio, ut curet ei ſuadere, ut reaſſumat habitum regularem. Quod ſi recuſaverit, cauſam nullitatis profeſſionis cognoſcat, prævia judiciali abjuratione, & interim cum eo diſpenſet, ut in habitu presbyteri ſecularis manere poſſit.

Qui juſſu patris in Religione profeſſionem emiſit, è qua egreſſus nullitatem illius intentavit, quam tamen ab ipſo impeditus, proſequi non potuit, & propterea id ægrè & graviter ferens, ad hæreticos ſe contulit, & uxorem, cum qua pluribus annis cohabitavit, duxit, ſi petierit abſolvi, ac ſecum diſpenſari, ut in habitu religioſo S. Antonii manere poſſit, vel cum eo diſpenſari in foro conſcientiæ, ac prævia abjuratione, ut ad Ordinem laxiorem tranſire poſſit, vel ad Religionem Equitum S. Joannis Hieroſolymitani, ita tamen, ut exactè regulam ſervare teneatur, vel ut in habitu presbyteri ſecularis maneat ſub obedientia Ordinarii, ad Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrandum, & ad beneficia quæcunque obtinenda, etiam curata dummodo diſtet à prætenſa muliere ſaltem 40. milliaribus.

Si quæ monialis profeſſa, è monaſterio egreſſa apoſtataverit à fide, & virum duxerit, ſpontè compareat, prævia abjuratione de formali, poterit ei reſtitui locus, & gradus ſuæ profeſſionis factæ in Monaſterio, & vox activa & paſſiva.

Si quæ monialis profeſſa, & è monaſterio egreſſa apud ſuos parentes ſe receperit, & in hæreſim lapſa, ita pluribus annis vixerit, ſi convertatur ad fidem catholicam petat abſolvi, ac ſecum diſpenſari, poterit abſolvi, & cum ea diſpenſari, ut ſeteno habitu honeſto remanere poſſit in ſeculo, & loco horarum canonicarum recitare valeat horas à monialibus recitari ſolitas.

Si quæ monialis profeſſa pluribus annis in monaſterio permanſerit, & poſtea ea illo egreſſa per plura hæreticorum loca vagata fuerit, liberis etiam ſuſceptis, timeat redire ad Monaſterium, poterit cum ea diſpenſari, ut in habitu ſeculari manere poſſit, prævia abjuratione, quatenus illi locus eſſet.

Si quæ monialis poſt profeſſionem emiſſam ad hæreticos aufugerit, & hæretico nupſerit & petierit ſecum diſpenſari, poterit, prævia abjuratione, in foro conſcientiæ cum ea diſpenſari, ut in prædicto prætenſo matrimonio remanere poſſit ſub ſpe convertendi ad fidem catholicam maritum, ac prolem, quibus converſis, ſi petierit ſecum diſpenſari etiam in foro exteriori poterit committi alicui Ordinario illarum partium, vel Nuntio, qui comprobatis narratis, & prævia abjuratione, eam abſolvat, & cum ea diſpenſet circa dictum matrimonium, etiam in foro exteriori, faciendo illam non monacham, non tamen redeat ad habitandum ubi deliquit.

Si quæ monialis contraxerit matrimonium, prætendens ſe emiſiſſe profeſſionem per vim & metum, & petierit ſecum diſpenſari, ut in matrimonio manere poſſit, poterit committi Ordinario, ut reaſſumpto per eam habitu regulari, & facta abjuratione de vehementi illam abſolvat, & cum interventu ſuperioris ejus Monaſterii illum audiat ſuper prætenſa nullitate dictæ profeſſionis, non obſtante lapſu quinquennii, ſi prius dederit ſumum, quod propter vim & metum profeſſionem emiſerit.

Si monialis profeſſa petierit licentiam, ſe conferendi ad domum parentum infirmitatis curandæ gratia, poterit committi Ordinario, ut poſſit cum ea diſpenſare ad aliud Monaſterium in civitate, vel diœceſi pro recuperanda ſanitate.

Cum Comite canonico, relatis prius litteris Ordinarii, ac Nuntii Apoſtolici, poterit diſpenſari, ut, non obſtante Subdiaconatus Ordine, matrimonium contrahere poſſit, pro quo expeditur Breve.

Si Subdiaconus, extinctis ejus fratribus, ne bona feudalia ad hæreticos tranſeant, petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum, & certior redditus, diſpenſationem ſibi propediem mittendam, bona fide matrimonium contraxerit more catholico, poſtea intelligens, gratiam non eſſe expeditam, petierit diſpenſari, cum uxorem nobilem, quam duxit, non poſſit ſine amicorum offenſione dimittere, poterit mandari Ordinario, vel Nuntio, ut conditionibus expreſſis exiſtentibus veris, cum eo diſpenſet, ut cum jam nupta matrimonium contrahat.

Quidam nobilis, inductus à fratribus majoribus, Ordinem Subdiaconatus ante legitimam ætatem ſuſcepit, Canonicatum acceptavit, deinde reſipuerit; & poſt aliquot annos uxorem duxit, ac liberos ſuſcepit, ſi, rediens ad fidem catholicam,

petierit

Digitized by Google

petierit ſecum diſpenſari, poterit committi Nuntio, ut comprobatis narratis, ac prævia abjuratione, cum eo diſpenſet, ac denuò matrimonium contrahat, proiemque legitimam declaret, vei ut probationea recipiat, illaſque mittat ad Urbem, ac doceat, an beatos in Subdiaconatu miniſtraverit. Nam hoc caſu difficilior redditur diſpenſatio.

Subdiaconus, qui uxorem duxit, & illa mortua, ſecundam accepit, ex eaque plures filios genuit, ſi petat ſecum diſpenſari, ut matrimonium de novo contrahere poſſit, remittendus eſt ad S. Pœnitentiarium, ſi factum eſt ſecretum.

Subdiaconus, qui de facto matrimonium contraxit, fuit inſimul cum prætenſa uxore à ſuo Ordinario punitus. At ſi petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium de novo contrahendum, remittitur eorum petitio Ordinario, qui prævio examine ſuper intentione ejuſdem Subdiaconi, illum abjurare faciat, deinde cum eis diſpenſet, ut de novo contrahere poſſint. Et ſi mulier moriatur, ipſe remanear in perpetuo cœlibatu.

Diaconus, qui duxit oxorem, ex qua plures filios ſuſcepit, ſi caſus ſit occultus, poterit obtinere commiſſionem ad ſuum Ordinarium, ut prævia abjuratione, cum eo diſpenſet in foro conſcientiæ, dummodo de novo contrahat.

Cum Subdiacono, qui cum nobili per verba de futuro matrimonium contraxit ſequuta copula, & probe ſuſcepta, poterit diſpenſari ad matrimonium in facie Eccleſiæ contrahendum, comprobatis coram Ordinario, vel Nuncio narratis, præviiſque ejus examine, & abjuratione.

Canonicus, ex nobili genere natus, linguæ latinæ ignarus, ac utroque pede claudus, qui nulla obtenta diſpenſatione, ac non ſervata forma S. Concilii Tridentini, ad Subdiaconatus Ordinem ſe promovere fecit, in Ordine tamen non miniſtravit, & multis ab hinc annis matrimonium contraxit, filioſque ſuſcepit, ſi petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum, poterit mandari Nuntio Apoſtolico informatio, & maximè ut doceat qualitatem bonorum, in quibus ſuccederent hæretici, ipſo ſine filiis decedente, & an feuda ſint juriſdictionis.

Si Canonicus, & Diaconus petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum, ne ſua bona devolvantur ad hæreticos, & maximè ſi voluerit contrahere cum nobili, ex cujus connubio ſex pagos conſequetur, & ad fidem catholicam reducet, poterit ſcribi Nuntio pro informatione.

Siquis, poſt Subdiaconatum ſuſceptum, matrimonium contraxerit, ac petierit ſecum diſpenſari, ut in eo à quampluribus annis contracto permanere poſſit, poterit remitti Nontio, & Ordinario, ut eis conſtito, quod ex ſeparatione matrimonii oritura ſint ſcandala, & homicidia, cum eo diſputant ſua prudentia, & arbitrio, prævia illius abjuratione. Snbdiaconns & Canonicus, ſi ſupplicaverit Sanctiſſimo ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum, ne feuda ſuæ familiæ ad hæreticos devolvantur, ac ut ſuffragium in Comitiis acquiratur catholicis, poterit committi Nuntio Apoſtolico, ut conſtito ſibi quod præmiſſa vera ſint, cum eo diſpenſet.

Is, qui, dum erat annorum quindecim à patre coactus, Ordinem Subdiaconatus ſuſcepit, ac deinde ad bellum profectus, uxorem duxit, ſi petierit committi Ordinario cauſam nullitatis ſuſceptionis dicti Ordinis, & ut eum abſolvat, ac cum illo diſpenſet, ut in matrimonio contracto manere poſſit, poterit quoad cauſam nullitatis reſcribi, ut adeat ſuum Ordinarium, cui committendum eſt, ut præviis examine, & abjuratione illum abſolvat, citra tamen diſpenſationem.

Qui habens Ordinem Subdiaconatus, in eo publicè miniſtravit, ac publicè pro Subdiacono exiſtimatus fuit, poterit ſcribi Inquiſitori majori Hiſpaniarum, ut prędictis non obſtantibus concedat ei licentiam contrahendi matrimonium cum quadam juvene, quam defloraverat ſub ſpe ac fide futuri matrimonii, injunctis gravibus pœnitentiis ſalutaribus.

Cum Diacono, & Canonico poterit diſpenſari ad matrimonium contrahendum, ſi ſit ultimus de ſua familia, & ipſo uxorem non ducente, ſubſit periculum ne ejus dominia & feuda occupentur ab hæreticis, & vaſalli fiant hæretici.

Qui poſt ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem per vim & metum uxorem duxit, cum qua pluribus annis permanſit, ſi petierit declarari validum dictum matrimonium ac proiem legitimam, poterit committi Ordinario, ut præviis Oratoris examine, & abjuratione de vehementi, illum abſolvat, deinde, eo ab uxore ſeparato cauſam prætenſæ nullitatis ſuſceptionis Ordinum cognoſcat pro juſtitia.

Cum Canonico & Subdiacono poterit diſpenſari ad matrimonium contrahendum, cum decreto, quod ſi uxor prædeceſſerit, maneat in cœlibatu. Si mortua uxore, petierit ſecum diſpenſari, ut cum alia, quam ad fidem catholicam reduxit, ſub ſpe illam in uxorem ducendi, contrahere poſſit, poterit id remitti arbitrio Nuntii Apoſtolici, qui ſi narrata vera ſint, ac ſibi expedire videbitur, concedat licentiam petitam.

Cum Subdiacono, & Canonico, qui matrimonium contraxit cum muliere hærętica, quam ad fidem catholicam reduxit, poterit diſpenſari, ut in matrimonio contracto manere poſſit, prævia prius abjuratione mulieris de formali, & Canonici Subdiaconi ſcitem de vehementi.

Qui poſt ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem per vim ac metum hæreſim profeſſus eſt, & matrimonium hęreticorum more contraxit, pluresque filios ſuſcepit, ſi petierit abſolvi, & nullitatem Ordinum validitatemque matrimonii declarari, poterit committi Ordinario, qui prævia judiciali abjuratione, prout de jure, Oratorem abſolvat, & ſervatis ſervandis, cauſam prætenſę nullitatis Ordinis Subdiaconatus, & validitatem matrimonii, prout de jure cognoſcat, proiemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam declaret, dummodo mulier non ſit hæretica.

Cum Archiduce Auſtriæ Leopoldo fuit ſub 18. Decembris 1625. diſpenſatum, ut depoſitis Epiſcopatibus, aliiſque dignitatibus Eccleſiaſticis, matrimonium contrahere poſſet, non obſtante Ordine Subdiaconatus.

Cum Equite Teutonico in Germania, non obſtantibus votis Religionis poterit diſpenſari à Summo Pontifice ad matrimonium contrahendum cum quadam virgine, quam carnaliter cognoverat, prolemque ſuſceperat, ſi adſint urgentiſſimæ cauſę rixarum, & inimicitiarum.

Si Eques profeſſus Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani petierit ſecum diſpenſari, ut ad ſecularia vota tranſire valeat, quia ipſo ſine liberis decedente, dominia, & feuda ſuæ domus ad hæreticos devolventur, poterit committi Nuntio Apoſtolico, ut comprobatis plene ac concludenter narratis cum oratore diſpenſet, ut ad ſecularia vota tranſire valeat, & poſt diſpenſationem exemplum actorum mittat ad S. Officium Urbis.

Qui juvenili ætate cum virgine clandeſtinè coram duobus vel tribus tantum teſtibus, inſciis utriuſque parentibus, matrimonium contraxit, ſed ante ejus conſūmationem metu, ac inductione patris cum alia in facie Eccleſiæ contraxit, prolemque ex ea genuit, ſi petierit ad evitandum cædes, & exitia, nec non ſcandala inter Catholicos cum irriſione hæreticorum, ſecum diſpenſari in primo matrimonio rato ad favorem ſecundi conſummati, poterit committi Ordinario, qui conſtito ſibi canonicè ac legitimè de narratis, cum eo diſpenſet ſuper matrimonio rato ad favorem ſecundi conſummati.

Apoſtolicà Sedes cum hæreticis volentibus inter ſe matrimonium contrahere in gradibus prohibitis, non ſolet diſpenſare, niſi hæreſes abjurent, licet alter ſit catholicus, nec datur diſpenſatio, niſi hæreſi per hæreticum abjurata.

Cum hæretico, qui in hæreſi Subdiaconatus Ordinem ſuſcepit, & poſtea hæreticam uxorem duxit, poterit diſpenſare ad matrimonium de novo contrahendum cum legitimatione prolis, ſi ambo fidem catholicam amplectantur.

Cum illo, qui matrimonium cum ſorore germana uxoris prædefunctæ contraxit, cum qua pluribus annis cohabitavit, & ex ea multos liberos ſuſcepit, ſi petierit ſecum diſpenſari in matrimonio contracto, poterit committi Ordinario, ut cum eis diſpenſet, quatenus filii ſint Catholici, & ipſi hæreſes abjuraverint.

Vovens in periculo caſtitatem, & cultui divino ſe dedicare, ſolus de ſua familia contraxit ſponſalia cum hæretica ſibi in tertio & quarto conſanguinitatis gradu conjuncta, quæ fidem catholicam amplecti deſiderabat, ſi petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum, poterit cum eo diſpenſari, abjuratis tamen prius per ſponſam hæreſibus.

Hæretica, quæ à marito hæretico propter impotentiam ſeparata fuit, ad fidem catholicam reverſa, alium virum duxit, audiens primum maritum aliam duxiſſe, ſi ob id petierit ſecum diſpenſari, poterit committi Nuntio, vel Ordinario, ut ſe inſtruat, & pro juſtitia provideat, quia ubi agitur de dirimendo matrimonio ex cauſa impotentiæ non requiritur diſpenſatio.

Siquis petierit ſecum diſpenſari, ut matrimonium contrahere poſſit cum ſorore ſuæ primæ uxoris defunctæ, cùm ſubſit periculum, ne ipſa alicui hæretico nubat, & ſic ipſa cum ſuis ſubditis hæretica evadat, poterit committi Nuntio, qui cognoſcat, an iſta reperiat alium virum catholicum paris conditionis in illis partibus, an nuptura ſit hæretico, an adſit periculum quod ipſa, & ejus ſubditi deſerant fidem catholicam, nec non cognitionem capiat de amplitudine feudorum, ubi ſita ſunt, ac de numero ſubditorum, & an ipſa catholicè, an hæreticè vivat.

Cum hæretico communicanti ſub utraque ſpecie poterit diſpenſari, ut cum muliere ejuſdem ſectæ ſibi in ſecundo conſanguinitatis gradu conjuncta contrahere poſſit, dummodo ambo emittant fidei profeſſionem, & ipſe vir ſit perſona inſignis, & ex hujuſmodi diſpenſatione magnum commodum Religionis catholicæ obventurum ſit, ſcribendumque Ordinario, ut eos doceat de communione ſub utraque ſpecie juxta formam Brevis Pii IV.

Siquis petierit ſecum diſpenſari, ut matrimonium cum ſorore ſuæ uxoris prædefunctæ contrahere valeat, cùm ſub ſpe contrahendi, illam ad fidem reduxerit, & converteretur etiam tota ejus familia, poterit cum eo diſpenſari in foro conſcientiæ, ſi proficiſcantur in partes, ubi notitia hujus rei non habeatur, & non tranſeat in exemplum, vel committi Nuntio, ut cum eo diſpenſet arbitrio ſuo in foro conſcientiæ tantùm, ut matrimonium contrahere poſſit cum uxoris defunctæ ſorore, dummodo contrahant in loco, ubi factum eſt occultum, non adſit ſcandalum, & hujuſmodi diſpenſatio non trahatur in exemplum.

Cum muliere, quæ, vivente primo marito hæretico, cum quo matrimonium non conſummavit ob impotentiam mariti ex maleficio provenientem, & propterea per Magiſtratum hæreticum ab eo ſeparata fuit, nupſit alteri Catholico, à quo prolem ſuſcepit, & cum filiis catholicè vivit, poterit diſpenſari in foro conſcientiæ, ut in dicto ſecundo matrimonio manere poſſit, dummodo primum non conſummaverit, & narrata vera ſint.

Siquis nobilis petierit ſecum diſpenſari ad matrimonium contrahendum cum ſorore germana uxoris ſuæ prædefunctæ, adducendo copulam carnalem, & prolem ex ea ſuſceptam, periculum inimicitiarum inter conſanguineos utriuſque partis, læſionem æſtimationis ipſius fœminæ, periculum, ne ipſa ad hæreticos divertat, hæreticoque nubat, quo caſu ſi frater ipſius obierit, diverſa feuda ad hæreticos devolverentur, poterit committi Nuntio Apoſtolico, qui, his omnibus coram ſe probatis, cum eis diſpenſet, ut matrimonium inter ſe contrahere poſſint, non obſtante impedimento primi gradus affinitatis, prolemque ſuſceptam, & ſuſcipiendam legitimam declaret, mandarique expediri Breve, in quo dictæ cauſæ exprimantur.

Qui, vivente primo marito mulieris, cum ipſa contraxit matrimonium, ac etiam de ipſius mulieris conſenſu falſos teſtes ſuper obitu primi viri examinavit, ſi petierit ſecum diſpenſari, verè ſecuta morte primi mariti, neutro machinante, ad denuo contrahendum, poterit committi Ordinario, ut prævio examine ſuper intentione, & abjuratione de vehementi cum eis diſpenſet, dummodo non ſint inditiis præventi.

Qui conjuncti in quarto conſanguinitatis gradu ſe carnaliter cognoverint, ac deinde examinatis teſtibus ſuper morte primi mariti, matrimonium in facie Eccleſiæ contraxerint, ac detecta ſuperviventia ipſius primi mariti, & declarato nullo matrimonio, pluribus annis in eadem copula, non obſtante inhibitione, permanſerunt, prolemque ſuſceperunt, ſi, mortuo dicto primo marito, nullo ipſorum machinante, nullaque ſibi invicem data fide de matrimonio contrahendo, poſt illius obitum, petierint ſecum diſpenſari ad denuo contrahendum, poterit committi Ordinario, ut examinatis oratoribus ſuper narratis, & intentione, ac præmiſſa & abjuratione quatenus opus ſit, illos abſolvat, ac cum eis diſpenſet. Vel reſcribendum, ut compareant in S. Officio, & poſtea quoad diſpenſationem ſtatuetur.

Qui cum muliere, cujus primus maritus credebatur mortuus contraxit, ſed poſt triennium comparuit, eiſque dixit, ut in pace maneant, quia & ipſe quoque cum alia contraxerat, quare in matrimonio pluribus annis permanſerunt, data ſibi invicem fide de iterum contrahendo poſt illius obitum, & licet per Ordinarium fuerint ſeparati, attamen inſimul biennio cohabitarunt. Unde ſi, mortuo dicto primo, petierint ſecum diſpenſari, poterit committi Ordinario, ut cum eis diſ-

ſpenſet

diſpenſet cum clauſula, quod prævio eorum examine ſuper matrimonio contracto, vivente primo viro, ac ſuper credulitate, illos abjurare faciat judicialiter juxta gravitatem reſultantem ex eorum depoſitionibus.

Cum Sacerdotibus in regionibus, in quibus eorum penuria eſt poterit diſpenſari, ut his in die celebrare poſſint, non ſumpta abſolutione.

Cum Regulari poſtquam abjuravit de levi poterit diſpenſari, ut poſſit tranſire ad Religionem S. Joannis Hieroſolymitani, dummodo recipiatur inter Capellanos ſtrictæ obſervantiæ, degentes in Conventu, quo etiam vivat.

Cum Regulari Capucino poterit diſpenſari, ut ſimul cum uno, duobus aut tribus ſociis, & à Superioribus aſſignandis, ſine habitu regulari incedere poſſit, equitare, pecuniam habere, ac retinere, nec non jejunia à Conſtitutionibus ſuæ Religionis indicta non obſervare, concurrente neceſſitate.

Poterit diſpenſari cum Regulari, ut curam animarum extra clauſtra exercere poſſit, ut ſubveniat paupertati ſui patris, qui cogitur cum filiis vivere apud conſanguineos hæreticos, ſi aliàs provideri non poſſit.

Cum eo, qui poſt Subdiaconatus ordinem, uxorem duxit hæreticam, quam Catholicam reddidit, & ex ea plures filios catholicè educatos ſuſcepit, ſi petierit ſecum diſpenſari, ut in dicto matrimonio manere poſſit, poterit abſolvi, & cum eo diſpenſari in foro conſcientiæ prævia abjuratione verbali in actu ſacramentalis pœnitentiæ, & dummodo, ſi mulier præmoriatur, maneat in perpetuo cœlibatu, ad ſuſpenſus ab executione ſuorum Ordinum.

Et hæc exempli gratia ſufficiant.

Porrò diſpenſatio, & abſolutio à pœnis Eccleſiaſticis latæ ſententiæ differunt primò, quod abſolutio ſignificat actum juſtitiæ, in quo cauſa aliqua, ſive judicium terminatur in favorem rei, ut per Suarez *de cenſur. diſp.*41. *ſect.* 1. *n.*4 Diſpenſatio autem eſt actus gratiæ, ſive miſericordiæ, ut inquit Gloſ. *in can. ut conſtitueretur, v. detrahendum d.* 50. ibique Archid. *numero* 2. Bald. *in addit. ad ſpecul. tit. de diſpenſat. v.* 1. qua aliquid relaxatur à communi lege in favorem alicujus, Suarez *loc. citat.* Unde abſolutio eſt ſecundum jus commune, diſpenſatio eſt præter jus, Gloſ. *in capit. cupientes v. ſuſpenſos de elect. in* 6. Abb. *in capit. tam literis nu.* 3. *de teſtib.* Suar. *tomo quarto, de relig. lib.* 9. *capite ſecundo, num.* 48. *& de cenſur. diſp.* 29. *ſect.* 1. *d.* 17.

Secundò differunt, quia propriè loquendo abſolutio non habet locum, niſi in pœnis medicinalibus, quæ ſcilicet ob contumaciam amovendam inferuntur ut ſunt omnes cenſuræ Eccleſiaſticæ. Unde ex ſua natura non poſſunt eſſe perpetuæ. Diſpenſatio verò ſolum habet locum in pœnis de ſua natura immobilibus, ſive ſint perpetuæ, ſive ad certum tempus Felin. *in cap. Apoſtolica in princ. de except.* D. Antonin. *p.* 3 *tit.* 28. *de ſuſp. c.* 4. Sayr. *lib.* 4 *de cenſur. c.* 17. *n.* 1. Suar. *d. n.* 17. *de cenſur. & d. c.* 2. *de relig. n.* 46. 48. *& ſeq.*

Differunt tertiò, quod abſolutio, ut concedatur, non indiget alia cauſa præter diſpoſitionem, ſive non repugnantiam ex parte abſolvendi, ut ſcilicet ceſſaverit à contumacia. Diſpenſatio autem requirit aliquam cauſam juſtam, & rationabilem, ut inferior diſpenſare valeat ſuper pœnis ſtatutis à Superiore, Suar. *de relig. loc. cit. nu.* 49. Et quò caſus eſt gravior, vel pœna magis rationabilis, & fundata in validiori jure, tanto gravior cauſa requiritur ad diſpenſandum. Unde ex facultatibus, & ſtylo S. Pœnitentiariæ poteſt diſpenſari ſuper homicidio caſuali, quando ex magna nobilitate perſonæ, ac doctrina exiſtimatur magna utilitas Eccleſiæ conſecutura. At verò ſuper voluntario homicidio injuſto, vel abortu diſpenſare non licet, niſi ex graviori cauſa, nempe ob neceſſitatem, ut ſcandali, vel necis gravi periculo ſubſiſtente. Quia hæc irregularitas eſt ſtatuta ex canone Apoſtolico, & imitatione juris divini, Henriq. *libro decimo quarto, capite decimo ſeptimo, numero* 5. Avil. *p.* 7. *de cenſur. diſp.* 10. *dub.* 1.

Quartò differunt, quod abſolutio à cenſuris, ſive pœnis medicinalibus non poteſt ſine injuſtitia reo pœnitenti, ac petenti denegari, ſcilicet ſatisfactione præſtita, vel ſi per eum non ſtet, quominus ſatisfaciat. Eſt communis ſententia Theologorum & Canoniſtarum, & *textus in cap. qua fronte de appell. & cap. ex litteris de conſtit.* Diſpenſatio verò quantumvis diſpoſito, ac pœnitenti per ſe loquendo, citra injuriam denegari poteſt, Archid. *in d. can. conſtitueretur numero* 2. *d.* 50. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 7. *num.* 70. cum Abbate ac Roſella. Unde inquit Salas, quod Superior denegans diſpenſationem, non ſemper peccat, etiam exiſtente cauſa ad diſpenſandum. Peccat autem quando diſpenſatio eſt debita ex charitate, vel ex juſtitia, ut quando adeſt gravis neceſſitas publica, vel privata, ut vitandæ mortis, vel ſcandali gravis, vel ſaltem quando diſpenſare longè utilius eſt Eccleſiæ ſeu bono publico, Salas *num.* 37. *&* 74. Vel quando ſuperior commiſit alicui, ut diſpenſet, ſi vera ſunt narrata, Archid. *loc. citat.* & Salas *ibid. n.* 71. Addit Henriquez *ſupra num.* 5. diſpenſationes ſobriè concedendas, etiam cauſa diſpenſationis ſubſiſtente. Nam aliàs enervaretur lex communis & Eccleſiaſtica diſciplina.

Quintò differunt, quod is, cui abſolutio à cenſura denegatur injuſtè, poteſt adire ſuperiorem mediatum per viam querelæ, ut per Felin. *in cap. paſtoralis num.* 6 *de offic. Ord.* & latè Sanchez *opuſc. lib.* 3. *cap. un. dub.* 35. *num.* 8. At verò ſi cui denegatur diſpenſatio à pœna latæ ſententiæ incurſa, non poteſt recurrere ad Superiorem mediatum, Sanchez *lib.* 7. *opuſc. cap.* 1. *dub.* 55. *num* 21. cum Bartolo & Felino, niſi in caſibus, quibus, ut dictum eſt, diſpenſatio illi ſit debita, & tunc poterit Judex, ad quem diſpenſare, Genuenſ. *in prax. cap.* 70. *num.* 4.

Sextò differunt, quod Epiſcopus à pœnis Canonum medicinalibus poteſt abſolvere quoties non reperitur prohibitum, diſpenſare autem non poteſt, niſi ubi reperitur & conceſſum.

Differunt ſeptimò, quod facultas abſolvendi à cenſuris continetur in generali mandato juriſdictionis, Gutier. *lib.* 1. *can. quæſt. cap.* 5. *nu.* 1. Barboſ. *in cap. nuper n.* 11. *de ſent. excom.* Sbrox. *de offic. Vicar. lib.* 2. *q.* 179. non autem facultas diſpenſandi à pœnis Quia in mandato generali non veniunt, niſi ea, quæ ſunt juris communis, ſive juſtitiæ, non autem quæ ſunt juris ſpecialis ſive gratiæ, Calder. *conſ.* 3. *de offic. Vicar.* Felin. *in cap. at ſi Clerici* §. *de adult. n.* 21. *de judic.* Sanchez *de matr. l* 3. *diſp.* 40. *nu.* 12. *& lib.* 9. *diſp.* 24 *n.* 14. *&* 18. Immò neque ex ſpeciali mandato ad diſpenſandum poteſt Vicarius generalis diſpenſare ſuper pœnis latæ ſententiæ, niſi fuerit in individuo expreſſum. Quia hæc diſpenſatio eſt majoris momenti, Sbrox *d. lib.* 2. *q.* 37. *n.* 10.

Octavò differunt, quod abſolutio ſemel validè abſoluto conceſſa, non poteſt revocari. Quia vinculum eſt formaliter, & radicaliter ſublatum. Sed diſpenſatio ſemel conceſſa, ſecundum probabiliorem poteſt à Prælato, qui ex poteſtate ordinaria diſpenſavit, revocari, quia radicaliter in ipſa lege vinculum perſeverat, Sanchez *libro octavo de matr. diſp.* 33. *num.* 12. Secundum probabiliorem.

Nonò

Nono differunt, quod abſolutio conceſſa propter aliquam cauſam abſolutè, non ceſſat, ceſſante illa cauſa, ut ſiquis ſit abſolutus ab Epiſcopo ab excommunicatione Papæ reſervatæ propter impedimentum perpetuum adeundi Sedem Apoſtolicam, ut ob cæcitatem; ſi miraculosè curaretur à tali impedimento, non teneretur Romam ire, neque reincideret in cenſuram, ut per Sanch. *in decal. lib* 2. *cap.* 13. *n.* 30. At ſecus de diſpenſatione jam conceſſa, & applicata cujus uſus habet tractum ſucceſſivum, qualis eſt diſpenſatio ſuper irregularitate cum Sacerdote ad celebrandum. Ceſſante enim cauſa finali, ſive adæquata talis diſpenſationis, multi Doctores ajunt diſpenſationem evaneſcere, ac ceſſare, quos allegat, & ſequitur Sanchez *d. lib.* 8. *de matr. diſp* 30. *num* 14. Quamvis contrarium teneant alii multi, quos allegat idem Sanchez *ib. n.* 13. ac ſequuntur Poncius *de matrim. l. item* 8. *c.* 20. *n.* 4. Salas *de legib. diſp.* 20. *ſect.* 5. *n.* 64. Granado *in* 1. 2. *contr.* 7. *tract.* 3. *p.* 2. *diſp.* 17. *ſect.* 4. *num.* 36. Guttier. *de matr. c.* 126. *nu.* 2. Suarez *de legib. l.* 6. *c.* 20. *n.* 15.

Decimo differunt, quod Prælatus poteſt diſpenſare cum ſubditis ſubjectione propriè, ac strictè ſumpta tantùm, id eſt ratione domicilii, non autem ratione quaſi domicilii, vel originis ſecundum probabiliorem, & communem ſententiam, Suarez *de pœnit. diſp.* 30. *ſect.* 2. *num.* 3. Filiuc. *tract.* 20. *num.* 271. & Garz. *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 139. *in fine.* aliique apud ipſos & ita declaravit S. Congregatio apud Barboſam *alleg.* 39. *n.* 5. Licet Sanchez *l.* 3. *de matr. diſp.* 23. *n.* 12. *in fine* cum Sa, & Henriquez teneat ſufficere quaſi domicilium. At verò abſolutiones à cenſuris, etiam pro foro externo, prout de jure communi, concedere poteſt ſubditis, etiam ratione quaſi domicilii, vel ratione vagationis. Quia hoc ſufficit ad ſortiendum forum paſtorale quoad omnia, excepto ſacramento Ordinis Sanchez *loc. cit. §. tertio probatur.* Et ita in terminis docet Suarez *de cenſur. diſp.* 7. *ſect.* 4. *n.* 7. *&* 8. Quod etiam habet locum quoad facultatem Epiſcopis conceſſam à S. Concilio Trident. *ſeſſ* 24. *cap.* 6. *de ref.* abſolvendi ſubditos ſuos à cenſuris, Papæ reſervatis in caſibus occultis. Nam Suarez, Filiucius, Garzia, Em. Sa, *v. Epiſcopus n.* 36. aliique communiter, & S. Congregatio apud Garziam inquiunt, ſufficere ſubjectionem ratione quaſi domicilii, vel vagationis. Et idem eſt de abſolutione à reſervatis propter impedimentum adeundi Sedem Apoſtolicam, ut per Navar. *conſ.* 6. *n.* 6. *de ſent. excom.* Immo quoad abſolutionem à cenſuris in ordine ad miniſtrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, quæ ſcilicet impediunt illorum receptionem, ut ſunt excommunicatio, vel interdictum perſonale, ſufficit ſubjectio ratione peregrinationis, ut per Suar. *d. diſp.* 30. & Filiuc. *ib.* propter decretum Eugenii Quarti. Quod eſt intelligendum, dummodo peregrinatio non ſit aſſumpta in fraudem ad hunc effectum mutandi fori, ut Suarez *de pœnit. diſp.* 25. *ſect.* 3. *n.* 9. *in fine.* Quod non procedit, quoad eos, qui facultatem habent à Papa abſolvendi à cenſuris quoſcumque ſine reſtrictione ad ſibi ſubditos, quia Papa eſt Ordinarius ſingulorum, *c. antiqua de privil.* ibique Gloſ. *& cap. fin.* ubi etiam Gloſſa *v. compe li de for. compet.* & Papæ territorium in ſpiritualibus eſt univerſus Orbis, ut Abb. *in d. cap fin. nu.* 45. *per can. cuncta per mundum q. q.* 3. & Leon. *in theſaur. for. Eccleſ. p.* 1. *c.* 1. *n.* 4.

Conveniunt autem primo, quod per ſe loquendo ſunt actus juriſdictionis voluntariæ, & ideò exerceri poſſunt extra territorium exercentis in perſonas ſibi ſubditas. Sunt autem juriſdictionis contentioſæ, quando adeſt legitimus contradictor, & tunc extra territorium ejuſdem Judicis exerceri non poſſunt. Ita de diſpenſatione docent Innocent. *in cap. per venerabilem num.* 9. *qui fil. ſint legit.* ibique Abb. *nu.* 23. Bartol. *in l. legatumos col.* 1. *verſ. quæro an iſtud ff de leg. tut.* Decian. *conſ.* 207. *n* 6. *&* 8. Suar. *de cenſur. diſp.* 41. *ſect.* 2. *n.* 10. Similiter de abſolutione tractant, & docent Gloſſa, & Innoc. *in cap. novit. de offic. leg.* ibique Abb. *num.* 3, & Sayr. *lib.* 1. *de cenſur. cap.* 14. *nu.* 6. Quod ampliatur ut procedat hæc doctrina non ſolum, ſi ſit juriſdictio ordinaria, ſed etiam ſi delegata. Nam exerceri poteſt extra territorium delegantis in perſonas ſubditas deleganti ſecundum magis communem, ac probabiliorem, ut per Sanch. *de matr. lib.* 3. *diſp.* 24. *num.* 2. & Garz. *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *à n.* 129.

An autem poſſit Epiſcopus, vel Prælatus diſpenſare, vel abſolvere ſuum ſubditum in Curia Romana, Papa ibi præſente Reſpondeo, quod Epiſcopi, ac Prælati de rigore quidem juris poſſunt exercere voluntariam juriſdictionem, etiam in Curia, Papa præſente, ſecundum magis communem. De ſtylo tamen Curiæ multi aiunt, non poſſe, ſed debere Urbe gedi, ut extra muros illam exerceant, quos allegat, & ſequitur Covar. *var. lib.* 3. *cap.* 20. *num.* 9. Gomez *in reg. de non jud juxta for. ſupp. p.* 3. Sed hoc non procedit, quando abſolutio, vel diſpenſatio daretur pro foro conſcientiæ. Quia ſicut manus appoſitio Papæ non ligat manus Ordinariorum quoad forum conſcientiæ, Gonzal. *gloſ.* 52. *nu.* 60. ita neque ejus præſentia in Curia. Et ita S. Congregatio declaratione relata à Garzia *de benef. p.* 11. *c.* 10. *n.* 139. Sed etſi non valeret data abſolutio, vel diſpenſatio pro foro externo, exiſtimo eam pro foro interno profecturam ex regula, ſi non valet, quod ago, ut ago, valet, ut valere poteſt dum non eſt defectus in forma ſubſtantialis, & adeſt conſenſus partium, ut *l. ſi ſtipuler* 35. *§. fin. ff. de verb. oblig l. ſi tam anguſt ff de ſervit. & l. ſancimus in fin. C. de donat. c. utile* 37. *de reg. jur. in* 6. Bart. & Doctores *in leg.* 1. *§ penul. ff. de verb. oblig.* Præſertim cùm adſit favor animarum per ea, quæ tradit Iaſon *in l. fin. ff. de juriſd. n* 11. ubi ait abſolutè favore animarum poſſe concedi abſolutionem à cenſuris extra territorium abſolventis.

Quis autem, & ex quibus cauſis diſpenſare poſſit ſuper irregularitatibus, ac ſuſpenſionibus pœnalibus, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis latæ ſententiæ, & quis abſolvere poſſit à cenſuris Eccleſiaſticis, etiam latæ ſententiæ alibi dicemus.

Consultatio CC.

Miſcellanea per Effata, ſive aphoriſmos, coronidis vice, ne quid omnino deeſſe videatur.

QUi loram ex maceratis aqua vinaciis, vulgò *acquatum* pro ſacrificio Miſſæ dedit, poterit expediri cum monitione.

Carceratus, qui commiſit homicidium in perſonam cujuſdam examinati in S. Officio contra ejus patrem tradendus eſt Curiæ ſeculari.

Blaſphemus, qui, evaginato gladio, imaginem Crucifixi, & B. Virginis percuſſit, manere poterit, lingua prius perforata, præ foribus majorum Eccleſiarum per quinque dies feſtos, & mitti ad perpetuas triremes.

Qui attentat liberationem carcerati S. Officii, poterit abjurare de vehementi fautoriam in S. Officio.

Contra eum, qui inhibet Epiſcopo, ne procedat contra inquiſitum de eſu carnium diebus vetitis, poterit expediri monitorium ad perſonaliter comparendum.

Non

Non poſſunt apponi in valvis, aut alio loco Eccleſiarum Tabellæ, in quibus dicatur: Hodie liberatur anima à purgatorio. Poteſt tamen inſcribi: Altare privilegiatum.

Secularis, qui indutus ſuperpellico, interfuit celebrationi cujuſdam matrimonii, tanquam parochus, poterit puniri in S. Officio.

Teſtes falſi, puniti in S. Officio, non poſſunt pro eadem cauſa moleſtari à Curia ſeculari; unde poſſunt; ac debent Inquiſitores inhibere Judici ſeculari.

Poſſunt Inquiſitores autoritate propria erigere Societates Cruceſignatorum in ſuis diœceſibus.

Non poſſunt Vicarii foranei ſumere informationes in cauſis S. Officii.

Inquiſitores cum prudentia inhibere debent Curiæ ſeculari, ne moleſtet pro blaſphemiis, jam in S. Officio expeditum.

Quando indicia ſufficiunt ad inquirendum, licet non ſufficiant ad torturam, vel tormentis purgantur, poſſunt Officiales in expeditionibus cauſarum accipere honoraria juxta formam taxæ.

Hæretici exiſtentes in Civitatibus catholicis, ſuaderi debent ad comparendum in S. Officio, in quo ſecretò expedientur. Et quatenus renuant, poterit concedi facultas illos abſolvendi in foro conſcientiæ.

Cauſa illius, qui familiarem S. Officii occidit, cognoſcenda eſt in S. Officio.

Qui negat Virginitatem B. Mariæ Virginis in loco ubi eſt publicata Conſtitutio Pauli IV. abjurare debet publicè de formali, & damnari ad triremes ad ſeptennium, & abſolvi à cenſuris.

Confeſſarius ob ſollicitationem in confeſſione ſacramentali damnari poterit ad triremes ad quinquennium, vel ad ſeptennium, vel ad decennium arbitrio Inquiſitorum, prævia abjuratione de vehementi, & actuali degradatione, facienda præſentibus Clero, & omnibus Confeſſariis.

Milites, qui inſerviunt Regi hæretico, puniuntur in S. Officio, & abjurant fautorium. Quod ſi ſpontè compareant, recipiuntur, & abſolvuntur, ac ſuadentur ad ſponte comparendum.

Inquiſitores inhibere poſſunt Judicibus ſecularibus & Eccleſiaſticis, ne procedant in cauſa bonorum hæretici carcerati in S. Officio, ad quod ſpectat illius cognitio, ac reſolutio.

Qui pro hæreticis militavit, ſi ſponte compareat, uti talis, poterit abſolvi cum abjuratione in utroque foro, licet eſſet inditiis præventus in S. Officio.

Cauſa eorum, qui percutiunt Cuſtodem S. Officii, cognoſcenda eſt in S. Officio.

Apoſtata, ſponte comparens, exiſtens in triremibus, & petens libertatem, non liberatur, ſed ſolum reconciliatur.

Spontè comparens, qui ante legitimam ætatem ordinatus Miſſam celebravit non conſecrando, & particulis non conſecratis aliis miniſtravit, poterit abjurare de levi, vel de vehementi, ac ſuſpendi ab executione ſuorum Ordinum, & inhabilis reddi ad alios ſuſcipiendum.

Judæi, qui infantem chriſtianum circumcidunt, ſeverè puniri debent à S. Officio.

Epiſcopus, qui fuit apud hæreticos, rediens, & ſponte comparens, abjurare poterit, & abſolvi, habilitari, ac reſtitui in priſtinum.

Qui tempore bacchanalium Eccleſiam tempore, quo celebrantur miſſæ larvati ingrediuntur, ſecluſa mala intentione, poterunt expediri cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus, & contra tales procedunt Inquiſitores.

Parochus, qui diſtulit per biennium denunciare hæreticum contra edicta S. Officii, poterit abſolvi, ac diſpenſari ad retinendum parochialem,

Damnatus in Curia Epiſcopali ex cauſa S. Officii, poterit committi Nuntio, vel Epiſcopo, ut tradat officialibus triremium Principis laici, recepta obligatione de illum dimittendo, finito tempore.

Minor decem & octo annorum delinquens abjurat de levi, licet propter delictum abjurare deberet de vehementi.

Relapſo fugitivo à carceribus, & volenti ſponte comparere, poterit promitti remiſſio pœnæ relapſus, & quod benignè tractabitur.

Diaconus, qui Miſſam ſæpius celebravit, & confeſſiones ſacras audivit, ſpontè comparens, poterit reddi inhabilis ad Ordinem presbyteratus ſuſcipiendum, & ſuſpendi perpetuò ab executione ſuorum Ordinum.

Matrimonium contrahens cum commatre punitur in S. Officio.

Polygamus expeditur cum abjuratione publica de vehementi, ac pœnitentiis ſalutaribus, & reſtituitur Curiæ ſeculari, quæ prævenit in captura, & eum condemnavit ad triremes in perpetuum. Debet tamen moneri Judex ſecularis, pœnam hujuſmodi eſſe exceſſivam.

Qui fingit ſe infirmum ad mortem, & liberatum miraculo B. Virginis Mariæ, vel alterius Sancti poterit expediri cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus ſimul cum conſcio ſimulationis.

Qui poſt ſuſceptam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ particulam, illam ex ore extraxerat, & in ſudariolo poſuit, aſſerens id feciſſe ob ſtomachi debilitatem, poterit moderatè torqueri ſuper intentione, & ſi nihil reſultet, poterit dimitti cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus.

Confeſſarius cognoſcens filiam ſuam ſpiritualem, non punitur in S. Officio, niſi confeſſione, vel confeſſionario fuerit abuſus.

Monialis poterit transferri ex uno monaſterio ad aliud, ut commodius in cauſa S. Officii examinari poſſit.

Qui carceratus in S. Officio negavit omnia, de quibus erat imputatus, etiam in tortura, unde impunis evaſit, ſi petierit admitti ad exonerandam ſuam conſcientiam, poterit comparere, ac expediri uti ſponte comparens.

Fugitivus è carceribus S. Officii poterit ſuaderi, ut compareat in S. Officio, ubi benignè tractari poterit ac ei commutari pœna.

Procuratores ad lites, ac etiam Notarii, qui in interrogatoriis coram Judice exhibitis interrogant teſtes an ſint præſtigiatores, dæmoni obedientiam exhibuerint, ſymbolum Apoſtolorum negaverint, vel hujuſmodi alia, debent graviter ab Inquiſitoribus moneri.

Qui Miſſam antequam eſſet promotus ad preſbyteratum celebravit, de quo fuit proceſſatus in S. Officio, & dimiſſus, quia delictum probari non potuit, ſi liberatus petierit abſolvi, poterit comparere in S. Officio, & ſi factum ita ſe habet, poterit expediri uti ſponte comparens. Idemque poterit ſervari cum Polygamo.

Poterit cogi ſciens aliquid ſpectans ad S. Officium ſub ſigillo ſecreti naturalis ad integrè veritatem fatendum.

Hiſpanus ſpontè comparens in S. Officio Urbis, licet præventus in S. Officio Hiſpaniarum, poterit prævia abjuratione de vehementi, vel de formali juxta delicti qualitatem abſolvi, ac ſuſpendi ab audiendis ſacris confeſſionibus, eique prohiberi reditus in Hiſpaniam. Quod ſi petierit licentiam redeundi, poterit certior

reddi,

reddi, quod abſolutio ſibi impertita, non ſuffragatur in Hiſpania.

Siquis petierit ſibi permitti, ut tuta conſcientia conſequi poſſit ab hæreticis, cum aliqua pecunia aliquod beneficium ſive officium, non eſt ſuper hoc reſcribendum, ſed per conniventiam poterit tolerari ad redimendum vexationes.

Siquis ſpontè comparuerit in S. Officio, in quo erat oretenus tantum denunciatus ab uno, qui judicialiter deponere recuſavit, poterit recipi, & abſolvi uti ſpontè comparens.

Sacerdos, qui exiſtens in triremibus, ad quas à ſuis ſuperioribus erat in perpetuum damnatus, conſecravit panem, poterit tranſferri ad S. Officium, & prævia actuali degradatione remitti ad triremes in perpetuum, comminata ei pœna ultimi ſupplicii in caſu reincidentiæ. Quod ſi dum ducitur ad triremes, iterum panem conſecraret, cum eſſet actualiter degradatus, non eſt amplius de foro Eccleſiaſtico.

Siquis annorum quatuordecim ſpontè comparuerit, & fateatur quod dum eſſet annorum novem apud Turcas, fidem catholicam abnegavit, credens in ea poſſe ſalvari, poterit abjurare de formali.

Siquis annorum ſexdecim, ſponte compareat, & fateatur ſe in ætate annorum ſeptem circiter ad diabolicos ludos ductum fuiſſe multoſque actus apoſtaticos & hæreticales commiſiſſe, poterit abjurare de vehementi, & abſolvi cum pœnitentiis ſalutaribus.

Contra eum, qui habens uxorem, ſe promovere fecit ad Ordinem Subdiaconatus, proceditur in S. Officio.

Qui habet uxorem, & promittit aliam ducere propter timorem domini, cui inſervit, poterit expediri cum pœnitentiis ſalutaribus.

Contra meretricem chriſtianam habitantem cum Judæis poterit procedere Inquiſitor unà cum Ordinario.

Qui ad confingendum partum ſuppoſitum curat baptizari infantem, aliàs baptizatum, poterit torqueri ſuper intentione, abjurare de levi, & manere præ foribus Eccleſiæ cum candela accenſa, & inſcriptione.

Qui coactus eſt abeſſe à reſidentia ſui beneficii propter perſequutiones, quod depoſuerit quoſdam in S. Officio poterit ſcribi Ordinario, ut ei reſtituere faciat omnes fructus, ac diſtributiones decurſas à tempore, quo abeſt.

Si catholicus nomine hæretici infantem catholicum è ſacro fonte levaverit, poterit expediri cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus.

Siquis filiam propriam cognoverit, ei dicendo, non eſſe peccatum, ſed teneri exequi voluntatem patris, ipſeque crediderit illam non peccare, poterit abjurare de formali, & damnari ad triremes in perpetuum ſine ſpe gratiæ.

Inſerviens celebranti non ſacerdoti, quem ſcit talem eſſe, poterit torqueri ſuper intentione, abjurare de vehementi, & damnari ad triremes ad quinquennium, & ſuſpendi perpetuo à munere inſerviendi Miſſæ.

Profecturis ad bellum, quod Rex Catholicus Hiſpaniarum parat contra infideles, poterit concedi Indulgentia plenaria, & ut poſſint abſolvi à Confeſſariis à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ Domini juxta confeſſionem factam anno 1574. à Gregorio XIII. & 31. Januarii 1619.

Siquis, poſtquam fuerit in S. Officio, petierit abſolvi à cenſuris contentis in Bulla, *ſi de protegendis*, quia percuti fecit teſtes contra ſe examinatos, poterit mandari, ut abſolvatur à pœnitentiario, ita tamen, ut abſolutio nullatenus ei ſuffragetur in foro exteriori.

Profeſſus, qui uxorem duxit, expeditur cum abjuratione de vehementi ac pœna triremium ad quinquennium. Et ſi poſt expeditionem ſcribat litteras mulieri, cum qua contraxerat, appellando illam uxorem, & aſſerendo ſemper velle illam habere pro uxore legitima, reperit abjurationem de vehementi, & augetur pœna triremium ad ſeptennium.

Hæreticus, qui in S. Officio diverſarum Civitatum ſpontè comparet, poterit abjurare de formali, & damnari ad pœnas triremium ad decennium.

Mulier perſuaſa ad tentandum Confeſſarium de actu carnali in ſacra Confeſſione, poterit expediri cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus, & illa, quæ perſuaſit poterit verberibus plecti cum exilio à loco delicti.

Si lineæ, & capellitii longioris in medio capitis geſtatio, ſcandalique ac cineris odoriferi in fronte uſus apud Brachmanes ſint nobilitatis inſignia, permitti eis poterit, ſecus autem ſi ſint ſigna proteſtativa falſæ eorum religionis.

Traditio facta à S. Officio Curiæ ſeculari, importat pœnam mortis, & ideò traditos Curiæ ſeculari à S. Officio, hac pœna Judices ſeculares punire debent.

Convicti, ſeu confeſſi de crimine nefando, contra quos pluribus in locis ex Bulla B. Pii V. proceditur eo modo, quo contra hæreticos, non debent in primo lapſu tradi Curiæ ſeculari, aut eis condonari pœna mortis, prout fit cum hæreticis. Nam id intelligitur de modo procedendi; pœna verò hujus criminis remanet in puris terminis juris communis.

Poterit impertiri abſolutio ſacramentalis ægroto qui coram uno, vel altero teſte ſigna contritionis exhibet, & deinde ſuperveniente Confeſſario, nullo exteriori ſigno confitendi voluntatem oſtendit, conſtat tamen Confeſſario ex relatione internuntii, ægrotum oſtendiſſe ſigna contritionis, & confitendi voluntatem. Neque id repugnat decreto Clementis VIII. cùm diverſam contineat rationem.

Fautores hæretici pertinacis puniuntur pœna triremium ad decennium, ſi in loco commiſſi delicti non ſit publicata Conſtitutio *ſi de protegendis* B. Pii V.

Contra memoriam hæretici, in S. Officio proceſſati, ac relapſi proceditur. Citantur ejus conſanguinei, & proximiores. Quod ſi compareant, & proteſtentur, nolle illam defendere, deputantur tres, vel quatuor defenſores. Ejus cadaver exhumatum unà cum ejus ſtatua & libris Curiæ ſeculari comburendum traditur, citatis tamen prius defenſoribus deputatis.

Omnes ac ſingulæ perſonæ Ordinis Ciſtercienſis cujuſcunque Congregationis, quæ ex aliis Regnis intuitu miſſionis, aut quovis alio prætextu in Hiberniam accedunt, quandiu ibi permanſerint, viſitationi, correctioni, & juriſdictioni ſuperioris principalis Congregationis prædicti Regni, & Ordinis in eodem Regno pro tempore exiſtentis ſubjiciuntur ex decreto Urbani VIII. menſe Novembris 1624.

Qui concionem Rabini audit, etiamſi in ea de rebus fidei non tractatur, poterit expediri cum monitione, ac præcepto, ut in poſterum abſtineat, & inſuper dari poterit facultas ejus confeſſario, illum abſolvendi à cenſuris, in quas ea de cauſa forſan incurrerat.

Bulla

Bulla ſuſpenſionis facultatum abſolvendi à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ Domini emanata anno Jubilæi, non comprehendit facultates abſolvendi ab hæreſi à Sancta univerſali Inquiſitione, & à Summo Pontifice per Breve particularibus perſonis conceſſas.

Negantes Sanctiſſimam Trinitatem, Virginitatem B. Virginis, & divinitatem Chriſti, traduntur Curiæ ſeculari, etiam in primo lapſu.

Si quis comparcat in S. Officio metu indiciorum, poterit expediri uti ſponte comparens.

Qui de formali abjuravit, & poſtea è carceribus aufugit, & comprehenſus confitetur in carceribus ſcripiſſe ſortilegia ad amorem cum nominibus dæmonum, & abuſu verborum Sacræ Scripturæ, & ſe dæmoni, à ſe invocato obtuliſſe, ei promittendo eſſe ſuum, & nunquam velle abjurare, poterit tradi Curiæ ſeculari, uti relapſus.

Qui damnatur ad triremes ad decennium, degradatur, non ſolum verbaliter in ſententia, ſed etiam actualiter.

Qui per ſaltum promotus pluribus annis celebravit, torqueri poterit ſuper intentione, & ſi nihil reſultet, remittitur ad ſuum Superiorem, ut ab eo caſtigetur, & ſuæ conſcientiæ conſulet.

Vicarius Epiſcopalis acriter reprehendi debet, ſi officialem S. Officii in carceres conjiciat abſque licentia S. Congregationis, vel ſaltem Inquiſitoris, cùm Officiales, & familiares S. Officii non modò à tribunalibus laicis, ſed etiam Eccleſiaſticis honorari debeant.

Cauſa Equitis Hieroſolymitani, qui Inquiſitoris Secretarium habentem juramentum pro ſcribendis litteris S. Officii, alapa percuſſit, ac injuriis affecit, cognoſcitur in S. Officio.

Si Rex faciat nonnullas conceſſiones hæreticis, nimirum, ut in Villis poſſint recipere prædicantes, cauſas decimarum poſſe cognoſci à ſecularibus, & hujuſmodi, Summus Pontifex poterit illas declarare eſſe nullas, & mandare ſcribi, epiſcopis ut manifeſtum faciant, non fuiſſe factas de ipſorum conſenſu, ac ipſe ſcribere Regi, ut illas revocet.

Canonicus Theologus Cathedralis, qui propter ſollicitationem abjurat de levi, cogi poterit decreto Summi Pontificis ad reſignandam Canonicatum & præbendam theologalem intra certum tempus, quo elapſo, non ſequuta reſignatione, vacet.

Poterit Epiſcopis concedi, ut poſſint per aliam perſonam facere exequi ea, quæ ſibi à S. Congregatione S. Officii committuntur ob locorum diſtantiam, & itinerum pericula.

Regularis, qui uſus fuit notitia, in ſacris confeſſionibus habita ad corrigendos exceſſus ſuorum fratrum ſubditorum, monendus, ut ſervet decretum Clementis VIII.

Contra eos, qui tempore bacchanalium incedunt larvati in habitu Regulari, poterit procedere Ordinarius.

Hæretici contumacis, & non comparentis comburitur ſtatua.

Si Inquiſitores Siciliæ ſcriberent Epiſcopo Liparienſi, ut pro ſervitio S. Officii repeteret teſtes, poterit Epiſcopus eis reſpondere, quod ſi ſcribant ſibi litteras requiſitorias, non autem præceptivas, teſtes repetet.

Propinans venenum teſti contra ſe in S. Officio examinato, traditur Curiæ ſeculari.

Qui contra aliquem falſum deponit in S. Officio, & poſtea exhibet ſupplicem libellum, in quo revocat, tanquam falſa ea, quæ denunciaverat, poterit retineri, ut examinetur.

Diaconus, qui joco mulieris confeſſionem audivit, poterit expediri cum monitione, & damnari ad carcerem formalem, ac ſuſpendi ab executione ſuorum Ordinum.

Notarius catholicus, ſi ſe rogaverit de teſtamento hæretici, declarari debet ſuſpenſus ab Officio Notariatus.

Caſus illius, qui oſſa vendit, ſive diſtribuit, aſſerendo falsò eſſe reliquias Sanctorum, punitur in S. Officio.

Poligamus potuit expediri in S. Officio, uti ſponte comparens, licet de poligamia fuerit præventus in foro ſeculari.

Contra medicum, qui infirmo ſanitatis cauſa fornicationem conſuluit, poterit procedere Ordinarius.

Qui falſum in S. Officio deponit, poterit damnari ad triremes in perpetuum, privari beneficio eccleſiaſtico, quod conferri poterit proximiori denunciati, qui obiit, & damnari ad reficiendum damna hæredibus.

Qui fiſcalem S. Officii verberat ob cauſas non ſpectantes ad S. Officium, punitur in S. Officio, & imponitur ei exilium à loco delicti.

Judæus, qui à lege hebraica deficit & mahumetiſmum amplectitur, damnatur ad redeundum, ac deteſtandum ſectam Turcicam juxta formulam præſcriptam, damnatur item ad carceres ad tempus arbitrio Inquiſitorum, & interim benignè ſuadetur ad ſuſcipiendum baptiſma.

Chaldæi Sacerdotes poſt presbyteratum uxores accipere non poſſunt, nec defuncta prima uxore aliam ducere.

Pœnitentes, qui contra aliquem in S. Officio depoſuerunt, vel examinati veritatem tacuerunt, ne inquiſitis damnum inferrent, non poſſunt à Confeſſariis abſolvi in foro conſcientiæ, ſed ab eis ſuaderi debent ad deponendum in S. Officio, à quo in utroque foro abſolventur.

In ſummariis proceſſuum poni debent vera nomina & cognomina reorum & teſtium, non autem ficta.

Poterit Epiſcopo in partibus concedi licentia adminiſtrandi Sacramentum Confirmationis ſine mitra.

Sacerdoti dementi in noſocomio ſtultorum, qui ſe jactabat velle conſecrare panem, & vinum, poterit dari panis hordeaceus, & aqua aceto mixta.

Reis S. Officii non dantur defenſiones, niſi maneant in carceribus.

Qui aperit, ac publicat litteras directas Inquiſitori, continentes denunciationem contra aliquem, poterit puniri tribus ictibus funis publicè, cum exilio à loco delicti ad tempus, & abſolvitur à cenſuris.

Nolens jurare de veritate dicenda, poterit pro juramento habendo torqueri.

Caſus illius, qui offendit aliquem, à quo temere ſuſpicatus eſt, ſe delatum fuiſſe in S. Officio non eſt ex comprehenſis in Conſtitutione, *ſi de protegendis*, & propterea reus puniendus eſt pœna extraordinaria, videlicet tribus ictibus funis publice cum inſcriptione, & cum exilio à loco delicti, habita pace ab offenſo, vel refectis ei damnis, ac intimata Bulla, *ſi de pretegendis*.

Tam presbyteri ſeculares, quàm cujuſcunque Ordinis Regulares, damnari ad triremes perpetuo, vel ad tempus, & cum effectu tranſmiſſi, finito tempore pœnæ, vel habita gratia reſidui pœnæ, nunquam habilitentur ad executionem Ordinum ex decreto Urbani VIII. ſub die 4. Januarii 1635.

Circulator, qui ſe jactat aſtrologum, poterit puniri tribus ictibus funis.

Inquiſitus in S. Officio, quod habens uxorem, ſe promovere fecit ad Ordinem ſubdiaconatus, prætextu, quod eſſet ſibi conjuncta in quarto conſanguinitatis gradu, quo comprobato poſt contractum & conſummatum matrimonium, poterit illud declarari irritum, & ei concedi licentia ſuſcipiendi Diaconatum ac presbyteratum.

Percutiens, & offendens aliquam prætextu, quod ſit malefica, puniri poterit in S. Officio.

Ob falſitatem litterarum patentium S. Officii deferendi arma, poterit quis damnari ad triremes ad ſeptennium.

Cauſa remigis, qui poſtea liberatus celebravit, ſi non fuit cognita in S. Officio & ab eo condemnatus non fuit, non ſpectat ad S. Officium.

Vicarius Epiſcopi, ſi male ſententiam tulerit ſuper diſſolutione matrimonii, ex quo ſuccedit polygamia, poterit privari munere judicandi in quibuſcunque cauſis tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, eique imponi exilium à loco delicti in perpetuum.

Consultatio CCI.

Varia, & miſcellanea, ſive Paralipomena per effata, & aphoriſmos, quaſi confuſaneam doctrinam conquirens.

Siquis ſub falſo prætextu S. Officii quempiam retinuerit in carceribus, ſuſpendi debet à ſuo munere, reficere damna, eſtque abſolvendus à cenſuris, quas fortan incurrit, & graviter arguendus.

Siquis ſub ficto nomine miniſtri, vel Officialis S. Officii duceret ſecum ſatellites, ne ab aliquo moleſtetur, damnandus eſt ad triremes per decennium.

Qui ſe jactaret Commiſſarium S. Officii, & conſtruendo proceſſus, pecunias extorqueret, damnandus eſt ad triremes, ſaltem per decennium.

Falſificans literas patentes S. Officii, ut deferat arma, damnandus eſt ad triremes per ſeptennium.

Contra affectantem Sanctitatem debet formari ſententia, quæ legi debet publicè. Reus ipſe exauctorandus eſt, ac diffamandus.

Prohibitum eſt Confeſſariis prohibere teſtimonium Sanctitatis ſuorum pœnitentium ex notitia ſacræ confeſſionis.

Alienationes bonorum Eccleſiaſticorum factas hæreticis, etiam ob juſtam cauſam, vel quia ſunt ab ipſis devaſtata vel pro majori parte occupata, non ſolet Sedes Apoſtolica confirmare.

Angli Catholici & Scoti, in Anglia commorantes prohibentur per Breve Pauli V. præſtare juramentum fidelitatis prætenſum à Rege Anglorum, cùm in illo negetur recognitio Summi Pontificis, & Primatus Sedis Apoſtolicæ. Qui verò hujuſmodi juramentum præſtat eſt excommunicatus.

Tale juramentum præſtare non poſſunt, etiam cum proteſtatione præſtandi ſolùm obedientiam temporalem.

Hoc juramentum præſtantes non poſſunt abſolvi à Confeſſariis, quia ſunt excommunicati. Conceditur tamen aliquando Archipresbytero Angliæ facultas illos abſolvendi.

Non licet iis conciones hæreticorum audire, neque eorum ritibus, ac ceremoniis intereſſe.

In Anglia an ſit eligendus Epiſcopus, ſæpe eſt dubitatum. Renuit Paulus V. Epiſcopos in illa creare, eique ſemper diſplicuit. Mandatum tamen ſcribi Nunciis Flandriæ, & Galliarum, ut ſe de voluntate Catholicorum cognitionem caperent, cenſuitque non expedire, Epiſcopos in illis partibus creare.

Anglis catholicis, petentibus concedi à Sede Apoſtolica facultatem, & literas commendatitias faciendi collectas ad ſublevandum pauperum Anglorum inopias, non eſt annuendum, ſed ipſi collectas petant. Quinimo ne ipſis quidem Catholicis id expedit.

Monachi Angli Congregationis Hiſpanicæ poſſunt ad gradus doctoratus promoveri abſolute tempore ſtudii ſtatuto in Breve Clementis VIII. ſub 19. Septembris 1597. ac de licentia, & cum approbatione ſuorum Superiorum quando diutius vacarunt ſtudiis in Religione, quàm in ſeminario, in quo caſu non erit neceſſaria Rectorum ſeminariorum licentia.

Angli hæretici mercatores, accedentes ad portus Catholicorum, prohibentur palam, ac præſentibus Catholicis, & cum ſcandalo temporibus vetitis veſci carnibus. Nec prætextu mercaturæ inibi diu morari permittuntur. Difficultas eſt in executione, pro qua opus eſt prudentia, & dexteritate.

Epiſcopus Chalcedonenſis in Anglia non eſt Angliæ Ordinarius, ſed habet facultates limitatas ad nutum Sedis Apoſtolicæ, nec illi ſuffragatur Concilium Tridentinum, aut Bulla B. Pii V. Unde Miſſionarii Sedis Apoſtolicæ in Anglia non tenentur petere ab illo approbationem, cùm mittantur cauſa cognita, & præſentibus temporibus non eſt id ab eo prætendendum, etiamſi eſſet Ordinarius.

Archivum eſt ſeparatim conficiendum pro conſervandis proceſſibus, aliiſque ſcripturis pertinentibus ad S. Officium.

Arma, vel annonam deferentes infidelibus contra fideles, committunt crimen ſacrilegii contra chriſtianam Rempublicam, ac etiamſi illa ad hoſtes fidei deferantur non ex intentione nocendi chriſtianis, eſt tamen crimen proditioni proximum, quia indirecte, ac interpretative vult hoc nocumentum, *l. 2. C. quæ res export. non deb.*

Bona delinquentium publicanda ſunt per eorum Principes ſeculares, & ipſi fiunt ſervi capientium.

Juſſum olim ſub 1. Decembris 1611. ſub 22. Martii 1612. ac ſub 15. Julii ejuſdem anni, ne locorum Ordinarii, Nuncii Apoſtolici, & Superiores Regularium permittant aliquid imprimi in materia de auxiliis divinæ gratiæ, & ſi quid de illis ſcribatur, mittendum eſt ad S. Congregationem S. Officii antequam imprimatur. Impreſſum verò non impeditur denuò imprimi, nec concluſiones ſuper eadem materia diſputari, dummodo de illis cenſura non feratur, neque notetur contraria ſententia.

De auxiliis vide Bullam Urbani VIII. ſub die 6. Martii 1641. in qua etiam agitur de prohibitione libri Cornelii Janſenii, Epiſcopi Iprenſis, cui titulus Auguſtinus, & de controverſia in materia de auxiliis.

Contra exhumantem cadaver mulieris, & cum eo rem carnalem habentem, non proceditur in S. Officio.

Ubi Kalendarium Gregorianum non eſt uſu receptum poſſunt Religioſi Ordinis Minorum Obſervantiæ recitare Officium juxta formam Kalendarii antiqui.

Kalendario veteri utuntur ex licentia Sedis Apoſtolicæ ſub 24. Januarii 1602. ac 26. Septembris 1619. Latini diœceſis Tini, & Miconis ad evitandam confuſionem cum iis, qui ſunt ritus græci. Et Chriſtianis in Hungaria ſub Epiſcopatu quinque Eccleſiarum, ſubditis Turcæ, connivetur, ut veteri Kalendario utantur 18. Julii 1613. & 14. Decembris 1616.

Kalen-

Kalendarium Gregorianum debet ſervari à Chriſtianis, etiam Conſtantinopoli, quoad fieri poteſt, ſin minùs, utantur antiquo. Permittitur tamen aliquando Kalendarium vetus per modum conniventiæ mulieribus Latinis degentibus Conſtantinopoli, & nuptis viris Græcis, ſicut etiam paucis aliis famulis, degentibus in aliqua Civitate, ubi reliqui chriſtiani ſunt græci, ut conveniant cum aliis in celebratione feſtorum.

Non fuit receptum in regionibus Rhætorum, licet id fuerit ſæpius procuratum.

Cambia volgò della Riſcoſſa, introducta Januæ, non ſunt approbanda.

Chaldæi ſacerdotes poſt presbyteratum non poſſunt uxores ducere, neque defunctâ prima uxore, aliam ſuſcipere.

Denunciationes Capucinorum non recipiuntur ab Inquiſitoribus, niſi prius certiore reddita S. Congregatione, præterquam in rebus gravioribus, quæ moram non patiuntur, ne occaſione denunciandi ſubterfugiant diſciplinam regularem.

Capucini ſuperiores non poſſunt concedere ſuis ſubditis lectionem librorum Tauleri, Arphii, ac ſimilium abſque licentia Generalis, vel Provincialis, ubi edentur.

In materia reſervationis caſuum obſervare debent decretum Clementis VIII. editum 26. Maii 1593. ab omnibus aliis Regularibus obſervandum.

Prohibentur Capucini in partibus Germaniæ recipere hæreticos ſponte comparentes publice in forma judiciali. Non tamen impediuntur hæretici ab eis reconciliati in foro conſcientiæ, ne publicam hæreſum deteſtationem faciant, neve declarent ſe catholicos.

Cardinalium cauſæ pertinentes ad S. Officium ſolent committi à Summo Pontifice quatuor ex Cardinalibus generalibus Inquiſitoribus, qui unà cum P. Commiſſario vice Sanctiſſimi audiunt, cognoſcunt, examini interſunt, procedunt ad concluſionem uſque, & merita referunt Sanctitati ſuæ.

In proceſſibus non poteſt apponi aliquid particulare, tangens Cardinalium perſonam, niſi ex mandato Pontificis, quamvis rei ſponte illud deponent. Quod ſi Judex multa interrogatoria circa eorum perſonam fecerit, privandus eſt officio ſuo, & facultate judicandi ubique locorum, & in quibuſvis cauſis.

Ipſorum famuli denunciati in S. Officio, comprehendi debent extra Palatium, deinde faciendum verbum cum ſuis dominis.

Cardinales S. Inquiſitionis non poſſunt Inquiſitoribus concedere licentiam permutandi, vel alienandi bona Inquiſitionum.

Generales Inquiſitores poſſunt contra Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & Cardinales, ac alios Præſules inquirere, teſtes examinare, aliaſque probationes recipere, proceſſus integre uſque ad ſententiam excluſive formare, & concludere.

Poſſunt etiam procedere per Edictum, quando non adeſt tutus acceſſus.

Subſcribunt ſententias contra quoſcunque, non tamen contra Epiſcopos, latas, ac ſi decretum definitivum factum fuerit coram Summo Pontifice. Ita quoque decreta facta coram Pontifice eduntur ipſorum nomine.

Item poteſt unus ex eiſdem, quando periculum eſt in mora, conſultis illis, quos judicavit eſſe conſulendos, mandare capturam alicujus, & in proxima Congregatione tenetur aliis communicare, quod actum fuerit.

Epiſcopi monendi ſunt, ne in caſibus reſervatis blaſphemiarum, ſortilegiorum, ac eſus carnium diebus ab Eccleſia vetitis, facultatem abſolvendi concedant, quando blaſphemiæ ſunt hæreticales, ſortilegia cum invocatione dæmonum & abuſu Sacramentorum, & eſus carnium cum mala opinione. Sed in his caſibus, quando pœnitentes præparari, ac induci non poſſunt ad comparendum judicialiter pro facultate illos abſolvendi in foro conſcientiæ, conſulant S. Congregationem. Inquiſitores verò non poſſunt hanc facultatem concedere, ſed hujuſmodi pœnitentes Epiſcopis remittere debent.

Catholici, qui contraxerunt matrimonium cum hæreticis, & in illo perſiſtunt, non ſunt admittendi ad Eccleſiæ Sacramenta.

Non poſſunt præſentare hæreticos ad beneficia Eccleſiaſtica juriſpatronatus.

Doctores Catholici nequeunt in cauſis Eccleſiaſticis conſilium dare officialibus hæreticis, illud petentibus. Eſt enim contra ſacros Canones.

Catholicis in carcerem conjectis propter violationem legis Principis hæretici de accedendo ad templa hæreticorum diebus feſtis, ubi adminiſtrentur ſacramenta juxta commiſſionem Principis, non licet fateri, ſe agnoſcere violationem dictæ legis.

Neque ipſis licet pro ſua liberatione à carceribus exhibere libellum ſupplicem, ac in illo inſtare pro animi ſubmiſſione, quod facientes, debent poſtea quandam profeſſionem emittere, in qua hæreſes continentur.

In partibus Turcarum adhibentes Turcas, & ſchiſmaticos pro patrinis, moneri debent, ut abſtineant. Quod ſi abſque periculo, aut ſine ſcandalo id facere nequeant, poterit eis conniveri.

Parentes ſibi permitti, ut tuta conſcientia poſſint pecunia conſequi ab hæreticis aliquod beneficium, ſive officium, quamvis ſuper hoc non ſoleat reſcribi, per conniventiam tamen tolerantur ad redimendum vexationes.

Qui nomine hæreticorum infantem Catholicum è ſacro fonte levant, expediuntur cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus.

Profecturis ad bellum contra infideles ſolet concedi Indulgentia plenaria, & ut poſſint abſolvi à Confeſſariis à caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ juxta conceſſionem Gregorii XIII. ſub anno 1574.

Propoſitio aſſerens, cenſus non eſſe licitos, ſed tantum permiſſos, eſt temeraria, ſcandaloſa, & errori ſaltem proxima.

Concilium Tridentinum fuiſſe receptum à Clero Anglicano ſcripſit Nuntius Galliarum 6. Auguſti 1615.

Conferentiæ publicæ inter hæreticos, & catholicos non permittuntur, niſi perſonis egregie doctis, privatæ vero non prohibentur.

Congregationes S. Officii non ſunt habendæ, niſi in Civitatibus, in quibus ſunt Epiſcopi.

Quando Epiſcopus vult illis intereſſe, debent haberi coram ipſo in palatio Epiſcopali. Aliter verò coram Inquiſitore in S. Officio.

Pro cauſis, in quibus prævenit Epiſcopus, habendæ ſunt in Epiſcopatu coram ipſo, vel ejus Vicario. Pro illis vero, in quibus prævenit Inquiſitor, coram Inquiſitore.

Regulariter habendæ ſunt coram Epiſcopo. Quando verò Epiſcopus abeſt, coram Inquiſitore. Quando uterque abeſt, coram Vicario Epiſcopi.

Alicubi habentur per Vicarium S. Officii in palatio Epiſcopali, & coram Vicario Epiſcopi. Quod intelligitur, quando non adeſt Inquiſitor.

Epiſcopi non debent præcipere Inquiſitoribus, ne illæ habeantur.

De jure habendæ ſunt in loco ſolito. Ex gratia tamen poteſt concedi, quod, ſi cauſæ fiant ab Epiſcopo,

copo, & ipſe velit intereſſe, habeantur in palatio Epiſcopali. Si vero cauſæ fiant ab Inquiſitore, illæ habeantur in S. Officio.

Si contentio fuerit inter Vicarium Epiſcopi, & Vicarium S. Officii, illæ habendæ ſunt coram Vicario, qui conſtruxit proceſſum.

Extat hac de re decretum generale Urbani VIII. ſub anno 1631. quod eſt hujuſmodi. Sanctiſſimus ad tollendas differentias in dies inter Epiſcopos, & Inquiſitores circa locum faciendi Congregationes S. Officii occurrentes, decrevit, ut in futurum omnes Inquiſitores, non obſtante quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, ac ſtylo in contrarium faciendi, accedant ad palatium Epiſcopale, ibique habeantur Congregationes, ſi Epiſcopi velint eiſdem Congregationibus per ſeipſos intereſſe. Quando verò nolunt per ſeipſos aſſiſtere, vel abſint à reſidentia, tunc Congregationes fiant in manſionibus Inquiſitoris, & Vicarii Epiſcopales illuc accedant. Vicarii verò Capitulares, Sede Epiſcopali vacante, ſive velint Congregationibus per ſeipſos aſſiſtere, ſive non, ſemper prædictis Congregationibus habendis accedant ad manſiones Inquiſitoris. Cæterum in civitate Mediolani, Sede Archiepiſcopali vacante, obſervetur quod hactenus obſervatum fuit.

Coram Summo Pontifice habetur qualibet feria quinta, niſi legitime impediatur, etiam non intimata.

Congregationes S. Officii Urbis, quæ in palatio antiquioris Cardinalis Congregationis habebantur, ex mandato Urbani VIII. ſub die 17. Septembris 1618. habentur in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam Ordinis Prædicatorum.

De præcedentia Inquiſitorum lege conſult. 15. prope finem tom. 5.

Converſatio cum hæreticis ex cauſa neceſſitatis permittitur Catholicis ad effectum illos convertendi ac inſtruendi, citra tamen ſcandalum.

Curſores Summi Pontificis tenentur intimare Congregationes S. Officii.

Cuſtodia ſcripturarum & proceſſuum S. Officii, mortuo Inquiſitore, non pertinet ad Ordinarium, ſed ad Vicarium Inquiſitoris, & in ejus abſentia ad Generalem, vel Provincialem ſi adſint, ſin minus ad Priorem Conventus.

Cuſtodes, & ſubcuſtodes carcerum S. Officii nihil omnino accipere poſſunt à carceratis, etiam ſponte dantibus, etiam poſt cauſæ expeditionem, & eorum libertatem, neque ab aliis eorundem carceratorum nomine ſub pœna privationis officii.

A decimis pro quacunque cauſa impoſitis, S. Officium eſt exemptum pro ſuis bonis, non tamen pro illis prædiis, & bonis acquiſitis, quæ prius ſoluta erant illas ſolvere.

Eadem exemptione gaudent beneficia unita, & penſiones reſervatæ quibuſvis Inquiſitoribus Italiæ.

Decreta S. Congregationis publicanda ſimul ſunt ab Inquiſitoribus, & ab Ordinariis, & ubi non ſunt Inquiſitores, à ſolis Epiſcopis.

Decreta quæ prohibent venerationem defunctorum cum fama ſanctitatis, niſi tales fuerint à Sede Apoſtolica declarati, edita anno 1625. non comprehendunt eos, quibus ſupra centum annos cultus, & veneratio exhibetur. Ita declaratum pro B. Columba, & aliis paſſim.

Diſtributiones quotidianæ jam decurſæ tempore carcerationis debentur ei, qui fuit carceribus mancipatus pro S. Officio, & fuit repertus non culpabilis. Quod ſi non habet unde vivat, debet ex illis habere victui neceſſaria.

Culpabili non debentur, niſi cauſa victus.

Carcerato, ſi eas velit, debent dari, data tamen per ipſum cautione, quod ſi reperiatur culpabilis, illas reſtituat.

Duellantes non puniuntur in S. Officio.

In edicto conſignationis librorum prohibitorum Inquiſitor apponere debet dictionem illam *Tantum*, ut ſcilicet conſignetur S. Officio *tantùm*.

Non debet Inquiſitor addere in edicto pœnam excommunicationis Regularibus, extra mœnia monaſterium habentibus, ne introducant in illud libros abſque ſua licentia. Quod ſi id faceret, ligaret ſolum eos, qui ibi ſunt de familia, niſi infra octo dies indicem librorum exhibeant S. Officio.

Edicta, quæ ſunt ſolita publicari à Parochis, ſi iſti non habent copiam Notariorum, qui poſſint ſe rogare de publicationibus, facere debent fidem cum ſubſcriptione duorum teſtium, illa ſe publicaſſe.

Publicantur per Inquiſitores ſejunctim ab Epiſcopis, ſed alter alterius mentionem faciat, ut ſcilicet fieri poſſent denunciationes vel coram Epiſcopo, vel coram Inquiſitore.

In edicto librorum prohibitorum Inquiſitores apponant pœnam excommunicationis quoad libros hæreticos duntaxat, vel de hæreſi ſuſpectos.

Edicta Curiæ Epiſcopalis poſſunt imprimi abſque licentia Inquiſitoris.

Ergaſtulum inſtitutum fuit, ne Regulares, aliique presbyteri ſeculares notentur Infamia, quemadmodum alii notantur qui triremibus addicti ſunt.

Excommunicatio poterit ferri contra inſervientes S. Officio ob non ſolutionem penſionum, non obſtante Bulla Urbani IV. quæ incipit, *Ne Inquiſitionis*.

Excommunicatus propter occupationem bonorum Eccleſiaſticorum, non procurans abſolutionem per tres, vel quatuor annos, poteſt citari ad reſpondendum de fide *per cap. fin. de pœn.* & Concilium Tridentinum *ſeſſ. 15. cap. 3. in fine de reform.*

Contra non curantem abſolutionem, &, non obſtante excommunicatione celebrantem miſſam procedit Ordinarius. Aliquando tamen S. Officium committit informationem.

Nolens revelare, tanquam edoctus, aliquem contractum inter partes, ſed ſuſtinens excommunicationem pluribus annis, non punitur in S. Officio.

Ob violationem libertatis Eccleſiaſticæ declaratus excommunicatus, contemnens cenſuras, non poteſt citari, ut leviter ſuſpectus de fide.

Contra obloquentem de excommunicatione, niſi alia concurrant, non ſolet procedere S. Officium.

Inſordeſcens in excommunicatione non punitur in S. Officio, niſi excommunicatio incurratur ex cauſa fidei, de quo alibi fuſius.

Exemptio, ejuſque privilegium ceſſat in cauſa fidei, & Ordinarius in ejuſmodi cauſis, etiam contra exemptos procedere poteſt.

Damnati ad triremes à S. Officio non liberantur, neque habilitantur, neque illis permittitur alios pro ipſis inſervire ſine licentia S. Congregationis.

Generalis Ordinis Prædicatorum, quando eſt præſens in Urbe, debet ipſemet, non autem ejus Vicarius, intereſſe Congregationibus Conſultorum, quæ habentur in Palatio S. Officii.

Gentilibus Indiarum Orientalium, ad fidem catholicam converſis conceditur uſus lineæ corymbinæ, ſandalium, & lavationum, licet ſint inſignia Infidelium, ſed cum quibuſdam conditionibus.

Hæredes Cardinalium generalium Inquiſitorum, Conſultorum, & Officialium S. Officii Urbis pro tempore, ſtatim poſt eorum mortem, tenentur ſub pœna excommunicationis tradere S. Officio qualcumque ſcripturas ad illud quomodolibet ſpectantes.

Hiſpani, qui ſponte comparent in S. Officio Urbis, & ſe accuſant de crimine ſodomiæ, aut beſtialitatis, quæ crimina in Hiſpaniis punit S. Officium, recipiuntur,

piuntur, & pro abſolutione Sanctiſſimus illos remittit ad Cardinalem Vicarium, qui eos abſolvit cum clauſula, quatenus non ſint inditiis præventi in S. Officio Hiſpaniarum, & pœnitentias ſalutares notas facit S. Officio. Neque expediuntur, niſi cum dicta clauſula.

Fugientes à carceribus S. Officii Hiſpaniarum, & Luſitaniæ tractantur uti fugitivi, alii verò uti recurrentes ad S. Officium. Qui ſane fugitivi remittuntur ad Hiſpanias.

Conſultores, Commiſſarii, Qualificatores in Hiſpania non gaudent Indulto exemptionis à reſidentia, miniſtris S. Officii conceſſo, niſi morantes in propriis locis, ubi habent ſuam reſidentiam, & pro illis horis tantum, quibus actu occupantur in rebus S. Officii. Quare non debent deputari Conſultores, Commiſſarii, vel Qualificatores extra loca, & civitates, in quibus ratione ſuorum beneficiorum tenentur reſidere.

Verum Commiſſarii tantum, tanquam valde occupati, gaudent hujuſmodi exemptione ex tolerantia, ſive concordia cum Eccleſia.

Inquiſitores in regnis Hiſpaniarum pro detrudendis in carceres S. Officii laicos, non petunt licentiam aliquam à Proregibus.

Non ſolet in illis partibus concedi licentia abſolvendi ab hæreſi.

Breve Pauli IV. & B. Pii V. quo conceditur facultas Inquiſitori majori Hiſpaniarum procedendi contra ſacerdotes ſæculares, & regulares, ſollicitantes in ſacra confeſſione intelligitur privative, & non cumulative quoad ſuperiores regularium.

Hoſpitalium gubernatores ac miniſtri tenentur recipere damnatos à S. Officio ad hoſpitalium ſervitia.

Imagines condemnatorum ob crimen læſæ majeſtatis humanæ retineri prohibentur *l. eorum ff. de pœn.* Ergo multo magis hæreticorum condemnatorum.

Judaizantes nunquam admittuntur ad compenſationes. Ita ſtatuit Paulus IV. die 1. Octobris 1555. qui revocavit omnes Conſtitutiones, quæ huic rei favere poſſent. An autem contra iſtos expediat, Conſtitutionem, vel decretum aliquod edere, ut procedatur ad publicationem bonorum, ſeriò diſcutiendum eſt.

Jeſuitæ poſſunt in Hiſpania, & Luſitania imprimere libros abſque eo, quod mittantur recognoſcendi ad Urbem, dummodo tamen non ſint ſuper materia efficaciæ gratiæ, & aliis materiis modò controverſis, neque ſuper materia juriſdictionis eccleſiaſticæ, neque adverſentur doctrinæ D. Thomæ, vel ſit dubium, an ſint ſecundum doctrinam D. Thomæ.

Non habent facultatem abſolvendi ab hæreſi. Hæc enim facultas à Gregorio XIII. eis conceſſa, fuit revocata à Sixto V.

Non habent facultatem abſolvendi eos, qui non ſatisfaciunt S. Officio; neque in Italia abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientiæ.

Jeſuitis, morantibus in regno Synarum, conceditur, ut in celebratione miſſæ uti poſſint alba in parte anteriori aperta, & planeta, etiam ab uno latere aperta.

Reis S. Officii datur, etiam pluries, juramentum de non tractando de meritis ſuæ cauſæ.

Nulla juramenti forma eſt admittenda, in qua continetur aliquid contra fidem catholicam, & autoritatem Pontificis.

Juramentum ſilentii tenentur præſtare omnes Officiales, Conſultores, Miniſtri S. Officii, ac etiam Vicarius Epiſcopi.

Juramentum S. Officii reſtringitur ſolum, ne inferatur præjudicium ipſius cauſis.

Præſtatur in Univerſitate Salamantina de defendenda doctrina D. Auguſtini.

An autem liceat abſolvere catholicos, qui tenent ſpeculative, doctrinam contentam in juramento, ut vocant fidelitatis, præſtando Regi Anglicano, probabilem eſſe, illud tamen nec ipſimet præſtare volunt, neque aliis, ut illud præſtent ulla ratione ſuadere, nec non alios, qui, licet omnino damnent hujuſmodi fidelitatis juramentum, præcipuum tamen doctrinæ punctum in eo contentum, quod eſt circa Regum depoſitionem putant eſſe problematicam? Reſpondeo, in hac re ſervanda omnino ſunt Brevia Apoſtolica, in quibus hæc quæſtio eſt definita.

Audientes miſſam tempore interdicti à Summo Pontifice impoſiti, expediuntur cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus.

Quovis tempore bacchanalium, vel quovis alio, Eccleſiam, dum miſſæ celebrantur, larvati ingrediuntur, ſecluſa mala intentione, expediuntur cum monitione, ac pœnitentiis ſalutaribus, & contra tales procedunt Inquiſitores.

Inquiſitis de magia non ſolet imponi confiſcatio bonorum.

Negans virginitatem B. Mariæ Virginis in loco, ubi eſt publicata Conſtitutio Pauli IV. abjurat publice de formali, damnatur ad triremes per ſeptennium, & abſolvitur à cenſuris.

Maronitæ tenentur obſervare diploma Pontificium circa obſervationem rituum antiquorum. Quod verò ad Kalendarium Gregorianum, ſi commode ſervari poteſt, debet ſervari, ſin minus connivendum.

In partibus Hieruſalem ſervent Kalendarium Gregorianum.

Marrani, ſive apoſtatæ ad Judaiſmum, oriundi ex Hiſpania non conceditur licentia commorandi in civitatibus catholicis.

Mercatoribus catholicis, petentibus ſibi concedi liberum commercium cum prætenſis Macrentis, qui in Oriente negotiantur, poteſt ex cauſa conniveri, nihil tamen in ſcriptis eſt concedendum.

Contra ipſos proceditur in S. Officio.

Matrimonium contrahentes cum commatre puniuntur in S. Officio.

Prævia abjuratione hæreſis diſpenſatur ſuper matrimonio rato in favorem conſummati.

Matrimonium joco cum moniali contrahens abjurat de levi cum ipſa moniali, & punitur pœna triremium.

Ratum, non conſummatum cum hæretico & catholica eſt validum, & ideo non eſt concedenda mulieri diſpenſatio, ut alteri nubat.

Laicus, qui indutus ſuperpelliceo interfuit celebrationi matrimonii, ut Curatus, punitur in S. Officio.

Mercatores Itali exercentes mercaturam extra Italiam, non poſſunt habitare, niſi in locis, ubi cultus Religionis catholicæ viget ex Conſtitutione Clementis VIII. Teneanturque diſcedere à locis, in quibus non ipſis permiſſa adminiſtratio, & perceptio Sacramentorum.

Siquis pertinaciter diſputeret, aut diſputaret, ſcilicet cum errore in intellectu, illicitos eſſe Montes Pietatis, ad mutuandam pecuniam egenis inſtitutos,

etiamſi non omninò gratis mutuent, ſed aliquid moderatum ad ſolam impenſam neceſſariam miniſtrorum, & aliarum rerum ad montium conſervationem pertinentium exigant ultra ſortem pro indemnitate montis, non pro lucro, ſive augmento, ut definivit Leo X. exiſtimans, hanc definitionem non eſſe veram, ſive non eſſe tenendam, aut alias ſi exteriori ſigno hunc ſuum errorem proderet, Incurreret in excommunicationem latam contra hæreticos, Papæ reſervatam in Bulla Cœnæ Domini.

Moriſchi expulſi à Regnis catholicis non debent permitti morari in Civitatibus catholicis, multoque minus in Terris Baronum.

Si capiantur in triremibus infidelium, examinantur, & redditur certior S. Congregatio. Si vero capiantur, tanquam pyraticam artem exercentes, vel contra chriſtianos pugnantes, remanent ſervi.

Petentes recipi in civitatibus catholicis, ut chriſtiani vivere poſſint, ſunt tolerandi, non tamen in locis mari proximis, neque omnes inſimul, ſed ſparſim per civitates, & loca, ut obſerventur ab Ordinariis.

Si contigeris prudenter ac probabiliter dubitari, an ſint baptizati, baptizentur ſub conditione, & poſtea profeſſionem fidei emittant.

Nuncii Apoſtolici poſſunt cum hæreticis converſari in actibus publicis pro negotiis tractandis. Quoad invitandum verò illos ad convivia, abſtineant, niſi ſubſit probabilis ſpes eorum converſionis.

Conceditur etiam hæc licentia eorum miniſtris, ſcilicet Abbreviatoribus, & ſecretariis.

Officium B. Mariæ Virginis, Defunctorum, S. Crucis, & Spiritus Sancti idiomate Germanico permittitur Germanis, in Italia degentibus, dummodo ſint probatæ verſionis.

Parochus inquiſitus in S. Officio de celebratione matrimoniorum plurium polygamorum ſine legitimis probationibus, poteſt interrogari, an credat, vel crediderit licere presbytero, curam animarum exercenti, etiam tempore belli, vel peſtis, dum itinere ſunt intera, celebrare matrimonia, non adhibitis diligentiis à S. Concilio Tridentino præſcriptis? Quod ſi recte reſponderit, damnandus eſt ad carcerem triennalem cum ſuſpenſione perpetua à cura animarum, & exilio à locis delictorum. Quod verò ad matrimonia hunc in modum celebrata, debet comprobari mors primorum maritorum, & interim conjuges monendi, ne inſimul cohabitent.

Qui filiam propriam cognoſcit, eì dicendo, non eſſe peccatum, ſed teneri exequi voluntatem patris, abjurat de formali, & damnatur ad triremes in perpetuum ſine ſpe gratiæ.

Cognoſcens ſolum carnaliter propriam filiam, nón punitur in S.Officio.

Pœnas impoſitas ab Ordinariis, vel ab inquiſitoribus reis S. Officii, non poſſunt moderari, aut retardari miniſtri, aut Judices ſeculares.

Vocans pœnitentiatos à S. Officio hæreticos, punitur in S.Officio pœna extraordinaria.

Conſtito legitime, quod Luſitani permanſerint in Luſitania, à qua poſtea diſceſſerint, ſi alibi reperiantur judaizare, vel eſſe Judæos, debent condemnari, tanquam apoſtatæ à fide, non obſtante, quod expuſiti tortura negaverint, ſe fuiſſe baptizatos, vel chriſtiane vixiſſe, cùm perſpicuum ſit, à centum & quinquaginta circiter annis nullum Judæum toleratum fuiſſe in Luſitania, niſi fuerit baptizatus, & chriſtiane vixerit.

Crimen nefandum in Luſitania pertinet ad S. Officium ex obſervatione.

Consultatio CCII. & ultima.

In qua brevis repetitio fit de modo, & ratione rectè, ac ordine expediendi cauſas S. Officii quantum cuique ſat eſt.

Cauſæ omnes S.Officii, aut ſunt de hæreſi, aut de ſuſpicione hæreſis. Delinquentes, hæretici, aut ſuſpecti dupliciter conſiderantur. Primò uti præventi in judicio ab indiciis ſufficientibus. Secundò uti ſponte comparentes.

Ex hæreticis præventis alii appellantur hæretici poſitivi; Alii negativi. Contra hæreticos poſitivos, præcedentibus legitimis indiciis, quorum virtus non ſolùm conſiſtit in numero, ſed multo magis in qualitate denunciantium, ſive teſtium, qui non patiuntur exceptionem, præſertim inimicitiæ capitalis, in veriſimilitudine facti, & in qualitate perſonæ denunciatæ, proceditur ad perquiſitionem librorum, ſcripturarum, & ad comprehenſionem perſonæ. Quod ſi in conſtitutis, quæ ipſis fiunt, confiteantur adhæſiſſe hæreſibus, de quibus ſunt imputati, in hoc enim conſiſtit earum formalitas, ſi reſipiſcant, coguntur ad abjurandum de formali, vel publicè, ſi ita requirant materia & circumſtantiæ ejus, & qualitas perſonæ, vel privatim, & condemnantur ad pœnam carceris formalis perpetui cum impoſitione pœnitentiarum ſalutarium ex arbitrio. Sed quando ſunt impœnitentes, præſcribitur eis terminus competens ad reſipiſcendum, in quo per Viros doctos, pios, ac prudentes omni ſtudio curandum eſt, ut reducantur ad cognitionem catholicæ veritatis. Tranſactis vero primis terminis ob zelum eorum ſalutis, præſcribuntur alii termini, quibus etiam tranſactis, & ab omni ſpe deſtitutâ eorum reductione, relinquuntur brachio ſeculari, ſicut etiam aliquando relinquuntur hæretici pœnitentes, quando ſunt relapſi, quo in caſu non compelluntur abjurare.

Hæretici negativi ſunt ii, qui ex ſufficienti teſtium numero, nullam patientium exceptionem, ac conteſtium indiciantur tenuiſſe hæreſes, illiſque crediſiſſe, de quibus convincuntur, & ipſi negant. In his cauſis, quæ rarò ſolent contingere, ſanctum officium procedit ſumma cum maturitate, ac prudentia, & procedit conſultò, ac cogitatè ad aliquem declarandum hæreticum negativum, quando tamen ita declararet, traderetur brachio ſeculari tanquam hæreticus impœnitens.

Dixi tanquam hæreticus; nam hæreſis eſt plenè ac legitimè contra ipſum probata, ideoque conſtat Eccleſiæ, illum eſſe hæreticum impœnitentem. Dixi impœnitens, quia non vult confiteri, ac deteſtari ſuos errores. Et quamvis diceret ſe habere veram fidem, attamen non ſatis eſſet. Quia cum ſolum ſignum pœnitentiæ ſit erroris Confeſſio, integrè probati, donec illum non confiteatur, merito habetur prò impœnitente. Atque ita decernit Concilium Biterrenſe *cap.* 6. 7. 8. & 9. & Nar-

bonenſe

Digitized by Google

bonenſe *capit. vigeſime ſexto* ac Daciſio Roiæ 875. *in antiq. tr. de heret.* cujua initium *Accuſatus.* Quod ſequuntur Doctorea communiter, & praxia apud Pegnam *in direct. p. tertia com.* 48. qui aa dicta deciſione id tradit cum quinque requiſitis neceſſariis ad condemnandum quampiam pro hæretico negativo.

Primum eſt, quod ſit convictus de hæraſi formali, non autem de aſſertione ſcandaloſa, temetaria, male ſonante, ac hiſce ſimili.

Sacundum, quod verba hæreticalia ſint carta, clara, non dubia, & ambigua, quodqua nequeant habere alium ſenſum quam hæreticum.

Terrium, qood Reus convincatur teſtibna legitimia, idoneis, & omni exceptione majoribus, ac conteſtibus.

Quartum, quod dictnm, & factum hæraticale ſit tecens, non verua; ita ut veriſimiliter credi poſſit reum illina memoriam non amiſiſſa.

Quintum, qnud convincantur, dixiſſe, ſe eredere hæreſibna, quæ ſibi npponuntur, & ab aliis eredendas eſſe.

Sponte autem comparentes ii ſunt, qui ex ſe ipſis præſencantur in S. Officio, prinſquam extat contra ipſos aliquod indicium, & ſa accuſant tenuiſſe hæreſes, illiſque crediciſſa, proteſtantur illas deteſtari, & abjurare, atque amplecti fidem S. Romanæ Eccleſiæ. Et re ipſa compelluntur ad abjurandum de formali juxtà formam præſcriptam, quæ illis exhibetur cum clauſula. Citrà pœnam relapſi, ſi ſint Minoraa viginti quinque annorum, ſine autem dicta clauſula, ſi ſint Majores, & impoſitis pœnitentiia ſalutaribua, dimittuntur.

Iſti autem val nati ſunt ax Patre & Matre hæreticia, & educati in hæreſibus, vel ſunt nati ex parentibus Catholicis, ac inſtructi etiam in religione Catholica, ſed ſubverſi, ac ſeducti. Priores in depoſitione, quam ſpontè faciunt contra ſe ipſos ſolant interrogari, an ſciant quod in Catholicorum locia ſit aliqnis hæreticus, quis, & præter nomen, cognomen, patriam, ac exercitium compalluntur ad deſcribendam etiam Perſonam. Poſterioras interrogantur diligantar de ſeductoribus, aliiſque cumplicibua cum aliis interrogationibua opportunis ſecundum cauſæ qualitatem.

Prioribus dari ſolebant atteſtationes authenticæ eorum abjurationia, ac reconciliationis. Sed quoniam repertum eſt, quod plerumque ſunt perſonæ vagæ ſive errones & quæſtuantes, quæ illis abutabantur, illaa aliis commodando, imo & divendabant, commutantea nomina, & interdum etiam oppignerabant cauponibus non ſine aliis flagitiis, ideo S. Congregatio juſſit, quod amplius non concadantur, niſi aliquando ob juſtas cauſaa in caſibus peculiaribus, in quibus ne quidem coaceduntur, quando ſatis proſpici poteſt cum literia ad eorum Ordinarios.

De *Hæreticorum fautoribus.*

Fautores hæreticorum ſunt ipſo jure excommunicati, & præter ſuſpiciorem hæraſis, incurrnnt etiam in gravea pœnas capit. excommunicamus 1. *paragrapho credentes de heret. & capit. Inquiſitioni paragrapho prohibemus eod. tit. in ſexto.* Suntqne illi, qui præbent favorem hæreticia, quo ganerali modo comprehenduntur receptatoras, auxiliatoraa, defenſores, eorumque conſulentes.

Tribus autem modia dici aliquia poteſt fautor hæreticorum. Per amiſſionam, & negligentiam. Per factum, & cooperationem. Per conſilium. 1. modo incurri poſſunt Magiſtraius, ac Principes chriſtiani, aliique locorum domini, cùm tanentur extirpare hæraticoa, expellere à ſuis ditionibus, ac præbere omne auxilium Inquiſitoribus ad hunc ipſum effectum. At relinquamur iſtos conſiderationi, quæ de jure habenda eſt cum illa maturitata, quæ convenit caſuum qualitati ob conſequentiam tumultuum, ac perturbationum, quæ inde avenire poſſunt, ſat aſt monitos facere Inquiſitores inferiorea, quod, eveniente hoc caſu in Principum ditionibua, ac faudatariorum locis ſuæ juriſdictionis, non ſint adeo facilea ad procedendum, ſed eertioram prius reddant S. Congregationam ſupremi Tribunalis Inquiſitionis Romanæ, à qua reſponſum expectent.

Perſonæ verò privatæ incurrunt in hunc caſum omiſſionis, quando, ſcientes ipſæ quod illi ſunt hæretici notorii, ac publici, & quod ad ſe pertinent, maxime ex officio, uti ſunt Cruceſignati, qui jurant aos denunciare, ac dare operam, ut comprehendantur, id non faciunt ſine legitima cauſa, & impedimento, ſed omnes etiam alii poſſunt in dictaa pœnas incurrera, quia omnea tenentur eos denunciare.

Et nihilominus S. Officium procedit in hac re cum magna cautione ac prudentia, conſiderana, an is, qui omiſit denunciare, val comprehandare, vel auxilium præſtare, ut denuncientur, & comprehendantur, id fecit ob metum, aut per oblivionem, vel ob quamcunque aliam probabilam cauſam, ex qua axcludatur ſuſpicio malitioſæ, ac doloſæ fautoriæ, ut exempli gratia, ſi ſola uxor ſciat, maritum committere actus hæreticalaa, illumque cognoſcat terribilam adeo, ut facile illam occideret, vel angatat, affligeratque, ſi ſciret fuiſſe ab aa denunciatum, in hoc ſanè caſu potuit illa excuſari.

In aliis quoque caſibus eadem eſt habenda conſideratio, permultumque penſitare circumſtantias; nam ſecundum illas fit judicium plus, minuſve ſeverum, ut ſtatuit Concilium Narbonenſe *capit. decime quarto, decimo quinto & decimo ſexto* quod præ cæteris omnibus tradit indicia, ſive ſigna cognoſcendi, ac diſtinguandi gradus fautorum, & fautoriarum. Non dabat itaque Judex ex omiſſione denunciationis eſſe facilis habandi perſonas pro ſuſpectis, & fautricibus hæraticorum.

Fautorea autem de facto, ac da cooperatione ſunt ii, qui præbent ſcienter auxilium hæreticis, vel ne capiantur à S. Officio, vel ut eripiantur violenter ab ejus manibus, illi reſiſtendo, & aſſiſtendo hæreticis, illos aſſociando propter eorum ſecuritatem, eiſque ſubminiſtrando victum. In hoc tamen conſidarare debet prudens Judex, an qui defendit hæreticum, aut ei præſtat auxilium, defendat errorem, ac hæreſim, an verò perſonam ob aliquam rationam mundanam. Iſti enim, etſi ob reſiſtentiam, quam faciunt S. Officio ſint excommunicati ipſo jure, non tamen ſunt hæretici, atque adeo redduntur ſolum ſuſpecti de vehementi, vel de levi juxta reſiſtentiæ qualitatem, adhibitaa S. Officio, & dafanſionis hæretico præſtitæ. Nam ſi defenderent errorem ac hæreſim, haberentur & ipſi quoque pro hæreticis. Ideoque ex regula genarali, quod juxta varium modum, & qualitatem defenſionis exhibitæ pro hæretico, variet etiam cauſs, & modua expeditionis, modò gravior, modò levior, cùm multo gravius delinquat, qui cum armia defendit, quàm ſine armis, qui cum

varijs eripit è manibus Curiæ S. Officii hæreticum quàm qui voce tantum illi auxilium præbet, ut fugiat. Ab hac autem varietate oritur etiam varietas gradus ſuſpicionis, & conſequenter abjurationis, ac pœnæ infligandæ.

Pro hoc auxilio, quod exhibetur hæreticis per violentiam, quæ fit S. Officio propter eorum defenſionem, obſervatur Conſtitutio Innocentii IV. & Clementis IV. ac B. Pii V. *de qua infra.*

Sub hoc capite fautoriæ de facto continentur hæreticorum receptatores, qui propriè ſunt illi, qui ſcientes, quod ſunt hæretici, eos tamen receptant, & occultant, vel in ſuis villis, vel in ſuis domibus, præbentes illis hoſpitium in aliis ſuis locis, ut evadant è manibus Judicis, & ne puniantur. Sed quando neſciunt, quod ſunt hæretici, & in illis præſumitur probabilis ignorantia, excuſantur. Verum eſt tamen, quod quando hæreticus receptatus, & occultatus eſſet publicè denunciatus, ac notorius, præſumeretur ſcientia, non autem ignorantia in receptatore.

Ex quo ſequitur, quod nautæ, ſtabularii, caupones, aliique hujuſmodi, qui non tenentur perſcrutari, ac inquirere qualitates & mores tranſeuntium, & hoſpitum, excuſantur, quando tamen ab ipſis receptus non ſit publicè damnatus, vel denunciatus hæreticus ita, ut ipſi hoc ſcire poſſint.

Suſpicio hæreſis, quæ ex hoc capite fautoriæ poteſt oriri in mente Judicis contra receptatorem, ſicut ob qualitatem facti, perſonarum receptatarum ac genus receptionis, poteſt eſſe levis, aut vehemens, ita etiam debet imponere abjurationem de levi, vel de vehementi arbitrio ſuo, temperato ab iſtis circumſtantiis.

Si receptatores ſciunt in ſpecie hæreſes, ac errores, quos habet hæreticus receptatus, & occultatus ab ipſis, debent etiam & ipſi illos in ſpecie abjurare; ſed ſi tantum ſciunt in genere, quod receptatus eſt hæreticus, poterunt etiam cogi ad abjurandum in genere. Et quoad pœnas ſunt illæ, de quibus Pegna *p. ſecunda com. 76. paragrapho ac præter.*

An autem cum pœnarum ſeveritate ordinaria procedendum ſit contra conſanguineos, uti uxores, fratres, patres, filios, ac ſimiles perſonas receptantes, & occultantes maritos, fratres, & alios ſuos conjunctos hæreticos, licet inter Doctores diſceptetur, volentes aliqui, ob immanitatem, & enormitatem delicti habere locum etiam in ipſos ſeveritatem legum, attamen communis ſententia, imò & ipſa praxis docet contrarium, hoc eſt, quod infligi debeat mitior pœna, dummodo conſtet quod id non faciant in contemptum fidei, vel in gratiam hæretici, ſed ſolum ratione ſanguinis, & naturalis affectionis quam non ita facile homo exuere poteſt, ideoque multum tribuendum eſt huic juri naturali, cogitandumque, quod illos receptaverint, non ut hæreticos, ſed ut conſanguineos. Concurrunt nihilominus in id aliqua requiſita, de quibus etiam Pegna *dicta parte ſecunda, canone octuageſimo primo, paragrapho Cæterum multa.*

Primum eſt, quod qui receptant conſanguineos hæreticos, quamvis puniri debeant mitius, non tamen excuſantur ab omni pœna, quia non ſunt omnino immunes à delicto.

Secundum, quod non eſt æqualis ratio omnibus conſanguineis, ſive conjunctis. Nam filius qui receptat patrem hæreticum, uxor maritum, frater fratrem, mitius puniri debent ac ſi receptaſſent, vel defendiſſent alios hæreticos conjunctos in gradibus longinquioribus.

Tertium neceſſarium, ut benignitas ac lenitas punitionis habeat locum, eſt, quod ille, qui receptat, non ſit particeps delicti receptati. Nam in hoc caſu pari pœna puniretur.

Nonnullis Doctoribus videtur etiam quod in hac materia occultationis ac receptationis hæreticorum conſideret peracutus, ac prudens Judex, an inter receptantem, & receptatum intercedat intima amicitia. Nam cùm illa ſit vinculum valde potens, & quaſi non inferius viribus ſanguinis, cumque non ſit receptans ullo modo ſuſpectus de participatione hæreſum, ac errorum receptati, videtur, quod contra ipſum procedi non poſſit cum ſeveritate ordinaria.

Dignum quoque conſideratione eſt, quod ex aliqua parte poterit excuſare paſſio cæca, & immoderata animi, quæ à Doctoribus ſemper appellatur furor, ut ſi receptans catholicus receptaret, & occultaret mulierem hæreticam ſuam amaſiam, vel contra, ſi mulier catholica receptaret amaſium hæreticum.

Fautores verò conſilii ſunt ii, qui præbent conſilium, & curant media, ut hæreticus à ſe cognitus pro tali, aut non denuncietur, aut non capiatur, aut ſit violenter extractus à poteſtate S. Officii, aut quocunque alio modo impediatur Judex examinare, & conſtruere proceſſus, pronunciare ſententias, ac ſimilia, ſive directè, ſive indirectè. Quoad iſtos obſervandæ ſunt eædem conſiderationes ſuperius adductæ, ac etiam quoad illos, qui appellantur impeditores S. Officii, de quibus agunt Doctores, ut Pegna *com. ſeptuageſimo nono* ubi explicat impedimentum directum, & indirectum, quod præſtatur S. Officio, agitque de ſuſpicione hæreſis quæ reſultat ex hac re in qua Judex attendere debet, non ſolum ipſam delicti ſubſtantiam, ſed perſonarum qualitatem, maximè autem ſi intercedat dolus vel malitia in facto, & aliæ circumſtantiæ, ex quibus pendet ſeveritas, & clementia pœnæ.

Credentes hæreticis ſunt hæretici, & comprehenduntur in primo capite, de quibus loquitur Pegna *in directorio p. 2. com. 75. q. 50.*

De ſponte comparentibus, ſuſpectis de hæreſi.

Sponte comparentes, ſuſpecti de hæreſi, illi ſunt, qui comparent ex ſeipſis S. Officio & antequam extet contra ipſos aliquod indicium, ſe accuſant dixiſſe, aut ſcripſiſſe aliquam hæreſim, aut feciſſe aliquem actum apoſtaticum contra fidem, ut ſi militaverint pro hæreticis, aut piraticam exercuerint cum Turcis prædatique fuerint urbes, ac perſonas chriſtianas, fuerint circumciſi à Turcis, erexerint digitum, dixerintque verba illa *Ali Ali*, quæ ſunt proteſtativa Mahometiſmi, ingreſſi fuerint Meſchitam ad orandum, vixerint juxta eorum ritum, audiverint conciones hæreticorum, ſumpſerint eorum ſacrilegam cœnam, comederint carnem diebus prohibitis, ut cum ipſis ſe conformarent, proteſtati fuerint tenere ac credere eorum religionem pro vera, abjuraverint ac deteſtati fuerint catholicam, acceperint uxorem, cum eſſent in ſacris, ordinati fuerint in ſacris, cùm uxorem haberent, acceperint ſecundam uxorem, vivente prima, celebraverint miſſam, aut adminiſtraverint Sacramentum pœnitentiæ, cùm non eſſent ſacerdotes, vel commiſerint alia delicta ſuſpecta de fide, ſed negent intentionem, hoc eſt, adhæſiſſe cum corde erroribus.

Illi poſtquam interrogentur diligenter ſuper intentione, &

& complicibus, compelluntur abjurare juxta ipſorum qualitatem de actu apoſtatico, vel hæreticali, de vehementi, ut plerumque in actibus ſupradictis, qui ex ſua natura præſeferunt vehementem ſuſpicionem, aut de levi, habendo rationem qualitatis, ac ætatis ſponte comparentis, quando illa commiſerit.

De iſtis ſponte comparentibus animadvertendum eſt, quod ſtandum eſt eorum depoſitioni, ſuper factis, intentione, & adhæſione cum corde. Atque ideo cùm S. Officium contentum erit ſimplicibus interrogatoriis ſuper eorum intentione, & complicibus, omittit torturam, ſed nunquam abjurationem, quæ cùm non ſit actus pœnalis, ſed proteſtativus, nunquam habuiſſe intentionem non catholicam, ſed vivere ac mori catholicè, habet locum etiam in ipſis.

In recipiendo eorum depoſitionem, monentur dicere integrè veritatem, & expreſſe præcipiantur, quod id bene advertent. Quia ſi poſtea fuerint reperti diminuti, procederetur contra ipſos uti præventos, nec ipſis juvabit hæc ſpontanea confeſſio, & revera proceditur, quando res, in quibus reperiuntur diminuti, ſunt ſubſtantiales. Nam ſi diminutio eſſet in re levi ſive in facto, ſive in circumſtantiis, & præſumi poterit veriſimiliter oblivio, non autem malitia, nullius eſſet conſiderationis.

Hi ſponte comparentes, qui adveniunt è provinciis, ac civitatibus, in quibus eſt officium S. Inquiſitionis, interrogantur, an ſciant ſe præventos eſſe in aliquo S. Officio. Et quamvis dicant, aut non eſſe præventos, aut id neſcire, attamen in ſententia, & in atteſtatione, poſito quod detur, ſemper ponitur clauſula; dummodo non ſit præventus indiciis. Et hæc interrogatio, & clauſula habet præcipuum locum in ſponte comparentibus Hiſpaniæ, qui ob timorem S. Officii illarum partium accedunt ad Tribunal ſupremum Romanum.

De Suſpectis de hæreſi præventis.

Suſpecti de hæreſi præventi ſicut iis, qui dicunt, vel ſcribunt propoſitiones hæreticas, erroneas, aut alio quocunque modo ſuſpectas in fide, vel qui patrant facta, & actus hæreticales, & apoſtaticos.

Primi quando ſunt præventi, ac ſunt perſonæ alicujus intelligentiæ, & indicia ſunt ſufficientia, facta iis perquiſitione ſcripturarum, primò mancipantur carceribus, deinde à Theologis qualificantur, ac fit cenſura propoſitionum, ut ſciatur gradus caſum malitiæ, an ſint hæreticæ, erroneæ in fide, an proximæ errori. Et compellendo eos ad recognoſcendum ſcripturas judicialiter, quæ in perquiſitione fuerunt repertæ, conſtituuntur dando illis opportuna interrogatoria, & objectiones, ut veritas obtineatur, & negantes in ſuis conſtitutis ſive totum, ſive partem ejus, quod iis fuerit oppoſitum, exhibita iis prius depoſitione teſtium & aſſignatio iis competente termino pro defenſionibus, torquentur ſcilicet plus, minuſve juxta qualitatem indiciorum pro elicienda veritate, quando negant omnia, & quando negant partem pro habenda ulteriori veritate complicium, & intentionis reſpectu rerum confeſſarum. Poſt torturam, ſi nihil aliud reſultet, & propoſitiones ſunt graves, ut ſupradictæ, ac perſona in defenſionibus non bene ſe purgavit, compellitur abjurare de vehementi, condemnatur ad carcerem, vel ad exilium à loco, in quo illas protulit, præcipue ſi erat ſcandalum, cum aliis pœnis juxta qualitatem perſonæ, & cauſæ, ut ſi verbi gratia ſint religioſi, privantur voce activa & paſſiva, ſuſpenduntur à divinis, inhabilitantur ad concionandum, legendum, ac docendum.

Sed quando perſona, quamvis intelligens, non ſit alioquin ſuſpecta, ſed ſit cognita, bonæ ac rectæ mentis, ſcripſerit, vel protulerit propoſitionem ſuſpectam inadvertenter, aut exiſtimaverit, quod non eſſet ita perniciosa, S. Officium ſolet contentari retractatione judiciali, dummodo tamen propoſitiones non ſint hæreticæ. Nam iſtæ ſemper abjurantur, & hæ perſonæ abjurant de levi. Quod ſi prolatæ fuerint publicè, ut in concione è ſuggeſtu cum aliquo ſcandalo populi, ſolet imponere retractationem etiam in eodem loco, & quando dubitatur, quod id non faceret integrè, aut quod id neſciat facere ea ſe eo modo, qui eſt neceſſarius, datur ei forma præſcripta de retractatione.

Si verò propoſitiones non ſunt ex illis, quæ ſuperius allatæ ſunt, ſed aut falſæ, aut temerariæ, ſcandaloſæ, & offenſivæ piarum aurium imponitur retractatio, præſertim quando continent ſcandalum, & ſunt declaratæ tales ab aliquo decreto Pontificio, ſicuti illa, quod poſſit fieri ab abſente confeſſio per literas confeſſario abſenti, & ab eo abſolvi, declarata à Clemente VIII. ſub anno 1602. ſaltem falſa, ſcandaloſa, temeraria, non autem abjuratio, cùm non ſit materia abjurabilis, niſi illa, quæ generat ſuſpicionem fidei in aliquo ſupradictorum graduum, & imponuntur in aſſerentes pœnæ illæ, quæ ſecundum perſonarum qualitates, & circumſtantias, præſertim ſcandali, cenſentur à prudente Judice magis ad hanc rem opportunæ.

Suſpecti verò de factis, ſive actibus hæreticalibus tot ſunt, quot ſunt actus & facta ipſa; ſed frequentiora in S. Officio ſunt ſequentia. Polygami, ſollicitantes in confeſſione ſacramentali ad turpia, ſortilegi, blaſphemi, retinentes libros prohibitos, comedentes carnem diebus ab Eccleſia prohibitis abſque neceſſitate, præcipue cum ſcandalo, oblocutores excommunicationis, in quibus perſiſtunt, celebrantes miſſam, & miniſtrantes ſacramentum pœnitentiæ, cùm ſint ordinati Sacerdotes.

De Polygamis.

Polygami ſunt, qui ducunt ſecundam uxorem, vivente prima. Iſti aut conſummarunt delictum, aut attentarunt.

Cum illis, qui per legitima indicia præſumuntur conſummaſſe delictum, proceditur ad capturam, & producta fide utriuſque matrimonii in proceſſu, probataque ſupravivencia primæ uxoris, examinantur prævia tortura ſuper intentione, hoc eſt, an crediderint licitum eſſe chriſtiano, & Catholico habere plures uxores eodem tempore, compelluntur abjurare publicè, vel in Congregatione Conſultorum, vel ſecretò juxta qualitatem perſonarum de vehementi, & damnantur ad triremes, ſaltem per quinquennium, quibus tranſactis, redit ad primam uxorem, & legitur ſententia in loco delicti ad exemplum aliorum. Sed quando induxerunt teſtes falſos ad contrahendum ſecundum matrimonium, condemnantur ad ſeptem annos, & etiam amplius juxta circumſtantias, & qualitates doloſas criminis, ac proceditur contra teſtes, qui confitendo veritatem, condemnantur pariter ad triremes.

In quibuſdam locis, ut in Hiſpaniis, coguntur abjurare tantum de levi, habendo forſitan rationem principii impulſivi delicti, quod plerumque eſt luxuria, & amoris paſſio. At in Italia conſi-

conſideratur abuſus Sacramenti, qui ſane magnus eſt, & quia continet hæreſim peculiarem, quæ aſſerit eſſe licitum ducere plures uxores vivas, ideoque jure delinquens catholicus remanet aggravatus à vehemente ſuſpicione.

Accidit plerumque, quod propter amiſſionem librorum, in quibus parochi ſolent ſcribere matrimonia, non poteſt haberi fides authentica primi matrimonii, quo in caſu adhibentur diligentiæ examinando teſtes, qui interfuerunt celebrationi matrimonii, parochos ipſos, ac perſonas, quæ viderunt cohabitare reum cum prima uxore uti maritum, & uxorem, deducitur in actis inſtrumentum dotis, & fiunt omnes diligentiæ, ut recte probetur primum matrimonium, ex quibus reſultet talis probatio, quæ æquivaleat fidei, quæ neceſſaria eſſet.

Contingit etiam nonnunquam, quod reus neget pertinaciter duxiſſe aliam uxorem, nec eſſe illum, de quo agitur. Quo in caſu eſt omnino neceſſarium recognoſcere perſonam ab ejuſdem prima uxore, & ſi abeſt, non poterit, ab aliis perſonis, quæ poſſint comprobare identitatem perſonæ delinquentis.

Solet præterea ſæpiſſime contingere, quod polygamus, nulla præcedente diligentia ſciendi, an prima uxor ſit viva, an mortua, inducat falſos teſtes, & ducit ſecundam uxorem ſuo periculo, verſans inter ſpem & timorem, an vivat, anve obierit, atque adeo in periculo pœnæ, curat extenuare gravitatem delicti adducendo temporis diuturnitatem, qua diu abeſt à prima, quodque nullum nuncium de illa acceperit. In hoc, & hujuſmodi caſibus omnis adhibetur à S. Officio diligentia probandi ſupravivientiam, qua non probata, expeditur reus, cum condemnando ad pœnam ordinariam triremium & cogendo illum abjurare de vehementi poſt torturam ſuper intentione. Nam licet non ſit probata ſupravivientia primæ uxoris, nihilominus animi diſpoſitio ducendi ſecundam uxorem ſive prima ſit viva, ſive mortua, illum reddit ſuſpectum, quod male ſentiat de ſacramento matrimonii, quo ille ſæpius abutitur.

In hoc caſu monetur ſecunda uxor de ſuo ſtatu, quod nequeat ſuſcipere alium virum, donec non habeat certus nuncius, primam eſſe vivam; nam ſi repeteretur, eſſe mortuam antequam reus contraheret cum hac ſecunda, ipſa eſſet ejus vera uxor.

In illos verò qui attentarunt ſecundum matrimonium, vivente prima uxore, & devenerunt ad actum proximum, id eſt celebrarunt inſtrumentum dotis, examinarunt teſtes, cœperunt publicare matrimonium in Eccleſia, & alia hujuſmodi, proceditur ad capturam, & producta in proceſſu fide primi matrimonii cum fide publicationum ſecundi, coguntur, prævia tortura ſuper intentione, abjurare de levi, & damnantur ad carcerem ad tempus, vel ad exilium, vel relegantur à loco, ubi eſt prima, vel ad aliquam publicam pœnam, ſi ſint perſonæ vilis conditionis, ut ſtare præ foribus Eccleſiæ, vel ad aliam arbitrio Inquiſitorum juxta qualitatem perſonarum, & cauſarum, & incidendo iterum in alium attentatum matrimonium, dummodo tamen ſit viva prima uxor, repetitur abjuratio de levi, & condemnantur ad triremes.

De Solicitantibus in Confeſſione ſacramentali.

Solicitantes ſunt confeſſarii, qui ſolicitant mulieres vel maſculos pœnitentes in confeſſione ſacramentali ad turpia pro ſe, vel pro aliis.

Hæc autem ſolicitatio fit non ſolum verbis, ſed etiam geſtibus, ſcriptis, & tactibus immundis, & non ſolum id intelligitur quando ſollicitatur incœpta confeſſione, ſed etiam ante, & poſt ipſam confeſſionem, donec pœnitens eſt adhuc in confeſſionario.

In hoc delicto, habita denunciatione in S. Officio, præcipuè conſideranda eſt qualitas perſonæ ſolicitatæ, denunciantis, an ſit perſona, quæ patiatur exceptionem in honeſtate, & fit ſimul extrajudicialiter aliqua diligentia de vita & moribus confeſſarii ſolicitantis: nam ſi reperitur non eſſe integræ famæ, multo facilius proceditur contra ipſum, & ſi examinatus fateatur delictum, torquetur ſuper intentione, hoc eſt, an crediderit, eſſe licitum ſacramentum pœnitentiæ ad finem turpem, & perſiſtendo in negativa, cogitur abjurare de vehementi coram aliis confeſſariis, & Curatis ad exemplum, & ſi ſit regularis coram Confeſſariis, & patribus ſui Ordinis, damnatur ad triremes per quinquennium, aut ſeptennium juxta qualitatem cauſæ, ac perſonæ ſuſpenditur perpetuo ab audiendis Confeſſionibus ſacramentalibus, privatur voce activa & paſſiva, præcipitur, ut habeat ultimum locum inter ſacerdotes, & aliquando legitur ſententia in proxima Capitulo ſuæ Religionis ad exemplum, & fratrum aliorum, quod ſi eſſet inhabilis ad triremes ob infirmitatem, nihilominus condemnatur ad eandem pœnam, & poſtea commutatur in carcerem formalem ad dictum tempus.

Extat hodie Conſtitutio Gregorii XV. emanata ſub die 30. Auguſti 1622. quæ incipit *Univerſi dominici gregis*, in qua vult Pontifex, quod etiam tradi poſſint brachio ſeculari hujuſmodi ſolicitantes, & quod adhibeatur quoque fides teſtibus ſingularibus, concurrentibus tamen aliis præſumptionibus, indiciis, & conjecturis, & ut fuſius in ea diſponitur, ad quam eveniente caſu eſt recurrendum. Et S. Congregatio declaravit ſufficere tres mulieres denunciantes ad convincendum in hoc caſu Confeſſarium ſolicitantem.

Quando ſolicitans negat delictum, torquetur pro habenda veritate. Quod ſi torturam ſuſtinuerit, & non videantur indicia eſſe extenuata ob qualitatem teſtium, & facti veriſimilitudinem, ſuſpenditur ad tempus à confeſſionibus audiendis, poſſuntque talia eſſe indicia, ut ſuſpendatur etiam in perpetuum, ſaltem ab audiendis confeſſionibus mulierum, & ſi adeſt ſcandalum, relegatur.

At verò ſi mulieres ſolicitatæ, ac denunciantes patiantur exceptionem honeſtatis, vel inimicitiæ, ſive ipſarum reſpectu, ſive earum conjunctorum, & confeſſarius denunciatus non ſit malæ famæ in materia venereæ libidinis, non ſolet S. Officium procedere, ſed ſervat denunciationes, ut ſupervenientibus poſtea ſuo tempore aliis indiciis, agere poſſit cum illa animadverſione, quam cenſuerit opportunam.

Et quoniam multi Confeſſarii volentes perpetrare hoc ſcelus, & exiſtimantes evitare pœnam, adire faciunt mulierem ad confeſſionale, non ut confiteatur, ſed ut cum ipſis habeant in eo loco tractatus laſcivos, ideo emanavit decretum à S. Congregatione S. Officii, quod procedatur etiam contra iſtos, qui abutuntur Confeſſionali, & puniantur pœnis arbitrariis, omiſſa abjuratione, quæ cum fundetur ſolum in abuſu ſacramenti, non habet locum in abuſu Confeſſionalis.

Facinori

Facinori ſolicitationis addunt etiam aliquando Confeſſarii ſolicitantes pernicicm doctrinæ dicentes, id non eſſe peccatum. Qua de re interrogantur in ſpecie, an hoc dixerint, & crediderior, coguntur abjurare de formali, ſed negando in tortura malam credulitatem abjurant de vehementi.

De Sortilegis.

Sortilegi, quorum nomine intelliguntur etiam qui dant operam rebus magicis, veneficiis, & faſcinationibus, ſuntque ii, qui characteribus, verbis ignoti, ac nullius ſignificationis cujuſvis ſermonis, ac linguæ, ſacramentorum abuſu, rebus ſacramentalibus, ac benedictis, vocibus S. Scripturæ, ſuffumigationibus, oblationibus cum proprio ſanguine, vel animalium, actibus religionis erga dæmonem, invocatione ejuſdem petunt operam, ac opem ipſius vel ad amorem, vel ad odium, ac mortem perſonarum, aut ad inveniendum theſauros, aut ad conſecrandum monetas, ut expenſæ redeant ad crumenam, aut ad dignitates obtinendum, aut ad ſcientias, aut ad alia hujuſmodi.

Iſti redduntur ſuſpecti de hæreſi, non modò propter abuſum in re ipſa ſacramentorum aut rerum ſacrarum, & actus ſua natura apoſtaticos, ſive ſuſpectos de apoſtaſia, ſed etiam ob pactum, quod à dicto abuſu, & actibus infertur, quodque ſortilegus iniit explicite, aut implicitè cum dæmone.

Illi verò dicuntur habere pactum explicitum cum dæmone, qui cum ipſo interdum cum chirographo ſanguine proprio ſcripto, expreſſè paciſcuntur, illi obſequium, & cultum exhibere promittentes ſuam, & aliorum animam, Chriſto abrenunciant, ac B. Virgini, pedibus Crucem proculcant, aguntque ſimilia, & è contra dæmon promittit ſortilego, auxilium ei præbere, ejus adimplere deſideria, ſive amoris, ſive vindictæ, ſive hujuſmodi, & ſigna ſenſibilia hujus pacti ſunt dicti characteres, verba incognita, non quia in ſeipſis vim aliquam habeant obligandi dæmonem, ſed quia ipſe fingit ſe obligare quoties ſortilegus ponit ea ſigna, in quibus eò libentius apparet, quò ſunt conjuncta cum abuſu Sacramentorum, vel rerum ſacrarum, in eorum contemptum, ludibrium & deriſionem.

Ii verò dicuntur habere pactum implicitum cum dæmone, qui licet non paciſcantur immediate cum ipſo, nihilominus utentes eiſdem characteribus, verbis incognitis & abutentes eiſdem ſacramentis, rebuſque ſacris, aliaque facientes reddunt ſe ſuſpectos aſſentiendi intentioni primi inſtituentis dictorum characterum ac ſignorum, & implicite approbant illud pactum, quod cum illis ſignis ille iniit cum dæmone.

Eſt tamen verum, quod quando iſti in ſuis ſortilegiis invocant expreſſè dæmonem, aut præbent ei cultum, redduntur ſuſpecti ex ſeipſis, non autem ratione primi inſtituentis.

Porrò diſputatur fusè à Theologis, & Canoniſtis, an quemadmodum ſunt varii modi invocandi & adorandi dæmonem, ita etiam qui illum invocat, reddatur ſuſpectus in omnibus illis modis. Ajunt nonnulli, quod qui illum invocat, & adjurat per modum imperii, & ut ab ipſo conſequatur res, quæ ex ſua poteſtate elargiri, & facere poteſt, non ſit ſuſpectus de hæreſi, ſed tantum qui illum invocat per modum deprecationis, & res excedunt ejus naturalem poteſtatem. Alii tradunt tutius, & communius, conſtatque ex praxi, quod qui invocat, & adorat dæmonem, etiam modo imperativo, & poſcit ab illo res, quæ non ſuperant ejus naturalem poteſtatem, & naturam ſit ſuſpectus, cùm repugnet chriſtiano, quà Chriſtianus eſt, petere opem ac operam à dæmone quocunque modo illam petat. Nam ipſe in hoc ſe declarat indigere auxilio, ac opera illius, cui in baptiſmo renunciavit, volens ſolum Deum in ſuum dominum, ad quem tantùm recurrere debet in ſuis neceſſitatibus. Immo adjuratio imprecativa, ſive coactiva dæmonum ſolum eſt licita, ut efficiantur tanquam inimici, nec Chriſtus tradidit Eccleſiæ hanc poteſtatem, niſi ad eorum expulſionem, quatenus ſunt noſtri inimici, ne nobis noceant. Quare eos adjurando per modum imperii, ut ab illis aliquid quis aſſequatur, non habentur, ut hoſtes, ſed potius continet aliquam pactionem, & ſervitutem cum ipſis.

His ſortilegis quando ſunt denunciati, & præcedunt legitima indicia fit perquiſitio, nam plerumque retinent ſcripta cum characteribus, & experimentis magicis, chartas virgines, claviculam, artem notoriam, Paolinam, Cornelium Agrippam, Petrum Albanum opus mathematicum, Inſtrumenta magica, ut enſes characteribus figuratos, ſpecula, annulos, pentacula, ſphondylia, ſive internodia, & vertebra ſpinæ, aliaque mortuorum oſſa, magnetem, quem ſolent baptizare, & id genus alia, omniaque deferuntur ad S. Officium, uti corpus delicti, ab ipſis judicialiter recognoſcenda, & deinde interrogantur ſuper delictis præſentibus, ſuper diuturna retentione ſcripturarum, rerumque magicarum ac ſuper complicibus, & confitentes, torquentur parumper pro ulteriori veritate, & ſuper complicibus, cùm ſit materia contagioſa, qua veriſimiliter aliàs etiam uſi fuerint, & aliis eam communicaverint præter nominatos, ac etiam ſuper intentione, ſi nempe crediderint eſſe licitum vacare rebus magicis, uti opera dæmonis, cum illo paciſci, honorem illi exhibere, & à verò Deo apoſtatice deſciſcere.

Quando verò ſortilegi committunt ſortilegia ad amorem, interrogantur ſpeciatim, an credant, vel crediderint, dæmonem poſſe cogere humanam voluntatem, quæ eſt omnino libera, & quamvis eorum aliqui, aut ex ignorantia, præſertim mulieres, aut ex vehementi animi affectione, quæ intellectum perturbat, & excæcat, fateantur id credere, quod eſt hæreſis, cùm non poſſit dæmon illam cogere, nihilominus S. Officium non compellit eos ad abjurandum de formali, ſed de vehementi, vel de levi juxta qualitatem perſonarum, & affectiones impulſivas: nam ipſi ſolum credunt effectum materialem, quem deſiderant, non ultra.

Et hac in re certum eſt de fide, dæmonem non poſſe cogere humanam voluntatem. Poteſt quidem perturbare imaginativam, & phantaſiam per ſomnia vel commovendo ſanguinem, ac humores, præbendo eis fomitem atque incitabulum, & excitando ſpiritus, illo præcipue tempore, ac momento, quo perſona, quæ mulieris amorem deſiderat, eſt illi præſens. At quia ſimplices, ac ignorantes, ſive obcæcati amoris affectione neſciunt diſtinguere inter portionem ſuperiorem rationis & inferiorem ſenſus commoti, & accenſi, ideo nonnulli ajunt, ſe coactos fuiſſe, ita ut aliter fieri nequiverit, ac ii, qui ſuum conſequuntur amorem, credunt ad id cogi. Quod plane falſum eſt. Quando tamen ſortilegus eſt vir doctus, & diceret crediſſe voluntatem humanam poſſe compelli, nulli dubium eſt, quin habeat locum formalitas, hoc eſt cogeretur abjurare de formali.

Horum aliqui, quanquam in perquiſitione reperta fuerint ſortilegia ſcripta propria, vel aliena manu, attamen negant eorum uſum etiam in tortura. Hoc in caſu plerumque coguntur abjurare de levi. Fallit tamen hæc regula in caſu, in quo quis non ſit ſimplex, retentio ſcripturarum ſortilegarum ſit longè ac diuturni temporis, earum qualitas ſit perniciosa

nicioſa, ipſe ſtudioſe dedit operam eas colligendi, ac ſcribendi. Nam in hoc caſu cogeretur abjurare de vehementi quemadmodum ſi à vehementibus indiciis eſſet aggravatus ab uſu, quia in hoc caſu tortura illa omnino non extenuat.

Quando afferuntur ad S. Officium indicia, vel ſcripturæ ſuperſtitioſæ, ſolent conſiderari, num ſint, anne qualificatæ. Qualificatæ ſunt quando in illis ſunt invocatio dæmonis, characteres, aut verba incognita,. abuſus ſacramentorum aut ſacramentalium, vel in ipſis ſit mentio ſcribendi in charta virgine, maxime cum ſanguine, vel mittendi ſanguinem ex avibus, aut animalibus cum obſervatione lunæ creſcentis, vel deficientis, & quando invocatur Deus, aut Sancti, ut opem ferant ad aſſequendum aliquid, quod eſt peccatum mortale, aut celebrandi Miſſam ſuper rebus inanimatis, vel utendi verbis conſecrationis ad peccatum lethale.

Non qualificatæ autem ſunt aliquæ orationes inconditæ, inordinatæ, ac incompoſitæ cum nomine etiam Dei, cum Crucibus intermediis ac etiam verbis S. Scripturæ ad liberandum homines à periculis.

Primæ cognoſcuntur & puniuntur à S. Officio. Secundæ relinquuntur Ordinariis. Quod ſi aliquando ob aliquam cauſam S. Officium eas cognoſcet, ſolet illas expedire cum monitionibus, ac ſalutaribus pœnitentiis.

Sub nomine ſortilegorum comprehenduntur etiam Striges, ſaſcinantes, venefici, magi, pharmaceutæ, qui effaſcinant variis modis vel ad amorem, vel ad odium, uſque ad mortem, ſpeciatim lactentes.

Effaſcinant interdum ad mortem eiſdem rebus, quibus utuntur ſortilegi, nempe circulis, characteribus, ejiciendo ſalem in ignem, projiciendo fabas benedictas, abutendo verbis Conſecrationis, ſcribendo illa in ſchedulis, componendo pulveres quarundam herbarum, quibus poſtquam benedixerint, tangunt perſonam amatam, utendo magnete baptizato, & hoſtia ſacra, invocando his rebus dæmonem expreſſe, vel tacite, ſed plerumque effaſcinant in eſculentis, & poculentis, ſcribendo verba incognita, & characteres ſuper fructibus, immiſcendo pulverem cibis, formando ſtatuas cereas, illas transfigendo acubus, & paulatim eas in igne liquando recitando ſuper illas aliqua verba ad accendendum amore perſonam illam, efformando quoſdam glomeros herbarum, capillorum, vel alterius rei deſumptæ à perſona effaſcinanda, reſegminorum unguium, & ejuſmodi alia, ſuper quibus immurmurant verba ignota cum dæmonis invocatione; eaque poſtea ſepeliunt in aliquo loco habitationis ejuſdem perſonæ, ac præſertim ſub limine infero januæ per quod eſt tranſitura.

Hinc oritur, quod cum res commemoratæ non habeant per ſe virtutem aliquam producendi hujuſmodi effectum, dæmon concurrit ex pacto explicito, vel implicito opera ſua accendendo perſonam, ut ſuperius dictum eſt, unde illa paulatim languide extabeſcit tacta inviſibiliter aut ab ipſo dæmone, aut à veneficis cum herbarum ſuccis venenoſis, unctionibus, ac pulveribus compoſitis ex ſimplicibus peſtiferis adeo, quod plerumque perſonæ plane conficiantur, toteque liquefiant ſine remedio, cùm medici ignorent cauſam morbi. Eodemque modo effaſcinant ex odio ad mortem.

In his caſibus, quia ex ſeipſis ſunt valde difficiles ad cognoſcendum omnia juridice, cùm eorum radix lateat, & materia ſit incerta, S. Officium procedit magna cum cautione, & maturitate, tam in ea credendo, quàm in formando proceſſus, & pauci, imo nullus proceſſus reperitur rectè conſtructus in his materiis. Tum quia ſunt plerumque fundari ſuper indiciis remotis, ut minarum, nempe: te pœnitere faciam, ulciſcar, & hujuſmodi, vel ſuper indiciis indifferentibus, nimirum rebus cibariis ex quibus perſona morbo afficitur. Et tunc quia poſſunt plerumque procurare à cauſa naturali, idcoque requiritur in judicio fides medici, quod illa infirmitas non ſit naturalis, vel ſaltem ſit dubia, ac etiam fides experti ac prudentis exorciſtę, quod illa infirmitas verè proveniat à veneficio. Dixi prudentis Exorciſtæ, quia plerique quamcunque infirmitatem judicant eſſe veneficium & ſaſcinationem, ſive ex imperitia, ſive ex pretio, & aliquando ſi perſonæ non ſunt effaſcinatæ, ipſi nutriendo illum humorem melancholicum cum alis malis artibus effaſcinant, non ſine ſcandalis.

Ex his igitur veneficiis parum, aut nihil erui poteſt, cùm poſſit plerumque multùm urgeri ob debilitatem indiciorum. Et tamen ſi fuerint urgentia, proceditur contra ipſos ad torturam & ſuper facto, & ſuper intentione reſpective, & quoad pactum & operam dæmonis coguntur abjurare juxta illum gradum, qui convenit qualitati delicti, ac perſonæ, condemnantur ad carcerem, & ad alias pœnas minores, vel majores, majoris, vel minoris ignominiæ reſpectu qualitatis perſonarum, ac delictorum.

Sed quoniam ſæpe contingit, quod inductis hiſce materiis in S. Officio, delinquentes, præſertim mulieres, interrogatæ vel ſuper indiciis præcedentibus, vel ex ſeipſis fatentur commercium cum dæmone, cui ſe tradiderunt anima & corpore, quod ab eo ductæ ad ludum illum adoraverint, abrenunciando baptiſmo, conculcaverint Crucifixum, à Deo, & à B. Virgine defecerint, aliaſque apoſtaſias patraverint, infanticidia commiſerint, & in eodem loco, ac tripudio dæmoniaco viderint alias perſonas, quas ſæpius nominant, ideoque poſt diligentem interrogationem temporis, & occaſionis, qua cœperunt hoc commercium cum dæmone, & narrationem ſuæ vitæ, interrogatis ſuper complicibus delictorum quorum corpora, præſertim infanticidiorum, neceſſe eſt, quod verificentur, compelluntur abjurare de formali, ſi apoſtaverint cum corde, at ſi negent intentionem, de vehementi, condemnantur ad carcerem formalem, quando tamen ſint præventæ ab indiciis ad differentiam earum, quæ confeſſæ ſunt, quæque ſine indiciis præcedentibus ex ſe id agunt. Nam in iſto caſu habentur pro ſponte comparentibus. Proceditur contra complices, illis exceptis, quos ipſæ dicunt vidiſſe in ludo, ac tripudio, qua de re extat decretum peculiare, quod non procedatur contra eos, cùm poſſint id deponentes decipi circa perſonas nominatas per illuſionem dæmonis. Quod vero attinet ad earum perſonas, perſiſtitur plerumque in earum confeſſione. Et nihilominus ex his mulieribus meretrices incidunt in S. Officium, quia, ut venire compellant in ſuam domum amaſios, addiſcunt, & patrant ſortilegia, purgant caminum, ejiciunt ſalem in ignem, benedicunt fabas cum invocatione dæmonis, attexunt zonulas, dum audiunt miſſam cum certo nodorum numero & attexendo, recitant verba incognita, vel cognita, ſed laſciva, ac dedecentiſſima illi ſacrificio, quæ ſæpe proferunt in ipſo actu conſecrationis, ac elevationis hoſtiæ & dum Sacerdos vertitur dicendo Dominus vobiſcum, abutuntur aquis, & candelis benedictis, recitantes orationem S. Danielis, S. Helenæ, & alias, in quibus invocant Sanctos ad ſuum auxilium, ut conſequantur quod deſiderant. Quod ex ſui natura eſt peccatum lethale.

Patrant ſortilegium phialæ per puellam, vel puerum virginem, vel per mulierem gravidam ob virginitatem, quam gerit in utero, dicentes quædam

verba

verba, & plerunque iſtæ puellæ, pueri, & gravidæ ajunt ſe videre in phiala quandam figuram, ſive umbram variarum imaginum, quas interrogant ad inveniendum res furto ablatas, theſauros abſconditos, & ad ſciendum futura. Solent etiam dictis puerulis, & mulieribus ungere quâdam olei, & fuliginis mixtura palmam manus quarum auribus inſuſurrant primo aliqua verba ignota, deinde jubent, ut inſpiciant ſuas manus unctas, & dicant, quod Rex adveniat, & multi ajunt, quod advenire vident, & nutibus reſpondere eorum interrogationibus.

Iſti procul dubio ſunt ſortilegi hæreticales. Quod ſi hujuſmodi ſortilegiis uſi fuerint, eaque docuerint, compelluntur abjurare juxta qualitatem perſonarum, facti, & circumſtantiarum aggravantium plerunque de vehementi, vel ſaltem de levi, quando ex perſonarum qualitate, vel aliis circumſtantiis conjiciatur ſimplicitas jubentur permanere præ foribus Eccleſiæ diebus feſtis cum candela accenſa in manu, relegantur, traduntur carceri formali ad tempus, vel in domo juxta qualitatem delicti, & quando relinquuntur liberi, obſervantur, & imponitur, quod ſe præſentent S. Officio locorum, aut Ordinariis ſemel in menſe. Quod etiam fieri ſolet cum aliis delinquentibus, ut frænentur, aliquando etiam fuſtigantur. Verum eſt tamen, quod quando habent viros, aut filias nubiles, S. Officium ex benignitate abſtinet ab iſta condemnatione, quia redundat in ignominiam filiarum, quæ ex hac cauſa non facile reperiunt viros, & mariti abhorrent à mutua uxorum quæ fuſtigatæ fuerint, charitate.

De *Blaſphematoribus*.

Blaſphematores ſunt ii, qui proferunt blaſphemias hæreticales. Cognoſcuntur, ac puniuntur in S. Officio.

Blaſphemiæ hæreticales ex praxi cenſentur iſtæ, aut ſimiles. *Riniego Dio. Al diſpetto di Dio. Dio traditore. Tu non poi fare. Puttana della Vergine*, ac omnes illæ, quæ adverſantur veritati contentæ in articulis Symboli.

Blaſphemia, *Puttana di Dio*, non æſtimatur omnino hæreticalis, & quando hæc ſola denunciatur contra proferentem, in illum non proceditur, ſed quando eſt conjuncta cum aliqua ex ſupradictis.

In hac re ſolet conſiderari à S. Officio, an fuerint prolatæ ex ira, & in utroque modo attenditur conſuetudo blaſphematoris. Solet ira diminuere ſuſpicionem credulitatis, ac intentionis, ac etiam pœnam. Primùm coguntur abjurare de levi, prævia tortura ſuper intentione, mulctantur pœna pecuniaria, ſi habent, juxta qualitatem delicti, & perſonæ facultates, & ſub præcepto pœnali ex arbitrio, aut in ſpecie ſub arcta pœna jubentur abſtinere à blaſphemiis, & illis, qui facile blaſphemant in ludo, præcipitur, ut abſtineant à ludo, ut tollatur eis occaſio reincidendi.

At ſi etiam in rixa, aut in ludo ſolent hæreticè blaſphemare, augetur gradus abjurationis, ac pœnæ juxta blaſphematum qualitatem. Nam cùm ipſi cognoſcant, quod facile in ludo blaſphemant, cùmque velint continuare ludum, volunt etiam occaſionem proximam blaſphemandi. Si verò blaſphemiæ hæreticales proferuntur, non ex ira; ſed ex ſedato animo, vel ex levi occaſione, quemadmodum id aggravat intentionem proferentis, præbens indicium malæ credulitatis, dum non apparet, quod aliunde occaſionem habuerit irritationis, ita quoque aggravatur gradus abjurationis, ac pœnæ, imponiturque perſonis vilibus, ut maneant præ foribus Eccleſiæ cum inſcriptione ad pectus, fuſtigatio, exilium, funis ictus publice, & interdum mittuntur ad triremes, præcipuè ſi ſint conſuetudinarii. Si autem ſunt honeſtæ conditionis, damnantur vel ad carcerem formalem ſuæ domus ad tempus, vel ad mulctam pecuniariam ſub præceptis, & gravibus pœnitentiis ſalutaribus. Et quando habetur informatio, quod iſti ſunt etiam aliàs mali chriſtiani, non frequentant ſacramenta Eccleſiæ, præcipitur iis, ut deferant fidem S. Officio ſuarum confeſſionum & communionum, quæ cum aliis pœnitentiis ſalutaribus imponuntur. Quod etiam fieri ſolet in aliis delictorum generibus.

Blaſphemiis ſolent ſæpius etiam miſceri aliquæ contumeliæ, ac improperia in Deum ut, *Iddio becco. Iddio cornuto*, & hujuſmodi, quæ cognoſcuntur, ac puniuntur conjunctim, uti ſunt aliquæ maledictiones, vel imprecationes *ſia maledetto Dio, la Vergine, li ſanti. Poſſa profondare Iddio, il Paradiſo. Voglio darmi al diavolo.* At ſi tantum ſunt denunciatæ, S. Officium non ſolet procedere, ſed relinquit Ordinariis. Quod ſi aliquando ob earum gravitatem S. Officium procedit, ſolet illos expedire cum gravibus monitionibus, ac ſalutaribus pœnitentiis.

Inter iſtas ſolet ſæpius dici: *Dio, ſe io ti haveſſi nelle mani, ti vorrei cavare il cuor, ſe tu non mi fai venire &c. non fai la tal coſa, non ti voglio più credere.* Et hic dicendi modus, abſolute loquendo, eſt hæreticalis. Primò, quia facit Deum paſſibilem, Deinde ob rebellionem contra ſuum Creatorem. Poſtremo, quia licet Deus ei non concedat id, quod vult, tenetur tamen illi credere. At quoniam plerunque proferuntur ex magna ira, non proceditur cum ſeveritate quoad credulitatem, ſed hoc cum aliis admiſſo, ac omnibus ſimul junctis, & conſideratis, puniuntur arbitrio, ut ſupra, tam quoad abjurationem, quàm quoad pœnam.

De *Retentoribus libros prohibitos*.

Contingit ſæpius, quod in S. Officio denuncientur, atque indicentur perſonæ ob retentionem librorum prohibitorum. Id quod primum in hujuſmodi cauſis fieri ſolet, eſt ſolita perquiſitio, deinde tria præcipue conſiderantur. Qualitas perſonæ, qualitas librorum, diuturnitas retentionis. Si perſonæ indiciatæ ſunt doctæ, & libri prohibiti ſunt perniciosi, hoc eſt continentes propoſitiones hæreticales, erroneas, proximas errori in fide, illoſque retinuerint aliquo temporis ſpatio, interrogantur, etiam in ſpecie, ſuper eiſdem propoſitionibus, videlicet: cum in dicto libro aſſeratur ſic, & ſic. Dicas quid tibi videtur de illa aſſertione? Quid ſibi velint verba illa? Quem ſenſum videntur habere? ac ſimilia. Quod ſi ſint propoſitiones, quæ ex natura ſua non poſſunt admittere ſenſum catholicum, interrogantur poſtea ſuper intentione, & negantes habuiſſe malam credulitatem, objicitur, quod cùm eos legerint, & longo tempore tenuerint, & cum diligentia, & ſumptibus à longis partibus procuraverint, (ſi tamen de hoc fuerint indiciati) cumque iſti ſint viri docti, præſumitur contrarium. Interrogantur amplius ſuper complicibus, id eſt, à quo libros habuerint, aut per quem ad ſuas manus pervenerint, an aliis communicaverint, & ſuper uſu, an uſi ſint doctrinis, quæ in eis continentur, ſive ſcribendo, ſive legendo, ſive prædicando. Et quoniam reſpondere non poſſunt adeo rectè ac integra reſpectu præſumptionum S. Officii, ut plene ſatisfaciant, ideo ſolent torqueri pro ulteriori veritate ſuper complicibus, de intentione, & alio non reſultante, coguntur abjurare de vehementi, & ſi ſunt perſonæ religioſæ, privantur voce activa & paſſiva, ſuſpenduntur à divinis, privantur Officiis, munere legendi, docendi, ac prædicandi ad tempus arbitrio cum impoſitione ſalutarium pœnitentiarum. At ſi negant, ſe legiſſe, iis objicitur inveriſimilitudo propter diuturnitatem retentionis, cumque veritas haberi non poſſit cum interrogationibus, devenitur etiam ſuper hoc ad examen rigoroſum.

Reperiuntur ex hiſce reis aliqui, negantes ſe ſcire, quod in ſuis cubiculis eſſent hujuſmodi libri, & ajunt illos poſitos fuiſſe ab aliquo ſuo æmulo, ſive inimico. Sed cùm id non comprobetur, S. Officium perſiſtit in ſua præſumptione contra ipſos, & ut veritatem aſſequatur, devenit pariter ad remedia rigoroſa & juxta qualitatem indiciorum, perſonarum, ac librorum, aliarumque circumſtantiarum cogit eos aliquando abjurare ſaltem de levi, quamvis negent.

Si verò perſonæ, quæ retinuerant hujuſmodi libros ſunt rudes, ac ſimplices, præſertim rerum, de quibus dicti libri tractant, & in eos conſtituendo videt prudens Judex, quod non interveniat malitia, neque eorum lectio produxerit malum effectum in dictis perſonis, neque generaverit aliquod dubium in materia fidei, quodque ſincere procedunt in dicenda veritate ſuper complicibus, ac uſu prout ſupra, neque aggravantur ſuper intentione, compelluntur abjurare interdum de levi ſecundum qualitatem indiciorum, ac diuturnitatem retentionis poſt breve ſpatium torturæ, vel terrorem.

Si verò eſſent tam indocti, ut legere neſcirent, neque intelligerent id, quod legunt, & ejuſmodi libri relicti fuiſſent eorum domi ab aliis, ommittitur abjuratio, & in cœteris proceditur, ut ſupra. Summa; res tota verſatur in qualitate perſonæ, librorum, & in prudentia Judicis.

At ſi libri non continent doctrinas hæreticales, erroneas, errori proximas, ſive alterius qualitatis ſuſpectas directe, vel indirecte in fide, ſed ſolum res ſcandaloſas, & temerarias, puniuntur eorum retentores pœnis arbitrariis, ſed ſine abjuratione, cùm non ſit abjuratione digna, niſi illa materia, quæ ſecum præfert ſuſpicionem vehementem, vel levem de hæreſi.

De illis, qui comedunt carnem diebus prohibitis.

Multi denunciantur in S. Officio de comeſtione carnium. In hac re admodum mature proceditur; quia multoties repetitur, aut quod denunciati illas non comederint, aut quod non comederint in illa hora diviſoria inter Sabatum, & Dominicam, ſive inter vigiliam, & feſtum in nocte, quæ intermediat, aut quod erant infirmi, aut convaleſcentes, aut quod habebant licentiam, aut quod, ſi illam non habeant, qualitas malæ valetudinis, & neceſſitas illos excuſat, aut aliquando negligentia, ſine incuria, & inadvertentia ex eo quod non reminiſcebantur, quod ille dies erat vigilia, aut alius dies prohibitus, præcipue agricolæ & in hujuſmodi caſibus, præſertim quando comedunt abſque licentia, monentur, ac eis imponuntur pœnitentiæ ſalutares, nempe jejuniorum.

Sed quando ſanus abſque neceſſitate ſciens ac prudens illas comedit, multoque magis id agit cum magno ſcandalo, S. Officium procedit, & eò majori ſeveritate quò habetur mala relatio ejus vitæ, quod non frequentat ſacramenta, quod monitus, ſive reprehenſus, ridet; ac profert verba ſuſpecta, ut illa a non omne quod intrat per os, coinquinat hominem, quæ ſolent adduci ad rem hanc ab hæreticis contra Catholicos; aut quod ſit commentum ſuperſtitioſum prohibitio comeſtionis carnis in talibus diebus, aut quod Eccleſia non debet, neque poteſt id prohibere. Quo in caſu interrogantur ſuper intentione, ac etiam torquentur, coguntur abjurare juxta qualitatem caſus, ac perſonæ & condemnantur reſpective juxta delictum, eorumque qualitatem.

De Oblocutoribus contra excommunicationem.

Excommunicationum, ac cenſurarum oblocutores aliquando denunciantur, & Ordinarii in hac re videntur ſæpius tranſgredi limites eos cognoſcendo ſub titulo S. Officii. Dixerint fortaſſe, *Ho in culo la ſcomunica. Ne mcaeo la ſcommnica*, aut ſimilia Ordinarius aliquando illos excommunicavit propter æs alienum, ira, & interdum provocatio, ac irritatio, inurbanus modus tractandi etiam ordinariorum, aut eorum Officialium ad obloquendum in cenſuras inducunt, & ideo S. Officium, quod ex caſus qualitate non habet ſuſpectam intentionem & credulitatem eorum circa validitatem excommunicationum, & autoritatem illas fulminandi, plerunque ſolet eos expedire cum monitionibus, ac pœnitētiis ſalutaribus.

Sunt etiam nonnulli, qui dicunt; Epiſcopus non poterat me excommunicare. Quæ verba poſſunt intelligi, quod non poterat excommunicare in illo caſu particulari, in quo prætendunt bonum jus ſibi aſſiſtere; ideoque interrogantur, ut ſe declarent, quomodo illa intelligant At ſi dicerent abſolute, Epiſcopus non poterat excommunicare, redderentur ſuſpecti de hæreſi, quemadmodum etiam ſi dicerent aliqua verba deriſoria in excommunicationem, quæ indicarent invaliditatem in genere ex defectu, quod non habeat autoritatem illam fulminandi. Iſti interrogantur ſuper intentione, & coguntur abjurare juxta qualitatem caſus cum impoſitione pœnarum ſecundum qualitatem caſus & perſonarum.

De Perſeverantibus in excommunicatione.

Sunt aliqui Ordinarii, qui vigore illorum verborum: Siquis animo indurato per annum perſeveraverit in excommunicatione, ſit ſuſpectus de fide, procedunt contra illos titulo S. Officii, etiamſi plerunque tales excommunicationes non ſint fulminatæ pro cauſa fidei, in quo caſu certum eſt, S. Officium procedere, ſed aut ob ſolutionem penſionum, aut reſtitutionem rei alienæ, aut ob alias cauſas pertinentes ad Ordinarium, uti Ordinarius eſt. Et ideò cùm ejuſmodi perſonæ non ſint ſuſpectæ de fine, hoc eſt non negant autoritatem, & validitatem excommunicationis, non debet procedi contra ipſas titulo S. Officii. Nam licet permaneant per annum, & etiam amplius in ipſa, non eſt tamen ſemper credendum quod permaneant animo indurato, & ob contemptum excommunicationis, ſed ob alias cauſas, quæ excludunt indurationem, ut quia non poſſunt ſatisfacere aut ob aliquam rationem, ex qua exiſtimant, rationabiliter eſſe excuſandos.

S. Officium procedit tantum contra excommunicatos, & inſordeſcentes ob cauſam fidei. Cœterum extat decretum S. Congregationis ſæpius ab ea confirmatum, quod contra inſordeſcentes procedat Auditor Cameræ, non citando tamen indiciatos ad reſpondendum de fide, neque ut contra ſuſpectos de fide: At ſi in procedendo reperiet, quod vere adſit talis ſuſpicio, eos remittit ad S. Officium.

Atque ita diù obſervatum eſt ita; ut ſub anno 1589. die 8. Februarii Cardinalis S. Severinę ſcripſerit Epiſcopo Hieracenſi, ejuſmodi cauſas non ſpectare ad S Officium, cùm non ſoleat cognoſcere cauſas ſolius inſordeſcentiæ in cenſuris Eccleſiaſticis abſque aliis capitibus pertinentibus ad fidem Scriptumque Epiſcopo Terami ſub die 5. Auguſti ejuſdem anni, non ſolere S. Officium procedere contra inſordeſcentes in cenſuris Eccleſiaſticis, niſi quando fuerint excommunicati ex cauſa hæreſis; vel fidei per annum, aut concurrerint alia indicia, & preſumptiones. Et ſub anno 1591 die 22. Februarii Epiſcopo Aiacenſi ſcriptum, quod S. Univerſalis Inquiſitio non ſolet procedere, niſi contra excommunicatos ob cauſam fidei, & contra inſordeſcentes ob alias cauſas procedit Tribunal Auditoris Cameræ, ac Ordinarii.

Ab hac obſervātia plerunque receſſum eſt, ut apparet ex literis ſupradicti Cardinalis ſub anno 1595 die prima Septembris ad eundem Epiſcopum Hieracenſem, in

in quibus ex mandato ſummi Pontificis ſcripſit, quod procedar contra N. tanquam ſuſpectum de fide, quia male ſentitet de cenſuris Eccleſiaſticis, qui tamen fuerat antea citatus, & monitus, ut inſordeſcens coram Audit. te Cameræ, ac denique tanquam talis fuerat condemnatus, ac declaratu per ſententiam. Et ſub die 8. Septembris ejuſdem anni ad Epiſcopum Iſernenſem fuit ſcriptum, quod quando voluerit procedere contra aliquem tanquam ſuſpectum de fide ob inſordeſcentiam ultra annum in cenſuris, advertat id facere citando prius ſuper inſordeſcentia, cum declarando ſervatis ſervandis inſordeſcentem. Nam in hoc judicio poſſint allegari multæ rationes, & impedimenta quibus comprobatis non poterit procedi ad declarationem inſordeſcentiæ, atque adeo neque ad ſuſpicionem hæreſis.

Ex quibus deducitur hæc regula. Etiamſi procedendum ſit contra inſordeſcentes tanquam ſuſpectos de fide, neceſſe eſt, quod prius ſint citati, ac moniti uti tales, coram Auditore Cameræ, aut Ordinario, & uti tales etiam ſint condemnati ac declarati per ſententiam. Ita S. Officium cum ratione procedet, cùm inſordeſcentia in hoc caſu qualificata inducat ex ſua natura ſuſpicionem malæ credulitatis de cenſuris.

De Celebrantibus miſſam, & adminiſtrantibus ſacramentum pœnitentiæ cùm non ſint ſacerdotes.

Contra iſtos extat Conſtitutio Pauli Quarti, confirmata à Clemente Octavo in ſua Conſtitutione, quæ incipit; *Etſi aliàs*, emanata ſub die prima ſeptembris 1601. quæ decernit quod ſi reperiatur talis delinquens prævia ſolita degradatione, tradatur illico Curiæ ſeculari. Extat enim Conſtitutio Urbani Octavi, à nobis ſuo loco adducta. In hoc delicto S. Officium procedit cum quæſitiſſima diligentia & maturitate, ac conſideratione. Nam ei non ſufficit ſolum confeſſio delinquentis, etiamſi præcedant ſufficientia indicia, ſive per teſt. s, ſive per repertas literas patentes eorum ordinariorum, ſed vult, quod comprobetur corpus delicti, id eſt quibus in locis reus celebraverit, aut miniſtraverit ſacramentum pœnitentiæ, an talis, talique die, in quo ait celebraſſe ac in tali altari reverâ celebraverit adeo, ut evidenter probetur identitas perſonę.

A pœna ordinaria excuſat aliquando minoritas, & quando delinquens per levitatem celebrat; quo in caſu poſt abjurationem de vehementi, prævia tortura ſuper intentione, condemnatur ad triremes, ſi fuerit habilis, & plerunque in decem annos. Idem quoque ſervatur contra illos, qui, licet non habeant exceptionem minoritatis, attamen non potuerint benè comprobari corpora delictorum, neque alia neceſſaria requiſita.

De iis, qui ex ſe ipſis ſe præſentant in Sancto Officio, licet præventi.

Plerique ſunt qui ſe præſentant & accuſant in S. Officio, non citati, neque vocati, ſed fuerunt tamen præventi ab indiciis, in quo caſu duplici modo conſiderantur; Primò eſt, an ſciverint ſe eſſe præventos, aut dubitaverint, & in hoc caſu appellantur comparentes metu probationum, qui, cum ingenuè ac ſincerè agant, cumque evacuent in eorum depoſitione indicia præcedentia, expediuntur quò ad pœnam mitius arbitrio Judicis, quam ſi fuiſſent citati, aut vocati, vel cõmutando illis pœnam ordinariam in aliam mitiorem, vel imponendo pœnam ordinariam, ſed pro minori ſpatio temporis cogendo eos abjurare, quando abjuratio locũ habet. Secundus eſt, quando ignorant ſe eſſe præventos quo conſtito S. Officium procedit contra eos permitiùs.

De Negantibus Trinitatem, Divinitatem Chriſti, Conceptionem de Spiritu Sancto, ejus mortem pro noſtra redemptione, ac virginitatem Beatæ ſemper Virginis.

Contra iſtos extat Conſtitutio Pauli quarti *cum quorumdã hominum pravitas* edita menſe Auguſti 1555. confirmata à Clemente Octavo, *Dominici gregis*, emiſſa menſe februarii 1603. quæ ſtatuit quod hujuſmodi Rei puniri poſſint tanquam relapſi, & tradi Curiæ ſeculari, per quam debitis pœnis in relapſos ſtatutis puniri queant. Remittitur tamen hæc condemnatio arbitrio Judicis, & S. Officium plerumque cum eis diſpenſat benignè, ac cum miſericordia, præſertim cum Minoribus, ac Neophytis, qui relabuntur in errores priſtinos, ſpeciatim verò quando recenter ſunt converſi, ac etiam quando Chriſtiani nativi aut oſtendunt magnam pœnitentiam, aut ob eorum ſimplicitatem, vel ignorantiam fuerunt ſubverſi. Hi omnes, prævia abjuratione de formali, condemnantur pœna hæreticorum, quæ eſt carcer formalis perpetuus.

De iis, qui incurrunt in Conſtitutionem B. Pii V. quæ incipit *ſi de protegendis.*

Id præcipue in hac re conſiderari ſolet an reus incurſus in aliquod caput dictæ Conſtitutionis, id fecerit ex odio, aut ex contemptu S. Officii, hoc eſt dummodo fuerit denunciatus, indiciatus, aut punitus ob delictum pertinens ad S. Officium. Unde licet præſumptio militet contra ipſum, & vigore dictæ Conſtitutionis ad ipſum pertineat probare cum claris ac evidentibus probationibus contrarium; nihilominus S. Officium, quando concurrunt in delicto aliæ cauſæ impulſivæ ad illius commiſſionem, ſolet agere cum benigna conſideratione, præcipuè ſi ſint minores, aut ſi moveantur ob amorem mulierum, ſolentque occurrere in hac re multa alia accidentia, ex quibus tollitur pœna ordinaria d. Conſtitutionis, & condemnantur ad Triremes, cum antea fuerint abſoluti ab excommunicatione.

De incurrentibus in Conſtitutionem Pauli Quinti, quæ incipit *Romanus Pontifex.*

Pius quartus ſub anno 1562. ad majorem fidei favorem, ac utilitatem S. Eccleſiæ, ſua Conſtitutione cujus initium *Paſtoris æterni*, tribuit facultatem Inquiſitori procedendi contra omnes fratres, ac Religioſos, etiam exemptos in cauſis S. Officii, dummodo eorum ſuperiores, quibus ab aliis Pontificibus fuerat conceſſa facultas procedendi in hujuſmodi materiis, non prævenerint. At Paulus Quintus cognoſcens experientia, quod, occaſione harum præventionum, afferebantur ſæpiùs aliqua impedimenta cauſis S. Officii, quæ non poterant agi, neque cognoſci cum idonea & neceſſaria diligentia, edidit dictam Conſtitutionem anno 1606. in qua revocat, atque abrogat omne, ac quodcumque privilegium, indultum, facultatem, & conceſſionem in ſimilibus materiis à dicto Pio Quarto, & ab omnibus aliis Pontificibus ſuis prædeceſſoribus datam Generalibus, Superioribus, ac Pręlatis cujuſvis ordinis ſive mendicantium, ſive clericorum Regularium, ſive cujuſcumque alterius ordinis, ac Inſtituti; Prohibens ſub pœna privationis omnis & cujuſvis dignitatis, aut Prælaturæ ſive Officii, vocis activæ, & paſſivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad prælaturas, & Officia, aliiſque pœnis inflictis, ac promulgatis in fautores hæreticorum, aut impedientes S. Officium, ac cenſurarum Eccleſiaſticarum, etiam excommunicationis majoris, latæ ſententiæ, cujus abſolutionem Sedi Apoſtolicæ reſervat, nec poſſint intromitti quoquo modo, neque ingeri in hujuſmodi cauſis S. Officii, ſuorũ ſubditorum, neque recipere denunciationes, neque examinare teſtes, neque agere neque recognoſcere cauſas, neque eas definire, aut terminare; Præcipiens, quod Religioſi, ac Fratres prædicti poſſint ac debeant libere denunciare Inquiſitoribus, aut locorum Ordinariis viciniotibus ſuſpectos de hæreſi, etiamſi ſint fratres, & religioſi ejuſdem ſui Ordinis, abſque eo, quod faciant participes ſuos ſuperiores cauſarum, ac perſonarum, quæ denunciandæ ſunt, à

quibus ſuperioribus non poſſint aliquo modo impediri, neque retardari ad eas denunciandas, advocans etiam cauſas, quæ à dictis ſuperioribus tempore editæ Conſtitutionis jam erant motæ, erantque pendentes in eorum judicio, ad Inquiſitores, & Ordinarios viciniores locorum ab ipſis determinandæ.

Huic Conſtitutioni contraventi ſunt nonnulli Superiores Ordinum, & adhuc ſunt, qui contraveniunt, ſed plerumque, aut per ignorantiam hujus Conſtitutionis, aut per inadvertentiam, aut quia in Viſitationibus conventuum, occaſione agitandi cauſas contra fratres, ac religioſos ſuos ſubditos ob alia delicta recipiunt etiam depoſitiones S. Officii, & reperiunt in cellis ſcripta ſacrilegia, & procedunt ultra cum examine teſtium, qui poſteà moniti ab aliis, aut àdvertentes ſuum errorem, ipſimet certiores reddunt Inquiſitores, qui, quando cenſent, quod nulla intervenit malitia, neque dolus, ſolent illos perbenignè expedire, abſolvendo eos ab excommunicatione; & dando illis ex gratia veniam pœnarum dictæ Conſtitutionis. Sed quando reperiretur, quod in hac re Superiores doloſè agerent, ut ſi occultarent ejuſmodi delicta, ne, ob bonam exiſtimationem ſuæ Religionis, S. Officium procedat, vel ut puniant ſuos ſubditos majori cum ſeveritate, ob privatos animi affectus, quàm juſtitia requirit, tunc S. Officium procedit contra ipſos cum ſeveritate juxta diſpoſitionem prædictæ Conſtitutionis.

Si vero Superiores, aut Prælati regulares habeant juriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem in locis diſtinctis ac ſeparatis ab alia juriſdictione, idem Summus Pontifex ſub die 11. Januarii 1607. declaravit, quod ipſe non intelligit eos impedire, quin poſſint cognoſcere cauſas S. Officii ſuorum ſubditorum, tàm regularium, quam ſecularium; ſed quò ad dictos regulares, qui ſunt de eorum familia; Vult idem Pontifex, quod iidem Prælati poſtquam receperint denunciationes, faciant participes inquiſitores ſupremi Tribunalis ſub cenſuris, ac pœnis, contentis in dicta Conſtitutione. Sed quando locus, in quo exercent juriſdictionem, eſt in juriſdictione alicujus Inquiſitoris, ordinat idem Pontifex, quod in cauſis S. Officii obſervent Clementinam, & procedant unà cum Inquiſitore in iis omnibus, quæ illa diſponit.

In partibus verò ultra montes, in quibus non eſt Officium S. Inquiſitionis, & hæreſes impunè graſſantur, idem Pontifex conceſſit Superioribus regularibus facultatem procedendi in communi contra ſuos ſubditos reguiares hæreticos.

De iis qui contraveniunt Conſtitutionibus, ac Decretis Apoſtolicis in materia conceptionis B. Mariæ Virginis.

Occaſione diverſarum opinionum circa conceptionem B. Virginis, plures turbæ ac contentiones diverſis temporibus inter fideles, nùm fuerit, an nè concepta in peccato Originali, excitatæ ſunt à Concionatoribus, aut diſputantibus alterutram partem majori quidem animi affectu, ut contrariam ſententiam infirmarent, ac diluerent, quàm pietate, ut propriam ſuſtinerent. Quare oportuit, quod in tempore S. Sedes ederet ſuper hac re Conſtitutiones pœnales.

Sixtus quartus anno 1483. edidit illam Conſtitutionem, quæ incipit *Grave nimis*, contra quoſcumque affirmantes, quod ſit hæreſis, aut peccatum mortale credere, aut tenere, quod Beata Virgo fuerit, vel non fuerit concepta in peccato Originali ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda, reſervans abſolutionem S. Sedi. Hæc Conſtitutio fuit innovata primò ab Alexandro ſexto, deinde à Concilio Tridentino *ſeſſione quinta de peccato Originali*.

At Pius Quintus Anno 1570. edidit aliam Conſtitutionem, quæ incipit *ſuper ſpecula Domini*, in qua prohibuit, quod nemo cujuſvis ordinis aut dignitatis diſputaret in concionibus de una, vel de alia parte hujus controverſiæ cum rationibus vel authoritatibus Doctorũ, aſſerendo propriam opinionem, & reprobando, ac impugnando contrariam. Et addidit ne quiſquis de hac quæſtione, ſub quovis pietatis, aut neceſſitatis prætexta ſcriberet, aut dictaret in vulgari ſermone, imponens tranſgreſſoribus in ſacris pœnam ſuſpenſionis à divinis ipſo facto, & privationis gradus aut dignitatis, aut adminiſtrationis, ac inhabilitatis ad illa obtinenda in perpetuum, ſuper quibus cum eis non poſſit diſpenſari, niſi à ſummo Pontifice pro tempore, relinquens etiam Prælatis delinquentium libertatem imponendi, ſi opus fuerit, alias pœnas pro delicti menſura. Declaravit nihilominus, quod donec Sedes Apoſtolica definiverit alteram opinionem, liceret doctis illam diſputare in Academiis, aut in Capitulis, ubi tamen ſcandalum non ſit inde oriturum.

Paulus quintus Anno 1616. confirmavit Conſtitutiones Sixti quarti, & Pii quinti in ſua, quæ incipit *Regis pacifici*, & ſupradictis pœnis addidit privationem ipſo facto vocis activæ & paſſivæ in quacumque electione, concionandi, legendi, aut docendi, aut interpretandi publicè, ac inhabilitatis perpetuæ concionandi, publicè legendi, docendi, ac interpretandi, quibus in pœnis nemo cum eis diſpenſare poſſit, niſi Sanctitas ſua, aut ſui ſucceſſores Romani Pontifices; Tribuens etiam facultatem Epiſcopis, & Inquiſitoribus procedendi, ac inquirendi contra tranſgreſſores, eoſque ſeverè puniendi.

Idem Pontifex Paulus Quintus anno 1617. ob cauſas urgentes, & juſtiſſimas edidit hac de re decretum in congregatione S. Officii coram ſe habita, in quo impoſuit ſilentium opinioni affirmativæ, quod ſcilicet B. Virgo fuerit concepta in peccato Originali, prohibens prædicari, & aſſeri in aliquo actu publico. Declaravit tamen, quod non intelligit in eo inferre dictæ opinioni aliquod præjudicium, ſed eam relinquit in ſuis primis terminis. Quinimo præcipit aſſerenti aliam opinionem, ne audeat improbare ſupradictam, nec quovis modo de illa tractet, remittens ſe quò ad pœnas contra tranſgreſſores ad contenta in ſupradictis Conſtitutionibus, ſua, & aliorum Pontificum.

Poſt editum hoc decretum, plures, qui ei contraventi ſunt, aut prædicando opinionem affirmativam, aut illam confutando, fuerunt denunciati in S. Officio, in quo procedendi modus eſt, quod extra Urbem Inquiſitores judicialiter recipiant denunciationes, quæ eis deferuntur, & ulteriùs non procedendo tranſmittant exemplum ſupremo Tribunali, quod ſi revera viderit, quod ſit contraventum diſpoſitioni dicti decreti, & Conſtitutionis, jubet Inquiſitoribus fieri tranſgreſſori perquiſitionem concionum, aut ſcripturarum, in quibus aſſeruerunt aut confutarunt affirmativam, ac examinari aliquos teſtes qui adfuerunt, qui eſſe debent, quò ad fieri poteſt, viri reum ſuarum rationibus non ducti, nempè non Fratres S. Dominici, ſi frater tranſgreſſor ſit S. Franciſci, nec Fratres S. Franciſci, ſi tranſgreſſor ſit S. Dominici.

Hanc prohibitionem Gregorius decimus quintus ad privata etiam colloquia extendit, mandans inſuper favore ejuſdem ſententiæ, ut in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac divino Officio celebrandis, tam publicè, quàm privatim non alio, quam conceptionis nomine uti quicumque debeant.

Denique conſtitutiones & decreta à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis, & præcipuè à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. editas Alexander VII. innovavit, & ſub cenſuris ac pœnis, in eiſdem Conſtitutionibus contentis, obſervari mandavit. Et inſuper omnes & ſingulos, qui præfatas Conſtitutiones ſeu decreta, ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & feſto, ſeu cultu ſecundùm illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc

eamdem

Digitized by Google

eandem ſententiam feſtum ſeu cultum io diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandæ ſive ſcripturam aut Sanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, denique alio quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcriptis, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra ea quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint, prçter pœnas, & cenſuras in conſtitutionibus Pauli V. contentas, quibus illos ſubjacere voluit, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſſiva in quibuſcumque electionibus, eo ipſo, abſque alia declaratione privatos eſſe voluit, nec non ad coocionandum, publicè legendum, docendum & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipſo facto incurrere abſque alia declaratione, à quibus pœnis non niſi à ſummo Pontifice abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint; Nec non eoſdem aliis pœnis, arbitrio Romanorum Pontificum infligendis, pariter ſubjacere voluit. Ac libros, in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, ac contra ea quomodocumque ut ſupra aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem contioeaotur, poſt Pauli V. laudatum decretum edita, aut in futurum quomodolibet edenda, prohibuit ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi voluit, & mandavit. Vetuit autem, Sixti IV. Conſtitutionibus inhærens, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimeo, aut mortale peccatum incurrant, cum à Romana Eccleſia, & Apoſtolica ſede oondum fuerit hoc deciſum, prout præfatus Alexander minimè decidere voluit, aut intendit, quin potius contrariam illam opinionem hæreſis aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjicit Sixtus IV. aliique ejus Prædeceſſores, gravioribus aliis pœnis ſubjecit, quas in contrafacientes ſuæ Conſtitutioni ſuperius inflixit. Voluit etiam, quod contra hujus ſuæ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis & Inſtituti, etiam ſocietatis Jeſu &c. & alias quaſcumque Eccleſiaſticas, & ſeculares perſonas cujuſcumque ſtatus &c. tam Epiſcopi, & Prælati ſuperiores, aliique locorum ordinarii, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtricte animadvertant &c. Non obſtantibus &c.

Solent autem tranſgreſſores evocari ad Urbem, ubi examinantur & reperti expreſſe tranſgreſſores puniuntur, declaranturque incurriſſe in pœnas ſupradictarum Conſtitutionum, & non conſtita contraventione expreſſa, ſed quod ſolùm dixerint verba temeraria, licentioſa, & mordacia, ex quibus, licet inferri nequeat tota Confutatio, & aſſertio alterutrius opioionis, attamen male ſonant, & ſapiunt Contraventionem, ideoque monentur acriter in Congregatione Emioentiſſimorum Cardinalium juxta qualitatem Caſus, & prohibetur Concio arbitrio Judicis.

De Iudæis aliiſque Infidelibus, quò ad delicta pertinentia ad S. Officium.

Cum multæ res fidei Chriſtianis, ac Judæis communes ſint, hinc eſt, quod ſi in ipſis deliquerint Judæi, S. Officium contra eos procedat.

Res communes Chriſtianis, ac Judæis ſunt, quod Deus ſit unus, æternus, omnipotens, Creator mundi. Quod extant Paradiſus, Infernus, Angeli, Dæmones, ſacra Scriptura, anima immortalis, & alia hujuſmodi. Ideoque ſi fuerint inditiati in S. Officio, quod non crediderint omnia, vel aliqua ex ſupradictis, aut ſi de illis verba indecentia protulerint, aut fuerint ſuſpecti de mala credulitate circà ipſa, proceditur contra ipſos ad capturam, ad perquiſitionem librorum, & ſcripturarum, & proceditur in cauſis cum iiſdem terminis, cum quibus contra alios proceditur, & confitentes malam credulitatem, coguntur abjurare de formali, & illam negantes, etiam in tortura compelluntur abjurare aut de vehementi, aut de levi juxta qualitatem inditiorum, verborum prolatorum, & perſonarum conditionem, hoc eſt an ſint magis, vel minus doctæ. Et quoad pœnas condemnantur, ut Chriſtiani, qui in res dictas delinquunt, aut ad carceres, ad triremes, aut ad exilium, aut ad relegationem.

Præter res ſupradictas communes Chriſtianis, ac Judæis Gregorius XIII. anno 1581. edidit Conſtitutionem, quæ incipit *Antiqua Judæorum improbitas*, ubi expreſſit aliquos caſus particulares, in quos Judæi aliique iofideles delinquentes tribuit facultatem Inquiſitoribus procedendi contra ipſos eo modo, quo ſolet procedi in cauſi fidei juxta formam ſacrorum Canonum & Conſtitutionum S. Officii S. Inquiſitionis.

Quibus in caſibus ſi aliquis Judæus, aut alius Infidelis repertus fuerit reus, vult Pontifex, quod Inquiſitores ſecundum qualitatem, numerum, multiplicationem & conſuetudinem delictorum eos condemnent ad fuſtigationem, aut ad triremes, etiam perpetuas, aut ad publicationem bonorum, ad relegationem, & ad alias atrociores pœnas, ut ſint aliis exemplo ad illos terrendum, ne ſimilia nefaria ſcelera committant.

Denunciantur interdum Judæi percuſſiſſe, ac deturpaſſe ſanctorũ imagines. In quo caſu certum eſt, quod quando S. Officium, aut Ordinarius prævenit, non poteſt ſe ingerere forus ſecularis. Dubium autem eſt, an quando laicus prævenit, poſſit ille procedere in cauſa. Res maturè in S Officio conſiderata, qua occaſione etiam actitatum eſt, ao præcitata Conſtitutio, *Antiqua Judæorum improbitas*, in qua tribuitur facultas Ordinariis & Inquiſitoribus procedẽdi in caſibus lo ea expreſſis, intelligatur privativè quoad Judices laicos, an etiam cumulative juxta jus commune. Major pars ſemper inclinavit privativè, cùm dicti caſus contineant materiam merè ſpiritualem, & Eccleſiaſticam. Quare plerunque ita obſervatum eſt. Majoris tamen dubitationis occaſionem præbet caſus percuſſionis, ac denirpationis Imaginum; nam is certe non exprimitur in citata Conſtitutione. Exemplis tamen conſtat quod in S. Officio frequentiori uſu ſervata ſit cognitio ſimilium cauſarum privativè quoad laicos. Et quamvis aliquando dignis de cauſis permiſſa fuerit laico hujuſmodi cognitio, Inquiſitores tamen inferiores ad evitandum contentiooes cum laicis, & ad tutius, cautiuſque agendum debent ſemper id ſignificare ſupremo Tribunali, & ab eo reſponſum accipere.

Præterea denuociantur interdum Judæi, quod ſibi accendi faciant ignem à Chriſtiaois die Sabbati, quo probato, S. Officium illos punit. Hujus rei fundamentum eſſe aliqui cenſent, quod ſit ſuperſtitio Judæorum non accendendi eo die ignem, ideoque uſus ſervitii Chriſtianorum ad hunc effectum ſuperſtitioſus, eſt crimen pertinens ad S. Officium. Scd reveta non eſt ſuperſtitio, imo id eſt præceptum expreſſum eorum legis in Exodi *c.* 35. Non ſuccenderis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati, atque Lyranus *ad cap.* 12. Exodi, fuiſſe illis prohibitum ignem accendere tali die etiam per Gentiles, ab eis habitos pro alienigenis, ac ſervis, quos habebant ad miniſteria vilia in ludibrium & contemptum eorum nationis ac religionis. Et quoniam adhuc hodie habent

Chriſtianos pro Gentilibus, ac ſervis, ideo utendo eis in vilibus miniſteriis, quemadmodum eſt accendere ignem, præſumitur, quod id agant in contumeliam, & contemptum nominis Chriſtiani, oſtendentes ſe in eo, quod poſſint, ſuperiores, & dominos Chriſtianorum uti alias erant, quando dominabantur in Gentilibus, eoſque habebant pro mancipiis. Atque puniuntur etiam Chriſtiani, qui hujuſmodi vilem famulatum exhibent Judæis, quia cooperantur ad impiam intentionem Judæorum, & ad miniſterium ſummè diſſentaneum, ac indecorum dignitati religionis Chriſtianæ, cùm non deceat quod filii liberæ ſerviant filiis ancillæ.

Clemens Octavus anno 1593. publicavit contra Judæos Conſtitutionem, quæ incipit *Cum Hebræorum malitia*, in qua Conſtitutionibus Gregorii IX. Innocentii IV. Clementis IV. Honorii IV. Joannis XXII. Julii III. Pauli IV. & Gregorii XIII. qui ſæpius impium illud Thalmudi nuncupatum, & alia ſimilia reprobata, & deteſtanda ſcripta, & volumina damnarunt, & retineri prohibuerunt, ſeu alias ex Chriſtiani Orbis provinciis, & regnis pro zelo exterminarunt, addidit prohibitionem perpetuam, ne quoſvis libros, & Codices impios Thalmudicos ſæpe damnatos, Cabaliſtos, atque alios nefarios à prædeceſſoribus ſuis prohibitos, & condemnatos, nec non opera, commentaria, tractatus, volumina, & ſcripta quæcunque, tam lingua hebraica, quàm quavis alia hactenus conſcripta, aut verſa, edita & impreſſa, ac in poſterum conſcribenda, aut vertenda, cudenda, vel imprimenda, continentia, ſeu continentes tacitè vel expreſſe hæreſes, vel errores contra ſacras veteris legis, ac Teſtamenti ſcripturas, nec non contumelias, impietates, blaſphemias contra Deum, Sanctiſſimam Trinitatem, & Salvatorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ejuſque Sanctam Chriſtianam fidem ac Beatiſſimam ipſius Genitricem ſemper Virginem Mariam, Beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, alioſve Sanctos Dei, Sanctiſſimam Crucem; Sacramenta novæ legis, Sacras imagines, & Sanctam Catholicam Eccleſiam, & ſedem Apoſtolicam, ut contra Chriſti fideles, præſertim Epiſcopos, Sacerdotes, & alias Eccleſiaſticas perſonas, atque etiam contra nuper ad ejuſdem Chriſti fidem converſos, ac neophytos, & aliàs contra Religionem Catholicam, vel in quibus etiam impudicæ ac obſcœnæ narrationes memorentur, etiam ſub prætextu, quod expurgata fuerint mutatis nominibus, vel etiam ſub obtentu, ſeu tolerantia, aut permiſſione, ut prætendunt, aut cujuſvis perſonæ S. Concilii Tridentini, aut Indicis librorum prohibitorum per rec. m. Pium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum editi vel cujuſvis indulti, aut licentiam per S. R. E. Cardinales etiam Legatos aut Camerarium, aut Cameram Apoſtolicam, vel Nuncios, etiam cum poteſtate Legati de latere, aut locorum Ordinarios, ſeu Inquiſitores hæreticæ pravitatis forſan quomodolibet conceſſæ, aut quovis alio quæſito colore legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, aut vulgare nullo modo audeant, vel præſumant. Quinimo ſi quos ad præſens habent, eos ſtatim intra decem dies Romæ in Officio S. Romanæ Univerſalis Inquiſitionis; extra Urbem vero intra duos menſes à publicatione præſentium numerandos, Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, à quibus poſtmodum abſque alio mandato noſtro, nulla interpoſita mora, comburantur, exhibere, tradere, & conſignare omnino teneantur, ac debeant. Præcipit etiam tam ipſis Judæis, quàm quibuſcunque typographis, bibliopolis, ſeu mercatoribus, aliis quibuſcunque Chriſti fidelibus, etiam cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſtentibus ſub pœnis amiſſionis librorum, & publicationis omnium bonorum, fiſco ejus Principis, in cujus ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac aliis etiam gravioribus, & corporis afflictivis arbitrio diœceſani, ac etiam Inquiſitoris, ſi inibi fuerit, ſtatuendis ac moderandis. Nec non quoad Chriſtianos etiam excommunicationis majoris latæ ſententiæ hujuſmodi libros, & alia ſcripta ſuperius prohibita retinere, habere, legere, edere, typis excudere, ſeu imprimere, deſcribere, vel exemplare advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet diſtrahere, vel alienare, & quod nemo quoquo modo audeat opem, auxilium, conſilium, vel favorem præſtare, aut impendere etiam ſub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apoſtatarum à fide, & hæreticorum pro habendis, ſcribendis, ſeu imprimendis hujuſmodi libris, vel undecunque afferendis, ſeu tranſvehendis, aut pro eorundem legendorum licentia de cætero impetranda &c. invocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis &c.

Et quidem adeo pernicialis, & contagioſa eſt lectio horum librorum, ut, data occaſione, S. Officium procedat magna cum ſeveritate, neque admittitur excuſatio, quam plerumque Judæi adducunt, quod ſint expurgati aut quod expurgari poſſint. Nam ita peraſtute, malitioſe, ſubdolè, ac verſute inſerti ſunt errores, & calumniæ contra Religionem Catholicam, ut nequeant ſeparari, unde nequeunt expurgari, niſi igne.

De *falſis Teſtibus*.

Procedit etiam S. Officium contra teſtes falſos perſeverites. Et merito quidem. Nam ſicut inter omnia delicta nullum eſt, quod irroget majorem infamiam perſonis, atque familiis, quàm illud quod pertinet ad S. Officium, in quo non agitantur cauſæ, niſi hæreſis, aut ſuſpicionis de hæreſi, ita etiam qui falſo imponit perſonis ac familiis Catholicis hæreſis notam, debet ſevere puniri, tam ex propria culpa, quam aliorum exemplo, ideoque ſi fateantur falſitatem, aut ſi fuerint convicti plerunque damnantur ad triremes, ad longius verò tempus ii, qui fuerunt autores, & architecti falſitatis. Contingit autem nonnunquam, quod quando falſitas eſt de materia religionis, quodque ſtudioſe conveniunt falſidici in imponendo alicui, quod protulerit hæreſes, aut propoſitiones erroneas, & inter ſe illas ordirentur, & conferrent, redduntur & ipſi ſuſpecti, & interdum compelluntur abjurare de levi.

De *Confrontatione*.

In S. Officio perrarò fit confrontatio. Quia plerunque ſolet potius inferre præjudicium cauſis quam utilitatem. Quando verò facienda eſſet duo concurrere debent. Primum, quod probabilis ſpes ſit, illam profuturam ad veritatem eruendam. Secundum, ut abſit periculum, ne inter confrontatos ex hoc oritura ſit inimicitia, quæ iis detrimentum poterit irrogare. Ideoque plerunque fit inter perſonas viles, in quibus probabiliter id timeri non poteſt. Nec unquam fit inter famulum, & dominum, inter vilem & nobilem, inter inferiorem ac ſuperiorem. Quia juſte timeri poteſt, quod minor ob reverentiam, aut timorem Majoris ſit dicturus, quod alter dicit. Hæc confrontatio fit aliquando etiam in tortura ſecundum cauſarum gravitatem.

De *Tortura*.

Aut reus confitetur omnino delictum cum ſuis circumſtantiis, aut ex parte, aut omnino pernegat.

Si omnino confitetur, ſcilicet, factum, & uſum, ac complices, datur nihilominus etiam tortura ſuper intentione. Quia cum delicta, quæ pertinent ad S. Officium, inducant per ſe ſuſpicionem malæ credulitatis, oportet cum ſevero examine illam elicere, moderate tamen quando perſonæ non ſunt aliàs ſuſpectæ.

Si reus fateatur ex parte factum, aut uſum, aut complices, ſolet inferri tortura pro ulteriori veritate ſuper uſu & complicibus ſine præjudicio confeſſatorum, & probatorum, quando de illa parte, quam ipſe negat, remanet convictus, aut vehementer inditiatus. Eadem tortura inſervit etiam ſuper intentione.

Si negat omnia, indicia ſunt ſufficientia, torquetur pro habenda veritate, poſſentque aliquando eſſe indicia tam vehementia, quod repetatur tortura, ſed eſt dividitur tempori ſpatium, quod debebat eſſe continuum, in duas vices, nempe uno die poſt alium immediate.

Tortura ſolita eſt ſunis, quæ in S. Officio non ſolet inferri cum conquaſſationibus. Et quoniam reperiuntur plures qui ſunt inhabiles ad torturam, aut ob fracturam brachiorum, aut vulnera, aut ob aliam cauſam, ideo ſolet S. Officium Urbis imponere pedibus repagulum, vulgo ſtanghecta, & alibi ſolet etiam pedibus imponere ignem.

Si verò reus eſt indiciatus, exempli gratia, ultra confeſſionem, quod hæreſis protulerit, ſcripſerit &c. fateatur etiam intentionem, nimirum eas credidiſſe, clarum eſt, quod non infertur tortura ſuper intentione, ſed ſuper aliis, nempe complicibus, ac etiam pro ulteriori veritate, dummodo tamen confeſſio ſimilis delicti producat ex ſe, & natura ſua indicium, quod delinquens illud commiſerit etiam aliis vicibus, præter confeſſas.

Animadverſiones generales.

Quemadmodum S. Officium in cognitione, ac expeditione cauſarum magnifacit inimicitiam denunciantis ac teſtium contra denunciatum, ita Judex, aliuſve Officialis, qui accipit denunciantibus an pendentibus teſtium, debet maxime id animadvertere, eoſque diligenter interrogare an habeant vel unquam habuerint aliquod intereſſe, vel cauſam odii, aut malevolentiæ, ac æmulationis cum denunciato, probaturque ex praxi, quod aliquas denunciationes alioquin graves & conſideratione dignas parvi facit, præcipue ob hanc cauſam inimicitiæ, dummodo tamen non baheant alia adminicula quibus corroborentur.

Solet etiam detegi inimicitia, vel aliud intereſſe denunciantis, quando denunciat aliquod peculiare delictum jam patratum aliquo notabili temporis ſpatio ante, eum interrogando, quod cum agatur de delicto tam antiquo, nullatenus eſt omittendum, hoc eſt, cur diſtulerit tanto tempore illius denunciationem, illudque S. Officio non ſignificaverit.

Quando reus negat totum, vel partem delicti ſibi oppoſiti, poſtquam fuerit ſatis cognitus ſuper indiciis ſemper ei datur repetitio teſtium antequam deveniatur contra ipſum ad alium actum judicialem, & illam eo acceptante, repetuntur ſuper interrogatoriis fiſci, & articulis partis, ac plerunque habentur à reis pro repetitis. Sed contingit nonnunquam, quod negantibus ipſis delictum, & reſultante ex proceſſu informativo aliquo fumo falſitatis, & conſpirationis in teſtibus, repetuntur teſtes ex Officio magna cum diligentia, ſed quando integre fatentur delictum, non exhibetur alia repetitio teſtium. Semper tamen ſive fiat, ſive non fiat, ſive detur, ſive non detur dicta repetitio, aſſignatur eis competens terminus ad faciendas defenſiones; etiamſi illis renuncient, in quo termino ſi ipſi aliquid produxerint, devenitur ad cauſæ expeditionem.

In proceſſibus, qui mittuntur è partibus ſolent obſervari interrogatoria ſuggeſtiva ſive reis, ſive actibus data, ob quæ merito admonentur Inquiſitores, vel Officiales, qui illos conſtruunt S. Officium quod tantum exquirit veritatem, vult illam eruere ab ore teſtium per viam naturalem, & cum diligentia interrogatoriorum primùm generalium, deinde ſpecialium, deferens ſecum ſuggeſtio umbram de mente Judicis, quod extraxerit à reo confeſſionem, & depoſitionem à teſtibus non cum pura veritate, ſed à reo per timorem, quod non dicendo veritatem, ut interrogatur, tractabitur cum majori ſeveritate, & à teſtibus aut per eundem timorem, aut ob deſiderium ſe quantocius liberandi.

In cauſis doctrinalibus, quando, exempli gratia, aſſeritur, quod faciendo quid tale non eſt peccatum, aut quod vere eſt, & reus, qui hoc aſſeruit eſt indoctus, ac rudis, ſolet interrogari, an ſciat, quod Eccleſia aliter teneat. Si reſpondet id neſcire, & hæc reſponſio reſpectu qualitatis perſonæ rudis videtur prudenti Judici veriſimilis, ſolet excuſari ab abjuratione de formali, quando tamen non ſunt aliqua, quæ jure naturali cognoſcuntur num ſint, anne peccatum, quia ignorantia juris naturalis neminem excuſat.

Contingit etiam aliquando, quod reus neget ſe eſſe illam perſonam, de qua tractatur, unde ut verificetur ex Officio identitas, neceſſe eſt de jure illam comprobare per recognitionem viſus. Hæc autem recognitio fit ponendo perſonam recognoſcendam inter duas alias ſtaturâ, habitu, & quodammodo aſpectu ſimiles, & interrogans Judex perſonam, evocatam ad recognoſcendum, an inter très illas ſit ille talis, de quo agitur. Si affirmat, dicitur, ut illam ſua manu tangat. Has diligentias ſervat S. Officium, ut obtineat veritatem perſonæ recognoſcendæ puriorem, clariorem, ac multo longiorem à ſuggeſtione quoad fieri poteſt.

Aliquæ perſonæ periculoſæ, quæ relabuntur in delictum, de quo puniuntur, aut offendunt teſtes, vel officiales, compelluntur præſtare cautionem, quam poſſunt ſecuriorem de ſe repræſentando, & non offendendo etiam in expeditione cauſæ, eiſque intimatur Bulla *ſi de protegendis* B. Pii V. cum illius declaratione.

Intimatio iſtius Bullæ honeſte fit omnibus quando expediuntur, cùm oporteat proſpicere indemnitati teſtium, ſive denunciantium, alioquin nemo denunciaret.

In aliquibus cauſis quando non bene probatur delictum, aut reus illud non confitetur, ſed nihilominus remanet indiciatus, quamvis deveniri poſſet ad torturam, & ad expeditionem cauſæ, attamen tecta quandoque judicatur, ac etiam magis expediens, ac utile ad validius frænandum reum, illum relaxare, firmo remanente preſſu cum cautione, ſi poteſt, & ſi non poteſt cum cautione juratoria, intimata Bulla ſuperius memorata.

Ordinarii, & Inquiſitores advertant non accipere denunciationes, nec conſtruere proceſſus ſuper rebus pertinentibus ad S. Officium, quæ ad ipſum revera non pertinent, ut de non facta confeſſione ante celebrationem Miſſæ, ſi eſt Sacerdos, vel de ſuſcepta communione, ſi eſt laicus. Quod quis celebraverit in concubinatu, vel in alio peccato mortali, quod revelaverit peccata audita in confeſſione ſacramentali, quod poſt conceſſionem celebraverit, vel communicaverit, quod habuerit copulam cum filiis ſpiritualibus confeſſionis; excepta tamen ſolicitatione

in confeſſione, cum matre, ſororibus, aliiſque conſanguineis, in quibus delictis S. Officium non ſe ingerit. Negandum tamen non eſt, quod, quando crimen revelationis confeſſionis eſt conjunctum cum alio, concernente etiam ipſam confeſſionem ſacramentalem, & pertinente ad S. Officium, cognoſcitur, ac punitur etiam in S. Officio, quatenus aggravant majorem qualitatem delinquentis contra quem S. Officium procedit ex alia cauſa, ad ipſum directe ſpectante.

Nec pariter S. Officium procedit in cauſis Sodomiæ, neque beſtialitatis. Sed quoniam in Hiſpania S. Inquiſitio in his procedit, accidit ſæpius, quod multi illius nationis accedunt ad Urbem ad ſe ſponte accuſandum in S. Officio, quod recipit judicialiter eorum ſpontaneam depoſitionem, & fit certior Summus Pontifex, qui remittit poſtea expeditionem Cardinali Vicario.

Aliqui Ordinarii, ac Inquiſitores, parum periti, ſæpius conqueruntur, quod quiſque eorum cenſeat poſſe agere id, quod ſine alio agere nequit, & tamen illud agere poſſunt. Contra verò prætendunt poſſe agere ex ſe ſolis id, quod revera nequeunt agere, niſi ſimul ea, quæ agere poſſunt. Inquiſitores ſine ordinariis, & ordinarii ſine Inquiſitoribus quinque ſunt, citare, capere, carceribus mancipare, conſtruere proceſſum informativum, & emittere decretum abſolutorium. Ea vero, quæ alter ſine altero nequit agere, tria ſunt, tormenta inferre, irrogare pœnam, ac ſententiam proferre.

De *Monialibus*.

In Monialium monaſteriis oriri ſolent aliqua ſpectantia ad S. Officium. Primum eſt, quod ipſarum nonnullæ, ſive quia male habeantur à ſuis ſuperioribus, ſive quia invitæ Religionem ſunt ingreſſæ, ſpem abjiciunt, negantque Dei providentiam, miſericordiam, juſtitiam, Paradiſum, infernum, realemque aſſiſtentiam corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtico, ac proferunt alias hæreſes, dicuntque ſe illas credidiſſe. Caſus iſte plerunque ad S. Officii cognitionem pervenit aut per Ordinarium, aut per earum Confeſſarios, qui poſtulant à Summo Pontifice facultatem eas abſolvendi, quæ benigne ſolet concedi, quando res eſt ſecreta, nec habet complices, & mandatur Ordinario, vel Confeſſario, quod in confeſſione curent, ſupradictas moniales abjurare, ac deteſtari hactenus errores, ac hæreſes creditas, illaſque doceant veritatem, & poſtea obſervantur. Sed quando habent complices, præcipue verò perſonas, quæ illas hæreſes docuerint, aut tradiderint eis libros, ex quibus eas exceperint, coguntur ad deponendum judicialiter, ut procedatur.

Secundum eſt, quod ipſarum aliquæ interdum exiſtimant ſe eſſe abalienatas, & à dæmone obſeſſas, & quemadmodum inter ipſas facile oriuntur contentiones, ac rivalitate mulieb(r)es, ita etiam facilè credunt fuiſſe ab aliqua erga ſe male affecta, veneficio læſas, illamque accuſant ſuperioribus, unde omnes aliæ perturbantur, ac evitant commercium mulieris de hoc imputatæ, & quicquid infirmitaris patiuntur, tribuunt ad maleficium, ab ea factum, unde dicunt illam eſſe veneficam, & effaſcinatricam, illamque vidiſſe noctu ambulare, ac facere hoc, vel illud aliud, & interpretantes omnes actus, omniaque verba illius in eum ſenſum, qui jam occupaverat earum imaginarionem, ipſæ poſtea de hoc loquuntur cum ſecularibus, perfunditur rumor per civitatem, diſturbātur familiæ.

Hoc abſurdum fit aliquando ex remedio majus. Nam earum ſuperiores imprudenter ſe gerunt, dum ad eas exorcizandum mittunt Exorciſtas, ita quidem, ut ſi non ſunt à dæmone occupatæ, neque veneficio affectæ, tales aliæ evadunt, juvenes præſertim majorem in modum terrentur, & quoties intuentur aliquam remoram, timorem capiunt, exiſtimantes eſſe dæmonem, qui plerunque per hunc timorem corpora obſidet, ita permittente Deo, ut legitur apud Doctores, & conſtat experimento.

Neque contenti ſuperiores exorciſmo, inſtruunt proceſſus, examinant teſtes, & conſtituunt prætenſas reas cum interrogatoriis ſuggeſtivis, & ineptis, atque alienis, & cum comminatione etiam torturæ, eruuntque omnes, quas volunt, confeſſiones, & conturbant majorem in modum monaſterium, ac civitatem, & tamen ſolitum, ac verum remedium in ſimilibus rebus eſt, curare ut auferatur earum imaginario, illas exhortari, ne credant ità facile, confeſſarium prudentem eis mittere ut eis conſolationem adhibeat. Quod ſi etiam eſſet aliqua probabilitas, mandet eis frequentationem Sacramentorum, præſertim S. Communionis, exerceat illas orationibus ad id idoneis, non permittat ſolas ſomnum capere, aſſocientur cum aliis monialibus prudentibus, quæ illis perfugium & ſolatium præbeant, & confirment, & præ cæteris imperet ne de hac re colloquantur in monaſterio, eiſque imponat perpetuum ſilentium.

Interdum etiam inter Moniales parantur ſortilegia vel ad amorem, vel ad inveniendum res furto ablatas, vel ad cognoſcendum futura, & quando perveniunt ad notitiam S. Officii, aut Ordinarii, ſolet procedere judicialiter, aut ſpontanea depoſitio committentis, aut depoſitio indicantis delinquentem, quæ examinatur. Sed quoniam tractatio cum monialibus eſt res magni momenti, quæque requirit magnam maturitatem, ac prudentiam, ne irrogetur infamia monaſterio, & earum privatis perſonis apud ſeculares, ideo ſolent expediri cum ſummo rei ſecreto cum abjuratione, ſi res eam exigat, & cum pœnis aptis, ac pœnitentiis ſalutaribus. Quod ſi primum deliquerint, ſolet procedi benignè, comminando ſolum pœnas in caſu reincidentiæ. Et quando delinquentes ſunt plures in eodem facto, ne diſturbetur monaſterium, ſolent puniri, ut dictum eſt auctrices, & principaliores, aliarum deinde incommodis medeatur confeſſarius, eas monendo, reprehendendo, inſtruendo, & pœnitentiis ſolum afficiendo.

Alius etiam error ſolet contingere in dictis monaſteriis, cui præcipuum remedium eſt proviſio confeſſariorum, qui non modò ſint pii, ſed etiam docti, prudentes, & conſtantes. Aliquæ enim ſive ob mentis levitatem, ſive ob fictionem ab importuna inanis gloriæ tentatione profectam, ut ſanctæ ac Deo charæ exiſtimentur, & quandoque per illuſionem inquiunt, revelationes à Deo accepiſſe ſuper ſtatu Eccleſiæ, familiarum, perſonarum hujus, vel alterius vitæ, revolutionibus Regnorum, nec non cœleſtes viſiones habere Deum ac Sanctos ſecum alloqui, & ſi eis conferatur aliquod dubium de actionibus humanis, num ſint, an ne peccata, inquiunt de hoc prece Deo fudiſſe, & de eo judicant.

Iſtæ, ſi reperiant confeſſarium probum quidem virum, ſed ſimplicem, & indoctum facile is eis credet, ſcribit viſiones aut revelationes illas, de eis loquitur, eas prædicat aliis, oriuntur multa abſurda. Si verò eſt doctus, ſed ſimplex, & deditus certæ vitæ ſpirituali, non rectæ à ſoliditate judicii, uti ſimplex, ac levis illas credit, & uti doctus vult eas propugnare cum doctrinis, ac fere ſemper, aut plerumque profert propoſitiones, qualificatione dignas in S. Officio.

Præter cauſas levitatis mentis, inanis gloriæ, fictæ atque

atque exiſtimatæ Sanctitatis, ac illuſionis dæmonis experientia comprobatum eſt, quod nonnunquam particeps horum fuerit concupiſcentia, & libido, quæ obtentu revelationum, quod fieri poſſit hic aut ille actus libidinoſus, quodque non ſit peccatum, imo meritorius, exerceri ſolet majori cum licentia, & minori cum verecundia. Quod ſi Confeſſarius, quamvis doctus ita, ut ſaltem cognoſcat veritatem, in hac re eſt pravus, & vafer, utitur & ille occaſione, & procurat obtentu revelationum, ac doctrinæ extortæ tueri, illos actus eſſe licitos, & non eſſe peccata. Suntque aliqui reperti in S. Officio, qui licet natura ipſa doceat indecorum, & malitiam talium actuum, ſitque fere creditu impoſſibile, quod ipſi ita credant, ac teneant, nihilominus ne fateantur ſuam calliditatem, oſtendunt ſe ſimplices, & indoctos, ac inquiunt, ita credidiſſe, ideoque uti hæretici coguntur abjurare, & condemnantur.

Sed dato etiam, quod revera & per ſimplicitatem, ac imperitiam ita credidiſſe, quod in Confeſſario, etiam ſimplici, ac indocto, eſt ferme impoſſibile, id tamen ei non ſuffragaretur, quia non admittit inſcitiam juris naturalis.

Id, quod dictum eſt de monialibus, ſolet etiam contingere mulieribus bizocheris, beghuinis, tertiariis, aliiſque hujuſmodi, quæ Sanctitatem ſimulant, & ipſarum Confeſſariis, à quibus aliquando promanat immediate, ſive occaſione revelationis, ac devotione eorum pœnitentium hoc malum. Nam ipſi, ut exercere poſſint ſuam luxuriam cum ſuis filiabus ſpiritualibus abſque aliquo impedimento, credunt, quod actus, & tactus venerei non ſunt peccata, ſed actus meritorii, & accenſæ libidinis compreſſio.

De formandis Proceſſibus in cauſis ſtrigum, ſortilegiorum, & maleficiorum.

Experientia rerum magiſtra aperte docet graviſſimos quotidie committi errores à diverſis Ordinariis, ſeu illorum Vicariis, & in quibus informandis proceſſibus contra ſtriges ſeu lamias, ſeu maleficas & faſcinatrices in magnum præjudicium tam juſtitiæ, quam hujuſmodi mulierum inquiſitarum itaut in ſacroſanctæ Romanæ & univerſalis Inquiſitionis adverſus hæreticam pravitatem Tribunali, longo tempore obſervatum fuit vix unquam repertum fuiſſe aliquem proceſſum recte, ac ritè formatum, imo plerunque neceſſarium fuiſſe quamplures Judices reprehendere, ac multoties etiam punire ob indebitas vexationes, inquiſitiones, & carcerationes, nec non diverſos malos, & impertinentes modos habitos in formandis proceſſibus, reis interrogandis, exceſſivis torturis inferendis, ita ut aliquando contigerit injuſtas, & iniquas proferre ſententias etiam ultimi ſupplicii, ſive traditionis brachio ſeculari, & reipſa compertum eſt, multos Judices nimis faciles, & proclives fuiſſe ob leve, aut minimum inditium credere aliquam mulierem eſſe ſtrigem, & ideo nihil omnino prætermiſiſſe, ut ab humani mulieris, etiam modis illicitis talem confeſſionem extorquerent cum tot, tantiſque inveriſimilitudinibus, varietatibus, & contrarietatibus, ut ſuper tali confeſſione ulla, aut modica vis fieri poſſit. Quapropter ut tam Ordinarii, eorunque Vicarii, quàm Inquiſitores de cætero magis cauti eſſe poſſint in conficiendis hujuſmodi proceſſibus hæc diligenter & accurate præ oculis habeant, & conſiderent.

Error principalis, & peculiaris omnium fere Judicum in hac materia eſt devenire, nedum ad inquiſitionem, & carcerationem, ſed ſæpe etiam ad torturam contra aliquam mulierem de ſortilegio imputatam, quamvis non conſtet de corpore delicti, & tamen in jure dubitatum eſt ad tales actus devenire minime poſſe, niſi prius de hujuſmodi corpore conſtet, cum agatur de delicto, cujus veſtigia remanent.

Corpus autem delicti non dicitur probatum, prout multi Judices videntur præſupponere. Ex eo quod prætentus maleficiatus ſit, vel fuerit infirmus, ſive deceſſerit. Clarum eſt enim quod infirmitas & mors regulariter ex maleficio non provenit, ideo oportet exquiſitas diligentias judiciales adhibere, examinando medicos, qui infirmum curarunt & illos diligenter interrogare de qualitate infirmitatis, & an exacte medici dignoſcere poſſint, infirmitatem non eſſe, vel eſſe poſſe naturalem, illos etiam interrogando circa totam ſeriem, & accidentia infirmitatis à principio omnia fuſius in proceſſu redigendo ad hoc, ut ſi forte aliquis medicus per imperitiam, prout multoties occurrit, neſciviſſet qualitatem morbi judicare, & propterea judicaſſet, non eſſe naturalem ſed ex maleficio provenire, alius medicus magis peritus habita notitia omnium accidentium ejuſdem infirmitatis, licet infirmum non viderit, poſſit dignoſcere, an talis infirmitas ex morbo naturali, necne provenire potuerit.

Et ulterius maxime congruum eſſet ad eundem effectum judicialiter examinare familiares infirmi pro habenda notitia principii infirmitatis, & ejus progreſſus. Ex hoc enim apparebit, an conveniant depoſitiones medicorum & familiarium circa accidentia infirmitatis, & ſic tutius poterit fieri judicium à Judice, an conſtet de corpore delicti ſive maleficii. Quod ſi ex hujuſmodi diligentiis judicium apparebit infirmitatem, vel fuiſſe naturalem, proculdubio procedere non debet contra accuſatum de tali maleficio. Si verò medici periti clare judicaverint eſſe, vel eſſe poſſe probabiliter maleficium, tunc Judex facilius cogitare poterit inquiſitione formanda contra accuſatum de tali maleficio.

Inſuper antequam Judex deveniat ad carcerationem prætenſæ maleficæ debet diligenter ſcrutari cuncta indicia, quæ ſunt contra illum, neque ex ſola notificatione prætenſi maleficiati, & ejus attinentium eſſe facilis ad carcerationem, niſi ſimul allegetur aliqua probabilis cauſa, ob quam animus Judicis rationabiliter moveri poſſit ad credendum, quod mulier accuſata tale maleficium committere voluerit, & ejuſdem cauſæ aliquam probationem vel ſaltem non leve indicium habeat, antequam ad carcerationem deveniat.

Advertat præcipue Judex in ipſo actu carcerationis facere diligentem perquiſitionem per ſeipſum, aut Vicarium idoneum, eamque faciat adhibito notario, nec hujuſmodi perquiſitioni interveniant perſonæ attinentes, aut familiares prætenſi maleficiati, ne contingat, prout aliquando ſuſpicatum eſt, doloſe aliqua ſupponi, maleficium denotantia, in grave præjudicium reæ inquiſitæ, & indicta perquiſitione adnotentur diligenter per Notarium omnia reperta in domo, & capſis, & non ſolum, quæ poſſunt juvare intentionem fiſci, ſed etiam quæ poſſunt juvare ream inquiſitam, prout imagines Sanctorum, coronæ, divina Officia, libri devotionis, ſchedulæ communionis, aqua, & palmæ benedictæ, & alia ſimilia, ſigillatim illa deſcribendo, & in inventario perquiſitionis conficiendo apponantur.

Nec ſint faciles Judices ad firmiter credendum aliqua reperta, prout oleum in vaſculis, pulveres, & ſimilia, eſſe apta ad maleficia, ſed facient illa conſiderari à peritis, ut dignoſcantur, an deſervire poſſint ad alium finem, quàm maleficii.

Multoties

Multoties evenit, quod familiares prætenſi maleficiati credentes maleficium, perquirunt intus culcitras, ſive ſtrata, & anaclinteria, cervicalia, & pulvillos lecti ipſius infirmi, & cum inveniant involucra quæ videntur ad maleficium, illa deferunt ad Judicem, qui ſuper hoc maximum facit fundamentum ad effectum probandi maleficium, qua in re debet eſſe multum circumſpectus. Facile enim evenire poteſt, ut talia à familiaribus infirmi ſuppoſita fuerint, ut ſic facilius Judex inducatur ad credendum maleficium, & ad procedendum contra aliquam perſonam.

Propterea Judex bene advertere debet qualitatem rerum repertarum in hujuſmodi delictis. Cum enim culcitræ & alia prædicta conficiantur ex pluma, aut lana, & quotidie intermiſceantur, evenire poteſt, quod ſpatio alicujus temporis fiant quædam involucra, quæ videantur per ſe ferre ſuſpicionem maleficii, & tamen naturaliter contingere poſſunt; præterea id ex incuria culcitrarii aliqui intermiſceri potuerit, ex quibus hujuſmodi involucra ex ſe confecta fuerint.

Et ideo ſi perquirerentur ſingulorum lecti præcipue plumei, facile ſimilia reperientur involucra. Nec enim eſt mirum, quod in hujuſmodi lectis quandoque reperiantur acus, nam ubi ſunt mulieres, acus ubique abundant, & facile eſt quod per accidens ſpatio alicujus temporis multæ acus in anaclinteriis, aliiſque rebus inveniantur.

Neque forſan abs re eſt conſiderare dæmonem aliquando talia ſupponere potuiſſe abſque participatione & aſſenſu alicujus, ut inde credatur, maleficium commiſſum, & ſic aliqua perſona injuſtè detrimentum patiatur, quemadmodum videmus etiam in actu exorciſmi obſeſſorum, qui videntur evomere acus, clavos, & diverſa involucra, quæ tamen haud probabile eſt, obſeſſos in corpore habere, prout non habent, ſed dæmon in illo actu talia ſupponit ad os obſeſſi, ut credatur forte obſeſſum eſſe maleficiatum, ut aliquis inde injuſte moleſtetur. Ex quibus patet, quam circumſpectus eſſe debeat Judex circa hujuſmodi reperta, cùm facile vel potuerint ſupponi, vel eſſe naturalia, vel facta opera dæmonis ſine alicujus miniſterio.

Conſueverunt parum quidam prudentes multi exorciſtæ minus rectè, interrogare dæmonem in exorciſmis, quomodo ingreſſus fuerit corpus obſeſſi, & an ex maleficio, & quis hujuſmodi maleficium commiſerit. Unde dæmon pater mendacii, & inimicus humanæ quietis ſæpe reſpondit, ſe ingreſſum eſſe corpus obſeſſi ex maleficio facto à tali perſona in tali cibo, ſeu potu, & ut dæmon magis certum reddat exorciſtam, & alios de hac re, ſupponit evomenda ab obſeſſo quædam ſimilia ei rei, in qua dicit maleficium factum fuiſſe, & alia plura, ut ſupra dictum eſt. Hinc ſæpe obſervatum fuit, aliquos Judices formaſſe proceſſus contra prætenſos maleficos, nominatos à dæmone, ut ſupra, tanquam ſi ex dicto dæmonis probentur ſortilegia.

Unde ſuper hujuſmodi proceſſibus nulla vis facta fuit ab hac S. Congregatione, imò ſemper reprehenſi fuerunt exorciſtæ, dæmonem, ut ſupra interrogantes, & Judices qui ſuper dæmonis reſponſione proceſſum formaverunt. Et utinam non reperirentur exorciſtæ aliqui, qui parum fideliter Officium tam pium exercentes, multas impoſturas confingunt. Hinc eſt, ut quandoque plures fuerint privati munere exorcizandi.

Aliqui Judices opinantur, & perperam quidam, quod eo ipſo, quod aliquis reperitur obſeſſus id ex maleficio provenerit, & ex eo ſolo injuſte formant proceſſus contra perſonas aliquo modo obſeſſis infenſas, vel aliunde indiciatas. Quod eſt maximum abſurdum. Cui enim dubium eſt, quod ſine maleficio ex permiſſione Dei poteſt dæmon vexare corpus alicujus? Caveant itaque omnino Judices, ne ex ſola obſeſſæ dæmonis conficiant proceſſus ſuper maleficio. Imo etiam ſint cauti, ne decipiantur ab aliquibus, qui in præmiſſis impoſturam committunt, & diverſimode ſe obſeſſos eſſe diſſimulant. Sæpe enim impoſtores reperiuntur.

Non ſint faciles Judices ad faciendam magnam vim contra aliquam perſonam, uti ſtrigem & maleficam ex indicio famæ. Quamvis enim aliàs famæ indicium ſit magni momenti; attamen in iſta materia ob odium commune, quod habetur in ſtriges, contra omnes unanimiter clamant, facillime inſurgit hujuſmodi fama contra aliquam mulierem, præcipue quando eſt vetula, & deformis. Unde vel modicum fundamentum ſuper tali fama fiat, vel ſaltem diligenter Judex interroget teſtes à quanto tempore ortum habuerit, & à quibus, & à qua occaſione. Hinc enim forſan ex proceſſu ſæpe apparebit, famam indicium eſſe modici momenti.

Ulterius advertendum eſt, quod quemadmodum mulierum genus eſt maxime ſuperſtitioſum, & ſortilegiis, præcipue amatoriis, deditum, non tamen ſequitur, quod ſi aliqua mulier ſortilegia, vel incantationes, vel ad ſanandum maleficia, ad cogendum voluntatem hominum, vel ad alium quemcunque finem fecerit, ergo eſt ſtrix, ſive ſortilega formalis, poteſt enim eſſe ſortilegium ſine apoſtaſia formali, licet non careat ſuſpicione apoſtaſiæ vel levi, vel vehementi juxta qualitatem ſortilegiorum ad not. *in cap. accuſatus* §. *ſane de hæret. in 6.* Et ideo bonus Judex dum format proceſſum circa aliquam mulierem confeſſam, vel convictam de hujuſmodi ſortilegiis, non ſit facilis ad concipiendum in animo ſuo, quod ſit apoſtata formalis ad dæmonem, licet hoc eſſe poſſit, ſed cum devenerit ad torturam contra hanc mulierem, illam interroget in genere, an habuerit aliquod pactum cum dæmone juxta ea, quæ inferius dicentur circa modum torquendi. Et ad id maxime advertere debent Judices; nam in hoc multi decipiuntur, falſo putantes, quod hujuſmodi ſortilegia fieri non poſſint ſine apoſtaſia formali ad dæmonem, & hinc oriuntur maxima præjudicia mulieribus inquiſitis de hujuſmodi ſortilegiis. Judices enim minus periti, vel alias nimium faciles à lectura aliquorum librorum de ſortilegiis, & ſtrigibus tractantium hoc falſo præſuppoſito decepti, nullam viam relinquunt, etiam indebitam, pro extorquenda confeſſione mulierum, quæ ſæpiſſime ex diverſis malis, & illicitis modis tandem inducuntur ad fatendum ea, quæ forte nunquam excogitarunt. Ut igitur hæc mala evitentur obſervandæ ſunt ſequentes regulæ.

In primis, quoad fieri poteſt, non permittant juſti Judices mulierem carceratam ob maleficium, vel ſortilegium quempiam alloqui, & ſi plures mulieres reperiantur de hac re carceratæ non permittantur ſimul alloqui, ſed retineantur in carceribus ſeparatis, quia ſæpe multæ convenerunt, falſum fateri etiam contra ſeipſas, etiam in materia apoſtaſiæ putantes hac de cauſa è carceribus eximi.

Nullo modo permittant Judices, quod cuſtos carceris, aut alius quiſquis ille ſit, mulieribus carceratis ſuadeat, quod fateri debeant cùm examinatæ fuerint. Multoties enim repertum fuit, quod mulieres hujuſmodi ſuaſionibus impulſæ, aut etiam ſpe impunitatis promiſſæ, quæ tamen nunquam eis promitti debet, faſſæ fuerint id, quod nunquam ſomniarunt.

Judices

Judices nunquam alloquantur hujuſmodi mulieres carceratas de meritis cauſæ, niſi judicialiter illas examinando.

Nullas omnino ſuggeſtiones in illis interrogandis faciant, ſed ab initio interrogentur, an ſciant cauſam ſuæ carcerationis, deinde de injuriis, & de cauſis inimicitiarum. Poſſunt poſtea interrogari de curſu vitæ ſuæ, de frequentia ſacramentorum, quis fueſit illarum confeſſarius, ac de his aliis ex quibus deſegi poſſit bona, vel mala earum vitæ conditio, ac deinde in genere poſſunt interrogari, an ſciant aliquod ſortilegium & ad quem effectum etiam hujuſmodi ſortilegium exercuerint, & ſi negaverint, poſſunt fieri alia interrogatoria in genere paulatim eis objiciendo, quod deponitur in proceſſu, ipſas ſcire aut commiſiſſe tale, vel tale ſortilegium, & tamen ſi omnia negent, poſſunt eis in diverſis interrogatoriis paulatim objici, quæ in proceſſu contra illas habeantur, ſuppreſſis tamen nominibus, & cognominibus teſtium, ex quibus inquiſitæ ad notitiam devenire poſſunt, qui ſint teſtes. Et tandem completo proceſſu informativo, ſi adhuc perſtiterint in negativa, erunt repetendi teſtes proceſſus offenſivi.

Quæ repetitio, ut valide ac legitime fiat, formandi prius ſunt articuli pro parte fiſci ſuper capitibus, quæ pro fiſco prætenduntur, & copia dictorum articulorum danda ipſis inquiſitis, aſſignando eis advocatum, & procuratorem idoneos, etiam ex Officio, ſi inquiſitæ vel ob paupertatem, vel alia de cauſa illos non habeant, eiſque congruum tempus detur ad danda interrogatoria, quo elapſo, fiat repetitio.

Facta repetitione, detur eiſdem terminos ad faciendum ſuas defenſiones, detur etiam eiſdem copia proceſſus, & factis defenſionibus, ſive elapſo termino ad illas faciendas, Judice convocante Congregationem Conſultorum peritorum, in qua per extenſum proceſſus legantur, ſuppreſſis nominibus & cognominibus, & circumſtantiis, & ſi de modo expeditionis cauſæ non ſint concordes, aut cauſa ſit gravis, vel ratione relicti, vel ratione perſonæ, non deveniatur ad torturam, niſi conſulta S. Congregatione ſupremæ Inquiſitionis ad quam mitti debet copia proceſſus, tam offenſivi quam defenſivi, & cum videretur Judicibus cum voto S. Congregationis ſine difficultate ad torturam deveniri poſſe, quia indicia ſunt urgentia, advertatur, ne in ipſa tortura interrogentur inquiſitæ de delicto in ſpecie, quod prætenditur, ſed antequam deveniatur ad decretum torturæ, objiciantur eis iterum inditia, quæ in proceſſu habentur, & poſtea in actu torturæ interrogentur tantum, ut dicant veritatem de his, ſuper quibus fuerunt interrogatæ, & ſi fateri cœperint, non ſuggeratur aliquid, ſed tantum recipiantur, & deſcribantur verba præciſa earum confeſſionis, interrogando poſtea in genere ſuper ulteriori veritate.

Advertant, ne tortura detur cum quaſſationibus, aut cum aliquo pondere, ſeu baculo ad pedes, ſed ſit ſimplex elevatio in tortura funis, aut ſimplex tortura alterius generis tormentorum, quando tormento funis torqueri non poſſint.

Non ſint faciles Judices ad repetitionem torturæ, niſi cauſa ſit graviſſima, quo caſu erit conſulenda S. Congregatio, ut dictum eſt.

Nullo modo abradantur aliqui pili, aut capilli ipſarum mulierum, nec vim faciant Judices contra inquiſitas, ut in quodam indicio à doctoribus conſiderato, videlicet cum forſan hujuſmodi mulieres maxime in tortura non emittant lacrymas.

Tortura nunquam excedat tempus unius horæ, nec facile tortura per horam inferatur inſiſtente gravitate cauſæ, & urgentibus indiciis ſimul, & in fine examinis adnotetur tempus quo in tormentis permanſerint.

Maxime eſt advertendum, in eventu, in quem hujuſmodi mulieres apoſtaſiam ad dæmonem, & acceſſus ad ludos diabolicos fatentur, quo caſu còrpus delicti probari aliunde non poteſt quàm per propriam confeſſionem, jurandum eſt, ut hujuſmodi mulieres, ſine minima ſuggeſtione totam ſeriem facti à ſemetipſis recenſeant, & quo modo ab initio inductæ ad id fuerint, de tempore, & aliis circumſtantiis. Nam hoc modo videri poterit, an confeſſio hujuſmodi apoſtaſiæ & acceſſus ad ludos veriſimilis ſit necne, & caſu quo fateantur aliqua particularia, ſive circumſtantias, quæ verificari poſſint omnino Judices diligentias faciant pro his verificandis, quia ſic magis veriſimiles redderentur confeſſiones circa apoſtaſiam, & acceſſus ad ludos, aliàs ſi tales circumſtantiæ adductæ comperirentur falſæ dubitari poſſet de veritate hujuſmodi confeſſionis forſan ſequutæ vi torturæ, quæ eſt remedium fallax, vel ſuggeſtione alicujus, vel tædio carceris, vel quia ſic facilius crederent ſibi indulgendum eſſe, prout aliquando compertum eſt diverſis iſtis reſpectibus, mulieres falſo faſſas eſſe apoſtaſias, & acceſſus ad prætenſos ludos & ut facilius Judices poſſint ſe abſtinere ab hujuſmodi ſuggeſtionibus, cum mulieres incipiunt fateri talem apoſtaſiam, forſan melius eſſet, ut tunc ipſi Judices obliviſcerentur eorum quæ dicunt Doctores in iſta materia; quia ſæpe viſum eſt, quod Judices in ordine ad ea, quæ perlegerunt apud Doctores, multa præjudicia faciunt his mulieribus.

Et quamvis tales mulieres fateantur apoſtaſiam, aut acceſſus ad ludos, nominent complices in hujuſmodi ludis, nullo modo procedatur contra hujuſmodi complices ob hujuſmodi nominationes, niſi alia legitima habeantur indicia, quia cùm tales acceſſus plerunque per illuſionem contingere poſſint, juſtitia non poſtulat, ut contra complices cognitas & viſas per illuſionem procedatur.

Omnino Judices ſcribere faciant in proceſſu interrogatoria omnia per extenſum ab ipſis Judicibus facta, ut ex lectura proceſſus appareat qualia illa fuerint, & an adſint ſuggeſtiones, cum maximo enim abuſu & præjudicio conſueverunt aliqui Judices ſcribere facere ad opportunam interrogationem reſpondit.

Multi Judices deveniunt ad formandum proceſſus ſimiles abſque eo, quod appareat ex proceſſu quale fuit indicium, & unde provenerit proceſſus, ſic incipiendo: Cum ad aures devenerit, vel alias præcedente fama publica &c.

Caveant igitur Judices ab iſto errore, & ſemper examinent in principio proceſſus perſonam, vel perſonas, quæ ad aures primo dixerunt, vel quomodo talis fama ad notitiam pervenerit, & ea ita per ordinem in proceſſu redigant, ut nihil omnino omittatur.

Plerunque contingere poteſt, quod infantes decedant ex ſuffocatione in lectis pauperum matrum, aut nutricum, unde prohibetur matribus, aut nutricibus, ne in ſuis lectis, ſed in cunabulis ſeparatim infantes retineant, quia ſequuta aliquando ſimili ſuffocatione ne illa detegatur, matres, ſive nutrices propalant infantes occiſos à ſtrigibus.

In hujuſmodi cauſis, & proceſſibus formandis omnino ſerventur taxæ, alias tranſmiſſæ ex mandato S. Congregationis & quando mulieres ſunt pauperes, caveant Judices ab eorum bonorum expilatione.

Sententiarum formulæ in cauſa hæreſis videantur apud Farinac. *de hæreſ. quæſtione* 185. n. 17. *& ſeqq.*

F I N I S.

INDEX ALPHABETICVS
PRÆCIPUORUM VERBORUM
in hiſce duobus Tomis contentorum.

A

Abjuratio.
Abſens.
Abſolutio.
Abuſus.
Accuſator.
Actus.
Acromantia.
Agnus Dei.
Alchimia.
Amniomantia.
Amuleta.
Angeli.
Anima.
Apoſtaſia.
Apoſtata.
Apparitio.
Appellatio.
Ariolatio.
Arithmantia.
Arma.
Ars notoria.
Aruſpicina.
Aſciomantia.
Aſtrologia.
Aſtronomia.
Atheiſmus.
Atheiſta.
Augurium.
Auſpicium.
Authoritas Eccleſiæ.
Auxilia.

B

Baptiſma.
Beneficium.
Blaſphemia.
Blaſphemus.
Bullæ.

C

Campana.
Cantus, & ſonus.
Captura.
Carceratio.
Carcer.
Carceratus.
Cardinales.
Cattholici.
Cathecumeni.
Catoptromantia.
Cauſæ non expectantes.
Celebrantes.
Cenſura.
Cephalegia.
Cephaleomantia.
Ceremonia.
Chabala.
Chiromantia.
Chriſtallomantia.
Circulator.
Citatio.
Clauſulæ.
Cledomantia.
Commeſtio carnium.
Comparens.
Communicatio.
Communio.
Conceptio B. M. V.
Concilium.
Confeſſarius.
Confeſſio.
Confiſcatio.
Confitens ſponte.
Conjectatio.
Conſenſus.
Conſultor.
Contumacia.
Corpus delicti.
Coſcinomantia.
Cultus.
Cuſtos Carcerum.

D

Dactilomantia.
Defenſiones.
Defunctus.
Degradatio
Dæmon.
Denunciatio.
Depoſitarius.
Deus.
Diſpenſatio.
Diſputatio.
Divinatio.
Doctores.
Dogmatiſta.
Duellum.

E

Ecclefia.
Eccleſiaſtica.
Energumeni.
Enſalmus.
Epiſcopi.
Etnici.
Euchariſtiæ Sactamentum.
Examen.
Excommunicatio.
Exorciſmi.
Exorciſta.
Extaſis.

F

Falſitas.
Familiaris.
Faſcinatio.
Fatum.
Favor.
Fautoria.
Fautor.
Fides.
Filius.
Fiſcalis.

G

Gaſtromantia.
Gemmæ.
Gentiles.
Geomantia.
Græci.

H

Hebræus.
Hereſiarca.
Hæreſis.
Hæreticus.
Hiſtoria.
Homicidium.
Hydromantia.
Hyerarchia.

I

Idolatra.
Jejunium.
Ieſuitæ.
Ignorantia.
Illegitimus.
Imagines.
Immiſcens ſe in Cauſis S. O.
Impedimentum.
Imperatot.
Indicium.
Indulgentia.
Infamia.
Infamis.
Infidelis.
Inimicitia.
Inquiſitor.
Interrogatoria.
Irregularitas.
Irreverentia.
Iudæi.
Iudex.
Iuramentum.

K

Kalendarium.

L

Lamiæ.
Lares.
Larvæ.
Leges.
Libri.
Libri prohibiti.

M

Magia.
Magiſtri.
Malefici.
Malancholia.
Manes.
Martirium.
Matrimonium.
Medicamentum, Medicus.
Meroſcopia.
Miniſtri S. O.
Minor.
Miraculum.
Miſſa.
Monialis, Monaſterium.
Monomachia.
Moriſchi.

N

Negromantia.
Negans Trinitatem.
Nobilis.
Notarius.

O

Obedientia.
Obſervationes.
Obſeſſi.
S. O. abutens.
Omen.
Omphalomantia.
Onicomantia.
Onomantia.
Oracula
Orientales.

P

Pactum.
Pagani.
Papa.
Parthenomantia.
Periapta.
Philapteria.
Philtrum.
Phiſionomia.
Pœna.
Pœnitentiæ Sacramentum.
Pœnitentia ſalutaris.
Poligamia.
Portentum.
Præcedentia.
Prædeſtinatio.
Prædictio.
Prænotio.
Præſtigium.
Proceſſus.
Prodigium.
Prognoſtica
Prophetia.
Propoſitiones.
Purgatio.
Pyromantia.

Q

Qualificatores.
Quæſtuarij.

R

Radomantia.
Ratio.
Regulares.
Relapſus.
Religio.
Reliquiæ.
Reſipiſcentia.
Revelatio.
Reus.
Rex.
Ritus.
Roma.

S

Sacerdos.
Sacramentum.
Sagæ.
Salvus Conductus.
Sanctitas.
Sancti.
Sapientes hæreſim.
Saraceni.
Sciſmaticus.
Scriptura Sacra.
Sectarius.
Senectus.
Sententia.
Sigillum.
Simonia.
Sodomia.
Sollicitatio.
Somnia.
Sonus.
Sortes.
Sortilegus.
Spectra.
Spiritus.
Stellæ.
Strithemantia.
Striges.
Superſtitio.
Suſcitatio.
Suſpicio.
Sybillæ.
Symbolum Apoſtolicum.
Sympathia.

T

Teſtis.
Theſaurus.
Tortura.
Traditiones.
Tribunal S. O.
Turcæ.

V

Vates.
Veneficij.
Veritas.
Vicarius Epiſcopi.
Vicarius S. Inquiſitoris.
Virginitas.
Unctio extrema.
Unitas.
Uſuræ.

Z

Zingari.

INDEX

INDEX GENERALIS
RERUM ET MATERIARUM
Quæ in II. Tomis,
NOVISSIMARUM
CONSVLTATIONVM CANONICARVM
IACOBI PIGNATELLI
explanantur.

ABJURATIO.

QUid ſit, *tom.* 2. *conſ.* 164. *Fol.*200. §. *Abjuratio.*
Quotuplex, *ibidem* §. *Eſt quadrup.*
Quæ ſit abjuratio de levi, *ibid.* §. *Abjuratio de levi.*
Quę de vehementi, *ibid.* §. *Abjuratio de hæreſi.*
Quę de violenti, *ibid.* §. *Abjuratio de violenti*, *& ſeq.*
Quæ de formali, *ibid. fol.* 201. §. *Abjuratio de formali.*
Abjurantes de vehementi, & de formali tenent candelam accenſam, *ibid. fol.* 200. §. *Abjurantes.*
Qui abjurarunt de formali deferunt habitellum, & amittunt dignitates & honores, *ibid. fol.* 201. §. *Abjurantes autem.*
Quæ requirantur ad abjurationem, *ibid.* §. *Ut autem & ſeq.*
Quid teneantur facere abjurantes, *ibid.* §. *Deinde*, *& ſeq.*
An ſit neceſſaria ſcriptura ad abjurationem, *ibid.* §. *Ad hæc.*
Quo loco & habitu fieri debeat abjuratio, *ibid. fol.* 202. §. *Poſt hæc*, *& ſeq.*
An abjurent publice ſponte comparentes & ſollicitantes. *ibid.* §. *Fieri poteſt & ſeq.*
Qui abjurare teneneantur, *ibid.* §. *Nullus & ſeq.*
An abjuratio ſit pœna, *ibid. fol.* 203. §. *Abjurationem.*
Caſus in quibus Incidentes abjurant de vehementi enumerantur, *ibid.* §. *Caſus porrò.*
Ubi referuntur, *ibid. fol.* 205. §. *Præter hos & ſeq.*
Quando ſortilegi debeant abjurare, *ibid. fol.* 205. §. *Ut autem.*
Quid ſi ſortilegus neget hæreſim, *ibid.* §. *Si vero & ſeq.*
Regula ad agnoſcendum qualis abjoratio ſit imponenda, *ibid.* §. *Conſtito & ſeq.*
An ſimplicitas ſortilegi excuſet ab abjuratione de formali, *ibid. fol.* 204. §. *Et ideo.*
An & quando excuſet a dicta Abjuratione ignorantia, *ibid.* §. *Si præterea.*
Non datur ſortilegium, quod aliquo modo non ſit hæreticale; *ibid.* §. *At decipitur.*
Sortilegia quę non ſapiunt hæreſim, *ibid. fol.* 207. *& ſeq.*
An verba imperativa ad Dæmonem faciant ſortilegium hæreticale, *ibid. fol.* 208. §. *Invocatio & ſeq.*
Abjuratio an imponenda reo judicato ad torturam, non autem confeſſo, *ibid. fol.* 233. §. *Id autem & ſeq.*
Si quis ſuſpectus abjurare noluerit, an ſit hæreticus pertinax, & quid faciendum, *ibid.* §. *Si qui autem*, *& ſeq.*
Si vero ſuſpectus de levi, *ibid.* §. *Si autem.*
Suſpectus de una hactenus abjurat de omnibus hæreſibus generaliter, *ibid. fol.* 234. §. *ſuſpecte.*
Secus qui de levi, *ibid.* §. *Illis vero & ſeq.*
Purgatio Canonica, quæ & quatenus imponenda, *ibid.* §. *Hæreſis & ſeq.* Brevi poſt purgationem reincidit, & puniendum uti relapſus. *ibid. fol.* 255. §. *Qui graviter.*

ABSENS.

An abſque ſuperſtitione, ac illicita arte ex Aſtrorum repræſentatione procul Abſentium ſenſus cognoſci poſſint, ita ut ſyderum interventu abſenti cuilibet, abſque aliquo nuncio, vel literis, ſenſus animi noſtri non ſecus manifeſtos facere poſſimus, ac ſi propriis literis, vel Internuncio exponerentur; Ubi exempla in ſacra, & prophana hiſtoria manifeſtand. Abſentibus ſecreta animi noſtri, *tom.* 1. *conſ.* 63 *fol.* 222.
Regulariter de jure civili non condemnantur Abſentes in Criminalibus, niſi uſque ad relegationem. Non habent tamen locum dictæ leges in Crimine læſæ Majeſtatis humanæ, & Divinæ. *tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 523. §. *Quod autem.*
Forma condemnandi Abſentes in S. O. refertur, *ibid.* §. *Forma autem*, *& ſeq.* Ubi quid ſi Reus infrà annum moriatur, vel comparuerit poſt condemnationem, *ib,*

ABSOLUTIO, & DISPENSATIO.

De Abſolutione, & Diſpenſatione *Tom. 2. conſ. 199. fol. 504.*
An filij hæreticorum, damnatorum in S. O. reſtituantur ad priſtinos honores, & habilitentur ad gradus, & officia Religionis, *ibid. §. Filii cum, & ſeq.*
Si quis Regularis abjuraverit de vehementi, poteſt diſpenſari, ut maneat in habitu Preſbiteri Sæcularis, vel Ordinis S. Antonii, *ibid. §. Si Regularis, & ſeq.*
Nominatus ad Epiſcopatum poteſt diſpenſari ad illum obtinendum, non obſtante, quod ejus Pater fuerit hæreticus, *ibid. §. Cum nominato, & ſeq.*
Cum Præsbiteris in hæreſim lapſis, & cum hereticis cohabitantibus, an diſpenſandum, *ibid. fol. 506. §. Cum Præsbitero, & ſeq.*
Cum Præsbitero, qui ante legitimam ætatem ordinem Preſbiteratus ſuſcepit, Miſſam celebravit, ſemelque hoſtiam non conſecratam cuidam Penitenti dedit, an ſit diſpenſandum, *ibid. fol. 506. §. Cum Presbitero.*
Cum Diacono, qui Uxorem duxit, ex qua plures filios ſuſcepit, poterit diſpenſari, & committi ſuo Ordinario, ut previa abjuratione cum illo diſpenſet in foro conſcientiæ, dummodo caſus ſit occultus, & denuo contrahat, *ibid. §. Cum Diacono.*
Catholici, qui obtinuerunt ab hereticis Canonicatus cum obligatione vivendi in eorum ſecta, ſi petierint diſpenſari ad retinendos dictos Canonicatus, ſed cum permiſſione frequentandi eorum ſcholas juxta promiſſa. Non eſt annuendum, *ibid. fol. 507. §. Catholici.*
Quid cum proviſo de Canonicatu ab hæreticis Canonicis inſimul votum habentibus cum Catholicis in Capitulo, *ibid. Cum Catholico.*
Preſbiter non exiſtens Parochus, ſi matrimonio junxerit hereticum cum Catholica inter ſe conjunctos, an ſit abſolvendus, *ibid. §. Præsbiter, qui non exiſtens. fol. 506. & §. Qui fuit 1. fol. 507.*
Quid cum Subdiacono coacte ordinato ſi ad matrimonium inter hereticos tranſivit, agendum ſit, *ibid. fol. 508. §. Qui coactus, & ſeq.*
An abſolvendi, & diſpenſandi Regulares Apoſtatæ à fide, & Religione, qui matrimonium contraxerunt, prolemque ſuſceperunt. *ibid. fol. 508.*
An Moniales, an Græci, an Diaconi, Subdiaconi ad matrimonium contrahendum, an Equites Teutonici, Hieroſolymitani &c. *ibid. fol. 511. & paſſim per totam.*
Matrimonia contracta cum hæreticis à Catholicis, an & quando revalidentur, & diſpenſentur, nec non à ſubdiaconis, aliiſque voto adſtrictis, *vide tom. 2. dictam conſ. 199. per tot.* Ubi plura,
An Eques poſſit abſolvere, & diſpenſare ſuos ſubditos in Curia Romana, Papa ibi præſente, *ibid. fol. 514. §. An autem*
Quomodo differant inter ſe abſolutio, & diſpenſatio *ibid. fol. 513. §. Porrò.*

ACCUSATOR

Plura de Accuſatore, & accuſatione in cauſis S. Officii videri poterunt *tom. 2. in conſ. 144. fol. 60.*
De modis procedendi contra hæreticos, *ibid.*

ACTUS

Fidei Juſtificantis meritorius eſt, *tom. 1. conſ. 1. fol. 1. §. Hinc actus.*
Heretici contendunt actum fidei Juſtificantis, *ibid. §. Ex quibus intelligitur.*
Damnati à S. Concilio Tridentino, *ibid. fol. 2. §. Ex quibus manifeſtè.*
Error Eraſmi, & Calvini, *ibid, §. Quo circa.*

AROMANTIA.

Eſt ſuperſtitioſa Divinario, qua per Dæmonum induſtriam occulta predicuntur per apparitiones ex aere, vel in aere, *tom. 1. conſ. 94. fol. 353. §. Hac eſt.*
Per hanc divinationem Vani, & Divinatores obſervant aëris mutationem: Sonitum arboris: Venti flabra per feneſtra &c. *ibid. fol. 354. §. Ex aero autem.*

AGNUS DEI, ET AMULETA.

De iſtis tractatur diffusè *tom. 2. conſ. 142. fol. 45.*
Amuleta, ſeu Periapta, quæ Phylacteria vocantur, ſuperſtitioſa ſunt, & prohibita, *ibid. fol. 46. §. Amuleta.*
An dentur Amuleta naturalia, ſitque licitum illa collo appenſa geſtare, *ibid. §. Uti autem, & §. Non tamen.*
Quæ ſint ſuperſtitioſa, & illicita, *ibid. §. Qui verò, & fol. 47. §. Pariter: & §. Retinet.*

ALCHIMIA.

An per artem preſidio rerum naturalium adiutam abſque arte magica, Dæmoniaca, verum aurum fieri poſſit ab Alchimiſtis, *tom. 1. conſ. 64. fol. 226.*

AMNIOMANTIA.

Eſt membranula, qua infantis caput naſcitur involutum. *Tom. 1. Conſ. 94. fol. 356. §. Amniomantia.*

AMULETA *Vide* AGNUS DEI.

ANGELI.

Vide, Spiritus Boni *Tom. 1. conſ. 32. per tot. fol. 61.*
De Religioſo cultu bonorum Spirituum, *Tom. 1. conſ. 33. per tot. fol. 69.*
Quod cultus genus Angelis conveniat, *ibid. fol. 70. §. Qui vero.*
Angelicorum hæreſes unde, *ibid. §. Eos, qui.*
Angelorum nomina tria, Michael, Raphael, Gabriel, cetera fortaſſe Demonum, *ibid. conſ. 52. fol. 172. §. Eſt tamen & ſeq. & conſ. 62. fol. 222. §. Huc autem.*
An Angeli poſſint cognoſcere futura pro aliquo brevi tempore congruente inſtanti Angelico, *Tom. 1. conſ. 84. fol. 315. §. Denique.*
An poſſint cognoſcere futura contingentia per Aſtra, *tom. 1. conſ. 85. fol. 316. §. 1. & ſeq.*

ANIMA.

Quid ſit Anima, *tom. 1. conſ. 33. per tot. fol. 69.* Ubi plurimæ opiniones, & de cultu Divino Animæ humane exhibito.
De illius immortalitate, *ibid. fol. 70. §. Veniamus & ſeq.*
De Animarum cultu *ibid. fol. 75. §. Ab immortalitate,*
Quomodo introductus, *ibid. fol. 75. §. Primi generis, & ſeqq.*
Opinio Saduceorum non eſſe poſt Vitam hanc præmium, aut pœnam, *ibid. fol. 71. §. Opinio & §. Ex Philoſophis.*
De Laribus, Laruis manibus, &c. *ibid. fol. 76. §. Sacris & ſeq.*
Animas non eſſe duas in homine, *ibid. fol. 73. §. Miretur.* Sed una, eaque immortalis *§. Anima.*
Ex ſubſtantia ſpirituali, *ibid. fol. 74. §. Alterum*
Animæ dicebantur à Serviis, Dii. *ibid. fol. 76. §. Sacris*
Vocabantur Dii Indigites, fortaſsè Geniralis, *ibid. fol. 77. §. Primus & ſeq. & fol. 76. §. Ab Animabus.*
Non ſunt ex Elementis, *ibid. fol. 74. §. Et ſanè.*

APOSTASIA, & APOSTATA.

Apoſtaſia definitur, *tom. 1. conſ. 41. fol. 109.*
Apoſtate qui dicantur, *ibid. & conſ. 24. fol. 33. §. Si in totum.*
In quo differat Apoſtata ab hæretico, *ibid. fol. 109. §. Et licet. & tom. 2. conſ. 167. fol. 266. §. Annumeranus,*

Quanto

Quanto tempore expiret actio Fiſcalis agendi contra Apoſtatas, *tom.1. conſ.41. fol. 109.§. Et ſecundo.*

Quæ requirantur, ut quis verè dici poſſit Apoſtata, *ib. fol. 110. §. Ad hoc.*

Qui à Judaiſmo ad Paganiſmum tranſit, an ſit dicendus Apoſtata, *ibid. §. An vero & tom. 2. conſ.200. fol. 517. §. Judaus.*

An Baptizatus invalidè, ſi ad veterem ſectam redierit, habendus ſit pro Apoſtata, *ibid. §. De Baptizato.*

An coactus ad abnegandam fidem Catholicam & aliam Religionem extrinſecè profiteatur, an ſit dicendus Apoſtata, *ibid. §. Es quid.*

An ſit ſuſpectus, *ibid. fol. 111. §. Quoniam vero, & ſeq.*

An peccet mortaliter, *ibid. §. Fatentur.*

Apoſtata ad ſectam Mahomethanam ſponte comparens, expeditur cum abjuratione de vehementi, & Pœnitentiis ſalutis. Regularis verò inhabilitatur quoque ad dignitates ſuæ Religionis, *ibid. §. Effasa de Apoſtatis.*

An dicatur Apoſtata, qui in Infantia captus eſt à Turcis, & in eorum ſecta inſtructus, *ibid. §. Apoſtata formales.* Ubi quod ſi comparens in S. Offic. non abjurat, ſed emittit fidei profeſſionem, abſolvitur à Cenſuris, & inſtruitur, *ibid. eodem §.*

Apoſtatis redire volentibus ad fidem, nihil pollicendum, ſed ſuadendum ad comparendum, *ibid. §. Apoſtatis à fide.*

Apoſtata à fide Chriſtiana, captus à Chriſtianis, non conceditur Turcis illum redimere volentibus, *ibid.§. Apoſtata à fide Chriſtiana*, & *§. Apoſtata à fide exiſtente.*

Apoſtatæ reconciliati remanent ſervi, ſi fuerint capti à Triremibus in ætate majori, ſecus ſi in Infantulis, *ibid. §. Apoſtata à fide capti.*

Qui in minori *ibid. §. Apoſtata à fide.*

Apoſtata, non liberatur, ſed ſolum reconciliatur, *tom. 2. conſ. 200. fol. 515.*

Apoſtatarum filii ſunt baptizandi etiam invitis Parentibus, ſive nati ſint poſt, ſive ante Apoſtaſiam, & etiam inviti ad fidem ſunt trahendi, *tom.1.conſ.41. fol. 111.§. Apoſtatarum filii.*

Qua pæna procedatur in S. O. contra Apoſtatas, *ibid. §. Apoſtata formales.*

Apoſtatæ à fide, redeuntes non tenentur abjurare coram Infidelibus, ſed ſufficit, quod abjurent coram fidelibus, abſtinendo ab actibus Infidelium, & deponant habitum, ſi proteſtativus ſit falſę Religionis: *ibid. §. Apoſtata à fide redeuntes.*

Iterans Baptiſmum cenſetur Apoſtata: *ibid. §. Apoſtata cenſetur.*

Qui impedit, ne Judæus baptizetur, & qui ſuadet alicui defectionem à fide, Apoſtata exiſtimatur: *ibid. §. Apoſtata exiſtimatur.*

Qui animo retinens fidem Catholicam proficiſcitur ad Saraçenos, ſeu Turcas, ex deſperatione ſeu libidine, ſervando Ritus Saracenorum, an ſit dicendus Apoſtata: *ibid. §. Apoſtata item.*

Apoſtatæ ab Ordine, qui ſint, & contra quos procedat Inquiſitor: *tom.1. conſ.127. fol. 524. §. Ille autem & fol. 525. §. Et quidem, §. Quidverò*

Apoſtata à Religione aliquando punitur in S. O. & quando: *ibid. §. Ratione & ſeq.*

Apoſtata à fide ſponte rediens, quomodo abjuret, *tom. 2. conſ. 104. fol. 235. §. Chriſtiani, & ſeq.*

De pœnis in Apoſtatas à fide Chriſtiana, *tom. 2. conſ. 188. fol. 413.*

Quænam ſint dictæ pęnæ, *ibid. §. Pœna, & ſeq.*

Notandum tamen eſt, quod ad incurrendas dictas pœnas requiritur error in intellectu, nec ſufficit tantùm externus actus, *ibid. §. Notandum.*

Apoſtatæ ſponte comparentes exiſtentes in Triremibus reconciliantur, non liberantur: *tom. 2. conſ. 200. fol. 515. §. Apoſtata.*

APPARITIO.

Dei quatruplex: *tom. 1. conſ. 33. fol. 75. §. Atque.*

Regulæ dignoſcendi apparitiones, an ſint à bono, vel à malo ſpiritu: *tom.1. conſ. 68. fol. 248. §. Agnoſci. conſ. 94. fol. 348. §. Ex parte.*

Procurare apparitiones, Dæmonis Revelationes, ſapit hæreſim, *tom.1. conſ.94. fol. 347. §. Procurare.*

Dęmon ſępe apparet, nec invocatus, ſed ſponte, ut ſemper decipiat, etiam in forma Chriſti, *ibid. §. Dæmon vero.*

Apparitiones Animarum, quas Negromantici fieri dicunt, ſunt falſæ: *ibid. fol. 349. § Omnes item & ſeq.*

APPELLATIO.

Datur à Decreto torturę, *tom. 2. conſ. 161. fol. 166. §. Solum.*

Quo caſu reijcienda, *ibid. §. dicto & §. Admittenda.*

Quando dicatur frivola, *ibid. §. Quando.*

Ab interlocutoria appellatio admittitur expreſſa cauſa, *ibid. §. Si quis.* & *§. Porro.*

A cauſis, in quibus procedit Epiſcopus ordinario &c. ad quem detur appellatio, *ibid. §. Quando verò.*

Inquiſitor admittens appellationem ab interlocutoria deſinit eſſe Judex in ea cauſa *ibid. §. Inquiſitor.*

A ſententia definitiva in S. O. Reus non appellat, neque ejus hæredes: *ibid. fol. 167. §. Advertendum.*

ARIOLATIO.

Quid ſit, *tom. 1. conſ. 94. fol. 351. §. Et hæc.*

Includitur in ea Idolatria, *ibid. fol. 352. §. Ex Quibus.*

ARITHMANTYA.

Eſt eadem, ac Chabala numerica, *tom. 1. conſ. 94. fol. 355. §. Aritmantya, & ſeq.*

ARMA.

Armorum inauguratio ab Eccleſia quando, & quomodo fiat, *tom. 1. conſ. 82. fol. 307. §. Quod vero.*

Delatio non poteſt prohiberi Miniſtris & Official. S.O. à Principibus laicis ſub pœna Fautoriæ, *tom. 2. conſ. 190. fol. 429. & 430. §. Verbis*, & *§. Poſſunt autem.*

Ubi quod Inquiſitores poſſunt habere familiam armatam, & prohibere hęreticis, vel ſuſpectis ne arma deferant, *ibid. fol. 429. §. Quod vero.* Ubi quod puniantur ab Inquiſitore Miniſtri S. O. etiam de abuſu.

ARS NOTORIA.

Quid ſit, *tom. 1. conſ. 109. fol. 453. §. Cui autem.*

An, & quatenus ſit licita, *ibid. §. 1. & d. §. Cui autem.*

Quando illicita, & ſuperſtitioſa, *ibid. fol. 454. §. Dicendum.*

De arte Paulina, quam dicunt à Deo infuſam D. Paulo, & ab eo Poſteris traditam, *ibid. §. Advertit.*

Quomodo differat à notoria, *ibid. fol. 455. §. Satellas.*

ARUSPICINA.

Quid ſit, *tom. 1. conſ. 94. fol. 357. §. Hæc quandoque*, & *§. Populi.*

Ubi de variis ſacrificiis Gentilium de victimis earum Viſcerum inſpectione, & de ſpeciebus hujus Divinationis, *à §. Species ad §. Octava ſpecies, ibid. fol. 359.*

ASCIOMANTIA.

Qua in aſcia, vel ſecuri, ſcrutabantur futura, *tom. 1. conſ. 94. fol. 356. §. Aſciomantia.*

ASTROLOGIA.

Judiciarii ſeu Mathematici inter ſortilegos enumerantur *tom. 1. conſ. 55. fol. 184. §. 1. & ſeq.*

Aſtrologia aliquando licita, aliquando illicita, *tom.* 1. *conſ.* 73. *fol.* 265. §. *Primo occurrit.*

Quando licita *ibid.* §. *Altera ſpecies & ſeq.*

De judiciaria Aſtrologia *ibid. fol.* 266. §. *Quanta part & ſeq. & conſ.* 85. *fol.* 317. §. *Hoc ipſum.*

Ubi de ptohibitione hujus artis à Sixto V. *ibid.* §. *Hanc porrò.*

Aſtrologorum opiuiones circa morbos falſæ ſunt, *tom.* 1. *conſ.* 88. *fol.* 328. §. *Falſa itidem.*

An detur Aſtrologia, *tom.* 1. *conſ.* 99. *fol.* 403. §. 1.

Dividitur in Aſtronomiam, & Aſtrologiam, *ibid.* §. *Dividitur.*

Prima eſt vera ſcientia & pars Philoſophiæ, *ibid.* §. *Hanc & ſeq.*

Altera vana, & falſa, *ibid. fol.* 404. §. *Summa.*

Quiſnam fuerit Aſtrologię primus Inventor, *ibid.* §. *Summa difficultas.*

Fundamentum ejus quale ſit, *ibid.* §. *Quinimo.*

Et quam falſum, *ibid.* §. *Verum.*

Dividitur in quatuor partes. Prima circa viciſſitudines, 2. Genetliaca 3. Electionum 4. Imaginum, *ibid.* §. *Dividitur & ſeq.*

Quæ de eventibus corporalibus, & naturalibus loquitur, & tractat, licita eſt, & laudabilis, *ibid. fol.* 405. §. *Et quidem & ſeq.*

Sed certò prędicere hujus effectus eſſe futuros, eſt peccatum, *ibid.* §. *Quare.*

Cautio traditur Medicis, *ibid.* §. *Adhuc & ſeq.*

Aſtrologi ſępè decipiuntur etiam circa naturales effectus, *ibid. fol.* 406. §. *Quod autem & ſeq.*

An actus liberi poſſint ab homine per Aſtra cognoſci, Quæſtio propoſita diſſeritur, cum argumentis contrariis reſolvitur, *ibid. fol.* 408. *conſ.* 100. *per totam.*

De Aſtrologia Judiciaria, ſeu Genethliaca, *tom.* 1. *conſ.* 101. *fol.* 411.

Pronuncians certò, aut incertò, ac ſingulari à liberis actibus, aut ab illò dependentibus, ut ſic de fortuitis, & de futuris contingentibus, eſt vana, ſuperſtitioſa, & ad magiam dęmoniacam pertinet: improba, & damnata, uti pernicioſa ab Eccleſia, ideoque illicita, *tom.* 1. *conſ.* 101. *& per tot. fol.* 411.

Damnarunt, S. Scriptura, *ibid.* §. *Et quidem*
Pontifices, *ibid. fol.* 412. §. *Cum refertur per extenſum Bulla Sixti.*
Concilia, *ibid. fol.* 416. §. *Qua in re.*
Leges Civiles, *ibid.* §. *Severiſſimis.*
S.S. Patres, *ibid.* §. *Crebras & ſeq.*
Theologi, *ibid. fol.* 417. §. *Patribus.*
Philoſophi, *ibid.* §. *Origines, & ſeq.*
Hiſtorici, *ibid. fol.* 418. §. *Agmen.*

Rationibus Theologicis Aſtrologia Judiciaria redarguitur, & convincitur, *tom.* 1. *conſ.* 102. *fol.* 419. *per tot.*

Aliæ rationes adverſus Aſtrologos, *tom.* 1. *conſ.* 103. *fol.* 423.

Argumentum de Gemellis, *ibid. fol.* 425. §. *Major & ſeq.*

Liberum hominis arbitrium, & immortalitas animæ non cohærent cum judicio Aſtrologorum, *ibid. fol.* 427. §. *Nam.*

Vana & fictilis prædictio Aſtrologorum quod aliquis ſit futurus Pontifex, Imperator, Dux, *ibid. fol.* 428. §. *Quare & ſeq.*

Falſitas, & incertitudo prędictionum Aſtrologicarum, *ibid.* §. *Ulterius.*

Aſtrologię judiciariæ nulla poteſt eſſe ſcientia, *ibid.* §. *Hinc.* Saturni revolutiones & Anacroniſmi, ſive errores Chronologici Aſtrologorum, *ibid. fol.* 429. §. *Hac.*

De novis ſtellis *ibid. fol.* 423. §. *His accedit & ſeq.*

Recenſent Aſtrologi pro ſe plures veras prędictiones *tom.* 1. *conſ.* 104. *fol.* 431.

At concluditur quod ſi veræ fuerunt, earum veritatem non ex veritate, ſed ex pacto cum Dæmone, *ibid. fol.* 433. §. *Prima & ſeq.*

Vel occulta Divinæ Providentiæ diſpoſitione, *ibid.* §. *Secunda.*

Vel ingenii ſolertia & humanarum rerum peritia, *ibid. fol.* 434. *Tertia.*

Vel ob crudelitatem Conſulentium *ibid.* §. *Quarta.*

Varia exempla referuntur, *ibid.* §. *Contra & ſeq.*

An aſtra ſi non ſint cauſa, ſint ſaltem certa ſigna futurorum omnium. Concluſio diſſeritur & argumentis utrinſque partis probatur, Concluditur negative, *tom.* 1. *conſ.* 105. *fol.* 437. §. 1. *& ſeq.* §. *Ceterum & ſeq.*

An ſaltem verum, ac licitum ſit judicium Aſtrologorum de Corporum conſtitutionibus, & inclinationibus hominum, *tom.* 1. *conſ.* 106. *fol.* 439.

Aſtrologi poſſunt ex Cœlorum motibus, ac Aſtrorum influentiis conjicere de Corporum humanorum Conſtitutione, *tom.* 1. *Tenendum eſt. fol.* 440.

Item agnoſcere inclinationes, & paſſiones appetitus ſenſitivi, *ibid. fol.* 441. §. *Secundo.*

Non poſſunt immediate prędici actus humani ex Aſtris, ne cum dubio quidem, ac non certo, & cum formidine, *ibid.* §. *Tenendum.*

Secus verò quando non ex ſolis aſtris, ſed ex aliis circumſtantiis, *ibid. fol.* 442. §. *Secus verò*

Poſſunt ex corporum Conſtitutionibus, inclinationibus, & paſſionibus judicare de bonitate intellectus, & voluntatis, *ibid.* §. *Tenendum eſt quarto.*

An liceat ex Geneſi conjicere temperamentum Patris affirmativè tenet, *tom.* 1. *conſ.* 107. *fol.* 444. §. 1. *& ſeq.*

An & quando Divinatio per aſtra ſapiat hæreſim manifeſtè, *ibid.* §. *Prima ſit & ſeq.*

Vanum eſt & ſuperſtitioſum habere Aſtra pro certis ſignis ad placitum impoſitis ad ſignificandum hunc, vel alium effectum, *ibib.* §. *Prima ſit.*

Non modo Aſtrologi ſed nec Angeli cognoſcere poſſunt futuros eventus ſublunares, ut abſolute futuros, *ibid.* §. *Sit ſecunda.*

Divinare ex Aſtris effectus naturales, per ſe non eſt illicitum, ſed per accidens: ex circumſtantiis verò poteſt eſſe illicitum, *ibid. fol.* 445. *Tertia Theſis.*

Prædicere ex aſtris contingentia libera, ut certo futura, eſt omni jure illicitum, ſuperſtitioſum, & ſuſpectum de fide, *ibid.* §. *Theſis quarta.*

Item cum certitudine divinare fortuito, quę ex merè contingenti concurſu cauſarum fiunt, *ibid.* §. *Theſis quinta.*

Summè verè impium, & ſuperſtitioſum eſt ex aſtris velle pręvidere myſteria gratiæ, Deique miracula, & quæ ex Divina Voluntate fiunt, *ibid.* §. *Theſis ſexta.*

Non poſſunt Aſtrologi abſque peccato requirere ex aſtris res præteritas, vel pręſentes occultas, *ibid. fol.* 446. §. *Septima.*

Prædicere ex aſtris contingentia, & fortuita libera tamquam certo futura, eſt factum hæreticale, *ibid.* §. *Theſis octava.*

In iis autem excuſat à ſuperſtitione, ac ſuſpicione hęreſis ignorantia etiam craſſa, *ibid.* §. *E Solis & ſeq.*

Non autem excuſantur Aſtrologi quando proteſtantur ſe non affirmare certo, quod pronunciant, *ibid. fol.* 447. §. *Ac ita.*

Secluſis perſonis expreſſis in Conſtitutione Urbani VIII. poſſunt Aſtrologi aliis prædicere aliqua futura conjecturaliter, *ibid. fol.* 448. §. *Secluſis.*

Omnes Aſtrologi Judiciariam exercentes, ſubijciuntur Inquiſitoribus, *ibid.* §. *Itaque Aſtrologi.*

An aliqua prædictio ex aſtris prohibita ſit jure tantum poſitivo: Varię DD. ſententię referuntur, *tom.* 1. *conſ.* 108. *fol.* 448.

Quomodò

Quommodo expediendi in S. O. *tom. 2. conſ.* 164. *fol.* 209. §. *Aſtrologi.*

An ſint puniendi uti relapſi, *Tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 250. §. *Septimo.*

Qua pęna afficiantur qui faciunt judicia de ſtatu Reipublicę Chriſtianæ, & Sedis Apoſtolicę, *Tom.* 2. *conſ.* 173. *fol.* 323. §. *Quintus caſus.*

Circulator, qui ſe jactat Aſtrologum poterit puniri tribus ictibus ſutis, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. §. *Circulator.*

ASTRONOMIA.

Eſt ſpecies conjectionis omnino licita, *tom.* 1. *conſ.* 73. *fol.* 265. §. *Primum occurrit.*

De Imaginibus aſtronomicis varię ſententię, *tom.* 1. *conſ.* 82. *fol.* 304. §. *Imo.*

Quatenus ſuperſtitioſę, *ibid.* §. *Multas, & ſeq.*

Necromantię, *ibid. fol.* 306. *Dicamus quarto.*

Suſpectę, *ibid.* §. *Nec dici poteſt.*

Turræ planetę judicium refutatur, *ibid. fol.* 307. §. *Verum his.*

An ſit vere ſcientia, *tom.* 1. *conſ.* 99. *fol.* 403. §. *Hanc Diviſionem.*

Ubi de Aſtronomia adducuntur, & diſceptantur circa prędictionem ſuturorum ex ipſo Cælo intelligentiam Aſtrorum, *ibid.* §. *Et quod, & ſeq.*

ATHEISMUS, & ATHEISTA.

Atheus dicitur, qui negat eſſe Deum, *tom.* 1. *conſ.* 28. *fol.* 38. Ubi late diſſeritur de Atheis & Atheiſmo.

Sunt inſipientes, *ibid.* §. *Atheiſmus.*

Quæ prima eorum origo, *ibid.* §. *Quod ſpectat.*

Quare fiant Athei etiam Chriſtiani, *ibid. fol.* 40. & 41. §. *Quod autem ad* §. *Hæ ſunt.*

Eorum argumenta, *ibid. fol.* 41. §. *Poſſet denique.*

Reffelluntur, *ibid.* §. *Ee vero.*

Atheorum mores, *ibid.* §. *Gradus verò.*

Atheiſmi fructus, *ibid.* §. *Videamus.*

Propoſitiones Atheorum examinantur, & qualificantur, *ibid. fol.* 43. à §. *An autem, ad finem.*

AUGURIUM, AUSPICIUM.

Auguria accipiuntur pro omni Divinatione, & obſervatione rerum ſubito, & inopinato accidentium, *tom.* 1. *conſ.* 96. *fol.* 373. *per tot.*

Varia auguriorum genera referuntur. Uſus quoque auſpiciorum apud Antiquos, *ibid.* §. *Si fides & ſeq.*

An à Deo, vel à Dæmone, *ibid. fol.* 374. §. *Sed prudentiores.*

An vana ſit ars auguralis, *ibid.* §. *Ut cumque & ſeq.*

An ex Galli cantu cognoſcere ſit horas nocturnas, *ibid.* §. *Utrum verò ex Galli.*

Quommodo aves præſagiant naturaliter, *ibid. fol.* 375. §. *Eſſe autem, & ſeq.*

Operatio Brutorum eſt inſtinctus naturalis, *ibid.* §. *Cauſa autem.*

Hic inſtinctus ad ſignificandum futura, à quo moveatur, vel moveri poſſit, *ibid.* §. *Secundo hic inſtinctus & ſeq.*

Quando licita ſint hujuſmodi auguria, & auſpicia, *ibid. fol.* 376. §. *Auguria verò.*

Quando illicita, *ibid.* §. *Divinatio.*

Quando ſit ſuperſtitio, *ibid.* §. *Exceptis & ſeq.*

Quandove peccatum, *ibid. fol.* 377. §. *Peccat verò.*

Recenſentur varia auguria, *ibid.* §. *Ex his, & ſeq.*

Ubi an fuerint miraculo, vel caſu, *ibid. fol.* 378. §. *His multis.*

AUTHORITAS ECCLESIÆ.

Certum eſt de fide Eccleſiam habere authoritatem infallibilem, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 98. §. *De authoritate.*

Ex ejuſdem Eccleſię authoritate, quatenus importat caput, ſumitur infallibilis veritas, *ibid.* §. *Ex Eccleſia.*

Authoritas Sanctorum Patrum, eſt humana & fallibilis, *ibid.* §. *Authoritas verò SS. Patrum, & ſeq.*

AUXILIA

De auxiliorum materia nihil promulgandum, aut imprimendum, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 35. §. *Effata verò.*

B

BAPTISMA.

AN qui Baptiſmo in Septentrione initiantur ad Eccleſiam Catholicam pertineant, licet Sacerdotes veros non habeant, *tom.* 1. *conſ.* 47. *fol.* 135. §. 1. *& ſeq. Ubi affirmativè reſolvitur.*

De abuſo Sacramenti Baptiſmatis, *tom.* 1. *conſ.* 115. *fol.* 470.

De Rebaptizantibus, eorumque pœna ultimi Supplicii, *ibid. fol.* 471. §. 1.

Irregularitatis de Jure Canonico, §. *Ex Jure*, & §. *In can: eos.*

An incurrat dictam pœnam, qui temerè rebaptizat ſub conditione, vel ſine dubio probabili, *ibid.* §. *Sed an.*

An Epiſcopus poſſit diſpenſare ſuper hanc irregularitatem, *ibid.* §. *Epiſcopus.*

An irregulariter incurrat, qui pluries ſuſcipit Sacramentum Confirmationis, & ejuſdem ordinis negativè, *ibid.* §. *Hanc.*

Irregulares fiunt Adulti; qui baptizantur ab hæreticis, *ibid.* §. *Irregulares.*

Baptizantes non aptos ad recipiendum Sacramentum Baptiſmi ſunt Sortilegi. *Vide Sortilegium.*

Chriſtianus fingens ſe infidelem, & faciens rebaptizare ob Lucrum temporale, non debet abjurare, *ibid. fol.* 472. §. *Quod verò & ſeq.*

Contrarium firmatur, *ibid. fol.* 473. §. *His tamen.*

Qui ad confingendum partum ſuppoſitum curat baptizari infantem alias baptizatum, quommodo puniend. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Qui ad confingendum.*

Qui Catholicus nomine hæretici Infantem Catholico è ſacro fonte levavit, quommodò expediend. *ibid.* §. *Si Catholicus.*

BENEFICIUM.

Clericus hęreticus, vel hæreticale Sortilegium committens, incurrit ipſo jure, ſive ipſo facto à die commiſſi criminis in pœnam privationis Beneficiorum ante Judicis ſententiam, & ad alia obtinenda redditur inhabilis, *tom.* 2. *conſ.* 184. *fol.* 392. §. 1. & *fol.* 402. §. *Clericus.*

Requiritur tamen ſententia declaratoria, quod Clericus commiſerit tale crimen, *ibid. fol.* 393. §. *Requiritur tamen, & ſeq.* Ubi quommodo cognoſcatur pœna latæ ſententiæ.

Reſignatio facta à Clerico poſt patratam hereſim, vel commiſſum ſortilegium hæreticale eſt irrita, *ibid. fol.* 403. §. *Quod ſi Clericus, & ſeq.* Ubi de commutante, & impetrante.

An talis Clericus ſic privatus Beneficio poſſit ab Inquiſitore reintegrari, *ibid.* §. *Nec poſſint.*

An Clericus ſuſpectus tantum de hæreſi ſit ipſo Jure Beneficio privatus, vel privandus, *ibid.* §. *Clericus verò.*

An receptatores, Fautores Defenſores hęreticos ſint ipſo Jure Beneficiis privari, *ibid.* §. *Receptatores.*

An Clerici filii hęreticorum ſint privati, & incapaces ad Beneficia obtinenda, *ibid.* §. *Clerico verò, & ſeq.* Ubi de deſcendentibus, & uſque ad quem gradum.

Quid de illegitimis, & ſpuriis, *ibid. fol.* 404. §. *Clerici.*

Quid

Quid de filiis natis ante hęreſim Patris, *ibid.* §. *At quid*, *& ſeq.*

Ubi de penſionibus, de Beneficiis obtentis ante hæreſim Patris, de filiis Patris Pænitentis, de filiis Patris relapſi.

An in ſententia privationis Beneficiorum requiratur conſenſus Epiſcopi, *ibid. fol.* 405. §. *Notandum eſt*, *& ſeq.*

De recipientibus Beneficia ab hęreticis, *vide paſſim*, *tom.* 2. *conſ.* 199. *& conſ.* 200.

BLASPHEMIA

Blaſphemi etiam hęreticales, ſi animo non adhæreant, non ſunt hæretici, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Similiter.*

Non eſt hæreticus Blaſphemans hæreticaliter per modum imprecationis, U. G. Non ſit in Deo poteſtas, *ibid. fol.* 93. §. *Quintus.*

Blaſphemans hæreticaliter ex Conſuetudine, quomodo expediend. *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 209. §. *Blaſphemans*, *& ſeq.*

Conſuetudo blaſphemandi probatur per teſtes ſingulares, *ibid. fol.* 210. §. *Hanc autem.*

Blaſphemus hęreticalis in ira qua abjuratione expediend. *ibid. fol.* 209. §. *Blaſphemus autem*, *& ſeq.*

Qui ſit Blaſphemus conſuetudinarius, *ibid.* §. *Ille autem dicitur*, *& ſeq.*

Blaſphemias proferens non hęreticales, non eſt de hęreſi ſuſpectus, *ibid. fol.* 210. §. *Proferentes.*

Blaſphemans facto quis ſit, *ibid.* §. *Blaſphemantes autem.*

Quid ſi publicè quis blaſphemaverit facto, hoc eſt ſacras Imagines offendens, *ibid.* §. *Quod ſi publicè*, *& ſeq.*

An qui ſacras Imagines offenderint puniendi ut relapſi, & qua pęna, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 248. §. *Quinto*, *& ſeq.*

Blaſphemi, an ſtigmate notandi, & quando, *tom.* 2. *conſ.* 175. *fol.* 337. §. *Eminent.*

De pęnis in Blaſphemos, *tom.* 2. *conſ.* 189. *fol.* 418. *& ſeq.*

Qui Blaſphemi ſint vehementer ſuſpecti, *ibid. fol.* 419. §. *Triplex.*

Qui dicatur Blaſphemus conſuetudinarius, *ibid.* §. *Ad hoc autem.*

Qualiter torquendi, *ibid.* §. *Atque.*

Quæ adduci poſſint à Blaſphemis in ſui defenſionem, *ibid.* §. *Blaſphemus.*

Quommodo abjurent, *ibid.* §. *Si vero.*

Juramentum vanum an ſit Blaſphemia, *ibid.* §. *Jure civili.*

An tribuere Deo membra, & per membra Dei jurare ſit Blaſphemia, *ibid.* §. *Jure civili*, *& fol.* 420 §. *Jure autem Canonico.*

Diſtinguitur Blaſphemus Conſuetudinarius à ſuſpectis vehementer de fide, *ibid.* §. *Diſtinguendum.*

BLASPHEMUS.

Nobili Blaſphemo remittitur pęna infamiæ ſicut Clericis, *tom.* 2. *conſ.* 189. *fol.* 420. §. *Et quamquam.*

Quid de minori, *ibid.* §. *Minor.*

Ira an minuat pænam, *ibid.* §. *Ira verò.*

Ebrietas an minuat, *ibid.* §. *Sic quoque.*

Lubricitas Linguæ, Jocus, an excuſent, *ibid.* §. *Qui verò & ſeq.*

Blaſphemi hęreticales non gaudent Immunitate Eccleſiaſtica, *ibid. fol.* 421. §. *Blaſphemi.*

Quid ſit Blaſphemia, quomodo per Ironiam denominatur Benedictio; Quomodo antiquitus punita, & referuntur varia exempla, *ibid.* §. *Porrò & ſeq.*

Quę in hoc crimine ſint conſideranda, *ibid. fol.* 422. §. *Supereſt & ſeq.*

Blaſphemo, qui evaginato gladio Imagines Crucifixi, & B. V. percuſſit, quomodo expeditur, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 514. §. *Blaſphemus.*

Qui negat Virginitatem B. V. quomodo puniendus, *ibid. fol.* 515. §. *Qui negat.*

An Blaſphemus hæreticalis ſit hęreticus, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Similiter Blaſphemi.*

C

CAMPANA.

De Campanis prodigioſis loquitur, *tom.* 1. *conſ.* 77. *fol.* 287. *Vide prodigium.*

CANTUS, & SONUS.

Cantus & Sonus Prophani, vel ſonus inter divina officia in Eccleſia eſſeut mortale peccatum, cultus ſuperſtitioſi, & in illo incurrunt ne dum canentes, ſed etiam conducentes, pulſantes, & permittentes, *tom.* 1. *conſ.* 50. *fol.* 146. §. *Hinc.*

CAPTURA REORUM.

De comprehenſione ſeu Captura Reorum in S. O. tractatur, *tom.* 2. *conſult.* 146. *fol.* 80.

Quando ad eam procedendum, *ibid.* §. *Primo & ſeq.*

Quænam indicia requirantur pro Carceratione Rei in S. O. *ibid.* §. *Indicia.*

Quid faciendum ante carcerationem Maleficę, ſeu Strigæ, *ibid.* §. *Antequam & ſeq.*

An exequi poſſit in Eccleſia, *ibid.* §. *Poſſuntque.*

Non exequenda in alieno Territorio, *ibid. fol.* 811. §. *Non poſſunt.*

Quot perſonę carcerandæ, tot mandata relaxanda, *ibid.* §. *Si autem.*

An ab indebita Carceratione detur appellatio in S. O. *ibid.* §. *Quamquam.*

An Carceratio in S. O. irroget infamiam, *ibid. fol.* 82. §. *An autem & ſeq.*

An Carceris damnatio ſucceſſit loco damnationis ad metalla, ideoque non eſt de facili imponenda, *ibid. fol.* 83. §. *Hoc interim*, *& ſeq.*

An fugiens è Carcere ſibi aſſignato in pœnitentiam habeatur pro relapſo, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 245. §. *Aliam ſpeciem*, *& ſeq.*

Ubi de non impleute Pœnitentiam.

De pæna Carceris in S. O. imponenda Hærerecis, Sortilegis &c. *tom.* 2. *conſ.* 174. *fol.* 331.

Quibus impooatur in S. O. *ibid.* §. *Pæna Carceris*, *& ſeq.*

Malefici, & Sortilegi poſſunt detineri in Cippis &c. duro, & arcto Carcere, *ibid.* §. *Secundo*, & §. *Malefici.*

CARCERATIO.

Regulariter tamen Carcer non debet eſſe ita arctus ut vitam abbreviet, aliàs incurretur Irregularitas, *tom.* 2. *conſ.* 174. *fol.* 332. §. *Regularitate.*

Pœnitentes, Malefici, Sortilegi, & Hæretici ad perpetuum Carcerem non damnantur, *ibid.* §. *Si verò & ſeq.*

Mulier maga nupta damnatur ad habendam domum Uiri pro Carcere, *ibid.* §. *Mulier.*

Sacerdos celebrans ſuper rebus aptis ad ſortilegium damnatur ad privationem Beneficii, & ad perpetuum Carcerem, *ibid.* §. *Sacerdos.*

CARCER, CARCERATUS.

In ſacris conſtitutus damnatur ad perpetuum Carcerem, non degradatur, *ibid.* §. *In Sacris*, *& ſeq. & fol.* 333. §. *Quamuis.*

Solet pæna perpetui Carceris mitigari, *ibid. fol.* 332. §. *Poteſt.* Et quando, *ibid.* §. *Hac autem*, *& ſeq.*

Cui pertineat commutatio pœnarum, *fol.* 333. §. *Verùm.*

Quid de frangente Carcere, & aufugiente, *ibid.* §. *Sed quid.*

An fugiens è Carceribus ſit habendus pro convicto, *ibid.* §. *At reum & ſeq.*

Quando excuſetur aufugiens è Carcere, *ibid.* §. *Qui vero & ſeq.*

An

An damnatus ad perpetuum Carcerem ſit inteſtabilis activè, & paſſivè, *ibid.* §. *An autem & ſeq.* Ubi an ſint capaces damnati ad Metallum.

An ſint capaces legatorum alimentorum, *ibid. fol.* 334. §. *Quod autem, & ſeq.*

Omnes ſæculares Poteſtates tenentur ducere ad Carceres Reos S. O. *ibid.* §. *Cum in Cap.*

Quibus committenda cura Carceratorum S. Officii, *ibid.* §. *Eſtque.*

Carcer Virorum ſeparandus à Carcere Mulierum, *ibid.* §. *Cæterum Carceres.* Unde dicti, *ibid.* §. *Quoniam.*

Ad quem finem adinventi, *ibid.* §. *Palam & ſeq.*

Reponitur inter pęnas etiam Carceris, *ibid. fol.* 336. §. *Inter pænas.*

Datur loco Carceris Detruſio in Monaſterium, *ibid. fol.* 337.

CARCERATI.

In S. O. non remittuntur Judici Sæculari pro delictis ad forum ſæculare ſpectantibus niſi habiti fuerint ab eodem foro, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 19. §. *Undè.* Ibi plura.

Pendente cauſa in S. O. non poſſunt moleſtari in aliis Tribunalibus pro quacunque alia cauſa &c. *ibid. fol.* 20. §. *Hac verò* &c.

Pęna Curię laycalis ſi eſt major impoſita à S. O. Carcerati luent pænam laycalis Curiæ, *ibid. fol.* 19. §. *Unde.*

Carcerati in S. O. pendente proceſſu, non audiunt Miſſam, & quare, *Tom.* 2. *conſult.* 146. *fol.* 81. §. *Hujuſmodi.*

An ſi fugiant à Carceribus habendi ſint pro confeſſis, *ibid.* §. *Inquiſitum & ſeq.*

Et quommodo puniendi, ſi capiantur poſtquam fugam arripuerint. *ibid.*

An frangens Carceres S. O. incidat in Bullam, ſi de protegendis, *ibid. fol.* 82. §. *Non tamen.*

Injuſtè Carceratus ſi frangat Carcerem, & fugiat, an ſit puniendus etiam in S. O. *ibid.* §. *Iniuſte.*

Quam pęnam incurrant Cuſtodes Carcerum, ſi Carceratus in S. O. fugiat, *ibid.* §. *Carceris.*

Quid de Carcerato S. O. in alienis Carceribus, *ibid.* §. *Carceratus*

Quid de Carcerato in S. O. qui ſe ipſum occidit, vel occidere tentaverit, *ibid.* §. *De Carcerato, & ſeq.*

Damnatus ad Carcerem arbitrio cenſetur damnatus in perpetuum, *ibid. fol.* 83. §. *Damnatus, & ſeq.*

Pæna Carceris aliquando commutatur Reis in detruſionem in Monaſterio, *conſ.* 175. *fol.* 337. Ubi quid ſit Monaſterium Monaci, & quando, quomodove aſſignabantur Clericis pro Carcere ad lugendum peccata Delinquentibus, §. *Monaſteria.*

CARDINALES, CONSULTORES, ET MINISTRI S. O.

Plura de Cardinalibus, Conſultoribus, & Miniſtris S. O. & quæ facere teneantur, quibuſque privilegiis gaudeant: Videre eſt, *tom.* 1. *conſ.* 129. §. *Cardinales. fol.* 532.

Conſultores S. O. quales eſſe debeant, *tom.* 1. *conſ.* 130. *fol.* 538.

A quo eligendi, *ibid.* §. *Regulariter.*

In quibus Caſibus ab Inquiſitoribus vocandi.

Quænam eorum ſuffragia &c., obligatiooes, *ibid.* §. *At verò, & ſeq.*

Privilegia, *ibid. fol.* 540. §. *Privilegia, & ſeq.*

An poſſint eſſe Advocati Reorum: *tom.* 1. *conſ.* 131. *fol.* 542.

An Fiſcales S. O. *ibid.* De Reorum obligatione & munere &c. *fol.* 542.

Quinam Qualificatores, & à quo eligendi, *tom.* 1. §. *præter.*

De Advocato, & Procuratore Reorum, ejuſque munere, *tom.* 1. *conſ.* 132. *fol.* 543.

Quis, qualisve, *ibid.*

Cardinales incidentes in hæreſim, qua pęna puniantur, *tom.* 1. *conſ.* 165. *fol.* 244. §. *Secundo.*

CATHOLICI.

Uniti inter ſe circa articulos fidei, & ſi aliquando Doctores inter ſe decertent, eſt tantummodo in illis quæſtionibus, quæ ab Eccleſia non ſunt definitæ, *tom.* 1. *conſ.* 18. *fol.* 26. §. *Nec verò.*

Catholicæ Eccleſię nomine diſtinguitur Romana, *tom.* 1. *conſ.* 21. *fol.* 30. §. 2.

Catholici quid teneantur ſcire, & explicitè credere ſub lethali peccato, *Tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 85. §. *Qua in re.*

Non ſequentes Religionem Romanam dementes, & veſanos judicantur in L. 1. Cod. de Sum. Trinit. & fid. Catth. *tom.* 2. *conſ.* 170. *fol.* 288. §. *Pro negativa & ſeq.*

CATHECVMENI.

An ſint in Eccleſia, *tom.* 1. *conſ.* 15. *fol.* 18. §. *De Cathecumenis.*

Non ligantur Cenſuris, *ibid.* §. *Ex quibus.*

Non puniuntur tamquam Apoſtatę, *ibid.* §. *Cum enim.*

Sed tamquam Infideles, *ibid. fol.* 19. §. *Item deducitur.*

CATOPTROMANTIA

In ſpeculis, in phiala, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Catoptromantia*

CELEBRANTES.

Non promoti, *Vid.* Euchariſtiæ ſacramentum.

Puniuntur ut relapſi *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 244. §. *Tertio.*

At ſi hujuſmodi delicta non ſint conſumata, *ibid.* §. *At quid, & ſeq. & præcipue* §. *De Celebrante.*

Quid ſi aſſerat non protuliſſe verba Conſecrationis, *ibid. fol.* 245. §. *Nec eſſet.*

Quid ſi ante Conſecrationem ab Altari diſcedat, *ibid.* §. *At verò eodem.*

Quid ſi per irritionem Miſſam celebret, *ibid.* §. *Si quis.*

Quid ſi gratia repræſentationis, *ibid.* §. *Quod ſi.*

Quæ requirantur ut tradi poſſit Curiæ ſæculari Celebrans non promotus, *ibid. fol.* 246. §. *Ut autem.*

Quid de illo, penes quem repertę ſunt Literæ Teſtimoniales falſę Sacerdorii, aſſerens ſe eſſe Sacerdotem, *ibid.* §. *Dubium.*

Cui incumbat onus probandi negotium ordinis, *ibid.* §. *Sed tamen, & ſeq.*

Quid ſi Celebrans aſſerens ſe eſſe Sacerdotem, *ibid. fol.* 247. §. *Si tamen & ſeq.*

Quomodò expediendi ſpontè Comparentes, *ibid.* §. *Qualiter, & ſeq.*

Ubi plura circa non promotos, *ibid.*

Celebrantes non promoti, etiam ſi fuerint Regulares, ſi in aliquo Tribunali Eccleſiaſtico fuerint inquiſiti, incurrunt in pænam Conſtit: & Decretor: licèt ab eorum Superioribus fuerint præſentati, quorum præſentationis nulla ratio habetur niſi facta fuerit ab eorum Superioribus Generalibus, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 248. §. *Sanctiſſimus decrevit.*

CENSURA PROPOSITIONUM.

Cui competat circa doctrinam, *tom.* 1. *conſ.* 38. *fol.* 103. §. 1. Ubi dicitur competere cuilibet Viro docto, & §. *Dixi*, Examinatur quis ſit Vir doctus.

Competit Epiſcopo in ſua Diœceſi dummodò non damnet, quæ non ſunt manifeſta, *ibid. fol.* 104 §. *Cuilibet.*

Cenſura authentica, & doctrinalis, *ibid.* §. *Additque eodem.*

CEPHA-

CEPHALEOMANTIA.

Ex Capite hominis, vel animalium ſuper prunas aſſo, quibuſdam ritibus, & incantationibus, *tom. 1. conſ. 94. fol. 356. §. Cephaleomantia.*

CEPHALEGIA.

Quid ſit, cur prohibita, *tom. 1. conſ. 97. fol. 399. §. Prodiit, & ſeq.*

CEREMONIA.

Chriſtianus Ceremonias Moſaicæ Legis in Divino Cultu aſſumens, an ſit hæreticus, *tom. 1. conſ. 36. fol. 87. §. Jam liquet.*

CHABALA.

An ex Chabala numerica futura prædici poſſint, *tom. 1. conſ. 80. fol. 296. §. 1. & ſeq. & fol. 298. §. Aſſerimus. & ſeq.*
Quid ſit, *fol. 296. §. De Chabala.*
An ſit prohibita, *ibid. §. Hanc.*
Dividitur in operatricem, & numericam, *ibid. §. Sane verò.* Eſt ſpecies magiæ Chabala operatoria, *ibid. §. Et quamvis.*
Nullius eſt efficaciæ, nulliuſque firmitatis, *ibid. §. At nos.*
Utraque Chabala impugnatur, *ibid. fol. 298. §. Utramque.*
Nullius eſt efficaciæ ad divinandum, *ibid. fol. 299. §. Ex quibus.*
Et Chabalam exercentes ſubjiciuntur Judicio Inquiſitorum, *ibid. §. Aſſerimus quarto.*
Chabala reduci poteſt ad artem notoriam, *tom. 1. conſ. 109. fol. 455. §. Ad hanc autem.*
Quando ſit ſuperſtitioſa ſimpliciter, quandove qualificata, *ibid. §. An autem & ſeq.*

CHIROMANTIA.

Eſt pars Conjectationis, an ſit licita, & quando, *tom. 1. conſ. 75. fol. 267. §. Quod pertinet. & §. Poſterior. & ſeq.*
An certa, & probabilis conjectura ab ea deducatur, *ibid. §. Annotandum.*
De Chiromantia naturali, *tom. 1. conſ. 96. fol. 395. §. De manu.*
De lineis manuum, *ibid. §. Quibus à natura.*
De manu ſine Lineis, *dict. §.*
De longis lineis, *ibid. §. Qui longiores.*
De lineis profundis, *ibid. §. Linea profunda.*
De linea vitali, & quid ex ea conjecturari poſſit, *ibid. fol. 396. §. Quid autem.*
De Unguibus digiti, eorumque ſignis, *vide* Phyſionomia.
An, & quatenus Chiromantia ſit licita, & quando ſapiat hęreſim, *tom. 1. conſ. 97. fol. 398.*

CHRISTALLOMANTIA.

Ex Chriſtalli fruſtulis annulo incluſis, *tom. 1. conſ. 94. fol. 356. §. Criſtallomantia.*

CIRCULATOR.

Qui ſe jactat Aſtrologum punitur tribus ictibus funis, *tom. 2. conſ. 200. fol. 517. §. Circulator.*
Vide Aſtrologia in fine.

CITATIO.

Reorum citatio in S. O. An ſit neceſſaria, *tom. 2. conſ. 145. fol. 74.*
Quotuplex ſit, *ibid. §. Citatio autem.*
Quæ requirantur ad illius validitatem, *ibid. fol. 75. §. Propius autem & ſeq.*
Forma citationis, à quo tradatur, *ibid. §. Formam.*
An ſit exequenda in perſonam, ubi, & quando, *ibid. §. Notandum & ſeq.*
Quommodo citanda ſit Univerſitas, *ibid. fol. 76. §. Hac autem. & ſeq.*
An citationi derogari poſſit, *ibid. §. An autem.*
An Nuncio adhibenda ſit fides de Citatione executa, *ibid. fol. 77. §. Eſt autem.*
De defectu Citationis diſſeritur, *ibid. §. Si ex recognitione & ſeq.*
An Citatio executa ad Valvas reddat Reum contumacem, *ibid. §. In illa autem, & ſeq.*
An executio Citationis dicatur incerta, ſi appareat Citatum habere plures habitationes, *ibid. fol. 78. §. An autem monitorium & ſeq.*
An Inquiſitor poſſit citare Reum ſubditum extra Territorium ſuæ Juriſdictionis, *ibid. §. Non poteſt, & ſeq.*
Quot citationes requirantur ad condemnandum hæreticum aut Reum abſentem, *ibid. fol. 79. §. Ad condemnandum & ſeq.*
Citatur ad reſpondendum de fide, ſi per annum neglexerit nullo allegato impedimento habetur pro confeſſo, *ibid. §. Citatus & ſeq.* Ubi plura de Juriſdictione Epiſcopi, & Inquiſitoris.
Executa Citatione, Nuncius quid facere debeat, *ibid. §. Executa.*

CLAVSVLA.

Clauſula citra pęnam relapſus in ſententiis minorum 20. annis extra Urbem non debet apponi ab Inquiſitoribus inconſulta S. Cong. *tom. 2. conſ. 191. fol. 440. §. Clauſula.*
Ubi de aliis Clauſulis apponi ſolitis in expeditionibus, & facultatibus S. Officii.

CLEDOMANTIA.

Per Clavum Æneum barbaris literis inſculptem, & Circulo infixum, *tom. 1. conſ. 94. fol. 356. §. Cledomantia.*

COMMESTIO CARNIUM.

Punitur in S. O. *tom. 2. conſ. 138. fol. 25. §. Comedentes.*
Comedentes Carnes abſque juſta cauſa diebus prohibitis an puniantur in S. O. et quando abjurent, *tom. 2. conſ. 164. fol. 210. §. Comedentes.*
An detur parvitas materię in commeſtione Carnium diebus vetitis, *ibid. §. An autem parvitas & ſeq.*
An comedens Idolotothyſta ſit ſuſpectus, *ibid. fol. 215. §. Sed quid.*
Qui exhibet Epiſcopo ut non procedat pro comeſtione Carnium diebus vetitis citatur in S. O. ad comparendum, *tom. 2. conſ. 200. fol. 514. §. Contra eum.*

COMPARENS SPONTE IN S. O.

Quinam dicatur, *tom. 2. conſ. 147. fol. 83. §. 1.*
Quid requiratur, ut quis dicatur ſpontè Comparens, *ibid. §. Requiritur, & ſeq.*
Quomodo expediatur quovè beneficio gaudet, *ibid. §. Hi autem.*
An tali beneficio gaudeant Carcerati in foro laicali pro delicto ad illum ſpectant. *tom. 2. fol. 84. §. Lamia.*
Quomodo, & ſuper quibus interogand: *ibid. §. Si verè, & ſeq.*
Quomodo recipienda ſit comparitio ſpontanea, *ibid. §. Nequit, & ſeq.*
Quod ſi non compareat puro corde, *ibid. fol. 85. §. Quod ſi, & ſeq.*
Quid ſi ſpontè Comparens eſſet preventus, *ibid. §. Comparens, & ſeq.*
Quænam pœnæ evitentur ſpontè Comparentibus, *ibid. §. Pœna.*
An abſolutio ſpontè Comparentis fieri poſſit cum conditione, *ibid. §. Poſſe autem, & ſeq.*

De tem-

De tempore gratiæ, *ibid. §. Tempus, & ſeq.*
Quid cum Polygamo ſponté Compar: *ibid. fol. 86. §. Cum Polygamo.*
Quid cum ſponté confeſſo licet prevento, & vocato, *ibid. §. Qui vocatus.*
Quid cum relapſo ſponté Compar. *ibid. §. Relapſum & ſeq.*
Quid de ſortilego, *ibid. §. Sortilegus quoque, & ſeq.*
Expediuntur ab Inquiſitoribus abſque Ordinario, *fol. 89. §. Ultimo.*
An farens delictum poſt cauſæ expeditionem, quod prius negavit, & etat inditiatus gaudeat tali privilegio, *ibid. fol. 87. §. Rei ſponté.*
Plura de ſponte Comparentibus in eadem Conſult. docentur, *Vide, Confeſſus ſponté Delictum.*

COMMVNICATIO.

In S. Communione prebens aut ſumens plures Hoſtias punitur in *tom. 2. conſ.* 138. *fol.* 25. *§. Vidimus, & ſeq.*

CONCEPTIO BEATISSIMÆ VIRGINIS.

Courrarias ſententias predicantes, aut condemnantes, puniunnit in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 23. *§. Ad eoſdem, & ſeq.*

CONCILIVM.

Conciliis generalibus quinam interſint *tom.* 1. *conſ. XI. fol.* 12. *§. Interſunt.*
Concilia etiam generalia, confirmatione Pontificis indigent, *tom.* 1. *conſ.* 38. *fol.* 104. *Et quidem.*
Eorum Doctrina ſaluberrima, *tom.* 1. *conſ.* 45. *fol.* 131. *§. Poſt Scripturam.*

CONFESSARIUS, CONFESSIO.

Hæretici, Malefici, ſeu Sortilegi quid facere debeat, *tom.* 1. *conſ.* 71. *fol.* 255. *§.* 1. *& per totam.*
Tenetur abſolvere predictos poſt abſolutionem exteriorem reportatam ab Inquiſitoribus, *ibid. §. Et licet.*
Non conceditur Confeſſarius Reis Carceratis in S. O. ante eos conſtitutos, niſi in mortis articulo, *ibid. fol.* 256. *§. Reo autem. & tom.* 2. *conſult.* 149. *per tot. fol.* 89.
Confeſſionis judicialis revocatio, quomodo, & quando attendatur in S. O. *tom.* 1. *conſ.* 71. *fol.* 256. *§. Si vero & ſeq.*
Quid de abſolutione hæretici in mortis articulo, *ibid. fol.* 258. *§. Hæreticus.*
An Epiſcopus poſſit abſolvere Maleficium hæreticum, *ibid. §. An autem.*
An Sacerdos ſimplex, qui in mortis articulo confeſſionem cepit audire, & inde anté abſolutionem ſupervenerit Sacerdos habens facultatem audiendi Confeſſiones, teneatur Confeſſionem inceptam deſerere, *ibid. fol.* 259. *§. Si deficiente & ſequent.*
Ubi an qui, & quando Malefici poſſint in mortis articulo ab excommunicatione abſolvi, *ibid. §. Non poſſe.*
An concedendum ſit Confeſſarius hærerico, vel Suſpecto in Carceribus detentus, & quid ſi ægrotus in articulo mortis, *tom.* 2. *fol.* 89. *conſ.* 149. *§. Primo & ſeq.* & *§. Quod ſi Reus.*
Quid teneatur facere Sacerdos Confeſſarius, qui audivit à Carcerato ſuam hæreſim ſub ſecreto & non in Confeſſione, ſi producatur in Teſtem, *ibid. fol.* 90. *§. Si verò, & ſeq.*
Hæreticus, vel alius Reus S. O. in articulo mortis abſolutus, ſi convaleſcat non cenſetur abſolutus in Tribunali, *ibid. §. Hæreticus autem, & ſeq.*
Sed minuit talis confeſſio, & abſolutio pænam.
An Hæreticus mortuus impœnitens, ſi Confeſſarius teſtificet illud abſolviſſe, damnandus ſit ad illius memoriam, & deſumendus, *ibid. fol.* 91. *§. An autem, & ſeq.*

Quando, & in quibus Caſibus S. O. procedat contra Confeſſarios, *ibid. Confeſſiones, & ſeq.*
An ſint cogendi ad revelandum aliquid etiam de licentia Pœnitentis, *ibid. §. Effata, & ſeq.*
Confeſſarii Regulares non accedant ad Domus Mulieris præſertim Pænitentium, ſine urgenti neceſſitate. Non audiant Domi earum Confeſſiones etiam cauſa infirmitatis, niſi aliquo vidente. Non audiant in Confeſſario, niſi de ſpectantibus ad Sacramentum Confeſſionis, neque permittant accedere ad Sacramentum Euchareſtiæ, niſi prævia reconciliatione, *ibid. §. Confeſſarii.*
Non abſolvant qui moniti recuſant denunciare hereticos, vel ſuſpectos, *ibid. §. Confeſſarii non poſſunt.*
Confeſſarius, qui abjuravit de vehementi non poteſt ampliùs admitti ad S. Confeſſiones audiendas, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 232. *§. Qui abjuravit.*
Quid de illo, qui abjurat de levi, *ibid. §. De iis verò.*
Confeſſarius qui ſe fecit cum non eſſet promotus damnatur ut relapſus, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 244. *§. Tertio & ſeq.*
Etiam ſi non abſolvat, *ibid. §. Nec obſtat.*
Vide Pœnitentiæ Sacramentum ſollicitans.

CONFITENS SPONTE DELICTUM.

De ſponte confitentibus in Carceribus eſt, *tota conſ.* 148. *tom.* 2. *fol.* 89.
Mitiùs puniuntur, quam ſi fuiſſent conjuncti, *ibid. §. Primo & ſeq.*
Quæ ſint animadvertenda in ſponte Confeſſis, *tom.* 2. *conſ.* 148. *fol.* 88. *§. Ex quibus, & ſeq.*
Quas pænas evitet ſponté confeſſus, *ibid. §. In Carcerem & ſeq.*
Qui in tortura confeſſus eſt, ſi poſt torturam ratificet non condemnatur ad mortem, *ibid. §. Sic etiam.*
An Hæreticus impœnitens, & negativus, ſi adductus ad Tabulatum reſipiſcere, & abjurare ſe offerat, admittatur ad miſericordiam, *ibid. §. Pariter, & §. Hæreticum, & ſeq.*
An ſit admittendus poſt latam mortis ſententiam, & traditionem Curiæ ſæculari, *ibid.*
Vide Comparens ſponté.

CONJECTATIO.

De conjectatione naturali, & ejus ſpeciebus, *tom.* 1. *conſ.* 73. *fol.* 265.
Dividitur in Phyſicam, ſeu naturalem, Politicam, vel Civilem, quę ſortis nomen tenet, *ibid. §. Hæc vel eſt*, Ubi quid in ea continuatur.

CONSENSUS.

S. S. Patrum non facit infallibile Teſtimonium, ſi tantùm aſſerant, non tamen definiant aliquid pertinere ad fidem, *tom.* 1. *conſ.* 37. *fol.* 98. *§. Communis.*
Si verò definiant aliquid eſſe de fide, & fundentur in S. Scriptura, continet infallibilem authoritatem, *ibid. §. Patrum.*
Secus, ſi non fundentur in Scriptura, *ibid. §. Communis.*
Conſenſus communis Scholaſticorum circa res fidei, ac morum non facit certitudinem infallibilem, *ibid. §. Quare conſenſus & ſeq.*

CONSULTORES, *Vide* CARDINALES.

CONTUMACIA.

De Reo contumaci, & de modo procedendi contra eos, *tom.* 2. *conſ.* 166. *fol.* 253.
Quæ requirantur, ut contumax damnari poſſit, *ibid. §. Ut ergo.* Ubi de Citatione facienda, *§. Sequente.*
Declaratio contumaciæ ante ſententiam an ſit neceſſaria, *ibid. fol.* 254. *§. Hinc.*
An debeat præcedere declaratio incurſus in excommunicat., *ibid. §. Ad hæc, & ſeq.* Ubi de perſeverantia annum, & de continuatione anni.

An requiratur pertinacia, *ibid. fol.* 255. §. *Poſtremo & ſeq.* Ubi quommodo procedendum contra pertinacem in excommunicatione.
Quibus modis tollatur pertinacia, *ibid. fol.* 256. §. *At Nihilominus, & ſeq.*
Pręſumitur pertinacia, niſi contrarium probetur, *ibid.* §. *In dubio.*
Qui ſit ille contumax, qui debet damnari ut hęreticus, *ibid. fol.* 257. §. *Atque ex his.*
An Inqoiſitor poſſit procedere contra exiſtentes contra ſuam Provinciam, & quibus caſibus, in contumaciam, *ibid.* §. *Ad ſecundum, & ſeq.*
Quommodo citandi, *ibid.* §. *Iſti ergò.* §. *Citato* §. *Hiſque.*
Quommodo procedend, *ibid.* §. *Hiſque & ſeq.*
Quando Cootumax debeat audiri, *ibid. fol.* 260. §. *Tria Tempora.*
An Contumax debeat audiri per Procuratorem, *ibid.* §. *Sit prima Regula, & ſeq.*
Quod ſi compateat poſt ſententiam, & combuſtionem ejus ſtatus, *ibid. fol.* 261. §. *Sit quarta Regula: & fol.* 263. §. *Hinc, & ſeq.*
Quid ſi Contumax moriatur infra annum, *ibidem* §. *Quod ſi.*
Qui ſit hæreticus interior, & exterior, *ibid. fol.* 262. §. *Ad majorem.*
Quommodo excuſetur contumacia, *ibid. fol.* 263. §. *Quod tandem.*
Quid ſi non probet innocentiam, *ibid. fol.* 264. §. *Ex quibus & ſeq.*
Quid ſi probet Innocentiam, *ibid.* §. *Si verò, & ſeq.*
Quid ſi compareat poſt ſententiam audiend: *ibidem* §. *Quinta Regula.*
Quid ſi compareant Filii poſt ſententiam contra Patrem, *ibid. fol.* 265. §. *Sed quid, & ſeq.*

CORPUS DELICTI.

Quando, & quommodò de illo conſtare debeat in Cauſis Hæreticorum, Maleficorum &c. *tom.* 2. *conſ.* 144. *fol.* 67. §. *Et Quamvis, & ſeq.*
An Notarius de corpore delicti Inſtrumentum conficere valeat abſque commiſſione Judicis, *ibid. fol.* 69. §. *Notarius, & ſeq.*
Quotuplex corpus delicti, & quid, *ibid. fol.* 67. §. *Quoniam autem.*

COSCINOMANTIA.

Quę ſit & quommodo exercebatur per Cribrum, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Coſcinomantia.* Ubi etiam de Cratomantia agitur.

CULTUS.

Quotuplex, *tom.* 1. *conſ.* 34. *fol.* 79.
Falſus, & pernicioſus, *tom.* 1. *conſ.* 50. §. 1. *fol.* 145. & *fol.* 146. §. *Cultus pernicioſus.*
Superfluus, & vanus, *ibid.* §. *Cultus verò Superfluus.*
Cultus Reliquiarum falſarum, eſt peccatum mortale contra fidei veritatem, *ibid.* §. *Undè.*
Cultus prophani peccatum eſt, ſonus & cantus item prophani in Eccleſia inter Divina Officia, *ibid.* §. *Hinc etiam.*
Item fingere miracula, *ibid.* §. *Qui fingeret.*
Cultus ſuperfluus eſt ſuperſtitioſus, & peccatum veniale, *ibid.* §. *Superſtitioſus.*
Votum jejunandi diebus dominicis, eſt cultus Dei indebitus, & ſuperfluus, & per conſequens illicitus, & invalidus adverſatur conſuetudini Eccleſię, *ibid.* §. *Votum.*
Recitare Pſalmum, Deus laudem meam 108. ad vindictam eſt cultus ſuperſtitioſus, & mortale peccatum, *ibid.* §. *Eſt quoque.*
Cognitio ſuperſtitionis cultus falſi, & pernicioſi, ſpectat ad S. O. non autem Cultus ſuperflui, *ibidem fol.* 147. §. *Porrò, & ſeq.* Licèt hæreſim manifeſtè non ſapiat, pertinet ad S. O. vigore Conſtitutionis Sixti V. *ibid.* §. *Cognitio.*

CUSTODES CARCERUM.

S. Officii, à quo, & quales deputandi, quod eorum officium, *tom.* 2. *conſ.* 133. *fol.* 2. §. *Quod verò.*
Quando puniendi ſi carceratus aufugiat, *ibid.* §. *Et licèt.*
De probatione culpę Cuſtodis in fuga Carcerati diſſeritur, *ibid. fol.* 3. §. *In dubio, & ſeq.*
De pęna Cuſtodis cognoſcentis carnaliter mulierem carceratam, *ibid.* §. *Carnaliter.*

D

DACTILOMANTIA.

Ex anulis ad determinatum Cœli ſitum contentis, vel Characteribus inciſis, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Dactilomantia.*

DEFENSIONES.

Reis in S. O. faciendę, etiam ſi illis renunciaverint, *tom.* 2. *conſ.* 155. *per tot. & ſignanter* §. *primo fol.* 118.
Etiam Reis confeſſis, aut convinctis, *ibid.* §. *Ac ita.*
Dantur Advocatus, & Procurator, ubi plura de Advocato, & Procuratore Reorum, *ibid.* §. *Ideoque & ſeq.* §. *Admittitur.*
Conceditur alius Advocatus pręter ordinarium S. O. ſi Reus petat, *ibid. fol.* 119. §. *Si Reus petat.*
Salarium ſolvitur de bonis Reorum, ſi pauperes non ſint, ſin minus tenetur Advocatus patrocinare gratis, *ibid.* §. *Quod hujuſmodi.*
Poteſt Inquiſitor per cenſuras compellere Advocatos ſęculares ad patrocinium cauſarum Reorum, *ibid.* §. *Notandum.*
Si Advocatus eſſet unus ex Conſultoribus abſtinere poſtea debet in illa cauſa in Congregatione à ſuo ſuffragio, *ibid.* §. *Si Reus.*
Pro defenſione Rei Carcerati debet admitti articulus, etiam ſi prodeſſet Reo contumaci, ſed cum proteſtatione Fiſci, *ibid.* §. *In defenſionem*, & §. *Neque.*
Reus, qui timere poteſt gravem pænam, defenſionibus renunciare non poteſt, *ibidem* §. *Reus verò & ſeq.* Secus quando cauſa eſt levis, *ibid.* §. *Si verò cauſa.* Quid ſi agatur de ammiſſione proprię famę, *ibid. fol.* 120. §. *Secundum, & ſeq.*
An dentur caſus, in quibus nullæ competunt Deo defenſiones, & quatenus &c. Quinam ſint, *ibidem* §. *Sunt autem, & ſeq.*
Defenſiones poſſunt reſultare ex nullitate proceſſus, *ibid.* §. *Poteſt etiam.*
Defenſio contra Teſtes, quommodo in S. O. *ibid.* §. *Defenſio, & ſeq.*
Defenſio ſe non eſſe hæreticum qualis, *ibid.* §. *Ut autem de Inimicitia, & fol.* 121. §. *Poteſt autem.*
Ignorantia an excuſet in rebus manifeſtis, *ibid. fol.* 120. §. *Hac tamen.*
In quibus defenſiones fieri poſſint, *ibid. fol.* 121. §. *Hujuſmodi.*
Defenſio ex amentia, vel furore &c. quomodo probanda §. *Secundo, & ſeq.*
Defenſio Blaſphemi, *ibid.* §. *Blaſphemus, & ſeq.*
Minorem ętatem ad defenſionem allegare in S. Offic. quando juvet, *ibid.* §. *An autem, & ſeq.*
Senectus quoque minuit pænas, *ibid. fol.* 122. §. *Pæna etiam.*
Vis, & metus, *ibid.* §. *Vis item, & ſeq.* An juvat in illo, qui ſe finxit hæreticum, vel Turcam, ſed interiùs Chriſtum non negavit, *ibid.* §. *Qui vero, & ſeq. & fol.* 123. §. *Hanc ipſam, & ſeq.*
Ignorantia, *ibid.* §. *Ignorantia, & ſeq.* §. *Porrò ignorantia.*
Deceptus à Viro, *ibid.* §. *Qui ſimiliter.*
Amoris violentia, *ibid.* §. *Poteſt etiam, & ſeq.*
Innocentia quommodo probanda, *ibid. fol.* 124. §. *Multis modis, & ſeq.*
Inquiſitor, ſeu Epiſcopus in Cauſa Hæreſis, an poſſit recuſari, & de Cauſis recuſationis, *ibid. fol.* 125. §. *An autem.*

De

De appellatione abinterlocutoria, an detur, & cui ſit recurrendum, *ibid. §. A Sententia.*

An à Definitiva, *ibid. §. Et quamvis.*

De defenſione Heretici defuncti, *tom. 2. conſ.* 159. *§. Idque, & conſ.* 157. *per tot. fol.* 130. Ubi qualis ei competit, quinam, & quommodo in ea citandi.

Defenſiones non dantur reis S. O. extra Carceres ſecret. *tom. 2. conſ. 157. fol. 132. §. Parerga, & ſeq.*

Non ſolvunt copiam miſſam ab Inquiſitoribus, niſi ad eorum inſtantiam mittatur, *ibid. fol. 133. §. Copiam.*

Quęnam copiæ poſſunt haberi à S. O. *ibid. §. Copiam, & ſeq.*

Renunciatio defenſionis judicialiter facta à Reo, qui ſe remittit benignitati S. O. eſt tacita Confeſſio, *tom. 2. conſ. 159. fol. 142. §. Quando autem.*

DEFUNCTUS.

Hęretici defuncti, an contra illos procedatur in S.O. quando, & quare, *tom. 2. conſ. 156. fol. 126. Per totam.*

An contra credentes, & recurrentes ad hęreticos, *ibid. §. Quod ſanè.*

Quinam ſint credentes, *ibid. §. Eſt autem.*

An contra Fautores, Defenſores, & de fide ſuſpectos, *ibid. §. Aliter.*

An contra Apoſtatam à fide, *ibid. §. Poteſt.*

Infra quod tempus procedi poſſit contra defunctum. *ibid. §. Quod verò, & ſeq.* Ubi cum diſtinctione, quoad memoriam &quo ad bonorum confiſcationem.

Quommodo procedendum contra defunctum hæreticum, *ibid. fol. 128. §. Quomodo autem, & fol. 129. §. Advertendum.*

Hæreſis debet eſſe formalis, *ibid. fol. 128. §. Hoc tamen.*

Quommodo defendendum Hæreticum Defunctum, *ibid. §. Ideoque Inquiſitores, & ſeq.*

Pœnę autem quænam ſint, *ibid. fol. 129. §. Pœna verò.*

An domus ſit evertenda, & quid in tali caſu faciendum, *ibid. §. Cum verò.*

An ſtatua minoris comburenda, *ibid. §. Quod item.*

Quid agendum de inquiſito mortuo ante ſententiam, *ibid. §. Atque ex his, & ſeq.*

Quid de Contumaci, qui per annum perſtitit in excommunicatione, *ibid. §. Tanquam.*

Quommodo procedendum contra Memoriam, *ibid. §. Contra igitur.*

Quid de hæretico quí in morte dedit ſigna Pęnitentiæ, *ibid. §. Ac demum.*

An ſint retinendæ illorum Imagines, *ibid. fol. 130. §. Imagines.*

DEGRADATIO.

Verbalis, an, & quando facienda, & quid operetur, *tom. 2. conſ. 162. fol.* 186. *§. Quod ſi talis, & ſeq. & fol. 193. §. Verbalis.*

Quid ſit degradatio, *tom. 2. conſ. 163. fol. 191. §. Scandalum.*

Quotuplex, *eodem §.*

Quid ſit depoſitio *§. eodem.* Ubi quando imponenda, *& fol. 192. §. Locum & §. Depoſitio.*

Suſpenſio ab Officio, & Beneficio minor quam depoſitio, *ibid. §. Suſpenſio.*

Clericus depoſitus non ſit de foro Judicis Sæcularis, *ibid. §. Hic notandum.*

An Ordinatus, & Beneficio proviſus à Papa, poſſit deponi à ſuo Epiſcopo, *ibid. §. Dubitatura.*

Quommodo fiat degradatio, *ibid. fol. 197. §. Degradatio.*

In quo conſiſtat, *ibid. §. Verum.*

Diſtinguitur degradatio in verbalem, & actualem, ſive ſolemnem, *ibid. fol. 193. §. Hæc igitur, & fol. 199. §. Diſtinguuntur, & ſeq.*

Qui poſſit degradare, & quommodò, *ibid. fol. 193. §. Hunc igitur. & fol. 194. §. Solus. §. Prælati. §. Suppoſito.*

Diſtinctio inter degradationem Clerici minoris, & in Sacris, *ibid. §. At in hoc.*

Clerici verò, *fol. 197. §. Ex his, & ſeq.*

Cui poſſit committi degradatio verbalis, *ibid. §. Epiſcopus vero.*

An ſit de forma vocare Abbates, Prælatos &c. ad exauctoritatem, *ibid. fol. 195. §. An autem.*

Videtur, quod uti Conjudices ſint vocandi, *ibid. §. Decretum, & ſeq.*

Sed non eſt determinatus numerus eorum, *ibid. fol. 196. §. Ideoque, & ſeq.*

Concluditur, quod convocatio ſit de ſolemnitate tantum, non autem de forma, *ibid. §. Tenendum, & ſeq.*

Qui dicantur Abbates, *ibid. §. In terminis.*

Quando facienda ſit degradatio, *ibid. fol. 197. §. Degradatio autem, & ſeq.*

An damnandi ad perpetuum Carcerem, *ibid. §. Item ſi Clericus.*

Ad Triremes perpetuos ſint actualiter degradandi, *ibid. §. Damnatos, & ſeq.*

Degradatio ab Officiis, & dignitatibus fit verbaliter tantum, *ibid. fol. 198. §. Præterea, & ſeq.*

Effectus degradationis, qui ſint, *ibid. fol. 199. §. Effectus & ſeq.*

Degradato verbaliter contumaci propter hæreſim ac redeunti ad Pœnitentiam debet dari audientia, *ibid. §. Subditque.*

Quid poſtquam traditus fuit Curiæ Sæculari, *ibid. fol. 200. §. Poſtquam.*

An fieri poſſit ſine Accuſatore, procedendo per Inquiſitionem, *ibid. §. Cæterum.*

An degradato etiam actualiter, remaneat Caracter ordinis, & poteſtas, *ibid. §. Hic tamen.*

An degradatus, ſi eſſet Sacerdos, poſſet dicere Dominus vobiſcum, *eodem §. Hic tamen.*

An damnatus ad Triremes ad decennium degradetur actualiter, *tom. 2. conſ. 200. fol. 517. §. Qui damnatur.*

DÆMON.

Vide Spiritus.

Dæmoni exhibens obſequium profanum peccat, *tom. 1. conſ. 34. fol. 79. §. Is etiam.*

Et eſt de Hæreſi ſuſpectus, ſi offerat cultum dæmoni, Deo, vel Sanctis debitum, *ibid. §. Quare.*

De adorante dæmonem putans eſſe Chriſtum, quia illi Dæmon per Imaginem Chriſti fuerit allocutus an peccet, & quommodo, *ibid. §. Qui autem.*

Quatenus invocatio dæmonis ſit illicita, *tom. 1. conſ. 49. fol. 139. §. Quinto.*

De pactis inter hominem, & dęmonem, *ibid. §. Et nihilominus.*

Quid ad pactum requiratur, *ibid. fol. 141. §. Septimo.*

Regulæ fundamentales ad dignoſcendum, in quo conſiſtat hoc peccatum, adducuntur, & affirmantur, *ibid. fol. 142. §. Sit itaque regula.*

Dæmonis invocatio ad ea, quę facere poteſt ſua virtute ſine cultu, & abuſu rei ſacrę an ſapiat hæreſim manifeſtam, *tom. 1. conſ. 54. fol. 182. §. Eſt igitur.*

Quando invocatur dæmon ſine manifeſto cultu Latrię, & Duliæ, & ſine abuſu rei ſacrę &c. non ſapit hæreſim manifeſtè, nec inducit ſuſpicionem vehementem, *ibid. fol. 183. §. Primam Partem.*

Dæmones cur non niſi ſub certis quibuſdam Conſtellationibus & non niſi certis quibuſdam herbis, lapidibus, figuris, aut ſignis adhibitis advocentur à Magis, *tom. 1. conſ. 65. fol. 229. §. At quæres.*

Quę opera admiranda poſſunt facere Dæmones, vel per ſe ipſos, vel per Magos, *tom. 1. conſ. 67. fol. 235. §. At cur & ſeq.*

Quommodò dæmon viſibilem ſe præbeat, *ibid. fol. 238. §. Poteſt.*

Qua forma apparere ſoleat, *ibid. §. Quando.*

Cur nunquam ſub forma agni, & Columbæ, *ibid. §. Poteſt.*

Quid poſſint Magi in Dæmones, *ibid. fol.* 239. §. *Magia verò.*
Dæmon non poteſt mortuos ad Vitam revocare, nec producere formas ſubſtantiales, *ibid. fol.* 241. §. *Præterea.*
Qui certò credit dæmonem ſcire futura contingentia circa voluntatem hominis, an ſit hæreticus, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Eandemque.*
Non poteſt nobis veras animas Defunctorum oſtendere, *tom.* 1. *conſ.* 68. *fol.* 244. §. *Cæterum.*
Quæ Dæmon poſſit prædicere, *tom.* 1. *conſ.* 72. *fol.* 262. §. *Deinde.*
An poſſit præſcire futura pro aliquo brevi tempore, *tom.* 1. *conſ.* 84. *fol.* 315. §. *Denique.*
An, & quare in aliquibus futuris veritatem, *ibid. fol.* 313. §. *Magi verò.*
An poſſit cognoſcere futura etiam per aſtra, *tom.* 1. *conſ.* 85. *fol.* 316. §. 1. *ſeq.*
De invocatione dæmonis quando ſit actus ſuperſtitioſus, & hæreticalis ſubjectus Inquiſitioni, *tom.* 1. *conſ.* 93. *fol.* 345. §. 1.
Quotuplex Dęmon invocari poſſit, *ibid.* §. 1. *& ſeq.*
Num dæmones bona conſulentes ſint audiendi, *ibid. fol.* 346. §. *Neque.*
De invocatione dæmonis per modum deſperationis irę, indignationis &c. *ibid. fol.* 345. §. 1.
Per modum adjutorii, *ibid.* §. *Tertio & ſeq.*
Adjorationis, *ibid.* §. *Secundo.*
Deprecative, *ibid.* §. *Invocatio.*
Imperative, *ibid.* §. *Putant Eymericus & ſeq.*
Si quis Dęmonis reſponſum credit eſſe certum, committit peccatum Idolatrię, & hęreſis, *ibid. fol.* 346. §. *Qui autem.*
Si quis Dæmonem invocat ad bonum finem, peccat mortaliter, & ſapit hæreſim, *ibid.* §. *Quin imò.*
Dęmonis invocatio ad ea, quæ ſcire, & facere poteſt, an ſapiat hęreſim manifeſtam, *tom.* 1. *conſ.* 121. *fol.* 497. §. 1. *& ſeq.*
Quando ſit licita Dæmonis invocatio, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 208. §. *Invocatio autem, & ſeq.*
Certum eſt de fide dęmonem non poſſe humanam voluntatem ad amorem, poteſt tamen perturbare ad imaginativam, & Phantaſiam, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 527. §. *Et hac in re.*

DENUNCIATIO.

De obligatione denunciandi Sortilegos, & de hæreſi ſuſpectos extat, *tom.* 2. *conſ.* 143. *fol.* 47. *per tot.*
An differat ab accuſatione, *ibid.* §. *Denunciator.*
Denunciatio Charitativa, & judicialis, quomodò differant, *ibid. fol.* 48. §. *Differt. & fol.* 49. §. *Quandò.*
Sub qua pęna teneatur, quis denunciare hæreticum, vel Sortilegum, ſi credat emendatum, *ibid.* §. *Et quamquam cum ſeq. & fol.* 53. §. *Tenemur cum ſeq.*
An filius teneatur denunciare Patrem, & contra, *ibid. fol.* 49. §. *Filius.*
An filius denuncians Patrem hæreticum &c. privetur bonis paternis, & pæna contra filios hæreticorum impoſita ipſe mulctetur, *ibid. fol.* 50. §. *Hac filius & ſeq. & fol.* 51. *Idemque dicendum.*
De Uxore an teneatur denunciare Virum, & è contra, *ibid. fol.* 50. §. *De Uxore*, & §. *At verius eſt.*
Non denuncians quando incurrat ſuſpicionem, *ibid.* §. *Non denuncians, & ſeq. & fol.* 52. §. *Omittens.*
An Amicus non denuncians Amicum ſuſpectum incidat in ſuſpicionem, *ibid. fol.* 51. §. *Idemque &* §. §. *ſeqq.* Ubi plura de Amicitia, & *fol.* 55. §. *Neque Advocatus.*
Denunciatio, vel accuſatio an reiterari poſſit, *ibid. fol.* 53. §. *An autem cum ſeq.*
An Imperatores, Reges, Cardinales &c. denunciare debeant, *ibid. fol.* 54. §. *Quo verò cum ſeq.*
An ſciens aliquid ſub ſecreto naturali teneatur denunciare, *ibid.* §. *Sciens.*
An ſciens cum juramento ſecreti, *ibid.* §. *At ita ſe.*
An ſciens cum ſecreto Confeſſionis, *ibid.* §. *Secus, & fol.* 55. §. *Adnotandum.*
An Advocatus, Medicus &c. ſciens ſub ſigillo ſecreti teneatur denunciare &c. *ibid.* §. *Neque Advocatus.*
An qui per vim, vel fraudem ſcierit, *ibid.* §. *Similiter.*
An ſciens de auditu alieno teneatur denunciare, *ibid.* §. *Sciens autem & ſeq.*
An quis teneatur denunciare ſe ipſum, *ibid. fol.* 56. §. *Non tamen, & ſeq.*
An ſollicitus in confeſſione conſentiens, *ibid.* §. *Excipio.*
An Mulieres ſimplices, quę ex ignorantia committunt ſortilegia ſint denunciandę, *ibid.* §. *Mulierem autem.*
An Mulieres diffamatę de maleficiis, *ibid.* §. *Qui verè.*
Quid facere teneatur, qui per impotentiam, vel ignorantiam Edicti Inquiſitoris non denunciavit, *ibid.* §. *Is autem.*
An quis teneatur prævenire tempus denunciationis, *ibid. fol.* 57. *An autem, & ſeq.*
Qui non denunciavit, incurrit excommunicationem, *ibid.* §. *Quamquam.*
Et non poteſt abſolvi, quamvis promittat denunciare, neque virtute Bullæ cruciatę, *ibid. fol.* 58. §. *Quid autem.*
Qui ex officio tenetur, & non denunciat, habetur pro ſuſpecto, *ibid.* §. *Qui ex Officio, & ſeq.*
Quomodo facienda ſit denunciatio, *ibid. fol.* 59. §. *Hujuſmodi, & ſeq.*
De falſæ denunciationis pęna, *ibid.* §. *Quod ſi.*
Obligatio denunciandi Idolatriam non expirat, *ibid. fol.* 60. §. *Cæterùm.*
Denunciatio incerti, vel ſecreti Auctoris non attenditur in S. O. *ibid.* §. *Denunciationis.*
Scientes, & recuſantes denunciare hæreticos, vel ſuſpectos, licèt moniti non poſſunt abſolvi à Confeſſariis, quamvis dicant ſe illos correxiſſe, *ibid.* §. *Scientes.*
Denuncians in S. O. habetur tamquam Teſtis, *ibid.* §. *Deterge.*
An Superiores Regulares non denunciantes ſuos Subditos, vel denunciare impedientes ſint ſuſpecti, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 232. §. *Dubitatur.*

DEPOSITARIUS.

Bonorum, & redituum S. Off. cui ſit ſubjectus, à quo, & qualis deputandus, & illius Officium quale, *tom.* 2. *conſ.* 133. *fol.* 2. §. *Quod verò, & ſeq.*
Quid ſi emat nomine proprio cum pecuniis Inquiſitionis bona ſtabilia, cui efficiantur, & ſint, *ibid.* §. *Si autem.*

DEUS.

Quommodo cognoſcibilis, *tom.* 1. *conſ.* 28. *fol.* 41. §. *Quoniam ad fin.*
Et à poſteriori demonſtrabilis, *ibid.* §. *Eodem modo.*
Eſſe unum Deum adducuntur authoritates, & rationes, & Poetarum, Philoſophorum, Sibillarum, & aliorum ſententię, *tom.* 1. *conſ.* 29. *per totam fol.* 45.
Deorum Gentilium origines, & variæ conditiones, *tom.* 1. *conſ.* 33. *fol.* 76. §. *Sacris & ſeq.*
Pro Deo colens Creaturam, credens, illam non eſſe Deum, an peccet, *tom.* 1. *conſ.* 34. *fol.* 79. §. *Qui autem.*
Vide Idolatria.
De indebito cultu veri Dei, *tom.* 1. *conſ.* 50. *per totam fol.* 145.
Quommodo exhibeatur, *ibid. fol.* 146.
An ſemper ſit peccatum mortale, *ibid.*
Quid de cultu non falſo, ſed ſuperfluo, *ibid.*
Ad quem pertineat agnitio ſuperſtitionis Cultus Deo indebiti, *ibid.*

DISPEN-

Digitized by Google

DISPENSATIO.

Vide Abſolutio.

DISPUTATIO.

Effugienda cum hęreticis edicto Marciani Imperatoris, ut de ſemel judicatis, non ampliùs diſputetur, *tom. 1. conſ. 11. fol. 13. §. Sanè.*
Quid à diſputationibus advenerit Eccleſię ex relatis à Tertulliano, *ibid. eodem §.*
Publicè non permittitur cum hæreticis, niſi perſonis egregiè doctis, *tom. 2. conſ. 202. fol. 519. §. Conferentia.*

DIVINATIO.

Quæ de divinantibus per dæmones ferenda ſententia, *tom. 1. conſ. 36. fol. 87. §. Eademque.*
Quomodo intelligendum cap. accuſatus gloſſ. de hęret. in 6. *ibid. §. Namque.*
An divinatio poſſit eſſe naturalis ſaltem Angelo ac dęmoni, *tom. 1. conſ. 84. fol. 313. §. Hinc dicend.*
An detur divinatio naturalis, *tom. 1. conſ. 86. §. 1. & ſeq. fol. 319.*
An artificioſa, *ibid. &c. §. Divinatio.*
Earum mira referuntur, *ibid. §. Hac Salomon.*
Naturalis eſt licita, *§. Quoniam.*
An, & quatenus ex animalibus licitè prędici queant futura, *tom. 1. conſ. 87. fol. 320. §. 1. & ſeq. & fol. 321. §. Ex quibus.* Definitur affirmativè.
Quatenus ex Monſtris, aliiſque portentis, pro negativa reſolvitur, *ibid. §. Quod verò & fol. 323. §. Quomodo, & fol. 324. §. Ex his.*
Quid ſit monſtrum, *ibid. fol. 321. §. Monſtrum.*
De Phenice, *ibid. fol. 323. §. Sed & ſeq.*
An ſit ſuperſtitioſa divinatio, *tom. 1. conſ. 90. fol. 332. §. 1. & ſeq.*
Dividitur in illam, quæ fit expreſſo pacto cum Dæmone, & quę fit cum implicito, *tom. 1. conſ. 91. fol. 335. §. 1. & ſeq.* Ubi variæ divinationis ſpecies referuntur.
Quando non ſit ſuperſtitioſa, *tom. 1. conſ. 94. fol. 347. §. 1. & 2.*
Omne genus divinandi, eſt intrinſecè malum, *tom. 1. conſ. 92. fol. 342. §. Quare & ſeq.* Eſt peccatum mortale, *ibid. fol. 343. §. Porrò.*
An excuſet ignorantia, *ibid. fol. 344. §. Non tamen, & ſeq.*
An evadere poſſit peccatum veniale, & quando, *ibid. §. Si igitur.*
Spectat ad S. Officium, *tom. 2. conſ. 134. fol. 5. §. Ita quoque.* Et quando ſapiant hæreſim.
Quomodo differat à ſuperſtitione, *tom. 1. conſ. 52. fol. 150. §. 1.*
Undè veniant, & quomodò fiant divinationes in hominibus, *ibid. fol. 173. §. At nihilominus & ſeq.*
Quatenus ſit dęmoniacæ ſpecies, *tom. 1. conſ. 72. fol. 261.*
Ejus diviſio, *ibid.*
Quid requiratur ad conſtituendam divinationem, *tom. 1. conſ. 76. fol. 282. §. Non itaque.*
Quando tantum illicita, *ibid. §. Haud tamen.*
Divinationis fundamentum, *ibid. §. Platonici.* Summa ejus genera, *ibid. §. Et præter.*
Species, ac modi divinationis, quibus non explicitum pactum, vel latens admodum, ſed implicitum, *ibid. §. Et quod.*
De divinatione per ſomnia, an ſit licita, *tom. 1. conſ. 73. fol. 265. §. Secunda, & conſ. 76. fol. 282. §. Unde.*
Qui ſint divini, *ibid. §. Nam divina.*
Qui ſe eſſe dicebant, *ibid. fol. 283. §. Haud tamen.*
An Sancti fuerint divini, & quommodo, *ibid. fol. 285. §. Sancti.*
Divinatio proſperæ, & adverſæ fortunæ per Characteres manuſcriptos, eſt ſuperſtitioſa, *tom. 1. conſ. 80. fol. 300. §. Divinare.*
Divinatio aliquando fit per explicitam dæmonis Invocationem, & quommodo, *tom. 1. conſ. 83. fol. 312. §. Prior devinatio.*
Aliqoando per implicitam, *ibid. §. Rurſus.*
De divinatione Pythonica, *tom. 1. conſ. 94. fol. 350. §. Sub hac.*
Vbi qui dicantur Phanatici & extatici, *ibid fol. 351. §. Diſtingui.* Et in quo diſtinguantur, *eodem §.*

DOCTORES.

Poſſunt cenſurare propoſitiones circa doctrinam, *tom. 1. conſ. 38. fol. 103. §. Primo.*
Qui ſint, *ibid. fol. 105. §. Dixi, & §. Id vero.*
Qui poſſint collegialiter, *ibid. § Quod ſi.*
Vide Magiſtri.
Doctores Catholici nequeunt in cauſis Eccleſiaſticis præbere conſilium Officialibus hæreticis illum petentibus; eſt enim contra Sacros Canones, *tom. 2. conſ. 202. fol. 519. §. Doctores.*

DOGMATISTA.

Quid ſit, & in quo differat ab Hereſiarca, *tom. 1. conſ. 40. fol. 108. §. An vero.*
Qui cenſetur Dogmatiſta, *ibid. §. Hinc eſt.*
Qua pœna puniendus pro prima vice, *ibid. §. Hos autem.*
An admittendus ad Miſericordiam, ſi reſipiſcat, *ibid. §. Et primum, & ſeq.*
An qui opinatur (falſo tamen) aliquod Dogma eſſe ab Eccleſia definitum, & contrarium tenet ſit hæreticus *tom. 1. conſ. 36. fol. 87. §. Idem eſt.*

DUELLUM, *ſive* MONOMACHIA.

Eſt ſpecies purgationis, *tom. 1. conſ. 74. fol. 271. §. Inter autem.*
Duelli leges referuntur, *ibid. fol. 272. §. Et Idcirco.*
Duellum non eſſe licitum, & quare, *ibid. fol. 275. §. Et utinam.*

E

ECCLESIA.

Eccleſia eſt Vox, & medium inducendi, & confirmandi homines in fide, *tom. 1. conſ. 5. §. 1. fol. 5.*
Illius Authoritas, *ibid. §. Vox igitur & ſeq.* Vox igitur non fallitur, & ei tantummodo in doctrina credendum eſt, *§. Quemadmodum & ſeq.*
Eſt Judex controverſiarum fidei, *tom. 1. conſ. 6. fol. 7. §. Hic autem.*
In decernendis quæſtionibus fidei eſt certa, & infallibilis, *tom. 1. conſ. 7. §. 1. fol. 7. per totam.*
Eccleſiæ Deus revelavit miſteria fidei, quod eſt tenendum de fide, *ibid. fol. 8. §. Eccleſia igitur.*
Eccleſię voci acquieſcendum eſt, *tom. 1. conſ. 8. per tot.*
Eccleſię vox non divina, ſed humana, *tom. 1. conſ. 9. fol. 9. §. 1. 2. 3. 4.*
Nova fidei articula non condit, ſed novis quandoque doctrinis explicat, *ibid. fol. 10. §. Novi ergo & ſeq.*
Eccleſiæ diſſidia componendi remedium Theodoſii Imper. *tom. 1. conſ. 11. fol. 12. §. Opportuniſſimum.*
Sub Eccleſiæ nomine, quę intelligantur, *tom. 1. conſ. 13. fol. 15. §. 1.*
1. Cœtum Vocatorum, *ibid. §. Primò.*
2. Cœtum Concilium Congregatio fidelium, *ibid. §. Secundò.*
3. Pręſides, & Paſtores, *ibid. §. Tertiò.*
4. Locus ubi fideles conveniunt, *ibid. §. Quartò.*
5. Cœtum hominum evocatorum ad ſerviendum Deo, cujus Caput eſt Chriſtus, *ibid. fol. 16. §. Quintò.*
6. Reſpublicę Chriſtianæ, *ibid §. Quamvis.* Earumque varię demonſtrationes *§. Sunt, & §. Quibus,*
7. Cœtus vocationis, *ibid. §. Aptiſſime.*
Multæ definitiones, *ibid. §. Vt autem & ſeq.*
Militans, quæ ſit, quęque triumphans, *tom. 1. conſ. 14. §. 1. fol. 17.*
Extra Eccleſiam non eſt ſalus, *ibid. §. Quæ duæ.*
Eccleſiæ hujus temporis definitio, *ibid. §. Eccleſia*
Nonnullorum hæreticorum definitiones Eccleſiæ, & nomina, *ibid. §. Novatiani, & ſeq.*

Definitio Catholicorum, *ibid. §. Contra hos.*
Ab Eccleſia excluſi hęretici, Apoſtatę, & alii, *ibid. §. Excluduntur.*
Eccleſia punit etiam hæreticos, Judeos, Infideles, licet extra Eccleſiam ſint, *ibid. fol.* 18. *§. Quamquam.*
In Eccleſia, an ſint hęretici occulti, *tom.* 1. *conſ.* 15. *§.* 1. *fol.* 18.
Et reſolvitur pro affirmativa, *ibid. §. Quare & ſeq.*
In Eccleſia eſſe ſolos prædeſtinatos eſt error Calvini, ſunt etiam imperfecti Chriſtiani, & peccatores, *ib. fol.* 21. *§. Et quod; & ſeq.*
Eccleſia cur dicatur, tota pulchra, *ibid. §. Dicitur autem.*
Eccleſia Chriſti militans unica, non duæ, *tom.* 1. *conſ.* 16. *§.* 1. *fol.* 21.
Eccleſiam externam, & internam dicunt Luterus, Calvinus, & alii Sectarii, *eodem §.* Adducuntur rationes eorum, *ibid. §. Iſtud.* Et confutantur: *ibid.*
Chriſti corpus miſticum in Eccleſia unicum eſt, *ibid. fol.* 22. *§. Cum verò.*
Referuntur, & refelluntur rationes Donatiſtarum, & aliorum circa multiplicitatem Eccleſiarum, *ibid. §. Et dum; & ſeq.*
Eccleſia Chriſti viſibilis, quando originem habuerit, Caput ejus eſt Papa, *ibid. §. Quod autem, & ſeq.*
Adducuntur rationes circa viſibilitatem Eccleſię, *ibid. §. Atque.*
Eccleſia aſſimilatur Soli, Civitati, Monti, &c. *ibid. fol.* 23. *§. Denique.*
Cur in Simbolo dicatur, Credo in unam Sanctam Catholicam &c. & non video unam Sanctam &c. *ibid. §. Ad eundem.*
Eccleſia Chriſti an ab initio mundi ſemper viſibiliter fuerit, *tom.* 1. *conſ.* 17. *§. primo fol.* 23. Et quando nobilior, *ibid. §. Sicut.*
Nunquam defecit, *ibid. §. Ac tandem & ſeq.*
Illuſtrior poſt adventum Chriſti, & perſecutionem, *ibid. fol.* 24. *§. At poſt & ſeq.*
Eccleſiæ privilegia à Chriſto conceſſa viſibili, militanti, non inviſibili, *tom.* 1. *conſ.* 16. *fol.* 24. *§. Ad ſecundum.*
Nunquam contra Eccleſiam prævaluerunt perſecutiones Infidelium; Hæreticorum fraudes &c., nam Chriſti vocatur Regnum quod non deficiet, *ibid. §. De quo.*
Contra Donatiſtas, & Sectarios, tenentes Eccleſiam viſibilem periiſſe, *ibid. fol.* 25. *§. Donatiſta.*
Eccleſię politia exterior ſub omnibus Chriſtianis, & Infidelibus Principibus, *ibid. §. Hac exterior.*
Eccleſia fundata ſuper Petrum, illuſtratur, non obſcuratur perſecutionibus, *ibid. §. Eccleſia verè.*
Eccleſia notatur una Sancta, Catholica, & Apoſtolica, *tom.* 1. *conſ.* 18. *per tot. fol.* 25.
Eccleſię membra, quæ ſint, *tom.* 1. *conſ.* 19. *fol.* 27. *§. Quæ autem.*
Eccleſiæ Primatus in Pontifice non extinguibile, *ibid. §. Quod autem.*
Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem omnes Eccleſię debent adire, *ibid. fol.* 28. *§. Quod autem & ſeq.*
Dicitur Sancta, & quare? *conſ.* 20. *per tot. fol.* 28.
Dicitur quoque Catholica, & unde, *tom.* 1. *conſ.* 21. *per tot. fol.* 30. Nec non Apoſtolica, *ibid. conſ.* 22. *per tot.*
Cur fundata ſuper fundamento Apoſtolorum, & Prophetarum, & quare dicatur Apoſtolica, non Prophetica, *ibid. fol.* 31. *§. Sed non immeritò.*
Quas Eccleſiæ notas Hæretici aſſignant, *tom.* 1. *conſ.* 23. *per tot. fol.* 32.

ECCLESIA.

An prior, & notior ſit Eccleſia, an Scriptura Sacra. An Eccleſia ibi eſſe dici poſſit, ubi Sacerdotes, & Epiſcopi veri, ac legitimè conſacrati non ſunt, *tom.* 1. *conſ.* 46. *per tot. fol.* 133.

ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

Vide Hierarchia.

ENERGUMENI.

Vide Exorciſta; Obſeſſi.

ENSALMUS.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 162. *§. Feminas.*
Quando ſit licitus ejus uſus, & undè dicatur, *ibid. §. At eſſe ſuperſtitioſas, & ſeq.*

EPISCOPI.

Authoritas circa Cenſuras Propoſitionum ad fidem ſpectantium, *tom.* 1. *conſ.* 38. *fol.* 103. *§. Cujus autem, & ſeq.*
Laborant in Eccleſia, quia bonos, & malos regere debent, *tom.* 1. *conſ.* 15. *fol.* 21. *§. Hinc.*
Sunt Miniſtri, & Vicarii in Eccleſia Chriſti, *tom.* 1. *conſ.* 19. *fol.* 27. *§. Ubi Apoſtolus, & ſeq.*
An inter Luteranos, & Calvinianos aliqua ex parte Sacerdotes, & Epiſcopi dicendi ſint, qui res ſpirituales, & Sacras adminiſtrant, *tom.* 1. *conſ.* 46. *per tot. fol.* 133.
Quid poſſint in rebus S. O. ſine Inquiſitore, *tom.* 2. *conſ.* 139. *per totam, fol.* 28.
Tenentur communicare ad invicem Proceſſus cum Inquiſitore, quando procedunt diviſim, *ibid. §. Quando autem, & ſeq.*
Quomodò ſe gerere debeant in materiis S. O. *ibid. fol.* 33. *§. Pererga, & ſeq. uſque ad finem dictæ conſ.* Ubi quid facere poſſint circa retentionem librorum prohibitorum.
Epiſcopus Græcus non poteſt exercere Pontificalia in Joalia, niſi de ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, & S. Congregationis S. O. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. *§. Si Inquiſitores.*
Epiſcopi quæ poſſint agere in cauſis fidei ſine Inquiſitore, & contra, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 536. *§. Aliqui Ordinarii.*
Epiſcopus, qui fuit apud Hæreticos, rediens, & ſpontè comparens, abjurat, & reſtituitur in priſtinum, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. *§. Epiſcopus.*
Quomodo procedendum in S. O. contra Epiſcopos, *ibid. fol.* 519. *§. Subſcribunt.*
De quibus monendi ſint Epiſcopi, *ibid. §. Epiſcopi monendi.*
Epiſcopi non apponant in Caſibus reſervatis Blaſphemias, Sortilegia, Carnium commeſtionem, facultatem abſolvendi ab hęreſi non concedant, *ibid. eodem §.*
Epiſcopo Carcerato in S. O. an, & quando inferatur tortura, *tom.* 2. *conſ.* 161. *fol.* 178. *§. Epiſcopus.*

ETNICI.

Vide Idolatræ.

EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM.

De abuſu Euchariſtię Sacramenti, *tom.* 1. *conſ.* 116. *fol.* 473. *§.* 1.
Qui celebrat non promotus, qua pœna puniendus quodve peccatum committat, *ibid. §. Committunt, & tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 219. *§. Celebrans.*
Qui abutitur Sacramento Euchariſtiæ in Sortilegio traditur Curię ſeculari, *tom.* 1. *conſ.* 116. *fol.* 473. *§. Sortilegus.*
Si Sacerdos celebrans ſuper rebus aptis ad ſortilegia, ſortilegorum pœna punitur, *ibid. §. Si quis.*
Si Sacerdos non conſecrat Hoſtiam punitur in S. O. *ibid. eodem §.*
Præbens vinum vineaceum in Sacramento Miſſæ expeditum cum monitione, *ibid. §. Præbens.*
Spontè Comparens, qui ante legitimam ætatem ordinatus ter Miſſam celebravit non conſecrando, & particulis non conſecratis, alios communicando abjurat de levi, & ſuſpenditur ab exercitio ſuorum ordinum, *ibid. fol.* 474. *§. Spontè comparens.*

Diaconus, qui Miſſam ſæpius celebravit, & Confeſſiones ſæpiùs audivit ſponté comparens remanet perpetuò ſuſpenſus, & Irregularis, *ibid. §. Diaconus.*
Inſerviens non Sacerdoti celebranti, quem ſciverat eſſe talem, abjurat de vehementi, & damnatur ad Triremes &c. quinquennium, & inhabilitatur ad inſerviendum Miſſę, *ibid. §. Inſerviens: & tom. 2. conſ. 200. fol. 516. §. Inſerviens.*
Proceditur in S. O. contra utentem in Miſſâ Hoſtia non conſecrata, & illam iterum conſecrando, *tom. 1. conſ. 116. fol. 474. §. Contra.*
Diſplicuit S. Congregationi Breve Pii IV, quod in aliquibus locis poſſe Euchariſtia miniſtrari Laicis ſub utraque ſpecie, *ibid. §. Breve.*
Contra Sacerdotem, qui in Miſſâ non conſecrat Hoſtiam, ſed verba conſecrationis ſuper Hoſtiam conſecratam profert, procedit Sanctum Officium, *ibid. §. Contra Sacerdotem.*
Qui retinet apud ſe particulam conſecratam contra arma, abjurat de vehementi, & damnatur ad Triremes per quinquennium, *ibid. §. Qui abutitur.*
Qui oblitus conſecrare Hoſtiam exponendam pro Oratione 40. horarum in Miſſa, conſecrat extra Miſſam ſit Irregularis, & eſt ſuſpectus de hæreſi, *ibid. §. At quid.*
Si exponit Hoſtiam non conſecratam cum particula conſecrata ab Hoſtia conſecrata cooperta, *ibid.*
Qui tentat celebrare Miſſam, & non celebrat, etiamſi non eſſet Sacerdos, & veſtibus ſacris indueretur, incidit in pænas; Eas verò incurrit, ſi celebrans, verba Conſecrationis non proferret, ſi non eſſet Sacerdos, *ibid. §. Animadvertendum.*
De more Chriſtianorum ponendi antiquitùs cibos ſuper Sepulchris mortuorum, *ibid. §. Et quidem.*
Qui Sanctiſſimam Euchariſtiam ad corporalem ſatietatem adhibet, eſt ſuſpectus, *tom. 2. conſ. 164. fol. 219 §. Qui Euchariſtiæ.*
Qui præbet Infirmo Hoſtiam non conſecratam ad evitandum ſcandalum, & ipſe Infirmus, qui ſciens, recipit, eſt ſuſpectus, *ibid. §. Infirmus.*
Celebrans bis in die, an puniatur in S. O. *ibid. §. Celebrans, & ſeq.*
Furantes Sac. Pyxidem cum particulis conſecratis, an ſint ſuſpecti, qua pæna puniantur, *ibid. fol. 231. §. Furantem, & ſeq.*
An Clerici, & Regulares comprehendantur in Conſtitutione Innocentii XI, & aliorum Pontificum circa furtum Euchariſtiæ, *ibid. §. An autem, & ſeq.*
Quid ſi furans Pixidem, particulas ſacratas non adſportet, ſed illas projiciat, *ibid. §. Caterùm.*
An Sacerdos verus, qui in Miſſę celebratione non conſecrat, ſubſit pænę Conſtitutionum, *tom. 2. conſ. 165. fol. 247. §. An verò.*
Qui celebrat non conſecrando, punitur in S. O. *ibid. §. Sed ſi verus.*
Qui cantat Evangelium, cum non ſit Diaconus non punitur in S. O. *ibid. fol. 248. §. Irregularitatem.*
Qui conculcant Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum, traduntur Curiæ Sæculari, & quando, *ibid. §. Quarto & ſeq. Vide* Celebrantes.
Qui loram ex maceratis vinaceis vulgo Aquaticcio pro ſacrificio Miſſæ dederit, expeditur cum monitione, *tom. 2. conſ. 200. fol. 514. §. Qui loram.*
Qui ante legitimam ætatem Ordinatus, Miſſam celebraverit, non conſecrando, & particulis non conſecratis aliis miniſtravit, quomodo expediendus, *ibid. fol. 515. §. Sponte.*
Sacerdos exiſtens in Triremibus, ſi conſecraverit panem transfertur ad S. Officium, & actualiter degradatur, deinde ad Triremes remittitur cum comminatione ultimi ſupplicii, in caſu reincidentiæ, quod ſi dum reconducitur ad Triremes, iterum panem conſecraret, cum ſit degradatus, non eſt ampliùs de foro Eccleſiaſtico, *ibid. fol. 516. §. Sacerdos.*
Qui Miſſę inſervit Sacerdotis non promoti, ſciens eſſe talem, quomodò expediatur, *ibid. §. Inſerviens. Vide* Sacerdos.

EXAMEN.

De Reorum examine in S. O. *tom. 2. conſ. 159. fol. 137. per tot.*
Quommodo Rei interrogandi, *ibid. §. 1. & ſeq.*
An ſit concedenda Reis dilatio ad reſpondendum, *ibid. §. Si autem.*
An ſit eis permittenda impunitas, neque remiſſio pænarum, ſi veritatem fateantur, *ibid. §. Non poteſt, & ſeq.*
Non eſt interrumpendus, qui veritatem fateri incepit, *ibid. §. Quinto.*
An Inquiſitor promiſſam impunitatem Reo ſervare teneatur, *ibid. fol. 138 §. Inquiſitorem.*
Quæ requirantur ad legitimum examen, *ibid. fol. 139. §. Reus autem.*

EXCOMMVNICATIO

Excommunicati ſunt ab Eccleſia depulſi, *tom. 1, conſ. 15. fol. 19. §. Et de excommunicatis.*
Excommunicatio injuſta, ſi legitimus Juris ordo ſit ſervatus, ſeparat a Communione exteriore Fidelium, non autem ab inviſibili Chriſti, & Eccleſiæ ſocietate, *ibid. §. Injuſte.*
Et aſſertur ratio, quia ſumit vires non à Juſtitia, ſed à poteſtate Clavium, *ibid. §. Nam.*
Excommunicatus injuſtę non auditur, niſi petat abſolutionem etiam ſi injuſtitia inſurgat, & fallitate Cauſæ, *ibid. fol. 20. §. Atque, & ſeq.*
Hoc tamen procedit quo ad Eccleſiam, non quo ad Deum, *ibid. §. Id tamen.*
Excommunicatio nulla non ligat, *ibid. §. Secundo.*
Intellige quando nullitas eſt notoria ibi.
Incurritur ab omnibus cum Hęreticis communicantibus vigore Bullæ Cænæ, *tom. 1, conſ. 44. fol. 120. §. Primo & ſeq.*
Excipitur ſummus Pontifex, *ibid. §. Summus.*
Fertur contra Invocantes dęmones, eos alligantes in anulis, adorantes, Sacramentis abutentes, pactum cum dæmone ineuntes; Rebus ſacris abutentes, *tom. 2. conſ. 137. fol. 17. §. Ab ipſo.*
An incurratur per inſordeſcentiam in excommunicatione ſuſpicio hæreſis, *tom. 2. conſ. 138. fol. 22. §. Putant: & conſ. 164. fol. 219. §. De contemptoribus, & ſeq. & conſ. 202. fol. 530. §. Sunt aliqui.*
An poſſint puniri à Judice laico, *tom. 2. fol. 260. §. Diſplicet.*
An, & quando procedatur in S. O. contra Obloquentes, contra excommunicationem, *tom. 2. conſ. 202. fol. 530. §. Excommunicationum.*
An procedendum in S. O. contra Inſordeſcentes, & perſeverantes in excommunicatione, quando, & quomodo, *tom. 2. conſ. 202. fol. 530. §. Sunt aliqui Ordinarii, & ſeq.*
Ubi, quod requiritur, citatio, & ſententia coram Ordinario, vel Auditore Cameræ Apoſtolicæ.

EXORCISMI, EXORCISTA.

Contra Dæmones, qui ſint, *tom. 1. conſ. 70. §. 1. fol. 246.*
Eorum conditiones, *ibid. §. Ut autem.*
Quis eis poſſit uti, *ibid. §. Omnis autem, & ſeq.*
Quo pacto adjurand: *ibid. §. Adjurari.*
An licitum ſit adjurare dęmones, *ibid. fol. 247. §. Eſt autem.*
Ad id requiſita, *ibid. §. Adjurantur.*
Media, & remedia ejiciendi dęmones, *ibid. fol. 252. §. Exorciſmi.*
Cur ſemper non liberentur Enegurmeni, *ibid. §. Cur autem.*
De quibus licet dæmones interrogare, *ibid. fol. 253. §. Non licet, & tom. 2. conſ. 202. fol. 538. §. Unde ſuper.*

Quid licitum ſit dæmoni per Eaoreiſtam præcipere, & an poſſit dæmon excommunicari, *tom.* 1. *fol.* 254. §. *Non tamen.*

Quid à Dæmone Eaorciſta eaigere poſſit reperto corpore delicti alicujus maleficii, vel perſooa maleficantis detecta, *tom.* 1. *fol.* 255. §. *Demum.*

Vide Energumeni obſeſſi.

EXTASIS.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 369. §. *Extaſis.*

An, & quando ſit a Deo, *ibid.* §. *Extaſes etiam, & fol.* 370. §. *Extaſes autem*, & *fol.* 371. §. *Ex his.*

Eataſes Sacrarum, *Ibid. fol.* 370. §. *Extaſes autem.*

An elevatio ſit ſignum infallibile, quod à Deo ſit Eataſis, *ibid.* §. *Si quis autem.*

Extaſis ab infirmitate, *ibid.* §. *Extaſes verò.*

An, & quando ſit Eataſi adhibenda fides, *ibid. fol.* 371. §. *Si Extaſis, & ſeq.*

F

FALSITAS.

Si quis Falſo prętextu S.O. aliquem detinuerit in Carceribus, ſuſpendatur à ſuo munere, & debet reficere damna, abſolvitur à Cenſuris, & graviter reprehenditur, *tom.* 2. *conſ.* 201. *fol.* 518. §. 1.

Si quis ſub ficto nomine Miniſtri, vel Officialis S.O. duceret ſecum Satellites, ne ab aliquo moleſtetur damnatur ad Triremes, *ibid.* §. *Si quis.*

Qui ſe jactat Commiſſarium S. Officii, & conſtruendo Proceſſus, pecunias extorqueret, damnatur ad Triremes, *ibid.* §. *Qui ſe jactaret.*

Falſificans literas Patentes S. Officii ut deferat arma damnatur ad Triremes, *ibid.* §. *Falſificans.*

Falſo ſe aſſerens Sanctum, vel affectans Sanctitatem, debet abjurare publicè, exauctorandus, & diffamandus eſt, *ibid.* §. *Contrà affectantem.*

Prohibitum eſt Confeſſarium præbere Teſtimonium ſanctitatis ſuorum Pænitentium ea notitia Sacramentalis Confeſſionis, *ibid.* §. *Prohibitum.*

FAMILIARES S. O.

Subſunt in Civilibus, & Criminalibus Juriſdictioni Inquiſitorum, quibuſdam cauſis exceptis, *tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 522. §. 1. *ad* 4.

Redditur ratio exemptionis, contrarium obſervatur hodie, & cur, *tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 522. §. *Hujus & ſeq.*

Quinam ſint eligendi in familiares S. Officii, *tom.* 2. *conſ.* 133. *fol.* 4. §. *In familiares.*

Eorum numerus non determinatus à Jure, *ibid.* §. *Eorum numerus, & ſeq.*

Poſſunt deferre arma quacumque die, noctuque, non obſtante quæcunque edicta publicata, & publicanda. Imò qui leges contrarias contrà hujuſmodi Familiares conderent, puniri poſſent tamquam Impeditores S. Officii juxt. Gloſſ. in Cap. Statutum de hæret. in 6. *ibid.* §. *Quenam arma.*

Edictum declarans, quod Familiares S. O. non gaudeant privilegio fori in aliquo delicto ſine conſenſu Inquiſitorum, eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, *ibid.* §. *Hoc autem & ſeq.*

Familiaris, qui monet Inquiſit: ne capiatur, incurrit eacommunicationem Fautorum hæreticorum, *ibid.* §. *Familiaris autem.*

Domini temporales impedientes delationem armorum Familiaribus S. Officii poſſunt puniri tamquam Perturbatores S. O. ex Diſp. Cap. Statutum de Hæreticis io 6. ubi Gloſſ. *ibid.* §. *Domini verò.*

A quibus oneribus ſint exempti, *ibid.* §. *Parerga.*

Non ſunt eaempti à Juriſdictione Sæcularis, & Ordinarii in cauſis criminalibus, *ibid.* §. *Non ſunt exempti, & ſeq.*

Offendentes Familiares S. O. etiam ſi in odium S. O. ſunt puniendi ab Inquiſitore, *ibid.* §. *Cauſa.*

Non debent deferre ſuas Patentes ad Judices Sæculares, *ibid. fol.* 5. §. *Gubernatori.*

Unius Civitatis mutantes domicilium ad aliam non habent ampliùs privilegium deferendi arma, *ibid.* §. *Familiari.*

Familiarem S. O. occidens judicatur in S. O. ſicut & illius qui percuſſit Cuſtodem, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Cauſa illius, & Cauſa illorum.*

Vide Depoſitarius, Conſultor, Inquiſitor, Fiſcalis, Miniſtri, Vicarius Notarius.

FASCINATIO.

Quid ſit, & unde, *tom.* 1. *conſ.* 57. *fol.* 189. §. 1.

An dentur morbi à faſcinatione, *ibid.* §. *Et ſunt & ſeq.*

Vulgò creditur, an detur faſcinatio, *ibid.* §. *Volunt, & ſeq.*

Quæ ſit viſus faſcinatio, *ibid.* §. *De intuitu.*

Quę vocis, *ibid. fol.* 190. §. *Quod autem.*

Contractus, *ibid.* §. *De contractu.*

An detur faſcinatio propriè dicta, *ibid. fol.* 191. §. *Nos ut hanc.*

Signa faſcinationis referuntur, *ibid. fol.* 193. §. *Quæ omnia.*

An invidus faſcinare poſſit, *ibid.* §. *Qua verò.*

An Mulier menſtruoſa, *ibid. fol.* 192. §. *Fæminarum.*

Quommodò cognoſcantur, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 22. §. *Et ſanè, & ſeq.*

Ethnicum, quid de hoc tractatur fusè, *tom.* 1. *conſ.* 110. *per tot. fol.* 455.

FATUM.

De fato Mathematico, Aſtrologico, Stoyco &c. *tom.* 1. *conſ.* 111. *fol.* 458.

De fato Chriſtiano, *tom.* 1. *conſ.* 112. *fol.* 464.

FAVOR, FAUTOR, ſeu FAUTORIA.

Fautor Hæreticorum, an cenſeatur relapſus, ſi ſemel abjurata fautoria iterum relabatur, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 242. §. *Dubitant.*

Quæ eaeuſent à fautoria, *ibid. fol.* 243. §. *In hoc autem.*

Quę ſufficiant ad condemnandum fautorem, uti relapſum, *ibid.* §. *Ad condemnandum.*

Diſtinguntur Fautores hæreticorum ab impedientibus S.O. & quomodo, *tom.* 2. *conſ.* 166. *fol.* 259. §. *Idem tamen.*

De pænis contra Fautores, Receptatores, Defenſores Hæreticorum, *tom.* 2. *conſ.* 168. *fol.* 285. & *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Fautores.*

Fautores Carcerati interrogantur in torturam de cauſa Favoris, & de complicibus, *tom.* 2. *conſ.* 168. *fol.* 285. §. 1.

An incurrant irregularitatem, *ibid.* §. *Incurrunt.*

Per inſordeſcentiam in eacommunicatione per annum fiunt infames, infamia Juris, & redduntur inhabiles ad omnes actus legitimos, nec gaudent Immunitate Eccleſiaſtica, *ibid.* §. *Si per annum, & ſeq.*

An incurrant pęna publicationis bonorum, *ibid.* §. *Pæna verò.*

De pęna contra Principes Sæculares, & Eccleſiaſticos, *ibid.* §. *Contra & ſeq.*

An Fautores Sortilegorum ſint Irregulares, *tom.* 2. *conſ.* 173. *fol.* 319. §. *Quod verò.*

De Impedientibus S. O. ut quot modis impediatur, & an & quatenus ſint hęreticorum Fautores, *conſ.* 190. *fol.* 425.

An Judex animadvertens in Reum ſibi traditum à S. O. velit cognoſcere de cauſa hæreſis &c. ſit comprehenſus in Bullam contra impedientes S. O. *ibid. fol.* 426. §. *Ampliatur, & ſeq.*

An Judex Laicus cognoſcens de cauſa hęreſis ſit excommunicatus in Bulla Cænæ, *ibid.* §. *Judices Laici, & ſeq.* Ubi de legibus ſæcularibus ſervandis, & à Federico 2. Imperatore promulgatis.

De

De Obligatione Magiſtratus Secularis tradendi brachium Inquiſitoribus, *ibid. §. Secundum eſt, & ſeq.*

Inquiſitor non debet oſtendere Proceſſum Judici Laico, quia Judex Laicus eſt merus Executor, *ibid. fol.* 427. §. *Quare Judex, & ſeq.*

An Judex Laicus ſciens Proceſſum contra hæreticum ab Inquiſitore factum, & ſententiam latam eſſe nullam, & injuſtam poſſit dedicta nullitate, & injuſtitia cognoſcere, *ibid. §. Si verò, & ſeq.*

An exequi debeant dicti Judices Laici ſententiam Inquiſitoris, interpoſita appellatione per Reum, & an detur in cauſis S. O. appellatio, *ibid. §. Exequi.*

Quid importat Clauſula appellatione remota, *ibid. §. Advertendum.*

Ad quem Judicem appellaretur, ſi appellatio in dd. cauſis eſſet admittenda, *ibid. §. In caſu.*

An Inquiſitor vel Epiſcopus in cauſa hæreſis poſſit recuſari, ut ſuſpectus, *ibid. fol.* 428. §. *Poſſe & ſeq.* Ubi quid agendum in caſu recuſationis.

An Princeps Laicus quidquam poſſit decernere in cauſis hæreſis, tam quo ad Proceſſus, tam quoad pænas, *ibid. §. Quod etiam, & ſeq.*

Quommodò Impediatur S. O. à Principibus, etiam Judicibus Laicis omittendo, committendo, faciendo, & loquendo, *ibid. fol.* 429. §. *Impeditur, & ſeq.* Ubi de offendente Majeſtatem S. Tribunalis impediendo S. O. *ibid. §. Qua in re.*

An Inquiſitores poſſint habere familiam armatam, & quommodo, *ibid. §. Poſſunt autem, & ſeq.* Ubi de abuſu licentiæ armorum, & quod Inquiſitores poſſint prohibere, ne hęretici vel ſuſpecti arma deferant, *ibid. §. Quod verò.*

Impediunt Principes Sęculares S. O. edendo ſtatuta, ne Miniſtri S. Tribunalis arma deferant, *ibid. fol.* 430. §. *Verbis autem.*

Impediunt quoque S. O. qui præbent auxilium impedientibus, *ibid. §. Denique*, & §. *Iſti igitur*, Ubi quod iſti habentur, uti ſuſpecti de vehementi, vel de levi juxta circumſtantias. Et ſunt excommunicati, & ſi per annum inſorduerint proceditur veluti contra hęreticos, *ibid. §. Sextum eſt.*

Quommodo differant conſtitutiones, etiam quoad pęnas, *ibid. §. Differunt. & §. Eſt etiam, & ſeq.*

Quæ, qualeſve actiones ſint comprehenſę in Bulla, Si de protegendis, *ibid. fol.* 431. §. *Quæritur, & ſeq.* Ubi declarantur, & explicantur verba Bullæ, & latè de offendente Miniſtros, Teſtes, & alios cauſa S.O. vel ſine cauſa, vel de mandante, & mandatorio.

Pænę contra fautores & delinquentes contra Bullam, ſi de protegendis, *ibid. fol.* 440. §. *Dubium eſt autem.*

Quommodo excuſantur, *ibid. §. Excuſari.*

Inhibens Epiſcopo, ut non procedat prò uſu carnium diebus vetitis citatur in S. O. ad comparendum, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 514. §. *Contra eum.*

Milites, qui inſerviunt Regi heretico puniuntur in S. O. & abjurant Fautoria, *ibid. fol.* 515. §. *Milites, & §. Qui pro hæreticis.*

Ad effectum incurrendi in Conſtitutionem S. Pii V. quę incipit, Si de protegendis, quæ requirantur, quæve excuſant à pęna ordinaria, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 531. §. *Id præcipue.*

In expeditionibus cauſarum, ſolet intimari Bulla prædicta Reis, qui dimittuntur ad proſpiciendum indemnitati Teſtium & denunciantium, *ibid. fol.* 535. §. *Aliqua Perſona & ſeq.*

De Hæreticorum fautoribus, vide plura, *dict. conſ.* 202. §. *Fautores, & ſeq.*

FIDES.

Fides, quid ſit, *tom.* 1. *fol.* 1. *conſ.* 1. §. 12. *& ibidem* §. *Hujus.*

Non eſt voluntatis fiducia ſed habitus, intellectus, *ibid. fol.* 2. §. *Non eſt.*

Ideo hæretici eſt dicere, quod ſit fiducia, *ibid. §. Ex quibus, & ſeq.*

Unde obveniat Fides, *ibid. §. Ut autem.*

Opinio Tritonii, *ibid. §. Primus.*

Uitalis, Pelagii, & aliorum dicentium pro Infidelibus non eſſe orandum, refellitur, *ibid. §. Secundus.*

Sicuti aliorum dicentium non eſſe donum Dei, *ibid. §. Tertius.*

Sed initium fidei à Deò & actus à libero arbitrio dependere, *ibid. §. Quartus.*

Nec non aliorum aſſerentium non eſſe fidem ex merito Chriſti, ſed ex providentiæ dono, *ibid. fol.* 3. §. *Quintus error.*

Reſpondetur argumentis, & rationibus hæreticorum, *ibid. §. Hinc a Concil. & ſeq.*

Concluditur Chriſti merito dari fidem, *ibid. §. Quibus rejectis.*

Fides quommodo in hominis poteſtate ſit, *conſ.* 2. *fol.* 3. *per tot.*

Fides an ſit in dubitantibus, *tom.* 1. *conſ.* 3. *fol.* 4. §. *Obſervandum.*

Exigit conſenſum firmum, *ibid. §. Fides ergo.*

Ideoque in hæreticis non eſt, *ibid. §. Ad ſecundum.*

Non habet fidem, qui in uno deficit articulo, *ibid. §. Neque obſtat.*

Fidei cauſa formalis quænam ſit, *tom.* 1. *conſ.* 4. *fol.* 4. §. *Unde & ſeq.*

Joannes miſſus à Deo, ut omnes in fide illuminarentur, & crederent, *tom.* 1. *conſ.* 5. *fol.* 5. §. *Et ſi.*

Ad fidei quæſtiones determinandas non ſufficit ſola ſacra ſcriptura, *tom.* 1. *conſ.* 6. *fol.* 6. §. 1.

Recurrendum ad Eclesiam, & tenendum, quod Deus Eccleſiæ revelaverit omnia fidei miſteria, *tom.* 1. *conſ.* 7. *fol.* 8. §. *Tenendum eſt de fide.*

Ad perſeverandum in fide omnem doctrinam ab Apoſtolis traditam tenere debemus, *tom.* 1. *conſ.* 10. *fol.* 10. §. 1.

Fidei Regula, forma &c. Triplex, *ibid. §. Hac.*

Articulum fidei, quid ſit, *ibid. fol.* 11. §. *Eſt.*

Judicium circa doctrinam fidei Triplex, *tom.* 1. *conſ.* 11. *fol.* 12. §. *Interſunt.*

Rationis, *ibid. §. Primum eſt rationis.*

Diſcretionis, *ibid. §. Secundum Judicium.*

Determinationis, *ibid. §. Tertium judicium.*

Articuli fidei Chriſtianæ quot, & quibus mediis credibiles reddantur. *tom.* 1. *conſ.* 12. *fol.* 13. §. 1.

1. Ab antiquitate fidei Chriſtianæ, *ibid. §. Primum argumentum.*
2. Ab Oraculis Prophetarum, *ibid. §. Et ſane & ſeq.*
3. Ex amplitudine locorum, & varietate gentium, *ibid. §. Tertium.*
4. Ex ſtabilitate, & continua ſucceſſione, *ibid. §. Quartum*, Ubi quantum Chriſtianę fidei conſtantia reſplendeat, *ibid. §. Hac & ſeq.* Quantæve inſtabilitatis hęreticorum doctrina, *ibid. fol.* 15. §. *Porro.*
5. Ex miraculis, *ibid. §. Quintum.* Hæretici nunquam fecerunt miracula §. *Quod.* Ubi contraria miracula in hæreticis eventa.
6. Ex concordia maxima, & communi Chriſtianorum conſenſu in articulis, *ibid. §. Sextum & ſeq.* Nulla inter hęreticos, & referuntur nonnullę Hęreticorum ſectæ, *ibid. §. Quod autem inter.*
7. Ex puritate, & ſanctitate doctrinæ Catholicæ, quæ in omnibus immaculata, *ibid. fol.* 15. §. *Septimum.* Ejus perfectio, in doctrinis hęreticorum contrarium obſervatur *ibid. §. Tripiicem & ſeq.*
8. Ex Efficacia doctrinæ Evangelicæ, *ibid. §. Poſtremum.*

Fides Catholica non ſimulanda, ſed ſemper poſtpoſita etiam Vita confitenda, & defendenda, *tom.* 1. *conſ.* 48. *fol.* 136. §. *Eſt autem & ſeq. & fol.* 137. §. *Quamquam & ſeq.* Ubi recenſentur ſigna infidelitatis,

Fides

Fides nititur Teſtimonio Eccleſiæ relevantis accepto à Deo, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Nititur & ſeq.*

FILIUS.

Filii, oves, & membra Chriſti duplici modo vocantur fideles, uno ſcilicet ſecundum præſentem Juſtitiam. Altero ſecundum Dei prędeſtinationem, *tom.* 1. *conſ.* 15. *fol.* 20. §. *Sciendum.*
Filii Apoſtatarum etiam invitis Parentibus baptizantur, *tom.* 1. *conſ.* 41. *fol.* 111. §. *Apoſtatarum.*

FISCALIS.

De Aduocato Fiſcali S. O. ejuſque qualitate, neceſſitate, electione, munere, obligatione &c. *tom.* 1. *conſ.* 131. *per tot. fol.* 541.
In quibus actibus pręſens eſſe debet, *ibid. fol.* 542. §. *Verum.*
An poſſit recuſari ſuſpectus, *ibid.* §. *Quamquam.*
De obligatione recipiendi depoſitiones Teſtium tam contra Inquiſitum, quam pro Inquiſito, *ibid. fol.* 543. §. *Tenetur.*
An debeat habere votum in cauſis? pro affirmativa, *ibid.* §. *Verum.*
Pro negativa, *ibid. fol.* 541. §. *Porro.*
De juramento calumnię, *ibid. fol.* 543. §. *Poteſt.*
Verberans Fiſcalem S. O. etiam ob privatas cauſas punitur in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. §. *Qui Fiſcalem.*
Vide Conſultor, Depoſitarius, Inquiſitor, Miniſtri, Officiales, Vicarius.

G

GASTROMANTIA.

Per Phialam aqua plenam, & mulierem pręgnantem, vel puerum cum candela, & invocationem Angeli, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 357. §. *Gaſtromantia.*
Author hujus ſortilegii creditur fuiſſe dæmon, *ibid.* §. *Dæmonem.*

GEMMÆ, & LAPIDES.

An vires, & facultates habeant, & quinam effectus naturales ab eis fieri poſſint, *tom.* 1. *conſ.* 53. *fol.* 174.
Si naturale quid, quod naturaliter à gemma, vel lapide fieri poſſe doctis non videtur, non gemmis aut Lapidibus ſed alteri cauſæ tribuendum eſt, *ibid. fol.* 175. §. *Effectus.*
Regulæ cognoſcendi cauſas, & effectus gemmarum, & lapidum, num ſint ſuperſtitioſæ, vel ſupernaturales, aut naturales, *ibid. fol.* 177. §. *Conditiones.* Ubi agitur quoque de Sempathia, *fol.* 180. §. *Sed putant.*

GENTILES, *vide* IDOLATRÆ.

GEOMANTIA.

Quid ſit *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 353. §. *Hac etiam.*
Ad hanc refertur, quę fit per ſpeculum, Chryſtallum, Enſem levigatum, lapidem expolitum punctis in terra, in pulvere, in carta, *ibid.* §. *Ibidem.*
Illam exercentes ſunt de fide vehementer ſuſpecti, ſi non ſint hæretici, *ibidem, eodem* §.

GRÆCI, *vide* ORIENTALES.

Sciſmatici, qui ſint, eorumque origo, *tom.* 2. *conſ.* 140. *fol.* 34. *per tot.*
An cenſendi ſint hæretici, *ibid. fol.* 37. §. *Pracipua.*
De eorum communione cum Latinis, & quod ſervare teneantur, *ibidem fol.* 38. §. *Quod vero.*

H

HEBRÆUS, *vide* JUDÆUS, INFIDELIS.

HERESIARCA.

Quiſnam dicatur, *tom.* 1. *conſ.* 40. *fol.* 108. & *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 248. §. *Sexto inter.*
Qua pæna puniendus etiam pro minima vice, *ibid.*
An admittendus ad miſericordiam, ſi reſipiſcat, *tom.* 1. *conſ.* 40. *fol.* 108. §. *Et primum.*
Obſervatum eſt ſemper Magicis artibus uſum fuiſſe. *ibidem* §. *Caterum.*
Quæ requirantur, ut quis habeatur pro Hereſiarca, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 249. §. *Ut tamen.*
Qua pæna puniendus, *ibidem.* §. *Hujuſmodi.*
An vere converſos eſſe Hereſiarcas credendum ſit, *ibidem.* §. *Contra, & ſeq.*
Quo caſu tradendus ſit Curiæ ſæculari, *ibidem* §. *Tres tamen & ſeq.*
Calvinus ſtigmate notatus in dorſo Noviodunì, *tom.* 2. *conſ.* 177. *fol.* 33. §. *Præ cæteris.*

HÆRESIS, HÆRETICUS.

Ad quæ crimina ſe extendit hæreſis, *Tom.* 1. *conſ.* 113. *fol.* 465.
Qui ſit ſuſpectus de hæreſi, *ibid. fol.* 466. §. *Suſpectus.*
Quotuplex ſuſpicio, *ibid.* §. *Suſpio.*
Vehemens, ſeu violenta ſuſpicio, *ibid. fol.* 467. §. *Omnis vero.*
Levis ſuſpicio, *ibid.* §. *Ut autem.*
Præſumptio, quid ſit, *ibid.* §. *Nonnunquam, & ſeq.*
Suſpicio non eſt opinio, *ibidem fol.* 466. §. *Suſpicio.*
Contra Hęreticos, & ſuſpectos, quommodo procedant Inquiſitores, *ibid. fol.* 468. §. *Suppoſito.*
Suſpicio quommodo dignoſcatur, *ibid. fol.* 467. §. *Ut autem.*
Hæreſis eſt crimen Eccleſiaſticum, *tom.* 1. *conſ.* 113. §. 1. *fol.* 161.
Contra quos Inquiſitores procedant, *tom.* 1. *conſ.* 126. *fol.* 517.
Qui ſint Hęretici, eorum receptatores, Defenſores, Fautores, *tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 526. §. *Cum autem. & tom.* 2. *conſ.* 170. *fol.* 297. §. *Alia.*
Suſpecti de hæreſi, qui ſint, *tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 523. §. *Forma.*
Sepelientes Hęreticos in loco Sacro ſunt de hæreſi ſuſpecti, tamquam Fautores, *ibid.* §. *Hac.*
Cooperantes, & conſentientes in ſepulturam hæreticorum, *ibid.* §. *Verius.*
Hęreſim ſapientes, qui? *tom.* 1. *conſ.* 134. *fol.* 6. §. *Ut autem.*
Superſtitiones, Sortilegia, Divinationes, maleficia, & hujuſmodi, quæ? *ibidem.*
Quis declarari poſſit hæreticus, *Vide* Hęreticus.
Hęreticale factum committens ſine infidelitate in animo, an incurrat Cenſuras, & pęnas Apoſtatarum, & Hæreticorum, *tom.* 1. *conſ.* 137. *per tot. fol.* 13.
De confiſcatione bonorum hæreticorum, *tom.* 2. *conſ.* 180. *per totam. fol.* 358.
An confiſcanda bona feudalia, *ibid. fol.* 361. §. *Feudum.*
An Principes ſeculares propter hereſim priventur dominio, & Juriſdictione temporali, & ſubditi abſolvantur a juramento fidelitatis, *tom.* 2. *conſ.* 181. *fol.* 368.
De poteſtate Papæ in Principes hæreticos, *ibidem.*
Qui negat propoſitionem definitam ab Epiſcopo, vel ſola Sinodo Provinciali, non confirmatam à Papa an ſit hæreticus, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 88. §. *Non eſt Hæreticus, & ſeq.*

HÆRÆTICI.

Inter ſe non concordes in articulis fidei, *tom.* 1. *conſ.* 18. *fol.* 26. §. *In Paganorum, & ſeq.*
Diſſentiant ab Eccleſia potiſſimum in negando ſucceſſionem Pontificum Petro, *tom.* 1. *conſ.* 19. *fol.* 28. §. *Unde.*

Hęretici propriè, qui ſint, *tom. 1. conſ. 36. fol. 84. §. Ut autem.*
Eius vera definitio, *ibidem §. Singula, & ſeq.*
Excommunicantur, *ibid. §. Atque, Et tom. 2. conſ. 167. fol. 265. §. Porro.*
Quando Fidelis fiat hęreticus, *tom. 1. conſ. 36. fol. 84. §. Sufficienter.*
Quotuplex ſit hæreſis, ex quibus conſtituatur, *tom. 2. conſ. 167. fol. 265. §. 1.*
Sine pertinacia non completur hæreſis, *tom. 1. conſ. 36. fol. 85. §. Addimus.*
Pertinacia hęreticorum, quid ſit, *ibid. §. Pertinacia.*
Procedens ad actus hęreticales ex primis motibus, vel ex vehementi animi paſſione, ſunt quidem ſuſpecti, ſed non ſunt Hæretici, *ibid. §. Hinc habemus.*
Neque, qui eſt paratus ab Eccleſia corrigi, *ibid. §. At quia.*
Modo non ſit coactus argumentis, *ibid. §. Neque.*
Vel ſi correctus, non ſe retractet, *ibidem §. Quod & ſeq. & fol. 87. §. Adde.*
Non eſt Hęreticus, qui in intellectu non tenet, vel aſſentitur errori, *ibid. §. Particula.*
Contrariam tenet Cajetanus, qui vult ſufficere actum externum, *ibid. §. Contrarium.*
Diruitur fundamentum, *ibidem §. Diruitur.*
Diſtinctio circa illos, qui vi metuque abnegant, & illos qui ſponte hoc faciunt, *ibid. §. Addiderim.*
An ex actu exteriori contrahant excommunicationem, & a quo ſint abſolvendi, *ibid. fol. 87. §. De hac.*
Ad contirmandam hęreſim non eſt neceſſaria, directa, & formalis oppoſitio Eccleſiæ, ſed ſufficit quod ſcienter opponatur, *ibidem §. Nec tamen.*
Etiam ille, qui alicui propoſitioni non definitę ita adverſatur, ut nollet aſſentiri, etiam ſi ab Eccleſia definiri contingerit, *ibid. §. Quare, & §. Unde.*
Ita falſo opinans aliquod Dogma eſſe ab Eccleſia definitum, & tamen contrarium tenet, & etiam qui verum cum Eccleſia tenet, arbitretur tamen eſſe contra illū *ibidem §. Idem.*
Opinio contrarię Simanchæ adducitur, & refutatur, *ibid. §. Oppoſitum, & §. Quibus.*
Declaratur opinio Authoris, *ibid. §. In his.*
Non eſt Hęreticus negans propoſitionem definitam à ſolo Epiſcopo, *ibid. fol. 88. §. Non eſt.*
Vel à Sinodo non approbata a ſummo Pontifice, *ibid. §. Neque.*
Si Epiſcopus talem pro heretico declaraverit, habendus eſt pro hæretico, *ibidem.*
Controvertitur, an ſit hæreticus, qui privatæ revelationi ſibi à Deo factę, negat aſſentiri, *ibidem. §. Controvertitur, & ſeq.*
Error hæretici eſt in ſola dubitatione voluntaria, *ibid. fol. 89. §. Sequitur.*
Opiniones hinc inde referuntur, *ibid.* Requiritur ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cænæ; quod Hæreticus externet errorem, *ibid. fol. 90. §. Diximus.*
Contrariæ rationes adducuntur, *ibid. §. Hæc tamen.*
Regulariter Eccleſia non procedit adverſus occulta, *ibidem, & §. Quamquam.*
Quommodo poteſt externari hæreſis, *ibidem fol. 91. §. Tripliciter & ſeq. &c. & §. Differunt, & ſeq.*
Quondam ſit ſignum manifeſtum Hæreſis, *ibid. §. Supereſt, & ſeq.*
An ſit hęreticus exterior, qui internè errans, ut aliquem poſſit ad hęreſim inducere ejus aucupetur Amicitiam litteris, vel muneribus, *ibidem fol. 92. §. Scilicet.*
An ſit hæreticus, qui materialiter non errat, ſed formaliter, *ibidem fol. 93. §. Secundus.*
Negans principium de aliquo ſubjecto, eſt hæreticus *ibidem §. Tertius.*
Eſt hęreticus qui dubitat de rebus fidei, & dicit, ſe dubitare, licet non expreſſe dicat, res eſſe dubias, *ibidem §. Quartus.*
Eſt hæreticus, qui facit actum contra fidem, vel gratiam rebaptizando, *ibid. §. Sextus.*
Non tamen fornicando, vel ſimilia peccata committendo, nec legendo, ſcribendo, & referendo hæreticorum opiniones, *ibidem §. Septimus.*
Neque dormiens Ebrius &c. *ibid. §. Octavus.*
Loquens amphibolice, doloſe, de fide eſt hęreticus, *ibid. §. Ultimus.*
Secus, ſi ſcribat notis, aut ciffris hęreticam ſuam ſententiam, *fol. 96.*
Refellitur iſta opinio, *ibid. fol. 94. §. Nullo & ſeq.*
Quot modis fiat hęreticus, *ibid. §. Ex quibus, & ſeq.* Ubi de hęreticis occultis, manifeſtis, negativis & affirmativis, formalibus, & materialibus late diſſeritur.
Qui ſentit contra decretum Concilii, in quo appoſita ſunt verba anathema ſit, eſt hęreticus, *ibid. fol. 95. §. Illud etiam.*
Jeſuitę non habent facultatem abſolvendi hæreticos manifeſtos, ſed illos remittere debent ad S. Officium. *ibid. §. Hereticos.*
Militantes pro hęreticis contra Catthollcos incurrunt Cenſuras, *ibidem §. Militantes.*
Converſatio cum hęreticis prohibita, & quommodo permittenda, *ibidem §. Hæreticorum.*
Hæretico reverrenti ad fidem remittuntur bona confiſcata, ſpectantia ad S. O. *ibidem §. Heretico.*
Hæreticorum filii majores annorum 14. ad fidem venientes abjurant de formali, minores admituntur cum profeſſione fidei, *ibidem §. Heretici nati.*
Hæretici non ſunt tolerandi, niſi occaſione mercaturæ, nec poſſunt eſſe Patrini Catholicorum, nec matrimonia cum illis inire, neque ſepeliri in loco Sacro, *ibid. §. Heretici non poſſunt.*
Imo exumantur oſſa hæreticorum ſi abſque ſcandalo fieri poteſt, & ſi ſecus quid agendum, *ibid. §. Hereticorum, & ſeq.*
Non poſſunt Catthoiici ſcribere hęreticis, ſed coocurrenti gravi cauſa toleratur, *ibid. §. Litera.*
Aliquando conceſſa fuit licentia, *ibid. fol. 96. §. Hereticorum Literis.*
Neque conced tur licentia vendendi bona hæreticis, neque de illis inveſtiendi. *ibid. fol. 95. Hereticis non poſſunt.*
Ingredientes Religionem, non cenſentur habiles ad munera Religionis, *ibid. §. Hereticis.*
Non poſſunt Catholici adire Templa hæreticorum, vel audiendi eorum conciones, aut intereſſendi Matrimoniis, & eorum baptiſmis, etiam ſi ſint Officiales ratione ſui Officii ad id coacti. *ibidem fol. 96. §. Non licet.*
Hęreticis converſis poſſunt condonari fructus percepti bonorum Eccleſiaſticorum, ſed non ita facile, *ibidem. §. Hereticis converſis.*
Hæreticis non conceditur licentia commorandi in locis Catholicorum, ſed ex neceſſitate oretenus id conceditur, *ibidem §. Hereticis non eſt.*
Hæretici converſi in Germania debent abjurare, *ibid. §. Heretici converſi.*
Non conceditur Catthoſicis vivere ſimulatè hæreticorum more inter hęreticos, *ibid. §. Hereticorum more.*
Contra hæreticos in Civitatibus Catholicis viventes extrinſecè catholicè, quid facere debent Inquiſitores, *ibid. §. Quo ad Hereticos.*
Quommodo tolerandi filii hęreticorum in ſtudiis Catholicis, *ibid. §. Heretici.* Si Eccleſia prohibet Hęreticis converſis, vel petentibus recipi ad ejus gremium qualecunque Simulationes, *ibid. §. Heretici, qui.*
Conceditur aliquando licentia Catholicis accedendi ad hęreticos. *ibid. §. Conceditur.*
Contra hæreticos qui abjurarunt. in foro conſcientię aliquando procedunt Inquiſitores, ſi denunciantur; *ibid. §. Contra Hereticos.*

Qui

Qui abjuravit de formali eſt incapax exercendi quæcunque officia ſecularia, *ibid.* §. *Hæreticus, qui.*

Habens commercium cum hæreticis Mercatoribus, abjurat de levi, & mulctatur pœna pęcuniaria, *ibid.* §. *Habens commercium.*

Quando liceat Catholicis communicare cum Hæreticis, *tom.* 1. *conſ.* 44. *per totam fol.* 120.

An vitandi ſint tantummodo nominatim denunciati, ſed etiam notorii, *ibid. fol.* 121. §. *Exprimuntur, & fol.* 123. §. *Denique*

In quibus ſit licitum cum hæreticis communicare, *ibid.* §. *In quibus.* & §. *Denique.*

Quid circa Catholicos Angliæ cum hæreticis Angliæ dixerit Paulus V. *ibid.* §. *Specialiter.* & S. Cong. S. Officii, §. *Cumque, & ſeq.*

An liceat matrimonium cum hæreticis contrahere, *ibidem.* §. *An autem.*

An tolerato matrimonio cenſeantur tolerata pacta, *ibid. fol.* 124. §. *Tolerato.*

Quid dicendum de Italis cum hęreticis communicantibus, *ibid.* §. *Nobis.*

An poſſint uti Medico hæretico, vel ſacramenta ab ipſis recipere, *ibid.* §. *At quid.*

An Catholici poſſint Hęreticis petentibus Sacramenta miniſtrare, *ibid.* §. *Quod ſi.*

Quibus liceat, & quę Regulæ ſint in hoc ſervandæ, *ibid. fol.* 126. §. *In his itaque.*

Quando Inquiſitores contra hujuſmodi Diſputantes procedere poſſint, *ibid.* §. *His ita, & ſeq.* Et de pęna *fol.* 130.

Diſputatio materialis quomodo prohibita de rebus fidei, *ibid. fol.* 127. §. *Diſputatio autem.*

Diſputatio de rebus fidei quando formalis, & quando materialis, *ibid. Diſputatio verò.*

Diſputatio formalis permiſſa Clericis doctis nu. 31.

Qui ſunt Clerici docti, *ibid. fol.* 128. §. *Deinde*

Quommodo permiſſa Laicis, *ibid.* §. *Id tamen & ſeq.*

Inutiles, & illicitę diſputationes, *ibid.* §. *Atque ex his.*

Hæretici pręſumptive, qui ſint, *Tom.* 1. *conſ.* 127. *fol.* 523. §. *Procedit.*

An ex factis hæreticalibus poſſit quis declarari hęreticus negativus, *tom.*2. *conſ.* 135. *per totam fol.* 8.

Ubi facta hęreticalia diſtinguntur §. *Advertendum.*

Hæreticus interior, & exterior qui ſit, *tom.* 2. *conſ.* 166. *fol.* 262. §. *Ad majorem.*

Qui ſit hæreticus formalis, vel convinctus, *ibidem* §. *Diſtinguuntur.*

An debeat eſſe Chriſtianus, *ibid.* §. *Primum.*

Quę concurrere debeant ad formandam veram hęreſim *ibid. fol.* 267. §. *Tria igitur.*

Quot ſint hæreſiarum ſectæ remiſſivę, *ibid.* §. *Quia plures.*

Quę cura adhibenda contra hęreſes, *ibid.* §. *Circa autem, & ſeq.*

Quæ pœna hæreticorum, *ibid. fol.* 268. *Hæreticorum.*

Societas cum illis vitanda, *ibid. fol.* 269. §. *Societas.*

Prohibetur pro illis advocare, *ibid.* §. *Prohibetur.*

Non admittuntur ad Officia publica, neq; ad conſilia, *ibid.* §. *Non ſunt vocandi, & fol.* 242. §. *Quare.*

Sacrificia eorum reprobanda, *ibid. fol.* 259. §. *Reprobantur.*

Eorum acta reſcindenda, *ibid.* §. *Acta eorum.*

Damnantur eorum libri, & ſententię, *ibid.* §. *Damnatis.*

Credentes, Fautores, Receptatores excommunicantur, *ibid.* §. *Credentes.*

Non admittuntur ad accuſandum, neque ad teſtificandum *ibid.* §. *Nec ad & fol.* 283. § *Septima.*

Non poſſunt facere Teſtimonium, *ibid. fol.* 259. §. *Sunt, & fol.* 283. §. *Quinta.*

Neque ad hęreditandum, nec ad hæreditates, *ibid. fol.* 270. *& fol.* 283. § *Sexta.*

Eorum ſententiæ non habent executionem, *ibid. fol.* 270. §. *Judicis.*

Clerici deponuntur, & beneficio privantur. *ibid.* §. *Clericis, Et fol.* 282. §. *An autem.*

Careat Eccleſiaſtica ſepultura, *ibid.* 270. §. *Hæreticis non ſunt tradendi, & fol.* 284. §. *Denique.*

Non admittuntur ad Sacramenta, *ibid. fol.* 270 §. *Non exhibentur.*

Rejiciuntur oblationes factæ Eccleſię, *ibid.* §. *Oblationes.*

Ammittunt Privilegia, *ibid.* §. *Privilegiati.*

Excommunicatio contra hæreticos eſt antiquiſſima, *ibid. fol.* 271. §. *Imo & ſeq.* Ubi quod ſit Juris Divini.

Excommunicatio incurritur ipſo Jure, *ibid. fol.* 272. §. *Illa incurritur.*

Qui poſſint ab illa abſolvere, *ibid.* §. *Ab hac.*

An facultas abſolvendi à caſibus reſervatis in Bulla Cęnæ comprehendat etiam illam abſolvendi ab hęreſi *ibid. fol.* 275. §. *An vero.*

An dubius in fide ſit Hæreticus, *ibid. fol.* 278. §. *At quid.*

Hæretici ſunt Irregulares §. *Secunda pœna*, Etiamſi ſit occultus, *ibid.* §. *Ac etiam ſeq.*

Ita poſſint abſolui ad hac irregularitate, & à quo, *ibid. fol.* 279. §. *Ab hac.*

Efficiuntur Infames, ac nobilitatem ammittunt ipſo facto, *ibid. fol.* 283. §. *Et aliàs.*

Priventur jure Patriæ poteſtatis, *ibid. fol.* 283. §. *Decima.*

Privantur perpetuo facultate audiendi Confeſſiones Sacramentales, qui abjurarunt de formali, *ibid. fol.* 284. §. *Duodecima.* & §. *Si verò.*

Matrimonia contracta cum hæretico ſunt nulla, & quando, *ibid. fol.* 283. §. *Et aliàs.*

Non poſſunt eligi Pontifices, *ibid. fol.* 284. §. *Tertia decima.*

HÆRETICUS.

Filii Hæreticorum ſunt infames infamia Juris, *tom.* 2. *conſ.* 169. §. *Primo. fol.* 286.

An ſint irregulares, quando, *ibid.* §. *Prædictorum, & ſeq.*

Privantur ipſo Jure hæreditate paterna, etiam quo ad legitimam, ſed limitatur, *ibid.* §. *Privantur.*

An ſit nulla emancipatio filii detecti ante emancipationem hæretici, *ibid.* §. *Emancipatio.*

An liberetur a Patria poteſtate per hęreſim Patris, *ibid.* §. *Adduat, & ſeq.*

An dicta pęna afficiantur filii hæreticorum occultorum, *ibid. fol.* 287. §. *An autem.*

Qui dicantur hæretici, *tom.* 2. *conſ.* 170. *fol.* 297. §. *Aliàs & ſeq.*

Variæ hæreſium ſectę connumerantur, & referuntur, *ibid. fol.* 299. §. *Qui vero ſint & ſeq.*

An impunis occidi poſſit hæreticus in Terris Catholicis, *ibid. fol.* 300. §. *Ex hac & ſeq.*

Varię Imperatorum, & Principum leges contra Hęreticos referuntur, & eruditè notantur, *ibid. fol.* 301. §. *Hos autem & ſeq.*

Ob primam hęreſim non feriuntur gladio inter Catholicos &c. *tom.* 2. *conſ.* 171. *fol.* 314. §. *Nec apud.*

Hæretici, cur non tolerantur inter Catholicos, & comburantur, ſed non ſic Judæi, *tom.* 2. *conſ.* 171. *per totam fol.* 312.

Sævitia eorum contra Catholicos Sacerdotes, *ibid. fol.* 314. §. *Neque eſt, & ſeq.* In quibus plura de illorum nequitia.

Hęreſis Soror Rebellionis, & monitum ad Principes, *ibid.* §. *Atque hoc eſt, & ſeq. uſque ad finem.*

De excommunicationis pœna, quam incurrunt hæretici, *tom.* 2. *conſ.* 172. *fol.* 315. *Ubi plura.*

An, & in quibus ſint vitandi, *ibid.* §. *Advertendum.*

Qui in S. O. diverſarum Civitatum ſponte comparet poterit abjurare de formali, & damnari ad Triremes per decennium, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Hæreticus & ſeq.*

De

De Hæreticis exterioribus quid ſentiendum, *tom. 1. conſ. 36. fol. 87. §. Nam in cap. accuſatus, & ſeq.*

HISTORIA.

Dividitur in Canonicam, & Eccleſiaſticam, *tom. 1. conſ. 37. fol. 98. §. De Hiſtoria.*
Canonica, quæ continetur in Sacris libris eſt infallibilis, non verò Eccleſiaſtica, *ibidem.*
Hiſtoricè refellitur Fabula de Joanna Papiſſa, *tom. 1. conſ. 42. fol. 114. §. Adverſus.*

HOMICIDIVM.

Sui ipſius ad Laudem Dei, eſt hæreſis, *tom. 2. conſ. 158. per totam fol. 133. & fol. 135. §. Aſſero.*
Non licet ſe exponere certo periculo mortis, *ibid. fol. 133. §. Quæ regula.*
Neque pro Republica, aut aliorum ſalute ſpirituali, *ibid. §. Ampliatur.*
Quommodo defendi poſſit homicidium ſui ipſius, *ibid. §. Itaque, & ſeq.*
Qui occidunt ſe ipſos, ut Martirium conſequantur ſunt hæretici, *ibid. fol. 134. §. Et ibi, & §. Ex quibus, & ſeq.*

HYDROMANTIA.

Eſt ſuperſtitio divinatrix in aqua, *tom. 1. conſ. 94. fol. 352. §. Eſt ſuperſtitio.*
Prohibita, ut hæreticalis, & pacto dæmonis ſuſpecta, *ibid. §. Hujus.*
Refertur mos deſponſandi mare à Republica Veneta, *ibid. fol. 353. §. Non eſt.*

HYERARCHIA.

In Eccleſia Catholica ad inſtar cœleſtis, *tom. 1. conſ. 19. fol. 27. §. Ad hæc.*

I

IDOLATRÆ PAGANI.

Qui ſint, *tom. 1. conſ. 24. §. 1. fol. 33. & conſ. 25. §. 1. fol. 33.*
Undè Pagani, *ibid. §. Paganus.*
Undè Gentiles, *ibid. §. Gentiles.*
Non licet eis inter Chriſtianos Templa conſtruere, *tom. 1. conſ. 26. fol. 35. §. Hoc tamen.*
Si Chriſtianos ad infidelitatem provocent, quommodo puniendi, *ibidem.*
Idolatria idem eſt, ac Politheiſmus, *tom. 1. conſ. 29. §. 1. fol. 45.*
Ejus cauſa, origo, varietas, & progreſſus, *ibidem per totam.* Ubi de nomine Belzebud, & aliorum.
Idolatria dicitur, cum adverſus Dei mandatum in ſimulacro colitur Deus, *tom. 1. conſult. 30. fol. 58. §. Neque.*
Exemplum ab Iſraelitis, *ibid. fol. 59. §. Exiſtimet.*
Quommodo, & quibus modis dicatur Idolatria, *ibid. §. Eſt item.*
Cultus Idolatrici diſtinguuntur, *tom. 1. conſ. 31. fol. 60. §. Primum.*
In quibus Idolatria conſiſtat, *ibidem.*
De duplici Idolatriæ principio, *ibid. §. Quam.*
Perſarum, & Egyptiorum opiniones, & ſententiæ hæreticorum refelluntur, *ibidem.*
De cultu Spirituum, *tom. 1. conſ. 31. fol. 61. §. De hoc, & conſ. 32. fol. 62. per totam.*
De variis Diis Gentilium, *tom. 1. conſ. 33. fol. 75. §. Atque.*
An habeat ſemper annexum peccatum hæreſis, *ibid. §. Quaro.*
De colente Creaturam, ut Deum, credente illam non eſſe Deum, *ibid. fol. 79. §. Si verò, & ſeq.*
De cauſis excuſantibus ab hoc peccato, *ibid. fol. 80. §. Si autem.*
Quæ pœna Idola colentium, & quis Judex, *ibid. §. Quod, & conſ. 49. fol. 144. §. Judæi vero.*
An unquam licita ſit Idolatria, *tom. 1. conſ. 35. per totam fol. 80.*
De poteſtate ſummi Pontificis, aliorumque Principum Chriſtianorum in Paganos ob ſolam Idolatriam, *tom. 1. conſ. 49. fol. 144. §. Porrò ſummus.*
An detur in ſortilegio, & ſuperſtitione, *ibid. fol. 138. §. Diſtinguntur.*
Non ſunt hæretici, *tom. 2. conſ. 167. fol. 266. §. Eadem ratione. Et §. Gentilibus,* Ubi quod non poſſunt Chriſtiani propria authoritate contra illos irruere.

JEJUNIUM.

Qui non obſervat jejunia, & obſervari vetat ab aliis, eſt de hæreſi ſuſpectus, *tom. 2. conſ. 164. fol. 211. §. Porrò, & ſeq.*

JESUITÆ.

Non poſſunt abſolvere in Foro conſcientiæ hereticos manifeſtos, ſed illos mittere debent ad S. Officium, *tom. 1. conſ. 36. fol. 95. §. Hæreticos.*

IGNORANTIA.

An, & quæ ignorantia excuſet à pœna contra hæreticos, *tom. 2. conſ. 197. fol. 494.*
Ignorantia invincibilis an excuſet, *ibid. §. 1. & ſeq.*
Ignorantia craſſa, ſe vincibilis, quando excuſet, *ibid. fol. 495. §. De ignorantia, & ſeq.*

ILLEGITIMUS.

Non poteſt diſpenſari ab Epiſcopo, niſi Ordines minores, *tom. 2. conſ. 139. fol. 35. §. Epiſcopus.* Vide ſparſim quæ dicuntur, *in conſ. 149. tom. 2.*

IMAGINES.

Chriſti, & Sanctorum ſimpliciter adorandas, & honorificè colendas eſt de fide, *tom. 1. conſ. 51. fol. 148. §. Imagines, & §. Præterea.*
Conſpurcans, lacerans, percutiens ex contemptu Sanctorum Imagines, eſt de hæreſi ſuſpectus vehementer, *ibidem §. Undè.*
Qui evaginato gladio illas Crucifixi, & B. V. percuſſit quommodo punitur, *tom. 2. conſ. 200. fol. 514. §. Blaſphemus.*

IMMISCENS SE IN CAUSIS S. O.

Superiores Regulares non poſſunt procedere contra ſuos ſubditos quovis prætextu in Cauſis ad Fidem ſpectantibus, neque illos impedire, nè ad denunciandum aut teſtificandum ad S. Officium accedant, *tom. 2. conſ. 202. fol. 531. §. De Incurrentibus.*
Quid ſi Superiores Regulares habeant etiam Juriſdictionem ordinariam, *ibid. §. Si verò.*
Non habent locum Conſtitutiones ultra montes, & ubi impunè graſſatur hæreſis, in hac materia, *ibid. §. In partibus.*

INPEDIMENTUM *vide* FAUTORIA.

IMPERATOR.

Inungebatur à Pontifice, *tom. 2. conſ. 180. fol. 378. §. Diu itaque.*
De mutatione Imperii, & deputatione Electorum, *ibid. §. Manſit,* Ubi de ſumma Pontificis poteſtate, *& ſeq.*

INDICIUM.

De indiciis, ex quibus Rei torqueri poſſunt in S. O. *tom. 2. conſ. 160. per tot. fol. 143.*
Quid ſit, & quomplex, *ibid. §. 1. & ſeq.*

Aliud facti, aliud Juris, *ibid.* §. *Indicia.*
Indicia alia dubia, alia certa, & alia veriſimilia, *ibid.* §. *Quond communia, & ſeq.*
Alia proxima, alia remota, *ibid. fol.* 144. §. *Item, &c.*
Alia ſævia, alia gravia, urgentia, & graviſſima, *ibid.* §. *Denique.*
Quommodo probentur Indicia, *ibid.* §. *Probatio, & ſeq.*
Quinam ſint effectus probationis Indiciorum, *ibid.* §. *Inter & ſeq.*
Quænam, & quot ſufficiant ad torturam, §. *Porrò, & ſeq.*
Repertus in flagranti poteſt illicò conſtitui ſine aliis indiciis dummodo conſtet de delicto, ſecus ſi conſtituatur ex intervallo, *ibid. fol.* 146. §. *Si autem, & ſeq.*
Quæ indicia requirantur in delictis non occultis, & facilis probationis, *ibid.* §. *Ut autem.*
Quænam requirantur in delictis difficilis probationis, *ibid. fol.* 147. §. *Si verò, & ſeq.*
Indicia ad torturam, quommodò examinanda, *ibid. fol.* 146. §. *Regula, & ſeq.*
Adminicula, quæ requirantur, *ibid. fol.* 147. §. *Adminicula.*
Socius criminis, ut faciat indicium, quæ requirantur, *ibid.* §. *Depoſitio, & ſeq.*
Quid de ſocio criminis ſpontè comparente, *ibid. fol.* 149. §. *Socius tamen.*
Quid de ſocio deponente ad ſugeſtionem, *ibid.* §. *Socius.*
Exceptiones contra Socios criminis, *ibid.* §. *Ut autem.*
De indicio ex mala fama, *ibid.* §. *Solam, & ſeq.*
De probatione bonæ famæ, *ibid. fol.* 150. §. *Opinantur, & ſeq.*
Singularitas Teſtium, non obſtat probationi malæ famę, *ibid. fol.* 152. §. *Si autem.*
De inditio ex confeſſione extrajudiciali ipſius Rei, *ibid.* §. *Criminis & ſeq.*
Reus ſi revocet confeſſionem extrajudicialem, an ſit torquendus, *ibid.* §. *Reum, & ſeq.*
An Reus quando falſus eſt extra judiciale delictum, & deinde judicialiter in tortura requirat aliam ratificationem, *ibidem* §. *Sunt aliqui.*
De variatione, vacillatione, mutatione vultus, & ſimilibus, an faciant indicium, *ibid. fol.* 153. §. *Sola & ſeq.*
Minæ faciendæ maleficium alicui, quando faciant inditium, *ibid.* §. *Mina, & ſeq.*
Inſtrumenta magica, libri ſortilegi reperti apud aliquem, an faciant iuditium, *ibid.* §. *Inſtrumenta, & ſeq.*
Contumacia, & fuga, an faciant inditium, & quando, *ibid. fol.* 154. §. *Contumaciam, & ſeq.*
Dictum Dęmonis per Exorciſtam extortum non facit inditium, *ibid.* §. *Dictum, & ſeq.*
Depoſitiones Lamiarum, an faciant inditium contra alias Lamias, *ibid.* §. *Neque depoſitiones & ſeq.*
Plurima inditia ad torturam, & ad Iuquiſitionem referuntur, & examinantur, *ibid. fol.* 155. §. *Sunt, & alia, & ſeq.*
Simulans ſtultitiam, vel obſeſſionem à Dęmone, ne interogetur probato dolo, *ibid.* §. *Stultitiam.*
Malum nomen, mala Phiſionomia, an faciant inditium, *ibid. fol.* 156. §. *Malum.*
Origo ex mala Patria, & familia, an faciant inditium *ibid.* §. *Origo.*
Quid de ſtigmate, ſeu ſigno, quod Satan ſuis Mancipiis imprimere ſolet, *ibid.* §. *At quid, & ſeq.*
Cauſa amoris, odii, utilitatis &c. facit indicium, *ibid. fol.* 157. §. *Cauſa amoris, & ſeq. fol.* 158. & *fol.* 159.
De indiciis contra Sagas, & Maleficias, *ibid. fol.* 158. §. *Sola, & ſeq.*
Emiſſio ſanguinis à Cadavere occiſi in conſpectu Occiſoris, an faciat inditium, *ibid. fol.* 159. §. *An autem.*
Si potens impedire maleficium, non impedivit, ſit indicium. *ibid. fol.* 160. §. *Si quis.*
Conſcientiæ Syndereſis eſt magnum inditium ſceleris, *ibid. fol.* 161. §. *Inter autem, & ſeq.*

INDULGENTIA.

Publicas Indulgentias punitas in S.O. *vide* Miraculum.
Non poſſunt apponi in Eccleſiam Tabellæ cum inſcriptione, Hodiè liberatur Anima à Purgatorio, Poteſt tamen inſcribi, Altare privilegiatum, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 555. §. *Non poſſunt.*

INFAMIS *vide* HÆRETICUS, SORTILEGUS, POENA.

INFAMIA.

Infamia qualis, & quæ mala fama, *tom.* 2. *conſ.* 187. *fol.* 391. §. *Non poſſumus, & ſeq.*
Infamia utroque Jure, *ibid. fol.* 392. §. *Sunt autem.*
Infamia in jure Pontificio, cui, & per quæ irrogetur, *ibid.* §. *Infamia.*
Qualis in Jure civili, *ibid.* §. *Jure civili.*
Infamia facti, *ibid.* §. *Infamia facti.*
Quommodo evitanda, & tollenda, *ibid.* §. *Cæterum.*

INFIDELES, *vide* IDOLATRÆ. ETHNICI. PAGANI.

Cum Infidelibus in politicis licet communicare Chriſtianis Catholicis, *tom.* 1. *Conſ.* 26. *fol.* 35. §. *Licitum.* Secùs circà cultum.
Admitti poſſunt ad audiendam prædicationem verbi Dei, non autem ad miſſam, *ibid.* §. *Licitum verò.*
Ab Infidelibus diſtincte vivendum eſt à Catholicis cum aliquo ſigno externo, *ibid.* §. *Hoc tamen.*
Si tolerentur inter Chriſtianos ſub ſpe Converſionis interdicendum eis eſt cum Chriſtianis, habitare, manducare, bibere, lavari, mederi, niſi mitteretur Chriſtianus ad eos convertendos *ibid.* §. *Sic tamen.*
Non licet Chriſtianis cum eis conjugium inire, *ibid.* §. *Prohibitum, & ſeq.*
Et ſi contractum ſit, debet Fidelis Infidelem relinquere & poteſt Fidelis ſecùm filios minores adducere, *ibid. fol.* 36. §. *Quin imò.*
Non ſciat tamen per vim baptizandi, *ibidem.*
Infidelitas unde oriatur, *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 6. §. *Infidelitatem.*
Non ſunt compellendi ad ſe faciendos Chriſtianos, *tom.* 1. *conſ.* 27. *fol.* 36. §. *Principes, & ſeq. vide* Judęi.
Quid interdicatur Infidelibus degentibus inter Catholicos, *tom.* 1. *conſ.* 26. *fol.* 35. §. *Non tamen.*

INIMICITIA.

De Inimicitia Capitali opponere tantùm poteſt Reus in S. O. contra Teſtes, *tom.* 2. *Conſult.* 135. *fol.* 120. §. *Si autem.*
Quommodò probetur, *ibidem* §. *Ut autem.*
Quantum debilitentur dicta Teſtium patientium exceptionem inimicitię, non capitalis, *ibid. Vide* Defenſiones.
Interrogatio ab examinante ſuper inimicitia ſemper eſt facienda Teſtibus, vel denunciantibus, & quare *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 535. §. *Quemadmodum.*
Intervallum ſtabilis temporis à delicto patrato ad diem denunciationis eſt ſignum inimicitiæ, Ideoque interrogandus eſt denuncians cur tanto tempore diſtulerit prædicta denunciare, *ibid.* §. *Solet.*

INQUISITORES.

Præcedunt Epiſcopi ratione Dignitatis, Inquiſitores ratione authoritatis, *tom.* 1. *conſ.* 124. *fol.* 508. §. *Hoc autem.*
De ætate Inquiſitoris, *ibid. fol.* 509. §. *Quod attinet.*
Regulares Inquiſitores, in quibus non ſubſint Superioribus ſui Ordinis, *ibid.* §. *Porrò.*
Debetur titulus Reverendiſſimi, & pręcedentia ſuper Vicarios Epiſcoporum, *ibid.* §. *Ob eandem.* Ubi quando non.
Poſſunt habere familiam armatam, *ibid.* §. *Poſſe.*
Quæ facere poſſint eorum auctoritate, *ibid.* §. *At, ſi Reus, & ſeq.*
Non debent audire Confeſſiones Sacramentales, & quare, *ibid. fol.* 510. §. *In foro.*

An

An poſſint delegare facultatem abſolvendi ab hæreſi in foro conſcientię, *ibid. fol.* 511. §. *At tenendum.*

Quæ facere non poſſint, nec debeant, §. *Admonet, & ſeq.*

Non poſſunt excommunicari, *ibid. fol.* 512. §. *Multòque minùs.*

Sunt exempti à ſolutione Gabellæ, & Vectigalium ex lege Federici Imperatoris, *ibidem fol.* 513. §. *Nam.*

De eorum Juriſdictione tum activa, tum paſſiva, *tom.*1. *conſ.*127. *fol.* 522.

Ubi in confugientes ad Eccleſiam, *ibid. fol.* 523. §. *Quo vero & ſeq.*

Item in abſentes, *ibid.* §. *Quod autem.*

Item in delinquentes in loco alterius Juriſdictionis, vel Epiſcopi, *ibid. fol.* 524. §. *Certum.*

Item in Apoſtatas ab Ordine, & Religione, *ibid.* §. *Ille autem, & ſeq.*

Item in Quæſtuariis, *ibid. fol.* 525. §. *Quaſtuarii.*

Item in mortuos, *ibid. fol.* 526. §. *Poſſuntque.*

Extenditur ad cauſas criminales ſuorum familiarium, *tom.*1. *conſ.*127. *fol.*522. §. 1. *& ſeq.*

Quę delicta excipiuntur ab hac Juriſdictione, *ibid.* §. *Ab hac.*

Extenditur in cauſis civilibus, *ibid.* §. *In cauſis.*

Quare detur exemptio familiarium, & de uſu præſenti, *ibid.* §. *Hujus, & ſeq.*

Poteſt petere ab alio Inquiſitore quemcunque Reum, *ibid. fol.* 524. §. *At licet, & ſeq.*

Poſſunt procedere contra ſe ipſos injurantes, *tom.* 1. *conſ.*128. *fol.*528. §. *Poſſuntque.*

Contrà poſſunt Regulares, *ibid. fol.* 529. §. *Regulares.*

Eorum Juriſdictio non expirat, & eſt cumulativa cum Epiſcopis, non privativa, *ibidem* §. *Porro*, §. *Nec ſolum.*

Et quid de Inquiſitore Hiſpaniæ, *ibid.* §. *In Inquiſitione.*

Quando ſint de loco ad locum transferendi, §. *Abſque, & ſeq.*

Quommodo procedendum contra negligentes, vel delinquentes in Officio, *ibid. fol.* 530. §. *Cumque, & ſeq.*

Plura de eorum Juriſdictione, & obligatione videri poſſunt, *tom.*1. *conſ.* 129. *fol.*533. §. *Inquiſitores.*

Non poſſunt procedere contra Caupones miniſtrantes carnes diebus prohibitis, neque contra habentes commercium cum Judæis, *ibid.* §. *Non procedunt.*

Neque exigere mulctas pecuniarias abſque licentia S. Cong. *ibid.* §. *Non debent.*

De Inquiſitoribus Sicilię, & Portugalliæ, *Vide tom.*1. *conſ.*129. *fol.*535. §. *Inquiſitoribus.*

De Inquiſitore Hiſpaniarum, *ibid.* §. *Poterit.*

De Inquiſitore Regni Neapolitani, *ibid.* §. *Judaiſmus, & ſeq.*

An poſſint recuſari tamquam ſuſpecti, *tom.*1. *conſ.*132. *fol.*546. §. *Quare, & ſeq.*

Non admittunt Judices Laicos ſecum aſſiſtere in cauſis Fidei, *tom.*2. *conſ.* 138. *fol.* 26. §. *Porrò.*

Poſt ſententiam non expirat Juriſdictio Inquiſitoris in eadem cauſa, ſi favor fidei id poſtulet, *ibid.* §. *Poſt.*

Rei pænitentes, ſi violent pęnitentias violando Carceres ſubſunt Inquiſitoribus, *ibid.* §. *Quodvero, & ſeq.*

Inquiſitores in materiis S.O. quid poſſint ſine Epiſcopo *tom.*2. *conſ.*139. *per totam fol.*28. *& conſ.*122. *fol.*536. §. *Aliqui.*

Inquiſitor & Epiſcopus quando diviſim procedunt, tenentur ſibi an ſimul communicare proceſſus, *tom.*2. *conſ.*139. *fol.*28. §. *Quando autem, & ſeq.*

Poteſt compellere Judices Laicos, etiam per Cenſuras ad exequendam ſententiam contra hæreticum, *ibid. fol.* 32. §. *Poſſunt.*

Hæc incurrunt irregularitatem, *ibidem.*

Plura de Inquiſitoribus, *Vide Sparſim*, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 514.

Inquiſitus in Inquiſitione Hiſpaniarum, an poſſit abſolvi in Urbe, & remitti abſolutus in Hiſpaniam, *tom.*2. *conſ.*200. *fol.*515. §. *Hiſpanus.*

INTERROGATORIA.

Sugeſtiva evitanda, & quommodo, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.*535. §. *In Proceſſibus, & fol.* 539. §. *Nullus.*

Super inimicitia ſemper facienda Teſtibus, *ibidem fol.* 535. §. *Quemadmodum.*

Super intentione, *ibid.* §. *In doctrinalibus*, Ubi de modo interrogandi Reus indictus.

Procuratores ad lites, & Notarii, qui interrogant in examinando Teſtes an ſint præſtigiatores Sortilegi graviter redarguuntur ab Inquiſitoribus, *tom.*2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Procuratores.*

IRREGULARITAS.

Irregularitas incurritur etiam ab Hęretico occulto, *tom.*2. *conſ.* 137. *fol.*13. §. *At quod.*

An ab ea diſpenſare poſſit Epiſcopus, ex hęreſi occulta inducta, *ibid. fol.* 14. §. *Difficultas & fol.* 16. §. *Quo verò.*

Non incurritur ab Inquiſitore compellente Judicem laicum ad exequendam ſententiam contra Hęreticum, *tom.*2. *conſ.*139. *fol.*32. §. *Non obſtat.*

An ſuſpectus de vehementi poſt abjurationem incurrat irregularitatem, *tom.* 2. *conſ.*164. *fol.* 233. §. *Suſpectus, & ſeq.*

Incurrit irregularitatem, qui non ordinatus Diaconus cantat Evangelium, ſed proceditur contra illum in foro Epiſcopi, *tom.*2. *conſ.*165. *fol.* 246. §. *Ut autem*

Incurrit Clericus in ſacris, qui contrahit matrimonium vel illum contrahere attentat, *tom.*1. *conſ.* 125. *fol* 524. §. *Ille autem.*

IRREVERENTIA.

Qui tempore Baccanalium Eccleſiam, tempore quo celebratur Miſſa, ingrediuntur larvati, puniuntur in S. O. & quommodo, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Qui tempore.*

JUDÆI.

Qui ſint, *tom.*1. *conſ.*25. *fol.* 33. §. *Judæi.*

Quę ſint iis permiſſa inter Chriſtianos, *tom.*1. *conſ.*26. *fol.* 34. §. 1.

Non poſſunt inter Chriſtianos novas Synagogas conſtruere, ſed tantum antiquas reparare, *ibid. fol.*35. §. *Hoc tamen.*

Neque docere publicè, *ibidem.*

Chriſtianos ad eorum leges pertrahentes pæna mortis afficiuntur, *tom.*1. *conſ.*26. *fol.*36. §. *Eadem ratione.*

Multoque magis filios, vel mulieres Chriſtianorum ſi rapiunt.

Interdicitur illis Hoſtia, & feneſtras Domorum tempore Paraſceves aperire, & quare, *ibid.*

Vide in verbo INFIDELES.

Non poſſunt compelli ad fidem Catholicam ſuſcipiend; *tom.*1. *conſ.*27. §. 1. *fol.* 36.

Neque per Principes ſæculares, §. *Principes.* Secus aliquando factum fuiſſe recenſetur, *ibid. fol.* 37. §. *De facto.*

At ſi ſemel Chriſtianam fidem ſuſceperint, poſſunt cogi ad eam retinendam modo tam voluntariè ſuſceperint, *ibid.* §. *Poſſunt.*

Poſſunt tam cogi ad audiend. Concionem Catholicorum vigore Bullę Gregorii XIII. *ibid.* §. *Quamvis.*

Jacobus Aragoniæ Rex ad concionem audiendam compulit Edicto pęnali 4. idib. Martii 1242. *ibid.* §. *Jacobus.*

Refellitur doctrina Caſtropalai, & aliorum dicentium Romę Summum Pontificem exigere Tributum à Judæis ex prædictione Evangelii, *ibid.* §. *Hinc valdè.*

Infidelis Princeps, ſi irriſionibus, vel blaſphemiis fidem Catholicam afficeret, vel perſecutione illius prædicationem impediret, Eccleſia poteſt vi & armis illam violentiam propulſare, *ibid. fol.* 38. §. *Certum etiam*, & §. *Nam Princeps.*

Judęi an ſubſint Inquiſitoribus, & in quibus caſibus, *tom.* 1. *conſ.* 128. *fol.* 527. & *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 535. §. *De Judæis.*

Non dicuntur Hęretici, *tom.* 1. *conſ.* 128. *fol.* 527. §. 1. & *tom.* 2. *conſ.* 166. *fol.* 266. §. *Quamobrem.*

Delicta Judæorum, in quibus contra eos procedit S.O. enumerantur, *conſ.* 128. *fol.* 527. §. *Primus.* & *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 533. §. *De Judæis.*

Non debent dare Chriſtianis panes azimos, *tom.* 1. *conſ.* 129. *fol.* 533. §. *Providere.*

Neque retinere Nutrices Chriſtianas, *ibid.* §. *Non habeni.*

Neque famulos, *fol.* 534. §. *Procedere.*

Contra Hebraiſmum amplectentes procedi, & contra Hæreticos, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 235. §. *Eſtque prima*, & *fol.* 236. §. *At ſi.*

An Infantes Chriſtianorum tranſeuntes ad Hebraiſmum, reſtitui debent Eccleſiæ, *ibid.* §. *Neque*, & *ſeq.*

Quid de baptiaato per vim, *ibid.* §. *Excipiuntur.*

Quid de pueris per vim, & metum perverſis, *ibid.* §. *Teſtatur.*

Quid de illo, qui non eſt baptizatus, & baptizatum ſe non habens tranſit ad Judaiſmum, *ibid.* §. *Sed quid*, & *ſeq.*

Quid de Cathecumeno, *ibid.* §. *Et quid*, & *ſeq.*

In qua conſiſtat rejudaizatio, *ibid. fol.* 237. §. *Reditus.*

Signa cognoſcendi Judaiaantes, *ibid.* §. *Signa.*

Receptatores Fautores &c. Judaizantium pari paſſu puniuntur, ac illi Hæreticorum, *ibid.* §. *Judaizantium.*

Quommodo procedendum contra Judaizantes, *ibid.* §. *Cum igitur*, & *ſeq.*

Quod ſi aliquis Chriſtianus finxerit ſe eſſe Judęum; vel Paganum, petens baptizari, *ibid.* §. *Chriſtianus*, & *ſeq.*

Judęi committentes Sortilegia, & alia facta hęreticalia puniuntur ab Inquiſitoribus, *ibid. fol.* 235. §. *Judæus.*

An abjurent, & de forma abjurationis, *ibid.* §. *Forma.*

Hæc omnia militant, etiam quo ad Turcas, & alios Infideles; *Vide verbo* Infidelis.

Judæi cur tolerentur inter Catholicos, non verò Hęretici, *tom.* 2. *conſ.* 171. *fol.* 312.

Quommodo vivant Romæ, *ibid. fol.* 313. §. *Caterum.*

Confirmant Religionem noſtram, *ibid.* §. *Ut autem.*

Sunt infames perpetua infamia notati, *eodem* §. *Ut autem.* Sunt Religioni noſtræ utiles. §. *Sunt inſuper* & *ſeq.*

Filii, & deſcendentes Judęorum, an ſint irregulares, ſi fidem Chriſtianam amplectantur, & quando, *tom.* 2. *conſ.* 173. *fol.* 321. §. *Filii.*

Circumcidentes Infantes Chriſtianos, puniuntur in S.O. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Judæi.*

Judęus, qui ad Sectam Mahumethanam tranſivit, damnatur ad redeundum ad Hebraiſmum, & deteſtandam ſectam Turcarum juxta formulam præſcripram. Item damnatur ad Carceres, arbitrio, & interim benignè hortatur ad ſuſcipiendum Bapriſmum, *ibid. fol.* 517. §. *Judæus. Vide*, quid de Apoſtata ad Mahumethiſmum, *tom.* 1. *conſ.* 41. *fol.* 110. §. *An verò.*

Quæ ſint res communes inter Chriſtianos, & Judæos *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 533. §. *Res*, & *ſeq.*

Contra Judæos percutientes Sacras Imagines an procedant Inquiſitores privativè, vel cumularivè cum Judicibus laicis, *ibidem* §. *Denunciantur.*

An accendi facere ignem die Sabathi à Judęis per Chriſtianos ſit ſuperſtitioſum, & punibile, *ibid.* §. *Præterea.*

Contra Judęos retinentes, & imprimentes libros Thalmud. proceditur per S. O. rigoroſè, & cur, *ibid. fol.* 534. §. *Clem. VIII.* & *ſeq.*

Contra Meretricem Chriſtianam habitantem cum Judęis procedit Inquiſitor unà cum Epiſcopo, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Contra Meretricem.*

Judæorum Conciones audientes, quommodo expediantur, *ibid.* §. *Qui.*

JUDEX.

Quæ Regulæ ſint obſervandę in Cauſis S. O. à Judicibus, *tom.* 1. *conſ.* 123. *fol.* 506. §. *Ut igitur.*

Judex laicus negligens exequi ſententiam contra Hæreticum, habetur, uti Fautor, & compelli poteſt ſub Cenſuris, quas, ſi ſpreverit, habebitur ut Hæreticus, *tom.* 2. *conſ.* 139. *fol.* 32. §. *Poſſunt.*

Competens Maleficorum eſt ſolùm Inquiſitor, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 19.

Quando indicia ſufficiunt ad inquitendum, licet non ſufficiant ad torturam, vel quando tormentis purgantur, poſſunt Judices & Officiales in expeditionibus cauſarum accipere ſalaria juxta formam Taxę, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Quando indicia.*

JURAMENTUM.

Purgatio Criminis per Juramentum, quæ, *tom.* 1. *conſ.* 76. *fol.* 275. §. *His igitur.* Ubi quando, cur, & quommodo, & ubi pręſtabatur.

De juramento non accipiendi munera ab Adminiſtro, ſeu Judice, eruditè refertur Hiſtoria Victorini Præſidis, *ibidem fol.* 276. §. *Sequitur.*

Purgans ſe juramento, niſi accedat nova infamia ſuper eodem crimine non inquiſit. *ibid.* §. *Quod ſi.*

Quommodo debeant jurare Judæi, aliique Infideles, *tom.* 2. *conſ.* 150. *fol.* 93. §. *Id autem.* Ubi Juramentorum formulę remiſſivè.

Quilibet in S. O. debet jurare, *tom.* 2. *conſ.* 154. *fol.* 113. §. 1.

Jurare iterum debet Advocarus Reorum in qualibet defenſione, etiam ſi juraverit cum primum aſſumptus fuit ad hoc munus, *tom.* 2. *conſ.* 155. *fol.* 119. §. *Ideoque.*

Juramentum veritatis dicendum, an, & quommodo defendendum in S.O. Teſti minori, & impuberi, *tom.* 2. *conſ.* 150. *fol.* 96. §. *Tamen*, & *ſeq.*

Juramentum fidelitatis pręſtandæ à Catholicis in Anglia Regi Anglorum prohibitum. Illudque pręſtantes, ſunt excommunicati, *tom.* 2. *conſ.* 201. *fol.* 518. §. *Angli Catholici*, & *ſeq.*

K

KALENDARIUM.

Gregorianum, ubi non obſervandum, & quid agendum, ubi non eſt uſu receptum, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 518. §. *Ubi.*

Kalendarium vetus, quibus permiſſum, *ibid. fol.* 519. §. *Kalendario*, & §. *Kalendarium*, & *ſeq.*

L

LAMIÆ.

Undè nominentur, & quæ hodiè dicantur, *tom.* 1. *conſ.* 55. *fol.* 185. §. *Septimo.*

Mira ſcelera illarum referuntur, & de earundem coitu cum dęmone, *tom.* 1. *conſ.* 60. *per totam*, *fol.* 210.

Quæ pacta ineant cum dęmone, & quando puniendæ uti relapſę, & tradendę Curiæ Sæculari, *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 250. §. *Sexto.*

Vide SAGÆ STRIGES.

LAPIDES *vide* GEMMÆ.

LARES.

LARUÆ. *Vide* ANIMA.

LEGES.

Hęreticorum non ſanctæ, ſicut Cattholicorum, *tom.1. conſ.20. fol. 28. §. Tertio, & fol.29. §. Quam autem.*

Antiquæ, Divinæ quantum ad præcepta moralia, non ſunt immuratę ſed quo ad Cæremonialia, & Sacramentalia, & quommodo, *ibidem fol.34.§. Lex porrò.*

LIBRI.

Quinam legendi, & quommodo, *tom. 1. conſ. 45. fol. 130. §. Caterum, & ſeq.*

De prohibitione Librorum, *tom.2. conſ.191. fol.* 441. Ubi de juſtitia prohibitionis, & de combuſtione Librorum hæreticorum.

An libri hęreticorum non agentes de materia fidei tolerari poſſint, *ibid. fol.* 445. *§. Si verò.*

De libris Athęis, & magicis, *tom. 2. conſ. 192. fol.496.*

De libris Thalmudicis, Cabaliſticis, & Rubiticis, *tom. 2. conſ.193. fol.452.*

De libris Aſtrologicis, *tom.2. conſ. 194. fol. 467.* Ubi quinam ſint permiſſi.

De pænis contra legentes, retinentes, imprimentes, tranſcribentes, vel aſportantes libros prohibiros, *tom.2. conſ.195. fol. 470.*

Quommodo, & quando excuſetur aliquis à pæna lectionis librorum prohibitorum, *ibid.fol.* 472. *§. Hac autem.*

Ao ſint prohibiri etiam manuſcripti, *ibid. fol.* 476. *§. Nec libri.*

Au incidant in excommunicationem legeotes libros prohibitos, ubi non eſt publicata Bulla, *ibid. fol.* 480. *§. Catholici.*

Explicatur retentio, *ibid. fol.* 481. *Quod verò, & ſeq.*

An auferens à libro prohibito aliquam paginam excuſationem à pæna, *ibid. fol.* 484. *§. Habens. & ſeq.* Ubi plura de libris prohibitis.

An liceat, & quibus, hęreticorum libros legere, & retinere, & à quibus hęc licentia ſit concedenda, quiſve poſſit abſolvere legentes abſque licentia, *tom. 2. conſ. 196. fol. 490.*

Retinentes Libros hæreticos, aut Sortilegos, an ſint ſuſpecti, *tom. 2. conſ. 164. fol. 230. §. Retinentes, & ſeq.*

Quid ſi neſciat legere, *ibid. §. Nam ſi.*

Quid ſi neſciat materias libri prohibiti, *ibid. §. Si vero.*

Quid de Compoſitoribus, *ibid. §. Quod tamen, & §. Scriptores.*

An corrumpens libros Cattholicos commiſcendo hęreſes, ſint ſuſpecti, *ibid. §. Nec non.*

An Impreſſores, *ibid. fol. 231. §. At ſimiliter.*

An retioens ad effectum coofutandi, ſit excomunicatus, *§. Quam vero.*

Quommodo procedendum contra retinentes libros prohibitos, *tom. 2. conſult. 202. fol 529. §. Contingit.*

Quid, ſi Reus negat eſſe ſuos libros, *ibid. §. Reperiuntur.*

Si retinens ſit rudis abjurat de levi, *ibid. §. Si vero, & ſeq.* Ubi ſi eſſet omnino indoctus, non abjurat.

Retinentes libros tantum ſcandaloſos, non abjurant ſed puniuntur pæna arbitraria, *§. At ſi libri.*

M

MAGIA.

Ferè ſemper unita cum Hereſiarchis, *tom. 1. conſult. 40. fol. 508. §. Caterum.*

Ubi floruerit, & doceretur, *ibid. §. Sic poſt,* Ubi quidam Magi referuntur.

Qui dicantur Magi, *tom. 1. conſult. 55. fol. 184. §. Quod & ſeq.*

Magicarum artium mirabilia, *tom. 1. conſ. 58. fol. 193.*

Magicarum artium diſtinctio, *tom. 1. conſ. 56. §. 1. fol. 185.*

Mira, ſcelera, nefanda eorum referuntur, diſceptantur, & de eorum corporali translatione, *tom. 1. conſ. 60. fol. 210.*

De effectibus Magiæ, *tom. 1. conſ. 61. fol. 216.*

An ſint vera, vel falſa, quæ ab eis facta dicuntur, *ibid. fol. 217. §. Porrò, & ſeq.*

Magi, an verè poſſint mortuos reſuſcitare, Leones, & Lupos ſubito producere, & ſimilia, *ibid. §. Probatur.*

De Magia Generali ſumpta, *tom. 1. conſ. 62. fol. 218.*

De ſpeciebus Magię naturalis ſcilicet, Fiſcię, & artificialis, *ibid. per totam conſultat.*

Dividitur Magia naturalis in humanam, Divinam, & Dæmoniacam, *ibid. fol. 218. §. Naturalis.*

De miraculis naturæ differitur, *ibid. §. De miraculis, & fol. 219. §. At profecte.*

An ejicere Dæmonem ex magia naturali ſit ſuperſtitioſum, *ibid. §. At profectò.*

Etiam Magia naturalis diſcitur aliquando à dæmone, *ibid. fol. 220. §. Nonnunquam.*

Dividitur Magia naturalis in operatricem, & divinatricem, *ibid. §. Diximus, & ſeq.* Ubi de earum effectibus.

De Magia naturali divinatrice, *Vide* In verbo divinatio.

De Magia artificiali operatrice, ſeu Caumaturgia, *ibid. §. Magia, & ſeq.*

An vis Caracterum, Annulorum, Sigillorum, Imaginum, aliquid operetur, *ibid. §. Ad hanc.*

An numeris Arithmeticis, aut Muſicis inſit aliqua vis Magica, *ibid. §. Secundo & ſeq.*

An aliqua vis ſanandi morbos inſit verbis, & incantationibus, *ibid. §. Tertio & ſeq.*

De Amuletis, & Periaptis, *ibid. §. Quartò.*

De Alchimia, *ibid. fol. 221. §. Quinto.*

De Magia præſtigiatrice, ſeu ludrica, & decertoria, *ibid. fol. 222. §. Altera, & conſ. 65. fol. 228. §. Rurſus.*

Magia quotuplex ſit, *tom. 1. conſ. 65. fol. 227.*

Diſtinctio Magię dæmoniacę in Theurgiam Goetiam, & Negromantiam, *ibid. §. Notis & fol. 231. §. De Negromantia.*

In Opticam, & Pharmaticam, *ibid. fol. 228. §. Rurſus.*

In Cabaliſticam, & Aſtronomicam, *ibidem.*

Aſtronomica, quæ, *ibid. §. Aſtronomica, & ſeq.*

Quommodo Magi artem eorum exerceant, *ibid. §. Ad hac.*

Spiritus, quibus Magi adorationes, & obſequia deferunt, ſunt dæmones, *ibid. fol. 229. §. Primo.*

Magi ſunt homines flagitioſiſſimi, *ibid §. Deinde, & ſeq.*

De Magia Cabaliſtica, *ibid. fol. 230. §. Complectitur.*

An Opera Magorum ſiot verè miracula, ubi de prodigiis Magorum Pharaonis, *tom. 1. conſ. 66. fol. 233.*

Signa ad diſcernendos effectus Magiæ, *ibid. fol. 239. §. Hujuſmodi & ſeq.*

Quid poſſint Magi in dæmones, *ibid. fol. 236. §. Atque ex his.*

Quę poſſiot Magi facere per Dæmones, *ibid. §. Poſſunt & ſeq.*

De admirandis, quę poſſunt facere Magi, *tom. 1. conſ. 67. fol. 235.*

An, & quatenus Magię ſtudium ſit licitum, *tom. 1. conſ. 69. fol. 244.*

Magia ſuperſtitioſa quam grave peccatum, *ibid. §. Uſus vero, & ſeq.*

Non naturalis, an ſit ſuperſtitio hęreticalis, *ibid. fol. 245. §. Eſtque Magia.*

Quæ crimina cum Magia admiſceantur, *ibid. fol. 246. §. Imò.*

An in Magia detur parvitas materiæ, *ibid. §. Nec in Magia, & ſeq.*

Quommodo Magus poſſit fœdus jactum cum Dæmone medio Chirographo diſſolvere, *ibid. §. Quod verò.*

MAGISTRI, *vide* DOCTORES.

An Eccleſia Cattholica, qui ſint, & fuerint, *tom.* 1. *conſ.*20. *fol.*29. §. *Quinimo.*

MALEFICI.

Undè dicantur, & qui ſint, *tom.*1. *conſ.*55. *fol.* 184. §. 1. *& ſeq.*
Maleficorum diſtinctio, *tom.*1. *conſ.*56. §.1. *fol.*185.
Maleficia an fieri poſſint per pharmaca, *ibid.* §. *Atque & ſeq.*
Eorum diviſio, *ibid. fol.* 186. §. *Quod autem, & ſeq. &* §. *Quod ſpectat.*
Color Unguentorum, quæ Malefici adhibent, *ibid.* §. *Notandum.*
Maleficia ſomnifica, *ibid.* §. *Quod ſpectat.*
Amatoria, ſeu philtra, *ibid.* §. *Maleficium amatorium.*
Hoſtilia, *ibid. fol.* 187. §. *Maleficium hoſtile.*
Philtra in voluntate aliena nihil efficere poſſunt, *ibid. fol.*186. §. *In voluntatem.*
Interna, & externa, *ibid.* §. *Quod autem.*
Remedia pro eis, *ibid. fol.* 187. §. *Circa.*
Nonnulla maleficia narrantur, *ibid.* §. *Narrat, & ſeq.*
De ſpeciebus Maleficiis Hoſtilis, *tom.* 1. *conſ.* 58. *fol.* 193.
De maleficio abortus, *ibid. fol.* 202. §. *Nonnulli, &* §. *Neque enim.*
Lactis exicationem, *ibid. fol.* 201. §. *Morbi.*
Sagittariis, ſeu Baliſtrariis, *ibid. fol.* 197. §. *Maleficii.*
De illatione variorum morborum, *ibid. fol.* 197. §. *Et tales. & fol.*198. §. *Pro ſolutione.*
De Maleficio devovendi, *ibid. fol.* 197. §. *Eſt etiam.*
Quibus perſonis Malefici poſſint nocere, *ibid.* §. *Quod verò.*
De Signis Maleficiorum; *ibid. fol.* 204. §. *Morbos, & ſeq.*
De eorum curatione divina, natutali, & magica, *ibid. fol.*206. §. *Divina, & ſeq.*
An à Lamiis Maleficia perfici poſſint, *ibid. fol.* 193. §. *Sententia, & ſeq.*
Non licet Maleficia maleficiis tollere, *tom.* 1. *conſ.*59. *per totam fol.* 207.
Malefici, ſeu Magi Medici, Exorciſtæ qui dicantur *tom.*1. *conſ.* 58. *fol.*193. §. *Profitentur.*
Maleficium, ſen incantamentum ad leniend: *ibid.* §. *Et Ammianus.*
An dentur morbi ab incantatione, & veneficiis inducti, *ibid. fol.* 195. §. *Id autem & ſeq.*
De vomitu ſignorum, Lapidum, Clavorum &c. *ibid.* §. *In primis & ſeq.*
De Maleficio Ligaminis, *ibid.* §. *Et prater & ſeq.*
An Judices poſſint noceri à Maleficis, *ibid. fol.* 197. §. *De Judicibus.*
De pacto Maleficorum cum Dæmone, *ibid. fol.* 203. §. *Deinde, & ſeq.*
An liceat media, & Inſtrumenta, quibus Sagæ, Malefici, & Venefici ad morbum aliquem inducendum uſi ſunt inquirere &c. *tom.* 1. *conſ.* 59. *fol.*207.
Mira, ſcelera nefanda de Sagis Lamiis, Strigibus, de eorum corporali tranſlatione.
Coitus cum dęmone, & ſimilia eruditè, jucundè, & horridè referuntur, & diſceptantur, *tom.* 1. *conſ.*60. *per totam fol.* 210.
De figuris Maleficii, *tom.* 1. *conſ.* 70. *fol.* 251. §. *Signa, & ſeq.*
Cur Dęmon opera Maleficii utatur, *ibid.* §. *Permittit.*
Maleficia diſtinguuntur, *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 5. §. 1. *& ſeq.*
Quę ſapiunt hæreſim, *ibid. fol.* 6. §. *Ut autem, & ſeq.*
Malefici declarantur Infames, *tom.* 2. *conſ.*137. *fol.*17. §. *Porrò.*
Præſumptivè tamen abſque errore intellectus, ſecùs cum errore, *ibid. fol.* 18. §. *His autem.*
Contra iſtos nequeunt procedere Judices Sęculares, *ibid. fol.* 19. §. *Nullo, & conſ.* 138. *per totam*; Etiam in caſu dubio.
Percutiens, aut offendens aliqnem, prætextu quod ſit Maleficus, puniri poteſt in S. Off. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 518. §. *Percutiens.*

MELANCHOLIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.*83. *fol.* 309. §. *Melancholia.*
Ejus cauſa, & effectus, *ibid.* §. *Alexander, & ſeq.*

MANES, *vide* ANIMA.

MARTIRIUM.

An, & quatenus Fideles teneantur fidem Chriſtianam exterius etiam martirio profiteri, *tom.* 1. *conſ.* 48. *fol.* 136.
Ubi de fuga perſecutionis tempore, & ſignis, ex quibus fidem negari colligitur, Quando Fidelis Religione obligetur ſubire Martirium, & an Martirium aliquando cadat ſub conſilio, *ibid. fol.*137. §. *Martirium autem.*
Fuga perſecutionis tempore, an ſit licita, *ibid. fol.*136. §. *De fuga.*
Chriſtus exemplo, & verbo, fugam licitam declaravit, *ibid.* §. *Chriſtus & ſeq.* Ubi de fuga plutium Sanctorum.
Martirium nulla ratione directè procurandum ſed tolerand: & deſiderand: *ibid. fol.* 138. §. *Quamvis.*
Quando declinand; quandove amplectend: ex D. Iſidoro, *ibid. fol.* 137. §. *Divus Iſidorus.*
Licet indirectè ultro ſe offerre Martirio, *ibid. fol.*138. §. *Secundum eſt.*
Vidend. prudenter, utrum, & quando, *ibid.* §. *Diu tamen.*

MATRIMONII SACRAMENTUM. SIVE DE ILLIUS ABUSU, & POLIGAMIA.

Abuſus quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 118. *fol.* 488. §. 1. *& ſeq.*
An pertineat ad S. O. *ibid.* §. *Ex quibus, &* §. *Sanè, &* §. *Cauſa.*
Referuntur literæ Clem. VIII. Pro rege Neapolitano, *ibid. fol.* 490. §. *Et hac.*
An ſit locus pręventioni inter Inquiſitorem & Judicem laicum, *ibid. fol.* 491. §. *Neque.*
Conſtitutio ſuper hoc S. Pii V. Si de protegendis, *ibid. fol.* 492. §. *Addunt.*
Opiniones Hęreticorum referuntur, *ibid. fol.* 488. §. *Unum, & fol.*489. §. *Bernardinus.*
Sacræ Literę poligamiam negant, *ibid.* §. *Et pag. &* §. *Qui loci.*
Item S. S. Patres, *ibid.* §. *Negant.*
Quamvis Judices Sæculares prætendant eſſe mixti, *ibid. fol.* 491. §. *Neque, & fol.* 492. §. *Quamvis.*
Poligamus abjurat de vehementi, & damnatur ad Triremes, & ad reſarciendum damna ſecundæ Uxoris, *ibid. fol.* 493. §. *Poligamus.*
Si mortua prima Uxore Poligamus vult cum ſecunda contrahere, indiget diſpenſatione Apoſtolica, *ibid.* §. *Si mortua.*
Attentans Poligamiam, abjurat de levi, *ibid.* §. *Qui tentat.*
Petenti licentiam converſandi cum ſecunda Uxore ob periculum Vitę, non eſt annuendum, *ibid.* §. *Petenti.*
Qui abjurat de vehementi, & deinde cohabitat cum ſecunda Uxore poſt præceptum de non cohabitando, iterum abjurat de vehementi, & damnatur ad Triremes, *ibid.* §. *Qui abjurat.*

Non

Non permittitur cognitio nullitaris primi matrimonii coram Ordinario, antequam declaretur nullum Secundum, coram Inquiſitore, *ibid.* §. *Nullo modo.*

Cognitio cauſæ ub attentatam poligamiam cum Homicidio primæ Uxoris ad effectum contrahendi cum Secunda, ſpectat ad S. Officium, quoad poligamiam, quo ad Homicidium ad Judicem Laicum, *ibid.* §. *Cognitio.*

Regulares, & Clerici ordinati in Sacris, ſi matrimonium contrahant, vel ſponſalia, abjurant de vehementi, *tom.* 2. *Conſult.* 164. Pariter in Hiſpania, *ibid. fol.* 220. *& ſeq.* Ubi plura de poligamia.

Clericus in ſacris contrahens, vel attentans matrimonium, an inccurat irregularitatem, *tom.* 1. *Conſ.* 123. *fol.* 524. §. *Ille.*

An incurrat ipſo facto in privatiooem Beneficii, ubi de opinione magis communi Sanchez, *ibidem.* Ubi an ab Epiſcopo poſſit diſpenſari, & quando.

Sæcularis, qui Indutus ſuper pelliceo interfuit celebrationi Matrimonii tamquam Parochus, punitur in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Sacularis.*

Matrimonium contrahens cum Commatre punitur in S. O. *ibid.* §. *Matrimonium.*

Profeſſus, Uxorem ducens abjurat de vehementi, & damnatur ad Tritemes, & quid ſi poſt expeditionem ſcribat literas Mulieri, illam appellando Uxorem, *ibid. fol.* 516. §. *Profeſſus.*

Contrahentes matrimonia cum hęreticis, non ſunt admittendi ad ſacramenta, & quando. *ibid. fol.* 519. §. *Cattholici.*

MEDICAMENTA, MEDICUS.

Naturalia mixta cum verbis Sacris Sacramentalibus Orationibus, an ſuperſtitioſa, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 161. §. *Adhibens, & ſeq.*

Contra Medicum conſulentem fornicationem ad ſanitatem, procedit S. O. *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517.

METOSCOPIA.

Ciri Spontoni Aſtrologia de lineis frontis, eſt ſuperſtitioſa, *tom.* 1. *conſ.* 97. *fol.* 399. §. *Prodiit.*

Vide Phiſionomia.

MINISTRI S. OFFICII.

Sunt exempti à juriſdictione Ordinarii, & Curię Sæcularis etiam in cauſis non ſpectantibus ad S. Offi. *tom.* 2. *conſ.* 133. *fol.* 4. §. *Miniſtri.*

Non mancipantur Carceribus Urbis, niſi facto verbo cum Sanctiſſimo, vel Aſſeſſori S. O. *ibid.* §. *Non mancipantur.*

Sunt Immunes à ſolutione Datiorum, & Gabellarum, *ibid.* §. *Officiales.*

Poſſunt conſtitui pro intereſſe Curię ſecularis cum aſſiſtentia Vicarii S. O. *ibid.* §. *Poſſunt.*

Poſſunt accipere honoraria pro expeditione cauſarum, & quando, *ibid.* §. *Quando.*

MINOR.

An excuſet à delicto in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 122. *fol.* 121. §. *An autem*

Si minor ſit doli capax, eſt puniendus, *ibid. fol.* 122. §. *At vero.*

Quid ſi minor fiat hęreticus, & factus major in hæreſi perſiſtat, *ibid.* §. *Si vero.*

Minor 14. Annorum excipitur à tortura, *tom.* 2. *conſ.* 161. *fol.* 164. §. *Porro, & fol.* 167. §. *Minores.*

Ubi, an, & quando torqueri poſſint; §. *At non eſſe.*

Minor annorum 14. an admittendus, ut Teſtis in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 150. *fol.* 96. §. *Minores, &* §. *Tamen.*

Impuber, an reſipiatur ut Teſtis, & illi deferatur juramentum, *ibid.* §. *Verum.*

An dicatur Apoſtata, qui in Infantia captus à Turcis educatur in eorum ſecta, *tom.* 1. *conſ.* 41. *fol.* 111. §. *Apoſtata,* Ubi an abjuret.

An minorennitas facit minuere pęnas ſtatutas contra negantes Trinitatem, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 531. §. *De negantibus*

Minor 18. Annorum quomodo abjuret, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Minor.*

Minor annorum 14. ſponte comparens, ſi fateatur quod dum eſſet annorum 9. fuit captus à Turcis, & fidem Cattholicam abnegavit, credendo in illa poſſe ſalvari, abjurat de formali, *ibid. fol.* 516. §. *Si quis.*

Minor annorum 16. ſponte comparens, ſi fateatur ſe in ætate annorum ſeptem feciſſe actus hæreticales abjurat de vehementi, *ibid.* §. *Si quis annorum* 16.

MIRACULVM

Miracula fidei Chriſtianæ, argumenta, *tom.* 1. *conſ.* 12. *fol.* 14. §. *Quintum.* Ubi referuntur aliqua falſa Gentilium.

Hęreticorum ſemper contraria eorum voluntatibus, *ibid.* §. *Quod enim.*

Cur paſſim non fiant etiam noſtris temporibus, *ibid.* §. *Cur autem.*

Quę ſint, *tom.* 1. *conſ.* 20. *fol.* 29. §. *Sepe.*

Fingens miracula illaq. prædicans, vel ſcribens, vel ſuſpendens ad Altare Tabellas peccat mortaliter, *tom.* 1. *conſ.* 50. *fol.* 146. §. *Qui fingeret.*

An opera Magorum ſint verè miracula, *tom.* 1. *conſ.* 66. *fol.* 233. Ubi de Magis Pharaonis, & quommodo vera à falſis dignoſcantur.

Quid ſit miraculum, *ibid.* §. *Deinde, & ſeq.*

Miracula Magorum falſa probantur, *ibid.* §. *Dæmonem, & ſeq.*

Signa, & indicia ad diſcernenda vera à falſis, *tom.* 1. *conſ.* 67. *fol.* 239. §. *Porro. & ſeq.*

Fingens ſe infirmum & miraculoſè liberatum, quomodo expediatur, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Qui fingit.*

MISSA.

Quænam prohibita, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 169. §. *Hinc, & ſeq.* Ubi de Miſſis S. Gregorii.

Sacras Miſſæ Ceremonias irridendo Celebrans, an puniendus in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 165. *fol.* 245. §. *Si quis.*

Quid ſi repræſentationis gratia, *ibid.* §. *Quod ſi.*

Vide Celebrantes, Communio, Euchareſtia.

MONIALIS. MONASTERIUM.

Moniales Clauſtrales, in quibus præcipuè errare ſoleant, & quomodo procedend. contra eas, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 536. §. *In Monialium.*

Quid, quando ex deſperat: in hæreſim incidant, *ibidem.*

Quid quando, ſe credunt maleficiatas ab alia Moniali, *ibid.* §. *Secundum, & ſeq.*

Quando committunt ſortilegia, *ibid.* §. *Interdum.*

Quando affectant ſanctitatem, *ibid.* §. *Alius.*

Qualis Confeſſarius Monialium eſſe debeat, *ibid.* §. *Iſte & ſeq.*

Quid de Biazochis, & Biguinis, *ibid.* §. *Alius.*

Poteſt transferri de uno ad aliud Monaſterium ut commodius examinetur in cauſa S. O. *tom.* 2. *Conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Monialis.*

MONOMACHIA, *Vide* DUELLUM.

MORISCHI, *Vide* TURCÆ.

N

NEGROMANTIA, *Vide* PRÆSTIGIUM.

NEGANS TRINITATEM.

Contra negantes Trinitatem, Divinitatem Chriſti, conceptiooem de Spiritu Sancto, ejus mortem, Virginitatem B. M. V. proceditur juxta Conſtitutionem

Pauli IV. & Clem. VIII. tanquam contra relapſos ad traditionem Curiæ ſæculari, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 531. §. *De negantibus.*
An, & quando minorennitas, & neophityſmus faciant minuere dictam pœnam, *ibidem.*

NOBILIS.

An ſit torquendus, *tom.* 2. *conſ.* 161. *fol.* 164. §. *Porrò omnes, & fol.* 167. §. *Licet in Jure.*

NOTARIVS.

Notarii, ſive Cancellarii S. Off. eliguntur ne dum ab Epiſcopis, ſed etiam ab Inquiſitoribus, eorumq; Commiſſariis, & poſſunt Notarios creare in cauſis fidei, ex Conſt. Pii IV. *tom.* 2. *conſ.* 133. §. 1. *fol.* 1.
Etiam Regulares exceptis fratribus minor. obſervant. *ibid.* §. *Quare.*
Poſſunt cogi Regulares, qui in ſæculo fuerunt Notarii ad hujuſmodi officium exercendum, *ibidem.*
Debent tamen Inquiſitores in ſuos Notarios, & Vicarios eligere fratres ejuſdem Conventus, *ibid.* §. 1.
Notarii electi in cauſis fidei debent denuo jurare de fideliter exercendo, & ſervando ſecreto, *ibid.* §. *Et licet, & ſeq.*
Ubi agitur de eorum munere & ſalario, & quod debeant inſervire gratis, niſi pro examinibus ad defenſam.
Notarii præſtantes auxilium, & favorem Reis S. O. puniuntur perpetua infamia, & aliis pœnis, *ibid. fol.* 2. §. *Notarii, & ſeq.*
An, & quando credendum magis Notario, quam Teſti, *ibid.* §. *Cui autem magis, & ſeq.*
Notarius Catholicus, ſe rogans de Teſtamento Hæretici debet ab officio ſuſpendi, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. §. *Notarius.*
Vide Familiares, Fiſcalis; Inquiſitor, Miniſtri, Vicarius.

O

OBEDIENTIA.

Romano Pontifici debetur ab omnibus etiam Imperiali, & Regali dignitate fulgentibus, *tom.* 1. *conſ.* 42. *fol.* 120. §. *Hujuſmodi, & ſeq.*

OBSERVATIONES SUPERSTITIOSÆ.

Quæ ſint, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 150. §. 1. *& ſeq.*
Eorum ſpecies, *ibid.* §. *Nugatoria, &* §. *Quod autem*
Quomodo dignoſcantur, *ibid.* §. *Quoniam vero.*
Obſervationes dierum, quando ſuperſtitioſę, *ibid. fol.* 151. §. *Cenſet, & fol.* 153. §. *Non eſſe.*
Armorum, & Numerum, *ibid. fol.* 154. §. *Mirum, & ſeq.*
An, & quando vanæ obſervationes ſapiant hæreſim.
Quænam in eis cavenda, & quæ ſint vanę ſuperſtitiones, *tom.* 1. *conſ.* 54. *per totam fol.* 181.
Et quæ ſint ſint vanæ & inutiles, *ibid.* §. *Eſſentia.*
Quod ſint ſuperſtitioſę, *ibid.* §. *Quod autem, & ſeq.*
Quid advertendum, *ibid.* §. *In his.*
Quænam ſint vanæ, *ibid.* §. *Atque.*
An excuſet ignorantia, *ibid. fol.* 182. §. *Ubi vero.*
An parvitas materię, *ibid.* §. *Neque.*
Quando ſapiant hęreſim manifeſtam, *ibid.* §. *Ex quibus.*

OBSESSI ENERGUMENI.

An dentur Energumeni, *tom.* 1. *conſ.* 70. *fol.* 249. §. *Atque.*
De ſignis maleficii, *ibid. fol.* 251. §. *Signa, & ſeq. & fol.* 252. §. *Signa autem,*
Cur Deus permittat vexationem dæmoniacam, *ibid.* §. *Permittit.*
Quam poteſtatem habeat Dæmon in Energumenos, *ibid.* §. *Cur autem,*
Quommodo immittantur in corpus Energumeni quæ ab eis per os ejiciunt, *ibid. fol.* 253. §. *Quomodo.*
Quiſnam fuerit oſtenſus ab Angelo Thobię, *ibid. fol.* 254. §. *Dicendum, & ſeq.*
De quibus liceat Energumenos interrogare, *ibid. fol.* 253. §. *Non licet, & ſeq. Vide* Exorciſta.
An torqueantur, *tom.* 2. *conſ.* 161. *fol.* 167. *Energumeni. Vide* Tortura.
Non ſemper credend. obſeſſos ex maleficio eſſe, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 538.

S. OFFICIO ABUTENS.

Qui ſub falſo prætextu S. O. quempiam tenuerit in Carceribus, ſuſpenditur à ſuo munere, & abſolvitur à Cenſuris, *tom.* 2. *conſ.* 201. *fol.* 518. §. *Si quis.*
Si quis ſub ficto nomine S. O. ducit ſecum ſatellites, ne ab aliquo moleſtetur, damnatur ad Triremes, *ibid.*
Qui, ſe jactat Commiſſarium S. O. conſtruendo proceſſus, damnatur ad Triremes, *ibid.* §. *Qui ſe jactat.*
Item falſificans Patentes S. O. *ibid.* §. *Falſificans.*

OMEN.

Omnia omina ſunt illicita, *tom.* 1. *conſ.* 92. *fol.* 342. §. *Caterum.*
Quid omen, *tom.* 1. *conſ.* 96. *fol.* 373. §. *Omen, & fol.* 378. §. *Alio.*
Qui ſint dies ominoſi, *ibid.* §. *Dies.*
Quando ſint ſuperſtitio, & vana obſervatio, *ibid.* §. *Sunt qui, & ſeq.*
Referuntur exempla ominis, *ibid. fol.* 379. §. *Ominis.*
Et unde habeantur, *ibid.* §. *Aliquando. & ſeq.*
De omine divino, *ibid fol.* 380. §. *De omine.*
Excepto divino, omnia ſunt vaniſſima, *ibid.* §. *Omnis.*
Non niſi à Deo, vel a dæmone, *ibid.* §. *Quare.*

OMPHALOMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Omphalomantia.*

ONISCOMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 357. §. *Oniſcomantia. &* §. *Addit. Piſtorius.*

ONOMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Onomantia.*

ORACULA.

Ex quibus reddita, *tom.* 1. *conſ.* 72. *fol.* 262. *Primi, & conſ.* 94. *fol.* 351. §. *Cur autem.*
De Oraculis effoſſis, *tom.* 1. *conſ.* 77. *fol.* 290. §. *Et quod, & ſeq. & fol.* 291. §. *De Oraculis, & ſeq.*
De Laminis Granatenſibus, *ibid.* §. *Feria.*
De Oraculis antiquis, & ſimulacris fatalibus, *tom.* 1. *conſ.* 81. *fol.* 300. *& fol.* 301. §. *Quod vero.*
Quomodo potuerint preſagire futura, *ibid.* §. *Optimi.*
De Oraculis ex Ominibus, *ibid. fol.* 300. §. *Dæmon.*
Ex ſtatuis, *ibid.* §. *Ex ſtatuis, & ſeq.*
Ex antris, *ibid. fol.* 301. §. *Ex antris.*
De eorum defectu poſt Chriſti adventum, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 351. §. *Quare.*
Quid de Oraculis apud Judices, *tom.* 1. *conſ.* 81. *fol.* 301. §. *Et prædicato.*
Opinio Toreblanchę, quod ad prædictiones ex antris, & exhalationibus refellitur, *ibid. fol.* 302. §. *Reſtat, & ſeq.*

ORIENTALES, *Vide* GRÆCI.

An ab Orientis Eccleſiis qualis eſt Alexandrina & ſimiles peti poſſit regula credendi, & Sacerdotum, conſecrandorum facultas, *tom.* 1. *conſ.* 47. *fol.* 155. §. *Quod vero, &* §. *Et paulo poſt, cum ſeq.*
Sacerdotes Caldæi poſt Præsbiteratum non poſſunt Uxores ducere, nec defuncta prima alteri nubere, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. §. *Caldæi.*

P

PACTUM.

Cum Dæmone explicitum, & implicitum. Divinatio, Magi, Striges, ſuperſtitio, *tom.* 1. *conſ.* 92. *fol.* 338. §. *Ad peccatum.* Et an inferatur hęreſis manifeſta. §. *Unde.*

In quo conſiſtat pactum cum Dæmone, *ibid.* §. *Ex his,* & *ſeq.*

Signa dignoſceodi dictum pactum, *ibid. fol.* 339. *Signa,* & *ſeq.*

PAGANI; *Vide* IDOLATRÆ.

PAPA.

Controverſias omnes circa fidem terminat, *tom.* 1. *conſ.* 11. *fol.* 12. §. *Ad tertium.*

Solus congregat Concilia Generalia, *ibid.* §. *Interſunt.*

Caput viſibile Eccleſię Catholicæ, *tom.* 1. *conſ.* 17. *fol.* 23. *per totam,* & *conſ.* 18. *fol.* 25. & 26. & *conſ.* 19. *fol.* 27. §. *Quæ autem,* & *ſeq.*

Ubi quod non extinguitur per mortem Petri, & Papæ illius primatus in Eccleſia, *ibid.* §. *Quod autem.*

Papæ, & Papiſtarum nomen unde dictum, *tom.* 1. *conſ.* 22. *fol.* 31. §. *Porro,* & *ſeq.*

Hæretici per contemptum veros Catholicos Papiſtas vocant, *ibid. fol.* 32. §. *Papiſtæ.*

Papæ auctoritas in judicando propoſitiones fidei, *tom.* 1. *conſ.* 38. *fol.* 104. §. *In his,* & *ſeq.*

Etiam ſupra Concilium, *ibid. fol.* 101. §. *Firmum,* & *ſeq.*

Non poteſt errare, nec errat. *ibid. fol.* 106.

Non ſubeſt Cenſuris etiam in Bulla Cęnæ, *tom.* 1. *conſ.* 44. §. *Summas,* & *ſeq.*

Papa eſt exemptus à Juriſd. Inquiſitoris, *tom.* 1. *conſ.* 125. *fol.* 513. §. 1. & *ſeq.* Ubi de Marcellino Papa.

Papa eſt infallibilis in iis, quæ agit pro ut eſt Paſtor univerſalis, *ibid. fol.* 514. §. *Itaque,* & *ſeq.*

De poteſtate Papæ ſupra Imperatores, & Reges, *tom.* 2. *conſ.* 140. *per totam fol.* 37.

PARTHENOMANTIA.

Quid ſit, & ad quem finem, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Parthenomantia.*

PHILAPTERIA; *Vide* AGNUS DEI.

PHILTRUM.

Amatorium, an ſapiat hæreſim, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 207. §. *Hinc hæreſim.*

An poculum, *ibid.* §. *Neque.*

Dividitur in poculum, & veneficium, *ibid. fol.* 208. §. *Verum,* & *ſeq.*

Vide Veneficium.

PHISIONOMIA.

Quænam ſit, quomodo, & in quot ſpecies conjectationis dividatur, *tom.* 1. *conſ.* 73. *fol.* 266. §. *Tertio.* Ubi de Spatuemantia, Chyromantia, Metoſcopia.

An ſit licita, & rationes adducuntur, *ibid.* §. *Loquendo.*

Quando noo licita, *ibid. fol.* 267. §. *At ſi loquamur.*

An ex mala phiſionomia poteſt ſumi indicium Rei ad torturam, *ibid.* §. *An autem.*

De phiſionomia, ejuſque partibus, & ſignis, *tom.* 1. *conſ.* 96. *fol.* 381. §. *Magna,* & *ſeq.*

Quid ſit, §. *Eſt autem.* Quantique exiſtimabatur, *ibid. fol.* 382. §. *Tantique.*

Qui fuerint Excellentes Phiſionomi, *ibid.* §. *Excelluerunt.*

Aliquorum phiſionomia refertur, *ibid.* §. *Quod tenere,* & *ſeq.*

Fallax de Phiſionomia judicium, *ibid. fol.* 383. §. *Ita feliciter,* & *ſeq.*

An utilis, *ibid. fol.* 385. §. *Hinc utilis.*

De iis, qui ſunt parvi corpore, *ibid.* §. *Quam,* & *ſeq.* De vanis, *ibid.*

Dæmon poteſt efficere homines pingueos, *ibidem* §. *Poſſe autem.*

De ingenio hominis parvi Corporis, *ibid. fol.* 386. §. *Tradit Ariſtoteles.*

Sunt fæcundiores, quam magni, *ibid.* §. *Parvi tamen.*

De magnis corpore, *ibid.* §. *Corpore magni.*

Hi diutius vivunt, *ibid.* §. *Hi plerumque.*

De Corpore Craſſis, *ibid.* §. *Craſſi,* Ubi dicitur, & firmatur quod humani, & mites ſunt, Idoneoſque ad regendum, *ibid.*

De homine corpore piloſo ad libidinem propenſo, *ibidem* §. *Pilorum.*

De Capite Acuminato, *ibid. fol.* 387. §. *Caput acuminatum.*

De Capite cavo, *ibid.* §. *Caput cavum.*

De vertice humili, & plango, *ibid.* §. *Caput verò.*

De capillis, *ibid.* §. *Capilli.* Eorumque conſtit. & cultu. §. *ſeq.*

De coloribus capillorum, *ibid. fol.* 388. §. *Non ut,*

De Capite calvo, *ibid.* §. *Quam verò,* & *ſeq.*

De Capillis criſpis, *ibid.* §. *Vide, ſi lubet.*

De facie plura, *ibid. fol.* 389. à §. *Quamquam,* ad §. *Quid verò.*

Alba, *ibid. fol.* 390. §. *Facies alba.*

Pallida, *ibid.* §. *Pallidus.*

Subnigra, *ibid.* §. *Subnigra.*

Livida, *ibid.* §. *Lividus.*

Rubra, *ibid.* §. *Color rubeus.*

Flammea, *ibid.* §. *Flammeus.*

Miraculoſa, *ibid.* §. *Miraculoſa.*

De fronte, *ibid.* §. *Frontis.*

De qualitate frontis, §. *Sequent.*

De ſuperciliis, & oculis, *fol.* 391.

Naſus, *ibid. fol.* 392. §. *Quis verò.*

De naſo amplo, *ibid.* §. *Declinemus,* & *ſeq.*

Aquilino, *ibid.* §. *Illa tamen.*

Corvino, *ibid.* §. *Non accipitur.*

Leonino, *ibid.* §. *Qui verò.*

Aures, *ibid.* §. *Fallor.*

Os, & Genæ, *ibid.* §. *In ore.*

Bonę Indolis, qui rubeſcunt Adoleſcentes, Malæ verò, qui paleſcunt, *ibid. fol.* 393. §. *Cui aſſenſus.*

Labia, & meotum, *ibid.* §. *Quis in labiis.*

Dentes habens paocos, & raros, *ibid.* §. *Qui raros.*

Molares, *ibid.* §. *Molares.*

Nigri dentes, *ibid.* §. *Nigri.*

Liogua ſubtilis, *ibid.* §. *Lingua verè.*

Craſſa, *ibid.* §. *Lingua Craſſa.*

Lata, *ibid.* §. *Lingua lata.*

Barba, *ibid.* §. *Sed qui nam.* De barba variarum nationum, §. *Sequent.*

Qui barba exuuntur, *ibid. fol.* 394. §. *At quid.*

Perfectionis ſignum, *ibid.* §. *Quando barba.*

Copioſę barbę ſignum, *ibid.* §. *Copioſa barba.*

Qui citò barbam emittunt, qui tarde, *ibidem* §. *Qui citò.*

De collo craſſo, *ibid.* §. *Qui collum.*

Teoue, & groſiſco, *ibid.* §. *Collum verè.*

De pedibus, *ibid. fol.* 395. §. *Habens,* & *ſeq.*

De Inceſſu, *ibid.* §. *De hoc.*

Celeri, *ibid.* §. *Celer.*

Tardo, *ibid.* §. *Tardus.*

Gravi, *ibid.* §. *Graviter.*

De manibus, *ibid.* §. *De manu.* De dextera, & Siniſtra *ibid. fol.* 396. §. *Agunt.*

Carnoſis, *ibid. fol.* 395. §. *Manus valdè.*

Mollibus, *ibid.* §. *Secus autem.*

Magnis, *ibid.* §. *Manus magna.*

Craſſis, & brevibus, *ibid.* §. *Craſſa.*

Piloſis, *ibid.* §. *Qui verò,*

De lioeis manuum, *vide* Chyromantia.

De digitis craſſis, & brevibus, *ibid. fol.* 396. §. *Digiti craſſi,* & *ſeq.*

Longi,

Longi, *ibid.* §. *Digiti longi.*
De ungnibus plura, *ibid.* §. *Unguet* §. *Ungues plani.*
De ſignis Unguium, *ibid.* §. *Hieronymus.*
De humotibus, *ibid.* §. *Magna eſt, & ſeq.*
An, & quatenus divinatio phiſonomiæ &c. ſit licita, vel ſapiat hereſim manifeſtam, *tom.* 1. *conſ.* 97. *fol.* 398.
Dividitur in naturalem, & indiciariam, *ibid.* §. 1.
In Metoſcopiam, Chiromantiam &c. dividitur immediatam, & mediatam, *ibid.* §. *Porrò.*
An dęmon poſſit humanam Phiſionomiam alterare, *ibid.* §. *Divina.*
Naturalis licita, *ibid. fol.* 399. §. *Quare, & ſeq.* & §. *Phiſionomia.*
Ubi quę ſervati debent ad hoc, ut licita dici poſſit.
Ex ea poteſt fieri judicium probabile de propenſione alicujus, *ibid. fol.* 400. §. *Secundo.* Nunquam verò de futuris contingentibus judicare, *ibid.* §. *Nunquam, & ſeq.*
Phiſionomia Aſtrologica, vel judiciaria, varia, ſuperſtitioſa, & illicita, *ibid. fol.* 401. §. *Quinto & ſeq.* Et ſicut hujus artis Executores denunciandi S. Officio *ibid. fol.* 402. §. *Phyſonomici.*

P OE N A.

De pœnis inſligendis Reis in S.O. ſuis locis actum eſt.
Pęna Triremium ſucceſſit loco damnationis in Metallum, vel deportationis, *tom.* 2. *conſ.* 176. *fol.* 338.
Quanta ſit pæna Triremium, *ibid.* §. *Hac pena.*
Quid agendum de damnato ad Triremes, qui poſt tranſmiſſionem ſit inhabilis ad remigandum, *ibid.* §. *Si, & ſeq.*
Juvenes Imberbes non tranſmittuntur ad Triremes, *ibid. fol.* 339. §. *Interdum.*
Quid ſi aliquis liberatus ex gratia à ſupplicio, & miſſus ad Triremes, reperiretur inhabilis, *ibid.* §. *Interdum.*
Quis teneatur providere neceſſitatibus ſpiritualibus damnatorum ad Triremes, *ibid.* §. *Cum autem.*
Qui damnentur Regulariter ad Triremes in S. O. *ibid.* §. *Hac pæna & ſeq.*
De pęna fuſtigationis, *ibid. fol.* 340. §. *Verberum, & ſeq.*
De pæna ictuum funis, *ibid.* §. *Ictus, & ſeq.*
De pæna flagellationis, *ibid. fol.* 341. §. *Flagellorum.*
De pęna ferulæ, *ibid.* §. *Ferula.*
Quinam ſint damnandi ad iſtas pænas, *ibid.* §. *Hae itaque.*
Quinam minimè damnandi, *ibid.* §. *Notandum.*
De pæna exilii, relegationis, deportationis &c. *tom.* 2. *conſ.* 177. *fol.* 341. *& ſeq.*
Pæna exilii, quæ, & quando inventa, *ibid.* §. 1. *& ſeq.*
Loco exilii, quandoque pæna peregrinationis ad Sacra Limina fuit impoſita, *ibid.* §. *Ex hoc.*
Exilium quotuplex, *ibid. fol.* 342. §. *Marcellus, & ſeq. & fol.* 343. §. *Hic vero, & ſeq.*
Deportatio, quę, *ibid. fol.* 342. §. *Coacta,* & §. *Formam.*
Quæ ſit relegatio, *ibid.* §. *Alia.*
Interdicti pæna qualis, *ibid.* §. *Interdictio.*
De pæna contravenientis exilio, deportationi &c. *ibid. fol.* 343. §. *In Exulibus.*
Quando incipiat pæna exilii, *ibid.* §. *Verum tamen.*
Pæna pro qualitate perſonarum inſligenda, *ibid. fol.* 344. §. *Et Græcorum, & ſeq.*
Item pro qualitate delictorum, *ibid. fol.* 345. §. *Eodemque modo.* Ubi de tranſitu de una ad aliam pænam.
Non conjungitur bonorum publicatio cum relegatione temporali, *ibid. fol.* 349. §. *Ut verò.*
An conjunguntur cum exilio, *ibid.* §. *Jam verò, & ſeq.*
Quibus imponatur in S. O. exilium, vel relegatio, *ibid. fol.* 354. §. *Pæna, & ſeq.*
De pęna habitus pænitentialis in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 178. *fol.* 356.
Qui occultaverit habitum, vel abiverit, an puniatur tamquam impænitens, *ibid.* §. *Qui autem & ſeq.*
Non imponitur ſuſpectis de vehementi, *ibid.* §. *Non eſt.*
De pęna pecuniaria, *tom.* 2. *conſ.* 179. *fol.* 356.
An poſſit imponi ab Inquiſitoribus, *ibid.* §. *Poſſe, & ſeq.*
Quid ſi damnatus ad pænam pecuniariam, non poſſet; vel nollet eam ſolvere an commutanda in corporalem poſt ſententiam, *ibid. fol.* 357. §. *Verum.*
Triplex traditur regula imponendi pęnam pecuniariam, *ibid.* §. *Undè, & ſeq.*
An imponi poſſit Clerico Beneficiato, *ibid.* §. *Hanc.*
Quibus applicanda, *ibid.* §. *Pæna.*
Quibus imponenda, *ibid. fol.* 358. §. *Hodiè.*
An poſſit pęna corporalis commutari in pecuniariam, *ibid.* §. *Scriptum.*
An debeant imponi inconſulta S. Cong. ab Inquiſitoribus, *ibid.* §. *Atque.*
De pæna publicationis bonorum Hæreticorum, *tom.* 2. *conſ.* 180. *fol.* 358.
Quid ſit publicatio, ſeu bonorum confiſcatio, *ibid.* §. 1.
Quid ſit Fiſcus, *ibidem,* & §. *Verùm, & ſeq.*
Qui habeant Fiſcum, *ibid.* §. *Confiſcare, & ſeq.*
An Epiſcopus habeat Fiſcum, *ibid. fol.* 359. §. *Eccleſiaſtici.*
Diſtinguitur Fiſcus in univerſale, & privatum & quid ſit, *ibid.* §. *Ratione, &* §. *Privatus.*
Quotuplex Confiſcatio, *ibid.* §. *Jure civili.*
In quo Territorio facienda, & applicanda confiſcatio, *ibid.* §. *Cæterum.*
An confiſcato corpore, confiſcentur etiam bona, *ibid.* §. *Sitque, & ſeq.*
An ſi delinquens ſit Territorii immunis à confiſcatione ſint confiſcanda bona, quę extant in alio Territorio *ibid.* §. *Notat.*
Confiſcantur omnia bona Hæreticorum, *ibid. fol.* 360. §. *Quod verò.*
Confiſcationibus pæna ipſo jure incurrunt hęretici, *ibidem, & ſeq.*
An hæreſim incurrens ante condemnationem teneatur Fiſco afferre omnia bona, *ibid.* §. *Eum qui, & ſeq.*
Quid de Fęudo Hęretici, *ibid. fol.* 361. §. *Feudum.*
Quid de Emphiteuſi, *ibid.* §. *Quod verò.*
Quid de cenſu, & de prima genitura, *ibid. fol.* 362. §. *Res, &* §. *Bona & ſeq.*
Quid de fructibus beneficiorum, *ibid. fol.* 363. §. *Advenendum, & ſeq.*
Quid de bonis Regularis lapſi in hæreſim, *ibid.* §. *Regularis.*
Quid de bonis adventitiis filiorum Hęretici, *ibid.* §. *Quando verò.*
Quęnam bona Hęreticorum non publicentur, *ibid.* §. *Ex quibus.*
Quid de pecunia mutata, *ibid.* §. *Pecunia, & ſeq.*
Si Hęreticus redeat ad fidem, an ei reſtituantur bona, *ibid. fol.* 364. §. *Qui ante, & ſeq.*
An Fiſcus poſſit publicare bona hæretici ante ſententiam, *ibid.* §. *Nequit, & ſeq.*
An bona Hæretici poſſint publicari poſt illius mortem, *ibid. fol.* 365. §. *Poſt mortem.*
Quomodò agendum ſit in publicatione bonorum Patris Hæretici habentes filios Catholicos, *ibid.* §. *Notat verò Gloſ. & ſeq.*
Quomodo agendum ſit cum Uxore Hæretici, *ibid.* §. *Propter, & ſeq.*
Quæ bona publicari poſſint Clericis Hæreticis & cui applicanda, *ibid. fol.* 366. §. *Qua autem, & ſeq.*
An ſuſpectis de hæreſi poſſit imponi pæna confiſcationis bonorum, *ibid. fol.* 367. §. *Non poſſunt, & ſeq.*
Varia ſtatuta circa applicationem bonorum hæreticorum referuntur, *ibid.* §. *Quod tandem & ſeq.*
Ordinarii nihil poſſunt percipere de bonis Hæreticorum, *ibid. fol.* 368. §. *Ordinarius.*

De

De pœna Jejunii, & abſtinentiæ à cibis, *tom. 2. conſ.* 181. *fol.* 390. Ubi de vitibus, & gradibus abſtinentiæ.
Quomodo in pænam delictorum imponatur, *ibid. §. Quamobrem.*
De pæna flagellationis, ſive redarguationis publicè, *tom. 2. conſ.* 182. *fol.* 391.
De pænis in jure Pontificio uſurpatis, *tom. 2. conſ.* 183. *fol.* 391.
Pænæ in jure Pontificio, quę ſint, & undè habuerint originem, *ibidem* §. 1.
De pęna infamiæ, *ibid. §. Non Poſſumus, & ſeq.*
Infamia in jure civili qualis ſit, *ibid. §. Inre civili, & fol.* 392. *§. Sunt autem.*
De infamia facti, *ibid. §. Infamia facti.*
Infamia quomodo evitetur, & tollatur, *ibid. §. Caterum.*
De pæna privationis Beneficiorum, & Officiorum, *tom. 2. conſ.* 184. *fol.* 392. *Vide* Beneficium.
Pęna latæ ſententiæ quomodo cognoſcatur, *ibid. fol.* 393. *§. Cognoſcitur.*
Quæ ſit pęna latę ſenteotię, & quomodo obliget, *ibid. §. Pana item, & ſeq.*
An dicta pęna afficiat pro delicto occulto, & actu puro interno, *ibid. §. Quamvis, & ſeq.*
Pęna cenſurarum, & irregularitatis obligant abſque alia declaratione, *ibid. fol.* 394. *§. Sed hac.*
De effectibus pænę latę ſententię, *ibid. fol.* 395. *§. Primus, & ſeq.*
Requirit actum conſumatum, *ibid. fol.* 396. *§. Pana verò.*
An comprehendat mediatores, & Cooperatores, *ibid. §. Praterea, & ſeq.* Cum ſuis limitationibus.
An in pęna latę ſententię admittatur purgatio moræ, *ibid. fol.* 398. *§. Id quoque.*
An tullatur per Pęnitentiam, *ibid. §. Panitentia.*
An per ſpontaneam Confeſſionem, *ibid. §. Neque ſpontanea.*
An per ignorantiam, *ibid. §. An autem, & ſeq.*
An per dubitationem, *ibid. fol.* 400. *§. Dubitans, & ſeq.*
Quid dicendum de pueris, & Minoribus, *ibid. fol.* 401. *§. Quod verò, & ſeq.*
Quid de metu gravi, *ibid. §. Sed quid, & ſeq.*
Quid de Furioſo, & Dementi, *ibid. fol.* 402. *§. Quod verò, & ſeq.*
An ſub pęna privationis vocis, *ibid. fol.* 480. *§. Panam, & ſeq.* Ubi de obligatione Regularibus impoſita legendi decreta S. O.
Quomodo ſuperiores Regulares poſſint excuſari à pęna impoſita ob relectionem decreti S. O. *ibid. §. Tempus, & ſeq.*
An ſubditus teneatur monere ſuperiores de hujuſmodi decretis, *ibid. fol.* 409. *§. Praterea.*
De pęna Talionis, *tom. 2. conſ.* 187. *fol.* 411.
Cui, & quando imponenda ſit in S. O. Accuſatori, Denuncianti, Teſti falſo &c. *Ibidem.*
Teſtis falſus ſponte comparens, an eximatur à pęna, *ibid. fol.* 412. *§. Teſtis, & ſeq.*

POENITENTIÆ SACRAMENTUM.

De abuſu Sacramenti Pœnitentię, *tom. 1. conſ.* 117. *fol.* 474.
De non Sacerdote miniſtrante Sacramentum Pęnitentię, etiam ſi abſolutionis formulam non proferatur, *ibid. §. 2. & tom. 2. conſ.* 164. *fol.* 219. *§. Sed quod, & ſeq.*
Propoſitio, quod Confeſſio poteſt fieri per literas vel per Nuncium, fuit declarata temeraria, falſa, & ſcandaloſa, & excommunicatus tractans de hac propoſitione, & quomodo, *tom. 1. conſ.* 117. *fol.* 475. *§. Propoſitio.*
Militans ad turpia in Confeſſione, abutitur Sacramento Pœnitentię, *ibid. §. Pracipuus.*
Refertur Bulla Gregorii XV. contra ſollicitantes, *ibid. §. Gregorius.*
Sollicitans ad turpia in Confeſſione, eſt ſuſpectus de hęreſi, *ibid. fol.* 476. *§. In hac.*
Non autem ſollicitans ad alia peccata, *ibid. §. Ex hac.*
In cauſa ſollicitationis proceditur indiſtinctè contra quoſcunque, *ibid. §. Secunda.*
Etiamſi Sacerdos non habeat juriſdictionem, *ibid. fol.* 477. *§. Comprehenditur.*
Poteſtas procedendi contra Sollicitantes eſt delegata, *ibid. fol.* 476. *§. In hac regula, & ſeq.*
Omnes mandantes, Interpretes, Nuncii, & auxilium in ſollicitatione pręſtantes, ſunt de hæreſi ſuſpecti, *ibid. fol.* 477. *§. Advertendum.*
Quid de Fęmina ſollicitante Confeſſarium, *ibid. §. Porrò.*
Quid de variis ſollicitationis exemplis, *ibid. fol.* 478. *§. Duplex, & ſeq.*
De ſpatio inter ſollicitationem, & Confeſſionem, *ibid. fol.* 480. *§. Spatium.*
Locus, & occaſio quid ſit, *ibid. fol.* 481. *§. Pratextus.*
Pœnæ contra Regulares ſollicitantes, *ibid. fol.* 482. *§. Ex recenſitis.*
De exceptionibus contra Teſtes, *ibid. fol.* 483. *§. Secundò.*
De obligatione Confeſſariorum monendi ſollicitantes ad denunciandum Sollicitantes, *ibid. fol.* 484. *§. Sexta.*
De obligatione Pœnitentis ſollicitatę denunciandi Confeſſarium, *ibid. §. In hoc, & ſeq.*
An filius, & Uxor teneantur denunciare ſuſpectum de hęreſi, *ibid. §. Hac autem.*
An ſuperior denunciandus ſit Inferiori in materia ſollicitationis, & fidei, *ibid. §. Ideoque.*
Etiam ſuſpecti occulti, *ibid. §. Non eſſe.*
Etiam ſi ſciat ſub obligatione ſecreti naturalis, *ibid. fol.* 485. *§. Ideoque.*
Non tenetur Vir doctus Conſultus de obligatione denunciandi, *ibidem.*
Opinio de pręmittenda Conceptione, eſt damnata ab Alexandro VII. *ibid. §. Opinio.*
Etiam emendatus debet denunciari, *ibid. §. Ex hoc, & ſeq.*
Etiam ſi non poſſit probare, *ibid. §. Neque excuſatur.*
Quid ſi ſciat ſollicitantem comparuiſſe ſponte in S. O. *ibid. fol.* 486. *An autem.*
An excuſet metus, *ibid. §. Denique, & §. Diximus.*
Quid ſi Fæmina ſollicitet Confeſſarium, qui minis perterrefactus conſentiat, *ibid. §. Sed quid, & ſeq.*
An talis Confeſſarius abjurare debeat, *ibid. §. An autem.*
Quid de Confeſſario turpiter tangente pęnitentiam ſomno, vel morbo corruptum, *ibid. §. Quid autem, & ſeq.*
An ipſa ſollicitans teneatur obligare ſollicitatam ad denunciandum, *ibid. fol.* 487. *§. Sed quid.*
Sed cum diſtinctione, *ibidem, & fol.* 488. *§. Confeſſarius.*
Quomobo abſolvenda Pœnitens, quæ non poteſt juſtis cauſis denunciare, *ibid. §. An autem.*
An recuſans denunciare ſit ſuſpectus de hęreſi, *ibid. §. Eſt quoque.*

POENITENTIA SALUTARIS.

De pęnitentiis ſalutaribus Reorum in S. O. *tom. 2. conſ.* 186. *fol.* 409.
Quænam ſoleant eſſe, *ibid. §. 1.*
Debent imponi cum miſericordia, *ibid. §. Tamque.*
Quę debeant conſiderari ante impoſitionem ſalutaris Pœnitentiæ, *ibid. §. In hac.*
Injunguntur etiam damnatis ad pænas temporales, *ibid. fol.* 410. *§. Porrò.*

Quid

Quid de Penitentia Elęmoſinis impoſita ſuper bonis, ſi moriatur Pęnitens, an ejus obligatio tranſit ad Hæredes, ibid. §. Quod ſi.
Inquiſitores has pęnitentias minuere, commutare, & remittere, ibid. §. Poſſunt, & ſeq.
Imponuntur etiam ſpontè Comparentibus, ibid. fol. 411. §. Sunt autem.

POLIGAMIA, vide MATRIMONIUM.

Regulares Profeſſi, & Clerici in Sacris matrimonium contrahentes, quomodo abjurent, tom. 2. Conſ. 174. fol. 220. §. Pariter In Hiſpana, & ſeq.
Quid, ſi contrahant ſponſalia, ibid, §. Quid autem.
Qui poſt acceptam Uxorem ordines ſuſcipit, an ſit Poligamus, ibid. §. Idem dicendum, & ſeq.
De vario uſu Inquiſitionis Hiſpanæ, & Romanæ, circa abjurationem Poligami, ibid. & conſ. 220. fol. 516. §. Contra.
An puniendus ab Inquiſit: contrahens Matrimonium abſque certo nuntio de morte Prioris Conjugis, tom. 2. conſ. 164. fol. 223. §. Porro, & ſeq.
An puniendus Presbyter, qui aſſiſtit matrimonio, ibid. §. Unde.
An puniatur in S. O. contrahens ſecundum matrimonium, non declarata nullitate Primi, ibid. §. Tertio, & ſeq. & conſ. 200. fol. 518. §. Inquiſitus.
An ſit ſuſpectus contrahens ſponſalia vivente altera Conjuge, tom. 2. conſ. 164. fol. 224. §. Quarto, & ſeq.
Cooperantes Poligamiæ ſubjacent Foro S. Officii, ibid. §. Quinto, & ſeq.
Quomodo probetur Poligamia, ibid, fol. 225. §. Ut autem.
Quomodo expediendus Poligamus, ibid. §. Poligami, & ſeq.
Quomodo attentans, ibid. fol. 226. §. Attentantes.
Quid de contrahente ſecundum Matrimonium alieno nomine, ibid. §. De Procuratore.
Quomodo procedatur contra Teſtes Falſos & de eorum pęna, ibid. §. Teſtes.
De pęna Poligami, ibid. §. Pęna, & ſeq.
Pænę contra attentantes, cooperantes, Conſultantes, &c. ibid. §. Attentantes, & ſeq.
Clerici, & Religioſi profeſſi, contrahentes Matrimonium ſunt ipſo facto excommunicati, ibid. fol. 227. §. Similitudinarii, & ſeq.
Quid ſi contrahant Clandeſtinè, §. eodem.
Poligami ſemper irregularitatem incurrunt ob ligamiam.
Clerici in Sacris contrahentes matrimonium irregularitatem incurrunt, ibid. fol. 228. §. Irregularitatem.
Item privationem beneficiorum, ibid. §. Privationem.
An alias pænas incurrant, ibid. §. Quod verò.
Item illi, qui in vita vivente Uxore, ſuſpiciunt Sacros Ordines, ibid. §. Idque.
Quid de Sacerdote græco, ibid. §. Cum autem.
Quomodo interrogentur Poligami ſuper intentionem, tom. 2. conſ. 202. fol. 525. §. Cum illis.
In Hiſpania abjurant de Levi, in Italia de vehementi, ibid. §. In quibuſdam.
Quomodo probetur primum matrimonium ſi deſit illius partita in libris Parrocchię, ibid. fol. 526. §. Accidit.
Quid faciendum, ſi Reus neget identitatem perſonę, ibid. §. Contingit.
Quid ſi Reus inducat falſos Teſtes ſuper mortem primę Uxoris, nec conſtet de ejus ſuperviventia, ibid. §. Soles.
Quando ſit certioranda ſecunda Uxor de ejus ſtatu libero, ibid. §. In hoc.
Quomodo procedendum contra attentantes poligamiam, ibid. §. In illos.
Exhortatus promittens aliam ducere propter actum quomodo expediendus, tom. 2. conſ. 200. fol. 516. §. Qui habet.
Quid de Uxorato certiorato de impedimento Canonico dirimente ſuum Matrimonium, ſi ad Ordines Sacros aſcendat, ibid. fol. 518. §. Inquiſitus.

PORTENTUM; vide PRODIGIUM.

PRÆCEDENTIA.

Inter Inquiſitores, & Vicarios Epiſcopi, tom. 2. conſ. 201. fol. 519. §. Congregationes, & ſeq.

PRÆDESTINATIO.

Error Calvini eſt in Eccleſia adeſſe ſolos Prædeſtinatos, tom. 1. conſ. 15. fol. 20. §. De prædeſtinatione, & §. Quare.

PRÆDICTIO.

Non eſt vana ſuperſtitio præſtare fidem futuris prędictionibus morientium, tom. 1. conſ. 52. fol. 153. §. Non eſſe, & ſeq.

PRÆNOTIO, vide CONJECTATIO.

PRÆSTIGIUM, vide NEGROMANTIA.

Quid ſit, tom. 1. conſ. 94. §. 1. fol. 347.
Quomodo poſſit exerceri, ibid. fol. 348. §. Multis, & ſeq.
Quęnam ſuſpicio contra Negromantes inſurgat, ibid. fol. 350. §. Cum igitur.

PROCESSUS.

De modo procedendi contra Hæreticos, alioſque de hæreſi ſuſpectos, tom. 2. conſ. 144. fol. 60.
De tribus modis denunciationis, accuſationis, & inquiſitionis, ibid. §. Tripliciter.
Summariè de plano abſque ſtrepitu, ac figura judicii, ibid. §. Primo, & ſeq.
Modus procedendi per viam accuſationis, ibid. §. Modus, & ſeq.
Quomodo contra Calumniatores, ibidem fol. 62.
De eorum pęna, & pęna Talionis, ibid. §. Diximus, & §. Solent, & ſeq.
Contra Prævaricatores, ibid. fol. 63. §. Prævaricari, & ſeq.
Et de tergiverſatione, ibid. fol. 64. §. Tergiverſari, & ſeq.
Quomodo procedatur per viam Inquiſitionis, ibid. fol. 66. §. Per viam.
De nullitate Proceſſus, tom. 2. conf. 125. fol. 120. §. Poteſt.

PRODIGIUM.

De Campanis prodigioſis, & gemmeis rationalis Summi Sacerdotis futura pędicentibus, tom. 1. conſ. 77. fol. 288. §. Quod verò, & ſeq.
De Campana Oppidi Villila Hiſpaniæ, ibid. §. Primo.
Fratrum Dominicanorum, Salerni, & Zamoræ, ibid. §. Salerni, & §. Joannes.
Monialium Bothenſium, in Saxonia, & Coſenſium in Stiria, ibid. §. Surius, & §. In Stria, & ſeq.
De ſtrepitu ad Sepulchrum S. Jacobi Compoſtellæ, ibid. §. Sic ad.
A quo veniant portenta, & prodigia, tom. 1. conſ. 87. fol. 324. §. Ex jam, & ſeq. Ubi referuntur Methæorologicæ apparitiones tum naturales, tum ſupernaturales.

PROGNOSTICA, PRÆSAGIA.

An licita ſit Agricolis, Paſtoribus, & Nautis, tom. 1. conſ. 88. fol. 327.
De prognoſticis Medicorum, & de diebus criticis, tom. 1. conſ. 89. fol. 330. §. Quod verò.
An morbus venereus ſit originatus ab aſtris, ibid. fol. 332. §. Ad ſecundum.

Quomodo

Quomodo Aves præſagiant naturaliter, *tom.* 1. *conſ.* 96. *fol.* 375. §. *Quomodo.*
Vide Augurium, Omen.

PROPHETIA.

An fieri poſſit armonicis ſomnis, *tom.* 1. *conſ.* 79. *fol.* 295. *& ſeq.*
An ſit naturalis, *tom.* 1. *conſ.* 83. *fol.* 308. §. *Malenconia, & fol.* 310. §. *His prænotatis.*
Quomodo Prophetæ ſe probabant à Deo miſſos, *ibid. fol.* 311. §. *Neceſſe*, *& ſeq.*
Quinam falſi, *ibid.* §. *Falſi.*
Quomodo diſcernebantur veri à falſis, *ibid.*
An in novo Teſtamento adſint veri, & falſi Prophetę, *ibid. fol.* 312. §. *Cæterum*, *& ſeq.*
Quid de Pytonis, & Pytoniſſis, *ibid.* §. *De Pytonibus*, *& ſeq.*
De Prophetii Abbatis Joacchimi, *tom.* 1. *conſ.* 80. *fol.* 299. §. *Quod vero.*
Superſtirioſę ſunt Rotę, & Imagines ad Pontifices futuros cognoſcendos, *ibid.* §. *Quid quid.*
Item de Prophetiis Malachiæ, *ibid.* §. *Idemque.*
Item de Rota Bedæ, *ibid. fol.* 300. §. *Falſo*, *&* §. *Hanc autem*, *& ſeq.*
An Intellectus creatus poſſit naturaliter futura prædicere, *tom.* 1. *conſ.* 83. *fol.* 310. §. *Nos.*
An Magi, aliique ſortilegi aliquando vera proferant, *tom.* 1. *conſ.* 84. *fol.* 313. §. *Magi*, *& ſeq.*
An Angelus poſſit pręſcire futura pro aliquo brevi tempore, *ibid. fol.* 315. §. *Denique*, *& ſeq.*
Vates idem, ac Prophetę, & Poetæ, *tom.* 1. *conſ.* 86. *fol.* 287. §. *Fuerunt.*

PROPOSITIONES.

Hæreticales quęnam ſint, *tom.* 1. *conſult.* 37. *fol.* 96. §. 1. *&* 2.
Earum gradus judicium, ſeu cenſura, *ibid. fol.* 99. §. *Atque*, *&* §. *Dixi*, *& ſeq.*
Negans aliquid contentum in Sacra Scriptura non pertinens ad articulos fidei, an contrahat hæreſim, *ibid.* §. *Dubitandum.* *&* §. *Royas*, *& ſeq.*
Propoſitiones erronęę, quæ, *ibid. fol.* 101. §. *Magis*, *& ſeq.*
Quæ ſapientes hæreſim, *ibid.* §. *Verum*, *& ſeq.*
Quæ malè ſonantes, *ibid. fol.* 102. §. *Illam*, *& ſeq.*
Quę Temerariæ, *ibid.* §. *Temeraria.*
Piarum aurium offenſivę, *Ibid.* *& ſeq.* §. *Piarum.* Ubi de ſcandaloſa.
Schiſmaticæ, *ibid.* §. *Sciſmatica.*
Seditioſa, *ibid.* §. *Seditioſa.*
Injurioſa, *ibid.* §. *Iniurioſa.*
Impia, *ibid.* §. *Impia.*
Blaſphema, *ibid.* §. *Blaſphema.*
Favens hæreſi, *ibid. fol.* 103. §. *Propoſitio arrogans.*
Improbabilis, *ibid.* §. *Propoſitio improbabilis.*
Impertinens, *ibid.* §. *Propoſitio impertinens.*
Dubia, rigida, ſcrupuloſa, *ibid.* §. *Atque.*
Animadverſiones circa gradus propoſitionum, *ibid.* §. *Si quis*, *& ſeq.*
Ad quem pertineat jus cenſurandi propoſitiones, *tom.* 1. *conſ.* 38. *per totam fol.* 103.
Cuilibet Viro docto tale jus convenit, *ibid.* §. 1. *&* §. *Dixi.*
Proferentes malas propoſitiones puniuntur ab Inquiſitoribus, *tom.* 1. *conſ.* 39. *fol.* 107. §. *Ad ſecundum.*

PURGATIO.

Canonica, & ejus ſpecies, *tom.* 1. *conſ.* 74. *fol.* 270. §. *Tertio.*
Quid ſit, & quę vulgaris, *ibid.* *&* §. *Vulgares.*
An licita ſit provocatio ad Judicium Divinum, *ibid.* §. *Primus.*
Purgatio quæſtionis, *vide* Tortura.
Purgatio Crucis, *ibid. fol.* 271. §. *Erat.*
Purgatio per Sacramenta Euchareſtiæ, *tom.* 1. *conſ.* 75. *fol.* 280.

An ſit Canonica, *ibid.* §. 1. *& ſeq.*
Vide Duellum.

PYROMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 334. §. *Primus*, *& ſeq.* Ubi plura de igne.

Q

QUALIFICATORES.

Qui ſint, & de eorum munere & auctoritate, *tom.* 1. *conſ.* 39. *fol.* 107. §. 1. *&* 2.
Quales eſſe debeant, *ibid.* §. *Porrò.*
Eorum ſuffragium an ſit deciſivum, *ibid.* §. *Ex his.*
An ſic ſit illud Conſultorum, *ibid.* §. *Secus.*
Quomodo procedere debeant, *ibid.* §. *In auditum*, *& ſeq.*

QUÆSTVARII.

In quibus caſibus ſubſint Inquiſitoribus, *tom.* 1. *conſ.* 127. §. *fol.* 525. *Quæſtuarii.*

R

RADOMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 335. §. *Divinatio.*

RATIO.

Naturalis inſervit Theologiæ, non prævalendo, ſed formulando, & declarando, *tom.* 1. *conſ.* 37. *fol.* 98. §. *Quid.*

REGULARES.

Abjurantes in S. O. inhabilitantur ad gradus & ad dignitates in ſua Religione, & quando, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 232. §. *Regulares*, *& ſeq.* *& conſ.* 169. *fol.* 287. §. *De Inhabilitatione.*
Non poſſunt Superiores Regulares cognoſcere cauſas ſuorum ſubditorum de hęreſi ſuſpectorum, nec poſſunt retardare denunciationes, ſed & ipſi tenentur denunciare, *ibid.* §. *Ex conſtitutione.*
Quas pænas incurrant, ſi non paruerint, *ibid.* §. *Quod ſi.*

RELAPSUS.

De Relapſis in Hereſim, eorumque pænis, *tom.* 2. *conſ.* 165. *per totam. fol.* 238.
Quotuplex ſit Relapſus, *ibid.* §. 1. *& ſeq.*
Quinam dicantur veri Relapſi, quidve requiratur ad conſtituendum relapſum, *ibid.* §. *Verè autem*, *& ſeq.*
An ſufficiat notorium facti ad dicendum de primo lapſu, *ibid.* §. *Hinc.*
Perſeverans in hęreſi non eſt relapſus, etiam ſi de una ad aliam hæreſim tranſierit, *ibid.* §. *Ex quibus.*
Abjurans unam, & incidens in aliam hæreſim non dicitur verè relapſus, *ibid.* §. *Qui vero* *& ſeq.* *& fol.* 239. §. *Ex quo.*
An relapſus poſtea pænitens traditus brachio ſæculari debeat admitti ad Sacramenta, *ibid.* §. *Iſti*, *&* §. *Fertur*, *& ſeq.*
An eorum corpora ſepeliantur, vel comburantur, *ibid.* §. *Nec.*
Quinam ſint relapſi pręſumpti, *ibid.* §. *Præſumpti*, *& fol.* 241. §. *Tertia verò ſpecies.*
Quę ſint neceſſaria ad relapſum præſumptum, *ibid. fol.* 239. §. *Tria*, *& ſeq.*
Abjurans de vehementi bis non dicitur relapſus, *ibid.* §. *Ex quo*, *& ſeq.*
Abjurans de formali, & labens in aliam hæreſim, an dicatur relapſus, *ibid. fol.* 240. §. *Secunda.*

Abjurans de formali, & poſtea factus ſuſpectus de vehementi, an dicatur Relapſus, *ibid. §. Aliam ſpeciem, & ſeq.*
Qui dicantur ficti relapſi, *ibidem fol.* 241. *§. Quarta ſpecies.*
Differentia inter relapſum fictum, abjurantem de formali, & poſtea receptantem Hęreticos, & abjurantem de vehementi, & iode receptantem Hæreticos, *ibid. §. Prima Differentia, & ſeq.*
Quomodo ficti relapſi abjurare debeant, *ibid. fol.* 242. *§. Dubium & ſeq.*
An cenſeatur relapſus, qui abjurata fautoria in eandem relabitur, *ibid. §. Dubitant, & ſeq.*
Quę excuſent à fautoria, *ibid. fol.* 243. *§. In hoc.*
An fugiens à Careere poſſit dici relapſus, *ibid. §. Aliam,* Ubi de non implente pænitentiam.
Negantes Trinitatem, vel Chriſti divinitatem, aut B. V. puritatem habentur pro relapſis, etiam in primo lapſu, *ibid. fol.* 244. *§. Et primo.*
Imperatores, Reges, Cardinales, Archiepiſcopi incidentes in hæreſim, damnantur in pænam Conſt. Pauli IV. Cum ex Apoſtolatus, *ibid. §. Secundo.*
An relapſi pænitentes tradantur Curiæ Sęculari, *ibid. fol.* 250. *§. Porro, & ſeq.*
Quę obſervanda ſint ante piolationem ſententię contra Relapſos, *ibid. §. Ante, & ſeq.*
Quę poſſit Relapſus allegare in ſui defenſionem, *ibid. fol.* 251. *§. Cumque.*
An detur apellatio relapſis, *ibid. fol.* 252. *§. A ſententia.*
Quibus caſibus relapſi non tradantur Curię Sæculari, *ibid. §. Nonnulli.*
De relapſis ſpontè Comparentibus, *ibid. §. Sed ego, & ſeq.*
Quid de recenter converſo, nec bene inſtructo, ſi relabatur, *ibid. §. Secundus.*
Quid de minori, *ibid. §. Tertius caſus.*
Quid de Sortilego, *ibid. fol.* 253. *§. Ex quibus.*

RELIGIO.

De Religione, ratione, & de diviſione perſonarum, *tom.* 1. *conſ.* 24. *per totam fol.* 33.
Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 30. *fol.* 58.
Quibus modis ab ea recedatur, *ibid. §. A Religione.*
Novas introducere, vel inſtituere abſque approbatione S. Sedis punitur in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 25. *§. Inſtituens.*
Religionis libertas, an liceat Principib. Catholicis permittere, & quare permiſſa, an ſit ſervanda fides Hæreticis, *tom.* 2. *conſ.* 141. *fol.* 43. *per totam.*

RELIQUIÆ.

Qui falſas Reliquias pro veris donat, vel venerandas exponit, peccat mortaliter, *tom.* 1. *conſ.* 50. *fol.* 146. *§. Unde.*
Reliquias, & oſſa vendens falſas pro veris, à quo puniendus, *tom.* 1. *conſ.* 51. *fol.* 149. *§. Qui oſſa. & tom.* 2. *conſ.* 20[illegible]. *fol.* 517. *§. Caſus.*

RESIPISCENTIA.

De reſipiſcente Hęretico, *tom.* 2. *conſ.* 198. *fol.* 501.
Quæ ſint Signa reſipiſcentiæ, *ibid. fol.* 503. *§. Signa.*
An etiam relapſus reſipiſcens ſit admittendus ad pænitentiam, *ibidem.*

REVELATIO.

Confeſſionis, *vide* Confeſſio, *vide* Sigillum.
Quot modis Deus revelet veritatem, *tom.* 1. *conſ.* 4. *fol.* 4. *§.* 1. *& fol.* 5. *§. Hinc.*
Intellectualis citra extaſim, quę ſit, *tom.* 1. *conſ.* 33. *fol.* 75. *§. Talis.*
An ſit Hæreticus, qui negat aſſentiri revelationi ſibi à Deo factę, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 88. *§. Hac in re, & ſeq.*
Quales ſint revelationes à Deo, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 174. *§. Revelat.*
Revelationes Divinas aſſerens ad favorem ſuę opinionis in materia redditur de fide ſuſpectus, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 23. *§. Ad eoſdem.*
Revelationum examen ſpectat ad Inquiſitores, *ibid. fol.* 25.

REUS.

Tenetur veritatem fateri, dum legitime interrogatur; *tom.* 2. *conſ.* 159. *fol.* 137. *§. Reus autem,* Ubi quid requiratur, ut dicatur legitimè interrogari.
Etiam ſi morte eſſet plectendus, *ibid. §. Idque etiam, & ſeq.*
Etiam ſi dubitet de legitima interrogatione, *ibid. fol.* 140. *§. Ac ita.*
Si Reus ſciat non conſtare in proceſſu de corpore delicti, quod veſtigium relioquat poſt ſe, non tenetur veritatem fateri, *ibid. §. Reus tamen.*
Rei Confeſſio emanata ad ſugeſtionem, an ſit attendenda, vel iterum examinandus, *ibid. §. Rei vero.*
Rei confeſſio, qoando dicatur qualificata, *ibid. §. Porrò.*
Confeſſio debet eſſe ſpecifica, & certa, non autem dubia & generalis, *ibidem fol.* 141. *§. Hinc rei, & ſeq.*
Quid ſi Reus revocet Confeſſionem in continenti, *ibid. §. Quod ſi.*
Quid ſi Reus aliud delictum incidenter fateatur, *ibid. §. Reus autem.*
Quomodo procedendum cum Reo minori, *ibid. fol.* 142. *§. Confeſſionem.*
Repertus in flagranti, puta in ipſo ſortilegio, vel in alio crimine, an illico conſtitui poſſit abſque aliis præcedentibus indiciis, *tom.* 2. *conſ.* 160. *fol.* 146. *§. Si autem, & ſeq.*
Quid ſi conſtitueretur ex intervallo, & conficeretur abſque præcedentibus indiciis, an Confeſſio eſſet attendenda, *ibid. §. Et quoniam.*
An, ſi Reus fateatur delictum extrajudicialiter & popoſtea judicialiter io tortura opus ſit ratificatione, *§. Sunt aliqui.*
Damnatus à S. O. ad Triremes, conſignatur Officialibus Principis Laici cum obligatione illum dimittendi completo tempore pænæ, *tom.* 2. *conſult.* 300. *fol.* 515. *§. Damnatus.*

REX.

De titulo Catholici attributo Regi Hiſpaniarum, *tom.* 2. *conſ.* 170. *fol.* 302. *§. Ac quid, & ſeq. & conſ.* 164. *fol.* 222. *§. At mirum, & ſeq.*
De poteſtate Pontificis in Reges Hęreticos, *tom.* 2. *conſ.* 181. *fol.* 368.
Rex Angliæ & Galliæ, an tactû curent ſtrumas, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 161. *§. Ego autem. & ſeq.*

RITUS.

Novos in Eccleſia inducens etiam in modo arandi punitur ab Inquiſitoribus, *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 23. *§. Pertinet.*
Ubi de Roſario, ſeu Stellario ſub titulo Immaculatæ Conceptionis.

ROMA.

Eſt tutiſſimum contra hæreſes refugii portum, *tom.* 1. *conſ.* 19. *fol.* 27. *§. De hac.*

S

SACERDOS.

Offerens particulam non conſecratam, pro conſecrata, vel exhibens adorandam Hoſtiam non conſecratam, committit peccatum Idolatriæ, *tom. 1. conſ.* 34. *fol.* 79. §. *Sacerdos.*

Item celebrans, & non conſecrans, *ibid.* §. *Idemq.*

Conſecrans extra Miſſam, vel ſine Miſſæ celebratione, ſit irregularis, & ſuſpectus de hæreſi, *tom.* 1. *conſ.* 116. *fol.* 474. §. *At quid.*

SACRAMENTUM.

De abuſu Sacramentorum, *tom.* 1. *conſ.* 114. *fol.* 469.

Non omnes abuſus pertinent ad S. O. *ibid.* §. *At quod.*

Et antiquitùs in quibuſdam caſibus procedebatur, *ibid.* §. *Accedit.*

Proceditur ex abuſu, in quo ineſt ſpecialis ſuſpicio de hæreſi, *ibid.* §. *Hinc dicendum.*

Suſpicio oritur ex parte finis, *ibid. fol.* 470. §. *Ideoque, & ſeq.*

Item ex parte ſubjecti, cui confertur Sacramentum, *ibid* §. *Secundo.*

Item ex parte eſſentiæ Sacramenti, *ibid.* §. *Tertio.*

Item ex parte Miniſtri, *ibid.* §. *Quarto.*

Item ex parte ſolemnitatis, *ibid.* §. *Quinto.*

Item ex reiteratione Sacramenti non reiterabilis, *ibid.* §. *Sexto.*

Item ex parte contemptus Sacramenti, *ibid.* §. *Septimo.*

Negans Sacramenta veteris legis non habuiſſe eandem Virtutem, quam habent Sacramenta novæ legis, an ſit ſuſpectus de hæreſi, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 216. §. *Abjurare debet.*

Negans in adminiſtratione Sacramentorum Sacerdotis malitiam nihil obeſſe, an ſit ſuſpectus de hæreſi, *ibid. fol.* 217. §. *Abjurare etiam.*

Negans Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem imprimere caracterem, abjurat de vehementi, *ibid. fol.* 218. §. *Abjurare.*

SAGÆ; STRIGES.

Unde, & quæ dicantur, *tom.* 1. *conſ.* 55. *fol.* 185. §. *Sexto, & ſeq.*

Necant ſæpe pueros, *tom.* 2. *conſult.* 56. *fol.* 185. §. *Et ideo.*

Mira, ſcelera, neſanga earum referuntur, & diſceptantur, ubi de earum translatione corporali, & de coitu cum Dæmone, *tom.* 1. *conſ.* 60. *fol.* 210.

An omnia, quæ ab eis facta dicuntur ſint verè ab illis facta, *tom.* 1. *conſ.* 61. *fol.* 217. §. *Negari, & ſeq.*

Quædam vera, & quamplurima falſa, & quædam per naturales effectus ab illis fiunt, *ibid.* §. *Verum, & ſeq.*

Alia ſimulata, & oculis apparentia, *ibid.* §. *Caterum, & ſeq.*

An effaſcinent, *tom.* 2. *conſult.* 202. *fol.* 528. §. *Effaſcinant.*

Quomodo procedendum contra Mulieres fatentes feciſſe ſortilegia, ad mortem perexiſſe, ad Conſtitutum Sagarum, & ſimilia, *ibid.* §. *Sed quoniam*

Formula procedendi contra Striges, & Sagas, *ibid. fol.* 537. §. *Experientia.*

Non eſt vis facienda ſuper fama contra Striges, & cur, *ibid. fol.* 538. §. *Nonſint.*

Non omnes Sortilegæ ſunt Striges, *ibid.* §. *Ulterius.*

Quæ advertenda ſint, quando hujuſmodi mulieres confitentur Apoſtaſiam ad Dæmonem acceſſus ad ludos, & ſimilia, *ibid. fol.* 539. §. *Maximus, & ſeq.*

SALVUS CONDUCTUS.

Non conceditur Reis S. O. ſed aliis Inquiſitis, de aliis criminibus, ut comparere poſſint ad deponendum in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 150. *fol.* 96. §. *Salvus Conductus*

An concedenda ſit gratia, antequam Reus compareat, & an aliquando fuerit conceſſa, *ibidem.*

SANCTITAS.

Affectantes debent abjurare publice, exauctorari & diffamari, *tom.* 2. *conſ.* 201. *fol.* 518. §. *Contra affectantes.*

Confeſſarius non poteſt peribere Teſtimonium Sanctitatis ſuæ Pænitentis ex auditis in Confeſſione Sacramentali, *ibid.* §. *Prohibitur.*

SANCTI.

De Cultu licito, & Religioſo Sanctis, eorumque Imaginibus, & reliquiis, nec non Beatis non Canonizatis, debito, quo ad ea, quæ ſpectant ad S. O. *tom.* 1. *conſ.* 51. *per totam fol.* 147.

An in Canonixatione ſanctorum Papa poſſit errare, & quid in Beatificat, *ibid. fol.* 148. §. *An autem, & ſeq. & fol.* 149. §. *Sed quid.*

Id affirmans, qua pæna, & à quo puniendus, *ibid. fol.* 148. §. *Probabilior, & fol.* 149. §. *Quare.*

Qua certitudine credendum ſit aliquas Sanctas Canonizatas fuiſſe Virgines, *ibid.* §. *Quoniam.*

De pæna venerantis homines mortuos ante Canonizationem, vel Beatificationem, *ibid.* §. *Porrò, & ſeq.*

Hæreticum eſt negare venerationem Sanctis, *ibid. fol.* 147. §. *Primo, & ſeq.*

De cognitione futurorum, & abſentium à Deo Sanctis data, etiam in hac Vita, *tom.* 1. *conſ.* 76. *fol.* 285. §. *Sancti.*

In Cælo triumphantes noſtra vota percipiunt, *ibid.* §. *Sancti autem.*

Contrariæ hæreſes referuntur, *ibid.* §. *Id negat, & ſeq.*

SAPIENTES HÆRESIM, *Vide* PROPOSITIONES.

Quæ, & quomodo diſtinguantur, *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 6. §. *Ut autem, & ſeq.*

SARACENI. *Vide* TURCA.

SCISMATICUS.

Qui ſit, *tom.* 1. *conſ.* 15. *fol.* 20. *Quod vero, & conſ.* 24. *fol.* 33. §. *Si verò.*

Dicitur extra Eccleſiam, *ibid. fol.* 20. §. *Hanc.*

Quantum ſit eorum crimen, *ibid.* §. *Quantum.*

Sciſmaticæ Eccleſiæ non ſunt Apoſtolicæ, *tom.* 1. *conſ.* 22. *fol.* 31. §. *Ex quibus.*

Sciſmatici Hæreticis affines, *tom.* 1. *conſ.* 42. §. 1. *fol.* 112,

Sunt ſuſpecti de hæreſi, *ibid.* §. *Unde.*

Degenerat Sciſma in hæreſim, *ibid. fol.* 217. §. *Degenerat.*

Dividitur ſciſma in proprium, & improprium *ibid. fol.* 112. §. *Sciſma.* & §. *At ſi, & ſeq.*

Sunt ſciſmatici, qui recedunt à Concilio Generali legitimè congregato, *ibid.* §. *Sciſmatici.*

Non eſt ſciſmaticus, qui ſe ſubtrahit ſubjectioni Epiſcopi, *ibid.* §. *Qua ratione.*

Renuens obedire Pontifici in temporalibus, non eſt Sciſmaticus, *ibid. fol.* 113. §. *Conſtat, & ſeq.*

An pertinaciter inobediens Summo Pontifici in aliquibus, ſit cenſendus Sciſmaticus, *ibid.* §. *Gravis, & ſeq.*

Falſum eſt Eccleſiam Catholicam aſſerere aliquando recepiſſe in Pontificem, qui fuit Sciſmaticus, *ibid. fol.* 115. §. *Falſum.*

Qui innodentur Cenſuris Sciſmaticorum, *ibid.* §. *Praterea*, & *ſeq.*
Oſtenditur gravitas peccati Sciſmatis, *ibid. fol.* 116. §. *Monſtrandum.*
De damnis maximis Sciſmatis, *ibid. fol.* 117. §. *Damna*, & *ſeq.*
Referuntur omnia ſciſmata, *ibid.* §. *Primum*, & *ſeq.*
An Sciſmatici ſalvari poſſint, ſi pertinentia ad fidem eredunt, *tom.* 1. *conſ.* 43. §. 1. & *ſeq. fol.* 120.
Sciſmaticus cenſetur Hæreticus, *tom.* 1. *conſ.* 126. *fol.* 518. §. *Sciſmaticus.*
Electi in Reges ſi ſint Cattholici non debent coronari ab Epiſcopo ſciſmatico, ſed aliquando datur facultas Epiſcopo Greco unito, *ibid.* §. *Electi.*
An Grecus Sciſmaticus ſit etiam cenſendus hæreticus propter ſuos errores, *tom.* 2. *conſ.* 140. *per totam fol.* 35. §. *Pracipui.*
De origine, abſolutione, & remiſſione Sciſmatis in nationibus Orientalibus, *ibidem.*
Sciſmaticus quommodo expediatur, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 209. §. *Sciſmaticus.*
De pęna in ſciſmaticos, *tom.* 2. *conſ.* 188. *fol.* 413.
Quid, & quotuplex ſit ſciſma, *ibid.* §. *Sciſma verè*, & *ſeq.*
Quando excuſentur à ſuſpicione hæreſis, *ibid.* §. *Hes autem.*
Quibus pænis puniantur ſciſmatici, *ibid. fol.* 414. §. *Quibus autem.*
Qui dicantur Sciſmatici, *ibid.* §. *Et advertendum.*
An ſciſmaticus incurrat irregularitatem, *ibid.* §. *Irregularitatem*, & *ſeq.*
An pęnę ſciſmaticorum extendantur ad fautores, & filios, *ibid. fol.* 418. *fautores* & §. *Hæ autem.*
De expeditione cauſarum ſciſmaticorum, *ibid.* §. *Quod verè.*

SCRIPTURA SACRA

Non ſufficit ad determinandas omnes quęſtiones fidei, ſed indiget Doctoribus, *tom.* 1. *conſult.* 6. *fol.* 6. §. 1. & *ſeq.*
Traditio Apoſtolica quęnam ſit, *tom.* 1. *conſ.* 10. §. 2. *fol.* 10.
Scriptura ſacra non eſt notior, ac petior Eccleſia Cattholica, *tom.* 1. *conſ.* 23. *fol.* 32. §. *Ad Secundum* & *ſeq.*
Scriptura ſacra auctoritatem ſuam recipit à Deo, Teſtimonium Veritatis, & infallibilitatis ab Eccleſia, *ibid.* §. *Reſpondeo*, & *ſeq.*
An procedatur in S. O. pro abuſu verborum ſacrę ſcripturę, *tom.* 1. *conſult.* 119. §. *prime*, & *ſeq. fol.* 494.
Qui interpręratur ſacram ſcripturam ultra ſenſum Eccleſię, hæreticus dicitur, *ibidem.*
Qui abutitur ſacra Scriptura ad ſortilegia, profanum finem, & in Libellis famoſis punitur in S. O. *ibid.* §. *Atque*, & *ſeq.*
Qui curat Sciaticam verbis Sacræ Scripturæ quomodo expediatur, *ibid.* §. *Qui autem.*

SECTARII.

Qui ſint eorum nomen, & origo, *tom.* 1. *conſ.* 44. *fol.* 121. §. *Exprimunt.*

SENECTUS.

Senex delinquens aliquo modo excuſatur à pęna delicti, *tom.* 2. *conſ.* 155. *fol.* 122. §. *Pena.*
Ubi quis dicatur Senex.
Senex decrepitę ætatis excipitur à tortura, *tom.* 2. *conſ.* 161. *fol.* 164. §. *Porro.*
Ætas ſenilis non decrepita, quandò excuſet à tortura, *ibid. fol.* 167. §. *Ætas.*
Septuagenarius, & decrepitus, quando, & quomodo torqueatur, *ibid.* §. *Septuagenarius.*

SENTENTIA.

Quid ſit, & quotuplex, *tom.* 2. *conſ.* 162. *fol.* 179. §. *Sententia.*
Definitiva qualis, *ibid.* §. *Definitiva*, & *fol.* 181. *Definitivam.*
Quę interlocutoria, *ibid. fol.* 179. *Sententia.*
Quando ferenda ſit, *ibid.* §. *Feruntur.*
Quid Judex facere debeat, *ibid. fol.* 180. §. *Nunquam*, & *ſeq.*
Modus ferendæ ſententiæ, *ibid. fol.* 181. §. *Modus.*
Modus ſententiæ condemnatorię, & abſolutoriæ, *ibid.* §. *Sententia vero*, & §. *Et in Sententia.*
Quando locus ſit ſententiæ abſolutorię, *ibid.* §. *Verum.*
Sententia quando nulla, *ibid.* §. *Sententia porro*, & §. *Similiter*, & *fol.* 182 §. *Sententiam.*
Citatio ad ſententiam neceſſariam, *ibid. fol.* 181. *Sententia porro.* & §. *Vocandus.*
In ſententia ſemper exprimendi ſunt errores, *ibid. fol.* 182. §. *In ſententia*, & *ſeq.* Contrarium, §. *At hiſce*, & *ſeq.*
In ſententia tenentur Theologi, & Juriſperiti conſilium Inquiſitori prębere communicato eiſdem proceſſu, *ibid.* §. *Periti*, & *ſeq.*
An publicari debeant Teſtium nomina, & quando, *ibid.* §. *Nomina*, & *ſeq.*
Quid ſi Periti ſint inter ſe diſcordes, *ibid.* §. *Quid ſi* & *ſeq.*
An ſi feratur ſine conſilio Peritorum ſit nulla, *ibid.* §. *Sententiam*, & *fol.* 183. *At hiſce*
In condemnando, ſequenda eſt opinio probabilis relicta probabiliori, & ſemper favore Rei, *ibid.* §. *Si quis*, & *ſeq.*
Poteſt Judex ſibi reſervare in ſententia augmentum, & minutionem pænarum, *ibid. fol.* 184. §. *Inferendis*, & *ſeq.* Ubi an hoc poſſit facere Epiſcopus ſine Inquiſitore & è contra in ſententiis latis ab utroque.
Sententia in Cauſis fidei, nunquam tranſit in judicatum, *ibid.* §. *Porrè.*
Condemnatus ad pænam arbitrariam, ſupervenientibus probationibus, poteſt damnari ad Ordinariam, *ibid. fol.* 185. §. *Reus vero.*
Sententia abſolutoria, cui poſſit, *ibid.* §. *Sententia autem*, Ubi, cui noceat, condemnat.
Quomodo ferenda contra fugitivum, *ibid.* §. *Contra fugitivum*, & *ſeq.*
Degradatio verbalis quando, & quomodo facienda ſit, *ibid. fol.* 186. §. *Quod ſit talis*, & *ſeq.* Ubi quod degradatus verbaliter Clericus poſſit puniri à Laico.
Sententia contra memoriam Defuncti, *ibid.* §. *Sententiam.*
An, & quando à ſententia Inquiſitorum detur appellatio, *ibid.* §. *An autem*, & *ſeq.*
An Iudex Laicus cognoſcere poſſit de aliqua exceptione nudi facti in Cauſa hęreſis, *ibid. fol.* 187. §. *At licet*, & *ſeq.*
An Judex Laicus ſit merus Executor in cauſa fidei, & nihil poſſit inquirere, *ibidem.*
Judex debet judicare ſecundum Jus Divinum, & humanum, *ibid. fol.* 190. §. *Etenim.*
Princeps Laicus non poteſt concedere ſtatuta, quæ pręteribant modum procedendi, vel puniendi crimen hęreſis, ſed poteſt augere pęnas, *ibid. fol.* 191. §. *Hinc Princeps*, & *ſeq.*
In ſententiis Minorum Inquiſitores non poſſunt apponere Clauſulam citra pęnam relapſus abſque ſpeciali commiſſione, *ibid.* §. *In Sententiis.*
Omnia acta debent fieri gratis, *ibid.* §. *Inquiſitores.*

SIGILLUM.

Confeſſione frangens, non punitur in S. O. niſi annexam ſollicitationem, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 535. §. *Ordinarii.*

AD co-

An cogendus ſit Confeſſarius ad revelandum aliquid cum licentia Pænitentis, *tom.* 2. *conſ.* 149. *fol.* 91. §. *Effata, & ſeq.*

An Regularis, qui uſus eſt notitia in Confeſſione habita ad corrigendos ſuos Subditos, ſit puniendus *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 517. §. *Regularis.*

Quid facere debet Confeſſarius, audiens à Pænitente hæreſim extra Confeſſionem, ſi producatur in Teſtem, *tom.* 2. *conſ.* 149. *fol.* 89. §. *Si verò.*

An attendenda ſit depoſitio Confeſſarii revelantis Confeſſionem, *ibid. fol.* 90. §. *Atque.*

Teſtis ſciens aliquid ſpectans ad S. O. ſub ſigillo ſecreti naturalis, cogitur ad veritatem farendam, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Poterit.*

Frangens ſigillum, & aperiens literas Inquiſitori directas continentes denunciationes, incurrit in Cenſuras, & punitur, *ibid. fol.* 517. §. *Qui aperit.*

SIMONIACI.

An poſſint vocari Hæretici, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Eſt autem.*

Non puniuntur in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 138. *fol.* 24. §. *Neque.*

Si quis petierit ſibi permitti, ut mediante pecunia conſequi poſſit beneficium ab Hæreticis, an ſit reſpondendum, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Si quis.*

SODOMIA.

In Regnis Loſitaniæ, & Hiſpaniarum, punitur in S. O. *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 5. §. *Sic etiam.*

Quomodo procedendum contra Confeſſos, vel convictos, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Convicti.*

SOLLICITATIO, SOLLICITANTES.

Vide Pænitentię Sacramentum, Confeſſarius, Confeſſio.

Quomodo ſubjecta Inquiſitoribus, *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 6. §. *Hinc non eſt.*

Quomodo abjuret ſollicitans Confeſſarius, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 228. §. *Nunc, & conſ.* 200. *fol.* 515. §. *Confeſſarius.*

Qualis ſuſpicio oriatur de hæreſi contra Sollicitantes, *ibid. fol.* 228. §. *Qualis, & ſeq.*

Quando dicantur Sollicitantes, *ibid. fol.* 229. §. *Sollicitans.*

Abutens Confeſſionario tantum, quomodo abjuret, *ibid.* §. *Confeſſario, & ſeq.*

Sollicitans eſt neceſſario denunciandus S. Officio, *tom.* 2. *conſ.* 162. *fol.* 317. §. *Item Confeſſarius.*

An mandans Confeſſario, ut pro ſe ſollicitet, ſit denunciandus, *ibidem.*

Qui perſuaſit mulierem ad tentandum Confeſſarium in confeſſione, quomodo puniendum, *tom.* 2. *conſ.* 200. *fol.* 516. §. *Mulier.*

In quibus conſiſtat ſollicitatio, *tom.* 2. *conſ.* 202. *fol.* 526. §. *Hac autem.*

Quomodo procedatur ſuper hoc delicto, *ibid.* §. *In hoc.*

Norma Conſtitutionis Gregorii XV. *ibid.* §. *Extat.*

An ſollicitans ſuſtinens torturam privandus ſit facultate audiendi Confeſſiones Sacramentales, *ibid.* §. *Quando.*

Quid agere ſoleat S. Officium contra ſollicitantes bonæ famæ delatos à mulieribus inimicis, vel malæ famę, *ibid.* §. *At vero.*

Quid de abutentibus Confeſſionario, *ibid.* §. *Et quoniam.*

Quid de Confeſſario ſollicitante cum dogmate, *ibid. fol.* 527. §. *Facinori.*

SOMNIA.

De Divinationibus, quæ fiunt per ſomnia, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 360. §. *Inter.*

Quid ſit ſomnium, *ibid.* §. *Somnium.*

De cauſis ſomniorum, *ibid.* §. *Quare, & fol.* 364. §. *Sunt & fol.* 363. §. *Secundo.*

Quomodo dignoſcantur ſomnia, an procedant à cauſa divina, vel naturali, vel Dæmoniaca, *ibid. fol.* 361. §. *Si quis, & ſeq.*

Quando licita Divinatio ex ſomniis, *ibidem, & fol.* 369. §. *De ſomniorum.*

Significatio futurorum, quibus ſomniis conveniat, *ibid. fol.* 362. §. *Sed quo.*

De ſomniis dæmoniacis, *ibid. fol.* 366. §. *Somnia, & ſeq. &* §. *Caterum.*

An poſſit occurrere prophetia per ſomnia, *ibid. fol.* 363. §. *Averroes.*

An ſit danda fides ſomniis, *ibid. fol.* 364. §. *Aſſerimus, &* §. *Quinto, & ſeq.*

Deditus continuo obſervationibus ſomniorum, an peccet mortaliter, *ibid. fol.* 365. §. *Si quis autem.*

An ſydera influant in ſomnia, *ibid.* §. *Neque & ſeq.*

De ſomniorum interpretat, *ibid. fol.* 366. §. *Quod autem, & ſeq.*

Quid ſit Interpres ſomniorum, *ibid. fol.* 367. §. *Humanorum, &* §. *Cujus, & ſeq.*

An Angeli ſint Executores apparitionum occurrentium in ſomno, & vigilia, *ibid.* §. *Angeli, &* §. *Hoc autem, & fol.* 368. §. *Porro.*

An detur facultas naturalis interpretandi ſomnia, *ibid.* §. *Id tamen, &* §. *At certè.*

An liceat credere ſomniis, *ibid. fol,* 369. §. *Quaris.*

An liceat petere ſomniationem de aliqua re futura, *ibid.* §. *Denique.*

An divinatio per ſomnia ſapiat hæreſim, *tom.* 1. *conſ.* 1495. *per totam. fol.* 371.

Divinatio innixa falſę opinioni, eſt ſuperſtitioſa, & aliquando de hæreſi, *ibid.* §. *Sit Regula, &* §. *Si vero & ſeq.*

An in ſomniis non procuratis, licet dæmoniacis poſſit credi Dæmoni, *ibid. fol.* 372. §. *In ſomniis, & ſeq, & fol.* 373. §. *In duobus.*

SONUS, *vide* CANTUS.

SORTES.

De ſortibus diſſeritur, *tom.* 1. *conſ.* 72. *fol.* 264. §. *Tertia, & ſeq.*

Quænam ſortes, & quomodo prohibitæ, *tom.* 1. *conſ.* 74. *per totam fol.* 268.

Quot ſpecies, & modi, *ibid.* §. *Narrat, & ſeq.*

De ſorte diviſoria & quot conditiones obſervandæ, ut licitæ ſint, *ibid. fol.* 269. §. *Quod autem, & ſeq.*

De ſorte Lotherię, an licita, *ibid. fol.* 270. §. *Secundo.*

De ſorte conſultaria, & divinatoria, *ibid. fol.* 277. §. *At redeamus, & ſeq.*

Quęnam licitę ſint, *ibid. fol.* 278. §. *Ex ſortibus, & ſeq. & fol.* 280. §. *Sortes, & ſeq.*

De ſorte electionis, *ibid. fol.* 279. §. *Pone, & ſeq.*

Sortes ſunt ſpecies Divinationis, *tom.* 1. *conſ.* 72. *fol.* 264. §. *Tertia.*

Divinatoria poteſt dici Cleromantia ex ſuo genere prohibita, *ibidem.*

Rabdomantia, eſt alia ſors, ut illa ſagittarum, de qua Ezech. Cap. 21. *ibid.* §. *In Sacris.*

Literamantia quænam ſit, *ibid.* §. *Mentis, & ſeq.*

Geomantia, eſt ſors per puncta, *ibid.* §. *Secundus modus.*

Sors Paſtorum quænam ſit, *ibid.* §. *Tertius modus.*

Alectormantia quęnam ſit, *ibid.* §. *Quartus.*

Duomantia quęnam ſit, *ibid.* §. *Quintus.*

Aritmantia quænam ſit, *ibid. fol.* 265. §. *Sextus.*

De Rota Pitagoræ, *ibid.* §. *Septimus.*

Orithomantia quænam ſit, *ibid.* §. *Octavus.*

De quibuſdam aliis ſpeciebus, *ibid.* §. *Inter ſpecies.*

SORTILEGIUM, SORTILEGUS.

Eſt ſortilegium hæreticale, ſi utatur Hoſtia ad Sanitatem, ſuper qua celebrata fuit Miſſa, cui tamen non applicantur verba Conſecrationis à Sacerdote, imò ſi Sacerdos neſciat, quod adſit talis Hoſtia, *tom. 1. conſ. 122. fol. 500. §. At contrarium, & ſeq. & §. Quod autem.*

An Sortilegium amatorium ſit hęreticale, & quando, *ibid. fol. 501. §. Ad tertium, & ſeq.*

Quid de Sortilegio, in quo ponitur in dubio Sanctitas alicujus Sancti Canonizati, *ibid. §. Ad quartum.* Ubi affirmativè, & agitur de negantibus Sanctos.

An ſit ſortilegium hęreticale, uti nominibus, & Caracteribus ignotis, & nominibus Angelorum Cælorum, Michael, Raphael, Gabriel, *ibid. fol. 502. §. Ad quintum, & ſeq.*

Qui ſint Judices Sortilegorum, & quomodo contra eos procedendum, *Vide conſ. 123. per totam fol. 502.*

Sortilegia quando ſapiant hæreſim, *tom. 2. conſ. 134. fol. 6. §. Ut autem, & ſeq. & fol. 7. §. Atque hinc.*

An, & à quo tempore ſubijciantur S. O. *tom. 2. conſ. 136. fol. 10. §. 1.* Ubi ea non qualificata, ſed ſimplicia: *fol. 11. §. Ex his, & ſeq.*

Sortilegus ſi fateatur, ſe feciſſe ſortilegium cum proteſtatione, quęnam ſit contraria facto non eſt cenſendus hęreticus, *tom. 2. conſ. 159. fol. 137. §. Qui fatetur, & ſeq.*

Puniuntur eo modo, quo Hęretici, *tom. 2. conſ. 167. fol. 261. §. Sortilegi & ſeq. & conſ. 170. fol. 310. §. Sexto, & ſeq. & conſ. 202. fol. 527. §. Iſti.*

An ſint excommunicati, *tom. 2. conſ. 172. fol. 315. §. Quod verò, & ſeq.*

Quid de mandante, & conſulente ſortilegia, *ibid. fol. 316. §. Quamvis, & fol. 317. §. Quod autem.*

An contra Sortilegum procedatur per inſordeſcentiam in excommunicatione, *ibid. fol. 318. §. Sortilegus, & ſeq.*

Quid ſi obtinuit infra annum aliquam gratiam cum Clauſula, teque abſolventes, *ibid. §. Si quis.*

De ſententia dicenda contra Sortilegos, *tom. 1. conſ. 36. fol. 87. §. Eandemque.*

Quomodo intelligendus Textus in Cap. accuſatus cum Gloſ. in Sexto, *ibid. §. Nam.*

In quo conſiſtat malitia ſortilegii, *tom. 1. conſ. 49. fol. 139. §. Expendend.*

Quomodo dividatur, *ibid. fol. 138. §. Hujuſmodi.*

De invocatione Dæmonis in Sortilegio, & de pacto, *ibidem. fol. 139. §. 5. & ſeq. & fol. 141. §. Nihilominus, & §. Septimo & ſeq. & fol. 142. §. Ut autem.*

Regula ad dignoſcendum pactum cum Dæmone, *ibid. §. Sit itaque, & ſeq. & tom. 2. conſ. 202. fol. 527. §. Illi, & ſeq.*

An ignorantia excuſet in Sortilegio, *tom. 1. conſ. 49. fol. 143. §. Expendend. denique.*

An excuſet curioſitas, *ibid. fol. 144. §. Idemque.*

Quid ſit ſortilegium, *ibid. §. Sortilegium.*

Quid de Judæis, & Idolatris ſortilegis, *ibid. §. Eſt ſanè, & ſeq.*

De diviſione ſortilegiorum, *tom. 1. conſ. 54. fol. 183. §. Dicendum, & ſeq.*

Qui dicantur Sortilegi, *tom. 1. conſ. 55. fol. 184. & conſ. 120. fol. 494. §. Primo, & tom. 2. conſ. 202. fol. 527. §. Sortilegi.*

Sortilegia, & maleficia pro eodem quandoque accipiuntur, *tom. 1. conſ. 120. fol. 494. §. Primo.*

De nomine ſortilegii, & de ejus diviſione, *ibid. §. Sortilegium, & §. Duplex, & ſeq.*

De modo cognoſcendi Sortilegium hæreticale, & ſimplex, *ibid. §. Nec, & ſeq. & tom. 1. conſ. 121. fol. 498. §. Illa.*

An ſit ſortilegium hæreticale abuti oſſibus mortuorum, *tom. 1. conſ. 122. fol. 500. §. Primo.*

An ſortilegus incurrat irregularitatem, *tom. 2. conſ. 173. fol. 319.*

Quid ſi ſortilegium ſit occultum, *ibid. §. Et quidem, & ſeq.*

Quid de filiis, & deſcendentibus, *ibid. fol. 320. §. Filios, & ſeq. & §. Filios autem, & ſeq. & fol. 321. §. Filii verò.*

An Clericus, vel Sacerdos Sortilegus ſit ſuſpenſus, *ibid. fol. 322. §. Pœna, & ſeq.*

De variis pænis contra Sortilegos, *ibid. fol. 326. §. Ut autem, & §. Si verò.*

Praxis S. O. in puniendis Sortilegis, *ibid. fol. 325. §. Generaliter, & ſeq.*

De pęna à Jure civili ſtatuta, & de aliis legibus, *ibid. fol. 327. §. De Jure, & fol. 329. §. Reſtat, & ſeq.*

Extrajudicialis Sortilegi confeſſio facit indicium ad torturam, *ibid. §. Tandem.*

An liceat Sortilego tollere Sortilegium, *ibid. fol. 327. §. Verum, & ſeq.*

De prohibitione Sortilegii ex lege Divina, & de pænis Canonicis, *ibid. fol. 330. §. Addamus.*

De pęna Carceris contra Sortilegos, *tom. 2. conſ. 174. fol. 331.*

An verba imperativa ad Dęmonem faciant ſortilegium hæreticale, *tom. 2. conſ. 164. fol. 208. §. Invocatio, & ſeq.*

Sortilegus, quando abjuret, *ibid. fol. 205. §. Ut autem.*

De Pęnitentia imponenda Sortilego, *tom. 2. conſ. 174. fol. 332. §. Sortilegis.*

An Sortilegi ſint ſtigmate notandi, *tom. 2. conſ. 175. fol. 337. §. Stigmata.*

Sortilegi quare ſint ſuſpecti de hęreſi, *tom. 2. conſ. 202. fol. 527. §. Iſti.*

Quando invocatio Dæmonis faciat ſuſpectum de hæreſi, *tom. 2. conſ. 202. fol. 527. §. Porrò, & §. Eſt autem.*

In Carceratione Sortilegi ſemper fit perquiſitio localis, & perſonalis, *ibid. §. His Sortilegis.*

Sortilegi ad amorem, quomodo interrogentur ſuper intentione, & ſi reſpondeant habuiſſe malam credulitatem, quomodo abjurent, *ibid. §. Quando & hac in re,* Ubi de Viro docto.

De negante uſum Scripturarum ſortilegarum, *ibid. §. Horum aliqui.*

Quę ſint ſcripta ſortilegia qualificata, *ibid. fol. 528. §. Quando.*

An procedatur in S. O. pro ſortilegiis non qualificatis, *ibid. §. Prima.*

Quomodo procedend. contra Striges confitentes mira ſceleta &c. *ibid. §. Effaſcinant, & ſeq.*

Quomodo debeant expediri Sortilegi, *ibid. fol. 529. §. Iſti.* Ubi de habentibus filias nubilas.

SPECTRA.

De eorum cauſis, malis figuris, & Regulis dignoſcendi apparitiones, an ſint a bono, vel a malo ſpectro. *Tom. 1. conſ. 68. fol. 241.*

SPIRITUS.

Spirituum cultus, *tom. 1. conſ. 31. fol. 60. §. De hoc, & conſ. 32. per totam.*

Spiritus variis nominibus appellatur, *ibid. fol. 62. §. Ex gentium.*

Dicuntur quoque genii, *ibid. fol. 68. §. Tertium.*

Qui negaverint dari Spiritus, *ibid. fol. 63. §. Mirum.*

Quando creati, *ibid. fol. 64. §. Sed Auguſtinus, & ſeq.*

Qui cognoverint, & vado cognoverint Spiritus, *§. Minime, & ſeq.*

De natura Spiritus, præſtantia, *ibid.* §. *Multo*, *&* §. *Hac in re.*
An Chriſtiani conveniant cum Gentilibus circa naturam Spirituum, *ibid.* §. *Magna.*
De Spectris, *ibid. fol.* 63. §. *Hujuſmodi.*
De Oraculis, *ibid. fol.* 68. §. *Atque.*
De cultu Dæmonis apud varias Nationes, *ibid.* §. *Cultus*, *& ſeq.* De eorum potentia, *ibid. fol.* 67. §. *In rebus.*
Spiritus Angelici boni, quomodo demonſtrentur adeſſe, *ibid.* §. *Depinguntur.*
De eorum Officio, & miniſterio, *ibid.* §. *Nunc*, *& ſeq. & fol.* 68. §. *Quod verò.*
Dæmones gaudent locis deſertis, *ibid.* §. *Eſt*, *& alter.*
Stoici pro Spiritu intellexerunt corpus ignis naturæ, *tom.* 1. *conſ.* 33. *fol.* 74. §. *Alterum.*

STELLÆ, ASTRA, SYDERA.

De Stella, quæ apparuit Magis, an fuerit ſupra naturam, *tom.* 1. *conſ.* 78. *fol.* 292. *& ſeq.*
An per aſtra poſſint cognoſci miſteria ſupernaturalia futura, ubi plura circa genituram D. Noſtri Jeſu Chriſti, *ibid. fol.* 294. §. *Sit igitur*, *& ſeq.*

STOIRHEOMANTIA.

Quid ſit, *tom.* 1. *conſ.* 94. *fol.* 356. §. *Stoirheomantia.*

STRIGES, *vide* SAGÆ.

SUPERSTITIO.

Quæ de Superſtitioſis ferenda ſententia, *tom.* 1. *conſ.* 36. *fol.* 87. §. *Jam liquet.*
Quę ſit ſuperſtitio, *tom.* 1. *conſ.* 49. §. *Primo fol.* 138. *& conſ.* 52. *fol.* 150.
Quomodo differat ab Idolatria, *ibid. fol.* 138. §. *Primo*, *& ſeq.*
Dividitur in ſapientem hęreſim manifeſtè, & in non ſapientem.
Cognitio ſuperſtitionum omnium pertinet ad S. O. *tom.* 1. *conſ.* 50. *fol.* 147. §. *Cognitio.*
Quæ ſit malitia ſuperſtitionis, *tom.* 1. *conſ.* 52. *fol.* 150. §. *Aſſerunt*, *&* §. *Negatoria.*
An gemmæ, & lapides habeant vires, & facultates in aliquos affectus, *ibidem.*
Referuntur varię Superſtitiones, *ibid. fol.* 151. §. *Superſtitioſum*, *& ſeq.*
Quę non ſint ſuperſtitiones, *ibid.* §. *Non eſt*, *& ſeq.*
De uvis natis die Paraſceves, aut Aſcenſionis, *ibid. fol.* 154. §. *Negant*, *& ſeq.*
De pactis inter vivos comparendi poſt mortem, *ibid. fol.* 155. §. *Pacto.*
De filio nato à Puella Virgine, *ibid.* §. *Neque.*
Superſtitioſum eſt credere malum futurum ob garritum avium, vel ululatum Lupi &c. *ibid. fol.* 156. §. *Eſt mortaliter.*
Non eſt ſuperſtitioſum uti Orationibus Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis, ut in puncto mortis appareat, *ibid. fol.* 157. §. *Superſtitioſas.*
Superſtitioſum eſt uti Orationibus &c. in num. dierum, *ibid. fol.* 158. §. *Illud.*
Item Lupos jacontare, *ibid.* §. *Superſtitioſum.*
Item uti verbis, vel Caracteribus ignotis, *ibid.* §. *Huc refero*, *& ſeq.*
De quibus formulis medendi, *ibidem* §. *Habemus*, *& ſeq.*
Præſtigiatores ſuperſtitioſi, *ibid. fol.* 159. §. *Ad eandem.*
De virgulis ad inveniendas aquas, *ibid.* §. *Non eſt.*
De ſalutatoribus, an operentur virtute Dæmonis, *ibid.* §. *Cenſent*, *& ſeq. & fol.* 160. §. *Et re*, *& ſeq.*
De Strumatum curatione Regum Gallię, *ibid. fol.* 161. §. *Cæterum.*
De variis artibus ſuſpectis medicandi, & de Caſalmis, *ibid. fol.* 162. §. *Feminas*, *& ſeq.*
De quarumdam Miſſarum ſuperſtitioſo ritu, *ibid. fol.* 169. §. *Temerarium*, *& ſeq.*
De quadam ſuperſtitioſa recitationis Salutationis Angelicæ, quo ad quoſdam numeros, *ibid. fol.* 170. §. *Eſt ſuperſtitioſum.*
Geſtare cartulam cum nominibus Sanctorum Magorum & SS. Trinitatis admixtis, *ibid. fol.* 172. §. *Advertendum.*
Eſt ſuperſtitio Hæreticalis, imo Sortilegium uti Hoſtia non conſecrata ad Sanitatem, *ibid.* §. *Eſſe autem*, *& ſeq.*
Superſtitio, quando ſapiat hæreſim, *tom.* 2. *conſ.* 134. *fol.* 6. §. *Ut autem.*

SUSPICIO.

De hæreſi quotuplex, *tom.* 1. *conſ.* 54. *fol.* 183. *& ſeq.* §. *Ex quibus.*
Suſpecti de hæreſi an ſint perſeverantes in peccato mortali, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 211. § *Perſeverans.*
Qui diſcedit à communi uſu Fidelium circa cultum Divinum, eſt ſuſpectus de hæreſi, *ibid.* §. *Qui diſcedit.*
Suſpectus, qui purgat in tortura ſuſpicionem, quomodo abjuret, *tom.* 2. *conſ.* 164. *fol.* 235. §. *Sed hic*, *& ſeq.*
Suſpecti de hęreſi non gaudent immunitate Eccleſiaſtica, *tom.* 2. *conſ.* 169. *fol.* 287. §. *Suſpecti.*
Non remanent Irregulares, etiam poſt publicam pęnitentiam, & abjurationem, *ibid.* §. *Incurrunt.*
Ob ſolam ſuſpicionem etiam vehementem, non remanet quis inhabilis ad Confeſſiones audiendas, *ibid.* §. *Inhabilit.*

SYBILLÆ.

Quomodo vaticinarunt, *tom.* 1. *conſ.* 76. *fol.* 286. §. *Sybilla.*
An fuerint Vates Deo plenę, *ibid.* §. *Cajetanus*, *& ſeq.*
De Sybillis Gentilium, *ibid. fol.* 287. §. *Fuerunt.*

SYDERA *vide* STELLÆ.

SYMBOLUM APOSTOLICUM.

Ab Apoſtolis conditum eſt, & quomodo, *tom.* 1. *conſ.* 11. §. 1. *fol.* 11. Error Laurentii Valle, & aliorum ſuper hoc, *ibidem.*
Quando Apoſtoli illud ediderint, & an ſimul, vel diviſim, *ibid.* §. *Et in primis*, *&* §. *Verum tamen.*
Quotidie legendum, *ibid.* §. *Cum porro.*
Aliud Nicenum, *ibid.* §. *Primum.*
Aliud Pelagianum pro Arianis, *ibid.* §. *Porro ſicut.*
Aliud Luteranum, *ibid.* §. *Secundum.*
Aliud Athanaſii, *ibid. fol.* 12. §. *Tertium.*

SYMPHATHIA.

De Symphatia, & Antiphathia, *tom.* 1. *conſ.* 53. *fol.* 180. §. *Sed putant*, *& ſeq. Vide* Gemmę & Lapides.

T

TESTIS.

De Teſtibus contra Reos S. O. *tom.* 2. *conſ.* 150. *per totam fol.* 91.
In cauſa fidei admittuntur omnes Teſtes, qui non ſunt excluſi Jure naturæ, *ibid. fol.* 92. §. *His tamen.*
Excipiuntur Inimici, *ibid.* §. *Excipiuntur*, *& fol.* 100. §. *Itaq. & ſeq.*
Referuntur cauſæ inimicitiarum, *ibid. fol.* 101. §. *Reſtat.*
Admittuntur etiam excommunicati, & aliquando hęretici Judæi, & Infideles, *ibid. fol.* 93. §. *Quare* §. *Heretici*, *& ſeq.* §. *De Judæis* §. *Eamdemq*, *& ſeq.* Ubi de modo jurandi.
Quid de Conſanguineis, Affinibus, & Familiaribus Reorum, *ibid. fol.* 93. §. *Quod verò & ſeq.*

An admittantur ad defenſionem Rei, tom. 2. conſ. 151. fol. 106. §. Praterea.
Quid de Servo, tom. 2. conſ. 150. fol. 94. §. Servus.
Quid de uxore contra Maritum, ibid. §. Nec tamen, & ſeq.
Quid de Mulieribus, ibid. §. Mulierem, & ſeq.
Ubi de Perſonis Meritricibus, Lenonibus, & Strigis, fol. 95.
Quid de Teſte minori, & Impubere, ibid. fol. 96. §. Minores, & ſeq. §. Verum licet.
Quid de Satellitibus, & Bannitis, ibid. §. Satellitibus. §. Exul.
Quid de Teſte perjuro, & vario, ibid. §. Quod vero, & fol. 97. §. Ex quibus, & ſeq. Ubi an ſit credend. revocanti depoſitionem in articulo mortis.
An Teſtes varii, & perjurii ſint tortura purgandi, ibid. fol. 99. §. Ac licet, & conſ. 154. fol. 114. §. Si Teſtis, & ſeq.
Infames an admittantur, ibid. fol. 99. §. Cæteri.
Patientes defectum, & de jure non admittendi, an admittantur in S. O. ibid. fol. 190. §. Id tamen, & ſeq.
Teſtes quando probent, tom. 2. conſ. 151. fol. 102. §. Notandum, & ſeq.
An omnes Teſtes inhabiles debeant admitti in omni cauſa fidei, ibid. fol. 103. §. Dubitatur, §. Non obſtat, & ſeq.
Quid probent Teſtes inhabiles in S. O. tom. 2. conſ. 152. per totam, fol. 107.
Admittuntur cum eorum exceptionibus, ibid. §. 1.
De Teſtibus ſingularibus, & de differentia ſingularitatis, tom. 2. conſ. 153. per totam fol. 109.
Quæcunque Perſona etiam digna, & illuſtris cogitur ad ratificandum in S. O. tom. 2. conſ. 154. §. 1. fol. 113.
Quomodo tales Perſonæ ſint examinandæ, & quomodo Moniales, ibid. §. Quinimmo.
Quid de Teſte committente votum non teſtificandi, ibid. §. Non poteſt.
Poſſunt compelli per excommunicationem, ibidem §. Inquiſitores.
An torquendus contrarius deponens in repetitio, ibid. §. Teſtis autem.
An teneatur Teſtis falſus, ſe retractare, ibid. fol. 114. §. Retractatio, Ubi plura de retractatione, & ſeq.
De inducente falſos Teſtes, ibid. §. Qui itidem.
An teneatur retractare, quando retractatio non creditur profutura, ibid. §. Si autem.
Ad quid teneatur deponens falſum contra ſuum convinctum, ibid. §. Ille autem.
Ad quid teneatur ſciens aliquem eſſe falsò accuſatum, ibid. §. Qui verò & ſeq.
Quid probent teſtes, quorum dicta conciliari poſſunt ibid. §. Teſtes autem.
Cui credatur, ſi unus affirmet, & alter teſtis neget, ibid. fol. 115. §. In caſu.
Quando Teſtes dicantur conteſtes, ibid. §. Ut autem.
Non poteſt Teſtis aliquid accipere pro veritate dicenda, ibid. §. Non poteſt, & §. Quamvis, & ſeq.
Quid faciendum, ſi immineat periculum Teſti deponenti, ibid. §. Ubi, & ſeq.
An Teſtes inſtante inquiſito cogendi ſint ad exprimendum tempus, & locum commiſſi delicti, ibid. fol. 116. §. Verum, & ſeq.
Repetitio Teſtis facienda eſt per eundem Inquiſitorem, ibid. §. Hanc repetitionem.
Non ſit confrontatio in S. O. niſi rarò, & ex permiſſione S. Congregationis, ibid. fol. 117. §. Ultimo & ſeq. §. Tamen.
An ſit facienda ab Inquiſitore & ab Epiſcopo, ibid. §. In locis.
An fiat ordinariè, apertè, vel per rimulas, ibid. fol. 118. §. Quoniam.
An Teſtes Socii Criminis torquendi ſint in faciem Sociorum, ibid. §. Dubium, & ſeq.
Non examinantur abſque Notario, nec à ſolo Notario, ibid. §. Teſtes pro.
An torquendi pro habenda veritate, ibid. §. Teſtes torquere.
Quomodo probanda inimicitia Teſtis cum Reo, tom. 2. conſ. 155. fol. 120. §. Ut autem.
Teſtes falſi puniti in S. O. nequeunt puniri pro ead. cauſa in Curia ſeculari, tom. 2. conſ. 200. fol. 515. §. Teſtes.
Falſum deponens in S. O. & revocans in ſupplici libello depoſita tamquam falſa retinendus, ibid. fol. 517. §. Qui contra.
Falſum deponens in S. O. à nullo Confeſſi abſolvi poteſt, niſi à S. O. ibid. §. Pænitentes.
Nolens jurare de veritate dicenda torquetur, ibid. §. Nolens.
Teſtis ſciens aliquid ſpectans ad S. O. ſub ſigillo naturali, poteſt cogi ad teſtificandum, ibid. fol. 515. §. Poterit.
Offendens aliquem temerè ſuſpicando fuiſſe ab illo delatum in S. O. eſto puniatur in S. O. non comprehenditur in Bulla, Si de protegendis, ibid. fol. 517. §. Caſus.
Contra Teſtes falſos ſeverè proceditur in S. Officio, tom. 2. conſ. 202. fol. 534. §. De falſis.
Quomodo ſit concedenda repetitio Teſtium Reo negativo, & quomodo facienda, ibid. fol. 535. §. Quando & fol. 539. §. Quæ, & ſeq.
Teſtium confrontatio cum Reo, quando facienda in S. O. tom. 2. conſ. 203. fol. 534. §. De confrontatione.

THESAURUS.

Dæmoni non permittit Deus Theſauros, & opes Mari projectas eruere, & quare, tom. 1. conſ. 67. fol. 237. §. Poſſunt.

TORTURA.

De tortura Reorum in S. O. tom. 2. conſ. 161. fol. 162.
De ſpeciebus Tormentorum, ibid. §. Sunt etiam.
De Criminibus, in quibus procedi poteſt ad Torturam, ibid. §. De Criminibus.
Quæ indicia debeant procedere, ibid. fol. 163. §. Dehinc & ſeq. & fol. 164. §. His, & ſeq.
De qualitate, & quantitate Torturę, ibid. fol. 163. §. Tortura.
De ratificatione poſt Confeſſionem emanatam in Tortura, ibid. §. Quando.
De repetitione Torturæ, ibid. §. Repetitio.
An die feſto irrogari poſſit, ibid. §. De die.
Quinam torqueri non poſſint, ibid. fol. 164. §. Porrò & fol. 167. §. Omnes.
Ad quem finem Tortura infligi poſſit, ibid. fol. 164. §. Fines, & ſeq.
Quomodo in S. O. deveniatur ad Torturam, ibid. §. In Tribunalibus.
Non ſine Epiſcopi aſſiſtentia, ibid. fol. 165. §. Epiſcopus.
Dicta aſſiſtentia Epiſcopi non requiritur quando torquetur Teſtis, ibid. §. Hoc tamen.
Nec in Cauſis Lamiarum, ibid. §. In Cauſis, & ſeq. Ubi de ſervanda Clementina multorum.
An debeant ante Torturam dari Reo capita indiciorum cum nominibus Teſtium, ibid. §. Poſt indicia, & ſeq.
Appellatio à decreto Torturæ admittenda, & quo caſu rejicienda, ibid. fol. 166. §. Admittenda, & §. Solum.
De Tortura infligenda Minori, aut Seni, ibid. fol. 167. §. At non, & §. Ætas §. Septuagenarius.
Excipiuntur à Tortura etiam in S. O. ibid. fol. 168. §. Mulieres vero pragnantes §. Energumeni, §. Laborantes febri quartana.

An Minores annorum 25. poſſint torqueri in S. O. ſine Curatore, ibid. §. Nec Minor, & §. Non poteſt.
Religioſi, & Clerici mitiùs torquentur, ibid. §. Illud tamen.
An, & quatenus torqueri poſſit Confeſſarius ſollicitans, ibid. fol. 169. §. Confeſſarius, & ſeq.
Super quo torquendus ſit Sortilegus, ibid. §. Sortilegus, & ſeq.
Quænam interrogatoria ſint facienda Reo in tortura, ibid. fol. 170. §. Sane, & ſeq.
Confeſſio facta tormentorum metu, an indigeat ratificatione, ibid. fol. 171. §. Confeſſionem, & §. Si autem Terror.
Quando plures pro eodem crimine torquendi ſunt, à quo inchoandum, ibid. §. Quod ſi plures.
Quid de ſortilegio taciturnitatis in Tortura, ibid. §. Certum, & ſeq.
Quando poſſit tortura reiterari, ibid. fol. 172. §. Reus autem, & ſeq.
De revocatione Confeſſionis, & non ratificatione, ibidem.
Epilecticus non poteſt torqueri, ibid. fol. 176. §. Porro, & ſeq.
De menſura Torturæ, ibid. fol. 177. §. Tempus, & ſeq.
An ſit locus repetitioni poſt illatam plenam torturam, ibid. §. Ex quibus, & ſeq.
De virtute Torturæ, ibid. §. Virtus, & ſeq.
De ratificatione Confeſſionis in Tortura emanatæ, ibid. fol. 178. §. Ratificatio, & ſeq.
De Reo negativo in Tortura, ibid. §. Denique.
An Epiſcopo carcerato inferatur tortura ſuper intentione, ibid. §. Epiſcopus.
Tortura minuit abjurationem, ibid. §. Parerga.
Ubi inferri debeat Tortura, ibid. §. Carcerati.
Ad quid tenetur Inquiſitor ante illationem torturę, ibid. §. Inquiſitores, & §. Tenetur.
An, & cui inferenda tortura per territionem, ibid. fol. 167. §. At non eſſe. Ubi de terrore Religio.
Quando, & quomodo in S. O. ſit inferenda tortura Reo, tom. 2. conſ. 202. fol. 534. §. De tortura, & ſeq. & fol. 539. §. Advertant.
An repetenda, ibid. §. Non ſint.
Pili, & Capilli Mulieribus non abradendi, ibidem §. Nullo modo.
Tortura non excedat tempus unius horę, ibid. §. Tortura.

TRADITIONES.

Traditionibus Patrum ſtandum eſſe in materiis controverſis, ſancivit Imperator Theodoſius, tom. 1. conſ. 11. fol. 12. §. Opportuniſſimum.
Idem docuerant Tertullianus, & alii Doctores, ibid. §. Quod ipſum.
Eſt de fide dari in Eccleſia traditiones Divinas, tom. 1. conſ. 36. fol. 97. §. Quod verò.

TRIBUNAL S. O.

Vide Miniſtri, Officiales Fiſcalis, Inquiſitor, Vicarius.
Conſtituitur ab Epiſcopis uti Ordinariis, & ab Inquiſitoribus, tom. 1. conſ. 124. fol. 507.
Ubi reperiatur fundatum, ibid. fol. 509. §. Quo autem, & ſeq.
Miniſtri S. O. percipiunt diſtributiones quotidianas, etiam ſi abſint a Choro & quando, ibid. fol. 512. §. Poſſunt.
Sunt immunes ab omnibus Vectigalibus, & Gabellis ex lege Fæderici Imperatoris, ibid. fol. 513. §. Nam ſunt.

TURCÆ, & SARACENI.

Qui ſint, tom. 1. conſ. 24. §. 1. fol. 33.
Eorum nomen, & origo, tom. 1. conſ. 25. fol. 34. §. De Turcis, & §. Saraceni, & ſeq.
Quæ eis permittantur in Chriſtianos, tom. 1. conſ. 26. fol. 34. §. 2. & fol. 35. §. Hoc tamen.
Moriſci expulſi à Civitatibus Catholicis, & an aliquando tolerandi, tom. 2. conſult. 201. fol. 522. §. Moriſchi, & §. Petentes &c.
Quid ſi capiantur in Triremibus Infidelium, an remaneant Servi, ibid. §. Si capiantur.
An ſit permiſſum Chriſtianis uti habitu, & Capillitio Turcarum, tom. 2. conſ. 200. fol. 516. §. Si linea.

V

VATES.

Idem, ac Prophetæ, & Poetæ, tom. 1. conſult. 86. fol. 287. §. Fuerunt.

VENEFICI, VENEFICIUM.

Undè dicantur, & qui ſint, tom. 1. conſ. 55. §. 1. fol. 185.
An dentur morbi à Veneficiis, tom. 1. conſ. 58. fol. 193.
Cur magis Fæminæ, quam Viri veneficiis deditæ, ibid. fol. 198. §. Deinde, & ſeq.
An ſigna, Caracteres, Imagines, quibus utuntur ſint cauſę morborum, tom. 1. conſult. 59. fol. 210. §. Sed falſum.
An pocula amatoria prębere faciant ſuſpectum de hæreſi, tom. 2. conſ. 164. fol. 207. §. Neque. Vide Philtrum.

VERITAS.

Quot modis reveletur à Deo, tom. 1. conſ. 4. §. 1. fol. 4.

VICARIUS, EPISCOPI.

An Vicarius etiam Generalis Epiſcopi, vel Vicarius Capitularis indigeat ſpeciali commiſſione in cauſis Fidei, tom. 2. conſ. 139. fol. 32. §. Quo verò.
An puniendus, ſi malam ſententiam tulerit ſuper diſſolutione Matrimonii, ex quo ſuccedat Poligamia, tom. 2. conſ. 200. fol. 518. §. Vicarius.
Si procedat contra Officialem S. O. reprehenditur, ibid. fol. 515. §. Vicarius.

VICARII INQUISITORUM.

A quo eligantur, tom. 1. conſ. 129. fol. 531. §. 2.
Quas conditiones habere debeant, ibid. §. Conditiones.
Quot poſſint Inquiſitores Vicarios habere, & num Regulares, ibid. §. Poſſunt, & ſeq.
Quam juriſdictionem habeant, ibid. §. Non omnes, & ſeq.
Quibus privilegiis fruantur, ibid. §. Gaudent.
Præcedunt Vicariis Epiſcopatu, & quando, ibid. fol. 532. §. Quod vero, & ſeq.
In quibus teneantur obſervare Conſtitutiones ſui Ordinis, ibid. §. Neque poſſunt.
An eorum Juriſdictio expiret morte Inquiſitoris, ibid. §. Non tamen.
Non poſſunt eſſe Ordinariis Min. de obſervantia, ibid. fol. 535. §. Non poſſunt.
De eorum privilegiis, vide in dicta Conſecratione, §. Vicarius & ſeq. Et ibi pariter plura habentur de Vicariis Epiſcoporum.
Nihil pro ſententiis, decretis, aliiſque actibus recipiunt ſub quovis prætextu, tom. 2. conſ. 162. fol. 191. §. Inquiſitores omnes.

VIRGINITAS B. V.

Virginitatem Matris Chriſti negans traditæ Curię ſęculari, tom. 1. conſ. 51. fol. 149. §. Qui verò & tom. 2. conſ. 200. fol. 515. §. Qui negat.

VNCTIO EXTREMA.

Aſſerere quod poſſit valide miniſtrari Sacramentum Extremæ Unctionis cum oleo ab Epiſcopo non benedicto,

benedicto, eſt propoſitio temeraria, & errori proxima, *tom. 1. conſ. 218. fol. 493. §. Propoſitio.*

Oleum debet eſſe benedictum ex neceſſitate Sacramenti, ita ut ſecluſa benedictione, non valeat Sacramentum, *ibid. §. Oleum, & ſeq.*

Poteſt hæc Benedictio delegari ſimplici Sacerdoti à Summo Pontifice, *ibid. §. Poteſt.*

UNITAS.

In Eccleſia Catholica tantum, *tom. 1. conſult. 18. per totam. fol. 26.*

Quid ſit, & an ſit in aliis Sectis, *ibid. §. In Paganorum.*

Conſiſtit in Conjunctione cum Romano Pontifice, *tom. 1. conſ. 19. per tot. fol. 27.*

USURA.

Non punitur in S. O. quid quid dicant in contrarium nonnulli Authores citati, *in tom. 2. conſ. 138. fol. 24. §. Inquiſitores.*

Cambia, vulgo dicta Riſcoſſa introducta Januæ non approbantur, *tom. 2. conſ. 202. fol. 519. §. Cambia.*

ZINGARI.

An liceat interrogare Zingaras de bona vel mala fortuna per manuum lineas, *tom. 1. conſ. 98. §. 1. fol. 402.*

An, & quomodo Inquiſitores poſſint contra eas procedere, *§. Ad ferendum, & ſeq.*

An ſint tolerandæ à Principibus Chriſtianis, *ibid. §. Ad tertium.*

FINIS.

Digitized by Google

19

172
24
5